Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 - M
15

8.20.M.15

DE
ANNO SANCTI IVBILAEI
LIBRI SEX.

In quibus præter exactam Iubilæi tractationem, etiam de meritis, ac ſatisfa-ctionibus Chriſti Domini, B. Mariæ Virginis, & Sanctorum, de Theſauro Eccleſiaſtico, de Poteſtate Clauium, de Indulgentijs, de ſuffragijs defun-ctorum, de Receptaculis animarum, de ſacris Cœremonijs, de locis ſan-ctis, & de Peregrinationibus ad illa, deq; alijs multis vtiliſſimis, ac ſcitu digniſſimis, opportunè, doctè, copiosè, diligenterq; diſputatur.

Hæreticorumq; mendacia refutantur, & eorum fallaces argumentationes, præcipuè verò obiecta cuiuſdam Vergerij aduerſus Almam Lauretanæ Virginis Aedem, accuratè diſſoluuntur.

Opus certè à multis exoptatum, & numquam anteà editum.

AVCTORE RVTILIO BENZONIO ROMANO,
Epiſcopo Lauretano, ac Recanatenſi.

Cum Indicibus Capitum, locorum S. Scripturæ explicatorum, Auctorum qui citantur, & rerum notabilium.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDXCIX.
Apud Florauantem Pratum.

COPIA.

Gli Eccellentiſs. Signori Capi dell'Illuſtriſs. Conſeglio di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Riformatori del ſtudio di Padoua, per relation delli tre à ciò deputati, cioe del Reuer. Padre Commiſſario dell'Inquiſitione, del Circ. Secretario del Senato Lorenzo Maſſa, & di D. Baldo Antonio Penna, Dottor Lettor publico, che nella opera intitolata de Anno Sancti Iubilæi, del Reuerendiſs. Veſcouo di Loreto & Recanati, D. Rutilio Benzoni, non ui e coſa contra le leggi, & è degna di ſtampa, concedono licentia, che poſſi eſſer ſtampata in queſta Città. Dat. die 3. Martij 1599.

D. Gieronimo Diedo.
D. Barbon Moreſini.
D. Nicolò Contarini.
} Capi dell'Illuſtriſs. Conſeglio di X.

Illuſtriſs. Conſ X. Secretarius, Leonardus Otthobonus.

1599. adi 8. Marzo regiſtrata in libro.

Ant. Lauredanus Off. cont. Blaſph. Coadiutor.

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO NOSTRO, DOMINO CLEMENTI OCTAVO, PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

RVTILIVS BENZONIVS ROMANVS, Epiſcopus Lauretanus, & Recanatenſis, felicitatem.

IMMORTALES bonorum omniũ Auctori Deo Optimo Maximo gratias agere, & Sanctitati tuę, Pater Beatiſſime, ſummoperè gratulari poſſe mihi videor: quòd inter cætera Diuinæ Bonitatis in te collata beneficia, (quæ profectò plurima, & maxima ſunt,) illud præcipuè ac maximè omnium virtutes, meritaque tua mirificè illuſtrare, nomenque tuum præclariſſimum immortalitati commendare; nec non Eccleſiam Catholicam vniuerſam extollere, lætificare, & exornare mirandum in modum non immerito videatur: Quòd ſcilicèt ad hæc ſanctiſſima, tantumque vniuerſo Chriſtianorum Orbi deſiderata centeſimi Iubilæi tempora; ad Portam verè Sanctam aperiendam, ad præcioſiſſimos, ac prorsùs inæſtimabiles diuinarum Gratiarum, & Indulgentiarum theſauros benigniſſimè, largiſſimeque fidelibus populis diſtribuendos; ad immenſam denique ipſius Chriſti Dei & Domini noſtri, huius militantis, ſicut etiam triumphantis Eccleſiæ Capitis, & Rectoris bonitatem, atque cle-

mentiam ergà nos, hoc planè feliciſſimo Iubilæi anno luculentiùs declarandam; Sanctitatem tuam (Pontificem quippe ſicut nomine, ità quoque re ipſa verè Clementem) elegerit, reſeruaueritque prouidentia ſingulari. Id quod, & paucis admodum, & ſanè illuſtrioribus Eccleſiæ Sanctæ Paſtoribus dumtaxàt datum fuiſſe hactenùs norunt omnes. Et quidem ſi tot tantiſque victimis, ſacrificijſque magnificis, ac ſplendidiſſimo apparatu olim ſapientiſſimus Rex ille Salomon cum vniuerſo Iſraelis Populo, ad ſummum & inenarrabile gaudium, incredibilemq; animi iubilum indicandum, innumeras gratiarum actiones, ac laudes omnipotentiſſimo rerum omnium conditori Deo per multos dies obtuliſſe legitur; propterea quòd Templum illud inſigne, totoque Orbe celeberrimum (corruptibile tamen) Hieroſolymis diuino cultui conſecratum, cuius ipſemet Deus Auctor extitit, & Architectus; iam tandem ingenti ſumptu, ſummiſque exanthlatis laboribus, feliciſſimè, vt illi erat in votis, poſt multorum annorum curricula perfecerat. Sicut etiam iuſtus ille coràm Domino Noè, Arca illa ſua diuino iuſſu fabricata; ac poſt centeſimum annum, vt multis, ijſdemque illuſtrioribus Eccleſiæ Patribus, diuinæ in primis ſcripturæ in libro Geneſeos atteſtatione permotis, placere videtur, vndequaque abſoluta; immenſo, ineffabilique repletus gaudio, numquam ab ipſius clementiſſimi Dei laudibus ceſſaſſe fertur, non obſcura Deo exhibens grati animi argumenta ſacrorum oblatione ſacrificiorum. Multo ſanè iuſtiùs, multoque longè feliciùs profectò nobis omnibus, præcioſo Chriſti Dei noſtri ſanguine redemptis, lætitia geſtiendum, ſummaque nitendum ope, vt abſque vlla defatigatione Deo noſtro plurimas grates laudeſque perſoluamus, nemo dubitabit. Quippè qui annum hunc veræ iubilationis, ac lætitiæ ſpiritualis, tàm multis, ac maximis, ijſdemque veris ac ſolidis bonis affluentem, (eximium, ac peculiare Chriſtianæ felicitatis priuilegium,) non tam iamdiù ardentiſſimè deſideratum, ideoque cunctis fidelibus omninò gratiſſimum aduentaſſe; ſed (quod maximum exiſtimandum eſt bonum) ad tanti, atque adeò verè Clementis Pontificis tempora reiectum, ac reſeruatum, pro ſumma eiuſdem Præpotentis Dei erga nos beneficentia percipimus. Vtrum verò Sanctitati tuæ, Pater Beatiſſime, an Eccleſiæ potiùs

tiùs

tiùs gratuler vniuerſæ, haud facilè ſtatuerim. Sapientiorum id iudicio reſeruandum, iiſque ſtatuendum, qui apud cordatos viros æqui habentur rerum æſtimatores. Illud ſanè, quod ad me attinet, in præſentia laboribus hiſce prætexo meis, vt Opus de Iubilæo, Indulgentijs, Peregrinationibus ad Loca Sancta, ac de veritate Sanctæ Domus Lauretanæ, quod ante paucos annos in alio volumine, De Fuga in Peſte, Fame, & Bello, ſub ampliſſimo Tuæ Sanctitatis nomine, & felicibus auſpicijs à me in lucem edito, pollicitus fueram; iam tandem, opportuno tempore, promiſſi non immemor exhibeam. Iure autem optimo nemini prorsùs hanc meam de his rebus, quas dixi, tractationem, ipſis temporibus adeò egregiè accommodatam; aut congruentiùs, aut aptiùs, aut denique meliùs nuncupari debuiſſe, nec potuiſſe exiſtimaui quàm Sanctitati Tuæ; ſummo ſcilicèt Iubilæi, Indulgentiarum, & præſtantiſſimorum Eccleſiæ Dei theſaurorum Clauigero, qui eos, auctoritate ab ipſomet Chriſto Domino tradita diuinitùs, populis fidelibus diſtribuendos accepiſti; necnon ipſius Dei Genitricis, eiuſque Sanctæ Domus Lauretanæ ſingulariſſimo, ac ſtudioſiſſimo Propugnatori. Accedit aliud ad hoc, quòd videlicet non meipſum tanti facio, Beatiſſime Pater vt, quamuis vires omnes, neruoſque meos contenderim, quò totum hoc opus ab omni labe, ac macula cuiuſlibet errati prorsùs immune redderem, tuoque candidiſſimo nomini purgatiſſimum conſecrarem; me tamen vel in multis labi potuiſſe, & fortè etiam lapſum eſſe, (quod humanæ fragilitatis proprium eſt;) non ſine cauſſa putem: quòd ſi non adeò graues, ac valdè perſpicuos, (quod ex diuturna, ac diligenti, ſæpiuſque iterata animaduerſione credere licet) certè minutulos quoſdam lapſus, exiguaque aliqua vitia in tàm diffuſo, & non mediocriter difficili opere, haud laborioſè reperiri poſſe nullus fortè dubitabit, & ego ipſe non inficiabor. In eo autem hac me poſſe inſpicientium oculos arte deludere non incongruè putaui: Si videlicèt antiquiſſimam veterum ſculptorum, ac ſtatuariorum conſuetudinem imitarer. Qui quò minùs in ſuis operibus, ſiue ex incuria, ſiue ex alia quacumque cauſſa commiſſa vitia, vel perſpicaciſſimi ad inſpiciendum oculi percipere, & accuſare poſſent, confectas ab ipſis ſtatuas, vel eius generis quæcum-

que alia in ſummo faſtigio altiſſimæ cuiuſpiam, atque formoſiſſimæ columnæ collocare conſueuerunt: vt ſic longiùs, & à videntibus remotiùs poſita, cùm ob columnæ illius altitudinem, ac ſublimitatem; tùm propter eiuſdem pulchritudinem, ac ſpeciem, ſine vllo planè vitio viderentur, & à quocumque vel præſtantiſſimo artifice iudicarentur. Nimirum ego propterea Sanctitatis tuæ celſitudinem B.P. potiſſimùm delegi, columnam profectò totius Eccleſiæ Dei fundamentariam, & ſuper omnes alias maximè excelſam, atque formoſam, in qua ſculpturam hanc meam, quæcumque illa ſit, libentiſſimè collocarem; quò ſcilicet illam intuentium oculi, tantæ columnæ ſplendore perſtricti, & eiuſdem celſitudine perterriti, errores meos, quos fortè nolens admiſero, vel prorſus non agnoſcerent, vel ſaltem ſic negligendos exiſtimarent, vt eos omninò vitio nequaquam vertendos affirmarent: ac certè, ſi non opus ipſum alicuius putarent ponderis, atque momenti; ſaltem ob eius, in qua poſitum ſit, columnæ nobilitatem, atq; præſtantiam, illud in primis gratum, & carum haberent. His addendum eſt, quòd ſicut olim ex illo celeberrimo in ſacris literis fonte Rebeccæ, tàm hominibus, quàm cęteris animantibus potum ad corpoream extinguendam ſitim ſumere fas erat; ita & modo ſatis perſpectum habeo P. B. quantacumque fuerit eorum ſitis, qui magnorum, ac multorum criminum ardoribus ęſtuantes, iam diu animorum fauces aridiſſimas, & moleſtiſſimam cœleſtis aquę ſitim paſſi ſunt, ſi modo ad vberrimum gratiarum & munerum tuorum fontem, immò indeficientem diuinarum aquarum Oceanum acceſſerint; atque à Clementiſſima Sanctitate Tua, tamquam ſerui Abraham à Rebecca, miſerationis, & Indulgentię potum, his benigniſſimis, atque indulgentiſſimis temporibus poſtulauerint; eos & ſuauiſſimos, & affluentiſſimos Clementię, ac pietatis hauſtus, vnde ſitim prorſus extinguant, deguſtaturos. Vnde nec mihi Sanctitatis Tuę ſeruulo ex tam copioſo, atque vbertim effluenti Clementię fonte potum ſitienti interdicendum fore ſperaui; quippè qui etſi non prçcioſas fortè inaures, & armillas Rebeccę dono daturus ſim; haud tamen contemnendum omninò munus, prçcioſiſſimis, vt iam dixi, Eccleſię Dei theſauris refertum, Sanctitati Tuę illorum ſummo Theſaurario, & diſpenſatori,

ſatori, humili quidem, hilari tamen animo præbeo, ac planè lubēs offero: munus nempè plurimis debitum nominibus. Illud verò iam Sanctitatem Tuam enixiùs oro, & obſecro, vt non tam oblatum donum, quàm offerentis voluntatem, & animum gratum habeat: Hinc enim profectò fiet, vt nec exiguum me operæ pręcium feciſſe exiſtimem, & ad maiora deinceps molienda animus accedat alacrior. Interea Clementiſſimum Cœli, Terræque Dominum ſtudioſiſſimè precabor, vt Sanctitatem Tuam, præclariſſimum, & Clementiſſimum Pontificem, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ diù ſeruet incolumem, atque æternorum tandem gaudiorum, poſt feliciſſimum præſentis vitæ curriculum, in cœleſtibus domicilijs compotem efficiat. Vale. Laureti ipſo die Reſurrectionis Dominicæ. M D XCIX.

AVCTOR AD STVDIOSVM VERITATIS, ET BENIGNVM LECTOREM.

ECCE tibi, Candide Lector, tuiſq; religioſis commodis, pro ſummi Dei, eiuſq; Matris puriſſimæ Mariæ Virginis gloria, vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianę vtilitate, atq; pro contumelia & quaſi fræno hæreticorum, veritatis, fideiq; catholicæ hoſtium, ſecundus hic vigiliarum & laborum ingenij mei partus iam tandem egreditur in lucem, feliciſſimo Deiparę Lauretanæ Virginis præſidio ſecurus, atq; decorus; nec non Clementis VIII. Pontificis maximi, ſanctiſſimiq; nomine auguſtiſſimo inſignitus, ac proinde vel hac de cauſſa omnibus planè, ut ſpero, gratus futurus, atq; iucundus. Diutius quidem in vtero detentus, ſed ob eam præcipuè rationē longè melior ac perpolitior, perq; ſingula membra optimè, vt opinor, iam formatus atq; diſpoſitus. Cum enim inter annos, quibus hac ego luce fruor, tertius hic ſacroſancti Iubilæi numeretur, quem eorum ſecundo in Alma Apoſtolorum Principis Baſilica Romę, quibuſdam de eodem Iubilęo publicis prælectionibus habitis, fœtum conceperam; eum deniq; his ſex libris iam grandiorem, multiſq; nominibus ampliorē hoc tertio inter annos, ut dixi, ętatis meę Iubilęi anno, quę Dei eſt benignitas, in lucē proferre licuit. Quàm verò, & rebus, & perſonis omnibus, & ipſis demum temporibus accommodatū, quiſquis mentis expers, iudicioq; vacuus nō fuerit, haud difficilè iudicabit. Addita eſt autē de ſacris Indulgentijs, ac Peregrinationibus ad religioſa loca tractatio non contemnenda, vt ſic quàm facillimè, qui pręcioſiſſimos Iubilęi, & Indulgentiarum theſauros ſibi cōparare deſiderant, ad optatum finē pertingere valeant. Acceſſerunt etiam in extremo libro reſponſiones ad execranda Vergerij hęretici argumenta, quibus veſanus ille, non minus impiè, quàm ineptè ſacroſanctæ Domus Lauretanę veritatem impetere auſus fuerat: hoc enim in altero opere ante paucos annos typis excuſo, me ex profeſſo, & peculiari libro pręſtiturum fore promiſeram. Habes equidem, Lector humaniſſime, nō ad vnius tātum hominis, vel Vrbis, vel Regni, vel Nationis; ſed ad omniū planè populorum, Vrbium, Regnorum, Nationum, atq; ad Pręlatorum, Regum, Principum, & quorumcumq; hominū, ſiue clericorum, ſiue ſęcularium vtilitatem, atq; ſalutem opus accommodatiſſimum, atq; vtiliſſimum. Quòd ſi vnuſquiſq; fidelium non minus auidè, quam iucundè ad Iubilęum & Indulgentias Anni Sancti conſequendas, nullis parcēs laboribus, aut impenſis anxius anhelat; erit profectò, cur hoc ipſum opus, quod tam inſigne, ac ſingulare ad hęc omnia, vt ſpero, ritè ac rectè percipienda præbet auxilium; magna cum animi voluptate, atq; auiditate excipiat, & libentiſſimè perlegat. Quod ſi Deus conceſſerit, totum ſanè, ut cætera omnium hominum bona, ab ipſo emanaſſe fatebor, eiq; propterea gratias, ut potero, agendas curabo; & ego me tibi, benigne Lector, rem aliqua ex parte gratam, atq; fructuoſam pręſtitiſſe ſummopere lętabor. Vale.

D.SEBA-

D. SEBASTIANI FABRINI
RECINETENSIS,

Theologi ex Congregatione Monachorum Silueſtrinorum.

AD DEIPARAM VIRGINEM LAVRETANAM.

LAVRETANA Parens, quæ ſummi ſola reperta
Excelſo es Matris nomine digna Dei;
Reſpice de Cœlis quæ nunc tibi munera terris
Offert Benzoni relligioſa manus.
Tu caput Inferni fregiſti ſola Draconis
Virgineo calcans dira venena pede.
Isq; tuo fretus cœleſti Numine miſcet
Hoſtes aduerſus bella cruenta tuos.
Hæreticos frangit, Sanctus quas præbeat Annus
Diuitias populis explicat ipſe tuis.
Dumq; tuam properat ſacram Peregrinus ad Aedem,
Hoſpes & aſsiduus dum loca ſancta petit;
Quid ſibi, quidve alijs, & qua ratione lucretur,
Quidq; docet meritis, Candida Virgo, tuis.
Ergo pacato ne deſpice munera vultu
Sumere, quæ Præſul dat tibi Diua pius:
Tantorumq; memor, puriſsima Virgo, bonorum,
Optatam ipſius niſibus affer opem.

Eiuſdem Ad S.D.N. Clementem VIII. Pont. Opt. Max.

SI Deus omnipotens felicia tempora, Clemens
Magne, vmquam placida plena quiete dedit.
Quis tam mentis inops, quis tam rationis egenus,
Tempora qui neget hæc læta, dieſq; tuos?
Tempora dicuntur felicia, læta, beata;
In quibus ex animo proſpera cuncta cadunt.

At tibi,

At tibi, Summe Pater, ſummorum Gloria Patrum,
Tempora dant votis conſona cuncta tuis.
Omnia læta tibi ſunt, omnia proſpera, numquam
Pontificis Summi gloria tanta fuit.
Maxima nunc ſummis ſuperaddunt Numina rebus,
Dum pateſit manibus Ianua ſancta tuis.
Gloria ſit maior, Præſul Benzonius iſta
Cum tibi ſincero pectore dona dicat.
Et maiora tibi portendit munera Olympus,
Donec vita Polo non peritura detur.

Ad eumdem S. D. N. De Clementia in Anno Sancto exhibenda.

QVOD Clemens es, ſumma tibi eſt Clementia; prorſus
Clementi Clemens tempore magnus eris.
Si te Clementem Cœli Clementia fecit,
Ergo tuas Clemens reſpice Paſtor oues.
Et quia Clementem præbet Clementia vultum,
In cunctis Clemens, non ferus eſſe velis.
Clementem aperiat miſeris Clementia fontem,
Clementes latices vt pia corda bibant.
Det tua theſauros populis Clementia Clemens,
Clementi vt ſoluant debita cuncta Deo.
Solaq; quod Clemens replet Clementia munus,
Ac tibi Clementi quod pia dextra dicat.
Sumat Clementi tua iam Clementia corde,
Benzoni Clemens & memor eſto tui.

Eiuſdem Ad Auctorem Operis.

PANDIT Clementis Portam Clementia ſanctam,
Vt pateant ouibus cœlica dona ſuis.
Quid præſtent animis Clementis munera noſtris,
Hæc tua, Benzoni, ſcripta diſerta docent.

Eiuſdem ad pium Lectorem.

QVI cupis ad magna pertingere mœnia Romæ,
Sanctaq; Laureti ad limina carpis iter.
Ingentes ibi theſauros capturus, opesq;
Immenſas, præſens quas ſacer Annus habet.
Perlege Benzoni docta hæc monimenta Rutili,
Quæ bene declarant, quas tibi quæris, opes.

Eiuſdem De Hęretico Almę Domus Lauretanę veritatem impugnante.

IMPIVS obſcœno vitiorum tegmine comptus
Scripſerat in Sacram verba neſanda Domum.
Jdolum vocitans, ſacrum quod ab æthere munus,
Delapſum meritò dicere quiſque poteſt.
Aſt vbi Romano inſignis de ſanguine Paſtor,
In lucem ſacrum protulit iſtud opus;
Splendidior totum radios effudit in Orbem
Lauretana Domus, lucida luce magis.
Scriptaq; perpetuam ceperunt impia noctem,
In quibus Hæreticus tanta venena tulit.
Sic quanto fuerit Domus hinc illuſtrior Alma,
Tanto Benzoni gloria maior erit.

Eiuſdem De maxima lętitia Populis exhibenda in Anni Sancti celebritate ab Eccleſia Catholica.

FRONDIBVS ornentur Templorum limina feſtis,
Lætaq; de ſummis turribus æra ſonent.
Cimbala pulſentur, iungantur timpana ſiſtris,
Cornea, ſambucæ, buccina cum crotalis.
Barbita cum fidibus ſocientur, & ære canoro
Jucundum reddat tibia læta ſonum.
Addantur ſacro pſallentiaq; organa cantu,
Signaq; lætitiæ terra, poluſq; ferat.
Chriſticolæ hymniſonas tollant ad ſidera voces,
Annus enim Domini, Iubilus Annus adeſt.

ELENCHVS

ELENCHVS LIBRORVM, CAPITVM, DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM,

Quæ in hoc volumine continentur.

CVM totum hoc opus in ſex Libros diſtributum ſit, & vnuſquiſque Liber propria Capita complectatur, in quibus variç quæſtiones, diſputationeſve ſelectç, nouaq; dubia diſſeruntur: Placuit nobis, ſummam horum omnium antè oculos legentis proponere, vt ſic allectus fortaſsè Lector, ad vniuerſum volumen perlegendum etiam, atque etiam accendatur.

LIBER PRIMVS.

De Natura, & nomine Iubilæi, qui decem Capitibus conſtat.

Cap. I. De definitione & natura Iubilæi.
Cap. II. De diuiſione Iubilei in varias ſpeciçs.
Cap. III. De varijs nominibus ſacri Iubilæi, eorumq; ſignificationibus.
Cap. IIII. De varijs ethymologijs, & deriuationibus Iubilæi.
Cap. V. De eius germana pronunciatione, ſcilicet, An Iobilæus, uel Iubilæus ſit dicendus.
Cap. VI. Qui maximè Auctores de ſacro Iubilæo ſcripſerint.
Cap. VII. De Anno magno.
Cap. VIII. Deſcribitur maxima ſelicitas huius ſæculi ſextidecimi a Chriſto, quod in proximè futuro ſacri Iubilæi anno terminatur.
Cap. IX. Idem oſtenditur ex multorum Sanctorum Martyrum triumphis.
Cap. X. Eiuſdem ſæculi gloria refulget in victorijs contra hæreticos & infideles.

LIBER SECVNDVS.

De Neceſſitate Sacri Iubilæi.

In hoc Secundo Libro, circa neceſſitatem, & opportunitatem Iubilæi hæc Capita tractanda ſunt.
Cap. I. De neceſſitate Iubilæi in genere.
Cap. II. De neceſsitate Iubilæi in lege Moſis.
Cap. III. De neceſsitate maximi Iubilæi a Chriſto Domino in Cruce exhibiti.
Cap. IIII. In quo quatuor dubitationes circa Crucis Iubilæum ſoluuntur.
Prima dubitatio. An fuerit conueniens vel neceſſarium ad Iubilæum reparationis homini præſtandum, Deum incarnari.
Secunda. An fuerit neceſſarium, & conueniens Chriſtum pati ad liberandum hominem.
Tertia. An fuerit conueniens vel neceſſarium ad huiuſmodi Iubilæum exhibendum, Chriſtum mori.
Quarta. An fuerit conueniens beneficium Iubilæi, & redemptionis per mortem Crucis a Chriſto homini communicari.
Cap. V. An Sancti Angeli participes ſint, & gaudeant maximo Iubilæo a Chriſto in Cruce exhibito.
Cap. VI. De Neceſſitate Iubilæi præſtiti in die Chriſtiana & ſacra Pentecoſtes.
Cap. VII. Quid Beata Virgo in Iubilæo ſacræ Pentecoſtes conſecuta fuerit.
Cap. VIII. Quid Apoſtoli per Iubilæum Pentecoſtes obtinuerint.
Cap. IX. In quo inſtituitur prima diſputatio. De Neceſſitate Eccleſiaſtici Iubilæi, reſpectu totius Eccleſiæ, & tractatur quæſtio. An in Eccleſia Dei ſit a Chriſto tradita poteſtas remittendi pœnas peccatorum extra ſacramentum.
Cap. X. Quòd Chriſtus reliquerit Eccleſiæ poteſtatē concedendi Iubilæos, & Indulgentias. Probatur auctoritate Scripturæ.
Cap. XI. Idem ex eiſdem locis Scripturæ alia oſtenditur via.
Cap. XII. Probatur idem ex loco Ioannis 21. paſce oues meas.
Cap. XIII. Ex uerbis Matthæi 16. Tibi dabo claues, idem deducitur.
Cap. XIIII. Quomodo Petri, & cæterorum Apoſtolorum claues pares, uel impares eſſent.
Cap. XV. Obiectiones hæreticorum aduerſus ſummā Petri clauem diluuntur.
Cap. XVI. Refellitur noua opinio Caietani circa claues Regni Cælorum.
Cap. XVII. Idem probatur ex loco Pauli 2. Corin. 2. Si quid donaui, &c.
Cap. XVIII. Idem aſſeritur ex alijs locis Scripturæ.

Cap.

Cap. XIX. Authoritate Patrum, probatur in Eccleſia poteſtatem eſſe conferendi Iubilæum, & Indulgentias.

Cap. XX. Authoritate Conciliorum probatur in Eccleſia poteſtatem eſſe promulgandi Iubilæos, & Indulgentias.

Cap. XXI. Rationibus probatur ex alijs Eccleſiæ conditionibus deductis eadem poteſtas Iubilæos, & Indulgentias conferendi.

Cap. XXII. Reſponſio ad argumenta hæreticorum, & aliorum.

Cap. XXIII. Tractatur ſecunda quæſtio. Quòd Apoſtoli omnes à Petro, immediatè à Chriſto receperint claues, & in Epiſcopos conſecrati fuerint.

Cap. XXIIII. Ponitur quæſtio tertia. An in Dei Eccleſia neceſſariò detur Theſaurus meritorũ Chriſti, & Sanctorum, ex quo Iubilæus, & Indulgentiæ depromantur.

Cap. XXV. Teſtimonijs Sanctorum idem probatur.

Cap. XXVI. Rationibus ex ſtatu Eccleſiæ, & natura bonorum operum deductis, idem aſſeritur.

Cap. XXVII. Quod ſine theſauro Eccleſiaſtico nulla Indulgentia, uel Iubilæus conferri poſſit.

Cap. XXVIII. Quod bona opera, ſolum ut ſatisfactoria ſunt, & ſuperabundant, compleant theſaurũ Eccleſiaſticum, & tractatur quoq; ibi duo dubia.

Primum. An omnia bona opera merendi, & ſatisfaciendi vim habeant.

Secundum. An huiuſmodi opera ſatisfactoria remanſerint pro nobis, ſeu in commodum, & vtilitatem noſtram.

Cap. XXIX. Quod non ex Dei, vel Angelorum, ſed ex Chriſti, & Sanctorum diuitijs theſaurus Eccleſiaſticus conſurgat.

Cap. XXX. Quis ſit huius Aerarij lĕgitimus diſpĕſator.

Cap. XXXI. Obiectiones reijciuntur, quibus aduerſarij ærarium Eccleſiaſticum demoliri conantur.

Cap. XXXII. Inſtituitur ſecunda diſputatio. De efficacia, & valore ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum.

Cap. XXXIII. Tractatur quæſtio prima. An opera, quæ ſemel in theſauro reponũtur, deperdi poſſint.

Cap. XXXIIII. Ponitur ſecunda quæſtio. An Chriſti opera, quoad ſatisfactionem fuerint infiniti valoris, vel quod idem eſt. An theſaurus ex parte Chriſti ſit infinitus.

Cap. XXXV. Exponitur tertia quæſtio. Quid noſtræ ſatisfactiones cooperentur cum Chriſti ſatisfactionibus, quando theſaurus diſpenſatur.

Cap. XXXVI. Exponitur quarta quæſtio. Quo ordine concurrant ſatisfactiones Sanctorum, cum Chriſti ſatisfactionibus in Indulgentijs.

Cap. XXXVII. Tractatur quæſtio quinta. An noſtræ ſatisfactiones, poſt Chriſti paſſionem, maiorem gradum ſatisfactionis obtinuerint, quàm antea, vel ſine illa haberent.

Cap. XXXVIII. Ponitur quæſtio ſexta. An quando Chriſti ſatisfactiones applicantur nobis per opera noſtra, ſit vna vel duæ ſatisfactiones, vna Chriſti altera noſtra.

Cap. XXXIX. Tractatur quæſtio ſeptima. In quo differant ſatisfactiones per Indulgentias a ſatisfactionibus ſacramentalibus vel priuatis.

Cap. XL. Explicatur vltima quæſtio. Quomodo Indulgentiæ proſint nobis ex opere operato.

Cap. XLI. De neceſſitate Iubilæi ex parte cuiuſcumque Chriſtiani.

Cap. XLII. Quòd poſt culpam remiſſam remaneat ſępè reatus pœnæ temporalis.

Cap. XLIII. De neceſſitate Iubilæi, & Indulgentiarum, reſpectu eorum, qui ſunt in Purgatorio; Vbi etiam de primo receptaculo animarum agitur, & magna digreſſio ponitur, ſcilicèt, an animæ iuſtorum ante diem iudicij Cœlum ingrediantur, vel Deum videant.

Cap. XLIIII. De cæteris receptaculis animarum.

Cap. XLV. Quæ ſint diſcrimina inter prædicta quinque animarum receptacula.

Cap. XLVI. Refellitur Græcorum, & hæreticorum error, negantium Purgatorium.

Cap. XLVII. Confutatur alius error Hæreticorum negantium Indulgentias, & ſuffragia pro mortuis.

Cap. XLVIII. Inſtituitur diſputatio. Quod authoritate clauium Indulgentiæ dentur defunctis.

Cap. XLIX. Ponitur alia diſputatio, Gratianè, an Iuſtitia vi Indulgentiæ ad animas Purgatorij perueniant, & tractatur primum dubium. Quid ſit, Indulgentiam per modum ſuffragij defunctis concedere, pręcisè, & theologicè loquendo.

Cap. L. Exponitur ſecundum dubium. Qua via huiuſmodi ſuffragium defunctis deferatur, via iuſtitię, vel gratię de condigno, vel de congruo.

Cap. LI. Diſputatur tertium dubium. An certò, & infallibiliter huiuſmodi Indulgentię per modũ ſuffragij conceſſę proſint defunctis, pro quibus accipiuntur.

Cap. LII. De neceſſitate Iubilęi reſpectu aliarum Indulgentiarum Eccleſiaſticarum.

Cap. LIII. Quòd Dei miſericordia in Anno Sancto maximè eluceſcat.

LIBER TERTIVS.

De origine, antiquitate, & inſtitutione Sacri Iubilæi, qui ſexdecim Capita complectitur.

Cap. I. An tempore legis naturæ habuerit initium Iubilæus.

Cap. II. An iuſſus fuerit tempore legis Moyſis.

Cap. III. Quomodo Iubilæus adimpletus fuerit tempore legis gratiæ.

Cap. IIII. Qua de cauſa fuerit Indulgẽtia Anni Sancti inſtituta.

Cap. V. Quando Indulgentia Iubilæi primum inſtituta ſit.

Cap. VI. Quoties Iubilæi tempus fuerit permutatũ.

Cap.VII. Cur Romæ, & non alibi celebritas Anni Sancti habeatur.

Cap.VIII. Reſpondetur obiectionibus Hæreticorum, contra Romanæ urbis dignitatem prolatis.

Cap.IX. An ſolemnitas ſacri Iubilæi vſque ad Mundi finem Romæ ſit perſeueratura.

Cap.X. Quo die Anni Sancti, & qua hora illius diei initium, uel finem habeat Iubilæus.

Cap.XI. An Indulgentia Iubilæi in Anno Sancto aliis orbis partibus communicetur.

Cap.XII. De Primatu, & excellentia baſilicarum, quæ in Sacro Anno Romæ viſitandæ ſunt.

Cap.XIII. De Baſilica B. Petri in Vaticano.

Cap.XIIII. De Baſilica B. Pauli Apoſtoli.

Cap.XV. De Baſilica Saluatoris, ſeu S. Ioannis apud Lateranum.

Cap.XVI. De Baſilica S. Mariæ Maioris.

LIBER QVARTVS.

De præſtantia, ac dignitate Sacri Iubilæi, quæ decem & ſeptem Capitibus proximè ſequentibus explicatur.

Cap.I. An diuina, vel humana authoritate ſacer Iubilæus inſtitutus fuerit.

Cap. II. De differentia inter Indulgentiam Iubilæi Anni Sancti, & Indulgentiam plenariam, illam præſertim, quæ ad inſtar Iubilæi conceditur.

Cap.III. Inſtituitur diſputatio. Quid poſſit, & operetur ſacer Iubilæus, vltra remiſſionem pœnæ temporariæ, & proponitur prima quæſtio. An Iubilæus, & Indulgentiæ remittere poſſint culpas ueniales, eo ſaltem modo, quo ſacramentalia.

Cap.IIII. Ponitur ſecunda quæſtio. An ſacer Iubilæus efficiat, ut opera ſibi annexa maiorem vim habeant, quàm ſi annexa ſibi non eſſent.

Cap.V. Tractatur quæſtio tertia. An ſacer Iubilæus ad modum quo tollit pœnas, poſſit etiam augere gratiam & gloriam.

Cap.VI. Exponitur quæſtio quarta. An Attritio cũ abſolutione Papali extra ſacramentum, per viã Indulgentiæ, & Iubilæi, efficiatur contritio.

Cap.VII. Agitatur quinta quæſtio. An Annus ſacer, ſeu Annus Iubilæi poſſit a Papa inſtitui, ut quid ſacramentale.

Cap.VIII. De ſuſpenſione Indulgentiarum in Anno Sancto Iubilæi.

Nouem dubia in hoc capite diſſoluuntur.

Primum eſt. Cur cæteræ Indulgentiæ in Anno Sancto ſuſpendantur.

Secundum. Quænam ſuſpendantur, plenariæ ſolum, an etiam non plenariæ.

Tertium. An ſuſpendantur facultates eligendi confeſſarium, Vota commutandi, & aliæ ſimiles.

Quartum. An Religioſis hæc eo Anno ſublata intelligantur.

Quintum. An etiam Indulgentiæ, & facultates conceſſæ Eccleſiæ B. Virginis Lauretanæ illo anno ſuſpendantur.

Sextum. An ſuſpenſio huiuſmodi duret elapſo Anno Sancto.

Septimum. An Concionatores poſſint publicare Indulgentias tempore Anni Sancti.

Octauum. Quid dicendum, ſi priuilegium plenariam & non plenariã contineat, ſitne vtraq; ſuſpenſa.

Nonum. An Indulgentiæ Eccleſiarum extra Vrbem poſitarum ſint quoque tunc ſuſpenſæ.

Cap. IX. Quòd dignitas Sacri Iubilæi ex variis eius epithetis rectè cognoſcatur.

Cap.X. Quod præſtantia Sacri Iubilæi ex variis cæremoniis, quæ in eo fiunt, plenè innoteſcat.

Cap.XI. Neceſſitas, & vtilitas cæremoniarum in Eccleſia Catholica oſtenditur, ex ſacrarum litterarũ teſtimoniis, Apoſtolorum traditione, Sanctorum Doctorum authoritate, & ratione.

Cap.XII. Obiectiones Hæreticorum contra cæremonias, & ritus Eccleſiaſticos ſoluuntur.

Cap.XIII. De ſacris cæremoniis, quæ in Indictione, & inchoatione Anni Sancti fiunt.

Cap.XIIII. De Apertione Portæ Sanctæ, in quo etiã infraſcripta dubia declarantur.

Primum dubium. Vndè hic ritus aperiendi, & claudendi portam Sanctam proueniat.

Dubium ſecundum. Quid ſignificet hæc apertio portæ Sanctæ.

Dubium tertium. Quid myſticè referant cæremoniæ, quæ in ea actione adhibentur.

Dubium IIII. Quænam ſit porta ex quatuor, quæ ante alias aperienda ſit.

Dubium quintum. An operæprecium ſit, per portam Sanctam introire, ut quis conſequatur Indulgentiam Anni Sancti.

Dubium ſextum. An egreſſus per eam portam ſit prohibitus, ſcilicèt, an qui per eam portam egreditur in decurſu Anni Sancti, peccet aut ſit excommunicatus.

Dubium ſeptimum. An qui cum peccato mortali trãſit per eam iterum peccet.

Dubium octauum, & vltimum. An alius, quàm Papa, vel ſine licentia eius, poſſit adaperire portam Sanctam.

Cap.XV. De ritibus, qui in decurſu Anni Sancti obſeruantur.

Cap.XVI. De ritibus, & cæremoniis, quæ in fine Anni Sancti adhibentur.

Cap.XVII. Quid myſticè in his cæremoniis ſignificetur.

LIBER QVINTVS.

De utilitate, & fructu Sacri Iubilæi, quemadmodum ex ſequentibus ſexdecim Capitibus facilè cognoſci poteſt.

Cap.I. Quòd in anno Sacro Iubilæi Dominus germinet iuſtitiam, & laudem vniuerſis gentibus.

Cap.

Cap.II. Quòd Deus in Anno Sancto germinet iuſtitiam aduerſus Hæbræos.

Cap.III. Quòd in Anno Sancto Deus iuſtitiam germinet aduerſus Hæreticos.

Cap.IIII. Quòd Deus per Iubilæum in Politicos huius ſæculi iuſtitiam exerceat.

Cap.V. Quòd Deus per Iubilæum in ociosos, & negligentes Chriſtianos iuſtitiam exerceat.

Cap.VI. Quòd Deus his, qui dignè ad ſacrum Iubilæum accedunt, triplicē fructum benignè cōcedat.

Cap.VII. Quòd qui theſauro Eccleſiaſtico uſi fuerint, amicitiæ Dei participes efficiuntur.

Cap.VIII. Quòd oporteat, Epiſcopum plebem ſuam benè inſtruere, ad Iubilæum Romæ ſuſcipiendum.

Cap.IX. Quòd Principes, & magiſtratus ſæculares multa præſtare debeant, cauſa peregrinationis Anni Sancti.

Cap.X. De apparatu Romæ faciendo pro Sancto Iubilæi Anno.

Cap.XI. Curandum eſſe quocumque modo, ut Hæretici quoque Sacro interſint Iubilæo.

Cap.XII. Quòd omnibus Chriſtianis enixè curādum ſit, vt ſacro interſint Iubilæo.

Cap.XIII. Quæ neceſſariò ſeruanda ſunt, vt quis fructum Iubilæi conſequi poſſit.

Cap.XIIII. Quòd triginta vel quindecim diebus viſitandæ ſint Eccleſiæ in Anno Iubilæi.

Cap.XV. Dubia triginta dilucidantur, circa adeptionem Sacri Iubilæi naſcentia, quæ ſunt hæc;

Dubium primum. Num vicini, qui proximè Eccleſiam, verbi gratia, Diui Petri, Romæ morantur, tantum de Indulgentia conſequantur, quantum illi, qui longè diſtant, atq; ab Indis eò veniunt.

Dubium ſecundum. Qui appellandi ſint externi, & peregrini, & qui Romani, & incolæ.

Dubium tertium. An qui Romanus eſt, non tamen Vrbem habitat, accedens ad Iubilæum, debeat Eccleſias viſitare triginta vel quindecim diebus.

Dubium quartum. Quando facienda ſit confeſſio peccatorum, antè uel poſt uiſitationem Eccleſiarum, aut in ipſa uiſitatione.

Dubium quintum. An ſingulæ quatuor Eccleſiæ ſimul atque eodem die viſitandæ ſint.

Dubium ſextum. An qui non habet conſcientiam peccati mortalis, teneatur confiteri pro Iubilæo conſequendo.

Dubium ſeptimum. An Eccleſiarum viſitatio nocturno tempore in Iubilæo fieri valeat.

Dubium octauum. An peccatum veniale impediat fructum Indulgentiæ.

Dubium nonum. An qui incepit Eccleſias viſitare in gratia, & poſtea peccat mortaliter, teneatur denuò incipere uiſitationes.

Dubium decimum. An Romani, qui morte impediti fuerint, nè viſitationes perficere valeant, Iubilæū conſequantur.

Dubium XI. In qua parte Anni Sancti fructus Iubilæi acquiratur.

Dubium XII. An Indulgentia Iubilæi proſit concedenti.

Dubium XIII. An talis Indulgentia proſit mortuis.

Dubium XIIII. An proſit Epiſcopo, qui ſine expreſſa licentia Papæ accedit ad Iubilæum.

Dubium XV. An proſit Clerico, præſertim curam animarum habenti, qui ſine licentia Epiſcopi vadit ad Iubilæum.

Dubium XVI. An proſit monacho, uel religioſo, qui ſine licentia Abbatis, vel ſuperioris proficiſcitur.

Dubium XVII. An proſit vxori, quæ acceſſit ſine licentia uiri, uel è contra.

Dubium XVIII. An proſit iniuſtè retinenti bona aliena.

Dubium XIX. An proſit excommunicatis.

Dubium XX. An proſit illis, qui inceptum iter perficere non poſſunt.

Dubium XXI. An proſit illi, qui per ſe ipſum non accedit, ſed mittit alium.

Dubium XXII. An tantum proſit illi, qui iuit eques, quantum illi, qui iuit pedes.

Dubium XXIII. An Indulgentia Iubilæi toties, quoties acquiri poſſit.

Dubium XXIIII. An peccans ſpe Indulgentiæ conſequendæ poſſit Iubilæum conſequi.

Dubium XXV. An liceat pro delicto futuro Indulgentiam accipere.

Dubium XXVI. Quod remedium dandum eſt illi, qui completa viſitatione Eccleſiarum, peccat mortaliter, & ad patriam vult redire.

Dubium XXVII. An ſanctimoniales, tàm externæ, quàm Romanæ, priuentur fructu Iubilæi in Anno Sancto.

Dubium XXVIII. An Cathecumeni poſſint acquirere Indulgentiam Iubilæi.

Dubium XXIX. An Irregulares, Suſpenſi, vel Interdicti impediantur a conſecutione Iubilæi.

Dubium XXX. & ultimum. An qui aliàs debet uiſitare Eccleſias, uel ex voto, vel ex alia neceſſitate, poſſit per illos actus acquirere Iubilæum.

Cap.XVI. Quæ animaduertenda ſunt, nè fructus Sacri Iubilæi acquiſitus deperdatur, quodque pro eius ſuſceptione gratiæ reddendæ ſint Deo, non ſolum verbis, ſed etiam operibus.

LIBER SEXTVS.

De Peregrinatione ad loca Sancta, qui continet uigintiocto Capita, in quibus etiam reſpondetur argumentis cuiuſdam Petri Pauli Vergerij, Pſeudo Epiſcopi, contra Lauretanam Domum impiè, & ineptè formatis.

Cap.I. Quòd peregrinationes ad ſacra loca non inanes, ſed piæ, & religioſæ ſint.

Cap.II. Quod antè mille, & ducentos annos veteres Chriſtiani ad Sanctorum loca peregrinati ſunt.

Cap.

Index Capitum.

Cap.III. Quænam ſint cauſæ, ob quas homines peregrinantur.

Cap.IIII. Cur quis magis ad unum, quàm ad alium locum ſanctum laudabiliter peregrinetur.

Cap.V. Quæ ſeruanda ſunt, vt peregrinatio cum pietate, ac fructu ſpirituali fiat.

Cap.VI. An peregrinis humanitatis officia ſint impendenda.

Cap.VII. Quænam ſint celebriora loca, religionis Chriſtianæ, ad quæ deuotionis cauſa fit peregrinatio.

Cap.VIII. De vtili profectione ad ſacram Aedem Lauretanam.

Cap.IX. Proponuntur argumenta Vergerij hæretici aduerſus Almam Domum Lauretanam.

In decimo, & ſequentibus decem & octo Capitibus ponuntur reſponſiones ad ſingula prædicta argumenta Vergerij.

FINIS.

INDEX INSIGNIORVM
SACRAE SCRIPTVRAE LOCORVM,

Quæ in decurſu Operis explicantur, omiſſis alijs, quæ ſine explanatione citantur.

GEneſis 3. Abſcondit ſe Adam, & uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi. *Exponuntur hic quinque amariſſimi, & perniciosiſſimi fructus peccati. Primus eſt apertio oculorum, quam homo poſt peccatum conſequitur; antequam enim homo peccet, vel etiã in peccando planè cœcus eſt, quantum in peccato mali ſit non uidens: ſed ſtatim poſt peccatũ perſpicue cognoſcit, ſe pro breui, & exigua peccati voluptate, maximum & ſempiternum malum ſibi compàraſſe. Secundus eſt nuditas; expoliatur ènim hòmo propter peccatum plurimis, & maximis Dei ornamentis, & praciosiſſimis Cæleſtium uirtutum veſtibus. Tertius eſt pudor, & confuſio animi; & additur aliud malum, quòd ad reprimendum dolòrem ex peccato contractum, ad inanes mundi conſolationes ſolent peccantes confugere. Quartus eſt indicium, & teſtimonium conſcientiæ hominem patrati ſceleris accuſantis & condemnantis. Quintus eſt metus ac trepidatio diuini iudicij, & vindictæ. Ex Pererio hac habentur, In hoc autem opere reperies, lib.5.cap.16.* *fol.*585

Geneſ.15. Nõ ſunt completæ iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus. *Notãtur hoc loco quattuor cum Caietano. Primum, quòd Deus non ſit prius vltor, quàm homo peccator. Secundum, quod Deus iniquorum punitionem in hac uita ſæpe differat in longum tempus, ut ſpatium pœnitentiæ concedat: in alia vero æterni ſeculi vita ſtatim punit. Tertium, non penſare Deum merita pœnarum, quæ in hac vita ſumuntur ſecundũ grauitatem peccatorũ, quatenus ſunt offenſæ Dei: ſed ſecundum rationes diuinorum iudiciorũ, quæ ſunt nobis ignotæ. Quartũ peccata, & mala, quæ cernuntur in rebus humanis, non ſunt perpendenda relatiuè ad hominum malitiã, et merita; ſed ad Dei iudicia, qui omnia facit in numero, pondere, et menſura; & ſic Iuſtitia & Prouidentia Dei relucet. lib.6.cap.17.* 655

Geneſ.18. Deſcendam, & uidebo utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint; an non ita eſt, ut ſciam. *Exponitur, quòd in ſcriptura per illam phraſim & locutionem,* Deſcendit Dominus, *ſignificatur longanimitas Dei, non feſtinantis ad ſupplicium de peccatoribus ſumendum; & quamuis optimè omnia ſciat hominum peccata, differt tamen ſupplicia; quaſi tempus ad illa cognoſcenda, & perpendenda ſumat. Praterea denotatur quòd Iuſtitia Dei neminem punit, niſi prius aperte atque euidenter de peccato conuictum. lib.6.cap.17.* 656

Geneſ.32. Dimitte me, Aurora eſt. Non dimittam te niſi benedixeris mihi. *Hic vehemens Chriſtiani viri deſiderium proponitur obtinendi ſanctiſſimam Sacri Iubilæi benedictionem. lib.1. cap.3.* 18

Geneſ.49. Aſinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem, quòd eſſet bona; & terram, quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens. *Exponitur de peccatore; in mundo enim multi Proceres, & magni viri reperiuntur, qui ſe vltro oneribus peccatorum ſupponunt, uel in populos iniuſtitias exercendo, vel Deo iniurias, & contumelias inferendo, vel denique ſeipſos in perniciosiſſimum exemplum tradendo: his autem Dæmones imponunt pro ſuo libito onera quæcumque volunt. lib.5.cap.16.* 583

Exodi 16. In die ſexto colligetis cibos duplices, in die enim Sabbati non inuenietis. *Exponitur moraliter, quòd ſcilicèt Chriſtiani in præſenti vita, quæ præcedit noſtrum Sabbatum, duplicem menſuram colligere debent; mandata ſcilicet omnia ſeruanda, & peccatorum pœnas per Indulgentias diluendo; alioquin in futuro illo Sabbato alterius vitæ requiem ſtatim non inuenient. lib.5. cap.12.* 542

Leuit.14. In purificatione lepræ ſumet duos paſſeres. *Hic locus ex Vgone de Sancto Victore pulchrè ad peccati remiſſionem accommodatur, in qua ex Chriſti occiſi ſanguine homo liber dimittitur. lib.1.cap.2.* 10

Leuit. 25. Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, ſabbatizet vnuſquiſque Sabbatum Domini. *Colligitur ex hoc loco definitio Sacri Iubilæi diuino ipſo oraculo tradita. lib.1.cap.1.* 2

Ibid. Anno ſexto dabo benedictionem meam, & faciet fructus trium annorum. *Exponitur quomòdo id de anno Iubilæi intelligatur, cum fructus pro annis quatuor dandi eſſent. li.1.c.1.* 3

Ibidem. Agrorum iure vendentur. *Concinnè de agro Sancti Euangelij, exponitur ſimul cum Iſychio. lib.2.cap.3.* 63

Deuter. 33. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Vnicornis cornua eius, in ipſis nationes uentilabit pariter ad ſummum vſque terræ *Explicatur de Chriſto in Cruce pendenti ex Tertulliano.lib.2.cap 4.* 75

*Pſalm.*3. Super populum tuum benedictio tua. *Exponitur de Sacro Iubilæi anno, in quo ſuper vniuerſos Chriſti fideles, Dei benedictio remiſsionis effunditur.lib.1.cap.3.* 18

*Pſalm.*23. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales. *Exponitur ex Athanaſio de Chriſto in Cruce eleuato, in qua ampliſsimum uniuerſis Iubileum exhibuit, & ianuam ſalutis aperuit. lib.2.cap.4.* 73

*Pſal.*45. Sanctificauit tabernaculũ ſuum Altiſſimus. *Applicatur B. Virgini Mariæ ex D. Athanaſio.lib.2 cap.6.* 89

Pſal. 64. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ *Ideſt humanitati Chriſti Domini. lib.1. cap. 2 fol 9. & lib.4.cap.9.* 443

*Pſal.*68. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in Porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum. *Exponitur cum D. Auguſt. de impijs, qui concupiſcentias carnis perficientes, & in vitijs ſedem vitæ ſuæ collocantes, non ingrediuntur Portam Sanctam, ideſt Theſauri ſpiritualis fructum conſequi negligunt, vinumque erroris, & impietatis aſsidue bibunt.lib.4.cap.14.* 472

*Pſal.*76. Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus. *Exponitur cum D. Auguſ. de modo, quo Chriſtus ex propria auctoritate miracula faciebat. lib. 2. cap.34.* 208

Pſal. 103. Firmauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. *D. Auguſt. explicat, ineſſe terræ vim quamdam occultam, quæ illam in ſuo loco contineat, et hanc, inquit, dici ſtabilitatem terræ. Thales opinatus eſt, terram ſuper aquam fundatam eſſe: Sed, cum aqua ſit minus grauis quàm terra: potius è contra dicendum eſſet. Stabilitas autem terræ ad literam ex hebraica lectione nihil aliud eſt, quàm ſumma eius grauitas, ac pondus; per quod in centro mundi immobiliter, tamquam in loco ſuæ naturæ conuenientiſſimo, collocatur li.6.cap.27.* 696

Pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te. *Exponitur ex D. Hieron. & Ambroſ. quòd fideles ad inuicem in fide, ſpe, & Charitate communicant, atque bonorum operum, & ſuffragiorum mutuo participes ſunt.li.2.ca.18.* 131

Pſalm. 139. Labor labiorum ipſorum operiet eos. *Exponitur de verbis, & mendacijs Hæreticorum, quibus conantur ſuos errores defendere, & diſſeminare, ex D. Auguſt.lib.4.cap.9.* 449

Prouerb. 9. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. *Rectiſsimè, & aptiſsimè accommodatur B. Virgini Mariæ, ex D. Bernardo.lib.2.cap.6.* 89

Prouerb. 24. Excelſa ſtulto ſapientia, in Porta non aperiet os ſuum. *Exponitur de hæreticis, qui conſpicientes Portæ Sanctæ celſitudinem, & maieſtatem, atque Anni Sancti amplitudinem, tantæ gloriæ ſplendore oppreſsi omnino obmuteſcere coguntur.lib.5.cap.11.* 534

Prouerb. 25. Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regis eſt inueſtigare ſermonem. *Exponitur de Theologo, qui rerum diuinarum, & reconditarum quidditates explicans, & inquirens merito Rex appellari debet.lib.1.cap.1.* 2

*Cantic.*5. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Accomodatur B. Virgini, quæ etiam à ſomno, ob eius breuitatem, minime impediebatur, quo minus ad Deum conuerteretur. Vel etiam ex Ruperto, dum corpore dormiebat, actus meritorios animo euigilando erga Deum faciebat.lib 2.cap.6.* 93

Sapient. 7. Infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. *Exponitur ſecundum Caiet. de theſauro meritorum Chriſti, qui eſt ipſa diuina ſapientia increata, & fons omnis ſapientiæ, quo qui recte vſus fuerit, efficaciter acquirendo Indulgentias, ſi id perſeueranter egerit; particeps fiet amicitiæ Dei conſummatæ in cæleſti Patria, in quam nemo ſolvendis pœnis obnoxius ingreditur. Vel etiam ſecundum D. Bonauent. de ſapientia creata Salomoni à Deo conceſſa. Dupliciter autem æterna ſapientia incarnata eſt infinitus theſaurus hominibus. Primò eſſentialiter, ſeu formaliter,* in eo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. *Secundò cauſaliter, quoniam ſuis meritis congeſsit nobis theſaurum Indulgentiarum omni auro, argento, & lapide pretioſo nobiliorem. Et huius theſauri viginti proprietates fuſius dilucidantur.lib.5.cap.7.* 516

Iſa. 3. In illa Die auferet Dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & palliola, &c. *Exponitur de miſerabili ſtatu animæ, Dei gratia, decore virtutum, bonorum operum meritis, ſancta pœnitentia, & Sacris Indulgentijs deſtituta.lib.5.cap.6.* 514

Iſa. 5. Dimittam vineam, & non putabitur, neque fodietur. *Exponitur cum D. Baſilio, quòd quemadmodum qui vineam putant, odſtringunt eius vites, & inter ſe connectunt, ut maiori cum temperamento procedant ad proferendos utiles fructus: ſic accidit animæ aſsiduitate afflictionum incuruata, per illas enim quodammodo in ſe contrahitur, ſeq; humiliter demittit, atque humiliat, & ad ſui diligentiorem cuſtodiam retrahitur; anima vero, quæ indulgenter viuit, perinde atque vinea neglecta luxuriat, & ſilueſcit.lib.5.cap.16.* 580

Iſa. 6. Qui ſunt iſti qui ut nubes volant, &c. *Exponitur de Religioſis præſertim Societatis Ieſu ex Federico Lumnio.lib.1.cap. 8.* 39

Iſa. 18. Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, &c. *Explicatur etiam hic locus, de Religioſis ſocieta-*

ſis Societatis Ieſu, qui ad remotiſsimorum populorum conuerſionem nauigant, ex Lumnio. libr. 1. cap.8. 39

Iſa.19. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti à facie eius. Exponitur cum Procopio, per nubem leuem Sanctiſsimam Virginem Dei Matrem ſignificari; cum Deus per illam ſuas gratias in terras pluat. Eſt autem leuis, cum ſine ulla macula, vel pondere peccati, ſeu paſsionum grauamine, & fomitis onere fuerit prægrauata. D. Auguſt. & Proſper ipſam Chriſti carnem de Spiritu Sancto conceptam intelligunt. lib.6. cap.19. 670

Iſai.27. Auferetur iniquitas Iacob, & hoc erit benedictio eius. Applicatur Anno Sacri Iubilæi, in quo dum per Indulgentias iniquitas pœnæ peccati tollitur, nobis à Deo benedictio datur. lib. 1. cap.3. 18

Iſai.28. Pallium breue eſt, vtrumque operire non poteſt. Exponitur cum D. Hieronymo de anima noſtra, quæ non poteſt Deum ſimul, & Diabolum in ſe recipere. lib.5. cap.6. 514

Iſai.61. Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat; ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam, & laudem coram uniuerſis gentibus. Exponitur ad literam, vel de Chriſto, vel de Eccleſia: moraliter uero de germine gratiarum, quas Chriſtus in Anno Sancto fidelibus ſuis copioſe profert. lib.5. cap.1. 489

Iſai.61. Et darem eis coronam pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, & vocabuntur in ea fortes Iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Exponitur de officio Meſſiæ, quod duplicem functionem habet; prædicationem ſcilicet, & actionem, eiuſq; finis narratur, pro cinere enim pœnitentiæ, qui fidem Chriſti amplexantur, coronam gloriæ: et pro fluctu præſentis exilij, oleum gaudij æterni; denique pro ſpiritu mœroris gloriam reſurrectionis obtinent. Appoſitè quoque accommodatur hic locus triplici fructui, quem conſequuntur illi, qui Iubilæum acquirũt; pro cinere enim, & cilicio, ideſt, labore pœnitentiæ peregrinando, & uiſitando Eccleſias, corona pleniſſimæ remiſſionis peccatorum tribuitur, & pro luctu gaudium, et iubilus cordis datur; & pro ſpiritu mœroris pallium laudis, ideſt, Dei protectio, et donum perſeuerantiæ in bonis operibus. lib.5. cap.6. 512

Ibidem. Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarẽ captiuis Indulgentiam, & clauſis apertionẽ; vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro. Exponitur de toto tempore vitæ Chriſti, quod vere annus maxime placabilis, & pleniſſimæ remiſſionis appellari debet. lib.1. cap.2. 8

Iſai.63. Dies retributionis venit eis, & annus redemptionis adeſt. Exponitur de diebus vitæ Chriſti, & accommodatur egregiè Anno ſacri Iubilæi. lib.1. cap.2. 10

Iſa.66. Erit Sabbatum ex Sabbato. Exponitur ad literam non de Iubilæo, ſed de requie futura in cœleſti Patria. lib.1. cap.1. 6

Ierem.9. & 23. Faciet iudicium, & Iuſtitiam in terra. Exponitur de Iuſtitia, quam Chriſtus Dominus in Diabolum exercuit, ſpoliando illum dominio, quod in homines ob peccatum commiſſum habebat. lib.5. cap.1. 489

Ezechiel.13. Non oppoſuiſtis vos murum pro Domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Exponitur cum Gloſſa, ideſt precibus dimicando, & diuinæ vindictæ atque ſententiæ vehementi aſſiduaque oratione quaſi reſiſtendo. lib.4. cap.17. 482

Ezechiel. 40. Ecce murus forinſecùs in circuitu Domus vndique. Explicatur ex ſententia D. Gregor. de Deo incarnato, & homine facto. lib.2. cap.5. 76

Iohel.1. Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduũ locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo. Exponitur allegorice ex Vgone de Sancto Victore, quatuor videlicet Eccleſiæ perſecutiones in his quatuor animalculis ſignificari; quæ nimirum perſecutiones proueniunt ab Idolatris, ab Hæreticis, à malis Chriſtianis, & denique ab impio Antichriſto. li.5. ca.11. 535

Iohel.3. In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel. Exponitur de Sanctis Angelis, qui dulcedinem diuinitatis in Chriſto contemplantes, lac, ideſt humanitatis gaudium recipiunt. lib.2. cap.5. 79

Hamos 5. Odio habuerunt corripientem in Porta, & loquentem perfectè abhominati ſunt. Exponitur de odio inteſtino hæreticorũ aduerſus Romanum Pontificem; præcipuè quòd Anno Iubilæi in Porta Sancta illos vehementer corripiat. li.5. cap.3. 498

Hamos 9. Stillabunt montes dulcedinem. Exponitur eodem modo, quo locus ſuprapoſitus Iohelis 3. lib.2. cap.5. 79

Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Ponuntur uariæ lectiones huius textus, & variæ explicationes. li.3. c.2. 321. & 322

Nahum 3. Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & paruuli tui quaſi locuſtę locuſtarum, quæ conſidũt in ſepibus in die frigoris: Ortus eſt ſol, & auolauerunt, & nõ eſt cognitus locus eorum vbi fuerint. Exponitur de hæreticis, qui omnia ſacramenta, & ſcripturas canonicas rodunt; & dogmatibus inanium philoſophorum inhærentes, atq; in frigidis naturæ corruptæ rationibus inſiſtentes; cum ſol catholicæ veritatis oritur, & per Euangelicam prædicationem ab Eccleſia Catholica Romana ſa-

na factam illis proponitur ante oculos, euaneſcunt & abeuntes conſuaduntur, & tacent. lib. 5. ca. 11 535

Hagg. 1. Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras; ſeminaſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis, & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati; operuiſtis vos, & non eſtis caleſacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. *Exponitur de inani labore hominum peccatorum. lib. 4. cap. 9.* 450

Hagg. 2. Cum accederitis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem; & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. *Explicatur admodum cõcinnè à Ruperto, per quinquaginta lagenas, magnum Iubilæum per Chriſtum Dominum exhibitum ſignificari: fiunt autem Iudæis viginti; quoniam de ipſo Chriſto duo tantum credunt, id eſt verum eſſe hominem, & vere mortuum fuiſſe. Similiter aceruus viginti modiorum fit hebræis decem; quia, cum Chriſtus geminam habeat naturam, ipſi vnicam tantam, humanam videlicèt in illo fatentur. lib. 3. cap 2.* 321

Zachar. 14. In die illa erit, quod ſuper frænum equi eſt, Sanctum Domino. *Exponitur cum D. Hiero. & D. Cyrillo, quòd temporibus Meſſiæ pax ſumma futura eſſet; nec equis, qui ad pugnam apti ſunt opus eſſet. Nonnulli vt D. Ambroſ. Theodoret. Sozom. Nicephor. & D. Cyril. interpretantur hæc verba de fræno Conſtantini, in quo vnus ex clauis, quibus Chriſtus Dominus Cruci affixus fuit, contextus erat, ad pericula belli deuitanda, & ad victorias de hoſtibus reportandas, licèt hæc expoſitio D. Hieronymo plane fatua, & ridicula videatur. lib. 5. cap. 10.* 532

2 Machab. 12. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. *Inſignis & ſingularis eſt locus hic contra hæreticos ex veteri teſtamento, illi enim negant ſuffragia mortuorum. Vbi etiam hic locus defenditur à multis ipſorum hæreticorum obiectionibus. lib. 2. cap. 47.* 282

Matth. 6. Dimitte nobis debita noſtra. *Exponitur ſaltem de venialibus ex D. Auguſt. & Conc. Trident. eſt enim hæc oratio verax, & humilis confeſſio iuſtorum hominum. lib. 2. cap. 35.* 211

Matt. 12. Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. *Ex hac partitione, quæ reperitur in his verbis Chriſti, iuxta ſententiam Sanctorum Patrum deducitur, in futuro quoque ſæculo fieri à Deo remiſſionem, hoc eſt purgationem peccatorum. lib. 2. cap. 46.* 281

Ibidem. Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. *Exponitur vel de ſepulchro (apud Iudæos enim ſepulchra in cauernis, & ſaxis inciſa erant) cum D. Chryſoſt. & Euthym. vel melius cum D. Hiero. Theophylacto & aliis, de inferno; ſicut enim Ionas exiſtens in ventre piſcis, ſic Chriſtus in ventre inferi clamauit ad Deum, & exauditus fuit; quod corpori mortuo in ſepulchro iacenti non conuenit; animæ autem Chriſti exiſtenti in Inferno pro Sanctorum liberatione ritè & rectè accommodatur. lib. 2. cap. 44.* 270

Math. 16. Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. *Explicatur hic locus iuxtà communem Patrum expoſitionem de vniuerſaliſſima poteſtate data Eccleſiæ ad cognoſcendum cauſſas peccatorum, tàm in ſacramẽto, quàm etiam extrà ſacramentum. lib. 2. cap. 10.* 100

Ibidem. Tibi dabo Claues Regni Cœlorum. *Exponitur cum Caietano & aliis de tota, & adæquata poteſtate Clauium, quæ ſoli Petro competit; & eſt res diſtincta ab eo, quod poſtea ſubiungitur,* quodcumque ſolueris, *ſicut diſtinguitur totum à ſuis partibus. lib. 2. cap. 13.* 106

Ibidem. Tu es Petrus, &c. *Explicantur hæc verba, non parabolicè, aut metaphoricè, ſed hiſtoricè de vera D. Petri perſona dicta fuiſſe à Chriſto, ex Origene, & aliis Patribus. lib. 2. cap. 15.* 115

Ibidem. Tibi dabo Claues Regni Cœlorum. *Exponitur alio modo; quòd ſcilicet hic tribuatur Petro generaliter omnis facultas quocumque modo remouendi impedimenta aditum Regni Cœlorum intercludentia; ſiuè per modum abſolutionis, ſiuè per modum ſuffragii; omnis enim modus, qui ad Dei gloriam, & animarum commodum facit, in illis verbis comprehenditur, ſicut etiam poteſtas concedendi Iubilæos, & Indulgentias. lib. 2. c. 48.* 288

Ibidem. Erit ſolutum & in Cœlis. *Demonſtratur, in his verbis fieri quoque promiſſionem à Chriſto ſuæ Eccleſiæ, vt certò poſſit, & infallibiliter ſoluere pœnas animarum Purgatorii per Indulgentias. lib. 2. cap. 50.* 299

Ibidem. Super terram. *Exponitur, quòd non detur poteſtas ſoluendi tãtum reatum illum, qui adhuc ſuper terram exiſtat; ſed quòd ipſe Pontifex Summus ſuper terram, ſeu in terra poſſit exercere actum ipſum ſoluendi quæcumque voluerit: ſicut enim illud,* Erunt ſoluta & in Cœlis, *non ſignificat reatum aliquem in Cœlo exiſtentem, hoc enim eſt impoſſibile, ita etiam illa verba,* Super terram, *denotant locum, vbi exiſtens Petrus ſiue Papa actum ligandi, & ſoluendi exercet. lib. 2. cap. 50.* 300

Matth. 17. & Marci 11. Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. *Exponitur metaphoricè à D. Hieronymo, per montem ſcilicet intelligi dæmonem, qui Chriſti iuſſu ab obſeſſis corporibus tranſit. A D. Auguſtino exponitur, ab Apoſtolis montem, id eſt Chriſtum fuiſſe tranſlatum, à Iudæis ſcilicet ad gentes per ipſorum Apoſtolorum prædicationem. Sed literalis expoſitio eſt, Chriſtum Dominum dare*

Sanctis facultatem transferendi montes ſolo verbo, quando id neceſsitas, & charitas ſpiritualis requirit, vt multis Sanctis viris reipſa contigiſſe conſtat ex hiſtoriis. lib. 6 cap. 21. 680

Matt. 24. Si uobis dixerint, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere; Ecce in deſerto eſt, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere. *Exponitur de Pſeudoprophetis, qui prædicant Chriſtum in deſertis, & penetralibus, id eſt falſis ac peregrinis doctrinis, dicentes Chriſtum, & veram Eccleſiam non eſſe Romæ; ſed in ſuis locis deſertis & à vera Religione remotis, & in falſis atque corruptiſsimis prædicationibus. Ex Origene & D. Hieron. lib 6. cap. 1.* 597

Matt. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas *Exponitur de duplici omnipotentia Dei communicata humanitati Chriſti Domini. lib. 2. cap. 34.* 207

Luca 1. Quod enim ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei. *Intelligitur de Chriſto, qui per ſe, & ex natura ſua omnem animæ, & corporis ſanctitatem habuit. lib. 2. cap. 6.* 90

Ibidem. Exultauit infans in utero meo. *Exponitur ex Patribus de vero gaudio cum vſu rationis, & non de ſola geſticulatione quadam vt voluit Janſenius. lib. 2. cap. 6.* 91

Ibidem. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. *Exponitur ex D. Athanaſio, & D. Bernardo, de confirmatione, & complemento B. Virginis in omni bono. lib. 2. cap. 8.* 96 & 97

Luc. 2. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. *Exponitur cum Epiphan. & Amb. non actu interficiendo corporaliter B. Virginem, contra quoſdam hæreticos, ſed ſummum in ea dolorem cauſando. lib. 2. ca. 29.* 178

Luc. 4. Prædicarem captiuis remiſſionem. *Hoc eſt Indulgentiam, ex interpretatione ipſius Chriſti. lib. 1. cap. 3.* 16

Luc. 5. Per totam noctem laborantes nihil cepimus. *Hoc totum exponitur de laboribus vanis infidelium, hæreticorum, & peccatorum. libr. 4. cap. 9.* 448

Luc. 15. Dico vobis, maius gaudium erit in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. *Exponitur, quòd Deus magis gaudeat, cæteris paribus, de innocentia feruentis iuſti conſeruata, quàm de conuerſione peccatoris: abſolute enim Innocentia melior eſt, quàm pœnitentia; ſicut melior eſt veſtis integra, quàm benè reſarcita. Nihilominus magis Deus gaudet de feruenti conuerſione peccatoris, quàm de iuſtitia tepidorum iuſtorum, etiam ſi ſemper bene operentur. Et præterea quia de iuſtis nullum nouum gaudium accedit Deo vel Angelis; at vero in conuerſione peccatoris noua eſt ratio gaudendi, perierat enim, & inuentus eſt. libr. 4. cap. 9.* 447

Luc. 20. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. *Exponitur, illa eſſe Cæſari reddenda, quæ ſua ſunt; nimirum quæ pietati, & Religioni nihil officiunt; quod enim virtuti, vel fidei obeſt, non Cæſaris, ſed Diaboli tributum, et uectigal eſt. ex D. Chryſoſt. nam Cæſar timendus eſt, & multo magis Deus; nec eā, quæ ſunt Dei, ob Cæſarem ſunt vllo modo dimittenda ex D. Auguſt. lib. 5. cap. 4.* 504

Luc. 22. Apparuit ei Angelus confortans eum. *Quomodo hic locus ſit intelligendus, qui eſt maximè difficilis, & defenditur contra Anabaptiſtas. lib. 2. cap. 5.* 79

Ibidem. Rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. *Exponitur ex Patribus, quòd cauſſæ ad fidem, & mores Eccleſiæ ſpectantes ad ſummum Eccleſiæ Romanæ Catholicæ Pontificem ſpectent. lib. 2. cap. 31.* 193

Ibidem. Putaſne, cum uenerit filius hominis inueniet fidem ſuper terram? *Exponitur, paucos, & admodum raros fideles Chriſti, tempore finalis Iudicij futuros eſſe: non adeo tamen pauci erunt, quin Eccleſiam conficiant; & ſic eſt limitandus Caietanus, qui dicit diminutionem fidei Chriſtianæ non ſolum hodie inchoatam eſſe, ſed valde etiam dilatatam; neque eſſe reſtaurandam, ſed potius uſque ad finem mundi latius extendendam; quod ſcilicet intelligendum eſt, ſalua ſemper congregatione fidelium, quæ etiam vſque ad finem mundi Romæ duratura eſt. D. Hieron. intelligit hæc verba Lucæ non abſolute de fide; ſed de fide quadam eximia, quæ nunc in paucis, in fine vero mundi in pauciſſimis reperietur. li. 3. c. 9.* 349

Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiſo. *Exponitur de uero cæleſti Paradiſo, id eſt de gloria Beatorum, quamuis enim in veteri teſtamento nomen Paradiſi terrenum uoluptatis locum ſignificet; in nouo tamen pro re ſpirituali ſumitur. Atque ita illud* hodie *non eſt coniungendum cum* dico tibi, *ſed cum* mecum eris; *ita ut illud* hodie *ſumatur, quatenus correſpondet illi alteri dictioni* quando. *lib 2. cap. 43.* 244

Iohan. 1. Qui tollit peccata mundi. *Græcè habet,* peccatum mundi. *Et ideò hic locus exponitur præcipuè de peccato originali, illud enim eſt proprium, & vniuerſale peccatum totius mundi, à quo per Chriſtum liberati ſumus. lib. 2. cap. 34.* 201

Iohan. 4. Venit hora, quando neque in monte hoc, neq; in Hieroſolymis adorare oportet. *Exponitur non de loco, ſed de modo, & ritu adorandi ex Patribus, uidelicet non coarctato locorum anguſtijs, ſed per uniuerſum Orbem diffuſo, & dilatato. lib. 6. cap. 4.* 618

Iohan. 10. Ego ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant. *Exponitur, maiorem iuſtis gloriæ gradum concedi, cæteris paribus, in ſtatu legis*

Euangelicæ per Chriſti Paſſionem, quàm in ſtatu Innocentiæ, ſi Chriſtus incarnatus non fuiſſet. ex D. Auguſt. & D. Chryſoſt. lib. 2. ca. 37. 221

Iohan. 17. Dilexiſti eos, ſicut me dilexiſti. *Exponitur ex D. Auguſt. vt illud ſicut ſumatur pro* quia, *dilectio enim prædeſtinatorum naſcitur ex eo, quòd Deus Pater vnigenitum ſuum filium Chriſtum Ieſum diligit. lib. 2. cap. 37.* 218

Iohan. 18. Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. *Exponitur ex D. Cyrillo, hunc modum cadendi eſſe proprium Iudæorum et impiorum, quia ipſi ceciderunt vbi non videbant; qui autem ante faciem cadit, videt vbi cadat. lib. 5. ca. 2.* 491

Iohan. 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto uos. *Conſtituuntur Apoſtoli totius Orbis Doctores, Gubernatores, & Miniſtri ſalutis ex D. Cyrillo. lib. 2. cap. 10.* 102. & 103

Ibidem. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. *Hic propria, diſtincta, atque peculiaris poteſtas remittendi, vel retinendi peccata traditur à Chriſto Apoſtolis ex D. Cyrillo. lib. 2. cap. 10.* 102

Iohan. 21. Paſce oues meas. *Exponitur, iuxta conſuetam Scripturæ phraſim, paſcere non quocumque modo, ſed cum regimine, & auctoritate præſidendi, & ideo ibi demonſtratur ſumma D. Petri in vniuerſam Chriſti Eccleſiam poteſtas. libr. 2. cap. 12.* 105

Ioan. vlt. Sic eum uolo manere donec ueniam. *Exponitur vel de morte violenta Martyrij, quam tamen D. Iohannes non eſt paſſus; vel non de aduentu ſecundo ad Iudicium, ſed de aduentu, in quo per Romanos ad puniendos Iudæos venturus erat, non in perſona propria, ſed per effectum: & noluit Chriſtus ſignificare, Iohannem fore ſuperſtitem vſque ad deſtructionem Hieruſalem. Alij exponunt, Chriſtum conditionaliter locutum fuiſſe, & quaſi Petri curioſitatem eludendo dixiſſe ſub conditione, & ſi vellem, Iohannē ſuperſtitem vſque ad diem Iudicij, quid ad te? li. 3. c. 9.* 351

Actor. 1. Vos autem ſedete in Ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. *Quæritur ex D. Athan. An fuerit hæc promiſſio eadem, cum promiſſione facta per Angelum B. Virgini, cum dixit, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. Et reſpondetur, Apoſtolis potentiam operandi datam eſſe; at B. Virgini diuinam Verbi naturam in ſe habendi. Item illis Spiritum Sanctum ad utiliter agendum datum eſſe, B. Virgini autem ad corporis ſui ſanctificationem, & ad filii Dei in ſuo vtero virginali conceptionem perficiendam. lib. 2. ca. 8.* 96

Prima Corinth. 3. Si quis ſuperædificat ſuprà fundamentum hoc aurum, argentum, &c. ſaluus erit quaſi per ignem. *Locus hic inter cæteros difficillimus exponitur ex Patribus de vero Purgatorii igne, & dictio* quaſi *non ſimilitudinem, ſed emphaſim quamdam, & pondus veritatis importat; & quatuor appoſitis conditionibus, quæ ex verbis Apoſtoli deducuntur, apertiſſimè oſtenditur ibi Apoſtolum loqui de vero igne Purgatorii à quo animæ patiuntur. lib. 2. cap. 46.* 277

Prima Cor. 6. Neſcitis quoniam & Angelos iudicabimus. *Nimirum in vniuerſali Iudicio ex omnibus Patribus tàm Græcis, quàm Latinis. lib. 2. cap. 5.* 80

Secunda Cor. 2. Si quid donaui vobis, &c. *Exponitur ex Patribus de condonatione pœnæ in foro Dei debitæ poſt remiſſam culpam. lib. 2. ca. 17. per totum caput.* 123

Secunda Cor. 5. Scimus quia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, &c. *Poſt multas ibi allatas expoſitiones, per domum terreſtrem intelligendum eſſe oſtenditur noſtrum mortale corpus, et per domum cæleſtem, viſionem beatificam, vbi etiam eſt videre pulchram antitheſim inter vitam temporalem, & æternam. lib. 2. cap. 43.* 230

Ibidem. Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quod nolumus expoliari &c. *Hic locus exponitur aptiſſimè de deſiderio quod habent iniqui fruendi hac luce corporali, & de deſiderio quod habent iuſti videndi quantocius diuinam eſſentiam. lib. 2. cap. 43.* 248

Ibidem. Dedit nobis miniſterium reconciliationis. *Intelligendum eſt excitatiuè, & motiuè, per conciones enim excitantur homines ad ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ, per quod ipſi Deo reconciliantur. lib. 2. cap. 13.* 107

Secunda Cor. 8. Abundantia ueſtra illorum inopiam ſuppleat; & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas. *Exponitur ex D. Chryſoſ. Anſel. Ambroſ. & Hieron. non ſolum de abundantia doctrinæ, ſed etiam de omnis generis bonorum copia. lib. 2. cap. 18.* 130

Secunda Cor. 12. Cupio non ſolum impendi, ſed ſuperimpendi. *Ex Origenis interpretatione habetur, D. Paulum tamquam victimam ſuo modo, aliorum peccata expiaſſe etiam quoad rationem ſatisfactionis. lib. 2. cap. 18.* 129

Ad Galat. 6. Alter alterius oneta portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. *Exponitur quòd etiam ex iuſtitia inter Chriſtianos vnus alteri ſuccurrere tenetur. lib. 2. cap. 18.* 128

Ad Epheſ. 1. Inſtaurare omnia in Chriſto. *Ideſt congregare, & colligere omnia ſub vno Chriſto capite ex D. Chryſoſt. lib. 2. cap. 5.* 75

Ibidem. Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. *Exponitur de diuina prædeſtinatione ex D. Chryſoſt. lib. 2. cap. 37.* 218

Ibidem. Gratificauit nos in dilecto filio ſuo. *Hoc eſt gratos, & caros nos ſibi reddidit ob meritum* IESV *Chriſti filii ſui, quem ab æterno in primis dilexit. lib. 2. cap. 37.* 219

Ad Epheſ.

Ad Epheſ. 2. Et veniens euangelizaui Pacem. *Hanc pacem eſſe remiſſionem, et Indulgentiam ex Patribus demonſtratur. lib. 1. cap. 3.* 14

Ad Epheſ. 4. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. *Exponitur de Aſcenſione Chriſti in Crucem ex Euthymio, & deinde de Chriſto ducente in Cœlum animas Sanctorum Patrum libertate donatas, quę prius in Inferni captiuitate detinebantur. lib. 2. cap. 43.* 248

Ad Coloſſ. 1. Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiuè quæ in terris, ſiuè quæ in Cœlis. *Exponitur ita vt pacificare nibil aliud ſit, quam homines, ablato peccato, cum bonis Angelis coniungere ex D. Auguſt. lib 2. cap. 5.* 83

Ibidem. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. *Hic locus vindicatur à calumniis Caluini, & Kemnicii, & exponitur ex Patribus Apoſtolũ ea voluntate, & intentione paſſum fuiſſe, vt Eccleſię qua poſſet via, & ratione prodeſset per ſuas ſatisfactiones. lib. 2. cap. 18. fol. 128. & cap. 24. fol. 159. & cap. 28.* 173

Secunda Theſſal. 2. Filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. *Exponitur ibi per templum Dei Hieruſalem, non autem Romam eſſe intelligendam. lib. 3. c. 9.* 354

Prima ad Thimot. 2. Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus. *Exponitur de publicis orationibus, quę ſuperius obſecrationes, orationes, interpellationes, poſtulationes, & gratiarum actiones ab ipſo Apoſtolo vocantur: & præſertim de iis, quæ in officio Miſſæ recitantur: ita vt ſit ſenſus, ſacrificium, & orationem publicam tempore legis Euangelicæ, nõ vno loco, vt Iudæis contigit, ſed in omnibus Eccleſiis per totum Orbem diffuſis habendam eſſe ex D. Auguſt. Tertull. & D. Baſil. ſicut enim præſcribit hic Apoſtolus mulierum habitus ad publicè orandum, ita propter Iudæos excludens vnum locum determinatum templi illorum, in omni loco, ideſt in omnibus Chriſtianis Eccleſiis publicè orandum eſſe docet. lib. 6. ca. 4.* 611

Prima ad Thimot. 2. Vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus IESVS. *Exponitur, quod non ſolum ſit medium ſubſtantiale, vtriuſq; extremi naturam complectens; ſed etiam, quod ut homo, habeat officium coniungendi homines Deo. lib. 2. cap. 35.* 210

Prima ad Thimot. 4. Noli gratiam negligere, quę in te eſt per impoſitionem manuum Preſbiteri. *Ideſt Epiſcopi ex D. Chryſoſt. & aliis Patribus. lib. 2. cap. 23.* 151

Secunda ad Thimot. 4. Miniſterium tuum imple. *Ideſt Diaconiam. eodem loco.* 154

Ad Hæbr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones; *Exponitur de retributione æternæ beatitudinis. Quando autem inferius inquit Apoſtolus, non accepiſſe repromiſſionem, intelligendus eſt de gloriæ corporis repromiſſione ex D. Anſelmo lib. 2. cap. 43.* 250

Ad Hæbr. 12. Acceſſiſtis ad montem Syon, & Hieruſalem cęleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, & ſpiritus iuſtorum perfectorum. *Exponitur ordo Beatorum in Cœlo, primi enim Cœli habitatores ſunt Angeli, deinde Primitiui, ideſt Apoſtoli, poſtea vero ſpiritus aliorum iuſtorum ex D. Anſel. lib. 2. cap. 43.* 249

Ibidem. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. *Ideſt Dei punientis: ſed horribilius eſt incidere in manus Dei irridentis, & ſubſannantis, id eſt in furore arguentis, & in ira ſua corripientis. lib. 5. cap. 3.* 501

Prima Petri 5. Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta. *Exponitur de Vrbe Roma dum eſſet infidelis, & idolatra; non autem de Roma Chriſtiana ex D. Hieron. & aliis Patribus. Vel etiam per Babylonicã confuſionem in Vrbe, peccata Romanorum intelligi poſſunt etiam poſt Chriſtianæ fidei ſuſceptionem; quæ tamen peccata veram Chriſti fidem, & Religionem non tollunt, aut deſtruunt lib. 3. cap. 8.* 342

Secunda Pet. 1. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. *Ideſt; ne ſit vobis moleſtũ, quòd ego moriar (hoc eſt enim deponere tabernaculum) nam quamuis ego non amplius vos commonefacturus ſim, vt, dum viuerem, faciebam; curabo tamen poſt mortem, ideſt intercedam apud Deum, vt meæ commonefactionis præteritæ memores eſſe poſſitis. Locus certè inſignis pro interceſſione Sanctorum probanda. lib. 2. cap. 43.* 243

Secunda Pet. 2. Si Deus Angelis peccantibus nõ pepercit, ſed rudentibus inferni, detractos in tartarum, tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari. *Exponitur de Iudicio cõdemnationis per publicam ſententiam ex D. Auguſtino; non quòd etiam hodie infernali igne non crucientur, ut male putauit Euſeb. & alii. lib. 2. cap. 5.* 80

Prima Ioan. 5. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti nõ ad mortem: eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis. *Ex hoc loco colligitur, orandum eſſe pro iis, qui diſcedunt ex hac vita ſine peccato ad mortem, ideſt vel ſine peccato deſperationis, quod à Patribus dicitur peccatum ad mortem, vel ſine peccato finalis impœnitentiæ. lib. 2. cap. 45.* 282

Apocal. 6. Dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. *Vbi Martyrum animæ ſingulæ ſtolas albas recipiunt. Ideſt beatitudinis eſſentialis gloriam, & deinde poſt reſurrectionem, gloriam etiam ipſius corporis ex D. Auguſtino, & aliis Patribus.*

tribus.lib.2.cap.43. 250

Ibidem. Vidi ſub altare Dei animas interfecto-
rum. *Ex D. Anſelmo per altare intelligitur Chri-
ſtus, ſub quo tamquam inferiores dignitate, & glo
ria ſunt alij Sancti. Vel ſub altari, ideſt Chriſto, ni
mirum ſub Chriſtiani nominis teſtificatione. lib. 2.
cap. 43.* 265

Ibidem, & cap. 19. Equus albus, & equi albi. *Ex-
ponitur vel de humanitate Chriſti Domini, vel de
ipſis Apoſtolis, qui in vniuerſum mundum ad E-
uangelium prædicandum exierunt. ex Ribera, An
drea, & alijs. lib. 3. cap. 8.* 345

Apocal. 12. Et ipſi vicerunt eum propter ſangui
nem agni. *Exponitur propriè non de Angelis,
ſed de Sanctis hominibus. ex Ribera contrà Aymo
nem, & alios. lib. 2. cap. 5.* 83

Apocal. 14. Exiuit ſanguis de lacu vſque ad fræ-
nos equorum per ſtadia mille ſexcenta. *Expo
nitur ex Ribera hic numerus, non figuratiuè, ſed
propriè. lib. 2. cap. 44.* 269

Apocal. 17. Babylon magna, mater fornicatio-
num, & abominationum terræ. *Exponitur de
Roma infideli, & idolatra, ſicut etiam illud de me
retrice purpurata, magna, & ebria ſanguine ſan-
ctorum. Neque hæc verba propriè de Babylonia
vera exponi poſſunt; ſed neceſſariò ſunt figuratiuè
accipienda. libro 3. capite 8. 242. & ſequenti-
bus.*

Laus Deo, & B. Mariæ Virgini.

INDEX SCRIPTORVM, ET AVCTORVM, qui in hoc Opere citantur.

Abbas Vſpergenſis.
Abdias.
Abulenſis.
Adamus Sasboth.
Ado Epiſcopus.
Adrianus Papa.
Adolelinus.
Adrianus Imperator.
Aeneas Siluius.
Aegeſippus.
Aphricanũ Concil. IIII.
Agapetus Papa.
Agathenſe Concilium.
Albinus, ſeu Alcuinus.
Albertus Pyghius.
Albertus Magnus.
Albericus.
Alciatus.
Alchimus.
Alexan. de Ales.
Alexãdrinus Cardinalis.
Alexander I.
Alexander III.
Alexander IIII.
Alexander Monachus.
Alexandrina Synodus.
Alphonſus de Caſtro.
Almaynus.
Altiſſiodorenſis.
D. Ambroſius.
Amalarius Fortunatus.
Amphilothus.
Amphilochius.
Ammianus.
Ammonius.
Anaſtaſius.
Ancyranum Concilium.
Andreas Vega.
Andreas Epiſcopus Caſarea Cappadociæ.
Andreas Cretenſis.
Andreas Scotthus.
Andreas Eborenſis.
Andreas Iacobi Fabrianẽ.
Angelus de Clauaſio.
Angelus Pientinus.
Augeſtus.
Annianus.
Ansbertus.
D. Anſelmus.
Antonius Galuanus.
Antonius Poſſeuinus.
Appollinarius.
Arauſicanum Cõcilium.
Arator Poeta.
Archidiaconus.
Archadius.
Aranda.
Aretas.
Aretinus.
Arelatenſe Concilium.
Ariſtoteles.
Ariminenſe Concilium.
Argomanes.
Armilla.
Arnobius.
B. Artemius.
Aſtenſis.
Attilius Serranus.
D. Athanaſius.
D. Auguſtinus.
Auguſtinus de Ancona.
Auguſtinus Eugubinus.
Aurelianenſe Concilium.
Aulus Gellius.
Auẽtinus hiſtoriograph⁹.
Auerroes.

B

Bagnes.
Baldus.
Balſamus.
Baronius Cardinalis.
Bartholus.
Bartholomæus Medina.
Bartholomæus Valuerdus Hiſpanus.
D. Baſilius.
Baſolius.
Vener. Beda.
Benedictus XII.
Benedictus Pererius.
D. Bernardus.
Bernardus Luthzemburgenſis.
D. Bernardinus Senenſis.
Bernardinus de Buſto.
Beroſus.
Bibliotheca Vaticana.
Billius.
Blondus.
Bonifacius VIII.
Bonifacius IX.
D. Bonauentura.
Bonfinius.
Boerius.
Boromæus Cardinalis.
Boterus.
Bouius.
Bracharenſe Concilium.
Burcardus.

C

Caietanus Cardinalis.
Calixtus II.
Caniſius.
Cano.
Cardanus.
Carthaginenſe Concilium quartum.
Cathalogus gloriæ Mũdi.
Catharinus.
Cathena Græcorum.
Cedrenus.
Cedron.
Cæſar Bottoni.
D. Chryſoſtomus.
Chriſtophorus Marcellus.
Ciſtercienſis.
Claudius Rota.
Claudius Caſſiodorus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Primus.
Clemens VI.
Clemens Romanus.
Cletus Papa.
Columella.
Cordubenſis.
Cornelius Papa.
Cornucopiæ commẽtaria.
Coſmus Montigianus.
Couarruuias.
Cranets⁹ Hiſtoriograph⁹.
Crantius.
Curiel de Iubilæo.
D. Cyrillus Alexãdrinus.
D. Cyrillus Hieroſolymitanus.
Cyrillus.
Cyrillus Francus.
D. Cyprianus.
Cabilonenſe Concilium.

D

Dalmatianus Epiſcopus Cyzicenus.
Damaſus Papa.
Damaſcenus.
Dantes.
Decius.
Demochares.
Democherius.
Diogenes.
Dio.
Dionyſius Alexãdrinus.
Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
Dodechinus.
Dominicus de Soto.
Dominicus Iacobatius.
Dorothæus.
Driedo.
Durandus.

E

Ekius.
S. Elygius.
Elpis vxor Boetij.
Ennodius Diaconus.
Epheſinum Concilium.
Ephram Diaconus.
Epiphanius.
Euodius.
Euagrius.
Euſebius Cæſarienſis.
Euſebius Papa.
Euſebius Emiſſenus.

F

Faber.
S. Fabianus.
Fara.
Fauſtinus.
Felinus.
Felix Stemmerlin.
Ferrarienſis.
Florentinum Concilium.
Franciſcus Toletus Cardinalis.
Franciſcus Turrianus.
Franciſcus Victoria.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Gregorius.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Pollaucus.
Franciſcus Pegna.
Franciſcus Vargas.
Fracaſtorius.
Frater Felicianus, Epiſcopus Comenſis.
S. Fulgentius.

G

Gabriel Palæottus Cardinalis.
Gabriel.
Gangrenſe Concilium.
Galatinus.
Galeſinius.
Gaudentius Epiſcopus.
Gelaſius Papa.
Gemnianus.
Genebrardus.
Gennadius Scholarius.
Georgius.
Georgius Trapezuntius.
Germanus Patriarcha Cõſtantinopolitanus.
Gerſon.
Gilbertus Pictauienſis.
Giraldus Lilius.

Glicas.
Gloßa magna.
Gloßa Interlinearis.
Gloßa Ordinaria.
Gratianus.
D.Gregorius Magnus.
D. Gregorius Nazianzenus.
D.Gregorius Nyſſenus.
D.Gregori⁹ Taumaturg⁹.
Gregorius de Valentia.
Gregorius Nicomedienſis.
Gregorius Turonenſis.
Gregorius Neocaſariēſis.
Gregorius VII.
Gregorius XIII.
Guaricus.
Guicciardinus.
Guillelmus Auglic⁹ Chroniſta.
Guillelmus Abbas.
Guillelmus Pariſienſis.
Guillelmus à Ruuione.
Guido Carmelita.

H

Haymon.
Henricus Henriquez.
Henricus de Gandauo.
Henricus Vicus.
Henricus Glareanus.
D.Hieronymus.
Hieronymus Bolſecus.
Hieronymus Angelita Recanatenſis.
Hieronymus Rubeus.
Hieronymus Lauretus.
Hieronymus Oleaſtrius.
Hieronymus Oſorius.
Honorius III.
Homerus Poeta.
Holcot.
Hoſtienſis.
Horatius Turſellinus.
Horatius Poeta.
Hugo Victorinus.
Hyppolitus Chizzuola, Canonicus Lateranenſis.
Hyppolitus Martyr.
Hyppolitus Thebanus.
Hiſtoricus Græcus.

I

Iacobus Cardinalis Sancti Georgij in Velabro.
Iacobus Ledeſma.
Iacobus Naclantes.
Ianſenius.
Ildephonſus.
D.Ignatius Martyr.
Ignatius de Loyola.
Imola.
Innocentius I.
Innocentius III.
Ioannes de Anania.
Ioannes Villanus.
Ioannes de Galophia.
Ioannes Rauennas.
Ioannes Nauclerius.
Ioannes Trithemius.
Ioannes Andreas.
Ioannes Monachus.
Ioānes Baptiſta Egnatius.
Ioannes Caſſianus.
Ioannes de Platea.
Ioannes Pontanus.
Ioannes Annius.
Ioannes Baptiſta Mantuanus Carmelita.
Ioannes Phryburgenſis.
Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus.
Ioannes Acoſta.
Ioannes Calderinus.
Ioānes Federicus Lūnius.
Ioannes Antonius Delphinus.
Ioannes Oſorius.
Ioannes Cochlæus.
Ioannes Maria Verratus.
Ioannes Maldonatus.
Iodochus Clictboueus.
Ioſephus.
Iouius.
Ioachimus Camerarius.
Ioachimus Abbas.
Irenæus.
Iſydorus Peluſiota.
Iſydorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis.
Iſydorus Valeranus.
Iſychius.
Iuſtinus Patritius.
Iuſtinus Martyr.
Iuuenalis.
Iuo.

L

Lactantius Firmianus.
Laertius.
Lampridius.
Laodicenſe Concilium.
Lateranenſe Concilium.
Lathomus.
B.Laurentius Iuſtinianus.
S.Leo.
Leo Caſtri.
Leo IX.
Leo X.
Leontius Epiſcopus.
Liuius.
Luciferus Calaritanus.
Ludouicus Romanus.
Lugdunenſe Concilium.
Lucianus.
Lucanus.
Ludouicus Cælius.
Lyndanus.
Lyppomanus.

M

Macrobius.
Maffeius.
Magiſter Sententiarum.
Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ.
Maior.
Mandoſius.
Marianus Scotus.
Marianus Victorius.
Marcellus Primus.
Marcellus Presbiter.
Marcellinus.
Marcus Tullius Cicero.
Marſilius Ficinus.
Martinez.
Martinus Ledeſma.
Martinus in Chronicho.
Martinus Chromerus.
Martinus V.
Marulus.
Matthæus Vegius.
Matthæus Meconienſis.
S.Maximus.
Mayronius.
Melchiades Papa.
Methodius Epiſcopus.
Michael Glican.
Michael Medina.
Milo.
Moyſes Aegyptius.

N

Nauarrus.
Nazarius.
Nicolaus Primus.
Nicolaus IIII.
Nicolaus V.
Nicolaus de Lyra.
Nauagerius.
Nicephorus.
Nicænum Concilium.
Nicetas.

O

Oecumenius.
Onuphrius Panuinius.
Optatus.
Origenes.
Oroſius.
Ouidius Poeta.

P

Palladius.
Paludanus.
Pamelius.
Paudulphus Piſanus.
Pandulphus Oſtiarius.
Papias Catholicon.
Paraphraſis Chaldaica.
Paſchalis I.
Paſchalis II.
Paſchaſius.
Paulinus.
Paulianus.
Paulus Diaconus.
Paulus Oroſius.
Paulus Aemilius.
Pauſanias.
Pelbartus.
Petrus Antonius Beuterius.
Petrus ab Aliaco.
Petrus Bercorius.
Petrus Bollo.
Petrus Cluniacenſis.
Petrus Soto.
Petrus Gregorius in Syntag.
Petrus Chryſologus.
Petrus Maturus.
Petrus Maffeius.
Petrus Manlius.
Petrus Meſſias.
Phylo Iudæus.
Philoſtratus.
Photius.
Picus Mirandulanus.
Pius II.
Platina.
Plato.
Platus.
Plotinus.
Plutarchus.
Pontificale Romanum.
Polydorus.
S.Porphyrius.
Porphyrius.
Poſſidonius.
Poſtillator.
Polychrates.
Pratum ſpirituale.
Præpoſitinus.
Primarius.
Proclus.
Procopius.
Promptuariū Catholicū.
Proſper Aquitanicus.
Prouinciale Concilium.
Prudentius Poeta.

Q

Quintilianus.

R

Rabbi Dauid.
Rabbi Meir Bengabol.
Rabbi Salomon.

Ra-

Index Auctorum.

Radulphus Flauiacenſis.
Raphael Riera.
Regiſtrum Romanæ Eccleſiæ.
Remigius.
Rhebaldus Cardinalis.
Ricchardus de Sancto Victore.
Ricchardus Tramouſtratenſis.
Riccardus de Media villa.
Rober. Bellarminus Card.
Roſſenſis Cardinalis.
Roggerius Ciſtercienſis.
Roſella.
Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus.
Ruffinus.
Rupertus Abbas.

S

Sabellius.
Salicetus.
Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus.
Sanctes Pagninus.
Sedulius.
Sebaſtian. Medices.
Sergius III.
Seraphinus Capponus.
Seruius.
Sexta Synodus.
Seneca.
Sigonius.
Sigebertus.
B. Silueſter Abbas.
Simon Maiola.
Simeon Methaphraſtes.
Soter Papa.
Socrates.
Solinus.
Sophronius.
Sozomenus.
Speculum Exemplorum.
Suetonius.
Sulpitius.
Supplementum Gabrielis.
Surius.
Statius.
Stapleton Anglus.
Staphylo.
Strabo.
Stephanus Notus.
Sylueſter.
Sixtus III.
Sixtus IIII.
Stephanus Eſnos.
Sixtus Senenſis.
Sidonius Appollinarius.
Symachus.

I

Tabulæ Lateranenſes.
Tabula Mediolanenſes.
Tabiena.
Tacitus.
Thales.
Taranus.
Tarantaſius.
Tacianus.
Terentianus.
Tertullianus.
D. Theodoretus.
Theodorus.
Theodotio.
Theophanes.
Theodoſius Imperator.
Theophylactus.
D. Thomas.
Thomas VValdenſis.
Thomas Anglus.
Toletanum Conc. quartũ.
Toletanum Conc. quintum
Trebatius.
Tridentinum Concilium.
Trithemius.
Tithelmanus.

V

Valentinus.
Valerianus.
Varro.
Valerius Maximus.
Velleius Paterculus.
Viennenſe Concilium.
Victor Vticenſis.
Viguerius.
Vincentius Speculator.
Vincentius Lirinenſis.
S. Vincentius Ferrerius.
Victorinus Martyr.
Virgilius Poeta.
Volaterranus.
Vrbanus I.
Vrbanus II.
Vrbanus IIII.
Vrianus.
Vſuardus.
Vuormacienſe Concilium.
Vuolphangus.

Z

Zaccharias Papa.
Zonaras.
Zozimus. & Alij.

Nomina Hæreticorum, qui confutantur in hoc opere.

A

Aeriani.
Albigenſes.
Arriani.

B

Burlingerus Hæreticus.

C

Caluinus.
Claudius Taurinenſis.
Centuriatores.

E

Eraſmus.
Euſtechiani.
Euſtatiani.

H

Hebionitæ.
Henricus Toloſanus.
Henriciani.
Herbrandus.

I

Illyricus.

K

Kemnitius.

M

Manichæi.
Magdeburgenſes.
Marcio.
Martinus Lutherus.
Montanus.
Munſterus.

N

Nouatiani.

P

Pelagiani.
Petrus Paulus Vergerius.
Petilianus.
Petrobruſiani.
Philippus de Mornay.
Philippus Melancthon.

T

Taboritæ.
Tilemanus.

V

Valentinus.
Valentiniani.
Velenus.
Vigilantius.
Vuiclephus. & Alij.

F I N I S.

ERRATA.

Qui ſine errore eſt, erratis non parcat: grauiora autem errata ſic corrigito.

Fol. 1. lin. 25. uictorijs. fol. 2. lin. 21. debitorum. ibidem lin. 32. maximæ. fol. 3. lin. 48. quadrageſimusnonus. fol 4. lin. 32. quinquageſimus. fol. 15. lin. 35. exomologeſis. ibidem lin. 41. manus impoſitio. fol. 16. lin. 16. audacter. fol. 20. lin. 22. interpretaturque fol. 22. lin. 18. quod græcis eſt ἀλελάζειν fol. 29. lin. 24. Henriquez fol. 31. lin. 20. reditu fol. 42. lin. 10. fratrum minorum. fol. 47. lin. 42. lanceiſque fol. 50. lin. 29. Cornelius Muſſus Epiſcopus &c. & lin. 31. Iacobus Laynes vir ſanctitate, & doctrina præcipuus fol. 57. lin. 26. ipſa & lin. 28. ve. ſperabamus. fol. 58. lin. 50. lachrymas. fol. 59. lin. 12. æterna. lin. 26. emendatiorem. lin. 41. Iubilæi celebratio fol. 65. lin. 18. ut principem. fol. 77. lin. 9. Incarnationis. fol. 87. lin. 45. inuenerit. fol. 94. lin. 50. conſuetudinem obſeruaſſe? fol. 101. lin. 26. pulcherrima. fol. 109. lin. 53. ſed vbique fol. 119. lin. 3. remiſeritis. lin. 21. duc. lin. 33. lotum. fol. 120. lin. 29. ſacramentales. fol. 128. lin. 43. Inſignis. lin. 45. obſtrepant & lin. 52. §. 4. fol. 132. lin. 15. fornicationis fol. 139. lin. 35. fragilitate. fol. 144. lin. 5. nihilominus. fol. 149. lin. 15. Chriſti. lin. 43. ſacramentum. fol. 152. lin. 32. sextus. lin. 50. latinè. fol. 155. lin. 43. inungi. fol. 157. lin. 6. Moyſis. fol. 163. lin. 46. Principibus. fol. 190. lin. 35. ſine. fol. 210. lin. 6. omittam. fol. 268. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. fol. 305. lin. 12. Demonſtrandum & lin. vlt. interceſſionibus. fol. 317. celebritas. fol. 321. lin. 40. quinquagenas. & lin. 44. Ezechielis. fol. 366. Helena. fol. 409. lin. 15. contritionem. fol. 414. lin. 45. denominationem. fol. 436. lin. 35. eligendi. fol. 485. lin. 9. effluxerunt. fol. 537. lin. 15. docet. fol. 557. lin. 10. Quidam. fol. 569. lin. 20. perfectus Cathecumenus. fol. 572. lin. 25. fide. & lin. 43. excludendi. fol. 589. lin. 4. Chriſtiani. fol. 673. lin. 42. Peloponneſi. Si quæ alia occurrerint, eruditus lector facilè, & benignè corrigere poterit.

PRAEFATIO AVCTORIS AD OPVS.

IVBILATE Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, cantate, exultate, & pſallite: pſallite Domino in Cythara, & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubę cornea: Iubilate in conſpectu Regis Domini, quia tempus, & annus lętitię, ac iubilationis aduenit. Introite portas Domini in Confeſſione, & in hymnis confitemini illi, quia portas Cœli aperuit Dominus, & portas miſerationis eius aperit Summus Romanus Pontifex ipſius Dei Vicarius, & in eius Eccleſia Caput. Propterea enim vniuerſa Chriſti Eccleſia inſolitis gaudijs exultat, & in toto terrarum Orbe Chriſti fideles omnes lętitia inenarrabili geſtiunt, ac ipſa quoque magna telluris moles nouis lętitię ſignis homines ingenti voluptate perfundit, cunctaſq; creaturas exhilarat, atq; ad exultandum inuitat hoc feliciſſimo tempore aduentante, ſanctiſſimoq; Anno redeunte, quem à Iubilatione Iubileum appellamus. Cęlum quoq; ipſum, ſideraq; in eo ſiue diſcurrentia, ſiue fixa; omnia deniq; ſiue in terris, ſiue in Cœlis, ſiue ſupra Cœlos exiſtentia, iubilationis immenſę, ſummique gaudij notas edunt, nobis mortalibus lęta omnia nunciando. Hinc ex totius Orbis Chriſtiani partibus ingentes omnium gentium, ac nationum concurſus, innumeraq; fidelium agmina ad Vrbem ſanctiſſimam, vniuerſi Orbis Principem atque Reginam religionis gratia confluentium, non ſine ſumma admiratione conſpicimus. Hinc etiam Summi Pontificis manu, vice ipſius Chriſti Domini, ad indicandam theſaurorum cęleſtium largiſſimam diſpenſationem populis exhibendam; immo ad portarum Cęli reſerationem viſibili myſterio declarandam, aperitur celeberrima illa Vaticanę Baſilicę Ianua, quę iure optimo ſancta nuncupatur ab omnibus: per quam ſcilicèt ſumma cum religione fideles populi pertranſeant, quam omni cum pietate uenerentur; & colant; cuius demum lapidibus, atque cęmentis, non ſecus atque auro, gemmiſque prędioſiſſimis, ſemetipſos exornent, ac locupletent. Vt mirandum iam nemini ſit, quòd Portas adeo gratas, atque dilectas ſummo rerum omnium conditori Deo ſemper extitiſſe ſacrę literę quam ſępiſſimè nobis prędicent, vt illuſtriora, atque pręcipua in homines ab

nes ab

nes ab ipſo Deo collata beneficia, vel in ipſis Portis, vel cum honorifica ſaltem mentione portarum exhibita ſemper ferè fuiſſe videantur. Portas enim Deus præcipuo quodam, atque ſingulari proſequitur amore, de quo Propheta Regius in Pſal.86. cecinit. Diligit Dominus portas ſion ſuper omnia tabernacula Iacob. Eaſdem quoque præſidio ſuo tuetur, & peculiari quadam curat prouidentia, vt Pſal.147. confortauit ſeras portarum tuarum Apparuiſſe Deum Abrahæ legimus Geneſ.18. ſub forma trium illorum Angelorum ſe oſtendendo, quando ſcilicet ille tres vidit, & vnum adorauit; ſed tunc ſedebat Abraham in oſtio tabernaculi. Promiſſam ſibi prolem, vt eodem loco habetur, audit Sarà, ſed quaſi rem non credendam, ridet poſt oſtium tabernaculi. Maxima planè, ac mirabilia ab Angelo promiſſa fuerunt Patriarchæ Iacob Geneſ. 28. in eo tamen loco, qui dicebatur Porta Cœli. Arcam pro ſalute generis humani ab ſe diuino iuſſu fabricatam, oſtio ex latere deorſum poſito Noè vir iuſtus perfecit. Non alia ratione ab inſigni illa cæde Angeli percutientis Iſraelitæ liberantur Exod.12. quàm per portas ſanguine conſperſas. Conſanguinei Raab necem nequaquam effugiunt Ioſuè 2. niſi egrediantur oſtium Domus. Deus ipſe optimus maximus cum inſigni illo legis promulgatore Moyſe loquutur ad oſtium tabernaculi Exod.29. Adoratur à populo Deus Exod.33. per fores tabernaculorum verſus nubem, quæ deſcendebat ad oſtium tabernaculi. Præcepit Deus Nume. 10. tubis reſonantibus caſtra moueri, turbam vero iuſſit ad oſtium tabernaculi fœderis congregari. Populus in deſertis locis propterea mannà paſcebatur, quia Pſa.77. Dominus ianuas Cœli aperuit. Sanctificationem Sacerdotis, mulieris parturientis purgationem, ſacrificium, & oblationem pro peccato ad oſtiũ tabernaculi celebrari teſtatur liber Leuiticus. Elias Propheta Dei ſpiritum 3.Reg 19. percepit, cum ſtaret in oſtio ſpeluncæ. Viduæ mulieri idem Propheta 4. Reg.4. non prius oleum auxit, quàm cum illa eius iuſſu clauſit oſtium ſuper ſe, & filium ſuum. Tunc Naaman ille Princeps militiæ Regis Syriæ lepræ curandæ rationem, ac modum accepit; quando venit, & ſtetit ad oſtium Domus Eliſæi 4.Reg. 5. Admiranda porrò, & memorabilis illa Vrbis Samariæ liberatio 4. Reg.7. nunciatur per Eliſæum futura in Porta Samariæ. Quid plura? Ipſemet Chriſtus in Scripturis Sanctis (ſiue figuratè, ſiue propheticè de eo loquantur) tàm veteris, quàm noui teſtamenti Portæ nomine quamſæpiſſimè ſignificatur. Nam Porta angulorum dicitur Zachar.14. Porta Domini Pſal.117. Porta Orientalis, Ezechiel.39. Porta domus Domini 4.Reg.

ni 4.Reg.14.Porta tabernaculi Exod.20.Porta uiatoris Iob 20.Porta Cæli Gen.28.Ita etiam dum Scriptura Sacra de Chriſti Sacramentis loquitur,vocat illa portas Iuſtitiæ. De Beatisſima Virgine Maria Chriſti Domini Genitrice legimus verba illa.Porta hæc clauſa erit. &c. De Apoſtolis Ieſu Chriſti. Diligit Dominus portas Sion. De ipſius prædicatione.Sapientia in porta aperiet os ſuum. De miraculis quàm frequenter iterantur illa verba.Cum ingrederetur, Cum intraret,cum appropinquaret Portæ Ciuitatis. De ipſius morte.Extra portam paſſus eſt. De inferni ſpoliatione,ac liberatione Sanctorum Patrum. Contriuit portas æreas,& vectes ferreos confregit. De finali Iudicio.Prope eſt in Ianuis. De ſanctis inſpirationibus.Sto ad oſtium,& pulſo. De conſenſu in receptione illarum intra animam.Peſſulum oſtij aperui dilecto meo. De prædicatione Apoſtolorum. Aperuit Dominus oſtium ſermonis. De conuerſione gentium ad Chriſti fidem.Quia aperuiſſet oſtium gentibus. De gloria denique beatitudinis æternæ.Vidi oſtium apertum in Cælo. Quòd ſi quis adhuc plura velit. Fortaſſe autem nobilitatem inquirat, inueniet profectò illam in portis,Nobilis enim in portis vir eius.Si laudem deſideras.Laudent eam in portis.Si bonam famam. Dederunt odorem in portis. Si diuitias. Portæ Hieruſalem ex ſaphyro & ſmaragdo.Si fortitudinem.Fortitudo reuertentibus de bello ad portam.Si victoriam.Posſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Si ſapientiam.Sapientia in porta aperiet os ſuum.Si ſanctitatem. Aperite mihi portas Iuſtitiæ. Si virtutem taciturnitatis,& ſilentij.Oſtium circumſtantiæ labijs meis.Si orandi perfectam rationem. Clauſo oſtio ora patrem. Si perfectam rectè viuendi normam, & modum. Contendite intrare. Si denique ſalutem, & gloriam æternam. Ego ſum oſtium,per me ſi quis introierit,ſaluabitur.Adde quòd in tota Sacrarum Scripturarum vtriuſque teſtamenti ſerie,uix integram paginam legas,in qua non mirum aliquid,atque ſingulare, ſummaque animaduerſione dignisſimum de portis reperias; ita vt potius dicendo, ſcribendoq́; deficias, quàm ſingula portarum priuilegia, beneficia,miracula recenſere pro dignitate valeas. Quæ tamen de portarum præſtantia dicta ſunt,ea ſicut nos de magnis olim priſcis temporibus erga homines Dei beneficijs admonitos eſſe iubent,ita non obſcure indicant ſacroſanctum illud, quod in Anno Sacri Iubilæi celebrari ſolet, in Porta Sancta myſterium. Quamobrem ad eximium anni huius celeberrimi,temporiſque ſacratisſimi beneficium à diuina in homines bonitate collatum,totius Orbis terræ fidelibus explicandum,non ſine diuino numi-

no numine ſancta Ieſu Chriſti Eccleſia, ſummuſque Chriſti Vicarius Romanus Pontifex Portam Sanctam, in ipſo ſtatim anni ſancti initio, magna cum religione, & ſolemnitate reſerare conſueuit; idque non aliorum Eccleſiæ Dei Præpoſitorū ac Principū, ſed ipſiuſmet Summi Pontificis manibus fieri, celebrarique inſtituit. Nimirum, vt hac ratione inſignem Dei noſtri benignitatem, ac miſericordiam omnibus planè, qui ſe peccati reos agnoſcunt, exhibendam vberrimè, ex tam felici ſemper pate factæ Pontificijs manibus Portæ Sanctæ myſterio intelligamus. Facillimum quippe ex eo futurum exiſtimauit Eccleſia Catholica, ut vnuſquiſque propriæ ſibi miſeriæ conſcius, ſuæq; non immemor inopiæ, ſi ſaluti ſuæ optimè conſultum eſſe voluerit; tam immenſo, copioſoq́, & ad comparandum minimè difficili cæleſtium opum theſauro ſibi benigniſſimè propoſito; ſummè auidus cupidusq́, ſtatim ad ipſam Romanam confugiat Eccleſiam, iucundiſſimam verè pœnitentium, pijſſimamq́ parentem; inæſtimabilis huius, ac planè diuini beneficij particeps, & compos futurus; ac Portam Sanctam iam cunctis peruiam, atque patentem, Chriſtiana cum pietate, ac venerabundus ingrediatur, Sacroſancta Vrbis Templa religioſè adeat; proprias culpas omnes ſalutari Pœnitentiæ Sacramento, ſuisq́, ex cordis dolore defluentibus lachrymis expiet, ſacratiſſimum Chriſti Domini corpus, vnicum, ac ſuauiſſimum animæ edulium, omni cæleſti dulcedine refertum, ſubinde ſumat humillimè, ac religioſiſſimè: oret, pſallat, meditetur, ieiunet, egenis Chriſti amore ſtipem largiatur, ſanctas iteret frequenter peregrinationes, Iubilæi gratiam plenamque delictorum ſuorum capiat remiſſionem, ſacras conſequatur Indulgētias: ſicq́, prorſus theſauris cæleſtibus, æternisq́ ditatus muneribus ad propria reuertatur, vitam ſuam deinceps ita ad Chriſtianæ legis præſcriptum, normamque moderaturus, vt ad mortem vſque Deo ſeruiens, eiuſque mandatis omni cum uigilantia, pietateque obtemperans, Cœlorum tandem Regno numquam perituro feliciſſimè potiatur. Inuitat ad hoc Sanctus Domini Vates, dum ait. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum dum prope eſt. Propterea etiam clamat Apoſtolus dicens. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nā proſequitur adhuc Propheta ſermonē ſuum ſic loquēs. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, et ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Quæ omnia de hoc præſertim ſacri Iubilæi feliciſſimo anno perquam aptiſſimè intelligi nemo non videt, cū hoc tempore Deus

noſter

noſter quàm quod maximè, verè miſericordiarum Pater, Dominus miſerationum, & Deus totius conſolationis appareat. Sed quemadmodum vocantur à Deo quamplurimi, vt euangelica teſtatur hiſtoria, perpauci tamen inter electos enumerantur; ita quoq; multi ad Vrbem peregrinantur, pauci autem (tanta eſt apud homines propriæ ſalutis negligentia) Iubilæi theſauros conſequuntur., eodem ferè modo, quo inquit Apoſtolus, multi quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. Cuius profectò mali, quamquam per multas afferri poſſe cauſſas ingenuè fateor; eam tamen cum primis enumerandam cenſeo; quòd plurimi homines non adeo exactè, atq; explicitè cognoſcant, quàm magnũ ſit bonum, quamq; vtile lucrum Indulgentias, ac Iubilæos adipiſci: neq; ſatis intelligant, quãtum vtilitatis, & commodi tàm viuentium, quàm vita functorum animis huiuſmodi precioſiſſimi, ſpiritalesq; theſauri conferant: Idq; nullo modo vel per ſemetipſos rectè percipere, vel ſatis perpendere valeant. Ideoq;, cum aliæ non vulgares, tum hæc præcipuè ratio, vt verè dicam, me non modo impulit, ſed planè coegit, vt hoc maximè tempore meas haſce qualeſcumq; lucubrationes de Sacroſancto Iubilæi Anno ad cõmunem Chriſtifidelium vtilitatem in lucem edere decreuerim: cum tamen in ea deliberatione per multos annos verſatus, numquã de hac editione, niſi nunc, moliendā aliquid ſtatuere voluerim. Nimirum pro ea, qua omnes ex Chriſti præcepto lege fraternæ charitatis arctamur, ad animarum ſalutẽ ardenter, ac ſtudioſè procurandam, atq; ad proximos noſtros pro viribus in Dei obſequio libentiſſimè iuuandos: indignum ſanè, atq; prorſus incongruum videbatur, rem tantam, tantiq; ponderis, atque momenti, quanta eſt ſacer Iubilæus, exiguis libellis, paruiſq; voluminibus breuiter atq; ſummatim, quod hactenus ab omnibus ferè factum fuit, perſtringi: quippè quia exactè, copioſeq;, ac ſatis amplo volumine ab ipſis vſq; fundamentis ad ſummum verticem, vt aiunt, deſcribenda eſſet, ac delineãda. Vt ſic in clariſſima quaſi luce intuentium oculis expoſita, fidelibus, catholiciſq; abundè ſatisfaceret; & præterea hæreticorum tenebras ac ſordes, quibus hoc ſacratiſſimum Eccleſiaſticæ opulentiæ ærarium abſcondere, delere, ac prorſus de medio tollere nituntur; facilius repelleret, ſplendidiuſq; dilueret: Id quod me, diuino planè beneficio, fortaſſe non omninò infelici exitu præſtitiſſe arbitror. Quamquam etiam ab alijs melius, & luculentius præſtari potuiſſe libentiſſimè fateor; neq; n. ſum neſcius, quamplurimos & iudicio, & eruditione inſignes viros, ſicut in cæteris, ita in hac quoq; re operam ſuam feliciſſimè collocaturos; quod tamen hucuſq;

à nemine,

à nemine, quod ſciam, factum eſſe video. Vt verò hanc grauiſsimã, ſummamq; prouinciam libentiùs alacriusq; ſuſciperem, atq; accuratiùs rem omnem conficiendam curarem; fecit ea, quæ mihi paſtoralis animarum fidelium cura demandata iampridem fuit. Præterquam quòd hac ratione non modo promiſſum in lib. de Fuga in Peſte, Fame, & Bello, ante paucos annos à me in lucem edito, integrè præſtare volui; verumetiam labores meos in publico legendi munere aſſumptos, dum in alma S. Petri de Vrbe Baſilica ſuperiori Iubilæo Theologi munus obirem, neq; occultos iam amplius iacere volebam, neq; ſine fructu perire; atq; ita factũ eſt, vt poſtquam in ijs abſolutè perficiendis, diligenterq; expoliendis, atq; vt ita dicam, dolandis operam non mediocrem impenderim (vnde illis maxima facta eſt multarum ac maximarum rerum acceſsio) tandem ad Dei gloriam, & eius Eccleſiæ vtilitatem opportuno tempore proferre placuerit in lucem: Hortantibus præſertim, & iam ferè cogentibus quamplurimis grauiſsimis viris, non tantum mihi neceſsitudine coniunctis, ſed etiam auctoritate ſimul, atque eruditione apud omnes præſtantiſsimis. Acceſsit ad hæc ſacroſanctum atq; arctiſsimum religioſæ dilectionis vinculum, quo venerabiliſsimam Eccleſiam Lauretanã, in qua Paſtorali munere, immeritus licèt, & indignus, quæ Dei eſt benignitas, iam pridem auctus ſum: ſponſam videlicet amabiliſsimam, complector; quod me non mediocriter vrgebat, vt aliquid tandem ad Beatiſs. Virginis Patronæ noſtræ gloriam tuendam, & ad peruicacem, & obſtinatam hæreticorum, acerrimorum illius hoſtium, audaciam cõprimendam, in publico totius orbis conſpectu proponerem; quod etiam in eodem antedicto volumine pollicitus fueram. Hæ igitur aliæq; complures, graues illæ quidem, nec aſpernandæ rationes, quas ne Lectori moleſtiam afferam, prætereo; effecerunt, vt iam opus hoc qualecũq; typis dare non dubitauerim. Noſtrum autem in toto opere inſtitutum non erit difficile breuiter explicare; ſi priùs omnes, qui lecturi ſunt, admoneamus quidpiã ſummoperè conſiderãdum. Nimirum, quòd ſi ij, qui has terrenas opes, corruptioniq; obnoxios theſauros, gẽmas, margaritas, cæteroſq;, quos precioſos lapides appellant, ſibimet comparare cupiunt; tanto in id animi ardore, ſtudioq; incumbunt, omneſq; ſic vires contendunt, vt nullis omninò parcant laboribus, nulla refugiant pericula, nullum quãtumuis graue onus recuſent, vitam ipſam, & vtinam ne ſæpiùs animam in maximum diſcrimen adducant; maria nauigent, terraſq; omnes percurrant, ad extremos Oceani, atq; adeo ipſiuſmet Orbis fines penetrent, ſumptus quoſcumque, licèt

immenſos,

immenſos,nihili faciant,omnia deniq; probent,nihilq; prorſus intentatū
relinquat. Cum tamen,ut conſtat,res parui admodū ponderis, minimiq́,
momenti,& quas breui alijs relicturi ſunt,ſummo cum labore,aut ſaltē
non ſine magna moleſtia conſequantur:& interdum etiam, inexpectato
aliquo caſu,infortunioq́, intercedente(quod non ſemel accidere ſolet)fru
ſtra laborent,oleumq́, ,vt aiunt,& operam perdant. Si inquam hæc ita
ſe habent;quanto ſanè vtiliùs,ſtudioſiùs,atq; ideo attentiùs,ardentiusq́,
omni deniq; cura cogitationeq́, enitēdum putemus ijs,qui non corporeū,
corruptibilemq́, theſaurum furibus,latronibus, erugini,innumerisq́, ca-
lamitatum telis obnoxium; ſed perennes diuitias, & immarceſcibilem
gloriæ coronam,præparatam,& cōſeruatam in Cælis percipere cupiunt,
vel certè ardentiſſimè cupere debent? Ac ne diu, multumq́, inueſtigan-
do laborent,ecce habent hic, non dicam libellum,aut volumen papyro cō-
textum;ſed arcam,vt ita dicam,eburneam,immò aurea ſcrinia,maxi-
miq́, valoris,ac precij loculos,gemmis coruſcantibus,ſplēdidiſſimis mar
garitis,cunctisq́, preciosiſſimis lapidibus, ac deniq; theſauris planè ineſti
mabilibus plenos;ad quos omni ſtudio conquirendos inuitat nos benigniſ
ſimus animarum ſeruator,& dominus omnium Ieſus Chriſtus, cum ſic
dicat: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra,ſed theſaurizate vo
bis theſauros in Cælo;qui enim theſauros in terris parat,theſaurizat vti
que;ſed,vt optimè Regius cecinit Pſaltes,ignorat cui congregabit ea. In
primo enim huius operis Libro naturam ſacri Iubilæi,definitionem,ſpe-
cies, nomina cum ſuis ethymologijs & varijs acceptionibus, germanam
pronunciationem, & anni magni, totiusq́, huius proximè elapſi centeſi-
mi dilucidam explicationem habes. In ſecundo autem eiuſdem ſacri Iu-
bilæi in omni lege neceſſitatem. Iubilæi in ligno Crucis à Chriſto exhibiti,
& in ſancto die Pentecoſtes explanationem; eccleſiaſtici Iubilæi Chriſti
Domini auctoritate inſtituti originem ac poteſtatem,claues inſuper Pe-
tro traditas ad peccatorum condonationem, theſauri eccleſiaſtici ſpiri-
tualis neceſſitatem, Indulgentiarum largitionem,Chriſti,& Sanctorum
ſatisfactiones, earumq; valorem, & efficaciam, fructus & vtilitates
Indulgentiarum & bonorum operum noſtrorum, ſuffragia pro anima-
bus in purgatorijs pœnis exiſtentibus,ſummā deniq; Dei tempore Anni
Sancti pietatem erga homines,ac miſerationem,cæteraq; alia pulcherri-
ma legere poteris. In tertio originem, antiquitatem, inſtitutionem,cele-
brationem, locum,ſolemnes ritus, initium,finem, & amplitudinē ipſius
Iubilæi,& Eccleſiarum Vrbis eo anno viſitandarum dignitatem,ac præ

ſtantiam,

ſtantiam, cum alijs multis rebus lectu digniſsimis reperies. In quarto excellentiam, dignitatemq́; ſancti Iubilæi ex varijs rebus deſumptam non ſine fructu, ac iucunditate animaduertes, ſimulq́; obuiam habebis Iubilæi conſequendi rationem, eiusq́; celebrandi ritus, cæremonias, cæterasq́; pulcherrimas obſeruationes. In quincto fructus, vtilitates, & commoda ſacri Iubilæi, apparatus pro ea faciẽdos, hæreticorum ad Iubilæi gratiam vocationem, & alia quamplurima iucundiſsima perleges. In ſexto denique, ac poſtremo peregrinationum ad Loca Sãcta Religionem, fructũ, rationem, præcipuè verò Sacroſanctæ Domus Lauretanæ toto Orbe celeberrimæ, ac Beatiß. Virginis dignitatem, atq; maieſtatem admirari poteris; ſimulq́; ridere veſaniam hæreticorum non minùs impiè, quàm ineptè inſultantium, adeoq́; ſemetipſos dumtaxat ſuis telis perimentium. Nonne hæc omnia humanis opibus, terrenis theſauris, gemmis, lapidibus præcioſis, & quibuſcumq; metallis longè maiora tibi videntur, eisq́; plurimum anteferenda? Ea quippè ſunt, de quibus ipſe Dominus dixit: Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? *Adde quòd hæc omnia frequentiſsimis Patrum, & aliorum Scriptorũ teſtimonijs, tamquã pulcherrimis, elegantiſsimisq́; ſplendoribus illuſtrantur; quæ, licèt longiorem videantur, ac magis laborioſam reddere lectionem; ita tamen accommodata ſunt, vt diuerſa characteris forma cõſcripta, Lectorem admoneant, verba illa eſſe aliorũ; quæ ſi libuerit, perlegat, ſin ſecùs, abſq; vlla moleſtia ac detrimento præterire poſsit. Hæc igitur totius operis ſumma, hæc inſtituti mei tota eſt ratio. Reliquum modò eſt, Chriſtiane Lector, vt hos labores, quales quales ij ſunt, æqui boniq́; conſulas, & quando ijs adiuuantibus non difficilè; vel vno hoc tibi volumine comparando, attentèq; ac ſtudiosè meditando, locupletiſsimus bonorũ cæleſtiũ, & æternorum fieri potes; nè in temetipſum adeò ferus, & inhumanus exiſtas, vt hoc tanto, tamq; præcioſo theſauro carere uelis. Sume, lege, fruere laboribus meis, Deumq; Opt. Max. pro me exorare aliquãdo non te pigeat; quandoquidem, ſi quid boni in his, alijsq; omnibus à me factum eſt, id ipſi vni acceptum referendum exiſtimo; errata verò, ſi qua fortè, quod nolim, commiſſa ſunt, omninò mea fateor, eaq; ſicut cætera omnia, S. R. E. correctioni, bonorumq;, ac doctorum hominum iudicio libenter ſubijcio. Iam verò hæc pauca præfati, ad rem ipſam accuratè, ac pro viribus pertractandam, ſummo auſpice Deo, eiusq; Diuina Genitrice Lauretana iuuante, quorum toto corde poſtulo, atque enixiùs obſecro præſidium, accedamus.*

RVTI-

RVTILII BENZONII ROMANI EPISCOPI LAVRETANI, AC RECANATENSIS.

De Natura, & nomine Iubilæi.

LIBER PRIMVS.

QVONIAM in rebus obſcurioribus, ac difficillimis enucleandis, pertractandiſque; clara, ac diſtincta partitio eorum, quæ docenda ſunt, plurimum adiumenti affert; ad rem propoſitam percipiendam: Ideo ſicut cæteros noſtros de ſacro Iubilæo libros in multas partes, ſic & hunc priorem in decem membra, ſeu capita diſpartiendum, ſecandumque eſſe duximus, quæ ſingula ſummatim mox indicantur.

Cap. I. *De Definitione, & Natura Iubilæi.*
Cap. II. *De Diuiſione Iubilæi in varias ſpecies.*
Cap. III. *De Varijs nominibus ſacri Iubilæi, eorumque ſignificatione.*
Cap. IIII. *De Varijs Ethymologijs, & Deriuationibus Iubilæi.*
Cap. V. *De eius Germana Pronunciatione; ſcilicet. An Iubilæus, vel Iobilæus ſit dicendus.*
Cap. VI. *Qui maximè Auctores de ſacro Iubilæo ſcripſerint.*
Cap. VII. *De Anno Magno.*
Cap. VIII. *Declaratur maxima felicitas huius ſæculi ſextidecimi a Chriſto, quod in proxime futuro ſacri Iubilæi anno terminatur.*
Cap. IX. *Idem oſtenditur ex multorum Sanctorum Martyrum triumphis.*
Cap. X. *Eiuſdem ſæculi gloria fulget in vitorijs contra hæreticos, & infideles.*

CAPVT PRIMVM.

De Definitione, & Natura Jubilæi.

POSTVLAT recta docendi ratio, vt in omni doctrina, & diſciplina tradenda, præſertim rerum reconditarum, a definitione eius rei, de qua agitur, ſumatur exordium; *omnis enim* (teſte Cicerone primo officiorum) *qui in inſtituitur de re aliqua ſermo; debet a definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur*. Id ipſum enim eſt, quod in rebus vt diximus abditioribus, & à communi hominum conſuetudine remotiſſimis (quemadmodum eſt is, de quo agimus, Iubilæus) mens noſtra primum proſequitur, & inueſtigat. Vnde

Omnis tractatio exordium ſumat a diffinitione. Cicero.

Prouerb. 21.

cùm dicēte Salomone Prouer. 25. *Gloria Dei ſit celare verbum, & Gloria Regis,* (Theologi ſcilicet) *ſit inueſtigare ſermonem*; ideſt reconditarum rerum naturas, & quiditates aperire, Iure optimo ab ipſius Iubilæi definitione exordiemur (quamuis enim vox Iubilei in ore ferè omnium verſetur, quid tamen ille ſit, à quamplurimis etiam ſapientibus ignoratur) Quod vt facilius aſſequamur, illorum more, qui Domum, vel minimam ædificantes, fundamentum aliquod, cui vniuerſum firmiter hæreat ædificium, primo loco iacere conantur, nobis ad eorum, quę tradenda ſunt, robur, & firmitatem, illuſtrioremque cognitionem ſequenti poſitione, tanquam Baſi, & fundamento non ſolum cognitionis naturæ Iubilæi, Verum etiam totius eiuſdem tractationis, ante omnia vtendum erit.

Leuit. 25. Præceptum à Deo Iudæis datum de ſabbato 1. de ſeptimo anno celebrando.

Exodi. 23.

Deut. 15. Lyran. Abulen.

Posɪᴛɪo autē ea eſt, quod Dominus Moyſi, & filijs Iſrael (in memoriam illius maximi beneficij, quo Populum Iſraeliticum à terra ſeruitutis Ægypti in Terram promiſſionis induxit) ſtatuit, vt legitur Leuitici 25. vt cum terram promiſſam eſſent ingreſſi, duo obſeruarent pręcepta. Primum, quod Populus ſabbatizaret Domino ſabbatum ſeptimi Anni, ideſt, quod ſabbatum Terræ ſic nuncupatum quolibet ſeptimo anno celebrarent, quo tempore nec terram colere, nec Vineam putare licebat, ex qua requie, & quiete Terrę, ſabbatum Terræ, & requietionis Domini, annus ſeptimus appellabatur. *Septimo autem anno* (*ſabbatum erit terræ*, inquit textus) *requietionis Domini. Agrum non ſeres, & Vineam non putabis*. Quod idem Exodi 23. habetur. *Sex annis ſeminabis terram tuam, anno autem ſeptimo dimittes eam & requieſcere facies*; In quo etiam anno vera remiſſio debitorum fiebat, vt habetur Deuter. 15. *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur, &c.* Quod tamen intelligebatur de impotentibus ſoluere, vt Nicolaus de Lira, & Abulenſis adnotarunt, & de Iudæo nato dumtaxat, non de conuerſo ex gentilibus, vel alijs, horum enim debita manebant, ſicut ſeruitus perpetua; licet eſſent conuerſi, vt ex eodem loco colligitur. Alterum eſt, quod Annum quinquageſimum ab egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto computandum ſanctificarent, & celebrarent, ita quod quicunq; annus, qui primus ſeptem annorum hæbdomadas, quę quadraginta nouem annos cōficiūt, inſequeretur, hoc eſt quinquageſimus, filijs Iſrael celeberrimus eſſet, & ex tunc de quinquageſimo in quinquageſimū obſeruaretur, & quoniam in eodē anno quinquageſimo maximè, atq; ampliſſimę remiſſiones, & dimiſſiones, pręcepto Diuino fiebāt vocatus eſt à Dño Deo annus ille, annus remiſſionis, & Iubilæi, *ſantificabis*, inquit, *annū quinquageſimū, & vocabis remiſſionē cunctis habitatoribus Terræ tuæ, ipſe eſt enim Iubilæus*.

Præceptū de celebratione anni quinquageſimi.

Quid ſit Iubilæus.

Hoc ſuppoſito, facile eſt explicare, quid ſit Iubilæus, & quid ſit annus Iubilæi. Etenim Iubilæus ex Diuino oraculo nil aliud eſt, quàm remiſſio, liberatio, libertas, ſeu dimiſſio quædam generaliſſima, quæ apud hebræos erat captiuorum ſeruorum, hæreditatum, ac poſſeſſionum, quæ ad priores Dominos reuoluebantur. Annus autem Iubilæi, eſt Annus, ſeu tempus illud, in quo huiuſmodi, vel aliæ remiſſiones, immunitates, exemptiones, elargitiones, condonationes, gratiæ, ſeu veniæ exhibentur, quod apud Iudæos erat annus quilibet quinquageſimus, ita in lege veteri à Deo determinatus.

Quid ſit annus Iubilæi.

Num. vlt.

Sic definitur annus Iubilæi in ſcriptura Num. vlt. in illis verbis; *Atque ita fiet, vt cum Iubilæus, ideſt quinquageſimus annus remiſſionis aduenerit, &c.* Idemquoque deprehenditur ex cap. 27. Leuitici 25. & ex Paraphraſi Chaldaica quę ſic habet: *Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis libertatem in terra cunctis habitatoribus eius*. Eamdem Iubilæi definitionem tradit Iſidorus lib. 4. Ethymo. cap. 9. *Iubilæus*, inquit, *interpretatur remiſſionis annus, eſt enim hæbraicus, & ſermo, & numerus, qui ſeptenis annorum hæbdomadibus, ideſt quadraginta nouem annis texitur, in quo clangebantur tubis, & ad omnes reuertebatur antiqua poſſeſſio, debita abſoluebantur, confirmabantur libertates*, Hæc Iſidorus; eandem definitionem tradunt, Papias, & Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ ſuper cap. 14. Geneſis, & D. Hieron. in cap. 5. Amos illis verbis: *Septem hæbdomades complens numerum Sanctæ Pentecoſtes, & Iubilæus annus remiſſionis tubarumque clangentium hoc numero texitur*, & tom. 3. Epiſto. Epiſt. 127. ad Fabiolā, *Manſione* 11. *Quinquageſimo die vero anno Iubilæi, & vero anno remiſſionis, &c.*

Paraphraſis Chaldaica Leuitici 25.

Iſidorus.

Papias.

Mag. hiſt. ſch.

D. Hyeron.

Idem

Idem habet D. Ambroſius, tom.2.in Pſal.50.tractans de myſterio illius numeri; *Quinquageſimus*, inquit, *numerus remiſſionis eſt, ſicut in Euangelio, Dominus ipſe nos docuit, dicens; duo debitores erant cuidam fœneratori, Vnus debebat denarios quingentos, Alius quinquaginta, non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque, quis ergo eum plus diligit? & in lege habes, quia Iubilaus dicitur numerus quinquaginta annorum, recurſus, celebrabilis admodum, quo debita vacuantur, confirmantur hebræorum libertates, poſſeſſionum refuſiones.* Hæc Ambroſius.

D. Ambroſ.

RVPERTVS Abbas lib. 2. in Leuiticũ cap. 37.& lib.2. Commentariorum in Ezechielem, cap.11. *Iubilaus*, inquit, *remiſſionis eſt annus*, & vt alios hic omittam, quos tamen paulo poſt citabimus; eandem definitionem habet Gloſſa interlinearis, Exodi 27.& Leuitici 25. & Iſychius eodem in loco, & Radulphus Flauiacenſis lib. 18. in Leuiticum cap. 3. de qua re legendus eſt Albericus in ſuo Dictionario, & Hieronymus Lauretus in ſua Sylua Allegoriarum. vterq; in vocabulo, Iubilæus.

Ruper. Gloſ. interlin. Iſychius. Radulphus Flauiac. Albericus. Hyeron. Lauretus.

SVNT aliqui, qui exiſtimant in definitione Iubilæi, non ſolum remiſſionis, ſed etiam quietis rationem, ſeù nomen apponi debere; quandoquidem annus Iubilæi, non ſolum annus remiſſionis; verumetiam requietionis Terræ à labore, & cultura, in ſcriptura Leuitici 25. dicitur, ita habet Gloſſa ordinaria, & interlinearis in 27.cap. Exodi, & Gregorius Naziãzenus in oratione 44. in ſanctam Pentecoſten, in initio, illis verbis. *Annorum autem ſeptimana, pariunt Iubilaum, annum, ſicut ipſi nominant, aquè tùm terra remiſſionem, tùm ſeruorum manumiſſionem obtinentem, & Prædiorum emptores poſſeſſione ſua excedere cogentem*,

ad Iubilæum pertinet etiã ratio quietis. Gloſ. ordin. Nazianzen.

BEDA tom.4. lib.2. de Tabernaculo, cap.2. verſus finẽ *Legimus*, inquit, *quinquageſimum annum in lege, Iubilaum hoc eſt dimittentem, ſiue initiatum, iuſſum eſſe vocari, in quo omnis populus ab vniuerſo labore Terra quieſceret, & omnium debita ſolui deberent.* Idem quoq; docet in præcitato 25. cap. Leuitici, atque etiam Lyranus ibidem.

Beda. Lyranus.

SVNT etiam alij, qui non ſolum rationem quietis, ſed etiam Iubilationis, & lætitiæ. Iubilæi definitioni addendam eſſe aſſerant, vt inter ceteros Petrus Bercorius in ſuo Dictionario, verbo Iubilæus; & Nauarus in §. in Leuitico cap. ſi quis, de pœnitentia diſt. 1. not. 4. num. 3. Verum, & ſi demus in anno Iubilæo hæbreorum, requiem terræ à cultura, & labore, conceſſam fuiſſe (quod paulo poſt exactius diſputabimus;) id tamen propriam rationem, vel definitionem Iubilæi haud quaquam ingredi aſſerimus: cum Iubilæus in ſuo proprio, & formali conceptu, præciſe ſit remiſſio, vt dictum eſt; niſi etiam dicamus, huiuſmodi requiem Terræ ſub nomine remiſſionis comprehẽdi; quies enim illa nil aliud ſonare, & referre videtur, quam remiſſionem laboris erga terram, vel clarius dimiſſionem culturæ ipſiuſmet Terræ, vt perſpicuè colligitur ex 23. cap. Exodi, in illis verbis, *Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies.* Ratio autem Iubilationis, vel Lætitiæ accidit Iubilæo, nec eius quiditatiuum conceptum ingreditur; ſed vt quid extrinſecum, & conſequens ad illum ſe habet, quod inferius fusè à nobis explicabitur.

Rationem Iubilationis addendam eſſe definitioni Iubilæi, ſecundum aliquos. Berchorius. Nauarrus. Quies & iubilatio quò ad rationem Iubilæi ſpectare poſſint ex ſententia Auctoris.

SED an tempore Iubilæi præceptum habuiſſent Iudæi de non colenda terra, Dubium non leue eſt, inter Doctores. Nonnulli, alioquin Viri doctiſſimi, exiſtimarunt ex contextu Sacræ ſcripturæ, id non colligi, immò haberi contrarium, ſi enim anno quinquageſimo, terra non colebatur, tunc neceſſario ob annum Iubilæi per duos annos terra quieſcebat, quod contra ſcripturam eſſe videtur, cùm dicatur Leuitici 25. quod Anno octauo fas erat ſeminare; *ſeretiſque anno octauo, & comedetis veteres fruges, vſque ad nonum annum*; quod in Iubilæo non eſſet verum. Quid? quod non pro tribus annis, ſed pro quatuor annis debuiſſet Dominus in anno ſexto fructus dare; videlicet pro ſexto pro ſeptimo, qui erat quinquageſimus nonus, item pro quinquageſimo, qui erat octauus, & Iubilæus, atque etiam pro nono, cùm in præcedenti octauo anno, ratione ſanctificationis Iubilæi, culta terra non fuiſſet, quæ omnia videntur contra ſcripturam, quæ dicit. *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum*; Vnde inferunt præfati Auctores, quorum nominibus honoris gratia parco, nec annum Iubilæi in Sacra ſcriptura appellari ſabbatum, nec a nobis eadem appellatione decorandum eſſe.

An Iudæi in anno quinquageſimo, iuſſi fuerint terrã nequaquam colere. Id ex ſcriptura non colligi ſecundum aliquos.

Lyran.
Abulen.
Duæ opiniones circa initium,& computationem anni quinquageſimi.
Vgo Cardin.

NICOLAVS de Lira,loco citato,in Leuiticum,& Abulenſis eodem cap.25.Leuitici q.6.de initio,& computatione anni Iubilæi,vel quinquageſimi,referunt,duplicem eſſe, tam apud hæbræos, quam apud Latinos opinionem.

Exiſtimarunt enim aliqui,vt Hugo Cardinalis in 25.cap. Leuit.quod annus Iubilæus,erat vltimus annus huius numeri,ſcilicet quadrageſimi noni, dicebatur tamen quinquageſimus, reſpectu præcedentis Iubilæi incluſiuè, & ſecundum hos, annus Iubilæus erat idem cum anno ſeptimo remiſſionis,hæbdomadæ vltimę annorum prædictorum.

Flauiacenſis.

RADVLPHVS Flauiacẽſis lib.18.in Leuiticum cap.3.agens de Iubilęo in eadem eſt ſententia ſic ſcribens; *Quod verò quinquageſimum eum dicit,quærendum eſt,quomodo ſit intelligendum.Nam ſeptem ſeptimanas annorum numerari præcepit,quæ quadraginta nouem faciunt annos cùm verò nullum dixerit addendum,dubitatur, quem velit intelligi quinquageſimum;ſi enim aliquis,hoc ſub intelligendum aſſerat, quod in litera non aperitur,& cùm quadraginta nouem, vnum ſuperadijciendum, qui quinquageſimus numeretur;ſequitur vt duos concedamus vocationis fuiſſe annos ſibi coniunctos,ſeptimum vltimæ ſeptimanæ,& quinquageſimum, qui ſtatim adijciendus erit, quod in lege nuſquam reperitur. Vnde videtur quod idem quinquageſimus dictus ſit,quod & vltimæ ſeptimanæ,ſeptimus erat, à præcedenti videlicet Iubilæo ſuæ computationis initium ſumens.* Quod idem repetit in cap. 5. eiuſdem libri, iuxta quem modum dicendi res, nullam haberet difficultatem; ratione enim coincidentiæ anni Iubilæi cum anno ſeptimo, currebat eo tempore præceptum de non colenda terra.

Alij dixerunt, quòd annus Iubilæus erat annus immediatè ſequens annos quadraginta nouem prędictos, & ſic erat quinquageſimus à præcedenti Iubilæo excluſiuè; & ſecundum hos, annus Iubilęus erat immediatè ſequens annum ſeptimum vltimę hæbdomadę,*& tunc*,inquit Liranus,*erant duo anni ſibi ſuccedentes immediatè,in quibus terra quieſcebat,ita quòd non colebatur, nec ſeminabatur*; Et quamuis addat, quòd vtrique opinioni poſſit litera de facili accommodari; nihilominus hæc ſecunda opinio nobis correſpondere textui magis videtur. Quemadmodum enim quinquageſimus dies Pentecoſtes cõputatur à prima die Feſti Paſchalis excluſiuè, in memoriam beneficij exhibitæ legis, quæ quinquageſima die ab egreſſu de Ægypto filiorum Iſrael, die egreſſus excluſo, data fuit, vt Exodi 19.& Leuitici 23. ab eodem Lirano demonſtratur,ita quoque quinquegeſimus annus Iubilæi, expletis plenè ſeptem hæbdomadibus annorum,ritè computandus erit.

Exo. 19.
Leuit. 23.

Argumenta pro hac opinione ex Abulen.

ABVLENSIS loco citato, in Leuiticum,plures rationes affert, quibus hãc opinionem efficaciter probat. Prima eſt; quia ſecundùm aliam prædictam opinionem, non erat annus quinquageſimus Iubilæus, ſed annus quadrageſimus nonus,cùm in fine ſeptem hæbdomadarum annorum fieret Iubilæus, & in fine erat Iubilæus, ſcilicet in vltimo anno. Item(& eſt ſecunda ratio)ſi aliquis dicat,quod hoc modo computando,annus Iubilæus erat quinquageſimus, quia computabatur incluſiuè cum Iubilæo prędecenti, non poteſt ſtare,quia tunc neceſſe eſſet,vt quilibet annus Iubilæi bis computaretur, quòd repugnat rationi numeri; nam in numeris continuis, nunquam idem numerus bis aſſumitur, aut nunquàm eadem vnitas computatur in numero præcedenti, & ſubſequenti,quia tunc minor eſſet numerus,quàm denominaretur & hoc non conuenit. Præterea(& eſt tertia ratio)quia hoc modo, non diuideretur totum tempus per quinquagenarios annorum, ſed per quadragenarios,& nouenarios,quod falſum eſt;quia Iubilæus, vocatur annus quinquageſimus, ergo cùm totũ tempus Iudæorum diuidatur per Iubilæos, ſicut illud diuidit Euſebius in Chronicis, & Iubilęus ſit quinquageſimus annus,neceſſariũ eſt, quod diuidatur totum tempus Iudæorum per quinquagenarios annorum. Et hoc ſatis ſignificat litera,cum dicat;*numerabis ſeptem hæbdomadas,&c.* Sic Abulenſis docet.

Caietan. 70. interpr.
Sanctes Pagnin.
Annus quinquageſimus diſtinctè numeratur a quadrageſimo nono,neque coincidit cum anno ſeptimo,in quo terræ cultura ceſſabat.

Hoc ipſum copioſiſſimè Caietanus in eumdem locum Leuitici demonſtrat, & ſentit. Quod etiam ex lectione ſeptuaginta Interpretum, & Sanctis Pagnini comprobari ſuo loco demonſtrabimus. Nunc illud pro certo ponatur. Annum quinquageſimum,diſtinctum eſſe in computatione à quadrageſimo nono,nec vſquam

cum

cum anno ſeptimo Hæbręis coincidiſſe, in quo profectò à terræ cultura, etiam abſtinendum erat, cùm dicat textus Leuitici (verba de Iubilæo faciens;) *non ſeretis, neque metetis, ſponte in Agro naſcentia, & primitias vindemiæ, non colligetis*, (ſupple reponendo in vſum proprium, ut habet Interlinearis) *ob ſanctificationem Iubilæi*: quod ſanè non fuiſſet repetendum, ſaltem ratione ſanctificationis anni Iubilęi, ſi hic annus idem erat cum quadrageſimo nono, qui erat ſeptimus, vt optimè adnotarunt, Abulenſis eadem quęſtione ſexta, & Caietanus loco præcitato. Ex illa enim noua Indictione quietis apparet, inquit Caietanus, quod diximus; annum Iubilæi non eſſe ſeptimum annum ſeptimæ annorum hębdomadæ, ſuperfluè enim indicta fuiſſet iterum quies terræ, pro eodem anno ob ſanctificationem Iubilęi. Nec in illo, ſicut ēt in anno ſeptimo, ab omni opere ſeruili debebant Hębræi abſtinere, & vacare toto anno Deo, tùm quia id impoſſibile erat integro anno, tum ēt quia litera Leuitici Sabbatum terræ, appellat annum ſeptimum, qđ in illo non coleretur terra, & ſic quaſi quieſcebat, alia uerò opera licita erant, qđ idem de Iubilæo ſentiēdum eſt.

Abulenſ.

Caietan.

Ex quo ſequitur, annum Iubilæi, rectè quoq; appellari poſſe Sabbatum, quod ex eodem textu Leuitici non obſcurè colligitur, dum inibi ob ſanctificationem Iubilæi inhibetur, & ſuſpenditur eo anno cultura terræ, qua ex parte Iubilęus a Beda loco citato, & Caſſiodoro in Pſal. 50. alijſque Patribus dicitur quies, vel requies. Quo in loco illud notatione dignum eſt, apud Hębręos plura fuiſſe Sabbata, videlicet Sabbatum dierum in ſeptima die hębdomadæ, ut habetur Exodi 16. 20. 31. Leuitici 16. 19. 23. 24. Numerorum 28. & alibi in ſcripturis, & hoc Sabbatum appellabatur Sabbatum perſonarum, quoniam ab omni opere etiam non ſeruili ceſſare debebant. Amplius ipſamet dies Paſchæ, Sabbatum nuncupabatur, ut uidere eſt Leuitici 23. quod ibidem Lyranus adnotauit. Præterea erat apud illos Sabbatū hębdomadarum dierum; ideſt ipſa dies Pentecoſtes, ut eodem loco Leuitici; Enumeratis enim ſeptē hębdomadibus plenè a die Paſchæ excluſiuè, conſequens quinquageſimus dies appellabatur, Sabbatum, ideſt dies Pentecoſtes, in quo ab omni opere ſeruili quieſcendum erat. Habebant deinde Sabbatum menſium, qui erat ſeptimus menſis, de quo Leuitici eodem cap. dicitur: *Menſe ſeptimo, prima dies menſis erit uobis Sabbatum memoriale*, &c.

Annus Iubilęi Sabbatum rectè appellari poteſt.
Beda.
Caſſiodorus.
Plura Sabbata apud Hebręos fuerūt.
Exod. 16. 20. 31.
Leuit. 16. 19. 23. 24.
Num. 28.
Leuit. 23.
Lyranus.

Et quamuis toto menſe quies non eſſet pręcepta, ea tamen obſeruabatur in multis feſtis eodem menſe, certo tamen die incidentibus, puta expiationis die decima, quod feſtum dicebatur Sabbatum requietionis, atq; etiam decimaquinta die erat feſtum tabernaculorum, quod licet per octo dies celebraretur; nihilominus die primo, & octauo dumtaxat, erat Sabbatum, & requies. Inſuper habebant Hębræi Sabbatum annorum; ideſt ſeptimum annum, qui ut dictum eſt, Sabbatum terrarum, Leuitici citato capite nuncupatur, *Septimo anno, Sabbatum erit terræ*. Poſtrēmo erat apud illos Sabbatū hębdomadarū annorū, ideſt quinquageſimus annus immediatè ſuccedēs annis ſepties ſeptem, hoc eſt quadraginta nouem, qui annus eadem rōne, qua ſeptimus, dēt Sabbatū appellari, cū in utroque ab agricultura ceſſaretur.

Addit D. Ambroſius lib. 8. Comment. in Lucam cap. 17. quòd ne dum annorum, ſed etiam generationum, atque etiam ipſius mundi eſt Sabbatum dare, cuius typus eſt Sabbatum magnum anni Iubilæi, Verba Ambroſij ſunt hæc, exponentis ſententiam illam: *Si ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi; Num uenia*, inquit, *numerus præfinitur? An uerò quia cum ſeptimo die requieuerit Deus ab omnibus operibus ſuis, poſt hebdomadam iſtius mundi, quies nobis diuturna promittitur, vt quemadmodum mala iſtius mundi ceſſabunt, ita etiam vindictæ ſeueritas conquieſcat? Sabbatum autem, non ſolum dierum, ſed etiam menſium eſt, & ideo ſeptimi menſis, decima die, Sabbata Sabbatorum. Nec ſolum menſium, ſed annorum quoque, neque annorum tantum, ſed etiam generationum. Poſtremo ipſius mundi, cuius typus eſt Sabbatum magnum, ſicut in lege, eſt hebdomada ſeptima, poſt quam celebratur annus Iubilæus*, & paulò inferius. *Quòd ſi Iudæi Sabbatum, ita celebrant, ut ad menſem, & annum totum, quaſi Sabbatum habeant; quanto magis nos Reſurrectionem Domini celebrare debemus, &c.* Hactenus Ambroſius.

D. Ambroſ.

Iſa. 66. Iubilæus nomine Sabbati ſignificatur ex Piētino, ſed male.

Annus Iubilæi liber erat a terræ cultura ex D. Ambroſ.

Poſtillator.

Pererius.

Ab Autūno ſumebatur initiū anni ſeptimi,& quinquageſimi.

Angelvs Pientinus lib.4.de ſacro Iubilæo cap.ultimo,arbitratus eſt Iubilæum nomine Sabbati ſignificari illis uerbis Eſaiæ 66. *Erit Sabbatum ex Sabbato*, quæ tamen uerba de omni feſto Iudæorum intelligenda eſſe, Doctores communiter exponunt. Verum ex uerbis Ambroſij relatis, & ex alijs a nobis ſuperius adductis, liquidum fit,annum Iubilæi,eo quòd & requies,& Sabbatum ritè dicatur,a cultura terræ liberum, & immunem fuiſſe. Nec negocium facit argumentum illud de anno octauo,uel quod concedendum eſſet, per quatuor ſubſequentes annos quieſcendum fuiſſe,quòd uidetur cōtra ſcripturam. Nam,ut optimè adnotarunt multi uiri doctiſſimi, vt Poſtillator ſuper cap. 12. Exodi in prima additione,& Benedictus Pererius in cōment.in Geneſim li. 1. in diſputatione, An mundus uerno tempore fuerit conditus,initiū anni ſeptimi,& quinquageſimi;qui erat Iubilęi,neceſſariò ſumendū,& computandū erat ab Autumno,alioquin,ſi a uerno tempore ſumptum eſſet,neceſſarium utique fuiſſet,ut fruges,& prouentus terræ ſexti anni,quę menſe Niſan in Palęſtina matura non erant ad meſſem, prorſus perirent, quod eſt contra diuinam ſcripturam, qua Deus pollicetur propter requiem ſeptimi anni daturum ſe triplicatum prouentum frugum, ſcilicet pro ſexto, ſeptimo, & octauo anno. Hæc Pererius. Ex cuius ratione atq; etiam ex alijs,quas tertio libro,in quo iterum de hac re redibit ſermo,adducemus: Ponendum eſt,exordium anni Iubilęi fuiſſe Hębræis a menſe Septembris anni (exempli gratia) quadrageſiminoni. Ab hoc enim menſe, qui tamen ob Lunares circulationes iuxta Iudaicum morem partem Septembris,& partem Octobris includebat, Annus ſanctificationis,vel quinquageſimus,& Iubilæus currebat, qui complebatur in altero ſimili menſe Septembris,ſubſequentis anni, puta in Septembri anni quinquageſimi, & tunc expirabat annus remiſſionis, & Iubilæi. Vnde in proximo Autumno,& Hyeme,(qui Autumnus, erat pars octaui anni reſpectu ſeptimi, nequaquam tamen erat pars celebritatis anni quinquageſimi, uel Iubilæi) licebat ſeminare. Quocirca concedendum eſt,quod per duos annos immediatè ſubſequentes quieſcebat terra. Concedendum quoque eſt,quòd in octauo ſeminandū erat, ideſt in Autumno anni quinquageſimi, qui, ut dictum eſt, non erat pars anni Iubilæi. Atque etiam,quòd anno ſexto trium annorum prouentus Dei benignitas hominibus concedebat. Et denique quod ex prouentibus triplicatis anni ſexti, uſque ad nouas fruges comedendum erat.

Quo menſe apud Iudæos inciperet annus Iubilæi. Sentētia Auctoris.

Abulenſis opinio.

Abvlensis eodem loco, Leuitici q. 17. ultro concedit, quòd non ſolū in anno ſeptimo remiſſionis, ſed etiam in quinquageſimo, qui immediatè ſequebatur, & erat Iubilæus, terra nec ſereretur, nec meteretur, & quod Dominus, qui prouidebat pro anno uno,uel duobus, prouidere etiam poterat pro tribus; nam qui unum faciebat miraculum,poterat facere plura,cum non ſit hoc,quàm illud maioris potentiæ. Et dicit,quòd Deus dicitur daturus fruges triū annorum, quia accipiuntur anni per ſynecdochem,partes uidelicet annorum, pro ipſis annis totalibus, ita ut dicamus, unum annum eſſe partem anni ſexti a collectione frugum, uſque ad annum ſeptimum ſequentem,& ſeptimum annum, qui integer eſt, dicamus eſſe aliū annum; deinde partem primi anni, uocabimus tertium annum, ſcilicet uſque ad collectionem fructuum terræ; quemadmodum etiam per ſynecdochem accipitur illud ſcripturæ, Matthæi 12. & Ionæ 3. de Chriſto,& Iona,quod fuerint hic in uentre Cœti,& ille in uentre terræ, tribus diebus, & tribus noctibus. In tempore autem Iubilæi erant plures anni, pro quibus Deus deberet dare fructum in anno ſexto, ſcilicet tres anni integri,qui ſecundum morem ſcripturæ,uocarentur quatuor anni per ſynecdochem, cum deberent eſſe fructus pro anno ſexto, & deindè pro anno ſeptimo,qui erat quadrageſimus nonus, præcedens Iubilæum, & etiam pro anno ſubſequenti quinquageſimo, qui erat annus Iubilæi, in quo nihil licebat ſerere,aut metere. Atque etiam debebant eſſe fructus pro anno ſequenti poſt Iubilæum,uſque ad tempus, quo illa, quæ ſerebantur in anno illo colligerentur, & ſic erant duo anni dimidij ſcilicet annus ante annum remiſſionis, & annus ſequens poſt Iubilæum,ſed ſicut Deus in alijs annis prouidebat dans fructum trium anno-

Matth. 12.

Ionæ 3.

rum in

rum in anno ſexto, ita prouidebat tempore Iubilæi, dans fructum quatuor annorum.

Et addit, quod dicitur de quatuor annis ſine fructibus, intelligendum erat, accidere ſemper in ſeptimo ſeptennario annorum remiſſionis, ſecundum aliquorum opinionem, & tamen aliquando, ſaltem ſecundum ueritatem accidebat, licet non eſſet in quolibet, ſicut oſtenſum eſt quæſt. 6. eiuſdem cap. vbi docetur, & ſi à principio obſeruationis, tàm ſeptennarij anni quàm quinquageſimi, vterque annus cõputaretur ab eodem anno primo; Poſtea tamẽ primus annus computationis, non idem fuit in ſeptennario, & in Iubilæo. Nam primus Iubilæus annus erat etiam primus annus ſequentis ſeptennarij, non autem erat primus ſequentis Iubilæi, ſed primus in eo erát quinquageſimus primus, qui idem erat ſeptennarij ſequentis, primum Iubilæum. Idem clarius eadem quæſt. 17. exponens illa verba, *ſeretiſque an no octauo*, docet, quæ ſequuntur.

In iſto anno erat licitum ſerere, et colligere, ſicut in omnibus alijs annis, cùm ſolum vetitum fuiſſet hoc in anno ſeptimo, & tamen dicitur, quod non comedebãt de frugibus vſque ad nonum annum. In tempore autem Iubilæi addebatur annus vnus, quoniam annus Iubilęi quando erat immediatus poſt annum remiſſionis, erat octauus, quamquam alio modo vocetur quinquageſimus; Nam vocatur quinquageſimus, reſpectu Iubilæi præcedentis: vocatur autem octauus, reſpectu anni ſeptimi remiſſionis, & in hoc non licebat ſerere, neque colligere ſicut nec licebat in anno ſeptimo, ſed ſerebatur in anno nono, & comedebantur fruges nouæ in anno decimo, *& comedetis fruges veteres vſque ad nonum annum*, ideſt habebitis de veteribus frugibus tantum, vt comedere poſſitis de illis, vſque ad annum nonum. Vocantur autem fruges veteres, illę, quæ colligebantur in anno ſecũdo, & de iſtis comedebatur vſque ad annum nonum, non quidem vſque ad principium anni noni, ſed vſque ad perfectam collectionem frugum anni octaui. Secũdum tamen vulgares computatur annus ſequens poſt collectionem frugum cuius libet anni. Vnde collectis frugibus anni octaui incipiũt vocare annum nonum. Et patet, quod iſta ſit intentio Literæ, quia dicitur; *donec noua naſcantur, comedetis vetera*; ideſt ſemper habebitis de frugibus anni ſexti, quouſque venient nouæ fruges, quas edetis. Hæc ex Toſtato.

CAIETANVS, explicãs illa verba; *Quod ſi dixeritis, qd comedemus anno ſeptimo, &c. Similem, proportionaliter* (inquit) *benedictionem intellige pro anno Iubilæi, eo quòd duobus continuis annis terra tunc quieſcebat*. Verũ de hac re ſatis ſuperque hoc loco dictum eſt. Definitionem itaque Iubilæi in genere tradidimus, necnon remiſſionem, vel dimiſſionem etiam erga ipſam terram apud Hebræos comprehendere demonſtrauimus; quid verò ſit Eccleſiaſticus Iubilæus in Eccleſia catholica inferius dicemus, nunc diuerſitas ſpecierum Iubilæi perueſtiganda eſt. Caietani expoſitio.

CAPVT SECVNDVM.

De Diuiſione Iubilæi in varias ſpecies.

DISTINGVENDAE ſunt nobis in hoc capite ſpecies multiplices Iubilæi, quò illam, de qua fuſius, & proprius agendum erit, indicemus, & deſignemus. Diximus Iubilęum generaliter ſumptum, eſſe remiſſionẽ, & liberationem quamdam. Quot igitur erunt ſpecies, & differentiæ remiſſionum, & liberationum, tot quoque erunt ſpecies Iubilæi. Quatuor autem in ſacra pagina reperiuntur ſpecies remiſſionum, quæ ad rem noſtram faciunt. Leu. 25. & 27. Enumerãtur quatuor remiſſionũ ſpecies ex Sacris Scripturis.

PRIMA eſt, quę legitur Leuitici 25. & 27. quando videlicet, vt dictum eſt, ſerui ex filijs Iſrael manumittebantur; obligationum, debitorumque remiſſio ampliſſima fiebat, hæreditates longo interuallo temporis confuſæ ad tribum, cui ſorte contigerant in funiculo diſtributionis, integrę redibant; poſſeſſiones ad priſtinos Domi- Prima apud Iudæos in anno Iubilæi.

nos

nos reuertebantur, neque enim licebat vendere vel emere immobilia Hębręis, niſi ea lege, vt inſtante Iubilæo illico ad priſtinum poſſeſſorem redirent. Vſuræ quoque reſcindebantur, denique terræ per annum remiſſio concedebatur, ita vt ab aratro, ac plantatione intacta omnino relinqueretur.

Huiuſmodi remiſſiones rerum temporalium, & caducarum quinquageſimo quoque anno Hæbræis liberaliſſimè diuina inſtitutione cōcedebantur. Annus verò ille per antonomaſiam, & excellentiam, Iubilæus annus eſt appellatus, qui & Sanctitate, & priuilegijs maximus, & celeberrimus apud Hæbręos fuit.

Nazian. GREGORIVS Nazianzenus oratione 44. ferè in principio, de illo ſic ſcribit; *Septēnarium numerum ex legis Moſaicæ præſcripto Hæbræi in honore habent, quemadmodum poſtea Pythagorei quaternarium, per quem etiam iurare conſueuerant, atque octonarium, & tricenarium Simoniani, ac Marcioniſtæ, quibus etiam, & parem æonum numerum aſſignant; & quidem qua proportionis ratione, aut propter quam huius numeri vim, ac potentiam eum in precio habeant, haud ſcio, ſed tamen habent. Quanquam ea perſpicua cauſa afferri poteſt. Quod cum Deus ſex dierum ſpatio materiam produxiſſet, & informaſſet, atque omnis generis ſpeciebus, & commixtionibus exornaſſet, mundumque hunc, quem nunc cernimus, condidiſſet; ſeptimo die ab operibus conquieuit, velut ipſum quoque ſabbati nomē indicat, quietem Hæbræa lingua ſignificans. Quodſi circa hæc ſublimior, quædam eſt ratio; alij eam explicent. Porro hic honor apud eos non in diebus tantum eſt, ſed ad annos quoque porrigitur, ac dierum quidem honor ſabbatum eſt, hoc inquam, quod apud illos in perpetuo honore eſt, cui etiam fermenti ſublatio, atque ſubmotio, pari dierum numero reſpondet. Annorum autem honor, ſeptennarius ille remiſſionis annus. Nec verò in habdomadis ſolum, ſed etiam in habdomadarum habdomadis, in diebus iuxta, atque annis: Enimuero dierum habdomades, Pentecoſten pariunt, ſanctum diem apud illos nuncupatum; Annorum autem ſeptimana Iubilæum annum, ſicut ipſi nominant, atque tùm terræ remiſſionem, tùm ſeruorum manumiſſionem obtinentem, & Prædiorum emptores poſſeſſione ſua excedere cogentem; Nam hæc natio non modo frugum; & primogenitorum, ſed dierum etiam; & annorum primitias Deo conſecrat;* & alia in hanc ſententiam.

Catena Grȩcorum. CATENA Græcorum in Pentateucum, Iubilæi feſtiuitatem, & celebritatem ſummopere his verbis extollit; *Erat*, inquit, *apud hebræos ſeptimus quiſque annus ſacer, & ſanctus; à ſeptem verò habdomadis annorum; ideſt poſt annos quadraginta nouem, is, qui primus octauus ſuccedebat, maxima omnium religione celebrabatur: Omnia typus erat huius ſæculi, quod per habdomadas circumagitur, & futuri quando dimittetur omne debitum, nulluſque non liber erit in antiquam patriam reuerſus, vbi nihil proprium, caput omnis noſtræ iniuſtitiæ, ſed omnia omnibus communia.* Hæc ex Catena.

Beda. BEDA tomo 7. Homilia in die ſanctę Pentecoſtes verſus finem de laudibus Iubilæi, hæc ſcribit. *Quia verò quinquageſimus annus in lege Iubilæus, ideſt dimittens, ſiuè mutatus appellari iuſſus eſt, in quo populus ab omni operatione quieſceret, omnium debita laxaret, ſerui liberi redirent, annus ipſe maioribus ſolemnijs, ac laudibus diuinis eminentior cæteris exiſteret, merito per hunc numerum, illa ſumma pacis tranquillitas indicatur.* Hęc Beda.

Secūda remiſſio eſt a Chriſto Domino per ſuum ſanguinem exhibita. SECVNDA ſpecies remiſſionis, & Iubilęi eſt ipſamet redemptio, & liberatio, quà Chriſtus Dominus à poteſtate ſatanæ per proprium ſanguinem nos redemit, & à ſeruitute, iugoque peccati ereptis, reſtituit nobis hæreditatem immarceſcibilem, incōtaminatam, conſeruatam in Cælis, de qua dicitur Apocalipſis 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & Populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum*, & ad Galatas 4. *Nō ſumus Ancillæ filij; ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit*; & ad Epheſios 1. *in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius*; & in compluribus alijs locis ſcripturæ. Et huiuſmodi redemptio eſt verè Iubilæus, ideſt remiſſio, & liberatio generis humani à peccatis, facta per Chriſti ſanguinem, cuius fuit figura, & prænuncia illa liberatio veteris teſtamenti. De hoc Iubilæo, apertiſſimè loquitur Eſaias cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem*

Apoc. 5.

ad Epheſ. 1.

Iſai. 61.

pertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro; quem locum de ſeipſo ad literam explicans ipſemet Saluator, Lucæ 4. dixit, *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis*; ſuper quem locum D. Ambroſius lib. 4. comment. in Lucam ſic ait, *Quod igitur maius quærimus teſtimonium, quàm quod ſe fuiſſe, qui locutus eſt in Prophetis, propria voce ſignauit? Vngitur oleo ſpirituali, & virtute cæleſti, ut paupertatem conditionis humanæ theſauro reſurrectionis rigaret æterno, captiuitatem mentis auerteret, cæcitatem illuminaret, annum Domini perpetuis diffuſum temporibus prædicaret, qui redire in orbem laboris neſciat, & continuationem fructus hominibus, & quietis indulgeat*. & D. Hierony. præfatum locum Eſaiæ exponēs ita ſcribit, *Vnctus eſt igitur ſpiritu Sancto, vt annunciaret pauperibus, ſiue manſuetis, dicens eis; in Euangelio, Beati pauperes ſpiritu, quoniam eorum eſt regnum Cælorum, & beati mites, quoniam ipſi poßidebunt terram, & miſſus eſt ad ſanandos eos, qui corde contriti ſunt, & dicunt cor contritū, & humiliatum Deus non deſpiciet, ſiue iuxta Symachum, & Theodotionem; Ad alliganda vulnera peccatorum, prædicare captiuis remiſſionem, cæcis ut videant, vel clauſis apertionem; Quod manifeſte interpretatus eſt Symachus, vinctis ſolutionem. De quo imò ad quem ſupra dicitur. Ecce poſui te in Lucem gentium. Aperire oculos cæcorum, educere de vinculis alligatos, & de domo carceris, ſedentes in tenebris. Annū autem acceptabilem, & diem retributionis, omne prædicationis eius, quo in carne uerſatus eſt, tempus intellige. Quod & Apoſtolus Paulus, in primo ſaluatoris interpretatur aduentu dicens. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, de quo ſupra plenius diximus*. Hæc Hieronymus.

Luc. 4. — D. Ambroſ. — D. Hyeron. — Symmachus & Theodotio.

RVPERTVS Abbas per bellè eadem ferè repetit lib. 2. comment. in Eſaiam, cap. 24 explanans illa verba, *Spiritus Domini ſuper me, &c. Ad quid* inquit, *Ita ſpiritus Domini ſuper me; Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde. Bene ergo tanquam Columba venit ſuper me, quæ utique auis manſueta eſt, & pro cantu, gemitum ſolet edere. Manſuetum quippe ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer gemitu oſis, & contritis corde miſit me. Nec enim propter ſanos, & ſuperbos, ſed propter male habentes, & contritos corde, Medicum miſit me, nō propter iuſtos, ſed propter peccatores, & uirum dolorum, & ſcientem infirmitatem, virum mitem, & corde humilem fecit me, Vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, & annunciarem annum placabilem Domini, & diem vltionis Deo noſtro.* Rupertus.

Quibus captiuis, uel qua captiuitate captiuis indulgentiam, quibus, & ubi clauſis prædicarem apertionem; captiuis, inquit, peccati indulgentiam, clauſis inferni apertionem. Nā ex quo per vnum hominem peccatum in hunc mundum introiuit, & per peccatum mors, omnes homines captiui peccati, omnes homines clauſi ſunt mortis, ſed non omnes captiui indulgentiam, non omnes clauſi amant apertionem? quid igitur? vt annunciem, inquit annum placabilem Domini, & diem vltionis Deo noſtro.

Primò, annum placabilem Domini, Deinde diem vltionis. Annus quippe placabilis Domini iſte, eſt primus aduentus meus, quem annunciabo vobis, dicendo, ſpiritus Domini ſuper me, propter quòd vnxit me ſemel in vtero Virginis, & iterum in aquis Iordanis. Porrò dies vltionis, ſecundus aduentus meus erit, dies inquam, vltionis Deo noſtro ſuper eos, qui non quærunt indulgentiam, & apertionem; ſed amantes ſeruitutem peccati, currunt ad clauſtra mortis, ſurdis auribus contemnentes vocem, poſt tergum monentis, & dicentis; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cælorum; & multa alia dicit, in hanc ſententiam.

ET QVAMVIS tota vita Chriſti, qua ſecundum carnem, in terris conuerſatus eſt, annus remiſſionis, & Iubilæi nuncupari poſſit, vt ex præcitatis Patribus manifeſtū eſt, fuit enim Chriſtus in omni ſua actione redemptio, Iuſtitia, & Sanctificatio noſtra. Quo etiam nomine Chriſtus dicitur, Pſalmo 64. Corona anni benignitatis. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. Quem locum Nicetas apud Nazianzenum oratione 42. in Paſcha exponens ait.

Tota vita Chriſti dicitur annus remiſſionis. — Pſal. 64. — Nicetas.

A ſole quidem annus, ab anno autem, corona tranſumpta eſt, (quadripartitis enim temporibus)

poribus)circulus annic inct us eſt. A corona rurſus æqualitas, corona enim propter circulũ æqualis eſt; Corona itaque Chriſtus eſt, vtpotè credentium animos exornans, atque condecorans. Annus autem Benignitatis, tempus illud erat, quo Chriſtus bonitate motus, Euangelium promulgabat, quemadmodum de eo Eſaias, inquit, Euangelizare pauperibus miſit me, vocare annum Domini acceptabilem; ergo Corona omni ex parte ſibi æqualis eſt; etenim ſi quis lineam à ſuperna circumferentia ad inferiorem duxerit, ac rurſus tranſuerſim idem fecerit, æqualia interualla reperiet; ſimilis item ſibi corona eſt, quia omni ex parte, ſimilis ip ſius figura cernitur, undequaque enim rotunda cernitur. Proinde, & Chriſtus, quantùm ad humanitatem, benignitatis corona dicitur, vt ex omnibus virtutibus conflatus, nec vllum bonitatis, & Iuſtitiæ finem habens, cuius Iuſtitia propria eſt æqualitas; ideſt, vt neque excedat, neque deficiat. Hęc ille.

Remiſſio per Crucem facta antonomaſtice ann° remiſſionis appellatur.

ad Epheſ. 2.

Annvs igitũ benignitatis, & gratiæ curſus vitæ Chriſti ſine dubio fuit, qui ẽt dr̃. *Tẽpus acceptabile, & dies ſalutis;* Nihilominus redẽptio per ſanguinem in cruce effuſum, per antonomaſiam, & excellentiã, cùm illa, vt mediũ pręcipuum noſtræ ſalutis uolũtariè à Chriſto Dño acceptata, & exhibita fuerit, Iubilęi, & remiſſionis nomen ſibi iure optimo vendicauit, ſicut enim, inquit, Apoſtolus ad Epheſios 2. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnũ nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem his, qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum, ambo in vno ſpiritu ad patrẽ.*

ad Coloſſ. 1.

Et ad Coloſſẽſes. 1. dicit; *Per Chriſtum reconciliare omnia in ipſum, pacificãs per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt, & cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu, in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius, per mortem exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo;* & ita ſane effectum fuit, vt per Chriſti mortem homo, & a pœnis inferni & a peccati vinculis, & à morte æterna liber, & immunis pleniſſimè euaderet, quod Leuitici 14. in illa purgatione Leproſi ſapientiſſimè adumbratum fuit, in qua duo Paſſeres accipiebantur, quorum vnus occidebatur, alter verò aſperſus occiſi ſanguine, liber dimittebatur. Sic verè dicendũ eſt, quod ad hoc, vt lepra, ideſt peccatum, eiuſque debita, & ſeruitutes tollerentur, Duo Paſſeres, Chriſtus, & genus humanum conuenerunt, quorum vnus; ideſt Chriſtus occiſus eſt, alter verò, ſcilicet homo, dimiſſus, relaxatus, & liberatus, quod egregiè multis proſequitur Hugo de Sancto Victore Canonicus Regularis in ſuis quæſtionibus in Leuit.

Explicatio val de pulchra. Leuit. 14. circa leproſi purgationem, de remiſſione p Chriſtum facta in Cruce.

Vgo de Sancto Victore.

Locus Iſa. 63. de Anno Iubilæi. 70. interpr. Hyeron. D. Auguſtin. D. Hyeron. Ven. Beda. In eodẽ monte Chriſtus fuit crucifixus, in quo Abraham ſacrificare uoluit Iſaac filium ſuum.

De hoc die, & anno Iubilæi locutus eſt Eſaias cap. 63. *Dies enim,* inquit, *Retributionis venit eis, & annus redemptionis adeſt,* iuxta lectionem ſeptuaginta, vbi Hieronymus; *Annus redemptionis meæ venit, vt eo tempore, quo puniuntur Aduerſarij, Dei Populus liberetur, imò redimatur pretioſo ſanguine Agni, qui in Ioannis Apocalipſi dicitur trucidatus.* In figuram autem huius rei annotandum eſt cum D. Auguſt. in Ser. 71. de tempore; & Hierony. in Marc. cap. 15. ſi eius tamen ſunt illa commẽtaria, & Beda de locis ſanctis, cap. 2. Chriſtum Dominum crucifixum fuiſſe, in eodem monte, in quo Abraham filium ſuum Iſaac ſacrificare voluit; vice cuius aries, cuius cornu, vt multi affirmant, Iubilæo inſeruiebat, immolatus fuit, qui Chriſti humanitatem ibidem imolandam præmonſtrabat.

Tertia remiſſionis ſpecies in die Pentecoſtes exhibita.

D. Hylarius.

Tertia ſpecies remiſſionis, & Iubilæi, fuit remiſſio illa pleniſſima exhibita à Spiritu ſancto in die Sanctæ Pentecoſtes, in quo Apoſtolis, cæteriſque diſcipulis, eodem in loco exiſtentibus, facto de Cœlo repente ſonitu, ignis vibrante lumine viſibili ſpiritus Sancti miſſione, chariſmata diuinarum gratiarum, omnium peccatorum purgatione facta, cælitus communicata ſunt. Vnde D. Hylarius in Hymno dixit; *Patrata ſunt hæc miſticè. Paſcha, peracto tẽpore, ſacro dierum numero, quo lege fit remiſſio;* Quibus verbis ſignificatur, Pentecoſten, ideſt quinquageſimum diem illum, in quo data eſt remiſſio peccatorum Apoſtolis, quęque per eos alijs danda erat, per veterem anni Iubilæi remiſſionem ſignificatum fuiſſe.

D. Ambroſ.

D. Ambrosivs idem confirmat, tom. 2. in Pſal. 50. dicens; *Hunc numerum læti celebramus*

lebramus poſt Domini paſsionem, remiſſo culpa totius debito, chirographo quoque vacuato, ab omni nexu liberi, & ſuſcipimus aduenientem in nos gratiam Spiritus Sancti die Pentecoſtes vacante Ieiunio, Laus dicitur Deo, Halleluia cantatur. Hęc Ambroſius.

Beda.

Beda tom. 7. Homilia in die Sanctæ Pentecoſtes, magnum myſterium, & Sacramentum in ea re cognoſcens, ait: *Inter hac ſolerter intuendum eſt, quod non ſine magno myſterio, quinquagenarius numerus in datione, vel legis, vel gratiæ, obſeruatus eſt. Nam quinquageſimo die Paſcha, & illa in monte Populo data, & hac Diſcipulis in cœnaculo miſſa eſt, ſed hoc nimirum numero, perpetuitas futura quietis oſtenditur, in quo rectè, vel legis Decalogus mandatur, vel Spiritus Sancti gratia datur hominibus, vt apertè monſtraretur, quia quicunque diuina legis iuſſa, iuuante Spiritus Sancti gratia, perficiunt, ad veram profectò requiem tendunt.* Hæc Beda.

Pētecoſtes remiſſionem ſignificat. Nazian. Ambroſ.

Diem Pentecoſtes deſignare remiſſionem peccatorum, tam ratione ſeptenarij, quàm ratione Iubilęi, docet. D. Gregorius Nazianzenus tom. 1. oratione 44. & D. Ambroſius tom. 3. in Lucam, cap. 17. vbi dicit, quod; *Maiores tradidere nobis, Pentecoſtes, omnes quinquaginta dies, vt Paſcha, celebrandos, quia octaua hebdomadis initiū Pentecoſtem facit. Vnde, & Apoſtolus, quaſi Chriſti diſcipulus, qui ſciret diuerſitatem temporū, ſcribens ad Corinthios, apud vos, inquit, forſitan manebo, & hyemabo, & infra, manebo autem Epheſi, vſque ad Pentecoſten, Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, Itaque apud Corinthios hyemem agit, quorum erroribus angebatur, quod eorum circa Dei cultum frigeret affectus; Cum Epheſijs Pentecoſtem celebrat, atque his tradit myſteria, relaxat animum, quia fidei cernebat ardore feruentes, Ergo per hos quinquaginta dies ieiunium neſcit Eccleſia, ſicut Dominica, qua Dominus reſurrexit, & ſunt omnes dies tanquam Dominica.* Hæc Ambroſius.

Reliqua, quæ de hoc Iubilæo; ideſt remiſſione, & gratia diei Pentecoſtes dicenda eſſent, in cap. 6. ſecundi libri, reijcimus.

Iubilęus anni Sancti in Eccleſia quarta ſpecies eſt remiſſionis.

Qvarta ſpecies remiſſionis, & Iubilęi, eſt Iubilęus Eccleſiaſticus, quo vtitur Eccleſia catholica, ſpeciali quadam ratione, in Anno Sãcto, & eſt ſpecies quędam indulgentiæ ab alijs indulgentijs aliquo modo diſtincta, qua Romani Pontifices, anno ſacro vtuntur ad relaxationem, & remiſſionem pęnarum, quę pro noxis contractis debentur, poteſtque hunc in modum definiri.

Definitio Eccleſiaſtici Iubilæi.

Ivbilævs Eccleſiaſticus, eſt remiſſio pleniſſima totius pœnæ, non quidem ęternæ, ſed temporalis, peccatis iam condonatis debitę, non ui ſacramenti, ſed theſauri Eccleſiaſtici, Apoſtolica diſpenſatione, certo quodam tempore indulta, his, qui pręſcriptas Baſilicas confeſſi, & cõtriti perſonaliter deuotè viſitauerint; eſtque applicatio non per modum Sacramenti, ſed per modum ſatisfactionis illarum pœnarum, & paſſionum, quas Chriſtus Ieſus paſſus eſt, quibus etiam accedunt merita Beatę Marię ſemper Virginis, Martyrum, & omnium Sanctorum. Et de huiuſmodi condonatione, & remiſſione pœnarum loquębatur Apoſtolus, ſecunda Corinthiorum 2. dicẽs: *Si quid donaui vobis, in perſona Chriſti donaui vobis*, de qua re latius inferius, ſermo habebitur. Tempus verò Mõſes, dies, Annus, quo hęc vberrima pęnarum, & pœnitentiarum remiſſio, debitorumque ſpiritualiũ abolitio, apud Chriſtianos celebratur, dicitur Annus Iubilęi, Annus Sacer, Annus Sanctus, Annus benignitatis, Annus verè placabilis, Tempus acceptabile, Dies ſalutis, Tempus miſerendi, Tempus diuitiarum, quę ex Gazophylacio Eccleſiaſtico deprompte, vnicuique noſtrum applicatę, verè diuites nos efficiunt, & ab vniuerſo ęre alieno ſolutos nos reddunt.

2. Cor. 2.

Quō ſit definiendus annus Iubilæi.

De hoc Iubilæo ſermo fit in Bullis pontificijs.

De Hac ſpecie Iubilęi loquuntur Conſtitutiones, & Bullę ſummorum Pontificum, cùm pro tempore anni Sancti Iubilęum indicunt, vt eſt illa Bonifatij, octaui, quæ incipit. *Antiquorum*. Et Clemẽtis Sexti in extrauaganti 2. *Vnigenitus*, de pœnitentijs & remiſſionibus. Vrbani Sexti, Nicolai Quinti, & Pauli ſecundi, cuius eſt initium. *Ineffabilis prouidentia*, & Sixti quarti, in extrauaganti: *Quemadmodum*, & vt alios ommittam, in penultima Gregorij XIII. quæ exorditur: *Dominus, & Redẽptor noſter*, & generatim de huiuſmodi Iubilęo, & remiſſione loquũtur ſummi Pontifices, quando indictionem Iubilæi anni Sancti faciunt. De hoc genere Iubilæi

principaliter

principaliter intendimus, ad Chriſtiani Populi eruditionem, & Chriſti gloriam in hoc opere pertractare. Et quamuis de alijs quoque ſpeciebus Iubilæi, verba non pauca facienda ſint, omnia tamen ad genus Pontificij, & Eccleſiaſtici Iubilęi attributionem, & reſpectum habebunt.

Iubilæi nomen, & ratio analoga eſt, & quomodo.

Illvd autem hoc in loco animaduerſione dignum eſt, quod nomen, & ratio Iubilęi non vniuocè, & ęquè, verum analogicè, de his quatuor ſpeciebus prænarratis, pręedicatur, Iubilęus enim, primò, per ſe, & principaliter, dicitur, de ſufficiētiſſima, ac copioſiſſima Chriſti redemptione, de reliquis ſecundariò, & minus principaliter, hoc eſt, quia habent attributionem, vel cauſalitatem ab illa. Vnde ſecundo loco dicitur de remiſſione, quam conſequuti ſunt creden tes in die Pentecoſtes, hæc enim quoque habuit reſpectum ad Chriſtum, eiuſque Aſcenſionem; *Niſi enim abiero*, dicebat Chriſtus. *Paraclitus nō ueniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad uos:* & Petrus Actorum 10. *Huic*, inquit, *omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionē peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum, quæ verba, loquente adhuc Petro, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum*; & Actor. 1. virtutem Spiritus Sancti ſuperuenientis in illos ad hoc referri, dicit Chriſtus, antequam aſcenderet. *Vt ſitis mihi teſtes, in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Tertio loco dicitur, de noſtro Iubilęo Eccleſiaſtico, qui vt diximus, eſt participatio, & applicatio quædā Iubilæi à Chriſto exhibiti, à quo vim, robur, & virtutem accipit: diſpenſando enim ſummus Pontifex merita, & paſſiones Chriſti recōditas, & cōſeruatas in theſauri Gazophylacio debitores per illas ſatisfaciūt Deo Patri. Quarto, & vltimo loco, ac magis impropriè dicitur de Iubilæo illo Hæbræorum, cui, tùm quod temporale commodum reſpiceret, terrenaſq; ac caducas ſeruitutes remitteret; tùm quod ſignū dūtaxat figura, & vmbra fuerit, minus principaliter ratio Iubilæi conuenit, ſicut Criſi ſanitas; & ſi quantùm ad impoſitionem nominis, primo illi fuerit impoſitum. Vnde D. Chryſoſtom. ſuper Leuiticum; & habetur, de conſecratione diſtinc. 1. cap. *Si quis aliquando*, §. In Leuitico. *In Iubilæo*, inquit, *Plena remiſſio præſtabatur; vnde per eum perfecta peccati remiſſio figurabatur.* Cuius etiam ſententiæ videtur fuiſſe Beatus Hieronymus in 40. cap. Ezechielis. *Verus* ait, *Iubilæus remiſſionem habet omnium peccatorum*; Quo circa vehementer redarguēdus eſt Lutherus, qui, vt refert Roſen. art. 18. affirmauit indulgētias eſſe bonorum operum remiſſiones: cum in illis poenæ quidem remittantur, bona vero opera ad executionem iniungantur. Eſt autem à nobis poſitus primo loco, in tractatione, Iubilæus Hębræorum, quoniam ordinæ doctrinæ ab imperfecto ad perfectum progrediendum eſt.

Acto. 10.

Actor. 1.

D. Chryſoſt.

Beatus Hier.

Roſen.

Pauliani opinio d' vnitate generica Iubilæi confutatur.

Pavlianvs, cùm magis Iureconſultus eſſet, quam Theologus fallitur, dum in ſuo lib. 1. de Iobilæo cap. 6. dicit, quod iſta Iobilæi remiſſio, tanquam genus continet in ſe quatuor ſpecies, quarum altera, eſt remiſſio, quæ fit per alias indulgentias, quę ſic communi vſu, & vocabulo nuncupatur. Altera illa remiſſio poenę, quę in contentioſo foro ciuili, vel criminali fieri cōtingit. Sed omiſſis alijs, vt loquamur de prima, potius dicendum eſt, quòd Indulgētia ſit genus ad remiſsionem, quę per Iubilęum habetur, & ad eas, quę extra Iubilęum acquiruntur, quàm è contra, ut inferius patebit; neque enim omnis indulgentia eſt Iubilęa, quamuis omnis Iubilęus ſit indulgentia. Quod autem putet, contentioſas illas remiſſiones, de quibus Bartolus in l. acta ff. de re iudicata, & Baldus in l. 1. C. ſi rector Proui. & alibi ſpectare ad Iubilæum, ridiculum eſt: neque enim iſtę ſunt Iobilęę remiſsiones, ſed fori contentioſi, & iudicialis: atque hęc de hoc ſecundo capite.

Bartolus.
Baldus.

CAPVT TERTIVM.

De varijs nominibus Sacri Iubilæi, eorumque ſignificationibus.

QVONIAM ex verborum ſignificatione, & nominũ interpretatione ſępe res ipſę oſtenduntur, necnõ miſtici ſenſus rei, de qua agitur, clarius cognoſcuntur, vt doctè adnotauit D. Hieronymus tomo 4. lib. 4. in Ieremiam cap. 23. & ex procemio eiuſdem commẽtariorum Ioelis, & Michęę perſpicuè colligitur; idcirco hoc capite operæprecium eſt, vt illius pleniot cognito habeatur, varia nomina Iubilæi afferre.

D. Hieron.

INDVLGENTIA, ſeù Iubilæus in ſacris litteris obtinet Decem nomina, (communicanda enim hic ſunt aliqua nomina Indulgentię ipſi Iubilęo, eiuſque Anno.)

PRIMO, dicitur, Iubilęus Leuitici 25. Numerorum vltimo, & alijs ſupracitatis locis & ut optimè adnotauit Abulenſis, eodem loco Leuitici q. 9. in fine. Quod erat apud Iudęos annus Iubilęi, eſt apud nos annus Indulgentię. Sic Clemens Sextus, Paulus Secundus, Sixtus Quartus, Nicolaus Quintus, Alexander Sextus, Iulius Tertius, Gregorius Decimus tertius; illam peccatorum Indulgentiam; quę à Summo Pontifice conceditur uiſitantibus certas Vrbis Baſilicas quolibet quinquageſimo anno, vel uigeſimo quinto, Iubilęum, ſeu Iubilęi indulgentias, nominarunt: quem morem alij Pontifices ſequuti, in alijs quoque temporibus, pro rerum humanarum neceſſitate, & opportunitate, indulgentias ad inſtar Iubilęi cõcedunt. Aduertendum hic, quod Indulgentia, quę in anno centeſimo data, & decreta fuit à Bonifacio Octauo, non eſt ab illo appellata Iubilęus, ſed ſolùm Indulgẽtia pleniſsima, ut uidere eſt in Extrauaganti. *Antiquorum*; & arbitror, Clementem Sextum, primum fuiſſe, qui hanc indulgentiam, quam ipſe ad quinquageſimum annum reduxit, Iubilęi nomine decorauit. Nec ante illum, Iubilęum pro indulgentia à Summis Pontificibus legi uſurpatum fuiſſe. Hoc de nomenclatura Iubilęi intelligas, nam rem ipſam Iubilęi; ideſt remiſsionem pœnæ peccatorum, uetuſtiſsimam eſſe in Dei Eccleſia, & à Chriſto Domino deſcendentem cumulatiſſimè in ſequentibus oſtendimus.

Nomina Iubilæi hic enumerantur. 1. dicitur Iubilæus, Leu. 25. Abulẽ. & multi Romani Pont.

SECVNDO, appellatur, Annus ſanctificationis eodem loco Leuitici: *Sanctificabiſque annum quinquageſimum*, & infra, *Ob ſanctificationem Iubilæi*, ſic Alexander Sextus in ſua Bulla, quę incipit: *Paſtoris æterni*, hunc Iubilęi Eccleſiaſtici annum, ſacrum appellat. Et Gregorius Decimus tertius in ſua cõſtitutione, cuius eſt exordium. *Dominus, ac Redempter noſter*, Sanctum Iubilęum nominat. Et uerè dies huius anni, ſanctificationis dies appellandi ſunt; cùm hoc tempore fideles etiam, atque etiam Pœnitentię incumbere, Peregrinationibus ſanctorum locorum, & pręcipuè ſacrarum Baſilicarum Romanarum Petri, & Pauli feruentius, & deuotius operam dare debeant.

Annus Sãctificationis.

TERTIO dicitur Annus remiſsionis, ita Num. 36. Sixtus quartus in ſua conſtitutione, quę incipit: *Quemadmodum operoſi*, appellat annum Iubilęi, annum remiſsionis, & gratię, atque etiam Clemens Sextus loco citato, Alexander Sextus in ſua Bulla, cuius eſt initium. *Inter curas multiplices*, & in alia, incipiente. *Paſtoris æterni*, appellant hunc annum. *Annum reconciliationis cum Pijſſimo Redemptore noſtro per diuinam miſericordiam.*

Num. 36. Annus remiſſionis. Clem. 6. Alex. 6. Tertull. Hyeron.

TERTVLLIANVS in ſuo libro de Pudicitia, quem primum Hieronymus enumerat, in Cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorũ, eorum, quos conſcripſit, poſt quàm ab eccleſia Romana ad Montani dogma delapſus diſceſſit, ſępius ſub nomine Clementię, humanitatis, & uenię, Indulgentias intelligit; ſicut etiam Concilium Ancyranum Can. 2. 5. 16. 21. & 22.

Nomine humanitatis, & veniæ indulgentia intelliguntur. Conc. Ancyran.

Prima Synodus Nicena. Can. 5. & 11. humanitatem, Indulgentiam appellat. Laodicenum Concilium, Can. 2. Dei miſericordiam, & bonitatem. Concilium

Synodus Nicen. Conc. Laodicen.

Carthagin. 4. Agathen. Epaunen.

quartum Carthaginenſe. Can.75. reconciliationem; Agatenſe Can.37. Et Epaunenſe Can.29. ex Agathenſi. Relaxationem.

D.Cyprian. Tertull. Pamel. D. Auguſtin.

D. CYPRIANVS in Epiſt.21. ad Lucianum pro Numeria, & Candida hoc nomine remiſſionis, pro indulgentia utitur, & in Libello de oratione Dominica, & in Epiſt. 10.59. & 73. ad Iubaianum. Remiſſam peccatorum uocat, ipſam Indulgentiam, que uox, Remiſſa ſcilicèt ex Tertulliano mutuata. lib.3. contra Marcionem, illi familiaris eſt, ut ibidem Iacobus Pamelius notat, qua etiam uoce Remiſſæ utitur D. Auguſt. lib.3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap.18.

Gregor. 7. Bonifacius 8.

GREGORIVS Septimus, ut in eius Regiſtro in Epiſtola ad Epiſcop. Britan. peccatorum remiſsiones, Apoſtolica auctoritate, elargitas, Indulgentias nominat. Bonifacius Octauus, nomen ueniæ, & remiſsionis illis tribuit, in ſua Extrauaganti.

Annus, & tps ſolutionis. Matt. 16. Cyprian.

QVARTO, dicitur Annus, & tempus ſolutionis, pœnæ ſcilicet debitæ pro peccato iam remiſſo, ut Matthæi 16. *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Ex quo loco Doctores colligunt, Petro poteſtatem conferendi Indulgentias à Chriſto Domino traditam fuiſſe. Sub hoc uocabulo ſolutionis, ſeu ſatisfactionis, appellauit Indulgentias D. Cyprianus in Epiſt. ad Antonianum lib.2. Epiſt.2. uel alias iuxtà editionem Pamelij Epiſt.52. & lib.1. Epiſto.2. uel alias 54. in principio, illis uerbis. *Solui autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſoluerentur*, & in Epiſt. 55. ad Cornelium ibi. *Lapſis ſpem ſatisfactionis, & pœnitentia ſuſtuliſſe.*

Satisfactio ex ui Iubilæi, nõ eſt ex ꝓprio, ſed ex alieno. Ad Coloſſ. 1. D. Cyprian.

HAEC autem ſolutio, ſeu ſatisfactio non fit ex proprio (eſt enim hęc alia ſpecies ſatisfactionis) ſed ex alieno, quę etiam contingit dupliciter fieri, uel uolũtariè ex proprio arbitrio ſoluendo, & ſatisfaciendo pro alio, puta ieiunando, aliaque opera pęnalia in auxilium proximi faciendo, & uocatur hæc communi uocabulo, ſatisfactio pro alio, & de hac dixit Paulus ad Coloſſenſes 1. *Gaudeo nunc in paſsionibus pro vobis, & impleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti*, ideſt ſatisfacio pro uobis, ſicut Chriſtus ſatisfecit; de qua tractant Theologi in 4. ſent. diſtin. 19. Vel ſecundo dum is, qui poteſtatem habet, applicat huic, uel illi benè diſpoſito opera pęnalia, ſeu ſatisfactoria, quæ in Theſauro Eccleſiæ recluſa ſunt; quæuè, cum illis, qui ea fecerunt, neceſſaria non ſint; iure fraternæ charitatis cęteris fratribus indigentibus applicantur, ſiuè ſint ſanctorum iam mortuorum, ſiue etiam uiuentium; eſt enim hęc prerogatiua, & priuilegium ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum uiuentium, ut Cyprianus inquit Epiſt. 13. & 14. ut cùm ipſi abundent meritis, & operibus ſatisfactorijs ſupra neceſsitatem condignam perſonę, alijs communicent, & doneut.

Annus pacis. Iſai. 61. Gerſon. ad Epheſ. 2. Alex. 6.

QVINTO, annus iſtę vocatur Annus pacis; & Indulgentia Iubilęi, dicitur indulgentia pacis, ſic Eſaias 61. *Vt prædicarem annum placabilem Domini, ut cõſolarer omnes lugentes*; quem locum exponens Gerſon lib.4. quæſt. penult. annum placabilem Domini, annum Iubilæi remiſſionis interpretatur; & Paulus ad Epheſios 2. *Et veniens Euangelizauit pacem.* Ita illum appellauit Alexander ſextus in ſua Bulla.

D.Cyprian.

D. Cyprianus ſæpe in ſuis Epiſtolis, nomine Pacis, remiſſiones, & indulgentias intelligit; ita in Epiſt.14. & 11. ad Martyres & Confeſſores, qui lapſis petierant, pacem dari, aliàs lib.3. Epiſt.15. in illis verbis. *Et quibuſdam lapſis, pacem dari poſtulaſtis*; & paullò poſt. *Offerre lapſis pacem*; & infra. *Petitiones, & deſideria veſtra Epiſcopo ſeruent, & ad pacem vobis petentibus dandam, maturum, & pacatum tempus expectent.* Et in Epiſt.12. & 22. & in alijs ſimilia de pace ſæpiſſimè. At Luculentiſſimum de hac pace, quæ lapſis pœnitentibus indulgebatur, extat Documentum eiuſdem Cypriani in Epiſt.54. ubi ait. *Quod ſi periculum infirmitati vrgeret, & plena pœnitentia agi non poſsit; ex decreto Synodi Aphricanæ*, (quam ipſe ibi participatum inuicem nobiſcum Conſilium uocat) *Infirmi ſub ictu mortis pacem acciperent; Nec enim fas erat*, inquit, *Aut permittebat paterna pietas, & Diuina Clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, vt de ſæculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominũ dimitterentur, quando permi-*

de permiſerit ipſe,qui legem dedit,vt ligata in terris,etiam in cælis ligata eſſent;ſolui autem poſſent illic,quæ hic prius in Eccleſia ſoluerentur. Hæc Cyprianus.

Est autem hic adnotandum, cum Iacobo Pamelio in adnotatione tertia in citatam Epiſtolam 11.quod hæc pax,quæ à Martyribus poſtulabatur, & lapſis ſupplicantibus, ab eis indulgebatur, nil aliud uidetur, fuiſſe,quàm relaxatio ſatisfactionis per Epiſcopum,pœnitentibus impoſitæ. Ex quo infert,originem Indulgentiarum, non ad tempus D. Gregorij referendam eſſe, ſed altius repetendam : Et quidem lapſi,poſt Sacramentalem confeſſionem,auxilium, & ſuffragium ſatisfactionis à Martyribus expetebant, ut eo apud Dominum in delictis ſuis adiuuari poſſent. Hæc autem conſuetudo dandi & poſtulandi pacem, tempore Tertulliani uigebat,qui in libello ad Martyres, ferè in principio, ſic ſcribit: *Pax veſtra bellum eſt illi, quam pacem quidam in Eccleſia non habentes,à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt.* Quænam fuerit illa pax, quæ à martyribus postulabatur,ex Pamel. Tertull.

Pamelius Epiſt.21.adnotatione 7.ſcribit, pacem, quæ à Martyribus dari ſolebat, non fuiſſe dumtaxat pœnæ per pœnitentiales canones impoſitæ relaxationem,ſed & ueram peccatorum remiſſionem; atque adeo à culpa, & pœna, ut loquimur,abſolutionem. Verum hoc dictum non eſt accipiendum de ipſa Pace precisè,ſed de alijs actibus,qui ipſius pacis conceſſionem præcedebant. Idem enim clarius ſe exponens,in Epiſt.23.num.17.& in Epiſt.30.nu.8.inquit, cum Cypriano,Martyres,non ipſoſmet pacem dare,ſed ad ipſos Epiſcopos remittere ſolere, petentes pacem cum libello. Applicari enim ſolebant Indulgentiæ ab ipſis dumtaxat Epiſcopis non ab ipſis Martyribus,quod cum non fieret,toties reprehendit Cyprianus; improbantem ſummopere pacem datam ante Exomologeſim, & ante manum ab Epiſcopo, uel Presbiteris impoſitam, & multo magis ante peccatorum Sacramentalem Confeſſionem. Pamelius.

Qvo in loco obiter aduertendum eſt, D.Cyprianum in Epiſt.14. ad Clerum de eis,qui ad pacem feſtinant,plures actus indicare circa pœnitentes fieri ſolitos. Primò,lapſi ad pœnitentiã reuertentes,dato nomine,petebant libellum pacis à Martyribus ſibi concedi, quorum auxilio adiuuari poſſent apud Dominum in de lictis ſuis,atque in eo,ut dicit idem Cyprianus Epiſt.27.uerſus finem, ſatisfactionem huiuſmodi per Epiſcopum admitti petebant. Martyres literas dabant ad Epiſcopum,quæ, libellus, dicebantur. Plures actus circa pœnitentes fieri ſolebãt ex D.Cypriano & illi enumerãtur.

Secundo,habito libello pœnitentes Epiſcopo,uel Presbitero confeſſionem ſacramentalem delictorum faciebant,& habita abſolutione. Tertio loco pœnitentia,ſeu ſatisfactio imponebatur. Hãc quarto loco ſequebatur Exmologeſis; idest reconciliatio quædam exterior pœnitentium in facie Eccleſiæ,quæ etiam ex priuilegio quodam Diaconis in neceſſitate permittebatur;ſicut etiam excommunicandi,& abſoluendi ab excommunicatione auctoritas abſente Presbitero,ut conſtat ex lib.8. Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis. Diſtingui autem Exomologeſin à Pœnitentia manifeſtè habetur,apud Cyprianum in Epiſt.55.ad Cornelium. Facta Exomologeſi,ſequebatur manus impoſita impoſitio Epiſcopi, uel Cleri, quæ erat à pœnis ſatisfactorijs iniunctis abſolutio. Deinde dabatur illis Eucharistia. Poſtremò cum pace a Martyribus in libello promiſſa, ut uerbis Cypriani utar, in Epiſt.13.& 14.ab Epiſcopis ad Dominum remittebantur, idest indulgentiæ a Martyribus conceſſæ, ſeu ſatisfactiones illis indultæ eis ab Epiſcopo applicabantur. Martyres enim,dando pacem;ad Epiſcopos eos,quibus dabãt pacem,remittere, clarum eſt apud Cyprianum in Epiſt.30. Hæc erat ſeries antiqua,iuxta quam Pœnitentia agebatur,ut uidere eſt apud Tertullianum in libello de Pœnitentia,uerſus finẽ. Vnde conquerebatur Cyprianus in Epiſt.55. *Quod vt, inquit, ſublata pœnitẽtia, nec vlla Exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis, atque calcatis, pax à Presbiteris veſtris fallacibus prædicatur.* De hac re legendus eſt Pamelius adnotatione 93.in Cyprianum,de Lapſis;in illis uerbis. *Sed de hac pace plura diximus. Vnum eſt,quod Martyres,hãc prærogatiuam communicationis habebant;id eſt Indulgẽtia priuilegium. Prærogatiua hæc cõmunicationis,eſt indulgentia ſatisfactionis.* Clem. Conſt. Apoſt. Cyprianus. Tertullianus. Pamelius.

Indulgentiæ. Iudith 8. Iſai.63. Iſai.61. Luc.4.

Sexto, proprio nomine huiuſmodi remiſſiones, Indulgentię vocantur, ita habetur Iudith cap.8. *Quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus, & Indulgentiã eius fuſis lachrymis poſtulemus*. Et Eſaias 63. *Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum Domui Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum*, & infra. *In dilectione ſua, & indulgentia ſua, ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi*, & Eſaias 61. *Et prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem*. Quod nomen Indulgētiæ Saluator noſter Lucæ 4. remiſſionem interpretatus eſt, eundem locum Eſaiæ repetens.

Aliqui putarunt nomē Indulgentię nō haberi in ſcripturis, nec eſſe vſitatum in Eccleſia. D. Antonin. Roffenſis. Caſtro. Pet. à Soto. Dominic. de Soto. Siluest. Caiet. Nauar. Rē & nomen Indulgentiæ in ſcripturis haberi probatur. 2. Cor. 2. Ioan. 20. Matth. 16. Iſa. 61. Luc. 4.

Plerique arbitrati ſunt, hoc nomen Indulgentiæ, non eſſe nomen Eccleſiaſticū, nec in ſcripturis reperiri, nec à Scriptoribus Eccleſiaſticis vetuſtioribus vſurpatum fuiſſe. Ita B. Antoninus prima parte tit.10.cap.3.in princ. Et Roffenſis in art.18.contra Lutherum, & Caſtro contra Hæreſes verbo Indulgentia, Petrus de Soto lectione 1.de Indul. Dominicus de Soto in 4.diſtin.21.q.1.art.3.conc.2. Silueſter verbo Indulgentia, & Caietanus in Opuſculis tom.1.tract.15.cap.1.in princ. Vbi audacer dicit, nedum nomen, verùm etiam originem Indulgentiarum, nulla Sacræ Scripturæ, nulla priſcorum Doctorum, Græcorum, aut Latinorum auctoritate ſcriptam haberi. Quem ſequitur Nauarrus in d.§.in Leuitico, notat.8. Sed meo Iudicio hallucinantur; Nam & rem, & nomen Indulgentiæ in Sacris literis haberi non obſcure demonſtratur. Rem quidem (quod tamen fusè, & exactè inferiùs ſuo loco oſtendetur) ex ſecunda Corinthiorum 2. & Ioannis 20. & Matthæi 16. Nomen verò ex loco illo Eſaiæ 61. ab ore Chriſti interpretato. Quid eſt quæſo Indulgētia, Chriſto Domino exponente; Lucę 4. niſi remiſſio? Et quid Eccleſia catholica per Indulgentiam intelligit niſi remiſſionem? D. Cyprianus lib.2. teſtimoniorum aduerſus Iudęos, num.9. legit. *Prædicare captiuis remiſſionem*, adducens illud Eſaiæ 61.

Nomen Indulgētię multa ſignificare poteſt, & quę. Quintilian. Plinius. Hugo. D. Thomas. Valla. Cicero. Statius. Quintilian. Archidiac. Gemin. Silueſt.

Verum de nomine Indulgentiæ, aliqua alia proferamus: Apud eruditiores Latinos nomen Indulgentiæ ſæpe ſumitur pro molli permiſſione, dum Malum, aut Minus bonum impune permittitur; vt enim dicimus, gulæ, vel ventri indulgere, iuxtà illud Quintiliani lib.1.Inſtitut.cap.3. *Mollis educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnes, & mentis, et corporis, frangit*. Plinius lib.17.c.10. *Indulgentior, eſt nutrix quam Mater*. Hugo de Sancto Victore Can.Regul. q.57. ſuper priorem ad Corinth. exponens illud verbum Pauli. *Secundum indulgentiam*, dicit. *Indulgentia eſt conceſſio laxioris uitæ, qua licitum ſit, quod eſſet illicitum, & peccatum, vbi nulla conceſſio eſſet*. Quæ tamen interpretatio aliena eſt à mente B. Pauli, cum ille non peccandi licentiam conceſſerit, ſed de perfectionis rigore aliquid relaxando minuerit. Lege D. Thomam, ſuper eundem locum, 1. Cor.7.& 4.diſtin.26. quæſt.1.art.4.ad 3. Facit adhæc, Cap. *Interfectiones*.33.quæſt.2.& ca.de Inceſtis, 35.quæſt.3. Valla lib.4. Elegan. cap.18. exiſtimat, ſemper ſignificare illicitam licentiam; Sed errat, quia Cicero, 1.de Legib.& lib.2.de Orat. circa medium, in bonam partem ſumit. Vſurpatur quoque pro lenitate in ſubditos, & inferiores, vt eſt illud apud Ciceronem Epiſt. ad Att. lib.10. *Filium Patris indulgentia deprauari*. Nonnunquam pro pulchritudine, vt apud Stat. *Egregia tanta indulgentia formæ*, & Quintilianum Declã.18. *Si filio obtigerit indulgentior facies, vultus erectior, refugiet Mater amplexus*. Apud Canoniſtas item, vt videre eſt apud Archidiaconum, & Geminianum in cap. Indulgentiæ, de pœnitentia, & remiſſione, lib.6.& Silueſtrum, de Indulgentijs, num.1. Aliquando ſignificat gratiæ collationem, vt cum dicitur Papam alicui poteſtatem aliquam indulſiſſe vel diſpenſationem. Aliquando verò aſſiduitatem alicuius exercitij, vel operis, vt idem ſit indulgere, quod operam dare, ut cum dicitur quis indulgere gulæ; Præterea aliquando ſignificat remiſſionem debiti, uel actionis, cuius habemus ius aduerſus aliquem; ſicut qui habet actionē iniuriarum, uel pecuniarū, indulget per remiſſionē, & ſic Deus indulget peccata per gratuitam condonationem ut Eſai.61.& 63. Lucæ 4.& ſimilibus. Poſtremò addenda eſt alia acceptio, vt optimè adnotauit Nauarrus loco citato, aliquando enim

Eſai.61.& 63. Luc.4.

do enim ponitur Indulgentia pro remiſſione pœnæ, vt in l.fin.C.de abolition.& in l.Lucius. ff.ad Senatuſconſultum Turpil.In quo ſenſu apud Eccleſiaſticos Indulgentia ſumitur translatione quadam aptè facta ex blandicie, quam latine ſatis ſignificat,ad pœnæ condonationem,quæ etiam blandiciei ſpecies quędam eſt & ſic ſumitur in propoſito. Vnde quamuis huiuſmodi remiſſiones, propriè & rectè relaxationes,condonationes,& veniæ vocari poſſint;proprijſſimè tamen Eccleſiaſtico vocabulo apud Theologos in 4.diſtin.20. & 21. nomine Indulgentiæ appellantur. Sicut enim nomen Indulgentiæ rectè ex Scriptura pro culpæ remiſſione accipitur,ità quoque pro pœnæ remiſſione accipi, nil repugnat, vtrumque enim gratis remittitur, & condonatur.

Quomodo hic ſumatur remiſſio.

D. Cyprianvs vetuſtiſſimus,& grauiſſimus ſcriptor,hoc ìpſo vocabulo Indulgentiæ ſæpe vtitur in Epiſt.21.ad Lucianum, bis repetens nomen Indulgentiæ, & in Epiſt.30. quæ eſt Presbiterorum, & Diaconorum Romanorum Cypriano Papæ,in illis verbis; *Cùm omnis prærogatiua ita demum ad Indulgentiæ priuilegium ſpectet,ſi ab eo,cui ſociari quærit,non diſcrepet; qui à Deo, cui ſociari quærit, diſcrepat, neceſſè eſt, Indulgentiam,& priuilegium ſocietatis amittat*,& Epiſt.31.quę eſt eorumdem ad eumdem Cyprianum. *Oremus, vt effectus Indulgentia lapſorum ſubſequatur Pœnitentiam*,& vult prius præmitti Pœnitentiam, vt ſubſequatur effectus Indulgentiæ,vt ibi notat Pamelius, & Epiſt.52.& 16. Item D.Hieronym.cap.4.in Danielem,et Auguſt.Concione 1.in Pſal.101.ſuper illud.*Et Potum meum &c.* Ab hoc autem nomine Indulgentiæ non ſolùm non abhorrere debemus, vt bene inqt Soto, ſed eo tàmquam inſigni, & celebratiſſimo nomine ſemper nobis,omnibuſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis vtendum erit. Quicquid inuidè,& inſipienter de eo Martinus Lutherus oblocutus fuerit. Certè Concilium Trident. ſeſſ.25.in Decreto de Indulgentijs, inſigne hoc Indulgentiarum nomen appellat. Et inter Summos Pontifices Romanos, hac voce Indulgentiæ, primus vſus eſt Alexander tertius,cap. *Quod autem*,de Pœnitentijs,& remiſſionibus; Deinde Bonifacius octauus,in ſua Extrauaganti.*Antiquorum:* Pamelius in Epiſt.21.dicit,hâc uocem Indulgentię Romanam eſſe,quod illi hac voce,ut Pijſſimi,ac Religioſiſſimi,utantur,& rectè dicit.Nunc autem hæc ſufficiant,de hac enim re,& de nomine Indulgentiarum alibi Latius.

D.Cyprian. Pamelius. D.Hieron. D.Auguſt. Vtendum eſt ſæpe hoc nomine Indulgentiæ ut ait Sotus. Conc.Tridēt.

Septimo,annus Iubilæi, ſeu Indulgentia, ampliſſimo uocabulo, Donatio uocatur à Paulo ſecunda Corinthiorum ſecundo; *Cui autem Donaſtis, & ego, nam & ego,quod donaui propter vos in perſona Chriſti.* Vbi Gloſſa ait. *Ac ſi Chriſtus donaſſet.* Hoc nomine Donationis Theodoretus Cirenenſis Epiſcopus, Oecumenius, & Theophilactus, & B.Ambroſius, & B.Chryſoſt. in eumdem locum Pauli (quorum ſententias inferius recitabimus)Indulgentiam nominant.

Donatio dicitur Iubilæus. 2.Cor.2. Gloſſ. Theodoret. Oecumen. Theophilact. Ambroſ. Chryſoſt.

Habebant Sancti Apoſtoli, & conſequenter Epiſcopi, qui in eorum locum ſucceſſerunt,Ius,& poteſtatem Eccleſiaſticam extra Sacramentum,donandi peccata;ideſt conferendi Indulgentias,& remittendi pœnas illorum. Nec enim errauit Paulus,ut eleganter aduerſus Nouatianos in lib.de Pœnitētia ſcripſit,D. Ambroſius,cùm donauit inceſtuoſo peccati pęnas:nec errant Epiſcopi, uel Summus Pontifex,dum huiuſmodi peccatorum donationes faciunt. Audi Ambroſium. *Vas electionis dicit,ſi cui autem quid donaſtis,& ego;nam & ego,quod donaui propter uos in perſona Chriſti.Cum igitur Paulum legerint,ſic eum tam impiè arbitrantur erraſſe,vt ius ſibi vendicarit Domini ſui? Sed vendicauit acceptum,non vſurpauit indebitum.* Hęc Ambroſius.

Apoſtoli & Epiſcopi habent poteſtatem concedēdi Indulgentias. D.Ambroſ.

Octavo, appellatur Annus benedictionis,quemadmodum etiam Indulgentia ipſa,ſeu Iubilæus,Benedictio nuncupatur. Sic remiſſio pœnę,quam Indulgentiam dicimus,vocitatur à Clemente Romano lib.3. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.10. cuius uerba inferius ſuo loco citabimus; Cùm enim ex Apoſtolica doctrina duplex ſit benedictio. Alia magna,& Alia parua, ſic enim Clemens ibi loquitur. Magna utique erit magnorum peccatorum, ideſt mortalium. Parua uerò,paruorum,ideſt uenialium, & reliquiarum peccatorum; ideſt pœnarum, quæ

Annus benedictionis. Clem.Rom. Benedictio duplex & quę ſit vtraque.

pro peccatis magnis iam remiſſis, ratione ſatisfactionis debentur. Benedictio enim, remiſſio peccatorum, ſiue abſolutio à peccatis, in Scripturis Sãctis vocatur,

Iſai. 27.

vt eſt apud Eſaiam, cap. 27. ibi. *Propterea auferetur iniquitas Iacob, & hoc erit benedictio eius*; ſicut enim in lege Leuitici duplex erat mundatio Lepræ. Vna, quæ per ſacrificium Sacerdotis ita mundabat à lepra, vt mundatus liberè cum viuis deinceps verſaretur. Altera, quæ fiebat ad introducendum ſanatum à lepra in domum ſuam octauo die, veſtium ſcilicet, & pilorum, quæ fiebat poſt illam mundationem magnam, ſicut factum eſt in ſorore Moſis, & Aaron; ità in lege Euãgelica, vt optime annotauit Turrianus, in Scholijs, & commentarijs ſuis ſuper eundem locum Clementis; duplex reperitur benedictio, ipſius lepræ ſcilicet, ideſt mortalis peccati, quę virtute paſſionis Chriſti, pro nobis immolati, per miniſterium Sacerdotis fit, & eſt magna benedictio, hominem iam mortuum viuificans. Deinde minorum peccatorum, ideſt venialium, & pœnarum, quarum remiſſio, & purgatio neceſſaria eſt ante ingreſsũ regni cęleſtis, & dicitur parua benedictio. De hac benedictione, quam populus Chriſtianus cõſequitur in Anno Iubilęi, videtur loqui Dauid, in Pſal. 3. dicens; *Super Populum tuum benedictio tua*; Etenim eſt verè annus, in quo Deus benedictionem remiſſionum, & Indulgentiarum, ſuper Populum ſuum effundit; neque enim illi vna eſt tantùm benedictio, ſed duplex, vna ad gratiam, altera ad pœnæ remiſſionem, per illam remittit culpas; per iſtam reatus pęnarum ſoluit. De hac indulgentiarum Benedictione loquutus eſt Magnus Gregor. lib. 12. regiſtri, Epiſtola. 17. dum inquit. *Clauim vero à Sacratiſſimo Beati Petri Corpore in qua de Catenis eius Benedictio continetur tranſmiſimus, quæ collo veſtro ſuſpenſa, contra omnia aduerſa vos muniat.* Hæc ille, indicans per poteſtatem Clauiũ B. Petro collatarum Benedictionem hanc, ſeu Indulgentiam peccatorum concedi. Idem ferè habet lib. 7. regiſtri Epiſt. 126. ad Recharedum Regem Viſigothorum. Annus igitur iſte videtur figuratus in tẽpore Auroræ in quo Iacob, ea aſcendente; cum Angelo luctabatur, & cum diceret Angelus. *Dimitte me; iam enim aſcẽdit Aurora*, reſponſum dedit. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, & benedixit ei in eodem loco*; ſic hoc tempore fortiter Chriſtianis cum Deo luctandum eſt, & ab eo Benedictio ſuſcipienda; ſed de huius anni benedictionibus inferius ſuo loco.

Duplex mundatio à lepra in veteri lege.

Turrianus.

In lege Euangelica duplex benedictio.

Pſal. 3.

Greg. Magn.

Io. Oſorius.

Nono Ioannes Oſorius tom. 4. Cõcione antepenultima in publicatione Iubilæi, affirmat, tria eſſe baptiſmata, aquæ ſcilicet, lachrymarum, ſeu Pœnitentiæ, & Indulgentiarum. Appellatque Iubilæum, tertium Baptiſmum, cùm homo per illum, tamquam per fontem baptiſmatis, liber ab omni peccato eiuſque pœna euadat, ita ut ad Cęlum mox euolet, ſi hinc migret. *Nec mirandum*, ait, *ſi Indulgentiam plenariam dicamus Baptiſmum; quoniam Sancti, baptiſmum dicunt Indulgentiam plenariam, ita vocat Hieronymus Epiſt. 83. & Auguſt. lib. 1. contra Epiſtolas Pelagianorum, et in lib. 1. contra Iulianum, refert, ac laudat dictum Reticij Epiſcopi Auguſtudunenſis, qui dixit; conſtat, baptiſmum eſſe principalem in Eccleſia Indulgentiam; ſicut ergo Baptiſmus dicitur Indulgentia pleniſſima, quia in eo omnis culpa & pœna deletur, ita Iubilæum, dicere poſſumus, Baptiſmum, cum in eo ſimile quid fiat.* Hæc ille. Ex addit hæc tria baptiſmata figurata fuiſſe in lege ueteri per tria lauacra, & aquæ receptacula.

Iubilæus dicitur etiam Baptiſmus.

D. Hieron.

D. Auguſt.

Tria Baptiſmata per tria lauacra veteris legis figurata.

Primum extrà templum, quod erat probatica illa Piſcina, de qua Ioan. 5. atque hoc baptiſmum figuraſſe, Ambroſius, Theophilactus & alij exponũt, ſicut enim aqua illa uim acceperat ad ſananda corpora, quod in ea ſacrificandę carnes lauarentur, ſic aqua Baptiſmi, Chriſti Agni occiſi ſanguine intincta, omnes animæ infirmitates, per baptiſmum ſanat. Hoc autem Lauacrum merito extra templum eſſe dicitur, iuxtà tamen illud; cùm Baptiſmus ijs, qui extra Eccleſiam ſunt, ianuam, & ingreſſum paret.

Ambroſ.

Theophilact.

3. Reg. 7.

Ioſephus.

Secundum Lauacrum templi, fuit Mare æneum, quod intra templũ exiſtebat, eratque vas quoddã maximum, ꝙ capiebat duo millia bathos, ut dicitur 3. Reg. 7. de quo Ioſephus lib. 8. Antiquitatum cap. 2. ait; *Fecit etiam vas æneum fuſile, ſemiorbis ſpecie, quod propter capacitatem appellatũ eſt mare*, nam congregationes aquarum magnas, vocare ſolent Hebræi maria, ex Geneſis primo, conflatumque erat ex

ære, quod Dauid ex Ciuitatibus Syrorum, & aliorum gentium ſubſtulerat, vt in 2. Reg. 8. habetur, licet hoc ęris genus, auro præcioſius tunc temporis æſtimatum fuerit, vt narrat Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 6. ſuſtentabaturque duodecim boum fulcimento. Hoc lauacrum, Pœnitentiæ Sacramentum figurabat. Lege Riberam lib. 2. de templo cap. 17.

2. Reg 8.
Ioſephus.
Ribera.

Tertium Templi lauacrum erat, de quo dicitur in Exodi. 30. & 38. *Fecitque labrum æneum, cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* In hoc demum abluebantur Sacerdotes à minoribus maculis. Gloſſa Interlinearis ait; per mulieres illas ſignificari animas ſanctas, ſpecula verò earum Domino oblata, ſignificant earum ſuperabundantem ſatisfactionem, ex qua theſaurus Eccleſiæ conficitur, quo abluuntur fideles à maculis pœnarum, conceſſis Indulgentijs.

Exod. 30. & 38.
Gloſſ. interl.

Vervm, vt hæc doctrina vera ſit, illud tamen nobis non probatur, Iubilæum, ſeu Indulgentiam plenariam, Baptiſmum dici poſſe, tū quia triplex genus Baptiſmi tantùm à Patribus connumeratur nimirum, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis; Vbi hic Iubilæus? Tùm etiam, quoniam in omni Baptiſmo culpa remittitur, quod Indulgentiæ, ſeu Iubilæo præciſè, ac per ſe non conceditur; licet per analogiam quandam, & ſimilitudinem, quæ ab Oſorio circa hæc ſcripta ſunt, improbabilia non ſint. Concionatorio enim modo locutus eſt, ſecundùm quem multa piè & probabiliter, non tamen fidei Chriſtianæ contraria, dici permittuntur.

Oſorij doctrina propriè nō eſt vna, ſed tā tum more cō cionatorio.

Decimo Indulgentia poteſt vocari Redemptio. Sicut enim remiſſio pęnæ, quę fit media Eleemoſina, redemptio appellatur Danielis 4. *Peccata tua eleemoſinis redime,* & Prouerb. 16. *Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas;* quibus locis, ſicut etiam in alijs ſcripturæ, nomē peccati pro eius pœna, vel pœnæ reatu ſumitur, ſic etiam remiſſio, quæ per Indulgentias acquiritur, redemptio optimo iure appellari poteſt. Quid enim obſtat ſi per propriam ſatisfactionem, peccatorum pœnæ redimi poſſint, quin etiam per alienam? Certè Tertullianus antiquiſſimus Auctor precio ſatisfactionis, & Pœnitentiæ compenſatione, pœnas peccatorum redimi docet in libro de Pœnitentia, dicens; *Hoc enim precio* (ſcilicet ſatisfactionis) *Dominus veniam adijcere inſtituit, hac Pœnitentia compenſatione redimendam proponit impunitatem;* quo etiam ſenſu in Canone Miſſæ dicitur, adſtantes Miſſæ, offerre ſacrificium, *Pro redemptione ſuarum Animarum;* nec enim incongruum eſt, vt qui Chriſti generali redemptione redempti ſunt, alio quoque redemptionis genere indigeant.

Indulgentia dicitur etiam redemptio.
Daniel 4.
Prouerb. 16.
Tertullianus.
Cano. Miſſæ.

Qvo in loco adnotandum eſt, in ſcripturis varijs modis redemptionis nomen vſurpari. Primum pro liberatione ab omni malo culpæ, & pœnæ, per ſolutionem precij ſufficientis factam in ligno Crucis, quo modo vniuerſum genus humanum per Chriſti Crucem, & mortem redemptum dicitur. Matth. 20. & Marc. 10. *Dare animam ſuam redemptionem pro multis,* & prima ad Timoth. 2. Inquit Apoſtolus. *Dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis,* prima Corinth. 1. *Factus eſt nobis redemptio.* Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.*

Quibus modis nomen redēptionis ſumatur in ſcripturis.
Matth 20.
Marci 10.
1. Tim. 2.
1. Cor. 1.
ad Epheſ. 1.

Secundo liberatio à malo culpæ per applicationem illius præcij in Cruce ſoluti, redemptio dicitur, & eſt ipſamet iuſtificatio. Ad Roman. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto* Iesv.

ad Rom. 3.

Tertio liberatio à debito pœnæ temporalis, quæ relinquitur, dimiſſa culpa, redemptio appellatur. Prouerb. 13. *Redemptio Animæ viri, diuitiæ ſuæ:* Leuit. 19. *Et tamen precio non redempta.* Vita enim hominis, quæ anima dicitur, ſeruituti adſcripta, pecunijs redimitur, & diuitijs in pauperes erogatis, pœnæ peccatorum ſoluuntur. Quo ſenſu Indulgentia redemptio dicitur iuxta illud Eſaiæ 63. *In ſua Indulgentia, ipſe redemit eos;* atque etiam appellari poterit iuſtificatio à pœna, vt not. Roſen. art. 17. contra Lutherum.

Prouerb. 13.
Leuit. 19.
Iſai. 63.
Roſenſis.

Quarto præſeruatio à peccato futuro, in quod alioquin homo incidiſſet, redemptio appellatur. Pſal. 33. *Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non delinquēt omnes, qui ſperant in eo,* & Pſalm. 118. *Redime me à calumnijs hominum:* ſic ibi Ray-

Pſal 33.
Pſal. 118.
Raynerius.

nerius

nerius, & iterum. *Iudica iudicium tuum, & redime me*, id eſt, a peccato præterito, præſenti, & futuro, ut ibidem Rainerius.

Luc. 21. ad Rom. 8. Pſal. 129.

Poſtremò liberatio à Corruptione, & vniuerſis huius vitæ miſerijs; & Calamitatibus, quæ tandem in vniuerſali reſurrectione fiet, redemptio dicitur. Luc. 21. *Leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*: ad Roman. 8. *Expectantes redemptionē corporis*. Cùm igitur. *Apud Deum copioſa ſit redemptio*. Pſalmo 129. Non vno, vel altero modo coarctata; fit, vt hæc liberatio a pœna temporali peccati remiſſi, quæ habetur per Indulgentiam, Redemptio conuenienter nuncupari queat.

CAPVT QVARTVM.

De varijs Ethymologijs, & Deriuationibus Iubilei.

Verborū Scripturæ Sacræ varia ſignificatio. D. Hieron.

DIvvs Hieron. tom. 5. cap. 12. Comment. in Eccl. docet, quod ethymologia Verbi, prout fuerit varia, varium quoque ſenſum inducit.

Sic variè, & diuerſimodè exponuntur ab eo verba illa, in eodem capite. *Impinguabitur locuſta, & diſſipabitur Capparis*. In Codicibus Hæbreis, loco. *Locuſta*, ſcribitur. *Chagab*, quod verbum apud eos, ambiguum eſt; poteſt enim talus, & locuſta transferri; *Vnde*, inquit; *Quemadmodum apud Ieremiam in principio verbum ſaced, variato accentu, & nucem ſignificat, & vigilias; vnde ille reſpondit: Baculum nuceum, & Dominus ad illum; Bene uidiſti, quia uigilabo ego ſuper verbum meum vt faciam illud; & ex hac ethymologia nucis, quæ ex varij ſermonis occaſione oritur, intelligitur, quod vigilaturus ſit Deus, & retributurus populo, quod meretur; ita quoque verbum Capparis, Hæbraicè anjona, ambiguum eſt, interpretaturque. Amor, deſiderium, concupiſcentia, & ſignificatur, quod ſenum libido frigeſcat, & organa coitus diſſipentur. Rurſus ex alia ethymologia indicantur, ſenum crura, & podagra tumoribus prægrauata, quod plerunque ſenibus id accidat. Hoc autem, ideo*, inquit, Hieronymus, *quia, hæc verba ambigua cùm in uocabulis ſuis, & amygdalum, & locuſtam, & Capparim ſonent, aliud deriuata ſignificant, & per figuram ad ſenſus, qui ſeni conueniunt, deriuantur*. Hæc ex Hieronymo.

Similiter dicimus, ex uaria Iubilæi deriuatione, diuerſos quoque ſenſus, omnes tamen pulcherrimos, & etiam, atque etiam ingenioſos, deriuari.

Nomen Iubilæi ethymologiæ referuntur, & explicantur. Rabi Salomon. Lyranus. Abulenſis. Iubilæus a Iobel. i. cornu vel buccina. Exod. 19. Ioſuè 6.

Octavam, vel etiam nonam Scriptores huius nominis, Iubilæi, ethymologiam referunt. Prima eſt Rabi Salomonis, & Nicolai de lira, & Abulenſis in Leuiticum loco citato, & ſuper Ruth quæſt. 10. quòd nomen Iubilæi deſcendat ab Hæbræo vocabulo *Iobel*, quod ſignificat cornu, vel buccinam, ſeu tubam. Vnde Exodi 19. vbi dicitur, *Cùm autem cæperit clangere buccina* in Hæbræo habetur *Iobel*. Et quia in menſe ſeptimo præcedenti, vt verior opinio habet, annum Iubileum, clangore buccinæ, annus quinquageſimus annunciabatur, ab huiuſmodi clangore, & ſonitu Iubilæus dictus eſt. Vnde Ioſue 6. fit mentio de ſeptem buccinis, uel tubis, quæ tempore Iubilæorum in vſu erant.

Abulen. An tubæ veteris Iubilæi Hæbræorum fuerint ex cornu, an ex metallo.

Abvlensis ſuper Ioſuè, parte prima, q. 6. & 7. quærit, an iſtæ tubæ eſſent de cornu, an de metallo; & dicit, Iudæos putare, fuiſſe de cornibus; quia *Ioel*, ſignificat cornu; *Sed ex hoc*, inquit, *nihil probant, quia Ioel æquiuocum eſt, æqualiter ad tubam, cornu, & quamcunque; & ideò quantum ex hoc indifferens eſt, an cornea, vel metallina tuba foret; ſed dicendum eſt, fuiſſe iſtas tubas argenteas, quia dicit, quarum vſus eſt in Iubilæo: Nam ex hoc innuitur, quòd erant factæ ad iſtum vſum, ſi tamen eſſent tubæ corneæ non eſſent factæ, nec portarent eas Iſraelitæ ſecum ex deſerto pro multis poſterioribus, quia tales tubæ vbique fieri poterant; ſed videtur, quod iſtæ tubæ eſſent ex argento, videlicet, pretioſæ, & iſtæ ſeruatæ eſſent ad vſum Iubilæorum*; Et multa alia in hanc ſententiam. De his tubis argenteis fit mentio Num. 10. immò, in omni ſolemnitate clangor fiebat huiuſmodi tubis, excepto feſto clangoris, in quo fiebat cornu, vt Num. 29. Lyrannus adnotauit.

Num. 29. Lyranus.

Ioſephus

Ioſephus lib. 3. Antiquitatum, cap. 11. argenteæ buccinæ talem ſpeciem deſcribit; *Canna erat tibia paulò craßior, longitudine paulò minus cubitali, cuius os tantum patebat, quantum ad inflandum ſufficeret, deſinebatque in extremitatem campanulæ ſimilem, quemadmodum tuba; ſoſta vocatur hoc genus apud Hæbræos*. Hæc Ioſephus. Ribera exiſtimat, tubas Iubilæi, corneas fuiſſe, ex loco Leuitici 25. adductus, vbi dicitur. *Clangens buccina* in Hæbræo eſt. *Saphar*, quod Hierony. in cap. 5. Hoſeæ in illud. *Clangite buccina in Gabaa*, buccinam interpretatur, & cornu recuruo effici dicit, & LXX. vertunt. *Tubam corneam*, cum dicitur, Pſal. 97. *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*; Verum, ex cornu arietis factas eſſe negat, quod neque ſignificationi, ut in feſto tubarum, nec vſui conueniebat; Buccina enim paſtoralis eſt, ait Hierony. in eodem loco, nec Paſtores cornu arietino ad buccinas vtuntur, ſed bubulo. *Cornea*, inquit Varro lib. 4. de lingua latina, *Quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu*. Quare Ioſuè 6. vbi habemus. *Sacerdotes tollent ſeptem buccinas*, in Hæbræo eſt vocabulum, quod diximus. In Græco autem κερατίνας, ideſt buccinas corneas maiorum animalium.

Deſcriptio buccinæ argenteę ex Ioſepho.
Ribera.
Leuit. 25.
D. Hieron.
Hoſe. 5.
Septuaginta.
Pſal. 97.
Varro.
Ioſue 6.

Svnt aliqui, ut Poſtillator ſuper Turrecrematam de pœnit, diſtin. 1. §. in Leuiticum, qui ſcripſerunt, illud cornu, quo in Iubilæis vtebantur Hæbræi, fuiſſe cornu Arietis, & morem fuiſſe illis aſſerunt in ſignum libertatis, ſeu liberationis alicuius ſonare arietino cornu, quoniam Dominus liberauit Iſaac offerendo arietem, quem Abraham ſacrificauit loco Iſaac, ita Sanctes Pagninus, & Munſterus in ſuis lexicis. Auguſtinus Eugubinus in adnotationibus, in cap. vlt. Numerorum. Oleaſtrius in Commentarijs, in capit. 25. Leuit. Verùm cùm in editione vulgata non dicatur. *Clangore cornu*, ſed *Buccina*, horum ſententia firma non eſt. Quis enim credat, vt in maxima Iubilæi celebritate cornibus arietinis clangerent? Denique Ioſuè 6. Tubæ. *Quarum uſus eſt in Iubilæo*, proferri iubentur, ut corruant muti Hierichuntini, quis ergo ex arietum cornibus factas putet?

Poſtillator.
Pagninus.
Munſterus.
Eugubinus.
Oleaſtrius.
Ioſuè 6.

Secvnda Ethymologia, eſt Ioſephi lib. 3. antiquitatum, cap. 10. qui docet, deduci hoc nomen ab Hæbræa dictione *Iobal*, quod interpretatur, remiſſio, uel dimiſſio, ſeù dimittens, uel à dictione *Iobel*, quę uox ſignificat libertatem, & ita habet Paraphraſis Chaldaica, Leuit. 25. *Vocabisq; libertatem*; quā ſequitur. B. Theodoretus Ciri, quæſt. 35. in Leuiticum, & Gregorius Nazianzenus in oratione in Sanctam Pentecoſten, & Rupertus Abbas lib. 2. Commentariorum in Ezechielem cap. 11. & lib. 2. in Leuiticū, cap. 41. Atque iſta uidetur mihi uera deriuatio, apertè enim in textu Leuitici exprimitur, his uerbis. *Hunc annum vocabis quinquageſimum remiſſionis cunctis habitantibus terram veſtram, ipſe eſt enim Iubilæus*. Quicquid dicat Steucus.

Iubilæus a Iobal ex Ioſepho.
Leuit. 25.
Theodoretus.
Nazian.
Ruper.

Tertia eſt Vgonis Cardinalis loco ſupra citato, & Bedæ in libro de Tabernaculo, qui putantes verbum *Iobel* interpretari quoque initium; Exponunt Iubilæum quaſi initians, ſiue initiatum dici, quoniam in limine, & in initio anni quinquageſimi libertates, & remiſſiones incipiebant.

Iubilęus i. initians ſeu initiatus ex Vgone & Beda.

Qvarta eſt eiuſdem Bedæ, tom. 7. Homilia in die Sanctæ Pentecoſtes, verſus finem, deriuantis hoc nomen Iubilæi ex *Iobel*, quod tamen aliter, quam antea interpretatur; videlicet, mutatus; *Iubilæus*, inquit. *Mutatus appellari iuſſus eſt, quod ſerui à captiuitate in libertatem mutarentur, quod poſſeſſiones, mutatione facta, ad priſtinos Dominus redirent, quod denique canente nouiſſima tuba reſurgent, & nos immutabimur in gloriam, & corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc, immortalitatem*.

Iubilęus à Iobel. i. mutatus, ex Beda.

Qvinta eſt Euſebij Cęſarienſis, in Chronicis dicentis; quòd cùm uox, *Iobel*, ſignificet quinquagenarium, idem ſit annus Iobilęus, atque annus quinquageſimus, cùm latina hęc uox, *Iubilæus* ab illa deducatur; Atque meo Iudicio, hęc deriuatio proculdubio eſt etiam ualde germana textui Sacrę Scripturę Numerorum ultimo in illis uerbis, *Cùm Iubilæus; ideſt quinquageſimus annus*, & Leuitici 25. Ibi, *quia Iubilæus eſt, & quinquageſimus annus*, ubi Septuaginta legunt. *Sanctificabis annum, quinquageſimum annum, ſeu potius annum quinquageſimum ipſum*.

Iubilæus à Iobel. i. quinquagenarius, ex Euſebio.
Numer. vlt.
Leuit. 25.
Septuaginta Interp.

Sexta Ethymologia eſt Latinorum deducentium hoc nomen Iubilęi, à uerbo

Iubilęus à Iubilo.

Iubilo,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Papias. Io. de Anania. Bercorius. Stephanus Notus.

Iubilo,& à Iubilatione,& lętitia;quia quod Hębręis temporalia, nobis Chriſtianis ſpiritualia debita dimittantur,gratulandum ſit,& iubilandum.Ita Papias Catholicon, & inter Canoniſtas, Ioannes de Anania in tractatu de Iubilęo, poſito immediate poſt Rubricam de Crimine falſi, Petrus Bercorius in ſuo Dictionario,uerbo, Iubilæus, & Stephanus Notus, Alijque quidam moderni Scriptores minutiores; Quocirca cum omnes cantent,in anno Sancto, *Iubilate*, rectè, inquiunt, Iubilęus nominatur. Eſt autem Iubilus, ut id obiter adnotemus, quod D.Auguſtinus in Pſal.80.docuit,& D.Thomas in commentarijs ſuper Pſal. 46. Gaudium immenſum,quod lingua exprimi nequit;uultu tamen, geſtu, ac uoce, & clamore datur intelligi. Id, quod Eccleſia fidelibus annuit, dum in eadem dictione multiplicat notas in cantu Eccleſiaſtico, protrahendo eamdem vocem per plures notas muſicales;neque enim hoc fruſtra,vel temere factum eſt,ut pleriſque recentioribus; qui nec ſummis labijs Spiritum Domini deguſtarunt, viſum fuit,verùm Spiritus Sancti conſilio,& Sapientia, Eccleſiam ſuam mouente, & regente.

Quid ſit Iubilus ex D. Auguſtin. & D.Tho.

Ratio,cur introductus fuerit mos protrahendi Sillabã per plures notas in cantu Eccleſiæ, explicatur.

Steucus.

AVGVSTINVS Steucus,hoc non probat,dum dicit; *Quidam putant à Iobilęo deduci Iubilare,quaſi ſtrepere lętari,ac vociferari,quod Græcum eſt verbum.Verùm etiam latini vſi hac uoce ſunt,videlicet Iubilo,à quo,& eiuſdem uocis verbum, ſed non ſignificatur ex lætitia illa, quàm innuit,hoc verbum Eccleſiaſticum.Dicit enim Auguſtinus Iubilare propriè Beatiſsimarum eſſe mentium, & gaudijs diuinis perfuſarum, itaque propriè in Cælo Iubilare inueniri,nõ in terris.Poteſt igitur Iubilare & Hæbraicum eſſe,& latinum.* Hęc Steucus. Sed quod dicit hic in terris Iubilare,non reperiri, non abſolutè pronunciandum eſt; cùm dicat Scriptura: *Iubilate Deo omnis terra.* Eſt enim Iubilus incipientium, proficientium, & comprehendentium. Et Primi, ut filij Iſrael in exitu de Aegypto de peccati euaſione iubilant. Secundi iubilant de meritorum adeptione. Tertij verò de pręmiorum receptione. Qui omnes ſuo modo iubilare dicuntur. Quod autem Steucus innuit, hoc verbum Eccleſiaſticum, *Iubilaus*, lætitiam aliquo modo ſignificare, rectè dicit. Cùm & Pontifices ſummi hac deriuatione Iubilęi, in ſuis Conſtitutionibus, vt inferius dicetur, optima ratione uſi ſint. Et Nauarrus putat, nuſquam apud latinos (Iubilęum) pro re ad iubilum pertinente uſurpari poſſe.Et quicquid ſit de ſignificatione, quę ex ui uocabuli emanat, demus enim ex ui nominis, nec lętum, nec lętificariuum ſignificare; tamen ab effectu, & conſequentibus lętum & maxima Iubilatione perfuſum annum illum eſſe, negari non poteſt; cùm tam apud Hæbręos ea, quæ in anno Iubilæi gerebantur; quàm quæ apud nos geruntur, cauſam maximæ lætitiæ afferant. Quo circa ſi à Iubilare, Iubilæus, quaſi Iubilus deriuetur, concedendum eſſet, barbaro vocabulo (ſic enim appellarent illud politiores Grammatici)Eccleſiam vti,quod tamen nequaquam admittendum eſt. Nouum quidem erit vocabulum,non barbarum;proprium, non improprium. Et quamuis non ita Latinum; Eccleſiaſticum tamẽ. Cùm enim plura ſint negocia,quam vocabula, vt dicitur in l.Nam.ff. de præſcriptionibus.; licuit Eccleſiæ in hac re nouo nomine, ſed proprio vti, quod nec Plato, nec Ariſtoteles damnant,habet enim unaqueq; facultas quædam propria nomina, quibus vtatur. Grammaticos autem poſt ponendos,& negligendos eſſe,quatenus ſenſus Scripturæ fiat notior,docuit D. Hieronymus Homilia 3.in Cantica Canticorum,vbi exponens illud. *Sicut arbor mali inter ligna ſyluarũ,ſic fraternus meus inter medium filiorum*,loco *mali* ponit *meli*, dicens. *Comparat eum arbori mali,ſed ne ex ſimilitudine ſermonis ſimpliciores aliqui, Arborẽ mali, malam Arborem putent, & à malitia dictam,dicamus nos Arborem meli, Græco quidem nomine vtentes,ſed ſimplicioribus quibuſque latinorum,plus notiorem,quàm mali,melius eſt enim,vt Grammaticos offendamus, quàm legentibus ſcrupulum aliquem in veritatis explanatione ponamus.* Hæc Hieronymus. *Habet namque Grammatica,* vt idem ſcribit,ſuper cap.1.Epiſt.ad Titum, *in ſua ſcientia veritatem,ſed non eſt ſcientia pietatis.* Et in camdem ſententiam D.Iſidorus lib.3.ſenten.cap.13.num.9.ait. *Simplicioribus literis non eſt praponendus fucus Grammaticæ artis, meliores ſunt communes*

Iubilus triplex in terra & in cælo.

Nauar.

Bene deducitur Iubilæus à lætitia & Iubilatione.

Iubilæus à Iubilo nouum vocabulum, non barbarũ.

Grammatica contemnẽda eſt,vt Scriptura melius intelligatur ex D. Hieron.

Grammatica non eſt ſcientia pietatis.

Iſidorus.

munes

manes literæ, quia ſimpliciores, & ad ſolam humilitatem legentium pertinentes, illa verò nequiores, quia ingerunt hominibus pernicioſam mentis elationem. Et quamuis ſine dubio meliores ſint Grammatici, quàm Hæretici, vt ibidem Iſydorus num. 10. Hęretici enim hauſtum lætiferi ſucci hominibus perſuadendo propinant, Grammaticorum autem doctrina poteſt etiam proficere ad vitam, dum fuerit ad meliores vſus aſſumptæ. Hodie tamẽ quidam Grammatices Profeſſores adeo ſuis artibus, & regulis hęrent, vt ſæpè impiè hoc nomine, vel Scripturam ſacram, vel alias res Eccleſiaſticas, eorumque vocabula mutent, peruertant, detractent, vti fecerunt Eraſmus, Valla, & alij. Sed ad rem noſtram.

Quorundam Grammaticorũ impietas.

Ex Hac Ethymologia emanauit apud Flandros, Gallos, Germanos, alioſque Belgij populos conſuetudo quædam Iubilaria ſiue lętitiæ, quæ ex antiquiſſima illarum prouinciarum conſuetudine, ſiue potius Patrum, & Auorum traditione per ueteri inuiolabiliter uſq; ad hæc tempora obſeruatur, prout nobis teſtatus eſt doctiſſimus Pater Donnus Arnoldus Vuionius Belga, Monachus Sancti Benedicti. Mos autem ille talis eſt, ut ab infimis incipiam. Si ſeruus, uel Ancilla per ſpacium annorum quinquaginta uni Domino, vel alicui familiæ continuò inſeruierit, anno quinquageſimo finito, emancipatur, gaudetque Priuilegijs filiorum, uel filiarum Domini ſui, & in ſignum huius libertatis opiparum conuiuium ab ipſo Familiæ Principe apparatur, ad quod inuitantur Propinqui, & Amici, tàm Domini, quàm ſerui, iam liberi facti, qui ſeruus, uel Ancilla, illo die, ut Domus Dominus omnia diſponit, primumque locum in Menſa obtinet, &c.

Conſuetudo Iubilaria apud quoſdam populos quæ ſit explicatur.

Donnus Arnoldus Vuionius Monachus Benedictinus.

Serui vel ancillæ.

De coniugatis idem omninò obſeruatur, circa conuiuium & parentum, ac amicorum inuitationem, addito etiam Miſſæ ſacrificio, ad quod proceſſionaliter procedunt omnes inuitati, bini, ac bini, Viri cum Viris, & Mulieres cum Mulieribus; Ipſo Quinquagenario Sponſo, ſeu quinquagenaria Sponſa præcedente, nuptialibus indutis, duobus propinquioribus Vxoris conſanguineis Sponſi latera cingentibus. Sponſæ uerò, duobus ſimiliter Viri ſui propinquioribus cognatis. Miſſa finita, in qua ipſi quinquagenarij Sponſi communicantur, eodem ordine, quo ad Eccleſiam proceſſerant, Domum reuertuntur, totaque dies illa in lætitia, conuiuijs, & tripudijs honeſtis inſumitur. Sacerdotes Laici, ſiuè Præbendarij. Anno Sacerdotij ſui quinquageſimo, inuitatis Propinquis, ac amicis, nouum (vt aiunt) Miſſæ Sacrificium offerunt. Quo peracto, in domo ipſius nouelli Quinquagenarij Sacerdotis honeſtè recreantur, ab illoque die ipſe ſacerdos immunis reputatur, liberque exiſtit ab omnibus Chori obligationibus, ad quas ante tenebatur, & quaſi vnus ex alijs Sacerdotibus fructus Præbendæ ſuę annuatim percipit, tanquam ſi perſonaliter ad Chorum cum cæteris conueniret, &c.

Coniugati.

Sacerdotes.

Illvd idẽ obſeruatur in Monachis, & alijs Religioſis Anno Profeſſionis ſuæ Quinquageſimo, quo ita liberi efficiuntur, vt quodammodo videantur exempti ab Abbatis, ſiuæ Pręlati ſui, obedientia, licentia exeundi foras excepta; nam cum cæteris Monachis ad Chorum amplius non conueniunt, in Refectorio non comedunt, non dormiunt in Dormitorio, ſed deputato illis ab Abbate ſeruo vno, & Camera ſeparata intra Monaſterij Clauſtrum, ſibi ſolis viuunt, Patreſque Iubilarij in Poſterum appellantur, idemque qui ipſis Abbatibus, honor omnino illis exhibetur ab omnibus. Et hæc de conſuetudine anni Quinquageſimi in illis partibus. Idem verò in omnibus fermè Vniuerſitatibus, Doctoribus prælegentibus artes, conceditur, vt pari modo cum Clericis ſupradictis, poſt certum quoddam annorum ſpatium iubilare dicantur.

Monachi & alij regulares

Septima Interpretatio eſt D. Gregorij lib. 1. in Iob cap. 6. Hic exiſtimat, Iubilæum, requiem, & quietem importare, *Iubilæus* inquit *annus, in quo plena requies exprimitur, ſeptem hebdomadibus conſumatur, quibus monade addita, noſtræ adunationis ſumma impletur*; Idem tomo 2. Homilia 24. in Euangelium Ioannis, & lib. 2. ſuper Ezechielem Homil. 17. & 19. Vnde à die ſeptimo, in quo Dominus requieuit, originem, & deriuationem trahere dicit.

Iubilæus, i. requies ex D. Gregorio.

Beda tom. 7. in citata Homil. de feſto Pentecoſtes, eamdemquoque interpreta

Beda.

tionem

tionem approbat,dicens.*Neque hoc prætereundum eſt,quod ideo numerus quinquagenarius ſignificationi internæ quietis aptatur,quia ex ſeptem ſeptimanis, & monade perficitur:ſex quippe diebus in lege populus operari,ſeptima quieſcere,ſex annis arare,& metere,ſeptimo iuſſus eſt ceſſare;quia & Dominus ſex diebus mundi ornatum perfecerit,ſeptima ab opere ſuo ceſſauerit.*

Iubilæus à Iobel .i. germen ex Caietano.

Octava Ethymologia eſt Caietani in ſuis Commentarijs ſuper Leuiticum, nouam ſignificationem afferentis,videlicet,quod nomen Iobel, ſit à germine terræ ſumptum.Sic quoque etiam Hæbraice interpretatur Iobel,& ſic annus Quinquageſimus à Iobel deriuatus,interpretabitur Annus Germinis, tamquam ferax libertatum hominum, & agrorum, tamquam in eo fiat reſtitutio proprij germinis Terræ promiſſionis,redibit ſiquidem,vt dictum eſt,quilibet ad Tribum ſuam, & ad poſſeſſionem ſuam.Et quamuis germinare verno, & æſtiuo tempore præcipuè conueniat,non autem Hyeme,vel Autumno; tamen hic annus Iubilæi ſemper germinare dicitur,numquam nouos flores,nouoſque fructus non producere, vel temporales,vel ſpirituales.Olim quidem Hæbræis caducos, & terreſtres,nobis autem Chriſtianis,diuinos,& ſpirituales; quem locum non iniucundè proſequitur Angelus Picutinus lib.3.cap.4.

Angelus Picutinus.

Iubilæi annus .i. magnus annus Ioan. Baptiſta Paulianus.

Nona & vltima interpretatio,eſt Aliquorum,quæ etiam placet Ioanni Baptiſtæ Pauliano,qui ab alia ſignificatione dictionis,*Iobel*,(quæ Magnus Dei Latinè interpretatur) dicunt Iubilæi annum dici, quaſi ſit magnus annus ipſius Dei,præ cæteris dignior,præ cæteris excellentior, in quo Deus ſua dona, & benignitates ampliſſimo modo hominibus communicat, vt inferius lib.4. latius exponemus.

Miſtica explicatio huius nominis.

Verum quicquid ſit de iſtis interpretationibus, quantum ad literam,omnes tamen ſuam miſticam referunt ſignificationem; eſt enim hic Annus magnus Dei, in quo remiſſio nobis pleniſſima per ſonitum Cornu,ideſt Chriſti annunciatur & prædicatur. *Vt prædicem*, inquit, *captiuis Indulgentiam, liberationem, annum placabilem, & remiſſionis*. Chriſtus namque eſt Cornu ſalutis noſtræ. *Erectum de Domo Dauid pueri ſui*, de quo Micheæ 4.& Apocalipſis 5.Enimuerò cùm Pater Æternus ad ſacrificandum filium ſuum miſerit, non amplius Victimas, & Holocauſta poſtulans pro peccato, corpus autem quemadmodum Vaticana, & Septuaginta Interpretum Lectio habet, filio aptans. *Corpus*, inquit Dauid, *Aptaſti mihi*, Pſal.39. nequaquam Diuinitatem, quæ pati non poterat, ſed arietis caput inter ſpinas apparens,hoc eſt Chriſti humanitatem omnium crimina ſine peccato ferentem, fecit immolari. Hoc organo coniuncto Diuinitati, remiſſio ſufficientiſſima præſtatur, per quam datur nobis vera Iubilatio; & Pax, quæ exuperat omnem ſenſum; quia per Chriſtum reconciliati ſumus Patri, qui erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. *Pacificans per ſanguinem eius:ſiue quæ in Cœlis, ſiue quæ in terris ſunt.*Quæ omnia æternum Sabbatiſmum; & gloriæ ſempiternæ quietem nobis præparant, & operantur. Verum de his miſticis ſignificationibus copioſius ſuo loco.

Micheæ 4. Apoc.5.

Lectio Vaticana ſeptuaginta. Pſal.39.

CAPVT QVINTVM.

De eius Recta Pronunciatione; ſcilicet, An Iobilæus, vel Iubilæus ſit dicendus.

Variæ pronunciationes apud Auctores. Ioſephus. Pagninus. Rabi Salomõ Lyranus. D. Hieron. Marianus Victorius.

IOsephvs lib.3.antiquitatum cap.10.dicit, quod huiuſmodi Annus, appellandus ſit, Annus Iobelus.

Pagninus perpetuò legit Iobel,Rabi Solomon; & Nicolaus de Lyra ex deſcendentia huius vocis Iubilæi, à verbo Iouel, uel Iobel,inferunt non Iubilæum, ſed rectius Iobilæum debere dici.

D.Hieronymvs tomo 3.Epiſtolarum Epiſt.125.ad Damaſum, quæſtione 1.in fine,& in Epiſt. 127. Iobilæi vocabulo vtitur. Et Marianus Vi-

ctorius in ſua tabula in D. Hieronymum rectius Iobilæus annus poſt ſeptem annorum Hæbdomadas, vocari exiſtimat, quàm Iubilæus; atque etiam Ioannes Baptiſta Paulianus in ſuo libello de Iobilæo, Cardinalis Alexandrinus in ſumma, de Pœnitentia diſtinctione ſeptima. Turrecremata, loco citato, Marcus Antonius Sabellus lib. 3. Æneadis, & Polidorus Virgil. lib. 8. de Inuentoribus rerum, atque etiam Nauarrus in ſuo commentario de Iobilæo, & Indulgentijs ſuper Cap. Si quis aliquando, §. in Leuiticum, de pœnit. diſtin. 1. & Caietanus in commentarijs ſuper Leuiticum, quamuis hic putet rectius dici Iobelæus, quàm Iobilæus.

Paulianus. Card. Alexã. Turrecrem. Sabellius. Polidorus. Nauarrus. Caietanus.

Antonius Cordubenſis lib. 5. de Indulg. quæſt. 11. exiſtimat, corrupto vocabulo, & mutata litera, ò, in, u, vulgo dici, Iubilæus. Et addit, Iſydorum, qui Iubilæi voce vtitur, vulgarem modum loquendi ſecutum eſſe, quod difficile eſt credere.

Cordubẽn.

Avgvstinvs Steucus in Leuiticum 25. & num. 37. eamdem affert rationem deriuationis Iobilæi, & dicit, quod nemo ferè eſt, qui neſciat à ſonitu cornu ſignificari, totus enim ille clangor, & buccinatio, quæ per omnes Vrbes Iſrael fiebat, ut tempus adeſſe ſignificaretur, Iobilæus Hæbraicè vocatur. Quamobrem admiratur magnoperè, cùm hæc vera, inquit, ſit ratio, quare Iobilæus vocetur; Septuaginta Interpretes quod alio modo huiuſmodi vocabulum tranſtulerint, ideſt remiſſionem, ſed ea, inquit, non eſt vocis proprietas. Hæc ex illius ſententia.

Steucus.

Cyrillvs Franchus Seruita in commentario ſuo de Iubilæo, ca. 2. optimè dicit, ſi originem vocis attendamus, vocem propriam linguæ ſanctæ eſſe à Deo optimo Max. adeò inſtitutam, ut opus non ſit inueſtigare, à quo ſit deducta. *Iobel eſt*, inquit, *Deus, & Iubilæus erit: habet quidem vox iſta latentem quandam energiam, non omnibus compertam. Nec multum mihi referre videtur, ſi dixerimus Iubilæum, vel Iobilæum, niſi potius dicere voluerimus Iobel, quæ propria eſt, ac legitima vox huius rei, quod tutius dicendum eſſe credo, ſi tamen ad noſtrum etiam extorquere voluerimus, Idioma, ita dicemus Iubilæum; quemadmodum Iobilæum, quamuis Iobilæum dicere magis accommodatum videatur voci Iobel, Iubilæum autem etiam dicemus, Cacophoniam gratia euitandi, nobis enim commodior erit pronunciatio, ſi Iubilæum dixerimus, & grauior vocis explicatio.* Hæc ille, & bene.

Ciril. Frãcu.

Franciscvs Ribera lib. 5, de Templo ca. 24. in fine varius fuit in hac re, inquit enim. *Quod ad nominis orthographiam attinet, rectius Iobilæus ſcriberetur, ut apud Hierony. lego in cap. 1. Epiſt. ad Galatas. Iobelum mallem, ut Ioſephus, cùm ſit in Hæbræo Iobel, aut certè Iobelæum. Sed quoniam conſuetudo obtinuit, vt Iubilæus dicatur, ſcientiam nobis reſeruemus, vſum populo relinquamus.*

Ribera. D. Hieron.

Sed prius quàm huic capiti extremam manum imponamus, illud adijciendum eſt, me etiam, atque etiam mirari, ea, quæ ſcribit Nauarrus, Vir alioquin doctiſſimus, & grauiſſimus in Commentarijs ſuper dictum, §. in Leuitico not. 4. num. 1. 2. & not. 31. in principio, & quæ nota. 1. num. 8. & 9. corol. 2. & 3. quibus in locis pugnantia, & minus rectè ſibi inuicem correſpondentia docet; ex uno capite aſſerens, annum Iubilæum Hæbræorum nequaquã noſtrum demonſtraſſe; immò hunc toto Cælo ab illo diſtare, quinque rationibus conatur oſtendere; ex altero verò capite deſudat, vt perſuadeat eodem vocabulo, quo Hæbræi ſuum veterem, noſtrum eſſe nominandum, Iobelæum ſcilicet. Vide quæſò pulchrum quid, atque præclarum. Aſſerit hunc annum noſtrum Iubilæi, nec fuiſſe præfiguratum ab illo Hębraico, neo aliquid commune prorſus cum illo habere. Vt quid ergo contendit illum appellare recto nomine Hębręo, Iobelęum, & non potius latinè Iubilęum, vt textus Scripturę Sacrę paſſim, Conſtitutiones Pontificum, & Sapientes, appellant. Nonne vulgata Editio, quę omnium aliarum eſt emendatiſſima, & quàm definitione Concilij Tridentini ſeſſ. 4. cap. 2. irrefragabiliter ſequi debemus, ita habet? Nonne Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Beda, Rupertus, & alij Patres ita ſcribunt, & nominant? Et quamuis Hieronymus alibi Iobilęum nominauerit; Epiſto. tamen 151. ad Algaſiam q. 6. Iubilęum appellat.

Nauarr. ſibi contradicit.

Refutatur doctrina Nauarri.

Editio vulgata Cõc. Trid.

Vox Iubilæi catholica, & vſurpanda.

appellat. Sed rogo. Quonam potius vocabulo Pontifices Maximi ſuis in Bullis perpetuò vtuntur? Eſt ſanè hoc vocabulum, Eccleſiaſticum, orthodoxum, atque catholicum, & quamuis minus latinè dictum, à Sacris tamen Scriptoribus receptum, & à cunctis fidelibus probatum, & vſurpatum, & tam à doctioribus, quàm à ſimplicioribus clarius cognitum, & intellectum. His omnibus addendum eſt, quod, & ſi hęc dictio, Iubilęus barbara eſſet, nec ſecundum regulas, & inflexiones grammaticales; nihilominus ob illam rationem, ea vti debemus; quod illam Scriptorum, & Vulgi conſuetudo perpetuò retinuit, & approbauit, cùm ſummopere ad facilitatem, & ſimplicitatem intelligentię faciat. Hac ratione motus D. Hieronymus, cùm Cubitum, neutrali genere, ritè iuxta Grammaticam ſcribendum ſit, non recuſauit in maſculino, Cubitum dicere, cuius hic verba ſubſcribam in lib. 12. Commentariorum ſuper 40. cap. Ezechielis. *Illud* inquit, *ſemel monuiſſe ſufficiat, noſſe me Cubitum, & Cubita neutrali appellari genere, ſed pro ſimplicitate, & facilitate intelligentiæ, vulgique conſuetudine ponere in genere maſculino; non enim curæ nobis eſt vitare ſermonum vitia, ſed Scripturæ Sanctæ obſcuritatem, quibuſcunque verbis ediſſerere.* Et lib. 14. in cap. 47. *Quod cubitos genere maſculino, & non neutrali Cubita dicimus, iuxta regulam Grammaticorum, & in ſuperioribus docui, non nos ignorantia hoc facere, ſed conſuetudine, propter ſimplices quoſque, & indoctos, quorum in congregatione Eccleſiæ maior eſt numerus.* Hæc Hieronymus. Et D. Auguſtinus in Pſalmum 138. maluit dicere. *Oſſum oſſi.* Quàm. *Os oſſis*, vt facilius intelligeretur: *Melius eſt*, inquit, *Vt nos reprehendant Grammatici, quàm, vt non intelligant Populi.* En igitur, quod conſuetudo, & vulgaris modus loquendi in his eſt inſpiciendus, ſapientibus enim, & inſipientibus debitorem ſe agnoſcit Apoſtolus. Quid? quod Gregor. Magnus in Epiſt. 48. lib. 9. Regiſtri, inhibens Deſiderio, Epiſcopo Galliæ, ne Grammaticam doceat; moleſte ferens, eum nugis, & ſæcularibus literis ſtudere; dicit. *In vno ore cum Iouis laudibus, Chriſti laudes non ſe capiunt; & quàm graue, nefandumque ſit Epiſcopis canere, quod nec Layco Religioſo conuenit, ipſe conſidera.* Hæc Gregorius. Factum Origenis id quoque omnino perſuadet; Hic enim, teſte Euſebio lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 3. cum ab ineunte ætate Grammaticæ operam dediſſet, & non mediocrem ad eius præcepta docenda facultatem conſecutus eſſet, vbi diuinas literas deguſtare cępiſſet, abiecta cunctatione, Grammaticæ inſtituendæ exercitationem, vt potè Sacris literis inutilem, & propè aduerſariam, depoſuit. Deinde conſilio inito, & neceſſaria ratione ſubducta, ne aliorum ſubſidio ad vitam degendam aliquando egeret. Quicunque libri, orationes veterum Scriptorum complectentes, iique accuratè, & eleganter ab illis compoſiti ſibi ſuppetebant, eos vendidit, pacta conditione, vt ab emptore in dies ſingulos quatuor oboli ipſi ad victum ſuppeditarentur. Hæc ex Euſebio.

Vſitatus modus loquendi non eſt reijciendus. D. Auguſt. & D. Greg.

Origenes libros grammatice vendidit. ex Euſebio.

Vocabula multa, à quibuſdam barbara indicata, in ſacris Concilijs vſurpata ſunt.

Aduertendum præterea hic eſt, quod pleraque vocabula, quæ ab ijs, qui apud ſe ipſos ſapientiores ſunt, barbara, inculta, & horrida dijudicantur; nihilominus à Sacris Concilijs Oecumenicis, & præcipuè à Tridentina Synodo, in qua interfuerunt Patres ad numerum 255, ſunt vſurpata, & vſitata.

Scotus & Caiet. non bene loquuntur de nomine tranſubſtantiationis. in Eccleſia iampridem vſitato. D. Athanaſ. D. Hieron.

Doctor ſubtilis huic vocabulo, Träſubſtātiationi, aduerſatur, In quarto, diſt. 10. quæſt. 1. & diſtin. 11. quæſt. 3. quod etiam fecit Caietanus 3. par. quæſt. 75. art. 1. & quamquam res ipſa Euchariſtię à Chriſto inſtituta ſit in Eccleſia, hoc tamen tranſubſtantiationis vocabulū à tempore Innocentij III. in Conc. Lateranenſi c. 1. & habetur in Canone, *Firmiter* de Summa Trin. & fide Catholica, in Eccleſia Catholica aptiſſimè vſurpatum eſt; multis enim vocabulis Eccleſia vtitur, quæ non ſunt in ſcripturis, vt docet D. Athanaſius in diſputatione contra Arrium, & D. Hieronymus ad Galat. 1. explicans illud: *Notum vobis facio Euangelium. Vellem*, inquit, *vt iſti à Cicerone quærerent, cur in ſua Philoſophia portentoſis verbis vſus fuerit; inde enim ſe excuſat, quod aliàs non poſſet Philoſophiam Platonis explicare.*

Sotus malè docuit contra terminum illum, ex opere

Dominicus de Soto in 4. diſtin. 1. quæſt. 3. art. 1. poſt quartam Concluſ. terminum illum Scholæ, *Ex opere operato*, vt maximè barbarū contemnit, & damnat; ſacroſan-

operato. & alios, de congruo, & condigno.
Conc. Trid.

croſanctum tamen Concilium Tridentinum vtroque vtitur, & omnibus præcipit, vt in ſcribendo, ac prędicando, ſub pœna anathematis, illis utantur; illud quidem ſanciuit in ſeſſ. 13. cap. 4. & Can. 2. Quod etiam Conc. Viennenſe, Lugdun. & Conſtan. fecit, hoc autem ſeſſ. 7. Cano. 8. Quod etiam Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini ſeſſione 7. Canone 8. & Kemnitius in 2. par. examinis tamquam portentoſum & monſtruoſum verbum derident. Sed in eo vocabulo nulla eſt nouitas, niſi quod contra regulam Grammaticæ *operatum*, paſſiuè ſumitur; At, nec id nouum eſt. Cùm in Epiſt. ad Hæbræos cap. 13. contra regulam Grammaticæ paſſiuè accipiatur (*Promeretur*) dum legitur. *Talibus enim hoſtijs promeretur Deus*. Vt rectè Bellarmin. notauit lib. 2. Sacra. c. 1. & Henriquez, lib. 1. cap. 16. in gloſſa, qua etiam Voce utuntur Hugo lib. 1. par. 11. cap. 1. D. Tho. 3. par. quæſt. 62. art. 1. & poſteriores Theologi.

Bellar.
Henriq.
Hugo.
D. Tho.

Idem Dominicus de Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 4. conuenientiſſima illa, ac maximè accommodata vocabula. *De congruo, & condigno*, ad quęſtionem de merito, & operibus explicandam reijcit, & explodit; ſed ſine ratione; nam in doctrina D. Thomę in prima ſecundę quęſt. 124. nil clarius; & ut adnotauit Ioannes Antonius Delphinus li. 5. de Iuſtificatione, etiam Orthodoxi Patres, de congruo merito, fecerunt mentionem, D. enim Auguſtinus in 2. Epiſt. ad Sixtum, quę eſt. 105. ait. *Ipſa remiſſio peccatorum non eſt ſine aliquo merito; fides enim hanc impetrat; eſt enim meritum aliquod fidei, qua dicebat Publicanus; Deus propitius eſto mihi peccatori, et deſcendit iuſtificatus. Verùm, ipſius fidei, qua Chriſtianus fidelis, aut Iuſtus fieret, nulla præceſſerunt ipſius merita. Nam ipſa fides eſt, vnde omnis Iuſtitia ſumit initium, qua niſi oranti data eſſet, orare non poſſet.* Cum dicit Auguſtinus, merita nulla pręceſſiſſe, quibus iuſtus homo fieret, ſine dubio de condignis meritis loquitur, cùm autem dicit remiſſionem peccatorum non ſine aliquo merito eſſe, haud quaquam de condigno loquitur; non enim poteſt illud remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem præcedere; quandoquidem prorſus à gratificante gratia pendet; itaque de congruo merito, deque merito impetrationis accipiendus eſt Auguſtinus. Præthereà docet ille idem poſſe à nobis perſeuerantiam ſuppliciter emereri, quæ tamen ſub condignum meritum non cadit. D. Thomas loco citato art. 5. ad primum exiſtimat, Auguſtinum, ſententiam illam, quod fides iuſtificationem mereatur, retractaſſe, cum aliquando in eo fuerit deceptus, quod crediderit, initium fidei eſſe ex nobis; ſed conſumationem nobis dari ex Deo; quod ipſe in lib. retractationum, recantat: Et ad hunc ſenſum videtur pertinere, quod fides Iuſtificationem mereatur; Sed ſi ſupponamus, ſicut fidei veritas habet, quod initium fidei ſit nobis à Deo, iam etiam ipſe actus fidei conſequitur primam gratiam, & ita non poteſt eſſe meritorius primæ gratię. Hęc optimè. D. Thomas. Sed de hoc merito congrui, vel impetrationis in proprio libro à nobis in lucem edendo catholicè diſputabitur.

Delphinus.
D. Auguſt.
D. Thomas

Nauarrus male reprehēdit nomen Irregularitatis, & Indulgentiæ

NAVARRVS in Manuali Confeſſorum, cap. 17. num. 191. dicit, nomen Irregularitatis eſſe parum Latinum, & in Commentarijs de Iubilæo, & Indulgentijs, notabili 20. num. 3. dicit nomen Indulgentiæ pro remiſſione pœnæ ſumptum non eſſe admodum latinum, ſed à ſolis barbaris pro eo quod, eſt indulgere, ſumi. Verùm hi caueant, quod dum Grammaticam obſeruant, & Vallam ſequuntur, ne Theologiam offendant, & Concilia Oecumenica ſpernant; & dum politi Grammatici videri volunt, à doctis Theologis reprehendantur. Habet enim vnaqueq; facultas ſuos proprios terminos, & apta vocabula, quibus vtitur; & res non per extranea verba, ſed per vſitata, & propria eſt pertractanda, ut ait textus in cap. Relatum. 37. diſtin.

SVNT aliqui, qui uocem Incarnationis, qua ad ſignificandum, quod Verbum caro factum ſit, Eccleſia utitur, ut minus latinam, reijciant; ſed præterquam quod hoc nomen ex ſacris literis & pręcipuè ex Euangelio Ioannis, fundamentum, & originem trahit; Antiquiſſimi, & latinæ linguæ peritiſſimi Patres, eo uſi fuerunt.

D.Leo. D. Hieron. D.Cyprian. Lactantius Firm. D.Auguſt. Cicero nouis rebus, noua nomina impo nenda docuit.

D.Leo in Concione 2.de Natiuit. Domini. D.Hieronymus in illud Marci 1. *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti eius*, Cyprianus lib.2. contra Iudæos cap.2. Lactantius Firmianus lib.4. Diuinarum inſtitutionum cap.11. D.Aug.lib. 9.de Ciuit. Dei cap.17.& ſexcenti alij; Eſt enim illa uox, *Incarnatio*,aptiſſima ad explicandum myſterium, quo Deus carnem humanam aſſumpſit, & quamuis ſit noua,eſt tamen propria,et accommodata. Licet enim,iuxta illud vulgare dictum Ciceronis,lib.1. Academ. *Inuentis nouis rebus,noua adinuenire vocabula*,quæ omni carent reprehenſione; cùm & in reipſa, & in uſu, ſapientum fundamentum habent.

Ex Abulenſi dictio Iubilæus eſt latina ex Hæbræo ducta.

CONCLVDENDVM eſt igitur cum Abulenſi ſuper Ruth quæſtio. 10.quod dictio *Iubilæus* eſt Latina, ad ſimilitudinem tamen Hebraicę dictionis; ſcilicet *Iobel*, ſicut interdum ex dictionibus Græcis formamus latinas, manente eadem materia & mutatione,& formatione caſuum,& declinatione,ut eſt vulgare apud Grammaticos. Vnde politiſſimi Latinæ linguæ ſcriptores, hac pronunciatione Iubilęi utuntur,ut Cyprianus in libro de Spiritu ſancto. Medina in opere de Indulgentijs,in diſputatione octaua,cap.40.& Illuſtriſſimus Palæottus in libro ſuo, quem de adminiſtratione Eccleſię Bononienſis nouiſſimè edidit.

D.Cyprian. Medina. Palæottus.

CAPVT SEXTVM.

Qui maximè Auctores de Sacro Iubilæo ſcripſerint.

Piētinus multos refert Auctores, agentes, de Cæremonijs & de Canone Miſſæ.

ANGELVS Pientinus in Præfatione in quattuor libros de ſacro Iubilæo nu.4.ſcripſit, pleroſque Auctores de ſacris Eccleſię cæremonijs egiſſe, & ſigillatim quoſdam de Diuinis officijs tractaſſe, alios verò Miſſę Canonem, ſiue etiam totã Miſſam fuſius expendiſſe(vt Rup.Abb.Gulielmus, Gabriel Biel D.Thomas, & alii,) rariſſimos autem fuiſſe,qui de ſacro Iubilęo ſcripſerint,et hos quidem breuiſſimè;quamuis plurimi,ac doctiſſimi Viri de Indulgentijs,ingẽtes tractatus in lucem ediderint. Franciſcus Pegna Egregius Romanæ Rotæ Auditor in ſua Epiſtola;quam præfixit,Opuſculo Cyrilli Franchi,dixit,quod,quamquam plurimi de Indulgentijs, earumque valore plurima dixerint; at de Iubilæi anno hiſtoriam nemo ſcripſit.

Franc.Pegna.

Falſum eſt paucos ſcripſiſſe de Iubilæo.

NOS igitur,& ſi vltro demus, Vetuſtiores ſcriptores minime reperiri, qui propriam de Iubilæo tractationem inſtituerint;negamus tamen, neminem, paucos, vel rariſſimos eſſe,qui ſermonem, & hiſtoriam texuerint de illo; per plures enim reperio ſcriptores, qui non ſolum obiter, ſed etiam ex profeſſo mentionem illius faciant.

Enumerãtur omnes Auctores de Iubilæo tractantes.

Primus,qui de magno Iubilęo ſcripſerit,fuit Iacobus Illuſtriſſimus Cardinalis Sancti Georgii in Velabro,Nepos Papę Bonifacii Octaui,ex ampliſſima familia Caietana. Hic librum conſcripſit,cuius titulus eſt,de centeſimo,ſeu Iubilæo, qui in Bibliotheca Canonicorum Baſilicæ Vaticanæ aſſeruatur, cui dum ego præeſſem multis abhinc annis, huiuſmodi librum inter plures alios, inter pulueres iacentem reperi: magnaque omnium lętitia. (Inſtabat enim tunc annus Iubilæi à Gregorio XIII. Indicti,)promulgaui,atque in hominum notitiam primus protuli: Ac deinde cum illum ad Cardinalem Sirletum, Virum doctiſſimum,tunc Sanctiſſimi Papæ Bibliothecarium detuliſſem, iuſſu eiuſdem Gregorii liber reſcriptus in eadem Pontificia Vaticana Bibliotheca,ſedem obtinuit. Hiſtoriam hanc de Anno centeſimo, ſeu Iubilęo, Nauarro Doctori,communicaui, & Reuerendo Monacho Petro, qui in ſuis libris hiſtorialibus huius rei mentionem facit. Proſequitur præfatus Iacobus eo in libro antiquiſſimam Iubilæi originem,Bonifacij

facij Octaui circa eumdem Decreta varioſque ritus, & cæremonias in eo centeſimo anno.

Turrecremata Vir Diuini, & humani Iuris peritiſſimus, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in Commentarijs ſuper decretum de Pœnitentia, Diſt. 1. §. item in Leuitico q. 8. ample de Iubilæo tractat. Cardinalis Caietanus tomo 1. Opuſculorum tract. 15. cap. 7. & Ioannes de Anania inſignis Iuriſconſultus integrum facit tractatum de Iubilæo, qui habetur poſt Rubricam de crimine falſi. Similiter etiam Felinus Sanderus in ſuo tract. de Indulg. habetur in ſuis tractatibus vtriuſque iuris, 95. tom. 1. D. Antoninus prima parte tit. 10. capit. 3. §. 3. & 6. Supplementum Gabrielis, Diſtin. 45. quæſtio. 3. Sotus Diſtin. 21. quæſtio. 2. artic. 1. Cordubenſis quæſt. 9. de Indulg. Ioannes Friburgenſis in tract. de Indulg. quæſtion. 6. Silueſter, verbo. Indulgentia num. 24. Adrianus in 4. in materia de Indulgentijs. Ioannes Echius in Enchyridion tit. de Indulg. & in diſputatione Lypſica. Cathalogus gloriæ Mundi, parte 12. conſideratione 39. Archidiaconus Diſtin. 7. in ſumma, & Alexandrinus ibidem; nec non Albericus in ſuo Dictionario, verbo, Iubilæus. Martinus quoque Doctor Nauarrus integrum, & longum Commentarium De Iubilæo, & Indulgentijs nobis reliquit. Paulianus de Iubilæo, & Indulgentijs tres libros ad Iulium Tertium Pontificem Max. directos conſcripſit. Cirillus Francus ſeruita de Anno Iubilæi per pulchrum Commentarium edidit.

Alij recentiores, ut Coſmas Montigianus, Cęſar Bottoni, Iſidorus Valeranus, & nonnulli alij, libellos vulgari Idiomate piè, nec indoctè ſcriptos ea de re reliquerunt. Nouiſſimè, de Iubilæo pertractant. Gregorius de Valentia in lib. de Indulgentijs cap. 6. & Henricus Heriquez in tract. de Indulg. lib. 7. ſuæ ſummæ Theologiæ Moralis, tomo primo. Et tandem accepi, doctiſſimum uirum Robertum Bellarminum duos libros conſcripſiſſe de Indulgentijs, quibus doctiſſime, & copioſiſſime uniuerſam hanc materiam pertractat, qui tamen libri ad meas manus nondum peruenerunt.

Ioannes Baptiſta Mantuanus Carmelita, elegantiſſima conſcripſit carmina ad Iulium ſecundum de Sacro Iubilæo.

Franciſcus Ribera in opere de templo lib. 5. vbi agit de feſtis diebus Hæbręorum, cap. 24. & 25. fusè de Anno Iubilęi, ſeu quinquageſimo, ſcribit. Curiel de Iubilęo Opuſculum ſcripſit.

HISTORIAM verò Anni Sancti confecerunt, idem Angelus Pientinus, & Raphael Riera Societatis IESV. Legenda ſunt quoque Opuſcula Felicis Stemmerlin, in Dialogo de Iubilæo, Stephani ex Notis, de remiſſione à pœna, & culpa, Iacobi Naclantes, Valentini Laurentij in controuerſijs de Indulgentia; Ioannis Mariæ Verrati, in primo tomo aduerſus hæreſes, & Henrici Cuychi in q. An Modus celebrandi Iubilæum ſit Scripturæ & traditionibus conſentaneus. Extat Epiſtola Caroli Cardinalis Borromæi de Iubilæo, & Concio Ioannis Oſorij tom. 4. in publicatione Iubilæi.

CAPVT SEPTIMVM.

De Anno Magno.

ANTEQVAM ad alia, quæ de Sacro Iubilæo tractanda ſunt, progrediamur, nonnulla ſcitu digna, atque iucunda De Anno Magno dicenda ſunt. Fuit autem, tam apud Ethnicos, profanoſque Scriptores, quàm apud Hæbræos, ſicut etiam nunc apud Chriſtianos, Annus aliquis, qui magnus, maximus, vel etiam ſacer appellaretur. Verùm ſupponen-

Anni quatuor ſpecies enumerantur & explicātur.

dum eſt, quod generatim loquendo, Annus in quatuor ſpecies diuiditur; Eſt enim Annus Solaris, Lunaris, Magnus, & Emergens.

Solaris annus duplex & qui.

Solaris annus eſt, qui accipitur à motu ſolis, iſque duplex eſt, Aſtronomicus, ſeu tropicus, & ciuilis, ſeu uſualis. Aſtronomicus annus eſt ſpatium temporis, quo ſol proprio motu totum Zodiacum percurrit àb occaſu in ortum, initio ſumpto ab aliquo certo puncto, ut à primo puncto Arietis, donec ad idem punctum redeat; quod temporis ſpacium complectitur dies 365, horas quinque, & inſuper aliquot fragmenta, modo plura, modo pauciora. Huius anni initium ſumunt tam Aſtronomi, quam Aſtrologi, cùm Sol principium Arietis ingreditur, quod nunc poſt reformationem Calendarij fit 21. Martij, nam à principio Arietis illi ſuas tabulas computant. Ciuilis Annus ſeu vſualis eſt etiam duplex, communis, & Biſſextus; Cōmunis conſtat ex 365. diebus; Biſſextus, qui & ἐμβολιμος, Græcè, & latinè Intercalaris dicitur, dies 366. habet; progreditur enim annus Ciuilis per dies integros, neglectis minutijs horarum, cùm ſit inſtitutus ad computum Vulgi, qui minutias percipere non poteſt. Vt autem cum Anno Aſtronomico, quoad fieri poteſt, congruat; loco horarum, & minutiarum, quarto quoque anno intercalatur, & interponitur dies vnus: & quoniam dies iſte adiectus aliquanto plus continet, quam fragmenta præcedentibus annis neglecta, propterea inſtitutum eſt poſt reformationem Calendarij, ut quadringenteſimo quoque Anno Biſſextilis annus omittatur, ne alioquin Æquinoctia, & Solſtitia verſus principia menſis paulatim progrediantur. Eccleſia Catholica incohat annum in diuinis officijs ab Aduentu Domini Seruatoris noſtri, in Foro autem, & publicis negocijs cum Romanis ab initio Ianuarij, qui circa Solſtitium hyemale incipit. Cum enim ſub Imperio Romano nata ſit, & educata Eccleſia Dei, aliud principium ſumere non potuit, neque poſtea cum ad Chriſtianos Imperium deuolutum eſt, potuit facile commutari, & ideo in hodiernum vſque diem anni initium retinet, quod olim ei Romani dederunt, nec ulla eſt cauſa vrgens cur ab hac conſuetudine recedat.

Quando incipiat annus in Eccleſia, & in foris Iudicialibus, publicíſque negocijs.

Lunaris anni diuiſio, & explicatio.

Annvs Lunaris diuiditur etiam in Ciuilem, ſeu politicum, & Aſtronomicum. Ciuilis ex diebus integris conſtat, & eſt duplex, Communis & Emboliſmicus. Communis continet plerumque 354. dies, interdum verò, ſed raro 353. quorum ille plenus, hic cauus, ſeu deficiens dicitur, & vterque duodecim lunationes comprehendit. Embolyſmicus continet plerunque dies 384. Interdum verò, ſed rarius 383. Et prior quidem plenus, poſterior cauus dicitur, & uterque 13. lunationibus continetur. Annus Lunaris Aſtronomicus præter dies integros, etiam fragmenta quædam continet, ut annus communis 12. lunationum dies 354. hor. 8. m. 48. ſec. 38. ter. 12. ferè. Emboliſmicus autem 13. lunationum dies 383. hor. 21. m. 32. ſec. 41. ter. 23.

Explanatio Anni emergentis.

Annvs emergens dicitur ille, in quo aliquid notabile contingit, & emergit, à quo proinde reliqui deinceps anni computantur, hic multiplex eſt pro multiplicitate rerum inſigniter contingentium, Græci computant à prima Olympiade, Romani à condita Vrbe, Chriſtiani à prima Dominica Incarnationis Chriſti, Summi Pontifices, & Reges ab initio ſui Regiminis.

Diuiditur, & explicatur annus magnus.

Annvs Magnus diuiditur in communem, & ſpecialem. Communis eſt ſpatiū reuolutionis omnium augium ſolis, cùm ſcilicet omnes Stellæ eādem inter ſe poſitionem habebunt, quam ab initio Mundi habuerunt, cum primùm à Deo creatæ ſunt. Annus magnus ſpecialis eſt ſpatiū temporis, quo quilibet alius Planetarum perfectum ſuum curſum quoad auges, & deferentes complet, & quoad reliqua omnia, donec ad eamdem omnino poſitionem perueniat, vnde diſceſſerat. Qui Annus diſtinctionis gratia ex Planeta, cui accommodatur, cognominari poteſt, vt ſcilicet dicatur Annus Saturni, Iouis, & ſic de reliquis. Et ſicut Annus Magnus Planetis accommodatur, ita etiam communis accommodari poſſet, qui nihil aliud eſſet, quàm ſpacium quo, quiſque Planetarum totum Zodiacū peragrat, quantum autem quiſque eorum temporis ſpaciū requirat, ex hac tabella patebit.

Saturnus

Planetarum motus,& eorum curſus quamdiu durent explicatur.

Saturnus conficit ſuum curſum in Annis 30. ſingulis diebus peragrans in Zodiaco minuta quaſi duo, & ter.35.

Iuppiter annis ferè 12.ſingulis diebus conficiens 4.m.52.ſec.& 15.ter.

Mars abſoluit ſuum curſum annis ferè duobus, omni die percurrens in Zodiaco m.31.ſec.26.ter.38.

Venus eodem ferè temporis ſpacio conficit ſuum curſum,quo Sol, ſingulis enim diebus progreditur m.59.ſec.8.ter.19.

Mercutius eodem ferè tempore cum Venere ſuum perficit curſum.

De Sole,& Luna dictum iam eſt in Anno ſolari,& Lunari;

Annus magnus apud ueteres. Ariſtot. Tullius. Macrobius.

VETERES definiebant,magnum Annum eſſe, qui longiſſimis ſæculis explicaretur. Propterea Ariſtoteles non magnum, ſed maximum vocauit, eumque finem habiturum,cum ſeptem Planetarum orbes,omniaque Sydera, quæ Cœlum ſtellatum habet, ad idem ſignum eumdemque locum, vbi quondam ſimul fuerant, iterum referrentur,ita vt nec vlla quidem Cœli ſtella in alio loco ſit,quam in quo fuit,cùm omnes aliæ moueri cæperunt; Et præter Ariſtotelem, Tullius in libris de finibus bonorum,& malorum, & in 6.de Rep. ex Scipionis perſona affirmat. Et pluribus explicat Macrobius lib.2.in ſomnium Scipionis cap.11.Et quoniam Annus iſte ex omnium ſtellarum conuerſione menſuratur; ideo & Mundanus & vertens etiam appellatur.Mundanus quidem,quod Mundus Cœlum ſignificat, Vertens verò,quia reditum plenæ vniuerſitatis efficitur, Huius anni plenam volubilitatem fieri volunt Phyſici apud Macrobium poſt anhos 15000. cuius hyemem ſummam eſſe illuuionem Ogygicam: Aeſtatem verò. *Ecpyreoſim*, quod eſt Mundi incendium,tempore,vt fabulantur Phaetontis. Ariſtarchus abſolui credidit annis 2484.Aretes Dirachinus 5552.Herodotus,& Linus 10800.Diõ 13984. Orpheus 120.Caſſandrus tricies ſexies centũ millibus.Cicero 12954. Iulius Firmicus 1461.Sunt,qui ſcribant eius anni conuerſionem finiendam cum vita Phænicis auis; Alij infinitum eſſe,nec vnde ſemel profectus rediturum. Nonnulli longe minori ſpacio metiti ſunt, quippe qui ex duobus annis communibus,vel pluribus illum conſtituerint, nam ueteres Græciæ Ciuitates, cùm animaduerterent, dum Sol annuo curſu orbem ſecum circuit,Lunã nouam interdum terdecies,aliquando duodecies exoriri,idque ſæpe alternis fieri, crediderunt Lunares menſes 12.& dimidium ad annum naturalem conuenire.Quare annos Ciuiles,vt ſcribit Gregorius Giraldus, ſic ſtatuerunt, vt intercalando facerent alternos menſium 12. alternos 13. vtrumque annum ſeorſim vertentem; ideſt naturalem cunctos ambos,annum magnum uocãtes;idque tempus Trieterida appellabant, quia tertio Anno redibat, quo in primis tempore Bacchi, ſacra celebrabantur, quæ ideo trietericha uocitata ſunt. Penterida nominabant, quod quinto quoque Anno reuertebatur,qui annus magnus ex quadriẽnio uiſus eſt commodior, & ex hoc,Pẽteridas, Græci maximę obſeruabãt,quas Olimpiades dixerunt.Rurſus,idem Annus Magnus, Cenſorino teſte,per capitolinos agones cæptus eſt diligenter inquiri,quorum agonum primus à Domitiano fuit inſtitutus. Sed cum apud Græcos tempus hoc non ad Lunę,ſed Solis curſum tantùm congruere uideretur,duplicatum eſt,& Octoeteris facta,quia primus eius annus;nono quoque anno redibat, quem circuitum uerè annum magnum,bona pars Græciæ arbitrabatur,quod annis uertentibus ſolidis conſtaret, ut in anno magno fieri par eſt. Hanc Octoerida vulgo,Eudoxum Synidicum ex Aegyptiorum diſciplina inſtituiſſe,creditum eſt ut Laertius prodit,de quo anno Lucanus lib.10.meminiſſe uidetur, decantans.

Ariſtarchus. Aretas dyrachinus. Herodotus. Linus. Dion. Orpheus. Caſſandrus. Cicero. Iul.Firmicus. Gregor. Giraldus. Cenſorinus. Laertius. Lucanus. Seruius.

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Licet ibi de anno naturali Cæſarem loquutum ſentiat Seruius in quintum Æneidos.Opinantur alij, ipſam hanc Octoerida Leoſtratum Tinedium primo inſtituiſſe,& poſtea alios aliter ſuas Octoeridas,menſibus uariè intercalandis protuliſſe, ut feciſſe dicitur Aupalus Nauthelis, Meneſtratus, & in primis Doxotheus, cui Eudoxi Octoeteris inſcribitur.Hinc multæ in Græcia hoc temporis interuallo, Religionis ſummę cęremonię cultæ fuerunt: Delphis quoque ludi,qui Pythia uo

cabantur

cabantur poſt annum octauum olim exhibebantur. Fuerunt & Dodechaetheres ex annis uertentibus 12. ideſt naturalibus, cui Chaldaico nomen fuit. Præterea fuerunt & alij complures anni magni, ut Methonis annus, quem Methon Athenienſis Mathematicus ex annis 19. conſtituit, eaque de cauſa dictus eſt Decaenætheris, cuius anni meminit Cicero in Epiſt. ad Atticum, meminit & Columella, item Ariſtophanes.

Cicero. Columella. Ariſtophanes.

Fuit etiam annus Philolai Pythagorici ex annis 59. Calippi ex annis 76. Democriti, ex annis 82. Hipparchi, ex annis 304. Aegyptij annum ſuum magnum, ut refert Horus Apollo, quatuor annorum habebant, quem Latini Canicularem appellarunt; propterea, quod initiũ illius non à ſole, ſed à primo die Menſis Thoeti ſumebant, quo Caniculæ Sydus apud eos exoriebatur, quod inter ſtellas principatum tenere arbitrabantur, annumque ſuum Aegyptij effingebant Deæ Iridis, imagine muliebri, ideſt habitu, vel palmæ arboris figura, quod Arbor hæc, Luna naſcente, vnam gignat bain; hoc eſt ſolium, uel ramulum palmarum, qua ſanè ratione 12. bais annum explebant. Ac de anni magni varietate ſatis dictum ſit.

Horus Apollo.

Exponitur, & diſtinguitur annus apud Hæbræos. Ioſephus.

Apvd Hæbræos duplex annus erat, vulgaris, ac ſacer. Annus vulgaris erat, quo utebantur antequã ex Aegypto egrederentur, & poſtquam egreſſi ſunt. Ioſephus atteſtatur lib. 1. antiquitatum cap. 4. Moſes autem, Niſan, qui eſt Xanthicus, menſem primum in ſuis faſtis ordinauit, quod in eo Hæbræos ex Aegypto eduxiſſet. Eumdem etiam omnium, quæ ad rem Diuinam pertinerent, exordium fecit, alioqui, quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innouauit. Initium huius anni, Septembrem multi eſſe putant, in quibus eſt Moſes Aegyptius, lib. 3. doctoris dubiorum, cap. 44. Hieronymus autem in cap. 3. Ezechielis, ferè in principio, affirmat apud omnes orientales, primum mẽſem eſſe. Octobrem. Nec hi Auctores ſecum pugnant, cùm ob menſes Lunares, eius pars una in Septembrem, & pars altera in Octobrem incidat. Vnde Geneſ. 7. legitur; Diluuium Noè 17. die Mẽſis ſecundi, hoc eſt circa Nouembrem incępiſſe, ac diebus centum quinquagin ta, hoc eſt quinque menſibus duraſſe, totumque tempus hyema le occupaſſe. Quod ſi Mundi exordium non in Autumno, ſed uerno tempore poneretur, tunc cœpiſſet Diluuium circa menſem Maium, totaque ęſtate duraſſet, tempore uidelicet pluuijs, & innundationibus aquarum minimè opportuno, quamuis enim Deus ad Diluuium effundendum non naturæ uiribus, ſed ſupernaturali omnipotentia uſus fuerit; (exceſſit, enim uires Diluuium omnium cauſarum naturalium,) Quicquid Petrus ab Aliaco in quæſt. ſuis in Geneſim, & Beroſus Annianus cum Seneca lib. 3. naturalium quæſtionum, cap. 27. dixerint. Nihilominus Deum ad id efficiendum conuenienti tempeſtate, & opportunitate anni uſum eſſe, credendum eſt, ut Pererius annotauit lib. 1. in Geneſim, in ea diſputatione, qua diſputat; An mundus uerno tempore fuerit conditus.

Moſes Aegyptius. D. Hieron. Geneſ. 7. Tempus diluuij. Petrus Aliacen. Beroſus Annian. Seneca. Pererius.

Initium anni ſacri. Ioſephus. Exod. 12.

Annvs verò ſacer initium habuit eo tempore, quo Hæbræi ex Aegypto egreſſi ſunt, & quo in faſtis vrebantur, eiuſque primus menſis Niſan dicebatur. Macedonibus verò Xanthicus, ut ait Ioſephus lib. 2. antiq. ca. 5. de quo etiam Dominus Exodi 12. dixit: *Menſis iſte vobis principium Menſium, primus erit in menſibus anni*; incidit autem partim in Martium noſtrum, & partim, in Aprilem. Abhoc, Neomenię, cęteraque feſta Hæbraica obſeruationem habent, de quibus cum noſtrum non ſit inſtitutum nunc agere, legendus eſt Beda, in lib. de temporum ratione, cap. 43. & Abulenſis in 2. pat. defenſorij, cap. 14. & in 12. cap. Exodi, & in cap. 23. Leuitici quęſt. 19. & nouiſſimè Ribera lib. 5. de Templo, qui eſt de diebus feſtis Hæbræorum.

Beda. Abulen. Ribera.

Illvd ſolum obſeruatione dignum eſt, quod & nos inferius latius explicabimus, ſolemnitatem Iubilæi, apud Hæbræos initium habuiſſe, non in Vere ſed in Autummo ſicut etiam celebratio anni ſeptimi ab eodem Autumno neceſſariò exordiebatur, aliàs fruges, quæ in menſe Niſan in Regione Paleſtinę ad meſſem maturæ non erant, prorſus perijſſent; quod eſt contra Diuinam Scripturam,

qua

qua tam in ſeptimo, quàm in Iubilæi Anno; Deus pollicetur ſe triplicatum prouentum frugum daturum.

IOSEPHVS in lib. 1. de antiq. cap. 3. definijt, magnum annum ex ſexcentis annis conſtare, quod etiam Plinius lib. 10. cap. 2. de fænice tradidit, dicens illam ſexcentos ſexaginta annos viuere, & ſubdit. *Cùm huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodit Manlius, iterumque ſignificationes tempeſtatum; & ſyderum eaſdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis Sol intrauerit, & fuiſſe eius conuerſionis annum, prodentes ſe Pub. Licinio, & M. Cornelio Conſulibus.* Ioſephus. Plinius. Manlius.

APVD Chriſtianos uerò quælibet hora, quilibet dies, Menſis, & annus ſacer vocandus eſt, cum in ſingulis illorum, beneficia paſſionis Chriſti fidelibus obuia ſint, attamen & dies carnis Chriſti, & hic annus Iubilæi, pleniſſimæque remiſſionis, peculiaribus rationibus, & magnus, & ſacer appellatur, de quibus præter ea, quæ ſuperius indicauimus, non nulla ſuis locis inferius dicemus. Et optimè Ambroſius lib. de inſtit. Virginum cap. 15. *Ex illo ergo,* inquit, *Vterò Maria diffuſus eſt, in hunc Mundum aceruus tritici muniti; inter lilia quando natus eſt Chriſtus, cui dicit Propheta David, Benedices corona anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate, pingueſcent fines deſerti, & exultatione colles accingentur, induti ſunt arietes ouium, & conualles abundabunt frumento, etenim clamabunt, & hymnum dicent. Quis eſt annus Dominicæ bonitatis, niſi ille, de quo Scriptura dicit, tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te, quando Populorum fide Eccleſiam fecundauit, iuſtitia induit Sacerdotes. Vnde, & Apoſtolus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando uenit Dominus prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis; Sicut in Euangelio ſuo ipſe memorauit, dicens. Spiritus Domini ſuper me; propter quod unxit me. Tunc ergo Dominus operibus ſuis, & gloria; & honore ſui tempus coronauit aduentus. Totus enim ille annus conuerſationis eius in hoc mundo diuerſarum habuit certamina paſſionum.* Hæc ille. Chriſtianis omnetempus ſacrum eſſe debet. D. Ambroſ.

Cathalogus gloriæ Mundi in par. 12. conſideratione 39. dicit annum Iubilæi præcæteris excellentiorem eſſe, propter eius utilitates, atque etiam annum Natiuitatis Chriſti, cùm annus gratiæ dicatur. Catalogus gloriæ Mūdi.

CAPVT OCTAVVM.

Deſcribitur Maxima Felicitas huius Sæculi ſextidecimi à Chriſto, quod in proximè futuro ſacri Iubilæi anno terminatur.

IN OMNI Centuria, ſeu ſæculo, quod eſt ſpatium centum annorum, quinque Iubilæos & omnes quidem abſolutos, atque perfectos, contineri, notiſſimum eſt, ſi tempus vltimæ reductionis, ut par eſt, attendamus, & incluſiuè à priori anno centeſimo vſque ad finem inſequentis centeſimi procedamus.

IGITVR in hac ſæculi duratione, quæ à milleſimo quingenteſimo vſque ad ſexcenteſimum decurrit, & fluit, eſtque decimaſexta Centuria a Chriſto. Primus Iubilæus fuit ſub Alexandro ſexto, ſecundus ſub clemente ſeptimo, tertius ſub Iulio tertio, quartus ſub Gregorio decimotertio, ac deniquè quinctus ſub S. D. N. Clemente VIII. ut ſperamus, celebrabitur; Verùm, ut huius decurrentis centeſimi felicitas perſpicuè cognoſcatur, inſigniora facta, grauioreſque caſus tùm Eccleſiaſtici, tùm ſæculares, qui in eo inciderunt, ad dignitatem tantùm Religionis ſpectantes, in Dei gloriam, recenſendi ſunt. Quod faciliùs aſſequemur, ſi, quid ſingulare in unoquoque Iubilæo, eorumque interſtitijs acciderit, enarremus. Hic enim nomine Iubilæi, non præcisè tempus ſeu annus tantum eius celebratio- Quot anni Iubilæi in hoc ſæculo celebrati fuerint, & quomodo, explicatur.

brationis, ſed etiam ſubſequentes annos uſque ad alium, intelligimus.

Summi Pontifices, & Romani Imperatores in unoquoq; huius ſæculi Iubilæo.

HABVIT primus Iubilœus cum ſuo interſtitio vſq; ad ſecundum, ſummos Pontifices quinque, nempe Alexādrum Sextum, Valentinum, Pium Tertium Senenſem, Iulium Secundum Ianuenſem, Leonem Decimum Florentinum, & Adrianum ſextum Germanum Traiectenſem, & annos duos Clementis Septimi. Imperatores verò Maximilianum primum Friderici filium, & Carolum Quintum.

Secundus Iubilęus, & anni interiacentes vſque ad tertium, Pontifices duos Clementem Septimum Florentinum, & Paulum Tertium Romanum, eodem Carolo Quinto Imperante.

Tertius Iubilęus uſque ad quartum, quinque, Iulium tertium Aretinum, Marcellum ſecūdum Hetruſcum, Paulum Quartum Neapolitanum, Pium Quartum Mediolanenſem, Pium Quintum Alexandrinum, ac præterea Gregorij decimitertij annos duos, & menſes aliquot. In eo Carolus Quintus, ac deinde Ferdinandus eius frater, & Maximilianus ſecundus imperarunt.

Quartus Iubilęus uſque ad quintum, ſex, Gregorium decimumtertium Bononienſem, Sixtum Quintum Picenum, Vrbanum Septimum Romanum, Gregorium Decimumquartum Mediolanenſem, Innocentium Nonum Bononienſem, & Clementem Octauum Florentinum præſentem. In hoc Maximiliano Secundo defuncto, Rodulphus eius filius Imperij iura ſuſcepit.

Quintus Iubilęus initium, Deo dante, ab eodem Clemente VIII. Pontifice Maximo ſumet, eodem Rodulpho ſecundo, uita comite, regnante.

VERVM iam quę inſigniora, circa Religionem his temporibus acciderunt, breuiter indicemus; nam prolixius ea proſequi abſoluti Hiſtoriographi munus erit.

Concilia huius ſæculi in Eccleſia celebrata.

IN hac centuria, duo in primis Concilia generalia, celebrata fuere, Lateranenſe vltimum, quod à Bellarminio, decimum ſeptimum intergeneralia approbata, enumeratur, pro Cleri reformatione, & pace inter Principes Chriſtianos componenda, cœptum ſub Iulio ſecundo, clauſum ſub Leone Decimo. Occaſio autem huius Concilij congregandi duplex fuit; Primum Iuramentum Pontificis iuxta Decretum Concilij Conſtantienſis, de celebrando Concilia generalia, ſingulo decennio; deinde, ut obuiaretur Piſano Conciliabulo, quod ab Imperatore, & Gallię Rege, necnon à Bernardino de Carauaial Hyſpano, & Federico de Sancto Seuerino, nonnulliſque aliis Cardinalibus, contra Iulium ſecundum conuocatum fuerat.

Quare Conc. Lateran. vltimum fuerit celebratum.

Concil. Conſtantienſe. Cōc. Florent.

Caiet. Turrecr.

In eo, tria generalia Concilia reprobata fuere, Conſtantienſe non in totum, ſed quantùm ad eas partes, in quibus Concilium eſſe ſupra Papam decretum fuerat, quod etiam in Concilio Florentino antea peractum erat, quo ſanè tempore Concilij generalis formam non habebat, vt rectè notauit Caietanus 2.2. quæſt. 1. art. 10. & ante illum Turrecrem. lib. 3. Summæ de Eccleſ. cap. 43. cum ibidem vix adeſſet tertia pars Eccleſiæ, vt planè ex illis primis ſeſſionibus colligitur, cùm illarum Decretis non conſenſerint, niſi Prælati illi, qui Iohanni Vigeſimotertio adhęſerant, repugnantibus, & recedentibus alijs, qui Gregorium Duodecimum, & Benedictum Decimumtertium ſequebantur: Vnde articulus ille nec more Cōcilij & debitis ſuffragijs, nec vllo examine præcedente; ab illis paucis concluſus fuit. Adde, quod tunc non erat in Eccleſia certus Pontifex, cùm tres in ſchiſmate regnarent, Imò ipſemet Ioannes, cùm quarta ſeſſio celebraretur, iam diſceſſerat à Concilio, ut aduertit Idem Caiet. in Opuſc. tom. 1. tract. 1. cap. 8. & tract. 2. cap. 11. & in orat. de Synod. diff. habita in Concil. Lateran. Vide Can. lib. 5. de locis. capitulo vltimo. Vnde ſine capite erat, ſine quo nec nouum dogma, nec res dubia vt de fide, definiri poteſt. Martinus verò Quintus ea tantū Decreta, vt de fide confirmauit, quæ conciliariter, id eſt, re diligenter examinata, ut moris eſt in Conciliis, concluſa fuere, putà quæ damnationem hæreſum Vuicleffi, & Huſſ continebant, & quæ circa ceſſionem, ſeu renunciationem Papatui peracta fuere.

Caiet. Canus.

Conciliabulū Piſanum.

Deinde Piſanum ſeſſione ſecunda, & tertia. In hac ſecunda ſeſſione elegantem Caietanus habuit orationem contra Piſanum Conciliabulum coràm Iulio Secundo

cundo XVII. Kal. Iunij 1512. quæ habetur in 3. par. Opuſc. tract. 1.

Ac denique Baſileenſe in ſeſſione 11. quod licet fuerit ab initio legitimè congregatum, fuit tamen ob eius legitimam diſſolutionem, & alias cauſas, quas poſuit Turrecrem. lib. 2. cap. 100. illegitimè terminatum; Vnde tanquam ſcandaloſum, ſeditioſum, nulliuſque auctoritatis firmamẽto munitum, merito, vti Conciliabulum, ab Eccleſia Catholica reiectũ, & reprobatum fuit, exceptis quibuſdam paucis decretis circa beneficia, & cenſuras Eccleſiaſticas in eo factis, quæ à Nicolao Quinto, cui & ipſum Concilium, & Fœlix Quintus in ſchiſmate ab eodem Concilio creatus, ceſſit, pacis, ac unionis gratia, approbata fuere, ut ipſemet Nicolaus aſſerit in ſua Bulla eidem Concilio annexa, lege Antoninum 3 par. tit. 22. cap. 10. §. 4. Turrecrem. Caietan. Cano. locis citatis, & Turrianum libro tertio dogmat. charact.

Concil. Baſileen.
Turrecr.
Nicolaus V.
D. Antonin.
Turrecr.
Caiet.
Canus.
Turrian.

Multa ex hoc Lateranenſi, egregia prodiere Decreta, contra Simoniacos circa beneficiorum collationes, contra non recitantes horas Canonicas, contra imprimentes libros abſque ſuperiorum licentia, ſed imprimis quæ de Anima rationali definiuit, videlicet, quòd eſſet immortalis, & forma in formans humani corporis, & methodus illa docendi, quam Philoſophis præceptoribus tradidit, & cõcionãdi prædicatoribus Verbi Dei, primum locum obtinẽt. In eo quoque maior excommunicatio fertur contra eos, qui tempore nouæ electionis Romani Pontificis, Cardinalium domus inuadunt. Huic præfuit ipſemet Iulius Romanus Põtifex vſque ad ſeſſionem quintam; nam deinde ægritudine impeditus fuit, & à ſeſſione XIX. vſque ad finem Leo X.

Decreta Concil. Lateran. vtilia Eccleſiæ.

Hic duo animaduertenda ſunt. Primò. Papam Conciliis generalibus perſonaliter intereſſe, nec neceſſarium, nec ſemper conueniens eſſe, ut optimè annotauit Turrecrem. lib. 3. in ſumma de Eccleſia cap. 11. Et quòd non ſit neceſſaria in eis præſentia Papæ clariſſimè oſtenditur, ex hoc, quoniam nunquam octo illis generaliſſimis Conciliis orientalibus, quæ in Eccleſia præſtantem auctoritatem habent, interfuit per ſe Papa, ſed tantùm per legatos. Immò Leo Primus in Epiſt. 17. ad Theodoſium, & in Epiſt. 47. ad patres Concilij Chalcedonenſis, cùm eſſet inuitatus à Martiano Imperatore, ut dignaretur ad Concilium venire, reſpondit, nulla prædeceſſorum ſuorum Conſuetudine, uel exemplo ſe adduci poſſe, ut ad Concilium accederet; quod etiam facto Viglij Papæ comprobatur, qui & ſi Conſtantinopoli moraretur, noluit tamen intereſſe Concilio Quinto Generali, quod ibidem celebratum fuit, ſed tantùm illud per libellum confirmauit, vt ſcribit Photius in libro de ſeptem ſynodis.

An ſit neceſſarium, uel cõueniens Romanum Põt. Concilijs generalibus perſonaliter intereſſe.
Turrecr.
Leo Primus.
Vigilius Papa.
Photius.

Quod autem non ſit ſemper conueniens multis rationibus perſuadetur. Primùm, propter multa pericula, & inconuenientia, quæ Papæ poſſunt accidere tàm in itinere, quàm in illis Ciuitatibus, præſertim ſi alienis dominijs ſubiectæ eſſent, vbi Concilium haberetur, hæc ratio, tunc maximè locum habebat, quando Imperatores vehementius dominabantur. Ad euitanda igitur damna, & violentias, quæ perſonæ Pontificis per Tyrannos, & alios Principes inferri poſſent, (ſicut Felici, & Fabiano euenit) decens eſt, Papam per ſe ad Concilium non accedere. Et hæc eſt bona ratio Turrecrematæ, ad quam reducitur illa Bellarmini in libro primo de Concilijs cap. 9. nempè ad euitandos tumultus, & inconuenientia præcedentiæ: Vnde ne cogeretur Papa cædere, quoad locum ſedendi, orientalibus Imperatoribus, qui ſemper Concilijs intererant, iure optimo ad illa non acceſſit. Græci enim etiam in Concilio Florentino contendebant ſummum, ac primũ locum eorum Imperatori concedi debere. Secunda ratio, quoniã neceſſitate temporis multoties Papa cogitur, ne Vrbem deſerat. Multæ enim Eccleſiæ vniuerſali, & Vrbi neceſſitates ſæpius imminent, quæ prohibent rationabiliter Pontifices ab Vrbe abeſſe, & hæc eſt ratio Leonis Papæ in Epiſtola, quam Concilio Chalcedonenſi ſcripſit. Tertia ratio eſt Bellarmini loco citato, quoniam non eſt conueniens, ut caput membra ſequatur. Cùm è conuerſo membra caput ſequi debeant. Vnde ſicut decens eſt, Papam coram adeſſe Con-

Turrecr.
Bellarmi.
Leo Papa.

cilijs,

cilijs, quæ ad locum, vbi ipſe eſt, conuocantur; ita ad Concilia alibi congregata, accedere minus opportunum uidetur, ne ab illis Pontificia Auctoritas pendere videatur; vel eam Concilijs alligatam, & affixam eſſe, aut cùm illis concurrere. Cùm ex ſe, & à Chriſto immediatè ſit, nec à Concilijs, vel à reliquis partibus Eccleſiæ mutuata. Hæ rationes, vt graues, maximè mihi probantur, quamuis Turrecrematæ rationes Bellarminum non delectent.

Conc. Lateran. fuit uere generale Cōcilium ex Caietano. Bagnes. Bellar. & Sandero. Oratores Principum in eo Concilio præſentium.

SECVNDO animaduertendum eſt, Concilium hoc Lateranenſe, verè Concilium generale fuiſſe, ut benè notauit Caiet. 2. 2. q. 1. artic. 10. Bagnes eod. loco dub. 2. Bellarm. lib. 2. de Conc. capit. 17. & Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchia, vbi per ſeriem enumerat omnes Principum oratores, qui in eo interfuere. Ferdinandus Arragonum Rex mandauit Conſiliario ſuo Hieronymo Vuich, vt ſuo, & Ioannæ Reginæ nomine ſacro Lateranenſi Concilio ſub Iulio ſecundo intereſſet. Maximilianus Imperator conſtituit Gurcenſem Principem procuratorē ſuum ad comparendum pro ipſo in eodem Concilio. Laurentius Lauredanus Dux Venetiarum nobili Patricio Veneto, Franciſco Foſcaro oratori Romæ agenti demandauit, ut eius nomine eidem Concilio interſit, & aſſiſtat. Sygiſmundus Rex Poloniæ duos oratores ad idem Concilium deſtinauit, Ioannem Archiepiſcopum Gneſnenſem, & Stanislaum de Oſtrorog Equitem auratum, idem fecerunt Maximilianus Maria Sfortia Dux Mediolani, Franciſcus Marchio Mantuæ, Stanislaus Dux Mazouiæ, & Ruſſiæ, Ioachimus Marchio Brandeburgenſis, & Marchio Montisferrati, atque etiam Florentini in ſeſſione ſexta; Emanuel quoque Rex Portugalliæ, & Algarbiorum, oratores miſit, atque etiam Carolus Dux Sabaudiæ ad Concilium Lateranenſe. Hæc afferenda duxi hoc in loco propter nonnullos Doctores etiam Catholicos, qui dubitarunt an hoc Concilium Lateranenſe fuerit generale: Quocirca hi nullo pacto in hac parte audiendi ſunt, ſicut nec Doctores Pariſienſes, qui etiam de hac re dubitant, ut refert

Canus.

Cano loco citato; Quamuis enim in eo pauciſſimi Epiſcopi fuerint, (octuaginta enim & ſeptem ad ſummum interfuere,) tamen omnes ex toto orbe vocati, & expectati fuerunt, ut affirmat Caietanus, qui interfuit, in oratione iam citata:

Caietan.

Licet Galli Epiſcopi, ob bellum, quod tunc inter Iulium ſecundum, & Regem Galliæ ardebat, non acceſſerint; omnibus tamen Concilium patens erat, & ibi Cardinales duo, & Viginti, ac Papa per ſe aderat, ut tom. 4. Conciliorum; qui, & Concilium confirmauit, quamuis, quantùm ad eas partes, in quibus de pœnis agitur, vbique receptum non fuerit; vt notat Soto de Iuſt. & Iur. lib. 6. q. 1. art. 6. & Caiet. in ſumm. Ver. excom. cap. 81. Armill. ver. excommunicatio, 76. Nauar. in Man. cap. 27. num. 121. Maiola lib. 2. de Irregular. cap. 3. & Henriquez lib. 6. cap. 19. num. 1. in gloſſa.

Sotus. Caiet. Armil. Nauar. Maiol. Henriq.

An ſit de fide Papam eſſe ſupra Concilium. Bellarm.

AN autem in hoc Lateranenſi definitum fuerit propriè, & de fide, Concilium non eſſe ſuper Papam videndum eſt. Nam Bellarminus licet libro ſecundo de auctoritate Conciliorum cap. 13. ſcribat, id expreſſiſſimè in eo definitum eſſe; tamen in capit. 17. eiuſdem libri dicit, dubium eſſe, an id ibi propriè, ut decretum fidei Catholicæ, ſancitum fuerit, & ideo contrarium ſentientes, non eſſe propriè Hæreticos, ſed tantùm maximè temerarios. Bagnes loco citato, aſſerit, hunc articulum, Papam non eſſe ſupra Concilium, eſſe quidem ſecundùm ſe dogma contra fidem, hactenus tamen in nullo Concilio, aut Pontificia Decretali, ut hæreſim, damnatum eſſe. Verùm nos cum Caietano & Cano libro 5. capite vltimo affirmamus, hunc articulum, præuio diligenti examine ibidem, ut de fide, concluſum fuiſſe: ex hoc enim principio, quod ex ſacræ Scripturæ teſtimonijs, dictis Sanctorum Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum Decretis conſtat, ut in eodem Concilio affirmatur: deductum etiam fuit, ut de fide, Papam plenum ius, & poteſtatem habere indicendi, transferendi, terminandi, & diſſoluendi Concilia. Vnde vterque articulus conciliariter ibi, ut de fide, definitus fuit.

Bagnes. Canus. Caiet.

Celebratio Concilij Tridentini.

SECVNDVM generale Concilium eſt noſtrum Tridētinum, decimum octauum in ordi-

in ordine eorum, quæ approbata ſunt, tempore Pauli Tertij inchoatum, & Pij Quarti completum, aduerſus Lutheranos, Zuinglianos, cæteroſque huius temporis Catholici nominis hoſtes; ſolet enim Eccleſia Dei, diuino ſemper afflata numine, tempore nouarum hæreſum veram, & Catholicam veritatem per publica, & plenaria Concilia fidelibus proponere; ſic ſub Conſtantino Magno honor Filij in Nicœna Synodo contra Arrianos defenſus fuit, & in Conſtantinopolitana ſub Theodoſio contra Macedonianos, diuinitas Spiritus Sancti declarata, & in Epheſina ſub altero Theodoſio contra Neſtorianos Matris Dei dignitas tutata, & in Chalcedonenſi ſub Martiano contra Euthychianos, & Conſtantinopoli iterum ſub Conſtantino Quarto in ſexta Synodo contra Monothelitas, & in cæteris vſque ad Tridentinum, alię veritates fidei confirmatæ, & amplius explicatæ fuere, ita quoque in noſtro Tridentino, contra hæreſes huius temporis, ſalubriter factum fuit.

Præſtantia huius Concilij Trident.

HVIVS Concilij præſtantia, eminentia, ac præcellens dignitas, tùm in rebus fidei definiendis, ac declarandis, & præcipuè in his, quæ ad iuſtificationis, & Sacramentorum materiam pertinent, tùm in diſciplina ad morum reformationem exactè tradita, maximè eluceſcit; atque etiam amplitudo in numero Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Oratorum Principum, & aliorum, qui in eo interfuere. Vide Nicolaum Sanderum lib. 5. de viſibili Eccleſiæ Monarchia cap. 7. vbi egregiè dignitatem Concilij Tridentini explanat; *Fuit*, inquit, *hæc Synodus Tridentina à Pontificibus Romanis indicta, à legatis Eccleſiæ Romanæ gubernata, ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis ex omni gente confluentibus celebrata, ab Imperatoribus Romanis, primum Carolo Quinto, deinde Ferdinando cognita, & in magno pretio habita, à Regibus Galliæ, Hyſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ per Legatos ſuos frequētata, à Rebuspublicis Venetorum, & Haluetiorum, itemque à Ducibus Sabandiæ, Florentiæ, & alijs regionum Præfectis, Ordinumque Magiſtris ſtudioſè, ac ſummo cùm honore obſeruata.*

Sanderus.

Fructus verò, atque ingentia commoda, quæ ex illius promulgatione, & receptione in totam Rempublicam Chriſtianam emanarunt, Vniuerſus Orbis abundè teſtatur.

Hoc Conc. valde deſideratum, & deinde diligenter obſeruatum à fidelibus. Sanderus. Bellarm.

DVO autem hic obſeruanda ſunt: Primùm, quòd inter omnia Concilia in Eccleſia celebrata, hoc vnum Tridentinum antequam indiceretur, fuit diu, multumque ab Vniuerſis fidelibus deſideratum, eiuſque finis (multoties enim interruptū fuit) ſummopere expetitus; quod & Pauli Tertij Bulla in eius indictione, & Iulius Tertius, & Pius Quartus in eiuſdem prorogatione, & continuatione eleganter declarant; ex quo effectum fuit, vt ſtatim, eo concluſo, & promulgato, ab omnibus ferè Chriſti fidelibus ſumma cum reuerentia, & obedientia receptum fuerit, atque ideo in viridi obſeruantia apud omnes conſtanter in dies perſeueret.

Lutherus licet ſæpius Cō cil. generale petijſſet, indicto tamen illo, accedere noluit, & cur.

Alterum eſt, quòd Lutherus, cæterique aſſeclæ magna contentione, repetitiſque vicibus (ſimulatè tamen, vt rei euentus probauit) generale Concilium petierunt, vti Nicolaus Sanderus loco citato, & Bellarm. in præfatione quartę Cōtrouerſiæ tomi primi notarunt. In comitijs enim Imperialibus, Auguſtanis, Spirenſibus, alijsque nil aliud in ore habebant, niſi Concilium Oecumenicum: eo tamen coacto, & aperto, accedere contempſerunt, nec Concilij fores, neque Mantuę, Vicentiæ, Tridenti, Bononię, atque iterum Tridenti portas, cōceſſo etiam tutiſſimo, atque ampliſſimo ſaluo conductu, dataquè fide publica, conſpicere voluerunt. Quid? Vix eiuſdem Concilij iactis fundamentis, cùm primùm Lutherus cognouit, Concilium re ipſa celebrandum eſſe, illicò ſimulationem ſuam detexit, ac mutata ſententia, ſeu potius, quam prius callidè celauerat, manifeſtata, cœpit varijs inſidijs, proteſtationibus, tergiuerſationibus, inuectiuis, immò improperijs, calūnijs, atque mendacijs, non ſolum Tridentinum vix tunc, vt diximus, inchoatum, ſed etiam omnia vetera, & noua Cōcilia ſubuertere, reprehendere, opprimere, atque diuellere, neque id verbis dumtaxat, ſed etiam ſcriptis, libriſque editis, fecit. Is non alio animo Cōcilium poſtulauit, niſi vt Romani Pontificis auctoritati de-

Praua intentio Lutheri in Conc. poſtulando.

 traheret.

traheret. Exiſtimabat enim quò ampliorem Concilij auctoritatem faceret, eò ma
gis Pontificis poteſtatem attenuare: Atque etiam, vt Prælatorum, & Pontificis vi
tæ candorem, & integritatem falſis calumnijs denigraret, quod ſibi fore licitum,
aperto Concilio, populis prædicabat. Ipſe verò callidus in hac efflagitandi Con-
cilij ſententia tamdiu perſeuerauit, quàm diu uerè credidit Concilium nullum fo
re celebrandum; Interim Papam vexare, diffamare, atque negligentiæ incuſare,
ſat illi erat; & ita catholicum aliqua ex parte rudioribus ſe oſtentabat, perſuadēs
omninò ſibi ob morum materiam, nunquam Papam Concilium indicturum. At
res, Deo, qui ſemper Eccleſię ſuæ aſſiſtit, annuente, è contrariò accidit: Nam non
ſolùm mores in eo reformati fuerunt, ſed etiam falſa Hæreticorum dogmata de-
tecta, condemnata, atque anathematizata, à veraquè Chriſti, & Patrum doctri-
na, traditionibuſvè Eccleſiaſticis, longè lateque aliena demonſtrata. Hinc ad eiuſ

Scriptores hęretici contra Sacrum Concil. Trident.

modi Concilij auctoritatem extenuandam, & opprimendam, multa deinde Hæ-
reticorum opuſcula, mendacijs, & impoſturis plena, aduerſus Tridentinam Syno
dum, prodiere, vt Matthęi Illyrici in libro de norma, & praxi Concilij Tridenti-
ni, Martini Kemnicij examen, Caroli Molinæi conſilium de Conc. Trid. non re-
cipiendo, & aliorum, ſed quid? *Portæ inferi non præualebunt aduerſus illam.*

Igitur proximè poſt tempora primi Iubilæi, Lateranenſe celebratum fuit, poſt
tertium verò, in annorum decurſu, Tridentinum: Quod ſanè aliqua ex parte ora-
tionibus, peregrinationibus, dignis Indulgentiarum ſuſceptionibus, cæteriſque
bonis operibus, quæ in anno Iubilæi fieri ſolent, tribuendum eſt.

Concilia prouincialia huius ſæculi.

Nec verò hoc in loco prætermittendæ ſunt multæ Synodi prouinciales, quæ
varijs in locis in eodem hoc ſæculo, pro tuendo Petri primatu, & ſedis Apoſtoli-
cæ auctoritate celebrata fuere. Anno Domini 1528. celebratum eſt Concilium
Senonenſe in Gallijs contra Lutheranos ſecundùm fidem Eccleſiæ Romanæ;
Item anno 1536. Concilium Colonienſe cùm expreſſa renouatione Decretalis
Epiſtolę Honorij Tertij, pręterea anno 1548. Otho Cardinalis, & Epiſcopus Au
guſtanus Synodum Diœcęſanam tenuit, in qua Laurentij Campegij, Sedis Apo
ſtolicę legati ad Germaniam, conſtitutiones Ratisbonæ publicatę, renouatę fue-
re; & Caſus Sedi Apoſtolicę reſeruati obſeruari iubētur. Eodem anno Treueren-
ſis Synodus, Romanę Eccleſię fidem, & vnionem cognoſcit; Deinde 1549. Colo
nię habita eſt Synodus prouincialis, in qua Sedis Apoſtolicę conſtitutio de colla
tione prębendarum cùm onere legendi, recipitur. Eodem anno in Maguntina Sy
nodo ſecundùm Romanę Eccleſię fidem, & conſuetudinem, omnia decernuntur
Denique alia Treuerenſis eodem anno celebrata, illuſtrem Romanę fidei confeſ-
ſionem facit, quam apud Sanderum libro 8. iucundum erit legere: innumera alia

Sanderus.

Concilia Prouincialia, pręſertim Mediolani habita, recenſenda eſſent, quę quo-
niam magis morum diſciplinam, & reformationem continent, quàm dogmata fi
dei, conſultò omittemus: hęc ad noſtrorum Hęreticorum confuſionem adijcere
uoluimus: ſed age alia magna in hoc ſęculo effecta adducamus.

Religiones decem de nouo inſtitutæ in hoc ſæculo numerantur.

Decem Religionum ordines ab Apoſtolica Sede approbati in hoc eodem ſę-
culo, quod ad eius fœlicitatem maximè facit, & illi quidem non vulgares de no-
uo inſtituti, & excitati fuere, tùm ad hęreſes naſcentes interimendas, tùm ad fer-
uorem ſpiritus, & mortificationis diſciplinam, in Dei Eccleſia continendam. So
let enim Deus ſumma ſapientia, diuinoque conſilio, his medijs, diuerſis tempori
bus repetitis, perfectionis feruorem, Apoſtolicumve ſpiritum abnegandi ſeipſū,
& in commune uiuendi perpetuò in Republica Chriſtiana conſeruare, ut innuit

Euſeb. Auguſtin. Hieron. Iſydor.

Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 16. Auguſtinus ſerm. 2. de Vit. Com. Clericor. Hiero
nymus de Vir. Illuſtr. in Philone, Iſydorus lib. 2. de offic. cap. 15. & alij, quos in li
bro ſexto adducemus.

Ordo Capuccinorum.

Primvs eſt Capuccinorum, qui ordo, ſeu Congregatio tempore Clementis
VII. anno 1526. poſt ſecundum Iubilęum immediatè incepit, maximaque totius
orbis admiratione, & ſanctitate, in arctiſſima Beati Franciſci Regulę obſeruan-
tia, & extrema mendicitate, hilariter perſeuerat; Fuit deinde hic ordo à ſubſequē-
tibus

tibus Pontificibus, & præcipuè à Paulò Tertio confirmatus, & à Sacra Tridentina Synodo ſeſſ. 25. capit. 3. de reformatione, Religionis titulo inter alios decoratus.

Secvndvs eſt Clericorum Regularium, qui Theatini ab eorum inſtitutore tunc Petro Carrafa Epiſcopo Theatino, appellantur. Cœpit hic Ordo ſub Clemente Septimo 1528. floretque hodie maxima Vitæ ſanctimonia, morum pietate, atque præcipua in pſallendo deuotione.

Ordo Theatinorum.

Tertivs eſt Ordo Clericorum Regularium Sancti Pauli decollati tempore eiuſdem Clementis ſeptimi cæptus in Ciuitate Mediolan. anno 1530. & deinde à Paulo Tertio, & Iulio Tertio confirmatus, & in Religionem approbatus. Hi Choro, Adminiſtrationi Sacramentorum, & expoſitioni Epiſtolarum Sancti Pauli præcipuè, ſtudioſèque dant operam ſedulam.

Ordo Clericorum regularium Sancti Pauli decollati.

Qvartvs eſt Ordo & Religio Societatis Iesv, famoſiſſimus, atque toti orbi notiſſimus, qui cœpit anno 1537. ſeu 1540. ſub Paulò Tertio, fuitque ab omnibus ſubſequentibus Pontificibus commendatus, & approbatus. De eo honorifica fit mentio in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 16. de Regularibus, fuitque ab Abbate Ioachimo libro quinto Concordiæ folio 14. Spiritu prophetico mirabiliter ante quadringentos annos, (floruit enim ille circa annum Domini 1200.) prænunciatus, his verbis. *Inſurget vna noua Religio ſanctiſſima, quæ erit libera, & ſpiritualis, in qua Romani Pontifices, potiti pace Eccleſiæ, ſe continebunt; quam Religionem, & ordinem Deus ſuper omnes alias diliget, qui à perfectio illius vincet omnes alias aliorum ordinum.*

Ordo ſocietatis Ieſu.

Conc. Trid.

Abb. Ioachimus.

Prædictionis Prophetica huius religionis.

Idem Ioachimus, clarius, in libro 20. expoſitionis ſuper Apocalipſi fol. 83. de eadem ſocietate ſic ait. *Erit quidam ordo deſignatus in Ieſu, qui clarebit ſexto tempore Eccleſiæ, id eſt, in fine Mundi, qui erit præ cæteris ſpiritualis, præclarus, & Deo amabilis*, & in fol. 98. ait, *Deus diliget iſtum ultimum ordinem, quemadmodum Patriarcha Iacob Beniaminum filium ſuum, eo quòd in ſenectute genuerit eum.*

Idem exponens illa verba Ioannis. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis*, ſic ſcribit in folio 175. *Arbitramur tamen in eo, quòd viſus eſt ſedere ſuper nubem candidam ſignari quemdam ordinem iuſtorum, cui datum ſit perfectè imitari Vitam filij hominis, & habere linguam eruditam ad Euangelizandum, & colligendum in aream Domini vltimam meſſem, qui dicuntur ſedere ſuper nubem propter Contemplationem, & hic erit ordo perfectorum Virorum ſeruantium vitam Chriſti, & Apoſtolorum.*

Idem Abbas Ioachimus ſuper Hieremiæ caput primum ſic ait, *Reuelandi ſunt in Eccleſia Doctores, Prædicatoreſq; fideles, qui terrena, ac carnalia corda, omni plaga percutiant, ac erectis, & tumidis magiſterijs ſilentium, ſtudijs ſuis, imponant. Et bene filius Melchiæ Hieremias deſcribitur, quia ordo ille futurus, ad obedientiam ſummi Pontificis dirigitur*; Sic ille: Hæc duo poſtrema ſunt maximè propria huius ſocietatis. Sanctus Vincentius in tractatu de Vita ſpirituali in fine, de eadem ſocietate videtur loqui, dum admonet, in fine mundi conſiderandum eſſe ſtatum futurum quorundam Virorum Eccleſiaſticorum, pauperum, manſuetorum, charitate ardentiſſima ſibi coniunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, niſi ſolùm Ieſum, ſupernam Dei, & Beatorum gloriam contemplantium, & ob Dei amorem ſemper mortem expectantium.

D. Vincẽtius.

Ioannes Federicus Lumnius de extremo iudicio, & Indorum vocatione lib. 2. cap. 6. Verba illa Iſaiæ, quæ in capite decimo octauo habentur, huic Societati, quæ etiam ad remotiſſimorum populorum conuerſionem incumbit, non incongruè accommodat: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam; ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam* &c. De quo etiam ordine exponit uerba illa Iſaiæ 6. cap. *Qui ſunt iſti, qui, vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Nubes, inquit, *uocat propter celerem obedientiam, & propter affluentiam Verbi Dei in prædicatione, & propter contemplationem, qua in alta eleuantur: Columbas verò, quia fellis acerbitate caret hæc pacifica ſocietas Ieſu, quo nil*

Lomnius. Iſa. 18.

Iſa. 6.

 mirabi-

D. Thomas. *mirabilius*. Hæc ille, & piè quidem, licet D. Thomas in Opuſculo de Religione, omnibus Religionibus mendicantibus hæc verba Iſaiæ optime applicet.

Ordo miniſtrorum infirmorum. QVINTVS eſt Ordo Clericorum miniſtrantium Infirmis, tempore Sixti Quinti anno 1586. inceptus, & deinde in Religionem approbatus à Gregorio XIIII. quem etiam innumeris gratijs decorauit.

Ordo Clericorum Minorum. SEXTVS eſt Ordo Clericorum Regularium, ut Minorum, qui in Ciuitate Neapoli floret ſub Sixto V. anno 1589. & deinde à Gregorio XIIII. & Clemente Octauo confirmatus.

Ordo Iohannis Dei. SEPTIMVS Ordo, ſeu congregatio Iohannis Dei, & Sociorum, qui hoſpitalarij vocantur; & hoſpitia pro infirmis pauperibus erigunt, & gubernant.

Cong. Doct. Chriſtianæ. OCTAVVS eſt Congregatio piorum Virorum, qui doctrinam Chriſtianam docent, dicunturque Clerici doctrinæ Chriſtianæ, hæc cœpit Anno 1560.

Cong. Somaſchæ. NONVS eſt Congregatio Clericorum, qui Somaſchæ congregationis appellantur, quæ Congregatio initium habuit Bergomi circa Annum Domini 1528. & deinde à Pio V. in Religionem fuit erecta, & curam præcipuè orphanorum gerit.

Congregatio Oratorij. POSTREMO poni debet Congregatio Oratorij, quæ licet in Religionem erecta non fit, à Viro tamen magna ſanctitate prædito, & omnium Virtutum genere ornato, Philippo Nerio Florentino Presbytero ſæculari, in Vrbe excitata fuit. Phili. Nerius. Huius Congregationis illud eſt præcipuum inſtitutum, ut ſingulis diebus à prandio collationes rerum ſpiritualium in templo ab his, qui in eam adſcripti ſunt habeantur; familiari quodam ſtilo, ad animos auditorum ad pietatem excitandos, & promouendos, maximè accommodato; in illis diuerſa Sanctorum exempla proponuntur, & ea Patrum ſcripta citantur, quæ ad pietatis, & Virtutis ſtudium, moreſque inſtituendos, maximè faciunt. Huius autem Congregationis hæc fuerunt initia. Romę primùm ſub Pio IIII. cœpti ſunt Congregari Clerici ſæculares huius Congregationis, quam vocant Oratorij de Vrbe. Cum enim multò ante ſub Iulio III. Viri pij quamplures quotidie poſt prandium ad Philippum Nerium præfatum, ſacris eruditum litteris, orationibus, & audiendis confeſſionibus aſſiduum in Ædibus Sancti Hieronymi tunc degentem, conuenire, ibique priuatim, de more primitiuæ Eccleſiæ, & antiquorum Patrum, monachorumque Heremi, exhortationes domeſticas, & collationes facere cœpiſſent. Creſcente in dies multitudine, à Cella dicti Patris, quæ eos commodè capere non poterat, peruenerunt in Oratorium dictæ Eccleſiæ Sancti Hieronymi, ubi cauſſa orationis tum illi, tum alij ſingulis Veſperis iamdiu conuenire ſolebant. Vbi etiam ſæpè ipſe fui, & familiares illos ſermones ex inſtituto, ſemel, atque iterum, ac ſæpius habui, prout Nerius mandabat, cuius mandata, tanquam cæli tus accepta, libentiſſime exequebar. Atque eò loci per annos XX. & vltra pium hoc exercitium continuarunt, donec ſub præfato Pontifice Piò IIII. in Eccleſia Sancti Ioannis, Nationis Florentinorum octo ex eis, pro maiori parte Sacerdotes, congregati ſunt, communi menſa, communique habitatione utentes. Demum Gregorius XIII. eorum ſocietatem in Congregationem erexit, & approbauit, eique parrochialem Eccleſiam, (Sancta Maria in Vallicella vulgò dicta) vniuit: Vbi in præſentiarum eiuſdem Pontificis munificentia, pijſque fidelium oblationibus, veteri deſtructo, nouoque à fundamentis longè ampliori, & pulchriori constructo templo, Dei optimi maximi benignitate uiuit, & coaleſcit. Plureſque per Italiam ad eius imitationem ſurgunt Congregationes. Præcipuum eius, vt diximus, inſtitutum eſt, quotidie, (excepto Sabbato, quò commodius eo die confeſſiones audire, Eccleſiam exornare, & nonnihil quietis aſſumere valeant) familiares has exhortationes, & collationes duarum horarum ſpacio, facere, Vitas Patrum recenſere, & locum, in quo orationi, partim uocali, partim mentali ſingulis Veſperis per horam, ſecunda verò quarta & ſexta Feria etiam caſtigationi corporis, per quartam partem horæ, vnuſquiſque pro libito vacare poſſit præſtituere, & aptare. Nomina eorum, qui tempore dictæ erectionis, & approbationis con-

niſ conuenerant, ſunt hæc. Philippus Nerius Præpoſitus, Alexander Fidelis, Cæſar Baronius, Ioannes Franciſcus Bordinus, Angelus Vellius, Antonius Talpa, Germanicus Fidelis, Pompeius Paterius, Fabritius Mediabarba, Nicolaus Lilius, Thomas Bozius, Franciſcus Sotus, Aloyſius de Ponte, Iulius Sauiolus; Quibus poſtmodum alij diuerſorum locorum acceſſere: Nullam profitentur Regulam, nullumque Votum emittunt, nec habitum mutant, ſed inſtar aliorum Clericorum ſæcularium incedentes, ſub voluntaria obedientia tunc dicti Philippi eorum patris, nunc Præpoſiti, qui ei pro tempore ſuccedit, conuiuunt. Primi Patres huius Sacræ Congregationis oratorij.

EX HAC autem congregationum & ordinum varietate, quam narrauimus, certum habemus diuinæ prouidentiæ Symbolum, vt videlicet, quo tempore magis Hæreticorum ſectæ pullulant, eo in Eccleſia Catholica noui piorum hominum ordines quotidie excitentur.

NON ſolùm autem Dei Eccleſia in hoc ſęculo multas, uti uidimus, nouarum Religionum propagines emiſit, ſed etiam nonnullas tamquam inutiles abiecit; ſic Paulus Tertius ordinem quemdam, in Italia à Fratre Baptiſta Cremenſi inſtitutum, quem ipſe antea approbauerat, extinxit, ut narrat Cano lib. 5. de locis ca. ultimo, & Pius Quintus Humiliatorum religioſum ordinem, quod in Carolum Borromeum Cardinalem conſpiraſſet ad mortem. Ordinem quoque ſeu Congregationem Clarinorum, & Amodęorum, qui ſub Regula Sancti Franciſci militabant, ſuppreſſit. Ordines regularium extincti. Canus.

MVLTAE prӕterea Religiones ad priſtinam uitę regularis, & obſeruantię normam reſtitutę fuerunt, quę iam relaxatę, & collapſę in laxiorem uitam uidebantur, ut Religio Fratrum S. Marię ſeruorum ſub Pio V. & Congregatio antiqua Monachorum Silueſtrinorum per B. Silueſtrum de Auximo Abbatem inſtituta, quę per Sixtum V. ad antiquum habitum, & Monaſticę uitę obſeruantiam reſtituta fuit, & reformata; & alię multę. Ordines reformati. Ordo ſeruorum. Cong. Siluestrinorum.

ACCEDIT etiam ad huius ſęculi fœlicitatem, publica aliquorum Sanctorum Eccleſię declaratio: multorum enim Vitę Sanctitas, & miraculorum gloria, licet iampridem hominibus nota, hoc tamen ſęculo Sacra canonizationis cęremonia per ſummos Pontifices comprobata fuit.

Hac cæremonia Leo decimus Sanctos renunciauit, Brunonem Carthuſianorum Patriarcham anno 1515. vt refert Surius tomo quinto in eius Vita, & Franciſcum Paulenſem inſtitutorem ordinis Minimorum Sanctitate, & miraculis clariſſimum anno 1521. Platina in Vita Leonis. Qui Sanctorum Cathalogo in hoc ſæculo fuerunt adſcripti ſolemniter à Rom. Pont.

Adrianus Sextus anno 1522. Bennonem Virum apud Germanos miraculis clarum, parùm poſt eius obitum, & Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, Sanctitate, doctrina, ac miraculorum Virtute percelebrem canonizauit. Platina in eius Vita; atque hæc inter ea tempora acta ſunt, quæ à primo Iubilæo vſque ad ſecundum fluxerunt. Platina.

Sixtus Quintus Didacum Hyſpanum, ordinis minorum de obſeruantia, verè Beati Franciſci ſectatorem, eodem ritu, Sanctum Decreto publico pronunciauit.

Clemens Octauus Hyacinthum Polonum ordinis Prædicatorum, multitudine miraculorum illuſtrem, Sanctorum cathalogo adſcripſit: Hæ duę poſtremæ canonizationes in decurſu annorum à Quarto Iubilæo vſque ad Quintum peractæ fuere.

CAPVT NONVM.

Idem oſtenditur ex multorum Sanctorum Martyrum Triumphis.

Multitudo Sãctorum Martyrum huius ſæculi, in diuerſis mundi partibus occiſorum.

FLORVIT & hoc ſęculum multitudine Sãctorum Martyrum, & aliorum piorum Virorum, qui licet hactenus canonizationis gradum in Eccleſia adepti non fuerint, eorum tamen memoria hac noſtra breui enumeratione recenſenda eſt. Hic autem poſt Martyres enumerabimus etiam uiros alios ſanctitate, miraculis, pietate ac doctrina inſignes, & alia quædam iucundiſſima.

ANNO 1519. apud Indos cum à Barbaris Eccleſia fratrum apud Cumanam cõflagrata eſſet, & dicti Monaſterij fratres arrepto Sanctiſſimo Sacramento, Cubacum ſe recepiſſent, perſecutionem Barbarorum fugiẽtes, unus ex illis Dionyſius nomine, poſt lapidum cumulum latenter per ſex dies ſe occultauit, unde fame compulſus exiuit, & in manus Barbarorum incidens, ab illis tribus diebus detentus Chriſti fidem conſtanter retinuit, & tandem ab illis ob eamdem fidei confeſſionem occiſus fuit. Teſtatur hoc Boterus par.4.lib.3.

Boterus.

Martyres ordinis Prædicatorum.

Eodem anno multi Dominicani, qui fidem Chriſti Indis prędicabant, ab ipſis occiſi, & comeſti fuere in loco, quem dicunt Peritum, in Regione Maracapana. Quo etiam tempore apud Ciribicos in eadem Regione nonnulli ex eadem Dominicana familia, qui adoleſcentes in fide inſtruebant, ſimiliter ob Chriſtum occiſi ſunt: horum Vnus, dum Sacra faceret, martyrio coronatus fuit. Idem Boterus in eodem loco.

Ex Virorum ſerie, quæ Martyrologio ordinis Prædicatorum annexa eſt, ſubſequentes Martyres hac noſtra tempeſtate, à Barbaris, & Hæreticis pro Chriſto interfecti enumerantur, de quibus etiam in Capitulis generalibus Romæ, & Barchinonæ celebratis, fit mentio.

In Prouincia Toloſana Frater Leonardus Talaſij Sacerdos, ab Hęreticis ſtrangulatus, & pugione confoſſus eſt.

Frater Augerius de Montealto conuentus Morlalenſis Catapulta occiſus eſt.

Frater Raymundus de Plano eiuſdem conuentus Prædicator egregius, cùm perſeueraret in fide, erutis oculis, & eidem in cibum datis, tandem occiſus eſt.

Frater Ioannes Fargali, & Frater Antonius de Roſa, & Frater Antonius Vuliers conuentus Sancti Seuerini, fame conſumpti ſunt.

Frater Laurentius Franconi conuentus Ruteren. Pater Venerandus inuentus ab Hęreticis in Vinea conuentus, viuus combuſtus eſt.

Frater Robertus de Bello Viſo vir doctus, articulis membrorum abſciſſis, & inter milites diuiſis, in reſiduo corporis excoriatus eſt.

In Prouincia Franciæ Frater Robertus Cubuanus, conuentus Ebrocenſis, & Frater Petrus Mecreton conuentus Claremacenſis eiuſdem Congregationis Galatiæ, & Frater Ioannes Picard Beluacen. Prouinciæ Franciæ & Frater Ioannes Fegen cõuentus Pruuienſis eiuſdem Prouinciæ ab Hæreticis pro fide occiſi ſunt.

Frater Guillielmus Bruni Prædicator celebris in obſidione cuiuſdam Oppidi ab Hæreticis circumuenti, & obſeſſi, obijt.

Frater Hieronymus de Cruce Luſitanus in Inſulis orientalibus, in Ciuitate Malaqua Prædicator Gentilium, haſta percuſſus ab ipſis Gentilibus, & Mauris martyrium promeruit.

Martyres ordinis minorũ.

Boterus.

Apud Braſiliam Patres quidam Franciſcani Itali, qui ad Chriſti fidem Euangelizandam primi eo acceſſerant, à Barbaris prius interfecti ſunt, quam initium prædicationis facere potuerint, idem Boterus par.4.lib.4.

VERVM, vt ex proximioribus regionibus exempla proferamus, ſanè diuturnũ, ac ſæuiſſi-

ac ſæuiſſimum ſchiſma Anglicanum magnam nobis copiam ſuppeditat fortiſſimorum Virorum, qui in Catholicæ Veritatis defenſionem, bona fortunæ, Vitamque propriam contemnentes, glorioſum pro Chriſti nomine certamen inierunt.

Mulier Sancta prima poſt Anglicanam hereſim Martyrio coronata fuit, & cum illa alij religioſi viri.

Et quidem primam perſecutionis huius Palmam Mulier ſibi arripuit, & diuino conſilio factum; Sicut enim Regis, & Regni illius à Catholica fide diſceſſio per prauam mulierem cœpit, ſic ibidem prima ſanguinis effuſio in veræ religionis teſtimonium à muliere initium habuit. Hæc fuit Eliſabet Monialis, ſanctitatis fama in eo Regno celebris; ex quo enim illa Dei motu acta, aſſereret, Henricum Regem non ex Deo regnare, nec amplius ea de cauſa, Regem eſſe, vltimo ſupplicio XII. Kal. Maij. anno 1534. affecta fuit; cuius ſententiam cùm etiam probarent ſex alij pij Viri, quorum duo ex ordine Sancti Benedicti, duo ex Diui Franciſci, duo reliqui Presbiteri ſæculares erant, ſunt etiam ipſi Martyrio coronati.

Martyres in Anglia ex ordine Carthuſianorum.

D. Bernardus.

Sequenti anno ex ordine Carthuſianorum, tamquam ex officina Virtutum & perfectionis Chriſtianæ magiſterio, (eſt enim hic ſtatus, & ordo omnium perfectiſſimus, ut D. Bernardus affirmat in ſermone ad fratres de monte) Primi inter primos Martyres Floruerunt. Decem & octo enim pro defenſione primatus Petri, negantes, Regem, Eccleſiæ ſupremum eſſet caput, fortiſſimè ſe morti obtulerunt: horum tres, videlicet Ioannes Hogthonus Prior Londinenſis, & Robertus Laurentius Prior Beualenſis, & Auguſtinus Vebſterus Prior Exhamenſis III. Calendas Maij anno 1535. cùm habitu, quo in Monaſterio utebantur, in maiorem Religionis contumeliam, Londini patibulo appenſi ſunt. Cùm iſtis eodem die, & loco, eodemque mortis genere ob eamdem cauſam, refert Sanderus libro primo de ſchiſmate Anglicano; alios duos Viros Martyrio coronatos eſſe.

Sanderus.

Deinde alij quinque Carthuſiani, eodem anno, decimoquarto Calendas Iulij paſſi ſunt, quorum tres, videlicet Vinfridus Midelmorus, Gulielmus Exmeus, & Sebaſtianus Nudegatus, ſacerdotes omnes, ita crudeliſſimè ſunt affecti, ut in carcere erecti ſtare cogerentur per continuos quatuordecim dies, ferreis catenis ad collum, ad brachia, ad crura alligati, poſt hos dies pertracti per Plateas Londinenſes, ubi deuenerunt ad locum ſupplicij, ſic patibulo ſuſpenſi ſunt, ut paulò poſt viui laqueo ſoluerētur, quibus mox pudenda præciſa ſunt, & gladio tranſuerberatus, viſceribus euulſis, & in ignem coniectis, tandem capita abſciſſa ſunt, atq; diuiſis ſingulorum cadaueribus, in partes quattuor, carnes elixæ, varijs locis, ut à populo cernerentur Londini appenſæ ſunt; reliqui verò duò Carthuſiani, Ioannes Roceſtrius, & Iacobus Valuerus in Ciuitate Eboracenſi V. Idus Maij Laqueo ſuſpenſi, ad cælum euolarunt.

Nouem item alij Carthuſiani ob eamdem cauſam in teterrimo carcere, fœtore, & fame extincti ſunt, nempè Richardus Berus, Thomas Græneus, Ióannes Dauis, Thomas Ionſonius, Gulielmus Grenuedus, Thomas Scriuanus, Robertus Salteus, Gualterus Perſonus, & Thomas Redingus, poſtremus tandem Carthuſianus Gulielmus Hornus nomine, pride Nonas Auguſti; ne Carthuſianorum occiſioni decimaoctaua Corona deeſſet, ſuſpenſus & ipſe, laurea Martyrij Coronatus fuit.

Roſenſis Cardinalis Martyrium, & laus.

Eodem anno 1535. in Anglia Ioannes Fisherus Epiſcopus Roſſenſis Cardinalis X. Kal. Iul. Vir Sanctitate Vitæ, doctrina, auctoritate, atque omnium Virtutum gloria celeberrimus, quo nil aut doctius, aut ſanctius Anglia protulit, cùm iam eſſet decrepitæ ætatis, & per annum, & vltra in carcere detentus, tandem ad mortem pro Chriſti fide perducitur, & ad locum ſupplicij, proprijs pedibus, abiecto baculo, quo ſenex utebatur, conſcendens, euecta ad Deum mente, hymno, *Te Deum Laudamus*, integrè recitato, capite truncatus eſt, quod deinde in ponte Londini ſuper haſtile expoſitum, cùm maioribus ſplendoribus in dies effulgeret, inde, ut eius, & Dei gloriam Hæretici obſcurarent, ſubtractum fuit.

Sancta pro fide Chriſti mors Thomæ Mori.

Deinde eodem anno pridie Nonas Iulias Thomas Morus Laycus inſigni

ſigni prudentia, & conſtantia Vir, cùm iamdiù in carceribus detentus fuiſſet, ad locum ſupplicij tandem deductus, coram omni populo ſe in fide Catholica mori proteſtatus eſt, ac Pſalmo *Miſerere Mei Deus, &c.* ibidem publicè pronunciato, vniuerſa Anglia ingemiſcente, capite plexus fuit.

Eodem anno Quarto Nonas Maias, Reginaldus Brigidenſis Monachus, inſignis Theologus, ac linguarum peritiſſimus, & quidam Parochus presbyter ſæcularis Ioannes Haylus vocatus, ſimiliter pro Dei Eccleſia paſſi ſunt.

Martyres ordinis minorum de obſeruantia.

Nec defuerunt feruentiſſimi Viri ex Franciſcana familia, qui de obſeruantia nuncupantur, qui huiuſmodi Schiſmaticis Sanctionibus ſubſcribere recuſantes, vltimò ſupplicio extincti fuere. Antonius Brobeus Sacerdos eiuſdem familiæ Græcè, & Hæbraicè excellenter peritus XVI. Kal. Auguſti eiuſdem anni, funiculo, quo cingebatur, præfocatus fuit. Thomas Belchiamus vir doctiſſimus, iuueniſque floridus, fame in carcere Londinenſi tertio Nonas Auguſti conſumptus, deſecit. Alter Thomas Cortus, generis nobilitate clarus, VI. Kal. Auguſti ſquallore, ac tędio carceris confectus eſt. Triginta, & duo preterea eiuſdem ordinis Religioſi bini, ac bini catenis ferreis inuicem colligati, in diuerſis Regni carceribus miſſi, ne populus tumultuaret, tandem in illis vitam cum morte commutarunt.

Denique Ioannes Foreſtus 1538. ſimiliter Franciſcanus ſupplicio, X. Kal. Iulias affectus fuit: inter duas enim furcas, duabus ad brachia catenis colligatis, in altum poſitus, lento ad pedes igne ſuppoſito, acerbiſſimè vſque ad mortem tortus fuit. Complures alij fratres Beati Franciſci in carceribus conſumpti, (ducentos enim eodem tempore in varijs carceribus numeratos eſſe, teſtatur idem Sanderus lib. I.) martyrium pro Eccleſia paſſi ſunt.

Sanderus.

Presbiteri ſæculares & Monachi martyres.

Sub eodem Henrico anno 1539. quatuor, quorum duo presbiteri, tertius quia ſacris inſeruiebat, quartus Monachus, VIII. Id. Iulias obnegatam Regi Pontificiam poteſtatem, laqueo necati, & Londini in partes diſſecti fuerunt.

Abbates & alij ordinis Sã. Benedicti.

Decimooctauo Kal. Decembris Ricchardus Vitingus Glaſioniæ, & Hugo Ferindonus Redingi Abbates ordinis Sancti Benedicti, cùm duobus presbyteris Rnggo, & Ontono, pro eadem cauſa occiſi fuere, quod idem accidit Ioanni Beco Abbati Colceſtrenſi Calendis Decembris.

Alij martyres inſignes in Anglia plurimi.

Præterea anno Domini 1540. III. Kal. Auguſti tres inſignes Thologi, Thomas Abelus, Edouardus Pouellus, & Ricchardus Fetherſtonus, eo quòd cauſam Sereniſſimæ Catherinæ Reginæ olim defendiſſent, nec poteſtatem Pontificiam Regi tribuerent, capite damnati ſunt. Item Quarto Nonas Auguſti ob eamdem cauſſam Laurentius Cochus Prior Cœnobij Danceaſtrenſis, vnà cùm duobus Monachis, & duobus Laycis Aegidio Horno, & Clemente Philpotto, occiſi ſunt.

Anno 1544. initio Menſis Martij Germanus Cardinerus, D. Larcus Chelſenſis Parochus, Ioannes Irlandus presbyter, & Ashbeus ob primatum Eccleſiaſticum Regi denegatum, martyrio affecti ſunt.

Sed nondum finis; (prætermiſſis enim innumeris alijs, tùm vulgaribus, tùm nobilibus, quos Henrici crudelitas exilio, carceribus tormentis in Vitę diſcrimen poſuit, & interfecit) ſub Regimine Eliſabethæ, martyria multorum præclariſſima non defuere, quæ etiam ex eodem Sandero lib. 3. recenſenda ſunt.

Sanderus.

Martyres ſub Eliſabetha Angliæ Regina.

Anno 1581. primo die Decembris Pater Edemundus Campianus Sacerdos Societatis Ieſu, cùm duobus alijs Presbyteris Alumnis Seminariorum Romani, & Rhemenſis, martyrium celebre paſſus eſt Londini, quod idem eodem anno contigit Euerardio Hanſi Sacerdoti, & Thomæ Shoruodo Layco.

Sequenti anno 1582. vigeſimo Maij tres alij, nempè Thomas Fordus, Ioannes Shertus, & Robertus Ionſonius, die verò trigeſimo eiuſdem menſis Gulielmus Philbeus, Lucas kirbeus, Laurentius Richarſonus, Thomas Cotamus omnes docti, ac pij Sacerdotes, Sanguinem pro Chriſto fuderunt.

In Eboracenſi Ciuitate eodem annò, quòd Pontificia auctoritate extra Regnũ ſe ordines Sacros ſuſcepiſſe profiterentur, octo alij Sacerdotes martyrij palmam

receperunt.

receperunt. Duo item alij, honeſtæ conditionis Layci in Ciuitate Vicentonienſi anno 1583. Ob Reginæ negatum primatum, Martyrio ſublati ſunt.

Londini eodem anno Impreſſor quidã, nomine Gulielmus Carterus, Martyrio affectus fuit, quòd prælo librum mandaſſet quemdam, in quo quædam Virgines ad Ieiunium hortabantur, vt hac ratione Holofernis caput facilè amputaretur, quod de Regina Heretici intellexerunt, cùm ille Dæmonem, & peccatum nomine Holofernis intellexerit; ſic in Aphrica accidit Catholicis Presbiteris, qui in ſuis ad populum cohortationibus, dum Pharaonem, Nabuchodonoſor, aut Holofernem nominarent, Regis perſonam ſignificaſſe Hæretici contendebant, ut notat Victor Vticenſis libro primo. Victor Vticen.

Eodem anno Lancaſtriæ alij quatuor vſque ad Sanguinem, Pij V. Pontificis ſententiam, qua Eliſabetha prætenſo Iure regnandi priuata fuit, conſtantiſſimè defenderunt.

Subſequenti anno Londini alij quinque Martyrium pro Petri primatu ſubierunt, ſicut etiam anno 1584. Lancaſtrię tres alij, atque etiam anno 1585. Thomas Alfedus Presbiter catholicus, & Vuelbeius Laicus, quòd ille libros in Inſulam intuliſſet contra fucatam Iuſtitiam Britannicam ſcriptos, hic verò diſpenſaſſet.

Innvmeri alij ſunt, qui in eo Regno pro fide Catholica ſanguinem fuderunt, quorum Cathalogũ diſertè ponit Sanderus libro ſeptimo de viſibili Monarchia. Sanderus. Enumerat hic Auctor Epiſcopos quatuordecim, qui in carcere, vel exilio pro defenſione primatus Petri, mortui ſunt; decem Cathedralium Eccleſiarum Decanos, & totidem Archidiaconos, infinitumque penè numerum ponit omnium ordinum, ætatum, atque ſexuum, qui in ea perſecutione fortiter, & inuictè paſſi ſunt; lege librum Maceratæ impreſſum, vbi hiſtoria ſcribitur ſexdecim Sacerdotum, qui hac noſtra tempeſtate, in Anglia pro Chriſto occiſi fuere.

Caeterum præter eos, qui in hoc Anglicano Conflictu pro Chriſto glorioſè interfecti ſunt, habuit hoc ſæculum multos alios fortiſſimos Viros, qui in diuerſis orbis partibus, Euangelij prædicandi gratia, occiſi fuere: ſunt autem, qui ſequuntur; quorum memoriam Andreas Scotthus Societatis Ieſu Sacerdos per extenſum ponit lib. 3. c. 6. & 7. & 11. Vitam Franciſci Borgiæ ſcribens. Andr. Scotthus.

Religioſi Societatis Ieſu, qui in varijs orbis terræ partibus, Chriſti cauſa laborantes, tum à Barbaris, tum ab Hæreticis fuerunt interempti, videlicet.

In India Orientali Antonius Criminalis, qui recuſans recentem Chriſti Gregem deſerere, cùm facilè effugere potuiſſet, pro eo ſanguinem fudit, nixus genibus, oculis in cęlum defixis, confoſſus, anno. 1549.

Nunnius Reberus. 1549. decimaquinta Augusti.

Aloyſius Mendez iugulatus à Barbaris. 1552. eadem die.

Petrus Corræa, ſagittis confectus.

Ioannes Sofa, hunc nixum genibus, & in preces effuſum, ſagittis item Barbari interimunt; Vterque in Braſilia. M. D. LIIII.

Quatuor alij, quorum nomina ſunt in libro vitæ, duo videlicet ſacerdotes anno 1554. & duo Laici. 1555. Martyres ordinis ſocietatis Ieſu.

Paulus de Valle. 1565.

Antonius Fernandez. 1556.

Ioannes de Beiera.

Melchior Gonzalez.

Alphonſus à Caſtro, huic in Crucem acto, fuit caput præciſum. 1558.

Conſaluus Sylueria, vulneribus confectus XV. Martij. 1561. In Æthiopia.

Franciſcus Lopez haſtis tranſuerberatus, interijt. 1568.

Duo item fratres haſtis perempti. 1568.

In itinere Braſilienſi, dum Braſiliam peterent, Euangelij amplificandi cauſa, ab Hæreticis Caluinianis, quorum caput erat Iacobus Soria, intercepti fuerunt hi, qui conſequuntur, interfectique, ipſo Iacobo has voces ingeminante. Interfice, interfice, quoniam ad praua dogmata diſſeminanda Braſiliam petunt.

Anno

Anno M. D. LXX. XV. Iulij. Didacus Andradius in complexum Ignatij ruens, vulneribus confectus, cùm Ignatio deinde in mare præcipitatur, vnà cùm imagine Beatæ Virginis, quæ numquam ex Ignatij manibus exciderat, nec ullus potuerat eam extorquere.

Reliqui, qui inſequuntur, pugionibus confecti, ſemianimes in mare præcipitantur, & quorundam, præcidun tur brachia, ut omnem ijs adimant ſpem euadendi.

Benedictus Caſtrius.
Emmanuel Aluarez.
Petrus Fontaureus.
Dominicus Fernandez.
Antonius Suarez.
Antonius Correa.
Alexius Belgaolus.
Didacus Perez.
Ioannes Maiorea.
Conſaluus Henriquez.
Emmanuel Rodriquez.
Stephanus Zurair.
Emmanuel Fernandez.
Emmanuel Paciecus.
Franciſcus Magalanius.
Io. Fernandez. Bracharen.
Alphonſus de Vaina.
Franciſcus Perez de Godey.
Marcus Caldera.
Gaſpar Aluarez.
Petrus Nummez.
Andreas Gonzalez.
Ioannes de Bueza.
Aluarus Mendez.
Io. Fernandez Vlyſſipon.
Gregorius Scriba.
Antonius Fernandez.
Franciſcus Aluarez.
Ferdinandus Santhez.
Simon Lopez.
Nicolaus Denis.
Amarus Vaas.
Ioannes Caſtrius.
Ioannes à Sancto Martino.
Ioannes Adauctus.
Simon à Coſta,
huic fuit præciſum caput.
Biagius Ribera, huic cerebrum extractum.

In eodem itinere à Ioanne Cadauilio Gallo Hæretico vehementi, & accerrimo Eccleſiæ inimico, fuere interempti, qui ſeqnuntur. Anno 1572. 14. Septembris.

Franciſcus Caſtrius; hunc Hæretici repertum, aliorum Confeſſiones excipientem, punctim, cæſimque confodiunt, maxima ira perciti, eo quòd Eccleſiæ ſacramenta miniſtrantem offenderant.

Petrus Diazius Vterque Sacerdos; reliqui qui ſequuntur, Layci, qui prius uarijs contumelijs, & pugnis affecti, in mare viui præcipitantur, ubi ſe inuicem confirmantes, recitato Symbolo Apoſtolico, & precibus ad Deum fuſis, hoc verſiculo vno eorum præcinente, & cæteris reſpondentibus, *Tibi ſoli peccaui*, animam Deo reddiderunt.

Gaſpar Gois.
Michael Trachanes.
Franciſcus Pauli.
Petrus Fernandez.
Ioannes Aluarez.
Alphonſus Fernandez.
Andreas Rais.
Ferdinandus Aluarez.
Petrus Diaz.
Didacus Carauallius.

In Coculmo 1583. XV. Iunij quinque Patres eiuſdem ſocietatis, dùm de templo apud Ethnicos extruendo conferunt, à Mahumetanis adorti, occiduntur.

P. Rodulphus Aquauiua.
P. Petrus Berna.
P. Alphonſus Paciecus.
P. Antonius Franciſcus.
Franciſcus Aranea.

In Mexico 1594. XII. Iulij.
P. Conſaluus de Topia.

In Florida Inſula 1566. 14. Septembris.
P. Petrus Martinez.

In Florida Inſula 1568. 3. Februar.
P. Io. Baptiſta de Segura.
P. Aloyſius Quadras.
Gabriel Gomez.
Petrus de Linares.
Sanctius Teballus.
Chriſtophorus Redondus.
Gabriel de Solis.
Io. Baptiſta Mendoz.

In ANGLIA iuſſu Eliſabethæ Reginæ occiſi pro Fide Catholica.

P. Edmun-

P.Edmundus Campianus 1581.1.Decembr.
P. Thomas Cottamus 1582.28. Maij.
P.Ioannes Cornelius 1594.
P.Robertus Sotuellus 1595. 3. Mart.
P. Henricus Vualpolus 1593. 8. Febr.
Albenaci in Gallia 1593. 8. Febr.
P. Ioannes Selcoſius.
Gulielmus Salthamochius.
In Æthiopia 1595.

P. Abrahamus Georgius.
In Indijs 1581.
P.Georgius Fernandez.
P. Gomez Damaraluis.
Eboræ in Luſitania. 1555. 18.Febr.
P. Emmanuel Fernandez.
Bibonæ in Sicilia 1564. 18. Octobr.
P.Petrus Venuſtus.
Cardeliaci in Gallia 1573. 28.Febr.
P.Martinus Gutterus.

Sed præter hos Societatis Ieſu martyres alios quoque reperimus, atque illos quàmplurimos in Gallijs, qui hiſce Annis 1561.62.67.68. pro Eccleſiæ Romanę primatu martyrium ſubierunt, vt refert Nicolaus Sanderus lib.7. ex Iacobo Paina de origine Societatis Ieſu, qui ſic ſcribit. *In ciuilibus bellis quibus Gallia nuper exarſit, cùm à Dei optimi maximi, Regiæque maieſtatis hoſtibus Sacerdotum circiter ſex millia capta fuerint, qui reiecta ſalutis impia conditione, maluerunt diuerſis cruciatuum generibus affecti interire, quàm debitam Romano Pontifici obedientiam abijcere, atque veram Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam cùm Caluino ſcelerate denegare, ex illis tria ferè millia fuerunt omnium Monachi Religioſiſſimi.* Hæc ille vide Boterum, 3.par.lib.5. Sanderus. Iacobus Payna. Boterus.

Horatius Turſellinus lib. 2. Vitæ Xauerij cap.6. ſcribit pro Religione Chriſtiana, in Patino Pago Inſulæ Canariæ à Rege Tafanapataniæ, in cuius ditione Inſula eſt, Neophytos M.C.& amplius cæſos fuiſſe, & iterũ filium Regis Ceilani cùm alijs M. C. à patre Rege Barbaro, pro Religione Chriſtiana interfectos, proprio ſanguine baptizatos fuiſſe, eodemque in loco, vbi cædes facta eſt, Crucis prodigia apparuiſſe. Turſellinus.

Iam verò, quæ his nouiſſimis temporibus in Inſulis, quas vocant Philippinas acciderint, enarranda ſunt, vt perſpicuè agnoſcatur in hoc ſęculo Martyrij ſpiritum, ac deſiderium in quàmplurimis ſeruis Chriſti efficaciter viguiſſe.

Ex Relatione fidiſſima Donni Franciſci Tegli Gubernatoris Inſularũ Philippinarum conſtat, quòd anno præterito 1597. die 14. Martij, quæ dies erat feria ſexta, in Iaponia Inſula iuſſu Combacci, (ſic illius Regni Princeps appellatur) ſex Patres Hyſpani ordinis Sancti Franciſci de obſeruantia, quod Ieſu Chriſti fidem ſummo Religionis zelo, indefeſſoque ſtudio prædicarent, crucibus affixi, lanceiſque transfoſſi, ſpiritum Deo reddiderũt. Horũ nomina hæc ſunt, uidelicet. Martyres in Inſulis Philippinis ex ordine minorum de obſeruantia.

Frater Petrus Baptiſta Commiſſarius.
Frater Martinus Agirræ.
Frater Franciſcus Blanco.
Frater Philippus.
Frater Conſaluus.
Frater Franciſcus Sancti Michaelis.

Ijs per triginta dies in carceribus maceratis, abſciſſa fuit ſiniſtra auricula, deinde verò ſuper tabulam, quæ currui connexa erat, per ordinem alligatos, iuſſit Foſſeambrus crudelis Iudex per ſpacium ſex milliarium, & eò amplius pertrahi, nẽpè per Ciuitatem Fuggimonem, & Miauum, ac demum in Crucem acti, lanceiſque transuerberati, ad Cœlum euolarunt. Idem Martyrij genus pertulerunt viginti alij Iaponenſes, quos dicti Patres ad intelligentiam prædicationis Euangelicæ Interpretes adhibebant; quorum exemplo, & alij quingenti, & plures Iaponij ad martyrium inflammati, publicè Chriſtum confitentes, eiuſdem mortis genus expectabant.

Plerique alij in huius centeſimi, de quo agimus, curriculo, ſanguinem pro Chriſto ſparſerunt, ut in Flandria. Ex ordine Carthuſianorum.

Albertus Vuinda.
Ioannes Sittart. } Layci.
Stephanus Ruremundenſis.
Iohannes Leodienſis. } Sacerdotes.
Et Seuerus.

Henricus

Henricus Vuellen.
Et Federicus. } Diaconi.
Vincentius Herequius Laycus.
Ioachinus Prior.
In Gallia.
Iohannes Morot.
Iohannes Meguen. } Sacerdotes.
Iohannes Auril.
Benedictus Leueſque.
Et Theobaldus. } Layci Monaſterij.

Petrus Maſſeius. Atque alij plures, quorum nomina in literis Indicis Petri Maſſęi, & in Angliç, & Galliæ geſtis inuenies: nobis hos martires indicaſſe, ſatis erit.

Viri Sanctitate, gloria miraculorum, & doctrina inſignes huius ſeculi. HVIC narrationi operæprecium eſt annectere aliquorum piorum, inſigniumque Virorum nomina, qui vel miraculis, vel doctrina, vel etiam Vitæ Sanctitate in hoc decimoſexto ſæculo floruere.

Claruit hæc ætas gloria miraculorum, quę per illos à Deo patrata ſunt, dum etiam in hac Vita degerent.

S. Franciſcus de Paula. Surius. Franciſcus Xauerius Societatis Ieſu. IN PRIMIS ponendus eſt Beatus Frãciſcus Paulenſis, qui obijt die Secunda Aprilis Milleſimo Quingenteſimo, Septimo; hic viuens dęmones effugauit, cęcorum oculos, mutorum ora aperuit, mortuos ſuſcitauit, prophetico ſpiritu multa futura pędixit, aliaque ingentia miracula in Vita fecit, quę apud Surium tom. 4. & in Bulla eius canonizationis legenda ſunt.

SECVNDVS locus concedendus eſt Franciſco Xauerio, viro admirabili, è Societate Ieſu. Hic nobilis Cantaber, Ignatio Loyolæ in ſocium Pariſijs ſe adiunxit, & antequam hæc Societas à Summo Põtifice confirmata eſſet, anno 1541. Ioanne Luſitaniæ Rege poſtulante, in Indiæ Orientalis partes miſſus, primus è Societate in Iaponios, & Sinas Lucem Euangelij intulit, hic prophetico ſpiritu exornatus, vt ex Luſitanis hominibus, qui cùm eo familiariter vixerunt, acceptum fuit, etiam uiuens cęcos, ſurdos, mutos, paraliticos curauit, ac integræ ſanitati reſtituit, atque etiam mortuos ad Vitam reuocauit, vt ex literis indicis liquidò conſtat, & ex eius Vita tum à Petro Maffęio, tum ab Horatio Turſellino optimo ſtilo ſcripta, & vulgata, & poſt mortem multis editis miraculis, dum corpus eius ad Inſulam Goam ex Malacca transferebatur, maris tempeſtatem ſedauit, & in calce ſepultum, quarto poſt obitum menſe, integrum, atque ſuauiter olens inuentum fuit, quod etiam hodie non ſine miraculo integrum conſeruatur, ex quorum miraculorum multitudine, eodem ferè in honore habetur apud Indos Franciſcus iſte Xauerius, quo apud nos Franciſcus de Aſſiſio. Hic obijt Quarto Nonas Decembris 1552.

Petrus Maffeius. Horatius Turſellin.

Ignatius de Loyola. fundator Societatis Ieſu. TERTIVS ſit Ignatius Loyola ex ea Hiſpaniæ parte, quæ vulgò Guipuzcoa appellatur. Hic eſt, qui Religionem Societatis Ieſu fundauit, miras à Deo ſupernaſque illuminationes habuit, duas mortuorum animas Cœlos penetrantes vidit, Hozij, ſcilicet, & Codurij, eidem nocte uigilanti Maria Virgo, vnà cùm paruulo Ieſu apparuit, quem & allocutus fuit, denique dono prophetiæ præditus miracula edidit, vt Ioannes Petrus Maffeius lib. 3. eius Vitæ cap. 14. ſcribit; inter quæ unum refert, quod ego quoque ab eodem Alexandro Petronio noſtræ Benzoniæ familię medico, ſanè peritiſſimo, Viro graui, ac prudenti ſępius accepi, videlicet, ſe ęgrotantem cùm aliquando Ignatius inuiſeret, & cubiculum ſolus intraſſet, mira luce & Ignatij vultum, & cubiculum perfuſum eſſe conſpexit, ab omnique morbo illicò liberum ſe ſenſit. Obijt hic anno poſt Chriſtum 1556. pridie Calendas Auguſti, ſignis etiam poſt mortem editis.

Maffeius.

Franciſcus Borgia. QVARTVS ſit Franciſcus Borgiæ, Dux olim Gandiæ; hic relicto Ducatu, Societati IESV ſe adſcripſit, & Vitam ſummo orationis ſtudio, ſolidarumque Virtutum exercitationibus peregit, ſæpè Dæmones, & in Xenodochijs, & in Cubiculo vidit, ac terruit; ab energumenis dæmonia eiecit, bis eius faciem lumine ſplendere,

dere, radioſque emittere deprehenſum eſt. Lege Andream Scottum libro quarto eius Vitæ. Hic obijt, Pride Kalendas Octobris, 1572.

Andr. Scottus.

QVINTVS ſit Pater Philippus Nerius. Hic Vir omnium terrenarum rerum inſignis contemptor, & Congreganionis, vt diximus, Oratorij inſtitutor, Vaticinij ſpiritum à Deo obtinuit, multa miracula uiuens, edidit. Hoc vnum recenſebo teſtis oculatus, & in me ipſo expertus. Dum enim Peruſij aliquando eſſem, anno ætatis meæ 22. graui ſubito febri correptus, & illorum medicorum opera penè ſpe ſalutis deſtitutus, quod nihil ad ſanitatem meam proficerent; Romam acceſſi, vbi per ſex menſes eodem morbo laborans, à medicis, tanquam iam iam moriturus, deſtitutus fui. Acceſſit, ut me inuiſeret, diuino conſilio Pater Philippus, quo cùm magna mihi neceſſitudo intercedebat; hic, ut me ſic iacentem in lecto uidit, carnes meas tangens, & quaſdam pias preces de more ſuo recitans, me bono animo eſſe iuſſit, ſanitatemque promiſit, quam illicò Dei munere, & iſtius pij Viri meritis ſum conſequutus.

P Philippus Nerius inſtitutor Congregationis Oratorij.

SEXTVS ſit Frater Felix Laycus Capuccinus, qui Romæ, dum diu ibi in ſumma humilitate, & mortificatione vixiſſet, tandem obijt, & miraculis editis in Cælum conſcendit.

Frater Felix Laycus ex ordine Capuccinorum.

MVLIERVM quoque pietas, ac Sanctimonia miraculis illuſtrata, hac in ætate fulſit, quarum nomina modò hic prætermittuntur.

Et hæc, quæ de miraculis diximus, inſtituto noſtro, cùm breuitati ſtudeamus, ſatis uidentur; Illud certiſſimum eſt, Deum optimum maximum, ſicut Eccleſiæ ſuæ liberaliſſimè perpetuò conſulit, ne Sanctitatis Vitæ, prophetiæ ſpiritus, & doctrinæ incrementa deſint, ita etiam de miraculis pro ſua prouidentia diſpoſuiſſe, quorum numerum perſequi, præſertim eorum, quę ad Reliquias, Imagineſque ſacras in dies fiunt, infinitum eſſet, & præcipuè ſi narrare uellemus, quæ quotidie, diuino beneficio, à Sāctiſſima Dei Genitrice Maria in noſtro Auguſtiſſimo Lauretano Sacello patrantur; quorum multa Nos ante Horatium Turſellinum in primo libro noſtro de fuga, proſequuti ſumus; Illud narrare uidetur opportunum, quod recens occurrit, uidelicet, dum hæc ſcriberemus. Matthęus Bernardini ex Inſula Sardinia, dum miles in Ciuitate Zaræ inſeruiret ad pręſidium, ſub Duce Doimo de Luchens, incidit in grauiſſimam febrim, ex cuius ui lucem amborum oculorum amiſit, qui ſtatim ac Beatæ Virgini Lauretanæ ſe uouens, quòd ſi ab infirmitate liberaretur, eius Sanctiſſimam Domum inuiſeret, repentè à febri curatum ſe ſenſit, licet adhuc cæcus permaneret, ipſe tamen, ut Votum redderet, è Zara naui diſceſſit, unà cùm Franciſco Lorio Ariminenſi, & ad Portum Anconæ perueniens, è naui deſcendens, mox iterum humiliter genuflexus, lucem oculorum ſibi reddi, B. Virginem precatur; mirum; ſtatim exauditæ preces, & iam ſiniſtro oculo multa cernebat; craſſiora nempè; tandem uiam proſequens Lauretum, die vltima Auguſti præſentis anni, Lauretanum Templum ingreditur, vbi denuò genuflexus, enixius opem flagitat ad Beatam Virginem pro lucis receptione, illud ſupplicans, ut ſibi licitum eſſet cernere auguſtiſſimos Lauretanæ Cellæ parietes: & ecce Diuina Mater adeſt ſupplicanti; Aperitur enim eo dexter oculus perfectiſſimè, & ſiniſter clarius, & perfectè ea uidet, quæ prius ægrè cognoſcebat. Sacellum contritus ingreditur; & noui beneficij magnitudine tremefactus, maiorique pietate; & ardore affectus, Virgini gratias refert. Hunc Matthæum ſic infirmum, & ex infirmitate cęcum remanſiſſe, atque ita, ut diximus, Lauretum perueniſſe, teſtati ſunt coram noſtro Vicario, & Notario, idem Franciſcus Lorius, Camillus Peſchiera Brixienſis Signifer, Bernardinus Munſinus ex Aſula Taruiſinus, qui ſub eodem Duce Doimo militiam exercebat, & ſcriptura, quam uocant *Paſſaporto*, Clariſſimi Iuſtiniani Præſidis Maritimi Venetorum ſignata ſigillo Sancti Marci, & ab eodem Iuſtiniano ſubſcripta die XXV. Auguſti 1598.

Auctor. in li. ſuo de fuga.

Recens, & inſigne Miraculum B. Virginis Lauretanæ.

HVC accedant, quæ in conuerſione ad Chriſti fidem Indorum, tam Orientalium, quàm Occidentalium diuina ſigna edita ſunt, tam ante inſpiratam lucem

Euangelij, quàm in ipſo fulgore prædicationis, denique etiam poſt acceptum Euangelium; quæ omnia maximè, non ſolùm res fidei confirmant, illoſque populos nimis credibiles faciunt; ſed etiam, quod nos dicimus, gloriam huius ſæculi, ſummopere illuſtrant. De his lege Antonium Galuanum, Maffeium in libris de rebus indicis, Ioannem Acoſta de Natura noui orbis, Boterum, & alios, & Nos paulò poſt nonnulla dicemus.

Ant. Galuanus. Maffeius. Ioan. Acoſta. Boterus.

Scriptores, & alij uiri doctrina inſignes huius ſeculi recenientur.

AFFERAMVS modò Illuſtrium Virorum nomina, qui propter eminentem doctrinam tam ſcribendo, quàm concionando præcipui ſunt habiti. Decorarunt hanc ætatem imprimis Adrianus ſextus Papa, qui acutè, ac doctè quæſtiones in quartum ſententiarū ſcripſit, & nonnulla alia: Multi item, ac præclari Scriptores ex ampliſſimo, & Illuſtriſſimo Senatu Cardinalium, nempè Ioannes Roffenſis, Reginaldus Polus, Iacobus Sadoletus, Thomas Caietanus, Hoſius Varmienſis, Clemens Monilianus Cardinalis de Aracæli, Cardinalis Claraualleníis, Gaſpar Contarenus, Gabriel Palæottus, Carolus Borromæus, Gulielmus Sirletus, Hieronymus Albanus, Conſtantius Sarnanus, Auguſtinus Valerius, Franciſcus Toletus, Cæſar Baronius, & alij. Deinde etiam alij in diuerſis generibus ſcientiarum periti ſſimi, ut Albertus Pius Carporum Princeps, Baptiſta Mantuanus, Thomas Morus, Ioannes Echius, Sanderus, Petrus Caniſius, Andreas Vega, Alphonſus de Caſtro, Benedictus Pererius, Robertus Bellarminus, Chriſtophorus Clauius, Benedictus Arias Montanus, Dominicus, & Petrus à Soto, Aloyſius Lyppomanus, Franciſcus Turrianus, Franciſcus Suarez, Franciſcus Ribera, Gregorius de Valentia, Ludouicus Molina, Antonius Poſſeuinus, Henricus Henriquez, Martinus Nauarrus, Dominicus Bagnes, Michael Medina, Batholomæus Medina, Franciſcus Zumel, Martinus Cromerus, Carolus Sigonius, Honuphrius Panuinus, Blondus Forolimēſis, Ianſenius, Genebrardus, Frāciſcus à Victoria, & penè alij innumeri, tam Theologi, quàm aliarum ſcientiarum Profeſſores, quos omnes, abſque illorum præiudicio, breuitatis gratia, prætereo. Concionatores verò, qui eminuerunt, ſunt hi, (omiſſis alijs) Cornelius Muſſus, vir ſanctitate, & doctrina præcipuus, Epiſcopus Bituntinus, qui multorum ſeculorum Concionatores facilè ſuperauit, Franciſchinus Viſdomini, qui verbo, & ſermone potens fuit, Iacobus Laynes, Alphonſus Salmeron, græcis, & Hæbraicis litteris eruditiſſimus, Gabriel Flamma, vir eloquentiſſimus, Epiſcopus Clodienſis, Petrus Tuſſignanus Epiſcopus Senogallienſis, eruditione, & dicendi genere clariſſimus. Franciſcus Panigarola Epiſcopus Aſtenſis, qui ingenij magnitudine, oratoriaque arte dicendi, inter omnes Princeps eſt habitus, Lupus, qui concitatè dicendo multos fructus ſpirituales edidit.

Vita honeſta, & religioſa Cleri, & populi huius ſeculi.

SED illud hoc ſeculo præcipuè mirandum, quod ſilentio preteriri non debet, vincit enim iſta gloria multa præcedentia ſecula, nempè tam perfecta morum diſciplina, tam exacta Cleri, & populi viuendi reformatio, tam abſoluta tùm ſecularis, tùm Regularis ſtatus abuſuum extirpatio. Quod bonum, pro diuino conſilio, ex magna hęreſum, & Hęreticorum multiplicatione, ex Schiſmatum occaſione, & ex alijs Eccleſię perturbationibus; quas hęc ętas paſſa eſt, ortum habuit; ſicut enim Deus ſumma ſua prouidentia ſcit de malis bona facere, vt dixit D. Auguſtinus; ſic ex perſecutorum, & hoſtium Eccleſię vexatione, elicit maiorem in Chriſtianis animis pietatem, & religionem; apparet enim in hoc ſeculo Sacramētorum adminiſtratio & religioſior, & frequentior, templorum Sacrorum cultus diligentior, & exactior, Verbi Dei prædicatio crebrior, ipſius prędicationis ſcopus vtilior, piorum operum exercitatio vehementior, omnium ſcientiarum, & pręſertim Sacrę Theologię ſtudium vberius, & accuratius; denique omnium ordinum, ac ſexuum uitæ in melius commutatio; ſicut enim arma, ſi reliqua in pace ſint, rubiginem contrahunt, nec ad vſus militares deſeruiunt; cùm contra accidat ſi bellum inſtet, & vrgeat; ſic Eccleſię mores, & ſtudia, ſi pace perfruantur, langueſcunt; ſi verò Hęreticorum, reliquorumque hoſtium perturbationibus vexentur, vigent quotidie magis.

D. Auguſtin.

Simile.

AVDI

D.Cyprian.

AVDI Diuum Cyprianum rem hanc pulchrè ſcribentem in libro de lapſis, his verbis. *Dominus probari ſuam familiam voluit, & quia traditam nobis diuinitus diſciplinã pax longa corruperat, iacentem fidem, & penè dixerim dormientem cenſura cæleſtis erexit. Cùmque nos peccatis noſtris, amplius pati mereremur, Clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, vt hoc omne, quod geſtum eſt, exploratio potius, quàm perſecutio videretur, ſtudebant augendo patrimonio ſinguli, non in Sacerdotibus religio deuota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina*; hactenus ille; additque multa alia populi Chriſtiani vitia, quę in pace Eccleſię contigerant, vt cauſam conſequentis perſecutionis indicaret.

D. Auguſtin.

D.AVGVSTINVS in Epiſtola 101. in hanc ſententiam appoſitè hęc ſcribit. *Hæreticorum inquietudine, vt ſcripturas vigilantius perſcrutemur, vnde ne Ouili Chriſti noceant, illis poſſit occurri, tamquam de ſomno ignauia noſtra excitatur induſtria. Ita per multiplicem gratiam Saluatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus cõuertit in adiutorium*; hæc ille; & in libro de Vera Religione capite octauo inquit. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio, dicendi exiſtit occaſio*, ſic ille; quod non ſolùm his temporibus, factum eſſe cernimus in illis orbis Chriſtiani partibus, vbi hęreſes proprius ęſtuabant, ſed etiam in Romana Ciuitate, quòd ex illa tamquam ex turri munitiſſima Vineę Domini, hoc eſt, Eccleſię Sanctę, fortiſſimi quique integerrimique Viri, doctrina ſana, probatiſſimiſque moribus imbuti, & charitate feruentiſſimi, ad huiuſmodi hęreſum mala extinguenda prodire debeant; Quin etiam, ut mox dicemus, ad Idola, in Indorum, cęterorumque Barbarorum partibus diruęnda. Cuius boni utilitas pręcipuè accepta referri debet Paulo Quarto, & Pio Quinto, Pont. Maximis, quorum primus hanc morum reformationem, veteremque Eccleſię diſciplinam ſummo zelo, ac diligentia eſt ęmulatus Alter verò, nempè Pius Quintus, ſtudio ardentiſſimo decreta Tridentini Concilij, ut ab omnibus Principibus, cęteriſque Chriſti fidelibus reciperentur, & obſeruarentur, curauit: Ipſe exemplum prebens: Eccleſias enim, & Xenodochia Vrbis per ſe viſitauit. abuſus, qui tunc vigebant, amouit, aduerſus mulieres prauas, ſęuiſſimas leges promulgauit; ut contra infideles, & alios Eccleſiæ hoſtes bellum ageretur, maximam pecunię ſummam porrexit, Sanctiſſimæ Inquiſitionis officio annuos certos redditus cõſignauit, & domum ipſam opportuniori loco extructam eidem conceſſit, huius denique Pontificis Vitæ Sanctitas tanta fuit, ut ſolo Sanctæ Crucis ſigno, Dęmones à corporibus obſeſſis expulerit, ut proinde ab omnibus Chriſtiani orbis Potẽtatibus, immò etiam ab ipſiſmet Hęreticis, alijſque infidelibus timeretur, & ſuſpiceretur. Horum Pontificum exemplum inprimis ſequutus eſt ardentiſſimè Carolus Borromæus Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, cuius Viri admirabilis, & ſumma fuit in Eccleſiæ Mediolanenſis adminiſtratione, & regimine vigilantia, & ſingularis apparuit in operibus charitatis, & pijs exercitationibus, animam etiam ſuam ponens tempore peſtis pro ouibus ſuis. Lege eiuſdem Cardinalis Vitam à Carolo à Baſilica Petri Epiſcopo Nouarienſi, in lucem editam: hic enim accuratè, atque ſincere eius Vitæ, geſtorumque ſenẽ ſcribit, vt teſtatur Antonius Poſſeuinus, in ſuo apparatu ad hiſtorias, ſectione ſecunda. Hunc Cardinalem, & Archiepiſcopum (fuit enim ille verè ſtimulus Epiſcoporum) poſtea imitati ſunt, & imitantur reliqui omnes Eccleſiarum Paſtores. Quod ſi his, quæ dicta ſunt addamus Gregorij XIII. admirandam pietatem, & propagandæ fidei ardentiſſimum zelum in conſtruendis domibus, & erigendis publicis gymnaſijs ferè per omnes Mundi partes, ad fidei dogmata perdocenda, nõ videtur huic noſtro ſęculo aliquid amplius addi poſſe. Quo Pontifice illud præcipuum bonum habuimus, æterna memoria dignum; Calendarium enim, quod iã ante à Iulio Cæſare, & ab Octauiano Auguſtus emendatum, & deinde à Concilio Niceno approbatam, ob varium anni Solaris curſum tardius protraxerat celebrationem Paſchatis, ad priſtinum decretum Niceni Concilij reduxit, ſub

Origo reformationis morum Chriſtianorum.

Pij V. Pont. virtus, & magna Sanctitas

Cardinalis Borromæus.

Carol. à Baſilica Petri.

Ant. Poſſ.

Greg. XIII.

Calen. Greg.

tractis decem diebus. Hæc autem emendatio, licet in Conſilio Baſilien. propoſita, noſtro tamen hoc æuo per illuſtriores Aſtrologos, & Cycliſtas omnium Vniuerſitatum probata, confecta, & abſoluta fuit.

CAPVT DECIMVM.

Eiuſdem ſæculi Gloria refulget in Victorijs contra Hæreticos, & Infideles.

Noui orbis inuentio in hoc ſæculo facta, & eius cóuerſio.

HIc Locvs poſtulat, vt de varijs legationibus ad Sedem Apoſtolicám à diuerſis locis remotiſſimis, pro fide Catholica ſuſcipiēda, & recognoſcenda miſſis, & de noui Orbis inuentione, & eius ad fidem Chriſti cōuerſione nonnulla ad huius ſæculi claritatem afferamus; conuerſionem enim Infidelium, genus quoddam eſſe victoriæ Chriſtianorum non immeritò exiſtimamus. Poſt hæc autem addemus ea, quæ tempore. S. D. N. Clemen. VIII. Pont. Max. notatu digna geſta ſunt, quę gloriam huius ſæculi ſummopere illuſtrant.

Præter enim illas noui orbis partes à Chriſtophoro Columbo, ſuperiori ſęculo, adinuētas, & peragratas; hęc etiam ætas noſtra felix redditur, nouis iterum illius orbis partium adinuentionibus: anno enim 1501. Petrus Aluarez Cabral vlterius penetrans, Regnum vaſtiſſimum, quod Braſile dicitur, adinuenit, cuius prę cipua laus ponitur in fertilitate, & ſumma aeris temperie. Lege Boterum parte prima libro ſexto.

Boterus.

Item anno 1518. Ferrantes Corteſius eam partem Americæ debellauit, quæ noua Hyſpania dicitur, qui etiam poſtea Prouinciam Mexicam primus occupauit, anno 1521. decimatertia die Auguſti Hæc prouincia, ſi Ioſephi Acoſtæ iudicium ſequamur, amenitate, ac fertilitate omnes alias noui, & veteris Orbis ſuperat; Deinde anno 1535. adinuenta fuit peninſula Septemtrionalis Americæ, de qua uide eumdem Boterum parte prima libro quinto. Succeſſu temporis quædam ampliſſima Prouincia verſus Septemtrionem, à Mexico diſtans ducentis leucis, à quibuſdam Patribus Franciſcanis adinuenta fuit: Idem Boterus eodem loco. Poſtremò anno 1564. Philippi ſecundi Hyſpaniarum Regis auſpicijs, Michael Legaſpi Inſulas Philippinas attigit, eaſque nobis notas fecit; pleraſque alias prouincias, & Inſulas, quæ quotidiana nauigatione apparent, hic omittimus, quoniam longum eſſet ſingulas recenſere, & apud noui Orbis deſcriptores, qui à Poſſeuino in ſuo Apparatu enumerantur, facilè inuenies. Hæc autem commemorauimus, ut liquidò cognoſcatur, hanc noui Orbis adinuentionem diuino conſilio, ſummaque Dei inſcrutabili prouidentia, his temporibus reſeruatam fuiſſe. *Deſpiciens enim Deus.* Vt Act. 17. Areopagitis dixit Paulus, *Tempora ignorantiæ*, cæcitatis, & deceptionis illorum populorum, qui à Dęmone per Idolorum cultum faſcinati erant, nunc illis annunciare facit Euangelij veritatem, vt unuſquiſque illorum Pœnitentiam agens, conuertatur ad Dominum, qui fecit illos, quiuè in hunc mundum miſit Ieſum Chriſtum filium ſuum, ut ſaluos faciat omnes homines, & ad agnitionem Veritatis veniant: *In manibus enim tuis*, inquit, Dauid Pſalmo 30. *Tempora mea.*

Ioſephus Acoſta. Ant. Poſſeuinus. Actor. 17. Pſal. 30.

Vervm quàm appoſitè, & oppotunè, Indorum conuerſio hiſce temporibus acciderit, ac diuino conſilio determinata fuerit, deprehenditur ex multis pręuijs diſpoſitionibus, quibus diuina Sapientia uti uoluit, ut facilius, & commodius Euangelij prædicatio introduceretur, ac fides Chriſtiana ab illis populis cùm fructu reciperetur, multa impedimenta ab illis remouendo, ut eos idoneos, aptoſque redderet ad lucem Euangelij percipiendam.

In primis inter illos non defuerunt vaticinia multorum, qui Euangelicam ueritatem

ritatem iam iam prædicandam prædixerint, atque inſtare iam tempus, quò ab Idolorum falſo cultu liberari deberent, Vxorumque multitudinem fore abijciẽdam; ritusque, ac cæremonias antiquæ Religionis paucis abhinc annis in melius commutandas eſſe, ſic in noua Inſula, quę Hyſpanica dicitur, Idolum quoddam, Cemi dictum, Regi Guarioni decimo, percontanti, quid poſt eius mortem in illo Regno futurũ eſſet, reſpondit, & In regione, quæ confinia eſt cùm flumine Plata, ante Hyſpanorum aduentum Vir quidam moralibus Virtutibus ornatus Origuara nomine, nouam Religionem citò illis gentibus per homines, illuc recenter aduẽturos, annunciandam eſſe vaticinatus eſt, atque id carminibus quibuſdam etiam expreſſit; ſic Deus etiam olim per Sybillas gentilibus Chriſti aduentum, Euangelijque prædicationem, ut Iuſtinus Martyr, & Lactantius Firmianus ſcribunt, prædixit. In Inſula, quæ dicitur Acuzamel paulò ante aduentum Hyſpanorum reperta fuit Crux altitudine duorum cubitorum, quam populi illi, ut rem diuinam, atque cœleſtem venerabantur, atque in tempore ſiccitatis pluuiam per illam obtinebãt. Sacerdos quidam apud populos, Mecioacàm Regionis, Deo mouente, Vitam Chriſtianam ducens, Chriſtique Natalem, ac Reſurrectionis diem celebrans, ueritatis lucem citò illis annunciandam eſſe prædicauit. Hiſce, & ſimilibus diſpoſitionibus, (diuerſa enim prodigia, ut Cometæ ſolito magis caudatæ, ſicut etiam in excidio Hieruſalem, referente Ioſepho, Fanorumque incendia, & alia portenta apparuere) Deus illarum gentium mentem diſpoſuit, & præparauit ad Euangelium recipiendum. Quibus prædictionibus, & ſignis viri illi excitati, facilius, ac promptius Euangelio occurrerunt. Quod Regis Mecioacàm exemplum comprobauit: Hernando enim Corteſio, iamprimùm in nouam Hyſpaniam ingreſſo, ſtatim Rex obuiam ultrò iuit, Baptiſmumque recepit, & magiſtros Chriſtianos petijt ad ſui populi inſtructionem. At verò Deus, qui omnia ſapienter, ac ſuauiter diſponit; præter eas illuminationes, quas illorum hominum mentibus inſtillabat, corda eorum interius præparando; exterius quoque Regnum adaptans ad Euangelij ſuſceptionem, fœliciſſimam illam reddidit; Regna enim illa, quæ diuiſa inter multos gubernabantur, ſub vnius Principis poteſtatem reduxit, vt hoc modo, & maiori pace, & Idiomatum vniformitate, populorumque hinc inde ſparſim degentium coadunationem, necnon Barbarici depoſitionem, aptius illę gentes ad Euangelicam doctrinam diſponerentur. Adde, eadem ſumma Dei prouidentia effectum eſſe, ut per Viros Catholicos, magnaque Religione, prudentia, atque animi conſtantia pręditos, nouus hic Orbis acquiſitus fuerit, omnes enim conatus Hæreticorum, qui illuc, primùm, ac deinde ingredi audacter tentarunt, hactenus, Deo opitulante, euanuerunt; Quocirca anno 1500. à Ferdinando Rege Catholico, & Iſabella Regina, cùm Columbo, ſecundò eò reuertente, multi Religioſi Viri, Vitæ probitate, ac doctrina percelebres miſſi fuere, publicoque edicto cautum fuit, nequis ſuſpectæ fidei, vel Vitæ, ad illuc transfretandum, admitteretur. Quod deinde à Carolo Quinto, & à Philippo Secundo æternę memoriæ confirmatum fuit.

Indorum præuiæ diſpoſitiones antequã ad eos lux Euangelica perueniret.

Iuſtinus Martyr Lactantius.

HANC noui Orbis conuerſionem in primis complexus eſt Alexander ſextus, qui, vt cognouit illius notitiam in dies excreſcere, & Hyſpaniarum Reges eo animo eſſe, ut non minus temporale ipſorum Regnum, quam, immò præcipuè, Regnum Dei amplificarent, hoc illis demandauit, eoſque adſtrinxit, ut maxima, qua poſſent diligentia, in illorum populorum conuerſionem incumberent, quod ut fortius exequerentur, ipſis, quidquid acquirerent, omni meliori modo conceſſit; & vt omnis, quæ emanare poſſet, occaſio diſcordiæ, inter ipſos Reges Hyſpaniarum, & Regem Luſitaniæ, cuius etiam exercitus ad illas oras nauigat, Pontifex inſignia diuiſit vtriuſque nationis, famoſa illa linea partitionis; denique ne quis alius Princeps, qui nihil vel laboris, uel expenſarum paſſus fuerat, in hac noui Orbis conquiſitione, belli occaſionem arriperet, prohibitus eſt à Pontifice omnibus in vniuerſum ingreſſus in illos fines. Ita Sanderus lib. 7. & Boterus par. 4. lib. 2. & alij.

Alex. VI. noui Orbis conuerſionẽ primus promouit.

Sanderus.
Boterus.

Igitur cùm iam meſſis matura, & præparata eſſet, miſſis operarijs, primò ex ordine Sancti Franciſci, poſt quoſdam Benedictinos, qui eò miſſi fuerant præcedenti ſæculo, deinde ex ordine D. Dominici, Sancti Auguſtini, & ex Societate IESV; fructus collectus eſt multus, ac eorum, qui ad finem conuerſi, baptizati ſunt, & quotidie baptizantur, infinitus eſt numerus: *Sic à ſolis ortu vſque ad occaſum* laudatur nomen Domini, ſic *Eccleſia filij in circuitu menſæ Domini*, per quatuor orbis partes expanſæ, & præparatæ, ſedentes, Sacrorum Sacramentorum, Catholicæque doctrinæ fructibus opiparè, ac dulciſſimè perfruuntur, ſic Eccleſia Romana, ſicut uitis abundãs, omnibus in lateribus Domus, Ideſt in vniuerſis terrarum Angulis, radices, ramoſque extendit, adeò, ut non ſolùm lętetur ſe habere filios in Italia, Hyſpania, Luſitania, Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Vngaria, Bohemia, Sarmatia, Græcia, Syria, Scythia, Æthiopia, Ægyptô; in quibus locis multi planè Catholici reperiuntur. Sed etiam in ipſo nouo orbe etiam quoad omnes quatuor mundi partes, nempè, in Indijs verſus orientem, in America verſus occidentem, in Iaponia ſeptemtrionem verſus, in Braſilia, & exteriori parte Aphricæ ad meridiem; quibus in locis Catholici ſine Hæreticorum moleſtia, & uexatione uiuunt.

Exterarum nationum legationes ad ſedem Apoſtolicam, & Romanã Eccleſiam referuntur. Marronitæ.

AD huius prætereà ſæculi maieſtatem, facit, quod non ſolùm ex nouo, illo orbe ut dicemus, ſed etiam ex remotioribus huius ueteris orbis partibus plures legationes, Dei ope, habitæ ſunt ad ſedem Apoſtolicam, ab illis nempè gentibus, quæ ab Eccleſia Romana quodammodo diſiunctæ uidebantur, quarum primam habemus populorum Marronitarum ad Leonem Decimum anno 1515. ad quos populos inſtruendos cùm deſtinaſſet Pontifex Fratrem Franciſcum de Potentia, Virùm Sanctitate, & doctrina præcipuum, ab illis, & à Patriarcha illorum, amicè Complexus fuit, à quo etiam de multis Eccleſiæ Romanæ ritibus inſtructi, ipſe Patriarcha, nomine totius populi, cùm prædicto Fratre Franciſco Romam reuertente, duos Oratores mittit, ut debitam Pontifici obedientiam exhibentes, paratos ſe, & Marronitarum populum teſtentur, recipiendi quæcumque à Pontifice Romano iuſſa fuerint.

Æthiopes.

Paulò deinde Tertio Æthiopes, & eorum Imperator, miſſis ad Pontificem literis, enixè petierunt à Sanctiſſima Apoſtolica ſede complecti, perpetuam obedientiam, promittentes, & Viros dari ſibi rogant, à quibus in rebus fidei inſtruantur, anno 1537.

Patriarcha. Antiochenus.

Item Iulio Tertio ſedente Anno 1552. Patriarcha Antiochenus per Procuratorem Romæ fidei profeſſionem emittit, deinceps ſub eodem Pontifice, Neſtoriani orientales, abiurantes hæreſim Neſtorianam, abſolutionem à Pontifice petunt, & Oratores mittunt, petentes, ſaluti animarum ſuarum ab eodem conſuli, quam etiam profeſſionem Siud Patriarcha publicè fecit. Idem Pontifex anno 1554. legationes, ac miſſiones fecit ad Æthiopes, & Indos.

Patriarcha. Aſſyriorum.

Anno 1562. ſub Pio Quarto, Patriarcha Aſſiriorum profeſſionem fidei emittit in manibus Cardinalis Alexandrini, qui poſtea fuit Pius Quintus, & aliorum Cardinalium, qui Patriarcha diſtinctè etiam profitetur, & iurat ſe recipere omnia decreta Conciliorum, & præſertim Tridentini.

Iaponij.

Tempore Gregorij XIII. Anno 1585. Iaponenſes, ex vltimis Orientis regionibus, nobiles legatos ad ſedem Apoſtolicam recognoſcendam miſerunt, qui deinde tempore Sixti V. largis benedictionibus, multiſque muneribus cumulati, ad ſuas regiones reuerſi ſunt. Obſeruatum fuit, non ſine diuino conſilio factum eſſe, vt quo die huiuſmodi oratores Iaponenſes ſummo apparatu, ſolemnique pompa ad obedientiam ſummo Pontifici pręſtandam accedentes, ab eodem ſumma cum humanitate, & lætitia recepti fuerũt, ea ipſa die, quæ fuit 23. Menſis Martij 1585. quidam magnus Hæreſiarca, Apoſtata, & Pſeudomonachus, Paleologus nomine, in Arriana hæreſi obduratus, publicè Romæ combuſtus fuerit. Sic ad hæreticæ prauitatis ignominiam Deo diſponente, qui dixit, quod *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, filij autem Regni eycientur in*

Hæreſiarca combuſtus Romę in ingreſſu Iaponiorum.

tur in tenebras exteriores. Matth. 8. *Et Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatio- ne iſta & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis*. Matth. 12.

Matth. 8. & 12

Denique tempore S. D. N. Clementis Octaui, Eccleſia Alexandrina, & Æthiopica, omneſque Ægypti Prouincię, cùm per plura ſæcula diuerſis erroribus obrutę eſſent, & inter mortuos reputatę, Dei motu ad Catholicam Vitam reſurgunt; & miſſis legatis, Romanæ Eccleſiæ, omnino ſe ſubijciunt, à qua rectam in fide catholica inſtructionem petunt. Vide Baronium Cardinalem in Appendice Sexti tomi Annalium.

Alexandrini. Aethioges. Aegyptij. Baronius.

Rutheni quoque Populi anno præterito, legatos Romam mittentes, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem coràm S. D. N. Clemente Octauo profeſſi ſunt. Idem Cardinalis tom. 7.

Rutheni.

HAEC libenter commemorauimus, vt Hæretici verę fidei deſertores, Romanęque Eccleſiæ hoſtes, confundantur; ac à longinquis iſtis prænarratis populis in hoc ſæculo, & in futuro condemnentur.

ILLVD poſtremò huic narrationi addijciendum eſt; Regnum Anglię, quod ab anno Domini 50. in quo fidem Chriſti recepit, vſque ad vigeſimum quintum ferè annum Henrici Regis octaui, hoc eſt 1534. in Romana fide Catholica conſtanter perſeuerauit, ſedique Apoſtolicæ per annos pluſquàm octingentos, voluntarię oblationis nomine, in honorem D. Petri, tributum perſoluit, poſt Henrici mortem ſub Maria Regina anno 1554. ad ſedis Apoſtolicę unitatem, magno totius Regni gaudio, & lætitia reuerſum fuiſſe, licet deinde ad vomitum ſub Eliſabetha redierit. Lege Sanderum libro ſeptimo.

Angliæ fides Catholica per multos annos. Sanderus.

VERVM vt iam huic narrationi extremam manum imponamus, gloriam enarremus, quam præſens ſæculum ex reportatis Victorijs, atque bellicis triumphis contra Hæreticos, & Infideles, habet non exiguam.

ANNO igitur 1502. numeroſa manus ruſticorum in comitatu Spirę libertatem prætendens, contra temporales ſuos dominos, & Eccleſiaſticas perſonas inſurrexit; & licet magnum detrimentum Germaniæ attulerit; Maximilianus tamen primus Imperator illuc exercitum tranſmittens, eam debellauit, & ruſticos ſeuerè puniuit. Id accidit penultimo anno Alexandri Sexti, vt refert Petrus Meſſ. in Vita Maximiliani primi, & Iouius in ſua hiſtoria.

Variæ Chriſtianorum Victoriæ contra infideles, & hæreticos. Petrus Meſſ. Iouius.

CAROLI Quinti Imperatoris exercitus vix ſub Viẽnam à Solimano viſus fuit, quod diuina ſanè ope, ipſe Solimanus abijciens animum ex Vngaria fugam arripuit, licet copiarum eius vltima pars, quam Caſſonus gubernabat, in fruſta conciſa ſit. Iouius, Guicciardinus. Idem Carolus Philippum Langradium Haſſiæ debellauit, & captiuum fecit, ſimul & Hæreticos Anabaptiſtas puniuit 1547. Petrus Meſſias in Vita Caroli Quinti.

Iouius. Guicciardinus. Pet. Meſſ.

Idem eodem Chriſtiano animo, quo vigebat, Turcam illum, quem, Barba Roſſa, appellant, expugnauit, & in Regno Tuniſi repoſuit Moleaſſem. Petrus Meſſi. & Iouius.

Pet. Meſſ. Iouius.

Anno 1547. Idem inuictiſſimus Imperator, diuino fretus auxilio, glorioſam Victoriam de Lutheranis reportauit, multos Principes rebelles compeſcuit, & Fredericum Ducem Saxoniæ captiuum adduxit. Iidem Auctores.

Hoc ipſo Imperante Mauritanam Ciuitatem Coronę, millibus Turcarum cæſis, ad ſuum ius adduxit. Iouius.

Qui idem Doria expugnauit etiam vrbem Patras, & Caſtrum Lepanti, multis conquiſitis ſibi bellicis inſtrumentis. Iouius, & Petrus Meſſias.

Apud Inſulas Merlerias idem Dux fregit exercitum duodecim Triremium, Turcis omnibus conciſis. Iouius lib. 36.

Iouius.

ALEXANDER Vitellius ex Turcis ſub Budam, illuſtrem Victoriam reportauit. Vuolfangus Dux Ferdinandi Imperatoris in Danubio magnas Turcarum copias fregit. Iouius ibidem.

PHILIPPVS Comes Palatinus Dux eiuſdem Ferdinandi, in fugam conuertit

Solimanum

Solimanum ex Vienna, interfectis octuaginta millibus Turcis. Idem Auctor.

Iidem Turcæ poſt longam obſidionem Melitæ Inſulæ, Dei tandem, eiuſque Matris ope, in fugam ſe dederunt, nouis Chriſtianorum copiis ad ſubſidium peruenientibus.

Castaldvs Dux eiuſdem Ferdinandi, Lyppam à Turcis eripuit. Iouius. Anno 1531. Heluetij Catholici quinque prælia ad defenſionem fidei commiſerunt cum Heluetijs Hæreticis, & ſemper Catholici, licet numero, & armis inferiores, Victoriam reportarunt; In quorum primo prælio Zuinglius miſerè occubuit. Ioannes Cochlęus in actis Lutheri eiuſdem anni, Roffenſis in articulis contra Lutherum, Boterus.

Ioann. Cochlæus. Rofenſis. Boterus.

Anno 1534. Archiepiſcopus Colonienſis, obſidione expugnauit Ciuitatem Monaſteri, quam Anabaptiſtæ occupabant, quibus punitis, Regem etiam, quem ipſi ſibi creauerant, priuauit. Iouius, Boterus.

Anno 1567. Carolo nono Rege Galliarum, Dux Guiſius in auxilium Regis, & Ciuitatis Pariſiorum iuit, atque ita laborioſo bello Hæreticos Gallos profligauit, Principem Gondenſem captiuum fecit.

Anno 1569. Hæretici Vgonotti grauiſſimè diuerſis prælijs à Catholicis in Gallia Narbonenſi, ſunt vexati, & in ea pugna Princeps Gondenſis occiſus fuit. Boterus 3. par. lib. 6.

Dux Alanzonæ ſemel, & bis cum ſuis Hæreticis, magno dedecore, ſed maiore damno à Catholicis ex Flandria expulſi ſunt. Quibus locis ſæpè ſæpius Hæretici ſunt debellati, præſertim à Duce Aluæ, & à Ludouico de Requenſens Flandriæ Gubernatoribus.

Anno 1578. Ioannes Auſtriacus ſub Namur Hæreticos contriuit, à quibus etiam multas Ciuitates abſtulit.

Idem Mauros, qui in Granata ſeditionem fecerunt, diſſipauit.

Magna Claſſis maritima ex Chriſtianorum Principum fœdere conſtructa, Diuino munere, illuſtriſſimam Victoriam reportauit ex Turcis, ad Echinadas Inſulas, ſeptima die Octobris 1571. tempore Pij V.

Dux Parmæ, dum Flandriam gubernaret, vi, & armis Ciuitatem Maſtric deuicit, qui etiam in quodam Regno Flandriæ multas Ciuitates, quæ ſe Hæreticis donauerant, recuperauit, & præcipuè Antuerpiam.

Anno 1581. Dux Alanzonæ, Hæreticorum Protector, expulſus fuit Antuerpia, occiſis de ſuis tribus millibus.

Denique his noſtris temporibus à Catholicis Pignon, & Cales, aliaque loca Piccardiæ ab Andrea Auſtriaco capta fuere.

Ad Extremvm, omnibus notum eſt, ſub S. D. N. Clemente Octauo, qui magnis ſumptibus, copioſiſque exercitibus, rem Chriſtianam ſemper iuuit aduerſus quoſcumque fidei hoſtes, & præcipuè Turcas; Strideniam ex Turcarum dominio ereptam eſſe, & ab eiſdem, maximo diuino miraculo, ablatam Ciuitatem Iauarini; & alias multas Vrbes & Arces.

Quas Victorias, & alias multas, nemo ſanæ mentis erit, qui eas non Dei auxilio tribuat, qui ſemper iuſtè pugnantibus ſua ope præſto eſt, in fauorem Eccleſiæ ſuæ.

Inſignis uirtus, & uigilantia paſtoralis, aliaq; præclariſſima geſta S. D. N. Clem. VIII.

Sed quæ, Clemente Octauo ſummo Pont. nunc ſedente, inſignia facta acciderunt, coronam vndequaque perfectam gloriæ, & felicitatis huic noſtro ciuo imponunt. Hic enim Pontifex feruentiſſimo, quo flagrat pietatis, & religionis zelo, aſſiduè ſanctis exercitationibus occupatur, ſacra loca ipſe per ſe viſitat, & omnia perſcrutatur; monaſteria in ueram obſeruantiam Regularem reponit, Xenodochia, non modò propria præſentia colluſtrat, ſed, quod certè in Pontifice perpetua laude dignum, Infirmos blandè conſolatur, moribundis ſacris precibus anxilium præbet, ſacramenta miniſtrat, & in agone verſantibus animę commendationem recitat. Hic idem patrimonium Eccleſiaſticum conſeruat, & amplificat;

Ducatus Ferrarienſis in

Quod præcipuè apparet in recuperatione Ducatus Ferrariæ, quæ certè non armis, non

mis,non bellis,non obſidionibus,ſed ſummæ tanti Pontificis Religioni,iudicioque tribuenda,dum continuis & publicis,& priuatis orationibus Deo eius cauſſam commendabat, qui ſicut templum Salomonis ſine ſtrepitu mallei,ſecuris, & ferramentorum 3.Reg.6.ædificari voluit, ſic ipſe humano auxilio non indigens, Ferrariam Pontifici reſtituit ſine armorum impetu,& fragore,licet exercitum copioſum, & validiſſimum (quo tamen Deo volente opus non fuit) repentè Pontifex præfatus inſtruxerit, & Ferrariam verſus deſtinauerit,euaginato etiam horrendo,ac potentiſſimo excommunicationis gladio; atq; ita lapis ſine manibus excisus de monte; Pontificia nempè auctoritas à Chriſto dependens,ſine manibus, hoc eſt ſine prælijs,omne ſæculare conſilium deſtruxit,& potentiam euertit.

Eccleſię poteſtatem reuocatus à Clemen.VIII. 3.Reg.6.

Hoc Pontifice cum iamdiù Gallia ciuilibus arderet Bellis, occaſione inopinatæ necis Henrici Regis huius nominis Tertij, per Fratrem Iacobum Clementem Dominicanum, non ſine omnium admiratione,patratæ, (Pugnabant enim Galliæ Proceres pro Regni verè Catholico ſucceſſore, partibus nobilium in diuerſa diuiſis) Deo,in cuius manibus ſtat cor Regis,Henricum Regem Nauarrę mouente, Hæreſibus abiuratis,ipſe Nauarra fidem Catholicam recepit,& profeſſus eſt; atque ita Pontifex illum ad ſinum Eccleſiæ reuertentem miſericorditer complexus,etiã ad Regiam dignitatem admiſit. Sicut enim ille, optimo iure, prohibitus eſt à Catholicis populis,ne Regnum conſequeretur,dum adhuc in hęreſi perſeueraret, ac deinde primùm Romæ auditus non fuit, cùm in ouile Catholicum, ac Romanum non per oſtium,ſed aliunde ingredi tentaſſet,(quo in ſtatu,hæc cauſſa erat,cùm nos octauam quæſtionem noſtri tertij libri de fuga ſcriberemus,)ſic iterum ex corde reuertenti,ac inſtanter petenti, & ipſum verum Oſtium, Apoſtolicam dico Sedem,iterũ,atque iterum pulſanti,recto conſilio,ac prudenter Eccleſię ouile apertum eſt. In quam ſententiam, mutato ſtatu cauſſę etiam nos, antequam ipſe reconciliatio celebraretur,deuenimus; vt clarum eſſet, ſi ſcriptura illa, quę noſtram hanc ſententiam continebat, & quam Romam tunc miſimus, ſummo Pontifici, vt petebamus, exhibita fuiſſet; in qua ſcriptura inter alia pręcipuè attulimus auctoritatem Auguſtini de Ancona in ſumma de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt.28.art.8.in corpore, vbi ex profeſſo de Hæreticis relapſis recipiendis ſic ſcribit: *Interdum tamen Eccleſia Hæreticos*,(de relapſis etiam loquitur,ut in principio quęſtionis patet) *Ad Vitæ conſeruationem, & ad bonorum temporalium reſtitutionem, recipit, vel propter bonum pacis nutriendum, vel propter Schiſma euitandum*, (quod in eo ſtatu Gallię imminebat) *Dicit enim Auguſtinus in Epiſt. ad Vincentium 1 Nonnullos toleramus,quos corrigere,vel punire nõ poſſumus, neque propter paleam relinquimus areã Domini,neque propter hædos in fine ſegregandos, deſerimus Gregem Domini, neque propter piſces malos rumpimus retia Domini, nec per vaſa facta in contumeliam migramus de domo Dei.* Hęc ibi; Deinde nonnulla exempla ex Patribus,& pręſertim ex D.Hieronymo contra Luciferianos, & Athanaſio in Epiſt. ad Solitarios,recenſuimus,quibus relapſorũ Hęreticorum receptionem, etiam ad dignitates Eccleſiaſticas:(quod in negocio fidei maius eſt,quàm recipere merum laycum etiam ad dignitatem Regalem) ab Eccleſię uſu alienam non eſſe conſtabat, pręterquam quòd hę leges iuris poſitiui,ut uocant, ſint totę in poteſtate Papę;atque ideo pro temporum,perſonarum,occaſionum,& negociorum qualitate,ab ipſomet Romano Pontifice ſolui,declarari,& mutari poſſe, pręſertim, pro bono publico,& maiori fructu ſpirituali Eccleſię, & uniuerſo Regno in obedientia & unione Romanę ſedis, continendo, & conſeruando.

Conuerſio Regis Nauarræ, & electio eius in Regẽ Galliæ, abiurata hæreſi.

Auguſt. de Ancona. Hæretici etiã relapſi recipiendi ab Eccleſia.

D. Auguſtin.

D.Hieron. D.Athanaſ.

Tanta eſt enim in ſummo Pontifice auctoritas,ut non ſolum ad Regna, & dignitates Eccleſiaſticas,uel ſæculares admittere poſſit, primo, ſecundo, vel etiam tertio ab hęreſi reuertentes, (quod factum eſſe in Georgio Pogibracio Bohemorum Rege & in nonnullis priſcis Epiſcopis hiſtoriæ, & ſcripta Patrum teſtantur,)ſed etiam hęreticos in ipſa hęreſi perſeuerantes,ſaltem quoad Regna temporalia, & laycas dignitates: Pœnę enim illę de priuatione, vel inhabilitatione ad Regnum,& ad ſęculares dignitates poſitiuę ſunt, vt Caſtro ſcribit libro ſecundo de iuſta

Pontificis auctoritas circa relapſos.

Caſtro.

Cordub. de iuſta hęret. punitione capite 7.8. & vigeſimoquarto, & Cordubenſis libro primo quęſtionarij, q. 36. & lib. 4. q. 10. Vnde ab ipſo Papa validè relaxari, tolli, & diſpenſari poſſunt: Immò ipſamet excommunicatio lata, ſeu ſententia excommunicationis eiuſque inflictio, etiam contra hęreticos, ſecundum modum & formam, qua hodie fertur, ad ipſum ius poſitiuum pertinet (licet poteſtas excommunicandi iure diuino, & à Chriſto Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus tradita ſit Matthęi 18.) Ita communis Theologorum ſententia habet nempè Sancti
D. Tho. Thome in 4. diſtinct. 18. q. 2. Sot. 4. diſtinct. 22. q. prima art. 1. circa medium Ba-
Sotus. Bagnes. Palac. Caſtro. Angles. Nauar. Vgolin. Henriq. gnes 2.2. q. 11. art. 4. in principio Palac. diſtinct. 18. q. 3. Caſtro dicto cap. 18. Angles tom. 2. florum q. vnica de excommunicatione articulo primo, differētia prima. Nauarri in ſumma capite 27. numero 13. & 56. & de horis canonicis cap. 22. num. 9. Vgolini de Cenſuris in principio, & nouiſſime Henriquez lib. 13. cap. 2. nume. 3. Quidquid circa hoc dixerint Almainus, Exius, Clicthouæus, Latomus Simanchas, Bellarm. & nonnulli alij ab Henriquez citati, Atque id etiam ex Patribus colligitur, nimirum quod reuera Papa non ſolum declarat, ſed ſua ſententia, & iure humano Eccleſiaſtico excommunicat publicos etiam Hęreſiarcas.
Euſeb. Tertull. Epiphan. Hilar. Chry. Theophil. Auguſt. Anſel. ita ex Euſebio colligitur libro quinto hiſtorię cap. 24. Tertulliano in apologet. cap. 39. Epiphanio, hęreſi 42. Hilario, Chryſoſtomo, & Theophilacto in caput citatum Matthęi ſuper illa verba. *Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, & Auguſtino de corrept. & gratia cap. 15. & libro de vnitate Eccleſię cap. vltimo & Anſelmo in caput quintum primæ ad Corinthios. Ex quo ſequitur Pontificem poſſe (excepta receptione paſſiua Sacramentorum quoad fructum, qua iure diuino ratione obicis, ideſt peccati, excommunicati priuantur; nam alioquin excommunicatio non habet ex Iure diuino priuare receptione Sacramentorum, ut Victoria Soto, & Henriquez docent, contra Angles,) in his diſpenſare, iſtaſque pœnas, & eorum effectus limitare, & amouere intotum, uel in partem prout libuerit, etiam circa illum, qui in hæreſi perſeuerat. Diuino enim iure in Scripturis Sacris expreſſo, vel ex illis neceſſaria conſequentia deducto, hęretici non ſunt ipſo
Caiet. facto excommunicati, ſed excommunicandi, vt recte Caietanus dixit tom. 1.
Victoria. Opuſculorum tractatu primo ca. 23. & Victoria tract. de Excom. q. 3. Id quod nō
ad Titum 3. obſcurè Diuus Paulus ſignificauit ad Titum tertio, dum hęreticum hominem pręſupponit non ſtatim excommunicatum, ſed poſt duas correptiones excommunicandum, & euitandum. Vnde ſicut Papa poteſt facere, ut pro publico Hęreſiarca preces etiā publicæ fundantur, ita quoque, ut hic dignitates ſęculares retinere poſſit, & hoc de potētia Papę abſoluta, & ſemper quidem ualidè, etiam ſi id ſine cauſa faceret, ſicut valida eſſet diſpenſatio ſine vlla prorſus cauſſa ab ipſo facta in ſecundo, vel tertio gradu conſanguinitatis, non tamen ſemper licite, & ſine peccato, niſi grauis Eccleſię neceſſitas, uel vtilitas id expoſceret, aliquando enim ad euitandam aliquam maximam calamitatem, & ruinam Eccleſię Catholicę expedit aliquid hęreticis permittere, vt exemplo Ioannis primi Papę liqui-
Platin. Meſſ. do innoteſcit, referente Platina in eius vita, & Petro Meſſia. Hic Pontifex fuit Theodorici Regis Gothorum, & Iuſtini primi Auguſti temporibus, qui quidem Iuſtinus Orthodoxæ fidei diligentiſſimus obſeruator, ut tandem hæreticorum nomen extingueret, Arrianos expulit, eorumque Eccleſias Catholicis aſſignauit; Quam quidem rem Theodoricus ægrè ferens, Iohannem Pontificem, Theodorum; duoſque Agapetos Oratores ad Iuſtinum mittit, qui eum adhortarentur, vt Arrianos reſtitueret; ſin ſecus animatus eſſet, ſciret, ſe omnes Italiæ Eccleſias, Catholicas prçſertim, demoliturum, magnifice, & per benignè primo quidem excepti legati ſunt, qui ubi legationis rationem expoſuere, cum flectere Iuſtinum non poſſent, ad lacrymas verſi; ac ſuppliciter petentes, ut perituræ Italiæ, vna cum Catholicis omnibus ſubueniret, eo tandem pium hominem perpulere, ut Arrianos reſtitueret, atque eos viuere ſuis legibus fineret, hęc ex Platina. & hic quidem Ioannes, fuit vir Sanctiſſimus, referente paullò inferius, eodem Platina, vtpote qui inedia, pædore, ac ſiti iuſſu eiuſdem Theodorici in carcere pro

Chriſto

Chriſto perijt. Huius etiam legationis mentionem fecit Nicephor. lib. 17. cap. 9. & B. Antonin. 2. par. tit. 12. cap. 4. Simile quid accidit Romæ, tempore Simplicij Papæ, cum perfidus Ricimer Gothus Arrianus, qui magnam ſibi in Romanum Imperium auctoritatem vſurpauerat, inuito etiam Pontifice, ad Eccleſiam S. Agathæ ad radices Montis Quirinalis contra Viminalem in Vrbe poſitam, Gothos Arrianos introduxit, ibique hæreticos ritus, & conuentus cum illis habuit. Quam deinde Eccleſiam D. Gregorius Magnus, expulſis Arrianis, Catholicis reſtituit, vt ipſe narrat lib. 3. Epiſt. 19. & lib. 3. Dialog. cap. 30. ſed hæc fuſius proſequemur in additionibus, quas Deo Duce, præfatæ noſtræ octauæ quæſtioni faciemus.

Nicephor.
B. Antonin.
D. Gregor.

Illvd interim adijciamus, diem hanc Apoſtolicę Benedictionis in Regem, quę fuit 17. Septembris 1595. non ſolum inter cęteras illius anni, ſed etiam totius huius ſęculi ęterni memoria eſſe celebrandam, in qua videlicet redeunti ad Eccleſiam filio primogenito reſtituta eſt à Clem. VIII. Summo Pontifice ſtola illa, quam Clodouęus Primus Chriſtianiſſimus Francorum Rex à Sancto Remigio acceperat. Atque ita ſi multum doluit Eccleſia Catholica tempore Leonis X. ob Germanię iacturam, & tempore Clem. VII. ob Anglię amiſſionem; nunc gaudet & exultat, quod filius, qui perierat, inuentus eſt; & Regnum, quod ruinam minabatur, ſtabile, ac firmum perſeueret. Vnde de huiuſmodi Regis conuerſione quidam Poeta rectè ſic cecinit.

Dies benedictionis Regis huius valde memorabilis.

Quem tota armatum mirata eſt Gallia Regem,
Mirata eſt etiam Roma beata Pium.
Magnum opus eſt armis ſtrauiſſe tot agmina, maius
Pontificis pedibus ſuccubuiſſe ſacris.

Sed hęc curſim diximus, fuſius tractaturi ea in additionibus, quas, Deo dante, illi octauę quęſtioni faciemus, cum librum pręfatum noſtrum de fuga denuo excudi in multis correctiorem, emendationem, & auctiorem curabimus.

Hic ipſe Pontifex Clemens Octauus hoc ipſo anno ſumma induſtria, indefeſſoque ſtudio, pacem inter Reges Chriſtianiſſimum, & Catholicum conciliauit, ac, ut ſperamus, ſuis copioſiſſimis lachrymis, aſſiduiſque ad Deum precibus fędus inter Principes Chriſtianos ineundum, ad Turcarum Tyrannum debellandum, ab omnipotenti Deo, qui exaudit preces ſeruorum ſuorum, obtinebit.

Pax inter Chriſtianos Reges per S. D. N. Clem. VIII. compoſita, & ſancita.

Haec de hoc ſextodecimo ſęculo pro inſtituta noſtra breuitate dicta ſint ſatis; Quę enim dici poſſent multa, apud Auctores fuſius legi poſſunt. Nos eo conſilio iſta ſcripſimus, ut cognoſcamus quantò vtilius Eccleſia Sancta inſtituerit, frequentius celebrari ſacros Iubilęos, necnon vt Deus, à quo *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* proficiſcitur, in huius ſęculi maieſtate glorificetur, & benedicatur: Vidimus enim nongenteſimum ſæculum adeò ſterile, & infœcundum, vt nihil ſupra; hoc autem ex magna Dei benignitate tanta gloria, glorioſiſſimiſque operibus, refertum, & illuſtratum; ut facile ex his omnibus tam felici ſucceſſu hucuſque geſtis colligere liceat; quanta, & quam celebris, ac memorabilis futura ſit Anni Sancti, ſacrique Iubilæi & celebratio in fine huius ſæculi; de qua non immerito gaudere iam nunc poſſit, & iubilare Chriſti Eccleſia, ſummaſque Præpotenti rerum omnium Domino, pro tantis beneficijs gratias agere; quod tamen completo Anno hoc ſexcenteſimo feliciſſimè nos omnes, cum ſumma S. D. N. Clem. VIII. gloria, & felicitate re ipſa, & cum omni bonorum augmento facturos, pro Dei benignitate, ſperamus.

RVTILII BENZONII, ROMANI, EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

De Neceſſitate Sacri Iubilæi.

LIBER SECVNDVS.

IN Hoc ſecundo libro circa neceſſitatem, & opportunitatem Sancti Iubilæi. Hæc capita tractanda ſunt.

Cap. I. *De Neceſſitate Iubilæi in genere.*
Cap. II. *De Neceſſitate Iubilæi in lege Moſis.*
Cap. III. *De Neceſſitate Maximi Iubilæi à Chriſto Domino in Cruce exhibiti.*
Cap. IIII. *In quo quatuor dubitationes circa Crucis Iubilæum ſoluuntur.*
Cap. V. *An Angeli boni huius maximi Iubilæi, in Cruce exhibiti, participes fuerint?*
Cap. VI. *De Neceſſitate Iubilæi præſtiti in die Sacræ, & Chriſtianæ Pentecoſtes.*
Cap. VII. *Quid Beata Virgo in Iubilæo Sanctæ Pentecoſtes conſecuta fuerit.*
Cap. VIII. *Quid Apoſtoli per Iubilæum Pentecoſtes obtinuerint.*
Cap. IX. *In quo inſtituitur prima diſputatio de neceſſitate Iubilæi Eccleſiaſtici, reſpectu totius Eccleſiæ.*
Cap. X. *Quod Chriſtus reliquerit Eccleſiæ poteſtatem concedendi Iubilæos, & Indulgentias; probatur auctoritate ſcripturæ.*
Cap. XI. *Idem ex eiſdem locis ſcripturæ alia oſtenditur via.*
Cap. XII. *Probatur idem ex loco Ioannis 21. Paſce oues meas.*
Cap. XIII. *Ex verbis Matthæi 16. Tibi dabo claues, idem deducitur.*
Cap. XIIII. *Quomodo Petri & cæterorum Apoſtolorum Claues pares, vel impares eſſent?*
Cap. XV. *Obiectiones Hæreticorum aduerſus ſummam Petri Clauem diluuntur.*
Cap. XVI. *Refellitur noua opinio Caietani circa Claues regni Cælorum.*
Cap. XVII. *Idem probatur ex loco Pauli 2. ad Corinth. 2. ſi quid donaui, &c.*
Cap. XVIII. *Idem aſſeritur ex alijs locis ſcripturæ.*
Cap. XIX. *Auctoritate Patrum, probatur, in Eccleſia poteſtatem eſſe conferendi Iubilæum, & Indulgentias.*
Cap. XX. *Auctoritate Conciliorum probatur in Eccleſia poteſtatem eſſe promulgandi Iubilæos, & Indulgentias.*
Cap. XXI. *Rationibus probatur ex alijs Eccleſiæ conditionibus deductis, eadem poteſtas Iubilæos, & Indulgentias conferendi.*
Cap. XXII. *Reſponſio ad Argumenta Hæreticorum, & Aliorum.*
Cap. XXIII. *Tractatur quæſtio ſecunda Quod Apoſtoli omnes à Petro, immediatè à Chriſto receperint Claues, & in Epiſcopos conſecrati fuerint.*
Cap. XXIIII. *Ponitur quæſtio tertia, An in Dei Eccleſia neceſſariò detur theſaurus meritorum Chriſti, & Sanctorum, ex quo Iubilæus, & Indulgentia depromantur.*

Cap. XXV.

Cap. xxv. *Teſtimonijs Sanctorum idem probatur.*

Cap. xxvi. *Rationibus ex ſtatu Eccleſiæ, & natura bonorum operum deductis idem aſſeritur.*

Cap. xxvij. *Quod ſine theſauro Eccleſiaſtico nulla Indulgentia, vel Iubileus conferri poßit.*

Cap. xxviij. *Quod bona opera ſolùm, vt ſatisfactoria ſunt, et ſuperabundant, compleant theſaurum Eccleſiaſticum.*

Cap. xxix. *Quod non ex Dei, vel Angelorum, ſed ex Chriſti, & Sanctorum diuitijs theſaurus Eccleſiaſticus conſurgat.*

Cap. xxx. *Quis ſit huius ærarij legitimus diſpenſator.*

Cap. xxxi. *Obiectiones reijciuntur, quibus aduerſarij ærarium Eccleſiaſticum demoliri conantur.*

Cap. xxxij. *Inſtituitur ſecunda Diſputatio de efficacia, & ualore ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum.*

Cap. xxxiij. *Tractatur quæſtio prima. An opera, quæ ſemel in theſauro reponuntur, deperdi poßint.*

Cap. xxxiiij. *Ponitur ſecunda quæſtio; An Chriſti opera, quoad ſatisfactionem, fuerint infiniti valoris; vel quod idem eſt; An theſaurus ex parte Chriſti ſit infinitus.*

Cap. xxxv. *Exponitur tertia quæſtio. Quid noſtræ ſatisfactiones cooperentur cum Chriſti ſatisfactionibus, quando theſaurus diſpenſatur.*

Cap. xxxvi. *Exponitur quarta quæſtio; Quo ordine concurrant ſatisfactiones Sanctorum, cum Chriſti ſatisfactionibus in Indulgentijs.*

Cap. xxxvij. *Tractatur quæſtio quinta; An noſtræ ſatisfactiones poſt Chriſti Paßionem, maiorē gradum ſatisfactionis obtinuerint, quàm ante a ſine illa haberent.*

Cap. xxxviij. *Ponitur quæſtio ſexta; An quando Chriſti ſatisfactiones applicantur nobis, per opera noſtra, ſit vna, vel duæ ſatisfactiones, vna Chriſti, altera noſtra.*

Cap. xxxix. *Tractatur quæſtio ſeptima; In quo differant ſatisfactiones per Indulgentias à ſatisfactionibus ſacramentalibus, vel priuatis.*

Cap. xl. *Explicatur Vltima quæſtio; Quomodo Indulgentiæ proſint nobis ex opere operato.*

Cap. xli. *De Neceßitate Sacri Iubilæi, ex parte cuiuſcumque Chriſtiani.*

Cap. xlii. *Quòd poſt culpam remiſſam remaneat ſæpè reatus pœnæ temporalis.*

Cap. xliii. *De Neceßitate ſacri Iubilæi, & Indulgentiarum, reſpectu eorum, qui ſunt in Purgatorio.*

Cap. xliiii. *De cæteris receptaculis animarum.*

Cap. xlv. *Quæ ſint diſcrimina inter prædicta quinque receptacula animarum.*

Cap. xlvi. *Refellitur Græcorum, & Hæreticorum error, negantium Purgatorium.*

Cap. xlvii. *Confutatur alius error Hæreticorum, negantium Indulgentias, & ſuffragia pro mortuis.*

Cap. xlviii. *Inſtituitur prima diſputatio. Quod auctoritate Clauium Indulgentiæ dentur defunctis.*

Cap. xlix. *Ponitur ſecunda Diſputatio; Gratia nè, an Iuſtitia vi, Indulgentiæ ad animas Purgatorii perueniant. Et tractatur dubium primum, Quid ſit, Indulgentiam per modum ſuffragii defunctis concedere, præcisè, & theologicè loquendo.*

Cap. L. *Exponitur ſecūdum dubium, Qua uia huiuſmodi ſuffragium Indulgentiarū defunctis deferatur, via Iuſtitiæ, vel gratiæ, de condigno, vel de congruo.*

Cap. li. *Diſputatur tertium dubium; An certò, & infallibiliter huiuſmodi Indulgentiæ, per modum ſuffragii conceſſæ, proſint defunctis, pro quibus accipiuntur.*

Cap. lii. *De Neceßitate Sacri Iubilæi reſpectu aliarum Indulgentiarum Eccleſiaſticarum.*

Cap. liii. *Quod Dei Miſericordia in Anno Sancto maximè eluceſcat.*

F CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De Neceſsitate Iubilæi in genere.

Auctoris intentio.

OPERAE precium eſt, in hoc capite aliqua de neceſſitate Sacri Iubilæi dicere, ne aliquibus videatur, rem de qua agimus minus grauem, vel voluntariam eſſe. Et primùm de neceſſitate, & opportunitate Iubilæi in genere, deindè de neceſſitate ſpecierum eius, ſigillatim tractandum erit; ſic enim, & Hæreticorum ora fræno quodam compeſcentur, & Chriſtianorum mentes ad rem tam perutilem, & neceſſariam conſequendam excitabuntur.

Neceſſitas duplex, & quę nam illa ſit.

D. Thomas.

Ariſtoteles.

EX DOCTRINA Ariſtotelis, neceſſitas duplex eſt, altera ſimpliciter, altera ad bene eſſe, quarum illa à Theologis dicitur abſoluta, vt Deum eſſe, hominem eſſe animal, diem eſſe præſentiam Solis ſuper terram; hæc autem conditionata, ideſt vtilis, & conueniens, vt vinum in menſa; equus ad iter; ſic habet D. Thomas prima parte, quæſt. 19. art. 3. in corpore, & art. 8. ad primum, & alibi; Verùm cùm hæc neceſſitas vtroque modo ſumpta, attendatur ſecundum quatuor genera cauſſarum iuxtà doctrinam Ariſtotelis 5. Methaphy. textu ſexto, ſic enim dicitur, ignem aſcendere neceſſarium eſſe, ex parte cauſſæ efficientis intrinſecæ, lapidem ferri ſurſum ex parte cauſſæ efficientis extrinſecæ; calidum eſſe ignem ex parte cauſſæ formalis, Hominem corruptibilem ex parte cauſſæ materialis, currum itē ad iter ex parte cauſæ finalis; Nobis in hac tractatione, non de neceſſitate Iubilæi ſimpliciter, & abſolutè, ſed de neceſſitate conuenientiæ, & congruentiæ, & præcipuè ex parte finis, agendum erit, ſicut enim inſtitutio Iubilæi Eccleſiaſtici, non eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem; ſic nec eius aſſecutio. Et quamuis ea vnica ratione efficaciſſimè probari poſſet neceſſitas, & opportunitas Iubilæi, quod à Deo inſtitutus ſit. Id enim, vt ait Clemens Alexandrinus 6. Stromatum, & Auguſtinus 3. de libero arbitrio cap. 5. & lib. 1. contra Aduerſar. Leg. & Prophet. cap. 14. quod Deo auctore ſit, conuenientiſſimum eſt; *Deus enim, & natura,* vt inquit Philoſophus, *ex poſſibilibus faciunt, quod melius eſt*; nec vnquam aliquid fruſtra efficiunt. Nihilominus pluribus rationibus, id oſtendere, nequaquam iniucundum erit.

Clem. Alex.

Auguſtin.

CAPVT SECVNDVM.

De neceſsitate Iubilæi in lege Moſis.

Ex Abulenſi ponitur cauſſæ inſtitutionis anni ſeptimi.

Deuter. 15.

Quare inſtituta fuerit Iubilæi ſolemnitas. apud Iudæos.

Leuit. 25.

Exod. 21.

Deut. 15.

QVIBVS de cauſſis Iubilæus annus fuerit à Deo in lege veteri per Moſem in Monte Synai inſtitutus, ex Scriptura facilè eſt cognoſcere. Et Abulenſis egregiè exponit ſuper Leuiticum 25. quæſt. 1. & 2. *Annus ſeptimus ad duo,* inquit, *fuit inſtitutus, & ad duo proficiebat, vt ſoluerentur homines à ſeruitute, & vt remitterentur debita eorum, contracta ex mutuo, ut Deutero. 15. habetur. Feſtiuitas verò Iubilæi ad duo proficiebat, & fuit inſtituta. Nam quamquam in anno ſeptimo fieret remiſsio, & liberatio ſeruorum, tamen aliquando contingebat, vt quidam non liberarentur, velut cum aliquis venditus in ſeruum, accipiebat à domino ſuo uxorem, & gignebat ex ea filios, ſi enim vellet in anno ſeptimo exire liber, manebant filij, & vxor apud dominum, vt habetur eodem loco Leuitici, & Exodi 21. Et Deuteron. 15. Si autem nollet exire dicens, nolo egredi, perforabat dominus auriculam ſerui, & manebat in ſeruitute vſque ad annum quinquageſimum, qui erat annus Iubilæi. Si autem iſta feſtiuitas inſtituta non fuiſſet, numquam exirent in libertatem illi, qui vellent educere ſe cum filiis & Vxorem. Deinde Pauperes Iudæi premebantur à diuitibus in hoc, quod aliquando vendebant poſſeſſiones ſuas diuitibus, nolentibus eis aliter quicquam dare; Et quia iſta venditio, ſi maneret ſimpliciter facta in æternum, ſicut inter alias gentes erat,*

Alii In-

Alij Iudæi ad inopiam redigerētur, quia hoc modo citò carerent omnibus facultatibus ſuis. Ideo Deus voluit, quod quandocumque ille, qui vendidiſſet poſſeßionem, vellet eam redimere, acciperet à poßidente, data pecunia, quam receperat, computatis tamen fructibus in ſortem, ſcilicet, quod tātum diminueretur de pretio dato, quantum valerent fructus, quos ſuſcepiſſet emptor Agri, vel Prædij urbani. Hoc autem ſemper intelligebatur, demendo expenſas factas de fructibus perceptis, ſed contingebat, quod ille, qui pauper erat, non poſſet redimere poſſeßionem ſuam, & ſi nullum aliud daretur remedium, etiam hoc modo Iudæi venditores depauperarentur. Ideo dedit Deus legem, vt in anno quinquageſimo, qui eſt Iubilæus, omnis poſſeßio perueniret ad primum poſſeſſorem, nullo dato prætio. Hæc Abulenſis.

VNDE ex ſcriptura habetur, propter hæc duo ſolum fuiſſe iuſſum à Deo Iubilæum, ut ſerui, qui ſeptimo Anno liberari non poterant, propter legem Exodi 21. liberarentur, & poſſeſſiones, quæ à pauperibus redimi non poterant, tunc illis reſtituerentur. An autem debita remitterentur in anno Iubilæi, non colligitur ex ſcriptura: hoc enim fiebat in præcedenti, ſcilicet quadrageſimo nono, qui erat ſeptimus, quamuis omnes ferè Doctores affirment, etiam in quinquageſimo debitorum remiſſionem factam fuiſſe.

Iubilæus propter duo inſtitutus à Deo in lege veteri.

DVBIVM eſt. An eo Anno vſuræ remitterentur, & An in vinculis poſiti liberarentur. Dominicus, Alexander, & Archidiaconus diſtinct. 7. in ſumma, & in Gloſſa finali ſuper cap. *Ius autem conſtitutionis* eadem diſtinct. dicunt, captiuos eo anno liberatos; atque, etiam Steucus in Leuitici 25. & Num. 37. & Nauarrus notab. 2. nume. 1. in Commentario de Iobelæo. Veruntamen vt optimè perpendit Ioannes de Anania in Tract. ſuo de Iubilæo, & etiam Nauarrus, textus ſacræ ſcripturæ id non aperit, niſi dicamus ex loco illo Eſaiæ 61. in illis verbis. *Clauſis apertionem*, id aliquo modo innui, & ſignificari, & veriſimile eſt, in generaliſſima remiſſione, id quoque gratis præſtari.

An vſuræ, & carceribus detenti dimitterētur in Iubilæo.
Dom. Alexā. Archidiac.
Steucus.
Nauarr.
Io. de Anania
Eſai. 61.

QVOAD Vſuras, Ioſephus lib. 3. Antiquitatum cap. 10. videtur id affirmare, dum dicit, quod Anno Iubilæi debitoribus fœnus remittitur, & Theodoretus id expreſsè dicit q. 35. in Leuiticum, & ratio ſuadet, quod ſi debita remittebantur, utique Vſuræ quoque reſcinderentur, & certum eſt, quod in anno ſeptimo fiebant, ut dicit Gloſſa ordinaria Deutero. 15. uſurarum remiſſiones. Hæc autem feſtiuitas anni quinquageſimi, ea de cauſa à Deo inſtituta fuit, ut Iudæi perpetuò recolerent beneficium illud maximum, quando à ſeruitute Aegypti liberati fuerunt, & erat præceptum potius iudiciale, quam cæremoniale, ut Abulenſis notauit Leuitici cap. 25. q. 16.

Ioſephus.
Theodoret.
Gloſſ. Deute. 15.
Abulen.

Vnde ſequitur, quod ante tempora illa ſeruitutis Aegypti, huiuſmodi celebritas illis neceſſaria non erat, neque etiam in Deſerto, ut ſæpe Abulenſis.

CAPVT TERTIVM.

De Neceſsitate Maximi Iubilæi à Chriſto Domino in Cruce exhibiti.

ISYCHIVS Hieroſolymitanus Presbiter, vir doctiſſimus, magnique Theologi Nazianzeni Diſcipulus, ſcriptor uetuſtiſſimus, ante plus centum, & mille annos (Archadio, & Honorio Regnantibus) commentaria, ſeptem libris digeſta, in Leuiticum ſcripſit, maxima eruditione, ſummaque pietate referta; In quorum ſeptimo explanans illa uerba, *Agrorum Iure uendentur*, vel, vt Septuaginta legunt, *Ad Agrum terræ æſtimabuntur*, quærit, cuius nam Agri? Euangelij utique reſpondet, de quo Matt. 13. dicitur, *Simile eſt Regnum Cælorum theſauro abſcondito in Agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuerſa, quæ habet, & emit Agrum illum*, ad Euangelij igitur Ius, & rationem, pondus, & menſuram, omnis domus vendenda, æſtimanda eſt, cum Euangelio, non legi, quæ præceſſit, proxima ſit. Quo circà ſemper

Exponitur locus. Leuitici 25.
Ex Iſychio.
Ager Euangelij.
Matth. 13.

redimi poſſunt, cum per omnia liberatæ ſint; *Ex quo Agro Dominus venit* (verba ſunt Iſychij) *Vſque ad ſecundum Aduentum eius, per partes gentes redimuntur, & per remiſsionem euadunt, quam ipſe omni generi humano per Crucem applicuit. Crux enim eſt vera remiſsio, vnde & eius figuram gerens Aries, qui pro Iſaac in holocauſtum oblatus eſt ſecundum quod Septuaginta edunt in virgulto Sabech, inuentus eſt relegatus; Sabech autem remiſsio interpretatur, quia Crucem, quæ fuit remiſsionis virgultum, præfigurabat hoc, quod tunc geſtum eſt. Ergo tamquam Abraham in figura diem Crucis cernente, Chriſtus dixit, Abraham exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt;* & paulò infra; *poſt annum, in quo Chriſtus in carne præſens liberabat humanum genus, integra Iudæorum Synagoga per Apoſtolicam doctrinam liberata ſunt.* Hæc ille ex quibus licet intelligere tempus carnis Chriſti rectè annum liberationis appellari, ipſamq; Crucem veram eſſe remiſſionem, quemadmodum ipſemet Chriſtus aſſerebat Matth. 20. *filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare; & dare animam ſuam redemptionem pro multis.*

Tempus vitæ Chriſti, & Crucis Myſterium, liberationis, & remiſſionis tempus dici poteſt.

HÆC autem redemptio hominis lapſi quamuis non ſit opus ex neceſſitate à Deo factum, ſed omnino liberè, vt omnia opera ad extra; potuit enim Deus abſque omni nota imperfectionis, indecentiæ, iniuſtitiæ; & impotentiæ hominem in peccato prolapſum, ſine omni remedio relinquere; nam ſicut liberè, & ex mero ſuo beneplacito illum creauit, ita voluntariè, & liberè redemit, & reparauit. Vt definit D. Thomas 3. par. q. 46. art. 1. & in 3. diſtin. 20. art. 1. q. 3. Vbi dicit, nec ex parte Dei, (quaſi definiuerit Chriſtum neceſſariò pati) neque etiam ex parte ipſius Chriſti, qui voluntariè paſſus eſt, eius paſſionem fuiſſe neceſſariam; fuit tamen maximè conueniens, ac Diuinæ naturæ, quæ ſumma charitas eſt, decentiſſimum; Vt cum in terra *Magnus agrotus iaceret; & ab magnus mitteretur Medicus,* ad curandum illum; ſic Ioannes huiuſmodi opus, & beneficium, magnæ Dei dilectioni, & charitati erga hominem tribuit in 3. cap. ſui Euangelij; dicens; *Sic Deus dilexit Mundum, vt filium ſuum Vnigenitum daret,* & in 15. *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* & Paulus ad Romanos 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores eſſemus; Chriſtus pro nobis mortuus eſt,* & ad Epheſios ſecundo. *Deus qui Diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto;* Et paulò poſt. *Vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu,* & ad Titum 3. *Apparuit benignitas, &c.* & alibi in ſcripturis ſæpiſſimè. Atque in hoc ſenſu intelligenda ſunt verba D. Anſelmi in libro primo cur Deus homo cap. 4. dum ait, *Non ne ſatis neceſſaria ratio videtur; cur Deus ea, qua dicimus, facere debuerit, quia genus humanum, tam præclarum opus, omnino perierat, nec decebat, vt quod Deus de homine propoſuerat, penitus annihilaretur, nec idem eius propoſitum ad effectum duci poterat, niſi genus humanum ab ipſo Creatore ſuo liberaretur.* Et cap. 5. *An non intelligis, quia quæcunque alia perſona hominem à morte æterna redimeret, eius ſeruus idem homo rectè iudicaretur? Quod ſi eſſet, nullatenus reſtauratus eſſet in illam dignitatem, quam habiturus erat, ſi non peccaſſet, cum ipſe, qui niſi Dei ſeruus, & æqualis Angelis bonis per omnia futurus erat, ſeruus eius eſſet, qui Deus non eſſet, cuius Angeli ſerui non eſſent.*

Deus ſine ulla imperfectione potuit non operari redemptionem, & ideò non eſt ex neceſſitate.

D. Thomas.

Ioan. 3. & 15.

ad Rom. 5.

ad Epheſ. 2.

ad Titum 3.

D. Anſelmus.

Quæ ſanè verba non de coactione, uel de neceſſitate abſoluta intelligenda ſunt, quaſi aliud fuerit impoſſibile; ſed de decentia, & conuenientia: Sic quoque interpretanda ſunt verba D. Athanaſij lib. de Incarnatione verbi, eiuſque corporali ad nos aduentu paulò poſt principium, *Indecorum rurſum erat eos, qui ſemel creati erant rationales, penitus extingui; Id enim indignum erat bonitate Dei; ſi quæ ab ipſo creata eſſent, in interitum abirent ob Diaboli aduerſus hominem fraudem; Quin imo indecentiſſimum erat, Dei artem in hominibus extingui, uel per ipſorum incuriã, uel per Dæmonis impoſturam; Pereuntibus igitur rationalibus hominibus, vnaque cum illis tanto opificio aboleſcente. Quid quæſo Deum, qui bonus erat, oportebat facere? Permitteret ne corruptionem contra eos vim ſuam habere, ac mortem ipſis dominari? Ad quid neceſſum fuit eos vel ſemel creari? præſtabat eos non genitos, quam genitos neglectui dari,*

D. Athanaſius.

& inter-

& intercidere; Nam ex iſtiuſmodi incuria magis imbecillitas Dei, quam bonitas appareret, ſinendo opus ſuum perire, quàm ſi nunquàm condidiſſet hominem; ſi enim numquàm hominem condidiſſet, nemo imbecillitatem in eo ſuſpicaretur; Vbi autem eos condiderat, & eſſe voluerat; abſurdum, indecorumque erat, eius opera interire, idque potiſſimum ſub ipſius Opificis conſpectu. Non igitur fas erat, ita apparere, quaſi ipſe ſineret hominem corruptioni mancipari, quia id indignum, ac minimè conueniens Diuinæ bonitati. Hæc Athanaſius.

Sed hic dubium ſuboritur. Cur Deus cum hominibus, & non cum Angelis magis vſus fuerit hoc reparationis beneficio? non ne indecens, & indecorum fuit Deo, Angelos malos, quos quoque liberè creauit, non reparare? cur illi ſine remedio fuerunt, nequaquam homo?

Rationes ex Patribus deſumptæ cur Deus homines, & nõ Angelos redimere voluit.

Theodoretus.

Sancti Patres diuerſimodè reſpondent. Theodoretus lib. de Prouidentia Diuina contra Græcos verſus finem, eam dat rationem. Quoniam res Vniuerſi, quę ſub ſenſum cadunt, propter hominem, non propter Angelos creatæ ſunt, ideo non putauit contemnendum eum, cujus gratia cuncta creauiſſet.

Athanaſius.

Athanaſius in Opuſculo citato aliam innuit rationem, quoniam Dęmon humanam naturam tyrannicè, integrè poſſidebat, & dominabatur, non autem Angelicam; At qui Chriſtus venit vt in principem Mundi hujus foras eijceret; eius verba ſunt hæc, *Ibi cum videret rationale genus oppetere, & mortem vi, efficaciaque corruptionis tyrannicè dominantem, minaſque pœnarum, quibus præuaricatio denunciata fuit, hanc corruptionem in noſtram perniciem potenter ſtabilire, ſimulque conſpiciens abſurdum eſſe, legem (antequam impleretur) abrogari, & ſua, quorum ipſe Architectus eſſet, aboleri, hominumque ingentia ſcelera contra ipſos in immenſum creſcere, ac pariter omnes homines morti obnoxios detineri; miſertus generis noſtri, condolenſque noſtram imbecillitatem, demiſit ſeſe ad noſtram corruptionem, non paſſus vlterius mortis tyrannidem; Ne quod creatum eſſet, occumberet, aut Patris ſui opus in formando homine ocioſum, vanumque redderetur; ſibi igitur corpus deſumpſit, idque à noſtro corpore non alienum.* Hæc ille.

Anſelmus.

Anſelmus loco citato cap. 16. & 17. dicit, quod lapſus hominum non poterat reparari, & conuenienter ſuppleri per aliam naturam, vel ſuperiorem, vel inferiorem loco humanę ſuffectam, quemadmodum Angelorum ruina per homines reſtituta eſt.

Auguſtinus. Mag. ſent.

D. Auguſtinus in Enchyridion cap. 29. quem ſequitur Magiſter in 2. diſt. 2. aliam aſſignat rationem, quod malum humanæ naturæ erat vniuerſalius; minor enim pars Angelorum cecidit.

Bernardus. Gregorius. Caſſianus.

D. Bernardus ſermone 1. in Aduentu, & D. Gregorius 4. Moralium cap. 9. Et Caſſia. collatione 4. cap. 12. & 14. aliam aſſignãt rationem, quod homo per alium reparari potuit, quia per alium cecidit, & ideo peccatũ hominis remiſsibile, quia alio ſuggerente peccauit; non ſic Angeli, qui ſinguli propria voluntate peccarũt.

Chryſoſtomus. Damaſcenus. Nyſſenus.

Alias congruentias ponit D. Chryſoſt. Homil. 1. de Adam, & Eua, & Damaſcenus lib. 2. cap. 3. & Gregorius Nyſſenus in lib. 2. ſuæ Philoſophiæ cap. 4.

D. Thomas.

Vltima ratio eſt D. Thomæ in p. 1. q. 64. art. 2. deſumpta ex ipſa natura Angelorũ, quæ quàm citiſsimè; ideſt poſt primã deliberatam operationem ad terminum peruenit; quandoquidem Angeli arbitrium in eo, quod ſemel plena deliberatione elegit, inflexibile remanet; Vnde continuò poſt primum inſtans deliberatum, conſtituti fuerunt, tam boni, quam mali Angeli extra ſtatum viæ; quod enim eſt hominibus mors, eſt Angelis caſus, ut Damaſcenus dicit, quod eſt dicere, quod ſicut per mortem hominum uita finitur, ita per peccatum conſumatur tota peccantium Angelorum via, quamuis illud intercedat diſcrimen, quod mors extrinſecè, vltimum terminum uię hominum imponit, in inſtanti enim mortis, iam homo eſt extra uiam, & tunc primum eſt in termino conſtitutus, ut bene adnotauit Bagnes in eodem loco. At peccatum, quod homine caſus intelligitur, intrinſecè conſumat Angelorum viam; Deſinit enim eorum via per ultimum ſui eſſe, & ita peccatum eſt ultimum eſſe uiæ Angelorum; ita ut poſt peccatum ſtatim ſint in termino con-

Bagnes.

 ſtituti.

ſtituti. Quæ omnia, non ex grauitate culpæ, nec ex impotentia Dei, ſed ex conditione naturæ ſtatus Angelorum, attendenda ſunt, & iuxta ordinariam Dei potentiam, & ſuauem diſpoſitionem, ſecundum quam rerum naturas gubernat, & moderatur. Vnde Angeli dicuntur habere inflexibilitatem arbitrij, eſſe incapaces pœnitentiæ, eorumque peccatum (attendendo Dei potentiam ordinariam) eſſe irremediabile, in quo peccauit Origenes, ut dicit D. Hieronymus in Epiſ. ad Auitum & in Apologia contra Ruffinum, & in cap. 3. Ionæ, & Auguſtinus lib. de Hæreſibus, ad Quodvultdeum, hæreſi 43. & 21. de Ciuitate Dei cap. 17.

Origenes. D. Hieron. D. Auguſt.

Ratio Auctoris.

ADIICIAMVS nos poſtremam: Quoniam dum Angelus malus non reparatur, in natura Angelica, & Iuſtitia Dei, & miſericordia relucent; Iuſtitia quidem in malis, miſericordia vero in bonis. Quod ſi humana natura irreparata relicta fuiſſet, cum omnes homines in Adam peccauerint, ſolum Iuſtitiam circa humanam naturam Deus exercuiſſet; Nunc autem, ut non ſolum Iuſtitia erga homines, ſed etiam miſericordia appareat, natura reparata eſt, ut in Sanctis, qui efficaciam redemptionis Chriſti in ſe ipſis ſentiunt, miſericordia ſit conſpicua. in peruerſis uerò Chriſtianis, & ad finem uſque in peccato perſeuerantibus, qui ſanguinem Chriſti, eiuſque redemptionis beneficium ſpreuerunt, Iuſtitia; Vt igitur in utraque natura hæc duo Dei Attributa reſplenderent, effectum eſt, ut hæc reparata, illa nequaquam fuerit.

CAPVT QVARTVM.

In quo quatuor Dubitationes circa Crucis Iubileum ſoluuntur.

SED AD neceſsitatem Iubilæi, ſeu remiſsionis à Chriſto factæ demonſtrandam propius accedamus, ubi quinque dubia breuiter diſcutienda ſunt.

Primum. An fuerit conueniens, uel neceſſarium, ad Iubileum Reparationis homini præſtandum Deum Incarnari.

Secundum. An fuerit neceſſarium, & conueniens, Chriſtum pati ad liberandum hominem.

Tertium. An fuerit conueniens, uel neceſſarium ad huiuſmodi Iubileum exhibendum, Chriſtum mori.

Quartum. An fuerit conueniens, beneficium Iubilæi, & redemptionis, per mortem Crucis à Chriſto homini communicari.

Vltimum. An Sancti Angeli participes ſint, & gaudeant maximo Iubilæo à Chriſto in Cruce exhibito.

Quibus expoſitis, neceſsitas maximi Iubilæi in Cruce exhibiti perſpicua erit. Quattuor priores quæſtiones in hoc capite tractabimus, Vltimam in ſequenti.

DVBIVM PRIMVM.

An fuerit conueniens, vel neceſſarium, ad Iubileum reparationis homini præſtandum, Deum incarnari.

Incarnatio verbi nõ fuit ſimpliciter neceſſaria ad reparationem hominis. D. Auguſt. D. Leo.

CIRCA quod communiſsima eſt Theologorum concluſio ſi de neceſsitate ſimpliciter ſit ſermo, non fuiſſe neceſſarium medium ad hominis lapſi reparationem, Deum incarnari; ſumma enim Dei potentia, & ſapientia alijs uijs poterat homini remedium, & reparationem afferre, & eſt Doctrina Diui Auguſtini tertiodecimo de Trinit. cap. tertio, decimo, & decimotertio, & 18. de Agone Chriſtia. cap. 11. Pulchra eſt ſententia Auguſtini; *Sunt*, inquit, *ſtulti, qui dicunt non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſciperet hominem.* Et D. Leo ſermone 2. de natiuitate cap. 3. inquit. *Miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter*

ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſsimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus Diaboli, non virtute vteretur potentiæ; ſed ratione Iuſtitiæ, De qua re legendus eſt D. Thomas 3. parte q. 1. art. 1. & 2. Et Magiſter in 3. diſtinct. 20. & ibi ſententiarij, & Alexander de Aleſ. 3. par. q. 1. membro 3. ar. 24. Et Gulielmus Pariſienſis lib. Cur Deus homo. Et quamuis ad ſatisfactionem pro peccato hominis Deo faciendam, ſecundum perfectæ Iuſtitiæ rigorem, fuerit ſimpliciter neceſſaria vnio hypoſtatica Diuini Verbi cum carne, ut ſtatim demonſtrabimus; abſolutè tamen loquendo, poterat Deus hunc rigorem Iuſtitiæ non exigere, ut inquit D. Thomas 3. parte q. 46. ar. 2. ad tertium. Immò purus homo potuiſſet, de potentia Dei abſoluta, ſatisfacere pro ſuis, & aliorum peccatis, de Iuſtitia tamen ſecundum quid: ſicut enim potuit Deus gratis omnia hominum peccata condonare, & remittere, & potuit etiam abſque ullo actu noſtro gratiam infundere, potuit etiam promittere gratiam pro vnico actu humano bono quocumque, & illum in ſatisfactionem acceptare, & tunc eſſet Iuſtitia ex promiſſione, non tamen ſimpliciter, quia non eſſet ex operis æqualitate, ſed ex Diuino inſtituto.

D. Thomas. Alcoſis. Gugl. Pariſiẽ. Mag. ſent.

D. Thomas.

Si tamen ſumatur neceſſitas ex ſuppoſitione, & ad bene eſſe, ſic dicendum eſt, ſimpliciter, & abſolutè fuiſſe conuenientiſſimum ad remiſſionem præſtandam humano generi, Deum aſſumere humanam naturam, per quam pro illa ſatisfaceret, & eſt concluſio apud Theologos certiſſima, eſtque doctrina Vniuerſalis Sanctorum Patrum, Anſelmi lib. de Incarnatione Verbi, & lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. & Ambroſij lib. de Sacramento Incarnationis Dominicæ cap. 6. & in primam ad Timothæum cap. 1. & Damaſceni lib. 3. cap. 1. Athanaſij in lib. de Incarnatione Verbi, eiuſque corporali Aduentu, D. Leonis ſermone 5. de paſſione Domini, Auguſtini lib. de Incarnatione, & lib. 13. de Trinitate, quem locum citat D. Thomas 3. parte q. 1. ar. 2. vbi dicit. *Verum, etiam oſtendamus, non alium modum poſsibilem defuiſſe Deo, (cuius Poteſtati omnia æqualiter ſubiacent) ſed ſanandæ miſeria noſtræ conuenientiorem alium modum non fuiſſe*; Idem affirmat D. Gregorius 17. Moralium cap. 18. & lib. 24. moralium cap. 22. & Cyrillus. 5. Theſau. cap. 7. in illis verbis; *Quoniam imperfectum eſſe opus Dei non decuit, & non potuit aliter reparari, neceſſariò Deus homo factus eſt*, & D. Ambroſius ad Hæbræos 9. in illis verbis; *Tantum fuit peccatum noſtrum, ut ſaluari non poſsemus aliquando, niſi Vnigenitus filius Dei moreretur pro nobis*, & D. Chryſoſt. Homilia 10. in Ioannem, *Cecidit*, inquit, *Natura noſtra eo modo, vt reſtitui nullo pacto poſsit à quocumque, niſi ab illa omnipotentiſsima manu; neque enim aliter reſtitui poterat, niſi, qui in principio eam effinxit, manum porrexiſſet*. Quæ omnia loca, & ſimilia Sanctorum Patrum de huiuſmodi neceſſitate conuenientiæ intelligenda ſunt; quemadmodum etiam Anſelmus in toto ſuo lib. 1. & 2. Cur Deus homo, cuius ſententiam copioſiſſimè refert Scotus in 3. diſt. 20. q. vnica, & Riccardus de Sancto Victore lib. de Incarnatione cap. 8. dum neceſſarium pronunciant, Verbum incarnatum fuiſſe, & D. Auguſtinus dum dicit; *Niſi Chriſtus moreretur, homo non redimeretur; & non redemptus periret*, explicans illa verba ex Epiſtola ad Hæbræos, *Decebat eum, &c.*

Ex ſuppoſitione ſimpliciter neceſſaria fuit Incarnatio ad redimendum hominem.

Anſel. Ambro. Damaſc. Athanaſ. Leo. Auguſt. D. Thomas.

D. Gregor. Cyrillus.

Ambro.

Chryſoſt.

Anſel. Scotus.

Riccar. de Sãcto Victore. D. Auguſt.

Verum rationes aliquas afferamus, quæ huiuſmodi congruentias facilè perſuadeant, & ex D. Thoma petantur.

Prima eſt ex parte fidei, quia homo, Deo loquenti facilius aſſentitur, & firmius credit, & ea, quæ credenda proponuntur, tanquam Dei teſtimonia, ab ipſomet Deo prolata, credibilia fiunt nimis. D. Auguſtinus 11. de Ciuit. Dei cap. 2. à medio, tomo 5. (quem locum citat D. Thomas) dicit; *In qua* (loquutus erat de fide,) *vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus Dei filius, homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto, eandem conſtituit, atque fundauit fidem, ut ad Deum iter eſſet homini per hominem Deum*.

Rationes pro neceſſitate Incarnationis ex D. Thom. D. Auguſt.

Secunda ex parte ſpei; ex hoc enim, quod Deus homo factus eſt, ſpes hominum maximè erigitur, & eleuatur. Vnde Auguſtinus dicit 13. de Trinitate cap. 10. non procul à principio, tomo 3. *Quidenim tam neceſſarium fuit ad erigendam*

D. Auguſt.

ſpem

ſpem noſtram, menteſque mortalium conditione ipſius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis deſperatione liberandas, quàm vt demonſtraretur nobis quanti nos penderet, quantumque diligeret Deus. Quid verò huius rei tanto iſto indicio manifeſtius, atque præclarius, quàm vt Dei filius immutabiliter bonus, in ſe manens quod erat, & à nobis, & pro nobis accipiens, quod non erat, præter omne ſuæ naturæ detrimentum, noſtram iſit dignatus inire conſortium.

D. Auguſt.

Tertia, quoniam ex hoc Charitas hominis erga Deum maximè excitatur, ut ait Auguſtinus in libro de Catechizandis rudibus cap. 4. in principio tomo 4. *Quæ maior eſt cauſa aduentus Domini, niſi vt oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis*; & poſtea ſubdit; *Nulla eſt enim maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando, & nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit & rependere.*

D. Auguſt.

Qvarta ratio, vt homo viuum, ac ſpirans ad rectam operationem exercendã exemplum haberet, & eſt ratio Auguſtini in ſermone de Natiuitate Domini. *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat; vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.*

D. Auguſt.

Qvinta, vt per Chriſti humanitatem homo particeps fieret diuinę naturę, vnde Auguſtinus in ſermone 9. Natiuitatis Domini circa principium illius, tomo 10. & eſt ſermo 13. in ordine. *Ad hoc enim Deus hominem ſuſcepit in ſe, vt nos Deum ſuſcipiamus in nobis, ſicut ipſe dixit; manete in me, & ego in vobis.*

D. Auguſt.

Sexta, vt homo inſtruatur, ne ſibi Diabolum præferat, neque cadendo in terram eum adoret, & veneretur, qui eſt auctor peccati, cùm naturæ ſuæ Deum vnitum habeat. Vnde Auguſtinus dicit 13. de Trinit. cap. 17. circa principium tom. 3. *Quandoquidem ſic potuit Deo coniungi humana natura, vt ex duabus ſubſtantijs fieret vna perſona, ac per hoc iam ex tribus, ſcilicet Deo, anima, & carne ſuperbi illi maligni ſpiritus, qui ſe ad decipiendum, quaſi ad iuuandum medios interponunt, non ideò ſe audeant homini præponere, quia non habent carnem, & maximè, quia & mori in eadem carne dignatus eſt filius Dei, ne ideò illi tamquam Deos ſe coli perſuadeant, quia videntur eſſe immortales.*

D. Auguſtin.

Septima, ex aſſumptione humanæ naturæ à Deo, docetur homo, quanta ſit dignitas naturæ ſuæ, quam peccato inquinare non debet, quod indicauit Auguſtinus lib. 2. de vera Religione cap. 16. ferè in principio, tom. 1. in illis verbis. *Demonſtrauit nobis Deus, quàm excelſum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non ſolum viſibiliter, nam id poterat & in aliquo æthereo corpore ad noſtrorum aſpectuum tolerantiam temperato, ſed etiam hominibus in vero homine apparuit.* Et

D. Leo.

Leo Papa in ſermone 1. de Natiuitate poſt medium. *Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuam, & Diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire.*

D. Auguſt.

Octava, vt homo via Iuſtitiæ liberaretur à ſeruitute peccati, quod D. Auguſtinus explicat in lib. 13. de Trinit. cap. 13. tom. 3. dicens. *Sed quoniam Diabolus vitio peruerſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor, oppugnatorque Iuſtitiæ; ſic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam peroſa Iuſtitia potentiæ ſtudent, eiuſque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate, placuit Deo vt propter eruendum hominem de Diaboli poteſtate, non potentia Diabolus, ſed Iuſtitia vinceretur, atque ita, & homines imitantes Chriſtum, Iuſtitia quærerent Diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia, quaſi mali aliquid fugienda ſit, ſed ordo ſeruandus eſt, quo prior eſt Iuſtitia.* Et in capite decimoquarto ait; *Quæ eſt igitur Iuſtitia, qua victus eſt Diabolus? quæ niſi Iuſtitia Ieſu Chriſti? Et quomodo victus eſt? Quia cum in eo nihil morte dignum inueniret, occidit eum tamen, & vtique iuſtum eſt, vt debitores, quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem ſine vllo debito occidit; hoc eſt, quod iuſtificari dicimur in Chriſti ſanguine; ſic quippe in remiſſionem peccatorum noſtrorum innocens ſanguis ille effuſus eſt.* Vnde, & Leo Papa dicit in ſermone 1. de Natiuitate poſt medium illius, *Suſcipitur à virtute infirmitas, & à Maieſtate humilitas, vt quod noſtris remedijs congruebat vnus, atque idem Dei, & hominum mediator, &*

tur, & mori ex vno, & reſurgere poſſit ex altero; niſi enim eſſet verus Deus, non afferret remedium; niſi eſſet uerus homo, non præberet exemplum. Quomodo autem, & Iuſtitia moriẽdo, & potentia reſurgendo Chriſtus Diabolum uicerit, eleganter D. Auguſtinus in eodem cap. 14. exponit. Hæ congruentiæ oſtendunt, conuenientiſſimum fuiſſe ex parte noſtri, Deum carnem aſſumpſiſſe.

Congruentię ex parte ipſius Dei pro Incarnatione verbi ex D. Tho.

VERVM ex parte Dei opus Incarnationis conuenientiſſimum ſummoperè declarant; alię congruentiæ ſequentes. Hunc locum egregiè D. Thomas explanat in Opuſculo 60. de Humanitate IESV Chriſti Domini noſtri, hunc in modum; *Sciendum verò, quod Sacramentum iſtud congruentiſſimè ordinatum fuit ad ſalutem hominis, quia licet alius modus fuiſſet Deo poſſibilis, nullus tamen ita congruus, vt dicit Auguſtinus. Congruebat enim ipſi reparatori, & reparabili, & reparationi, Congruebat; reparatori, quem decebat ſuam ſapientiam oſtendere, potentiam, & bonitatem. Quid autem potentius, quàm coniungere extrema ſummè diſtantia? Magna enim potentia fuit in coniunctione diſparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad ſpiritum creatum, maxima verò in vnione ad ſpiritum increatum, vbi maxima eſt diſparitas. Quid verò ſapientius, quàm, quod ad completionem totius vniuerſi, fieret coniunctio primi, & vltimi; hoc eſt Verbi Dei, quod eſt omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus ſex dierum fuit vltima omnium creaturarum. Quid enim beneuolentius, quam; quod Creator rerum communicare ſe voluit rebus creatis? & hæc benignitas magna fuit in coniunctione ſui cum omnibus rebus per præſentiam; maior quia communicauit ſe bonis per gratiam, maxima, quia ſe communicauit Chriſto homini, & per conſequens generibus ſingulorum in vnitate perſonæ, fuit etiam iſte modus congruentiſſimus ipſi reparabili; quia homo per peccatum corruit in infirmitatem, ignorantiam, & malitiam, per quæ ineptus factus eſt ad virtutem Diuinam imitandam, ad veritatem cognoſcendam, & ad bonitatem diligendam. Ideo Deus homo factus eſt; per quod ſe tradidit homini imitabilem, cognoſcibilem, & amabilem. Fuit ſimiliter iſte modus congruentiſſimus noſtræ reparationi, quo Dominus in forma ſerui procuraret ſalutem ſerui,* & multa alia præclara in hanc ſententiam.

Multæ ſunt aliæ congruentiæ, & vtilitates Diuinæ Incarnationis, quæ, vt inquit D. Thomas ibidem, & in 4. contra gentes cap. 54. ſunt ſupra apprehenſionem ſenſus humani, nobis hæ ſatis ſint.

Reſpectu Iuſtitiæ ad redimendum hominem abſoluta neceſſaria erat Incarnatio.

D. Thomas.

D. Leo.

ILLVD vnum vltimo loco adnotandum eſt, quod Incarnatio Verbi Dei ad redimendum hominem, ex perfecta Iuſtitia ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria fuit, ſuppoſito enim quod plenè, & perfectè Diuinæ Iuſtitiæ ſatisfaciendum fuerit adæquatè, & ex condigno, vt inquit D. Thomas in ſolutione ad tertium art. 2. quæſt. 1. 3. parte; Nullum aliud nec fuit, nec potuit eſſe medium; niſi Dei Incarnatio, ſic D. Leo in ſer. 7. & 8. de Epiphania, & ſerm. 8. Quadrageſimę, & ſerm. 1. & 12. de paſſione, & ſerm. 4. de Natiuitate Domini, vbi inquit. *Minus mirum eſt hominem ad Diuina proficere, quam Deum ad humana deſcendere, hoc autem niſi facere dignaretur omnipotens, nulla quaque ſpecies Iuſtitiæ, nulla forma ſapientiæ à captiuitate Diaboli ex profundo æternæ mortis erueret,* & in ſermone 5. de Natiuitate ait; *Niſi Verbum Dei caro fieret, & habitaret in nobis; niſi in communionem creaturæ Creator ipſe deſcenderet, & vetuſtatem humanam ad nouum principium, ſua natiuitate reuocaret, regnaret mors ab Adam vſque ad finem, & ſuper homines condemnatio inſolubilis permaneret;* Et Athanaſius li. de Incarnatione Verbi, in principio. *Cum enim,* inquit. *Patris ſit Verbum, & ſupra omnes, meritò etiam ſolus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, ac apud Patrem intercederet.* Et Nazianzenus in ſermone de Paſchate, verſus finem poſt multa verba inquit. *Indigebamus, vt Deus carnem aſſumeret, & mortem ſubiret; vt viueremus.* Et Diuus quoque Baſilius Homil. 24. ſuper Pſal. 48. poſt multa inquit, *Quid poteſt homo inuenire tantum, vt det pro redemptione animæ ſuæ; ſed inuentum eſt vnum, omnibus ſimul comparandum, quod datum eſt in prætium redemptionis animarum noſtrarum, nimirum Sanctus & prætioſus ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem pro nobis effudit, quapropter etiam magno prætio empti ſumus. Si igitur frater non redimit, redimet homo, ſi verò homo redimere non poteſt, qui nos*

D. Athanaſ.

Nazian.

D Baſilius.

redimit

D. Anſelmus.

redimit, non eſt homo. Hæc ille. Diuus Anſelmus ſcribit pulchra quoque de hac re in libro, quando, cur, & quomodo Deus homo cap. 5. & 6.

Ad rigoroſã ſatisfactionẽ Incarnatio Chriſti abſolute, neceſſaria.

Conclvdendvm eſt igitur, ſuppoſita Diuina ſatisfactione, de condigno, perfectè, & ex rigore Iuſtitię, abſolutè neceſſarium fuiſſe, Chriſtum incarnari; neque enim purus homo, etiam innocens, & ſanctus, etiam ſi tantam gloriam, & gratiam illi daret Deus, quantam contulit animæ Chriſti, potuit, etiam de potentia Dei abſoluta, ſatisfacere pro ſe, & pro alijs de condigno, & ad æqualitatem ex Iuſtitiæ rigore. Oportet enim ad condignam ſatisfactionem iniuriæ, quæ ex dignitate Dei offenſi infinita eſt, vt actus, & operationes ſatisfacientis habeant efficaciã infinitam ex ſe, id eſt, ratione perſonę, ex qua proficiſcuntur, quod puro homini conuenire non poterat, cum dignitatis exiguæ ſit, & finitæ naturæ, ſed Deo, & homini; quamuis enim per impoſſibile, nulla fuiſſet gratia creata in anima Chriſti, adhuc opera, quæ Chriſtus, id eſt perſona illa diuina, quæ Deus erat, & homo, feciſſet, habuiſſent meritum infinitum ex condigno, ratione perſonæ, vt optimè dixit Sotus lib. 3. de natura, & gratia cap. 6. & hęc eſt communis ſententia Doctorum, Sancti Thomæ 3. par. quæſt. 1. art. 2. ad ſecundum, & q. 7. art. 11. ad 2. & alibi ſepè, Bonauenturæ in 3. ſenten. diſt. 20. quæſt. 3. & 4. Driedo. de Captiuitate, & Redemptione humani generis, tractatu 2. cap. 2. par. 3. artic. 6. Abulenſis in Prologo Matthei, quęſt. 17. & in cap. 34. Exodi. quęſt. 7. & Alexandri de Aleſ. 3. par. quęſt. 1. membro 6. art. 1. & 2.

Sotus. D. Thomas. Bonauentu. Driedo. Alenſis.

De hac re legendi ſunt Caietanus, Medina ſuper citatum locum D. Thomę, & Sotus in 4. diſtin. 15. quęſt. 1. art. 2. & Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 54. & inter recentiores, Suarez tomo 1. in tertiam par. D. Thomę quæſt. 1. art. 2. diſput. 4. ſection. 4. 5. 6. 7. & 8. ubi ad uiuum nimis, hunc rigorem perfectæ Iuſtitię Chriſti examinat.

Caietan. Medina. Sotus. Ferrarien. Suarez.

Dvbivm Secvndvm.

An fuerit neceſſarium, & conueniens, Chriſtum pati ad liberandum hominem.

Circa quod D. Thomas egregie, ut omnia, 3. par. quęſtio. 46. art. 1. & 2. & 3. hanc rem definit, vbi tria dicit.

Chriſtum pati non fuit neceſſariũ neceſſitate coactionis, ſed ſolum neceſſitate finis. ex D. Thoma.

Primvm, neceſſitate coactionis, non fuiſſe neceſſarium Chriſtum pati, neque ex parte Dei, qui, ipſum pati definierat, neque ex parte ipſius Chriſti, qui voluntariè paſſus eſt; Fuit tamen neceſſarium, & expediens ex parte finis, & hoc quadrupliciter. Primò, ut nobis, per ipſius paſſionem à peccato liberatis, uitam ęternam acquireret, iuxtà illud Ioannis 3. *Oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Secundo, ut ipſemet Chriſtus, per paſſionis humilitatem, intraret in gloriam ſuam, id eſt mereretur gloriam exaltationis, ut Lucæ 10. habetur. *Hæc oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Tertio, propter Dei definitionem Lucæ 22. *Filius hominis ſecundum quod definitum eſt, vadit.* Et alibi. *Verùmtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et Actorum 2. *Hunc, definito conſilio, & præſcientia Dei, traditum per manus iniquorum, affligentes, intereniſtis.* Quarto, vt implerentur ſcripturæ, Lucæ vltimo Ioannis 19.

Iohan. 3. Luc. 10. Luc. 22. Actor. 2. Luc. vlt. Ioan. 19.

Poterat Deus abſolute loquendo, redimere nos abſque Chriſti paſſione. Lucæ 1.

Secvndo dicit, quod ſequitur ex prędictis; Impoſſibile Deo non fuiſſe, alio modo, quàm per paſſionem genus humanum liberare, ſimpliciter, & abſolutè loquẽdo, ut Lucæ 1. *Non eſt impoſſibile apud Deum omne Verbum;* Suppoſitá tamẽ Dei pręſcientia, & præordinatione, ſecundum quam decretum fuerat, vt fructus humanę ſalutis non ſequeretur, niſi Chriſto patiente, factum fuit impoſſibile, Chriſtum pro homine non pati; atque etiam ſuppoſito, Deum exigere ſatisfactionem peccati ad rigorem Iuſtitię, ut dictum eſt, quamuis abſolutè hoc dependeat à uoluntate diuina, quę ſi uoluiſſet abſque illa ſatisfactione liberare hominem à peccato, contra Iuſtitiam non feciſset.

Tertio

TERTIO dicit, nullum medium conuenientius excogitari, & inueniri potuiſſe, ad liberandum hominem, quàm paſſionem Chriſti; & eſt dictum D. Auguſtini in 13. de Trinit. Immò D. Pauli ad Hebræos cap. 2. *Decebat enim*, inquit. *Eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum, per paſſionem conſumare.* Id declarat D. Thomas dilucidè, præter liberationem enim à peccato, multa alia bona, homo conſequutus eſt per Chriſti paſſionem.

Nullum medium ad hominis redemptionem potuit eſſe conguentius paſſione Chriſti. D. Auguſt. ad Hæbr. 2.

PRIMO, quia per illam, homo cognoſcit maximam charitatem, qua Deus nos peccatores, & inimicos dilexit, vt dicitur ad Romanos 5. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis; quoniam cùm inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*

Enumerãtur bona hominibus collata p paſſionem Chriſti ex D. Thoma. Ad Rom. 5.

SECVNDO, quia per ſuam paſſionem, multarum virtutum hominibus Chriſtus reliquit exemplum, ut Obedientiæ, Patientiæ, Humilitatis, Iuſtitiæ, & aliarum, vt dicitur prima Petri, ſecundo; *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, uobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.*

1. Pet. 2.

TERTIO, quoniam Chriſtus per ſuam paſſionem, nedum hominem à peccato liberauit, ſed etiam meruit ei gratiam, & gloriam, iuxtà illud Ioan. *Lex per Moyſem data eſt, gratia per Chriſtum facta eſt.*

QVARTO, quia per ſanguinem Chriſti effuſum, quo homo redemptus eſt, magis arctatur ad non peccandum, iuxtà illud Pauli 1. Corinth. 6. *Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate Deum in corpore ueſtro.*

1. Cor. 6.

QVINTO, quoniam hoc medium Redemptionis per paſſionem, ad maiorem dignitatem hominis faciebat, vt ſicut homo à Diabolo deceptus, & victus fuerat, ſic homo Diabolum vinceret; & ſicut homo mortem meruit peccando, ità homo moriendo, mortem ſuperaret, iuxtà illud Pauli ad Corinth. 5. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum.* Vnde Athanaſius in libro de Incarnatione Verbi Dei, eiuſque corporali ad nos Aduentu, inquit, *Quomodo porrò, aut finis mortis, aut victoria de morte oſtendi potuiſſet, niſi illam, ſub oculis cunctorum in ſe prouocatam, mortuam reddidiſſet, ac iam deinde inanem eam, exhauſtamque, ſui corporis incorruptibilitate probaſſet.*

D. Athanaſ.

SEXTO ex D. Anſelmo lib. 1. Cur Deus homo cap. 4. cùm Deus ſit ſummè iuſtus, immò ipſa Iuſtitia, conueniebat, ut à debitore iuſtam exigeret ſatisfactionem, quæ à puro homine cùm ſolui non poſſet; ab eo, qui ſimul Deus eſſet, & homo, ſoluendo precium, diuinæ iuſtitiæ ſatisfieret.

D. Anſelm.

VLTIMO, quoniam hoc medio paſſionis, ſapientiſſimè, & rigor Iuſtitiæ, & ſumma Miſericordia in reparando homine, coniuncta fuere, & eſt ratio Damaſceni lib. 3. de fide cap. 1. *De diuina diſpenſatione circa nos, & de noſtra ſalute, demonſtratur ſimul,* (loquitur de redemptione hominis per Chriſtum) *Bonitas, & ſapientia, & iuſtitia, & potentia Dei; Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprij plaſmatis, facturæque propria infirmitatem, ſed miſeratus ipſam cadentem, ei manum porrexit; Iuſtitia, quia homine victo, non ab alio, quàm ab homine fecit vinci Tyrannum; neque violentia à morte eripuit hominem; ſed quem olim per peccatum in ſeruitutem redegerat mors, hunc bonus, & iuſtus rurſus effecit victorem, & ſimile ſimili reparauit, quod opus erat. Sapientia, quia rei admodum dubiæ, ac difficilis inuenit ſolutionem quàm decentiſſimam.*

Damaſcen.

DVBIVM TERTIVM.

An fuerit conueniens, uel neceſſarium, pro eodem reparationis Iubilao exhibendo, Chriſtum mori?

CHRISTVM, ad reparationem humani generis, non ſolùm pati, ſed etiam mori, conueniens fuiſſe, pluribus rationibus oſtendit D. Thomas in 3. par. q. 50. art. 1. & q. 52. art. 1. & in 4. contra gentes, cap. 55. ad primum, vbi plures congruentias affert, quarum ſumma hæc eſt. Vt hominem morti adiudicatum; ſua

Conuenientiæ paſſionis Chriſti apud D. Thomam ſummarie explicantur.

morte.

morte ſatisfaciendo repararet; vt veritatem naturæ humanæ oſtenderet, quod latè proſequitur Euſebius lib. 4. de Demonſtratione Euangelica cap. 18. Vt moriendo, timore mortis, nos exueret, vti dicit Paulus ad Hebræos 2. Vt exemplum nobis daret moriendi ſpiritualiter peccato, iuxtà Paulum ad Romanos 6. *Ità; & vos exiſtimate, mortuos quidem eſſe peccato; viuentes autem Deo*; Vt dum à mortuis reſurgit, in nobis ſpem reſurrectionis plantaret; iuxtà illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.* Aliæ congruentiæ peti poſſunt ex D. Athanaſio in ſerm. de Paſſione, & Cruce Domini, & ex Euſebio loco citato.

Euſeb. — ad Hæbr. 2. — ad Rom. 6. — 1. Cor. 15. — D. Athanaſ. Euſeb.

DVBIVM QVARTVM.

An fuerit conueniens, beneficium Iubilæi, & Redemptionis per mortem Crucis, à Chriſto, homini communicari.

Conueniens fuit, Chriſtum in Cruce mori ex D. Tho. ad Philip. 2.

AD hoc, dubium reſpondet D. Thomas art. 4. prædictæ quæſtionis 46. fuiſſe conuenientiſſimum, idque probat ex Apoſtolo ad Philippenſes 2. *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*; Cuius rei ſeptem præclaras affert congruentias.

Rationes cur Chriſtus in Cruce mori debuit. primo propter exemplum.

PRIMA eſt, quoniam ſuſtinendo Chriſtus mortem execrabilem, & formidabilem Crucis; immò, qua inter omnia genera mortis, nihil execrabilius, & formidabilius, exemplum dedit homini rectè viuenti, ut nullum genus mortis metuat, & reformidet. *Sapientia enim Dei*, vt dixit Auguſtinus lib. 83. q. 25. in principio, tomo 4. *hominem ad exemplum, quo rectè viueremus, ſuſcepit.* Hoc genus mortis, quò cùm ſummo dolore, maxima ignominia erat coniuncta, præclarè exaggerauit Auguſtinus tract. 21. in Ioannem circa medium dicens; *Supplicium Crucis ideò durius erat, quia diutius cruciabat, & omnes crucifixi longa morte necabantur; Illi autem, nè remanerent in ligno, cruribus fractis, coacti ſunt mori, ut poſſent inde deponi; Dominus autem inuentus eſt mortuus, & admirati ſunt omnes, qui eum viuum contempſerunt, mortuum ſic mirati ſunt, vt dicerent quidam; Verè filius Dei eſt hic.* Hæc ille.

D. Auguſt.

Et ſermone 18. de Verbis Domini, inquit, *Si genus mortis exhorreſcit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominioſius, quàm mors Crucis. Non enim fruſtrà commendans eius obedientiam Apoſtolus addidit dicens, Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; Sed quia ipſe honoraturus erat fideles ſuos in fine huius ſaculi, prius honorauit Crucem in hoc ſæculo; vt Terrarum Principes, credentes in eum prohiberent, aliquem nocentium crucifigi, quod cùm magna inſultatione perſecutores Iudæi Domino procurarunt, magna fiducia ſerui eius etiam, & Reges in fronte nunc portant.*

D. Iſidorus.

Et Iſidorus lib. 5. Ethymologiarum cap. vltimo verſus finem, *Maiorem*, inquit, *eſſe pœnam Crucis, quàm Patibuli, nam patibulus appenſos ſtatim exanimat; Crux autem ſuffixos diu cruciat: Vnde, & in Euangelio, latronibus, vt morerentur, & de ligno ante Sabbatum deponerentur, crura confracta ſunt; quia ligno ſuſpenſi citò mori non poterant.* Hæc ille. Vnde mirati ſunt, quòd tam citò Chriſtus mortuus erat.

D. Chryſoſt.

D. Chryſoſtomus dedecus mortis Crucis eleganter proſequitur in Homil. 7. in Epiſtolam ad Philippenſes explanans illa verba, *Factus obediens uſque ad mortem. An non habeo quomodo dicam? Papè, quàm magnum, & vehementer ineffabile eſt, quòd ſeruus factus eſt, quòd verò mortem ſuſtinuit, multò plus eſt; ſed eſt aliud maius quiddam iſto; & admirabilius. Quamobrem? quoniam non quæuis mors iſti ſimilis eſt Iſta namque omnium videbatur probroſiſſima, Iſta plena dedecore, Iſta maledicta. Maledictus enim, inquit, omnis, qui pendet in ligno. Propterea Iudæi, dedita opera, iſta morte interimere eum voluerunt, ut probroſum quoquè efficerent, ut, etſi nemo propterea ab ipſo abſtineret, quòd occiſus eſſet, abſtineret tamen, vel ideò, quòd hoc pactò occiſus eſſet.*

Secunda ratio quia Adã in ligno peccauit, Chriſtus in ligno mori debuit.

SECVNDA. Peccatum Primi Parentis fuit ex eò, quòd contra Dei mandatum pomum ligni vetiti ſumpſit. Vnde conueniens fuit, quòd Chriſtus in ſatisfactionem illius peccati, pateretur, ſe ipſum ligno affigi, quaſi reſtituens, quod Adam abſtulerat.

Pſal.64.

D. Hieron.

abſtulerat, iuxtà illud Pſalmi 64. *Quæ non rapui, tunc exoluebam*. Vnde canit Eccleſia, *Et medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat*. Quamobrem in hanc ſententiam egregiè D. Hieronymus in cap. 15. Marci ſic dicit. *Quæ non rapui, tunc exoluebam; Et crucifixerunt eum. Hic figitur ſalus in ligno. Ligno primo infixa eſt mors; lignum primum, lignum ſcientiæ boni, & mali eſt; & ſecundum lignum boni tantum nobis, & vitæ lignum eſt; extenſio manus primæ ad lignum, mortem apprehendit; Extenſio autem ſecundæ vitam, quæ perierat, inuenit.* Nazianzenus etiam in Oratione prima apologetica, *Hac Medicina quadam erat*, (locutus erat de Chriſto in Cruce extenſo) *veterem Adamum eò, unde exciderat, reducens, & ad illud vitæ lignum adducens, à quo ſcientiæ lignum, intempeſtiuè, atque incommodè perceptum, nos remouerat.* Et Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei, capit. 12. inquit. *Quanquam autem omnis Chriſti actio, ac miraculorum editio præclara, & diuina, ac mirabilis eſt, nihil tamen eſt ex omnibus, quòd tantam admirationem excitet, atque eximia ipſius Crux, Neque enim alia vlla re peccatum deletum, primi Parentis peccatum extinctum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, vis contemnendarum rerum præſentium, atque ipſius quoque mortis, nobis conceſſa, reditus ad veterem beatitudinem comparatus eſt, Paradiſi portæ patefactæ ſunt, natura noſtra ad Dei dextram conſidet, filij denique Dei, & hæredes facti ſumus, quàm Crucis Domini Noſtri Ieſu Chriſti beneficio.*

Nazian.

Damaſcen.

D. Leo Papa.

Quod etiam Leo Papa Luculentus in ſermone 6. de Paſſione expreſſit his verbis, *Crucifigitur Chriſtus per lignum, erigitur lapſus in ligno, & guſtu fellis, & aceti, diluitur eſca peccati.*

Tertia ratio, quia voluit Chriſtus aëris, & terræ elementum purgare, ex D. Athanaſ.

Tertia congruentia eſt, quòd in Cruce eleuatus, pati voluit Chriſtus, ut, & aëris natura mundaretur, & terra ſtillatione ſanguinis de latere decurrentis purgaretur. Hanc rationem D. Athanaſius in libro de Incarnatione verbi, & corporali eius Aduentu exaggerat, dicens, *Cùm exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham; & rurſus, ſi Dominus ideò venit, vt Diabolum noſtri generis hoſtem delapſum cælitus, & citra hunc imum aerem vagantem, illicque Dæmonibus inobedientiæ ſibi ſimilibus imperantem, præſtigias, inaneſque ſpecies illorum adminiſterio effingentem ad fraudem deceptorum, & ſurſum tendentibus obſtaculum molientem, & quemadmodum de eo Apoſtolus, inquit, iuxtà Principem poteſtatis aeris, qui nunc vim ſuam exercet in filijs inobedientiæ. Dominus venit, vt Diabolum præcipitaret, aeremque purificaret, & viam ad cælum nobis muniret, ut dictum eſt ab Apoſtolo, per velum, quod obtentum fuit, hoc eſt, per carnem ſuam, & id morte fieri oportebat. Quænam alia morte illud fieri poterat, niſi ea, quæ in aere toleraretur? (de Cruce eſt, quod loquor.) Solus enim ille in aere moritur, qui in Cruce vitam finit; Quarè, non ſine ratione eam Dominus ſuſtinuit. Ità enim ſublimatus, aerem purgauit ab omni Diabolica, aliorumque Dæmonum infeſtatione dicens, Vidi Sathanam inſtar fulguris decidentem.* Hæc Athanaſius.

D. Chryſoſt.

D. Chryſoſtomus etiam in Homilia de Cruce, & Latrone, quæ incipit, *Hodierna die*, parum à principio tomo 3. eamdem rationem proſequitur dicens, *Quam ob cauſam in excelſo ligno, & non ſub tecto immolatur? Vt etiam ipſius aeris natura mundetur, hac de cauſſa in excelſo, & non ſub tecto, ſed ſub cælo, vt vniuerſus aer in excelſo, immolatione ouis à tetro odore mundetur; ſed & terra ſimile beneficium ſentiebat, decurrentis à latere ſanguinis ſtillatione mundata. Ideò non ſub tecto, non in Templo Iudaico, nè Iudæi ſubtraherent ſacrificium, & ſibimet vendicarent.* Idem (vt refert quoque D. Thomas ſuper illud Ioannis, 3. *Oportet exaltari filium hominis*) dicit, *Exaltari audiens, ſuſpenſionem intelligas in altum, ut ſanctificaret aerem, quia ſanctificauerat terram ambulando in ea.* Hæc Chryſoſtomus.

Quarta ratio ut iter in Cælum nobis pararet Chriſtus in alto ligno mori voluit. ex D. Athanaſ.

Qvarta ratio, vt nobis iter in cælum pararet, in alto ligno moritur Chriſtus. Eſt ratio D. Athanaſij ibidem dicentis, *Et in Cælos nouum iter aperuit, quod ſub his verbis indicatur. Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales. Nihil certè ille, qui hæc verba vſurpat, opus habet reſeratione portarum, (quippè omnium Dominus) nec quicquam erat clauſum Creatori ex rebus creatis; Sed Nos eramus, quibus ea reſeratio neceſſaria fuit. Nos rurſum illi, quos ipſe in ſuo corpore in ſublime attollebat: nam quemadmodum illud pro omnibus morti obtulit, ità quoque per illud,*

viam ad cælos commonſtrauit, rectè igitur, decenterque mors eius in Cruce peracta fuit, cauſaque eius per omnia probabilis apparet, ac iuſtas habet rationes. Hæc ex Athanaſio.

Damaſcen. Damaſcenus quoque lib. 4. de fide cap. 12. circa medium dicit, quòd quemadmodum quattuor extrema Crucis per medium centrum continentur, & conſtringuntur, ſic per Dei virtutem, altitudo, & profunditas, longitudo, & latitudo, id eſt, omnis uiſibilis, & inuiſibilis creatura continetur.

D. Hieron. Et D. Hieronymus Marci 15. inquit, *Ipſa ſpecies Crucis quid eſt, niſi forma quadrata mundi? oriens de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, Auſter in læua conſiſtit, occidens ſub plantis firmatur. Vnde Apoſtolus dicit, vt ſciamus, quæ ſit Altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum.* Hæc Hieronymus. Gregorius Nazianzenus

Nazian. in Apologetico, oratione 1. eleganter de hac re tractat dicens. *Idcircò lignum aduerſus lignum, & manus aduerſus manum; illæ inquam fortiter extenſæ aduerſus incontinenter extenſam; Illæ clauis confixæ, atque conſtrictæ aduerſus remiſſam, & ſolutam. Illæ orbis fines contingentes aduerſus eam, quæ Adamum è Paradiſo exturbauit;* Hæc Gregorius.

Lactantius. Lactantius Firmianus, libro quarto de vera ſapientia capite 26. hanc eamdem rationem multis proſequitur. *Extendit*, inquit, *In paſſione manus ſuas, orbemq́; dimenſus eſt, ut iam tunc oſtenderet ab ortu Solis, uſq; ad occaſum, magnum populum, ex omnibus linguis, & tribubus congregatum, ſub alas ſuas eſſe venturum, & ſignum illud maximum, ac ſublime, frontibus ſuis ſuſcepturum.*

ad Philip. 2. Atque, vt uno verbo liçet oratio concludatur, afferamus verba D. Pauli ad Philippenſes 2., qui huiuſmodi vniuerſalem Crucis efficacitatem, & uim, in Cælo, in terra, & ſubtus illam deſcribens, ait, *In nomine Ieſu, omne genu flectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum:* lege Niſſenū oratione prima de reſurrectione.

Niſſenus. Vnde lignum ſupernum Cœlum Chriſti paſſione apertū ſignificat, & Deum placatum; lignum inferius Diabolum deuictum, & infernum euacuatum; tranſuerſum verò, quod ortum, & occaſum reſpicit, vniuerſum terrarum orbem redemptum demonſtrat.

Sexta ratio, quoniam in Cruce, diuerſæ virtutes deſignantur, quas videre poteris apud Auguſtinum à D. Thoma citatum, & apud Bonauenturam, Bernardum, & alios contemplatiuos Doctores.

D. Auguſt. D. Aug. Epiſtola 119. & 120. dicit in Crucis figura totam perfectionem Chriſtianam ſignificari; fidem in profunditate, ſpem in ſublimitate, Charitatem in latitudine; perſeuerantiam in longitudine.

Chriſtus in Cruce mori debuit, ut impleret Scripturas. Damaſcen. Postrema ratio, conueniens fuiſſe, Chriſtum in ligno Crucis pati, & mori, veteres figuræ, quibus hoc genus mortis reſpondet, oſtendunt, & manifeſtant. Damaſcenus loco çitato in fine, hunc locum egregiè tractat dicens, *Enimuerò lignum illud Vitæ, quod à Deo in Paradiſo conſitum eſt, præclarè Crucis figuram geſſit. Quoniam enim morti per lignum aditus patuerat, conſentaneum erat, vt per lignum quoque vita, & reſurrectio donaretur. Quia Iacob cum adorato Virgæ faſtigio, cancellatiſque manibus, filijs Ioſeph benè præcaretur, Crucis ſignum aperiſſimè delineauit; atque idem etiam indicarunt, & Virga Moſaica in Crucis figuram efformata, ac mare feriens, atque Iſraeli ſalutem afferens, ac contra Pharaonem aquis mergens, & manus in Crucis formam extenſa, atque Amalecitas in fugam vertentes, & aqua amara ligno edulcata, & rupes fracta, laticeſque fundens, & virga Aaroni Sacerdotij dignitatem ſanciens, & actus in ligno de ſerpente, velut mortuo, & extincto triumphus (ligno nimirum ijs ſalutem afferente, qui mortuum hoſtem cernunt; hoc eſt, Chriſtum in carne peccati prorſus ignara, Cruci affixum eſſe credunt,) & magnus ille Moyſes illud inclamans. Videbitis uitam veſtram in ligno pendentē ob oculos veſtros, ac demque Eſaias. Tota die expandi manus meas ad Populum contumacem, & contradicentem. Qui hoc lignum adoramus, utinam ad Crucifixi Chriſti partem perueniamus.* Hęc ille. Plurimæ ſunt aliæ, de qui-

D. Chryſoſt. D. Auguſt. bus veteres Auctores prolixam faciunt orationem, lege Chryſoſtomum Homil. 26. in Ioannem, & in Homil. 1. & 2. de Cruce, & latrone, Et Auguſtinum lib. 16.

contra

contra Fauſtum cap. 15. & ſequentibus, Et Iuſtinum Martyrem in Dialogo contra Triphonem, & in Apologetico 2. vbi etiam refert, Agnum Paſchalem fuiſſe ſolitum aſſari affixum duobus lignis, recto, & tranſuerſo in formam Crucis collocatis. Iuſt. Martyr.

Tertullianus libro 3. contra Marcionem vltrà medium, tractans illa verba Deuteronomij. 33. *Quaſi primogeniti Tauri pulchritudo eius, Cornua Vnicornis cornua eius, in ipſis nationes ventilabit pariter ad ſummum vſque terra*; dicit, Chriſtum ſignificari, & in Tauro, & in Rhinocerote, Cùm formam Iudicis, & Saluatoris, cuius cornua ſunt Crucis extima, omnia per fidem, & per Iudicium uentilando, gerat. Eius verba hæc ſunt. *Non utique Rhinoceros deſtinabatur vnicornis, neq́ Minotaurus bicornis; ſed Chriſtus in illo ſignificabatur; Taurus ob vtramque diſpoſitionem, alijs ferus, vt Iudex, alijs manſuetus, vt Saluator, cuius cornua eſſent Crucis extima. Nam, & in antemna nauis, quæ Crucis pars eſt, extremitates, cornua vocantur. Vnicornis autem media ſtipitis palus. Hac denique virtute Crucis, & hoc more cornibus armatus, vniuerſas gentes, & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cælum; & tunc per Iudicium ventilabit, deijciens de cælo in terram.* Hæc ille. Tertullian. Chriſtus aſſimulatur tauro, & Vnicorni.

CAPVT QVINTVM.

An Angeli boni, huius maximi Iubilæi in Cruce exhibiti, participes fuerint.

HIc obiter uidendum eſt in gratiam doctrinæ. An quemadmodum hominibus data eſt gratia, & gloria merito Chriſti, & eius paſſionis: ſit etiam data fuerit Angelis. Hoc eſt enim, quod quærimus in hoc Dubio. Quod etiam ſub alio titulo ab alijs proponitur, ſcilicet, An Chriſtus ſit caput Angelorum eo modo, quo hominum? Vel etiam ſub alio titulo, An Chriſtus ſit redemptor Angelorum, uel quod idem eſt, An pro eis ſatisfecerit. Eſt grauis controuerſia inter Doctores, in qua etiam videbitur, An merito Chriſti (ſecluſa eius paſſione) gratiam, & gloriam habuerint. Et, vt magis difficultas appareat, argumenta pro parte affirmatiua proponamus. Quid explicare velit hoc loco Auctor.

PRIMO ex Scriptura uidetur comprobari, Chriſtum Angelis gratiam meruiſſe. Ad Epheſios 1. *Propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo*: Lectio græca, quam ſequitur D. Hieronymus ibidem tomo 6. habet, *Recapitulari*, loco reſtaurari, quaſi vt Chryſoſtomus ait, quòd cùm eſſent omnia diſtincta, ſub vno Chriſto capite recollecta, unum quodammodo effecta ſint, vel, vt Theophilactus dicit, quia in Chriſto omnia ad perfectionem deducta ſunt. Item ad Coloſſenſes 1. & 2. Chriſtus dicitur, *Caput omnis Principatus, & Poteſtatis, & in ipſo condita uniuerſa, in Cælis, & in terra, uiſibilia, & inuiſibilia, ſiuè Throni, ſiuè Dominationes, ſiue Principatus, ſiuè Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant; & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ*: Argumenta, quod Chriſtus meruit gratiam Angelis, ex Scripturis. ad Epheſ. 1. D. Hierony. ad Coloſſ. 1. & 2.

Item expreſſius ad Coloſſ. 1. *Pacificans per ſanguinem Crucis, ſiuè quæ in Cælis, ſiuè quæ in terris ſunt*: ad Coloſſ. 1.

Item Apocalipſis duodecimo, deſcripto bello Michaelis, & bonorum Angelorum cùm Dracone, dicitur, quòd *Boni Angeli vicerunt eum propter ſanguinem Agni*. Apoc. 12.

SECVNDO auctoritate Sanctorum Patrum. D. Cyrillus lib. 5. in Eſaiam, capit. 54. exponens id, ferè in principio ſcribit hæc verba, loquens de Verbo Dei. *Per ipſum omnis fructificatio ſpiritualis, tum in Sanctis Angelis, tum in nobis ipſis inſita eſt*. Sic ille, quę verba de Chriſto ſecundum humanitatem intelligenda ſunt, cùm de pręcioſa eius Cruce in principio mentionem faciat. Idem ex Patribus oſtenditur. D. Cyrill.

D.Grego. Item auctoritate D.Gregorij in librum primum Regum cap. 2. vbi explanans illa verba, *Neque enim eſt alius extrà te*. *Subauditur*, inquit, *Sanctus, extra eum Sanctus aliquis eſſet, ſi abſque dono Vnigeniti, ſanctificationis ſpiritum habere potuiſſet; ſed quis hoc aſſerere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam conſtat? ſcriptum quippe eſt, Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum. Verbum Domini eſt Vnigenitus Dei, quem profectè Euangeliſta Ioannes inſinuans, ait, In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Si ergò etiam Angeli ſanctificati creduntur in filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum ſanctificationis gratiam inuenire non poſſunt.*

Et Homilia 14. in Ezechielem, explanans illa verba, *Ecce murus forinſecus in circuitu Domus vndique*, inquit, *Plerumque in ſacro eloquio ex protectionis ſuæ munimine, murus dici ipſe incarnatus Dominus ſolet, ſicut de Sancta Eccleſia per Prophetam dicitur, Ponetur in ea murus, & antemurale. Ipſe enim nobis murus eſt, qui nos vndique cuſtodiendo circumdat. Antemurale autem muri noſtri, Prophetæ omnes fuerunt, qui prius, quàm Dominus appareret in carne, ad conſtruendam fidem prophetando miſſi ſunt. In ſancta ergò Eccleſia Dominus murus nobis, & Prophetæ eius antemurale ſunt poſiti; quia ad nos, quos ipſe perfectè protegit, etiam Prophetarum verba in fidei conſtructionem venerunt. Vnde, & benè prius murus, & poſt antemurale ponitur; quia vocati ex gentibus, niſi prius Dominum cognoſceremus, Prophetarum illius dictamine ſuſcepiſſemus. Et notandum quod iſte murus ſpiritalis ædificij eſſe forinſecus dicitur. Murus quippè, qui ad munitionem ædificij conſtituitur, non interius, ſed exterius poni ſolet. Quid ergo neceſſarium fuit, vt diceretur forinſecus, dum nunquam poni murus intrinſecus ſoleat? quia neceſſe eſt, ut exterius poſitus, ea, quæ intus ſunt, defendat. Sed in hoc verbo quid apertè, niſi ipſa Dominica Incarnatio demonſtratur? Murus enim nobis intus eſt Deus; Murus verò foris eſt Deus Homo. Vnde, & per quemdam Prophetam dicitur, Exiſti in ſalutem Populi tui, vt ſaluos facias Chriſtos tuos. Iſte etenim murus, incarnatus videlicet Dominus, murus nobis non eſſet, ſi forinſecus non fuiſſet, quia intus nos non protegeret, ſi exterius non appareret. Sed neque hoc negligenter prætereundum eſt, quod idem murus poſitus dicitur in circuitu Domus vndique. Domus quippè Dei non ſolùm Angeli Sancti, de quibus Pſalmiſta ait, Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ, ſed etiam nos ſumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Et Murus iſte vndique in circuitu Domus eſt; quia Vnigenitus Patris, qui ſurſum eſt firmitas Angelorum, ipſe deorſum factus eſt redemptio hominum. Illis fortitudo ne cadant, nobis adiutorium, vt ſurgamus poſt caſum.* Hæc Gregorius.

D.Bernard. D. Bernardus ſermone decimoſeptimo, & 22. in Cantica, idem clarius his verbis, *In principio*, inquit, *Sapientia erat, erat Iuſtitia, erat ſanctificatio, & redemptio, ſed Angelis vt eſſet, & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit, quod Pater. Denique qui factus eſt, inquit, nobis ſapientia à Deo, & non ait ſimpliciter, qui factus eſt ſapientia; ſed qui factus eſt nobis ſapientia. Quoniam quod erat Angelis, factus eſt, & nobis.*

At Angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit, non video. Nec enim auctoritas Scripturarum vſpiam aſſentire videtur, eos aliquando, aut peccati extitiſſe captiuos, aut mortis obnoxios, vt neceſſariam haberent redemptionem, exceptis dumtaxat illis, qui ſuperbia lapſu irremediabili corruentes, rediini deinceps non merentur. Si itaque Angeli numquam redempti ſunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes, illi quidem, quia, nec lapſi ſunt, hi autem, quia irreuocabiles ſunt; quo pacto in dicis, Dominum Ieſum Chriſtum eis fuiſſe redemptionem? Audi breuiter. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum; liquet ergò, Sanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemptionem, ſicut Iuſtitiam, ſicut ſapientiam, ſicut ſanctificationem, & nihilominus tamen hæc ipſa quatuor eſſe factum propter homines, qui Inuiſibilia Dei non niſi per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpicere poſſunt; ſic ergò omne, quod erat Angelis, factus eſt nobis. Hæc, & ibi alia Bernardus.

Ruper-

Rupertus Abbas lib. 3. de proceſſione ſpiritus Sancti cap. 21. exponens illud Ioannis 8. *Ille homicida erat ab initio*, huic ſententiæ ſubſcribit.

Rupertus.

Tertio probatur rationibus.

Prima, quia Angeli in ſtatu viæ habuerunt fidem Chriſti, ergo per eamdem fidem viuam ſanctificati ſunt, & conſequenter, ob merita Chriſti, gratiam, & gloriam habuerunt, antecedens dicitur eſſe D. Thomæ prima par. quæſt. 64. art. 1. ad quartum, Auguſtini lib. 5. ſuper Geneſim ad litteram cap. 19. Bernardi ſermone 27. in Cantica, & Ruperti lib. 8. in Ioannem circa finem.

Rationes, quibus oſtenditur, Angelos habuiſſe gratiam per Chriſtum.

Secunda ratio. Adam in ſtatu Innocentię habuit hanc fidem Incartionis Chriſti, & per eam viam habuit in eo ſtatu virtutes, & gratiam, ergo etiam Angeli, cum eadem ſit omnino ratio.

D. Tho. D. Auguſt. D. Bernard. Rupertus.

Tertia ratio, Angeli, de ijs myſterijs habent ſcientiam matutinam, de quibus aliquando habuerunt cognitionem veſpertinam, vt ait Auguſtinus li. 4. de Geneſi ad litteram cap. 22. Cùm ergo boni Angeli videant in Verbo myſterium Incarnationis, non eſt dubitandum, cùm eſſent viatores, fide illud cognouiſſe, & credidiſſe.

Auguſt.

Quarta. Mali Angeli, ex reuelatione Incarnationis Chriſti ſibi facta, per ſuperbiam, & inuidiam, occaſionem ſumpſerunt peccandi, vt innuit Hieronymus ſuper cap. 1. ad Epheſios. Et Rupertus locò citato, ergo à fortiori aſſerendum eſt, Angelos bonos in Chriſto, & per Chriſtum, in quem crediderunt, meruiſſe uitam æternam. Hæc ſunt argumenta, quæ partem affirmatiuam perſuadent.

Hieron. Rupet.

In hoc Dubio duæ ſunt ſententiæ Theologorum. Prima eſt, aſſerentium, Chriſtum meruiſſe Angelis gratiam, & gloriam, in illoſque influxum Sanctificationis, & glorificationis habere, tamquam eorum caput. Hanc tenet Albertus in 3. ſenten. diſtin. 13. artic. 2. Catharinus lib. 1. de eximia Chriſti prædeſtinatione & in Opuſculo de gloria, & peccato Angelorum, Galatinus lib. 3. de arcanis Catholicæ ueritatis, & alij, quos citat, & cumulatiſſimè refert Franciſcus Suarez tomo 1. Commentariorum in 3. par. D. Thomæ, quæſt. 19. art. 4. diſput. 42. ſectio. 1.

Theologorũ ſententiæ in hac materia explicantur. Albertus. Catharin. Galatinus. Suarez.

Altera ſententia eſt communis Theologorum, Alexandri de Aleſ. 3. par. quæſt. 12. memb. 2. art. 3. §. 5, D. Bonauenturæ in 3. diſtin. 13. art. 2. quæſt. 3, Diui Thomæ 3. ſenten. diſtin. 13. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 1, & in quæſt. 19. de Veritate art. 4. ad quintum, & art. 7. ad quintum, Durandi diſtin. 13. quæſt. ſecunda, Paludani eadem diſtinct. quæſtio. 1. art. 3. Gabrielis ibidem, Driedonis tract. 2. de captiuitate, & redemptione humani generis cap. 2. par. 3. artic. 5, Medinæ in 3. par. quæſt. 8. artic. 4. & eſt communis omnium Thomiſtarum, præterquàm Caietani.

Aleſ. Bonauent. D. Thom. Durand. Palud. Gabr. Driedo. Medina.

Hi dicunt, Chriſtum Dominum, meritoriè non influere in Angelos, gratiam, & gloriam eſſentialem, ſed tantùm in illos habere influxum gloriæ accidentalis, & aliquarum illuminationum. Dicunt item Chriſtum, prout homo eſt, eſſe caput hominum, & Angelorum ſimul, præterquam Doctor Gabriel prædictus, & nonnulli alij. Dicunt præterea ijdem Auctores, Chriſtum pro Angelis bonis non eſſe mortuum, nec illorum propriè Redemptorem eſſe. Hæ ſunt ſententiæ Doctorum.

Tria dicta Auctorum ſupra dictorum de hac materia.

In huius rei dilucidationem, aliquas propoſitiones, more ſcholaſtico, diſtinctè proferamus.

Prima propoſitio. Chriſtus non ſolùm vt Deus; ſed etiam vt homo eſt, eſt caput Angelorum. Hæc concluſio eſt contra Gabrielem in dicta diſtinct. 13. quæſt. unica, qui temerariè negat, Chriſtum eſſe caput Angelorum, et euidenter probatur concluſio. Primo ex Scriptura ad Epheſios cap. 1. *Deus conſtituit Chriſtum ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, et Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſaculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, Et cap. 3. *Vt innoteſcat Principibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei. &c.* Quibus in locis D. Paulus loquitur de Chriſto, ut homo eſt; quoniam proximè dixerat, Deum illum ſuſcitaſſe à mortuis.

Cõcluſio prima, Chriſtus vt Deus, & ut homo, eſt caput Angelorum. Ad Epheſ. 1.

Secundò, quoniam Chriſtus, ut homo, eſt Dominus Angelorum. Hac enim ratione Matthæi 4. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Et ad Philippen. 2. dicitur, quod, *nomini Ieſu, omne genu flectitur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.*

Matth. 4. Ad Philip. 2.

D. Thomas.

Tertio ex ratione D. Thomæ 3. par. quæſt. 8. art. 4. in corpore. Quoniam ubi eſt unum corpus, ibi debet eſſe unum caput, ſed Corpus Eccleſiæ miſticum, non ſolùm conſtat ex hominibus; ſed etiam ex Angelis; quoniam ambo ad unum, & eumdem finem, ad gloriam ſcilicet diuinę fruitionis, ordinantur, ergo, &c.

Adde, quod Chriſtus non ſolum eſt Caput congregationis fidelium, ſecundum ſtatum uiæ; ſed etiam comprehenſorum, cùm ipſe pleniſſimè habeat gratiam, & gloriam, atque etiam, cùm ipſe ſimul uiator, & comprehenſor fuerit, ergo etiam Angelorum; & eſt ratio D. Thomæ ad ſecundum.

Quarto, quoniam Chriſtus, ſecundum humanam naturam, influit, & cauſat aliquid in Angelis, vt in ſequenti concluſione patebit, & dicit D. Thomas in ſolutione ad tertium, ergo ſecundum humanitatem, illorum caput dicendus eſt. Hoc enim, ſcilicet influere, ad rationem capitis ſpectat.

Secunda concluſio, Chriſtus, ut homo cauſſat in Angelis varia dona gratiarum

Secvnda propoſitio. Chriſtus, ſecundum humanitatem influit, & cauſat in Angelis, cognitionem, honorem, gaudium, uariaque dona gratiarum. Hæc concluſio probatur euidenter:

Quod Chriſtus influat in Angelis cognitiones, illuminationes, et ſcientiam.

Ad Epheſ. 3.

Primo, quòd influat cognitionem, illuminationes, & ſcientiam, patet; quia reuelauit Angelis multa myſteria gratiæ, præſertim ea, quæ ad Incarnationem pertinebant, quæ tamen ipſi ignorabant, ut patet ad Epheſios 3. in illis citatis uerbis; *Vt innoteſcat, diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit, Principibus, & Poteſtatibus in Cæleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.*

D. Dyoniſ. Iſai. 63.

Pręterea D. Dyoniſius ca. 7. de cœleſti Hyerarchia, docet, Cherubim, & Seraphim, multas quæſtiones quærere, & diſcere à Chriſto, & illam pręſertim, quę habetur Eſaiæ 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* propoſitam fuiſſe ab Angelis, quia Chriſto reſponſum acceperunt. *Ego, qui loquor Iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſalutem.*

D. Gregor.

Item D. Gregorius explicans illud Lucę 2. *Sedentem in medio Doctorum,* dicit de Chriſto: *Diſcit in terris, qui docet Angelos in Cælis.*

D. Hieron.

Item D. Hieronymus ſuper illud Eſaię 63. dicit. *Interrogant igitur Angeli rei nouitate perterriti, (myſterium enim Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, ſecundum Apoſtolum Paulum, cunctis retrò generationibus fuerat ignoratum.)* Et Paulò poſt; *Ego, qui loquor Iuſtitiam, reſpondit Dominus interrogantibus Angelis; Quæritis, quis ſim, qui ad Cælos cruentus aſcendã; & ſanguis, quo aſperſus ſum, non mihi deformitatem tribuerit; ſed decorem. Ego ſum, cui Pater tradidit omne Iudicium: De quo & Pſalmiſta dicebat, Deus Iudicium tuum Regi da, & Iuſtitiam tuam filio Regis. Qui loquor Iuſtitiam, ut malis, mala, & bonis retribuam bona. Qui veni pugnare contra aduerſarias poteſtates, & captiuis prædicare remiſſionem, & vinctos de carcere liberare, ut, & aduerſarij pœnas, & captiui libertatem ſentiant.*

D. Auguſt. D. Thomas.

Item D. Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram libro 2. cap. 8. tomo 3. ſcribit, (ut etiam recitat D. Thomas 3. par. quæſt. 12. artic. 4.) quòd Angeli, etiam in ſui principio ex influentia Verbi, rerum ſcientiam acceperunt.

D. Dioniſ.

D. Thomas.

Poſtremò id hac ratione probatur. Quoniam Angelus beatior, & plura uidens in Verbo, reliquos inferiores Angelos illuminat, ut ibidem dicit Dionyſius. Ergò multò magis anima Chriſti, quę inter omnes creaturas beatiſſima eſt, & plura uidet in Verbo, quàm quilibet Angelus. Eſt enim anima Chriſti magis repleta uirtute Verbi Dei, quàm aliquis Angelorum, ut inquit D. Thomas 3. par. quęſt. 59. articulo 6.

Quod Chriſtus cauſſet honorem in Angelis.

Apoc. 12.

Gloſſa.

Probatvr item propoſitio quoad honorem. Quandoquidem natura angelica propter caſum malorum Angelorum, dedecore, aliquo modo affecta fuerat. *Traxit enim cauda Draconis ſecum tertiam partem Stellarum,* Apocalipſis cap. 12. Quare Chriſtus *iudicans,* vt homo, *in nationibus, impleuit illorum ruinas.* Vnde & Gloſſa ſuper illud ad Epheſios 1. *Inſtaurare, quæ in Cælis, & quæ in terris,* dicit, quod Chri-

ſtus. redi-

ſtus, redimendo homines, Angelorum ruinas inſtaurauit. Ex quo eſt illud Euangelij Lucæ 15. *Gaudium in Cœlo ſuper vno peccatore Pœnitentiam agente, &c.*

Luc. 15.

Probatvr item Concluſio, quoad gaudium; Etenim Angeli maxima delectatione afficiuntur, in conſiderando, & uidendo Chriſto homine, quod ſignificatur prima Petri 1. ibi. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Vnde Ioelis 3. dicitur, *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Quod idem dicitur Amos cap. 9. Angeli enim ſancti, dulcedinem in Chriſti diuinitate contemplantes, lac, ideſt, humanitatis gaudium recipiunt.

Quod Chriſtus ſit cauſſa gaudij Angelorum. 1. Pet. 1. Ioel 3. Hamos 9.

Postremo, quod Chriſtus uaria alia dona gratiarum influat in Angelos, manifeſtum ſit ex duobus alijs actibus, quos Chriſtus, ut homo, circa illos exercet. Chriſtus enim mittit Angelos in miniſteriũ noſtrũ iuxtà illud Pſal. 103. & Pauli ad Hebreos 1. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis;* Et iterum. *Non ne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Quos, cum mittit, inſtruit, & docet de his, quæ ad tale miniſterium ſpectant. Similiter cùm in cuſtodiam noſtram, Angelos deputat, particulare munus ad eam exercendam, illis communicat, & cùm Chriſtus ſit Doctor hominum, & Angelorum, nuſquam Angelos mittit, quin eos erudiat, lumen illis influendo circa rem, ad quam mittuntur. Et quamuis Dominus Ieſus Chriſtus non indiguerit cuſtodia Angelorum, neque ſecundum animam, neque ſecundum corpus. Cum ipſe, ut inquit D. Thomas 1. par. quæſt. 113. art. 4. etiam ſecundum quod homo, immediatè regularetur à Verbo Dei, & ſecundum animam comprehenſor eſſet; tamen ratione poſſibilitatis corporis, ſecundum quam erat uiator, datus eſt ei Angelus, nõ ut cuſtos, tamquam ſuperior; ſed magis miniſter, tamquam inferior, ut patet Matthæi 4. & Lucæ 22. dum. *Apparuit ei Angelus confortans eum;* in quo tamen, pace Sancti Thomæ, dicendum putarem, non vnum, ſed omnes, quoad hoc, & reliqua omnia, illi ſubiectos fuiſſe. In quibus miniſterijs erga Chriſtum, vtique ab ipſomet Chriſto erudiebantur, quid in tali officio congruè efficere deberent. Sic eſt interpretandus locus citatus Lucæ, qui ſicut difficilis eſt intellectu; ità quoque varias Doctorum interpretationes recipit.

Chriſtus mittit Angelos in miniſterium noſtrum. Pſal. 103. Ad Hæbr. 1.

De cuſtodia Angelica erga Chriſtum. D. Thomas.

Chriſto datus eſt Angelus nõ cuſtos, ſed miniſter. Matth 4. Luc. 22.

Anabaptistae hanc hiſtoriam de apparitione Angelica, & confortatione ergà Chriſtum, ex Codice euangelico amputarunt, ſicut etiam hiſtoriam de ſanguineo Chriſti ſudore; Et quamuis Hylarius in 10. de Trinit. & D. Hieronymus lib. 2. aduerſus Pelagianos, videantur ea de re dubiè loqui, tamen hodie ex Concilio Tridentino ſeſſ. 4. certum eſt, eſſe partem Canonicæ Scripturæ, nec licere abſque nota hæreſis, de veritate illius hiſtoriæ dubitare, quemadmodum ſemper apud Dyoniſium Areopagitam capitulo 4. Cæleſtis Hierarchiæ, Epiphanium in Ancorato, Iuſtinum Martyrem in Dialogo cum Triphone, Irenæum in opere ſuo contra Hæreſes hæreſi 69. Theophilactum ſuper Lucam, Auguſtinum libro tertio, de conſenſu Euangeliſtarum, & in libro ſentẽtiarum, ſententia 68. & alios veteres recepta fuit. Nec in illa confortatione Angelus, Chriſtum, ut hominem, quicquam docuit; *Qui omnia*, vt ait Ioannes, *& præterita, & futura* ſciebat, quiuè nec doctore, nec admonitore indigebat; Angelum verò Chriſtum confortare, non ità accipiendum eſt, vel quod illum animauerit, & ad viriliter agendum excitauerit; ſed, quod, vel Chriſti fortitudinem, & conſtantiam in ſufferendis paſſionibus prædicauerit, & magnificauerit, vt exponit Chryſoſtomus tomo 5. Homil. de Trinit. Theophilactus, & Epiphanius locis citatis; Quaſi dixerit, Tua eſt Domine fortitudo, tuum eſt Imperium, tuum eſt Robur. Vel confortauit, quoniam extrinſecus locutus eſt ad Chriſtum, illique rationes propoſuit, quibus triſtitia, quam patiebatur, leniri poſſet, & ſic extrinſecè inferiorem portionem confortauit, cùm à ratione ſuperiori, nullum ſolatium inferiori parti communicaretur, & eſt expoſitio D. Thomæ 3. par. q. 12. artic. 4. ad primum, Bedæ in Lucam cap. 22. D. Hieronymi Dialogo 2. contra Pelagianos, Damaſceni lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 20. & D. Bernardi ſerm. 1. de Sancto Andrea.

Locus difficilis Lucæ 22. de Angelo cõfortatore Xpi explicatur. D. Hilar. D. Hieron. Conc. Trid. Dioniſ. Epiphan. Iuſtinus. Hirenæus. Theophilact. Auguſt.

Chryſoſt. Theophilact. Epiphan.

D. Thomas. Beda. D. Hieron. Damaſcen. D. Bernard.

Adde, quòd verior expoſitio eſt, ut ibidem Sanctus Thomas, propter nos,

D. Thomas.

hanc

hanc Angelicam confortationem à Chriſto admiſſam fuiſse, ad demonſtrãdam proprietatem humanæ naturę. Creator enim, creaturæ ſuę non eguit pręſidio; ſed homo factus, ſicut propter nos triſtis eſt, ità propter nos confortatur, ut ſcilicet in nobis fides Incarnationis ipſius confirmetur; Dicitur autem Angelus confortaſſe Chriſtum, quoniam ex parte ſua fecit, quod in ſe eſt, ut conſolaretur Chriſtum quamquam ipſe, neque illud conſolationis genus acceptare uiſus eſt; ſtatim enim

Editio Syriaca.

factus in agonia, prolixius orabat. Editio Syriaca, loco *confortans eum*, legit, *confirmans eum*. Nec contemnenda eſt eorum expoſitio, qui dicunt, quòd cùm Chriſtus poſtulaſset à Patre, ut tranſiret calix ille, ea adiecta conditione, ut non ſua, ſed Patris uoluntas fieret: Angelus quaſi reſponſum huic petitioni afferens, ſignificauit illi, omnino ex uoluntate Patris moriendum eſſe, quamuis hoc ipſum bene ſciret. Quocirca quaſi ab Angelo confirmato mortis decreto, mox in agoniam, & ſudorem decurrentis in terram ſanguinis prorupit. De hac re legendus eſt Syxtus Senenſis lib. 1. de ſecundo ordine Scripturarum noui Teſtamenti.

Sixtus Senēſ.

Constat igitur, cùm hęc conſolatio propter nos facta fuerit, non ab Angelo Chriſtum; ſed è conuerſo à Chriſto Angelum inſtructum fuiſse, eiq; inſpiratum à Domino, quę ad talem confortationem faciendam, ut ueritas naturę humanę magis nobis perluceret, erant tunc temporis opportuna.

Angeli ſunt ſubiecti iudicio Chriſti domini, & ab eo iudicãtur.
D. Thomas.
Apoc. 7.
D. Thomas.

Alterum actum Chriſtus in Angelos exercet, ex quo in illos influere neceſſariò colligitur; Hic autem actus eſt, Angelos iudicare: ſubſunt enim Angeli, ut inquit D. Thomas 3. par. quęſt. 59. artic. 6. iudiciarię poteſtati Chriſti, non ſolùm ratione diuinę; ſed etiam ratione humanę naturę; per humilitatem enim Paſſionis natura humana in Chriſto meruit exaltari ſuper omnes Angelos, ut dicitur Apocalipſis 7. *Stabant omnes Angeli in circuitu Throni*, & quamuis D. Thomas in dicto art. 6. in corpore, & ad primum, neget iudiciariam poteſtatem Chriſti, ut hominis, ſeſe extendere ad Angelos, quoad pręmium, & pęnam eſſentialem; ſed ſolum quantum ad miniſteria eorum, & accidentalia pręmia, uel ſupplicia, quę inde reſultant, quod etiam aſſerit in 4. diſtin. 47. quęſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 4; tamen probabilius multis uidetur, omnes Angelos, etiam quoad præmium, & ſupplicium eſſentiale, iudicandos eſse in die nouiſſima, iudicio ſaltem approbationis, uel condemnationis. Ità ſcribit Riccardus in 4. diſtin. 47. art. 1. quęſt. 6. & Bonauentura, quęſt. 4. Quod ex duobus locis ſcripturę perſpicuum fit. Primò, ex prima ad Corinth. 6. ubi dicit Paulus. *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Quę uerba de uniuerſali Iudicio exponunt, Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Anſelmus, & alij tam Gręci, quàm Latini Interpretes.

Riccard.
Bonauen.
1. Cor. 6.

2. Pet. 2.
Locus difficilis exponitur.

Secundo ex uerbis D. Petri, Epiſtola ſecunda cap. 2. ibi. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus Inferni detractos, in Tartarum tradidit cruciandos, in Iudicium reſeruari.* Quę ſententia nõ eſt in eo ſenſu intelligenda, quaſi Angeli mali punitionem infernalis ignis non ſentiant uſque ad diem Vniuerſalis Iudicij, in quo iudicati in ęternum ignem tandem detrudendi ſint, ut Euſebius lib. 4. hiſtoriæ cap. 18. Nicephorus lib. 4. cap. 6. Iuſtinus in Dialogo contra Tryphonem, & Irenęus lib. 5. contra Hęreſes cap. 33. intellexerunt. Ab initio enim, quando peccarunt, illicò in ignem ęternum coniecti fuere, ſuamque damnationem ſtatim certè cognouere. Verumtamen Verba Petri intelligenda ſunt de Iudicio condemnationis, etiam quoad ſupplicium eſſentiale malorum Angelorum, quemadmodum ſentit Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. cap. 33. & lib. 21. cap. 23. & lib. de natura boni contra Manichę. cap. 33. Illud enim ſupereſt in die Iudicij reſeruatum, ut publica ſententia catenus in Infernum detrudatitur, ut inde numquam amplius poſſint exire, ſicut nunc eis permittitur, quemadmodum Exod. 12, & 20. cap. Apocalipſis colligitur, ibi. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi; & Beſtia, & Pſeudo Propheta cruciabuntur die, ac nocte in ſecula ſeculorum.*

Euſeb.
Nicephor.
Iuſtinus.
Irenæus.
D. Auguſt.
Apoc. 12. & 20.

Clem. Rom.
Lactantius.

De hac re legendus eſt Clemens Romanus lib. 7. Conſtitutionum cap. 33. & Lactantius lib. 7. cap. 26. Et ſicut mali Angeli publica ſententia puniendi ſunt; ità quoque Angeli boni per publicam ſententiam in gaudijs beatitudinis confirmabuntur,

buntur, quod ad diuinæ miſericordiæ rationem, & ad Christi, qui eſt Caput, & Dominus Angelorum, gloriam, & ad ipſorum ſanctorum Angelorum, coronam, & honorem maximè accedit; atque hæc de hac propoſitione.

Tertia Concluſ. Christus nõ cauſſat in Angelis gratiam, & gloriam.

Tertia propoſitio, Christus ſecundum humanitatem non influit gratiam, & gloriam Angelis. Explico concluſionem, ex meritis Christi præuiſis, etiam ſeclusa paſſione, non fuit data Angelis, nec gratia, nec gloria; probatur.

Primo, nam ſi Angelis data eſſet gratia propter Christum, ergò, quamuis non peccaſſet homo, immò licèt non eſſet creatus, veniſſet Christus; atqui hoc eſt contra veritatem Scripturæ, & Sanctorum, qui dicunt Christum propter hominem in mundum uenisse, ſic dicitur Lucæ 2. *Natus eſt vobis hodie Saluator*, perpende verò, quod illud, *Vobis*, Angelus loquebatur, & potius debuiſſet dicere, *Natus eſt nobis*, ſi gratiam à Christo recepiſſent, & ad Corinth. Epi. 1. cap. 1. dicit Paulus, *Qui factus eſt nobis à Deo, ſapientia, iuſtificatio, ſanctificatio, & Redemptio*, nihil de Angelis Paulus, qui tamen, & numero, & dignitate hominibus præſtant. Luc. 2. 1. Cor. 1.

Secundò, ſi Angelis data eſt gratia propter Christi meritum, ergò data eſt etiam illis gloria ob meritum eiuſdem Christi; ſed hoc eſt falſum, quoniam non habuiſſent illam, antequam Christus moreretur, quod eſt Hæreticum. *Angeli enim* (dixit Christus) *eorum, ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, & cùm præcium gloriæ non ſit ſolutum, niſi per Christi mortem, quomodo ianua cœli, ante eam illis patefacta fuiſſet? cùm, & aliquæ animæ ſanctiores multis Angelis, quantum ad gratiam, detinerentur in Limbo, expectantes huiuſmodi precij ſolutionem per Christum.

Quarta Concluſio, Christus propriè non dicitur mortuus pro Angelis, nec eorum Redemptor. D. Hieron.

Quarta propoſitio, Christus non eſt mortuus pro Angelis, nec Angelorum Redemptor, vel Saluator propriè dici debet. Cõtrarium, fuit error Origenis Homil. 1. in Ioannem, & Homil. 1. in Leuiticum, & Homil. 24. in Numeros dicentis, Christum non ſolùm eſſe paſſum pro hominibus, ſed etiam pro Angelis, immò, et pro Syderibus, quod idem repetit in lib. 1. Commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios, explicans illam ſententiam. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius*.

D. Hieronymus tomo 6. exponens ea verba ad Epheſios 2. *Qui facit vtraque unum*, ait. *Et hanc totam intelligentiam, ad Angelos, virtuteſque cœleſtes, & ad animas tẽperabit humanas, quod Christus in ſuo ſanguine, terrena, & cæleſtia copularit, quæ inter ſe antea diſſidebant, & bonus Paſtor morbidam, ad montes reuectans ouem, fecerit eſſe cùm cæteris, drachmamque, quæ perierat, drachmis, quæ ſaluæ fuerant, copulauerit, & mandata legalia ad illa retraxerit dogmata, ad quorum typum, & imaginem, Moyſes, quæ eſſent in tabernaculo fabricanda, conſpexit, atque ità fieri, vt Crux Domini non ſolùm terræ, ſed, & cælo profuerit; non ſolùm hominibus, ſed, & Angelis, & omnis creatura Domini ſui cruore purgata ſit*. Idem uidetur repetere in cap. 4. in illis verbis, *Ex quo totum corpus compactum &c.* inquit, *totas rationabiles creaturas, ſub vnius rationabilis animalis intelligamus exemplo, & quodcumque de huius membris dixerimus, & partibus hoc ſciamus eſſe referendum ad vnamquamque rationabilem creaturam, &* infrà, *Verbi gratia, Vt Angelus refuga, id eſſe incipiat, quod creatus eſt, & homo, qui de Paradiſo fuerat eiectus, ad culturam iterum Paradiſi reſtituatur. Iſta autem vniuerſa ſic fient, vt inuicem inter ſe Charitate iungantur.* Hæc Hieronymus, qui Origenem uidetur ſecutus, qua de cauſſa à Ruffino reprehenſus eſt.

Defenditur D. Hieron. quod non ſequatur errorem Orig.

Verum Hieronymus ea ſcripſit potius referendo Origenis ſententiam, vt ipſe indicat in calce Proemij eiuſdem Epiſtolę, & in Apologia contra Ruffinum, generaliter ſe excuſando, nõ obſcurè declarat. Quid? quod in tomo 2. Epiſt. 59. ad Auitum, inter Origenis errores, illum enumerat, Aliquando malos Angelos ſaluandos eſſe, & verſus finem ſcribens ex illius ſententia dicit. *Quod quidem etiamſi vſq; ad Paſſionem Domini Saluatoris inquirere voluerimus, quamquam audax, & temerarium ſit, in cælo, eius quærere paſſionem, tamen ſi ſpiritualia nequitia in cæleſtibus ſunt; & non erubeſcimus Crucem Domini confiteri propter deſtructionem eorum, quæ ſua paſſione deſtruxit, cur timeamus etiam in ſupernis locis, in conſummatione ſæculorum, aliquid ſimile ſuſpicari, vt omnium locorum gentes, illius paſſione ſaluentur*, Hæc ille.

D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Gregor. D. Bernard.

Sed propoſitio noſtra præfacta, probatur vera ex doctrina D. Auguſtini in Enchyrid. cap. 61. 62. & ſequentibus, & Ambroſij, Lucæ 15. & ſermone 19. in Pſalmum. 118. & Gregorij Homil. 34. in Euangelia, & 28. Moral. cap. 6. & 7. & Bernardi, ſermone in quartam feriam hæbdomadæ Sanctæ, cuius verba paulo poſt citabimus, & Theophilacti, & Bedæ in dictum locum Lucæ. Hi omnes, & plerique alij, quos vltrò omitto, communi conſenſu dicunt, Chriſtum, neque paſſum, neque mortuum pro Angelis, ſiue bonis, ſiue malis, illorumque neque redemptorem, neque Saluatorem fuiſſe. Audi quæſo ſententiam Ambroſij loco citato ſuper Pſalmos. *Habemus aliquid, quod fortaſſe Angeli non habeant. Vbi enim abundauit peccatum, ſuper abundauit, & gratia, nobis eſt natus Chriſtus ex Virgine: legimus enim, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, nobis carnem ſuſcepit, immò potius nos in illa carne ſuſcepit, quando filium hominis in Dei ſede conſtituit. Non lego Angelos in Dei ſede, niſi ſtantes, niſi miniſterium deferentes. Non lego Angelos, ſed homines conſepultos Chriſto; & in Chriſto reſuſcitatos, Denique ait Apoſtolus, quia conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluificati, & ſimul ſuſcitauit, ſimulque ſedere fecit in cæleſtibus cum Chriſto Ieſu.* Hactenus Ambroſius.

Theophilactus. Bæda.

Conc Epheſinum Magnū.

Probatur quoque poſſet propoſitio ex definitione Concilij Epheſini magni, ſub Cæleſtino Primo, & Theodoſio Iuniore Imperatore, in quo conuenerunt Epiſcopi 200. vbi in Can. 10. definitur, Chriſtum pro ſolis hominibus ſe in ſacrificium obtuliſſe, non pro ſe ipſo, qui peccatum omnino neſciuit.

Symbolum Nicenum.

Item ex Symbolo Niceno, ubi dicitur, quod, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis.* Chriſti enim mortem, aſſumptam, & ordinatam eſſe pro ſolis hominibus, clara fides eſt.

Suarez in aliquibus videtur ſibi contradicere in hac materia.

Ex His ſequitur, non valdè ſibi conſentaneè dicere Suarez ſuper 3. par. tom. 1. quæſt. 19. art. 4. diſput. 41. ſect. 1. dum ait, Chriſtum meruiſse Angelis omnia dona gratiæ, electionem ſcilicet, prædeſtinationem, uocationem, auxilia omnia excitantia, adiuuantia, ſufficientia, & efficacia, ac deníque omne meritum, & augmentum gratiæ, & gloriæ, exceptis ijs, quæ ad remedium peccati pertinent, & deinde concedit, Angelos habuiſſe à Chriſto gratiam preſeruationis. Nam rogo: Hęc gratia non nè eſt remedium pręſeruatiuum peccati? Neque enim Angeli, per uires naturæ, ſed per Dei gratiam, defenſi ſunt, ne laberentur in peccatum, in quod ſine illa, abſque dubio lapſi fuiſſent, ſicut cæteri; Initium enim Iuſtificationis in Angelis à Deo eſſe, ponendum eſt, ſicut, & in hominibus; An fortè intelligit de remedio peccati pręteriti? At nullum tale in Angelis reperiri, omnis ſchola Theologorum docet. Sed, & præſeruatiua, peccati futuri remedia eſſe nullus negabit: Modus igitur ille loquendi, temperandus erat. Præterea in tomo 2. quæſt. 27. art. 3. diſput. 3. ſect. 5. volens probare, Beatam Virginem redemptam eſſe à Chriſto, ex eo probat, quod Dyoniſius cap. 8. de diuinis hominibus circà finem, & Auguſtinus circà illud Pſalmi. 85. *Eruiſti animam meam ex Inferno inferiori*, duplicē modum redimendi conſtituunt. Vnum erigendo lapſum, alterum præueniendo lapſum, ne cadat; Et hic modus poſterior, inquit Suarez, eſt maioris gratiæ, & beneuolentiæ, & cæteris paribus, maioris efficaciæ, & poteſtatis, ſecundum quem optimè aſſerit, Beatam Virginem redemptam eſſe. In primo autem tomo, loco citato, dicit ex eodem loco Dionyſij, in quo etiam Angelos comprehendit, non concludi, illos eſſe propriè redempros, cùm Dionyſius omnem liberationem à peccato, redemptionem vocauerit. Verba Dionyſij ſunt hæc. *Quod non ſinit, quæ verè ſunt, ad id cadere, vt non ſint.* Et in hoc benè dicit; ſed quomodo ex hoc medio concludit, propriè Virginem redemptam eſſe à Chriſto? At hæc obiter dicta ſint.

Dioniſ. Auguſt.

Redarguitur Riccardus.

Riccardvs in 3. ſenten. diſtin. 13. art. 2. audacter etiam in ſua opinione concedit, quod renaſci in Chriſto, & Spiritu ſancto non ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis, fuerit neceſſarium. Quæ omnia profectò, neque ex Scripturis, neque ex ſanctis Patribus, ut ipſemet Suarez fatetur, efficaciter concluduntur.

Quinta Concluſio Chriſtus magis eſt

Qvinta propoſitio, Chriſtus, licèt vniuocè ſit Caput hominum, & Angelorum, magis tamen dicitur Caput hominum, quàm Angelorum. Hæc concluſio eſt

ſio eſt Diui Thomæ tertia partæ, loco citato, & probatur.

caput hominum, quàm Angelorum. D.Thomas. ad Hæbr. 2.

Primo; quia ratione humanitatis, eſt conformior hominibus, quàm Angelis: Vnde Homines, Chriſti fratres appellantur ad Hæbræos 2., quos redemit ſanguine ſuo, & illis prædicauit, cœleſtemque Doctrinam per ſe ipſum euangelizauit.

Secundo, quia plura influxit, & cauſauit in homines, quàm in Angelos, illis enim gratiam, & gloriam promeruit, ut ex dictis patet, ex quibus ſequitur maximum beneficium Remiſſionis, & Iubilæi in Cruce exhibiti, Angelis non fuiſſe communicatum.

Nunc ad argumenta principio quæſtionis facta, reſpondeamus.

Solutio argumentorũ propoſitorum in principio quęſtionis.

Ad Primvm; ad locum Pauli ad Epheſios, dicimus cum Gloſſa ibidem, quòd reſtaurauit ruinas Angelorum, illas implendo ſanctis hominibus, Chriſti ſanguine redemptis, & cum Angeli, & homines propter peccatum diuiſi eſſent, Deum voluiſſe, illos coniungere in Chriſto, & per Chriſtum, ut in Capite.

Explicantur loca Scripturæ. D.Auguſt.

D.Auguſtinus in Enchyridion, cap.62. perbellè hanc inſtaurationem explicat his verbis. *Vtique homerunt Sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis, æterna contemplatione, beati ſunt, quanti ſunt, quanti numeri, ſupplementum de genere humano, integritas illius Ciuitatis expectet. Propter quod ait Apoſtolus, inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in Cœlis ſunt, & quæ in terris; in ipſo quippè inſtaurantur, quæ in Cœlis ſunt, cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur; Inſtaurantur autem, quæ* in terris *ſunt, cum ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt ad Vitam æternam, à corruptionis vetuſtate renouantur, ac ſic per illud ſingulare ſacrificium, in quo mediator eſt immolatus, quod vnum, multa Victima in lege figurabant; pacificantur cœleſtia cum terreſtribus, & terreſtria cum cœleſtibus*, & alia multa in hanc ſententiam. in cap.63.

Ad alium locum ex Epiſtola ad Coloſſ. reſpondemus, admittendo Chriſtum eſſe caput etiam Angelorum, non tamen inde ſequitur, quòd illis influat gratiam, licèt perfectius, & principalius ſit Caput hominum.

Quid ſit Chriſtum pacificare quę in Cœlis, & quæ in terris ex D. Paulo. D.Auguſtin.

Ad alium locum ex eadem Epiſtola, dico cum Auguſtino loco citato, in Enchyridio, quòd illud pacificare; eſt homines, mediante Chriſto, cum Angelis coniungere, à quibus propter peccatum, longo interuallo diſtabant. Verba Auguſtini ſunt hæc.

In ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in cœlis ſunt, ſiue quæ in terris. Pax iſta præcellit, ſicut ſcriptum eſt, omnem intellectum neque ſciri à nobis, niſi cùm ad eam venerimus, poteſt; Quomodo enim pacificantur cœleſtia niſi in nobis, ideſt concordando nobiſcum? Nam ibi ſemper eſt pax, & inter ſe vniuerſis intellectualibus creaturis, & cum ſuo creatore, quæ pax præcellit, ut dictum eſt, omnem intellectum, ſed utique noſtrum, non eorum, qui ſemper vident faciem Patris. Nos autem, quantuſcumque ſit nobis intellectus humanus, ex parte ſcimus, & videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, cùm verò æquales Angelis Dei fuerimus, tunc quemadmodum, & ipſi videbimus facie ad faciem, tantamque pacem videbimus erga eos, quantam, & ipſi erga nos, quia tantum eos dilecturi ſumus, quantum ab eis diligimur. Itaq; pax eorum nota nobis erit, quia, & noſtra talis, & tanta erit; nec præcellet tunc intellectum noſtrum; Dei verò pax, quæ illic eſt erga eos, & noſtrum, & illorum intellectum ſine dubitatione præcellet. De ipſo quippe beata eſt rationalis creatura, quæcunque beata ſit, non ipſe de illa. Hæc Auguſtinus.

Locus Apocalipſis 12. exponitur.

Ad locum Apocalipſis eſt dicendum, illa verba. *Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni*, referenda eſſe ad ſanctos homines; non autem ad Angelos, cum proximè ſubſequantur ad illa verba. *Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos, ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte*. Quod etiam ſubſequentia verba, immediatè perſuadent, dum dicit Textus; *Et non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*. Quam ſententiam tuetur etiam Ribera ibidem, ideſt Apocalipſis 12. contra Haymonem, Aretam, & Anſbertum, quos refert, qui etiam ad Angelos verba illa extendunt, cum tamen, ut Ribera innuit, noſtri fratres non ſatis propriè appellari poſſint.

Ribera. Aymo. Aretas. Anſbertus.

Ad

Explicantur ſententię Sanctorum Patrum.

Ad Secvndvm, ex auctoritate Sanctorum, & primò ad Cyrillum reſpondemus, verba hæc Cyrilli intelligenda eſſe de Dei Verbo, ſecundum diuinitatem, inquit enim, per Dei Verbum, ſeu ſermonem; omnem fructificationem ſpiritualem, tam in Sanctis Angelis, quam in hominibus ſitam eſſe.

Similiter reſpondemus ad loca Gregorij, nam in cap. 2. primi Regum, apertè loquitur de diuinitate Vnigeniti Dei filij. In Homil. verò ſuper Ezechielem, verba illius, de Chriſto, ſecundum diuerſas naturas, accipienda ſunt.

Bernardum verò credidiſſe, Angelos ſanguine Chriſti rèdemptos fuiſſe, perſpicuum eſt; quamuis in alio loco, videlicet, ſermone in Feria 4. hæbdomadę ſanctę, poſt medium, tomo 1. contrarium dicat, ut ſupra indicauimus, videlicet, Chriſti paſſionem hominibus tantùm, non Angelis bonis, vel malis datam fuiſſe; eius uerba ſunt hæc: *Patet igitur, quia hæc paſſio potentiſſima eſt ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis ſcit, ſi data eſt mihi? mihi data eſt, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? ſed ille non eguit. Numquid Diabolo? ſed ille non reſurgit. Denique non in ſimilitudinem Angelorum (abſit autem in ſimilitudinem Dæmonum) ſed in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens:* ſic eo in loco Bernardus.

Medina.

Ad Rationes; ad primam, cum Medina 3. par. quæſt. 8. art. 4. quæſt. 2. ad quartum, negatur antecedens. Licèt enim concedamus, Angelos in uia habuiſſe fidē circa aliqua myſteria tunc eis reuelata, negamus tamen, tūc eos credidiſſe in Chriſtum; quia myſterium Incarnationis ignorabant, quamuis cum primùm beati eſfecti fuerint, reuelationem Incarnationis Chriſti, non quoad omnia, ſed ſecundum aliqua receperint. Aliam reſponſionem affert Medina, concedendo habuiſſe tunc, cùm eſſent viatores, fidem in Chriſtum; negat tamen conſequens, quòd per eam fidem communicatum fuerit illis meritum Chriſti, per quod Iuſtitiam & gratiam conſequerentur; quemadmodum, & Adam in ſtatu innocentię habuiſſe fidem Chriſti venturi; certum eſt, ut nos in opere noſtro de Fuga, fusè probauimus; At in eo ſtatu, habuiſſe gratiam ex meritis Chriſti, diſputatione non caret apud Theologos.

Ad Secvndam negatur conſequentia; Nam Adę reuelatum fuit myſterium Incarnationis, dum eſſet Viator; immò in illo ſopore, quando ex coſta fuit formata Eua, vt alibi à nobis dictum fuit. Angeli verò non cognouerunt myſterium Incarnationis, niſi cum primùm beati fuerunt.

Ad Tertiam dicimus, nō eſſe neceſſarium de his omnibus habuiſſe Angelos ſcientiam veſpertinam, de quibus nunc habent ſcientiam matutinam, loquendo de matutina ſupernaturali, quæ eſt cognitio beatifica: Vel melius dicamus, quòd

Cognitio matutina, & Veſpertina ex Auguſ. Greg. de Valentia.

cognitio tam matutina, quam veſpertina apud Auguſtinum duplex eſt, ut optimè adnotauit Gregorius de Valentia tomo primo Commentariorum Theologicorum, diſput. 3. quæſt. 9. puncto 5. Altera matutina, & veſpertina naturalis, ſecundum quas cognoſcitur, uel eſſe primordiale rerum, quod eſt ipſum eſſe diuinum, & ſic dicitur matutina naturalis, vel cognoſcuntur res creatæ ſecundum eſſe rerum in ſe ipſis, & dicitur veſpertina naturalis; & de hac Angelica cognitione loquendo, clarum eſt, myſterium Incarnations, neque ſub matutina, neque ſub veſpertina cognitione comprehendi. Altera eſt cognitio matutina ſupernaturalis, & beatifica, qua Angelus cognoſcit clarè, & diſtinctè diuinam eſſentiam, de

D. Auguſt. D. Thomas.

qua Auguſtinus loquitur lib. 4. ſuper Geneſim ad litteram cap. 22. 23. 24. & 29. & lib. 11. de Ciuit. cap. 13. & D. Thomas 1. par. quęſt. 58. art. 6. & 7. Veſpertina verò ſupernaturalis eſt ipſamet cognitio beatifica, vt per illam cognoſcit Angelus res ſecundum ſe ipſas, in Verbo tamen, & in diuina eſſentia, quæ vice ſpeciei intelligibilis, res etiam creatas repręſentat, & ſic intelligendo argumentum, concedi poteſt, in vtraque cognitione, quę ratione tantùm differunt, myſterium Incarnationis bonis Angelis cognitum fuiſſe. Sed hanc cognitionem non habuiſſe Angelum, dum eſſet Viator, in quo ſtatu nos loquimur, ſicut nec etiam, malos Angelos vnquam illam habiſſe, cum numquam beati fuerint; affirmandum eſt.

Reſponderi

Reſponderi item poteſt, hanc ſcientiam matutinam, & veſpertinam ex interpretatione D. Auguſtini ſuper Geneſim ortam eſſe; quæ interpretatio non certa, ſed probabilis eſt.

AD VLTIMAM, reſpondetur, quòd opinio illa de peccato ſuperbię Angelorum, quòd Verbo hypoſtaticè incarnando inuiderunt, expetientes ipſi hanc unionis cùm Verbo dignitatem, non eſt firma, & conſtans apud Doctores, quamuis probabilitate non careat, & illam aſſerit Catharinus in ſuo libello de gloria bonorũ Angelorum, & lapſu malorum; Et ſimile quid Viguerius in ſuis inſtitutionibus ca. 3. verſ. 15. affirmauit dicens, Luciferum aſsentientibus alijs Angelis malis expetijſse locum, beatitudinem, & officium Chriſti Domini, cum cognouiſsent, illum fore Mediatorem Dei, & hominum. Sed hæc piè, non ſcientificè proferuntur. Vnde negatur antecedens, dicimus enim cum Guglielmo Pariſienſi in lib. 2. de Vniuerſo par. 1. cap. 109. & 110. cùm D. Auguſtino ſuper Pſal. 70. In Verſiculum illũ. *Deus quis ſimilis tibi*, enarratione ſecunda, & lib. 11. de Ciui. Dei cap. 13., D. Gregorio libro 34. Moralium cap. 13., Anſelmo in libro de caſu Diaboli cap. 4., Alexandro de Ales in ſumm. part. 2. quæſt. 109. memb. 2., D. Bonauen. in 2. diſtin. 5. art. 1. quæſt. 2. & Alijs, quos citat Gregorius de Valentia, tomo 1. diſpu. 3. quæſt. 14. puncto 3. fuiſse peccatum illud ſuperbiæ, quoniam elati contemplatione perfectionis ſuæ, noluerunt Deo ſubijci, & ab illo, tanquam à ſuperiori ſuo regulari; Quod etiam innuit D. Thomas lib. 3. contra Gentes, cap. 109. Quod intelligendum eſt, non de independentia à Deo quantum ad naturam, hoc enim erat impoſſibile, cum eſsent illius creaturæ, & tales ſe cognoſcerent; ſed de exemptione à ſubiectione, & Imperio Dei, quoad actualia miniſteria, in quibus à Deo occupandi erant. Hoc appetitu ſuperbiæ, & excellentiæ peccarunt. Sed de hac re non eſt hic proprius locus diſputandi. Atque hæc de hac quæſtione, quę mota, & reſoluta fuit, digreſſionis ergo, in gratiam doctrinæ.

Catharinus
Viguerius.
Guglielm. Pariſ.
D. Auguſt.
D. Grego.
Anſel.
Alenſis.
Greg. de Valentia.
D. Thomas.

CAPVT SEXTVM.

De Neceſsitate Iubilæi præſtiti in die Sacra, & Chriſtiana Pentecoſtes.

A IVDAICA Pentecoſte, vt vmbra, & figura, noſtram Chriſtianam delineatam, tradunt Patres, qui de ea ſermonem faciunt. Ità Gregorius Nazianzenus in oratione Sacræ Pentecoſtes, & Chryſoſtomus ſerm. 2. de Pente. & Homilia 4. in Acta, Leo, Ambroſius, Bæda, Bernardus, & alij.

Iſidorus lib. 6. Originum non ſolum Pentecoſten, ſed etiam annum Iubilæum in teſtamento ueteri Chriſtianæ Pentecoſtis figuram geſſiſſe, & lib. 5. in cap. de Olimpiadibus, & luſtris, & Iubilæis ſcribit, Chriſtianos, numerum ſeptenarium, etiam in diebus Pentecoſtes, celebrare poſt Domini Reſurrectionem, remiſſa culpa, & totius debiti chyrographo euacuato, ab omni nexu liberos, ſuſcipientes aduenientem in ſe gratiam Spiritus ſancti. Huius autem feſtiuitatis initium altiùs repetit in lib. 1. de officijs Eccleſiaſticis cap. de Pentecoſte in illis verbis. *Initium ſanè, & cauſa feſtiuitatis Pentecoſtes, paulo latius petenda eſt. Pentecoſtes enim dies hinc cepit exordium, quando Dei vox in Sina Monte deſuper intonantis audita eſt, & lex data Moyſi. In nouo autem Teſtamento Pentecoſtes cæpit, quando aduentum Spiritus ſancti, quem Chriſtus promiſit, exhibuit, quem ait, non eſſe venturum, niſi ipſe aſcenderet in cælum; denique dum portam Cæli Chriſtus intraſſet, decem diebus interpoſitis, intremuit ſubitò orantibus Apoſtolis, locus, & deſcendente Spiritu ſancto ſuper eos, inflammati ſunt, ita ut linguis omnium gentium, Dei magnalia loquerentur. Aduentus itaque Sancti ſpiritus de Cælo ſupra Apoſtolos, in varietate diffuſus linguarum, ſolennitatem tranſmi-*

Pentecoſtes Iudæorum figura, & umbra Pentecoſtes Chriſtianorum.
Nazian.
Chryſoſt.
Leo.
Ambr.
Beda.
Bernar.
Annus Iubilæi Hæbreorum figura Pentecoſtes Chriſtianorũ ex Iſidoro.

tranſmiſit in poſteros, eaq; de cauſa Pentecoſtes celebratur, & dies ipſe proinde inſignis habetur. Concordat autem hæc feſtiuitas Euangelij cum feſtiuitate legis. Illic enim poſteaquam agnus immolatus eſt, interpoſitis quinquaginta diebus, data eſt Lex Moyſi ſcripta digito Dei. Hic poſtquam occiſus eſt Chriſtus, qui ſicut ouis ad immolandum ductus eſt, celebratur verum Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus, datur Spiritus ſanctus, qui eſt digitus Dei, C.XX. diſcipulis, Moſaicæ ætatis numero conſtitutis; ſiquidẽ, & hæc feſtiuitas aliud continet Sacramentum. Conſtat enim ex ſeptimana ſeptimanarum; ſed dierum quidem ſeptimana generans eamdem Pentecoſten, in qua fit peccati remiſſio per Spiritum ſanctum. Annorum verò ſeptimana Quinquageſimum annum faciunt, qui apud Hebræos Iubilæus dicitur, in quo ſimiliter terræ fit remiſſio, & ſeruorum libertas, & poſſeſſionum reſtitutio, quæ precio erant comparatæ. Hæc Iſidorus.

D. Cyprian.

Cyprianus lib. de Sancto ſpiritu, de Pentecoſte ſic ſcribit, *Quinquageſimus itaque annus perficit Iubilæum, quinquageſimus dies à Paſcha Pentecoſten facit, in quo verè Spiritu ſancto infuſo Apoſtolis ad hæreditatem cæleſtem, à qua ueniundati ſub peccato exulabant, quos Diabolo Domino mendicitas, & egeſtas ſubiecerat, reuertuntur.* Hactenus Cyprianus.

Verum, vt preſſius neceſſitatem gratiæ Spiritus ſancti ea die communicatæ, tractemus, ſigillatim videndum eſt, quid gratiæ, ea die conſecuta fuerit Beata Virgo; Quid item Apoſtoli, quid denique in nobis illa gratia in dies operetur: Quorum Primum in hoc, & in ſequenti ſeptimo capite abſoluemus; reliqua in octauo.

B. Virgo interfuit cum Apoſtolis in receptione Spiritus Sancti die Pentecoſtes.
Acto. 1. & 2.
Chryſoſt.
Lyranus.
Caniſius.
Suarez.

Et quoad Primum, Beatam Virginem eo in loco præſentem fuiſſe, in quo Apoſtoli Spiritum ſanctum viſibiliter receperunt, magna cum probabilitate colligitur ex Actorum cap. 1. verſ. 14. & Actorum 2. verſic. 1. & 4. & videtur affirmare D. Chryſoſtomus Homilia 3. & 4. in Actus Apoſtolorum, & Lyranus etiam videtur inſinuare in initio ferè 2. cap. in Acta. Expreſſè ex recentioribus id habet Caniſius lib. 1. de Maria Virgine ad finem cap. 9. & lib. 5. poſt initium cap. 1. & Franciſcus Suarez ſecundo tomo Comment. in 3. part. D. Thomæ diſput. 18. ſect. 3. verſus medium.

Quis fuerit locus, ubi Apoſtoli Spiritum ſanctum acceperũt die Pentecoſtes.
Acta. 12.
Acta Barnabæ.
Surius.

Is autem locus, ut obiter id attingam, in quo Spiritus Sanctus Apoſtolis datus eſt, creditur fuiſſe Domus illa, cuius meminit Lucas Actorum 12. & quam dicit fuiſſe *Mariæ matris Iohannis, qui cognominatus eſt Marcus*, ad quam Petrus è carcere liberatus acceſſit. Conſentiunt his Acta Barnabæ ſcripta ab Alexandro Monacho, vt refert Surius tomo 3. vbi de eadem Domo, hæc habentur ſcripta; *In illo cænaculo Dominus Paſcha fecit; In illo apparuit Thomæ Apoſtolo cum à mortuis ſurrexiſſet; Illuc poſtquam in cælum aſſumptus eſt, Diſcipuli cum reliquis Fratribus centum viginti, in quibus erat Barnabas, & Marcus, ex Monte oliuarum conuenerunt; Illuc Spiritus ſanctus in linguis igneis ad diſcipulos deſcendit in die Pentecoſtes; Illic collocata nunc eſt magna, & Sanctiſſima Syon omnium Eccleſiarum maxima.*

D. Hieron.
Cyrill. Hyeroſol.
Beda.
Baronius.

Hæc ille. Meminit eiuſdem Eccleſiæ in Syon poſitæ Sanctus Hieronymus Epiſtola 27. & Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus Cathec. 16. Quod, & Beda etiam narrat de locis ſanctis capit. 3. appellataque fuit Apoſtolorum Eccleſia, ut refert Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium Eccleſiaſticorum, anno Chriſti 34. circa medium. Beatam verò Virginem interfuiſſe in Cænaculo cum centum, & viginti diſcipulis, quando venit Spiritus Sanctus, commune, atque ab omnibus receptum eſt, idque ex Actorum 1. & 2. probari facillimè poteſt, ut dictum eſt.

B. Virgo abſque originali macula concepta.

Sed ad rem. Beatam Virginem in primo inſtanti ſuæ conceptionis, (nonnulla enim de eius gratijs, ante diẽ Pentecoſtes acceptis prænarrare, opportunum erit) gratiam iuſtificantem eo priuilegio, quo decebat eam, quæ Mater Dei futura erat, recepiſſe, communis eſt hodie ſententia Theologorum, & quamuis id ſub fidei determinationem hactenus non cadat, ut uidere eſt apud Concilium Tridentinum ſeſſ. 5., & apud decreta Sixti Quarti, & Pij Quinti; Vniuerſalis tamen ferè conſenſus Eccleſiæ, & feſtiuitas ſub hoc nomine Conceptionis, auctoritate Apo

Conc. Trid.
Sixtus IIII.
Pius V.

ſtolica

ſtolica inſtituta, atque Indulgentię à ſummis Pontificibus conceſſæ illis, qui eam celebrant, id vehementer perſuadent.

Probatur rationibus Sancti Thomæ.

QVAE ſententia ſi rationibus quoque confirmanda eſſet, non aliæ adducendæ eſſent, quàm illæ, quas D. Thomas ad probandum, Beatam Virginem caruiſſe omni peccato actuali, adducit 3. par. q. 27. art. 4. In quo articulo probat tribus rationibus, illam præſeruatam ab omni peccato actuali.

Prouerb. 17.

PRIMO, quia ignominia Parentis redundat in ignominiam Prolis, quemadmodum è contra, honor parentum in prolem emanat, iuxtà illud Prouerbiorum 17. *Gloria filiorum Patres eorum*; Atqui ſi in Beata Virgine fuiſſet aliquando peccatum, vtique Chriſto ignominia fuiſſet: utamur modò hoc argumento ad immaculatam Virginis Conceptionem demonſtrandam. Grauius peccatum eſt Originale, quàm Veniale, maior enim macula ponitur in anima per illud, quàm per iſtud; facit enim Originalis macula hominem inimicum Dei, filium iræ, Dæmonis mancipium, & gehennæ reum: ergò multò magis ignominia eſſet Chriſto, ſi Mater contraxiſſet Originalem culpam, quàm uenialem: & quamuis Originale peccatum non dicat actum perſonalem, ut ueniale; dicit tamen maculam propriam, & perſonalem, ut habet Concilium Tridentinum, ſeſſ. 5. & ipſemet Sanctus Thomas 3. part. q. 27. art. 1. ad tertium. Confirmatur hæc ratio, quoniam de potentia abſoluta, poterat Deus illam præſeruare, ut omnes etiam ipſi Thomiſtæ fatentur, ergò cum id decentiſſimum fuerit, utpotè in filij, & Matris honorem cedens; utique factum fuit iuxtà regulam Auguſtini lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. dicentis, *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc ſcias feciſſe Deum, tamquam bonorum omnium conditorem*, præſertim cùm inde nihil abſurdi ſequatur; ſed potius multum Dei Sapientia, & omnipotentia magnificetur.

Conc. Trid. D. Thomas. D. Auguſt.

SECVNDA ratio D. Thomæ eſt, ſi fuiſſet aliquando ſub peccato ueniali, nō eſſet maxima, & ſingularis affinitas Virginis cùm Chriſto, qui ab ea carnem accepit, ergò multò minus eſſet, ſi eſſet concepta in originali. Debuit enim Mater Dei, filio eſſe ſimillima. Vnde Auguſtinus in lib. de Aſſump. Virginis ca. 5. ea ratione cō cludit, carnē Virginis non uidiſſe corruptionem, quia nec illā Chriſti caro uidit.

D. Auguſt.

TERTIA ratio, Virgo Maria fuit plena gratia, & ſingulari modo Dei filius, non ſolùm in utero, ſed etiam in eius anima habitauit. Atqui ſi fuiſſet per momentum unum ſub peccato originali, quomodo fuiſſet plena gratia? quomodo uerum eſſet illud Sapientiæ primo, *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis?* quomodo in Virgine impleretur, quod dicitur Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te?* quomodo exaggeraret Paulus 2. Corinth. 6. *quæ conuentio lucis ad tenebras?* Quæ omnia loca ab eodem D. Thoma adducuntur ibidem.

Sapien. 1. Cantic. 4. 2. Cor. 6.

ERASMVS in annotationibus ſuper cap. 2. Lucæ, vitio uertit, quòd ſancti Patres, & præſertim D. Bernardus, Homilia 3. ſuper Miſſus eſt, plurima de hac plenitudine gratiæ Mariæ, quaſi extra rem philoſopheutur. Dicit enim in grę co Κεχαριτωμένη, ideſt gratioſa, ſeu gratificata haberi.

Audacia, & inſipientia Eraſmi hæretici. D. Bernard.

CAETERVM D. Ambroſius, qui linguam græcam optimè callebat, exiſtimat rectè dici Mariam plenam gratiæ, quòd omnibus fœcunda ſit gratijs. Theophilactus Doctor græcus utramque lectionem habet, dicens; *Hoc enim eſt, gratioſam eſſe, uel plenam gratia, quòd gratiam inuenerit apud Deum in utero, concipiendo filium Dei.* Taceat ergo Eraſmus.

D. Ambro. Theophylactus.

ACCEDAT huc, quoniam, nullum gratiæ beneficium alicui puræ creaturæ collatum, eſt denegandum Virgini: Atqui non ſolùm Angeli, ſed etiam Adam, & Eua in gratia fuerunt creati. Receperunt enim à Deo gratiam cùm natura, ergò & Beata Virgo. Quid? quod, ut optimè ratiocinatur Cordubenſis libro 1. quæſt. Theologicarum q. 49. potius eſt eligibile carere originali peccato, quàm eſſe Matrem Dei, cum illud deteſtandam culpam includat. Igitur ueriſimile eſt, Deum conferendo Virgini hanc dignitatem Matris, maius illud malum, tanquam indecens, ab illa prohibuiſſe.

Cordubenſ.

Caietan. Catharin. Suarez.

Vervm hæc obiter dicta ſint, neque enim eſt nobis animus, huiuſmodi controuerſiam, hoc in loco, in utramque partem diſputare. Qui pleniſſimam huius rei tractationem uoluerint cognoſcere, habent Caietanum in Opuſculis tomo 2. tract. 1. & contra illum Catharinum in Opuſculo proprio de hac re: & Suarez tomo 2. ſuper 3. par. q. 27. art. 1. & 2. diſput. 3. per totum, ubi latiſſimè, & rationes, & Patrum auctoritates, quibus hæc noſtra ſententia fulcitur, accumulat.

B Virgo à Chriſto redẽpta modo eminẽtiſſimo. Duplex redimendi modus. Pſal. 143. Luc. 1.

Illvd nobis interim certum ſit, Chriſtum perfectiſſimo, & eminentiſſimo modo, Redemptorem fuiſſe Beatiſſimę Virginis, ob cuius merita, hæc omnem gratiam, & omnem gloriam conſecuta eſt. Cùm enim duplex ſit redimendi modus, vnus, quo erigitur lapſus, alter, quo præuenitur quis, nè labatur, vel incidat in foueam, iuxtà illud Pſalmi 143. *Redemiſti ſeruum tuum de gladio maligno*, ideſt, nè interficeretur, cuſtodiſti; hoc poſteriori modo, tamquam nobiliori, & efficaciori erga Beatam Virginem, Chriſtum, ob maiorem ſui gloriam, & honorem, vſum eſſe aſſerimus. Fuit enim Beata Virgo primogenita Redemptoris, quem ob ſingularem modum, quo ab eo redempta fuit, uocat ipſa Virgo *Salutare ſuum* Lucę 1. Eatenus autem cenſendus eſt Chriſtus Redemptor Virginis, vt cùm D. Bernardino Senenſi, ſermone 51. cap. 3. dicendum ſit, Chriſtum Iesvm potiùs veniſſe in carne mortali pro Beata Virgine redimenda quàm pro omnibus hominibus, etiam collectiuè ſumptis.

D. Bernard. Senen. ait, Chriſtum potius ꝓ B. Virginis redemptione, quam aliorum ueniſſe. In quo inſtanti B. Virgo fuerit ſanctificata. Henricus.

Secvndo, illud quoque nobis certum eſt, in primo momento conceptionis, Virginem, dono præſeruationis ab originali peccato, ſanctificatam fuiſſe: quamuis etiam in propria perſona, ratione ſeminalis generationis, ex primo parente, originali peccato obnoxia fuerit, ut optimè Caietanus, & Suarez declarant. Qui enim dicunt, vt Henricus Quodlibeto 15. q. 13. in eodem inſtanti contraxiſſe Originale peccatum, & in eodem ſanctificatam, & mundatam ab eo fuiſſe, pugnantia dicunt. Si enim in primo inſtanti fuit in gratia; quomodo in eodem inſtanti gratia caruit? Sed hæc, ut dixi, omittamus, & videamus quantam gratiam Beata Virgo ex hac primæua ſanctificatione conſecuta fuerit, vt deinde faciliùs cognoſcamus, quantam in die Pentecoſtes adepta ſit.

In prima ſanctificatione gratiam conſumatam B. Virgo non accepit, licèt maiorem quam ullus hominum tũc gratiã habuerit. Luc. 1. D. Thomas.

Beatam Virginem in prima ſua ſanctificatione, gratiam conſummatam, non habuiſſe, cum adhuc in ſtatu viatoris eſſet, & per fidem ambularet, iuxtà illud Lucæ 1. *Beata quæ credidiſti*, certum eſt apud Theologos; Nihilominus tunc habuiſſe gratiam magis intenſam, & ampliorem, quàm ullus hominum, vel Angelorum in ſua priori ſanctificatione receperit, apertè ſcribit D. Thomas 3. part. q. 27. art. 6. ad primum. Quocircà, & Ieremiam, & Ioannem Baptiſtam, & Paruulos Innocentes in primæ ſanctificationis gratia, anteceſſit, cuius rei euidens ſignum eſt, quod Deiparæ per illam præſtitum fuit, ut de cæterò, nec mortaliter, nec venialiter peccaret. Cæteris autem non niſi mortaliter. Verùm cum Beata Virgo originario fonti, & principio gratiæ immediatè proxima, & propinquiſſima eſſet, cum ex ea Chriſtus humanam naturam acceperit, quis dubitare poterit, eam præ cæteris, non ſolum uiatoribus; ſed etiam Beatis Angelis, vel hominibus, maiorem à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinuiſſe? Caietanus in art. 5. q. 27. in 3. part. id denegat. Medina verò vir pijſſimus, & doctiſſimus, non ſine bona ratione id aſſerit, & confirmat: Dignitas enim Materna maiorem communicationem gratiæ deſiderat, quàm quilibet alius gradus perfectionis cuiuſcumque creaturæ. Eſto equidem, quòd gratia comprehenſoris in quantum conſummata eſt, atque in termino, perficiens beatum diuina fruitione, ſit ſuperior omni gratia cuiuſcumque creaturæ viatricis, quatenus in via eſt, & non in termino; Id tamen, quod aſſerimus, eſt, quòd Deipara adhuc viatrix, magis diligebatur à Deo, quàm quilibet Angelus beatus; & plures gradus gratiæ, adhuc in utero Matris exiſtens obtinebat, quàm quilibet beatus; Ità quòd ſi illa in utero Matris obijſſet mortem, plures gradus gloriæ tunc obtinuiſſet, quam Seraphin, vel alius ſupremus Angelus habeat. *Hæc eſt enim*, vt, inquit, D. Gregorius lib. 1. Regum, cap. 1. *Mons Domini præparatus in vertice montium. Quod non eſſet*; (ut eius verbis

Caietan. Medina. Magna B. Virginis ſupra omnes beatos excellentia. D. Gregor.

utar)

utar,) *ſi ſupra Angelorum altitudinem, hanc diuina fecunditas non leuaret. Altitudo enim Mariæ ſuper omnes Angelos refulſit.* Vnde Petrus Damianus in ſermone de Annunciatione, aurea illa verba protulit; *Attende Seraphin, & uidebis, quidquid maius eſt, minus Virgine, ſolumq́; Opificem, opus iſtud ſupergredi.*

Petrus Damian.

IGITVR in hac prima Sanctificatione, Deiparam recepiſſe omnia dona Spiritus ſancti, virtutesq́ue infuſas, atque etiam illas, quas Morales Virtutes per accidens infuſas vocant, atque etiam gratias gratis datas, ità tamen, quòd in dies incremẽtum recipere poſſent (recepit enim gratiam Viatoris de cuius ratione eſt, quod poſſit augeri) clariſſimum eſt apud Patres, & Doctôres. Athanaſius in ſermone de Sanctiſſima Deipara, loquens de Virgine, applicat ei illud Pſalmi 45. *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Et obumbrauit*, inquit, *virtus altiſſimi, coroborans eam, & diuina vmbra immaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre poſſet, Deum forma expertem in ſe concipi.* Notandum eſt hic, quod dicit Athanaſius, quòd *tanta erat Virtus, & gratia Spiritus ſancti collata Virgini, & ſecundum animam, & ſecundum corpus, ut ex potentijs perfectè ordinatis, ſanctiſſimisq́; operibus à maximè intenſis habitibus virtutum manantibus, quaſi ex quibuſdam lineamentis, & vmbris colligebatur, quoad fieri poterat, Deum in illa habitare.* Et inferius. *Decet enim te Matrem, Regeneratricem, Dominam, ac Heram cognominari, eò quod ex te prodijt Rex Dominus, ac Deus noſter, aſsiſtentem illi; nobis quidem terribili; tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti. Qua de cauſa factum eſt, vt gratia plena appellata ſis, vtpotè quæ omni gratia abundares, idq́; per influxum in te Spiritus ſancti.* Hæc Athanaſius.

B. Virgo in prima ſanctificatione omnes virtutes, & gratias infuſas accepit.

D. Athanaſius.

Pſalmi 45.

Nota.

D. Bernardus in ſermone de Aſſumptione, tractans illa verba Prouerbiorum 9. *Sapientia ædificauit ſibi Domum, excidit columnas ſeptem*, Hoc argumentum plenitudinis gratiæ Beatæ Virginis egregiè proſequitur.

D. Bernard. Prouerb. 9.

VERVM, vltrà plenitudinem gratiarum, in vtero Beatam Virginem recepiſſe, ineffabile donum perſeuerantiæ, confirmationemq́ue in bono, indubitata eſt fides Catholica, neque enim vnquam, vel gratiam amiſit, vel Spiritum ſanctum ipſa contriſtauit. Quocirca Athanaſius in ſermone de ſanctiſſima Deipara circa medium, dicit, *Quam virtutem* (locutus erat de gratijs Spiritus ſancti, & Virtute Altiſſimi, qua Virgo obumbrata fuerat) *Per omnia tempora conceptus, eam habuiſſe confido, & poſt conceptionem etiam retinuiſſe, neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe, quemadmodum nunc in præſentia, & in æternum vſque habet hæc Virgo, ſibi obumbrantem Virtutem Altiſsimi, & ſuperuentum Spiritus ſancti, & Virtutem Altiſſimi, vt ſit gratia plena.*

Accepit B. Virgo in utero matris donum perſeuerantiæ.

D. Athanaſius.

SCIO, Hæreticos aduerſus hanc propoſitionem, multas blaſphemias proferre, vt quòd Virgo in fide dubitauerit, quando reſpondit Angelo. *Quomodo fiet iſtud.* quòd Virgo in negligentiam incurrit, quando amiſit filium; quòd gladius infidelitatis, & dubitationis de diuinitate filij, animam ipſius pertranſierit, in eius morte. Verùm hæc omnia falſa eſſe, egregiè Caniſius lib. 4. de Beata Virgine, & Suarez tomo 2. quæſt. 27. diſput. 4. ſect. 3. oſtendunt.

Hæretici falsò aſſerunt, B. Virginem aliquando peccaſſe.

Caniſius. Suarez.

SED quæres, An in prima ſanctificatione, fomes Virginis fuerit extinctus. D. Thomas art. 3. non extinctum, ſed ligatum fuiſſe docet, ob Chriſti dignitatem, quamuis in conceptione carnis Chriſti, totaliter aſſerat ſublatum fuiſſe. Alij exiſtimant, in illa prima ſanctificatione extinctum totaliter fuiſſe. Si enim regula D. Auguſtini vera eſt, adeò eſſe infallibilem connexionem actualis culpę cùm fomite, & peccato originali, ut nullus ſit peccato originali maculatus, qui fomitem, & actualem culpam, ſaltem venialem, aliquando non contrahat, & è conuerſo, fomitem, & actualem culpam eſſe effectus inſeparabiles peccati originalis; profectò ſequitur, quòd ſi Virgo caruit actuali culpa, & peccato originali; fomite quoquè caruerit; fomes enim ad culpam inclinat, indecentiamq́ue ſeu habitudinem ad malũ importat. Quocirca ſicut Virgo prǽſeruata fuit ab originali, ità quoque decuit, illos effectus in ea impediri, qui vitium, uel indecentiam in perſona Virginis inducebant. Vnde nec inordinatos motus, etiam primos, illa habuit. Qua ratione optimè D. Thomas 3. par. quæſt. 27. art. 3. reprehendit illos, qui ponunt, quòd re-

B. Virgo Maria caruit fomite.

D. Thomas.

D. Auguſt.

D. Thomas.

manifeſerit fomes in Beata Virgine, non inclinans ad malum, dicunt, inquit, duo oppoſita ſimul, & bene dicit, quia fortè hæc inclinatio non poteſt eſse ſine actu. Aſserit præterea D. Thomas, fuiſse fomitem ligatum in Virgine, nec inclinaſse ad malum, non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, putà ex diuina prouidentia, quæ quaſi vinculo quodam, & ligamine conſtringebat illum, dum ſenſualitatem eius ab omni inordinato motu prohiberet.

Sententia Auctoris.

Sed, meo iudicio expeditius eſt dicere, ablatum eſse per gratiam excitantem, præuenientem, & adiuuantem, ſeu per diuinum auxilium, huiuſmodi fomitem, & ab intrinſeco, quàm per manutenentiam extrinſecam diuinæ prouidentię: non enim multiplicanda ſunt entia, & miracula ſine neceſſitate. Ad quid quæſo, relictus fuerit fomes ligatus, qui in nullum actum prodire poterat?

Primi Parentes in ſtatu Iuſtitiæ originalis fomite carebant.

Lucæ 1.

Medina.

Adde, quòd Adam, & Eua in ſtatu Innocentiæ, quando primùm fuerunt in Iuſtitia originali conſtituti, carebant omni fomite, quandòquidem pars inferior, & appetitus tàm iraſcibilis, quàm concupiſcibilis, erat omnino ſuperiori parti ſubiectus, ergò multò magis, hoc eſt ponendum in Virgine in ſua prima ſanctificatione; & quàmuis id Chriſto conueniat per naturam: *Quod enim*, vt habetur Lucæ 1. *ex te naſcetur Sanctum, vocabitur filius Dei*; ex priuilegio tamen non Ioanni Baptiſtæ, non Ieremiæ, non Apoſtolis; ſed ſoli Deiparæ conceſsum fuit. Medina in tertiam par. quęſt. 15. in expoſitione art. 2. exiſtimat, id factum eſse in Chriſto ob duplicem rationem; tùm ob excellentiam uirtutum, & plenitudinem gratiæ, quæ erat in illo; tùm, ſi hoc non ſufficiebat, per ſpecialem diuinam prouidentiam, à qua impediebatur appetitus ſenſitiuus, ne præueniret rationis imperium; ſed ſecunda ratio nulla eſt, quoniam ſolùm ab extrinſeco tale impedimentum eſset. Nec altera ratio valet; quoniam ſecluſa omni uirtute, & gratia, adhuc Chriſtus ex natura rei, ſecundum quod Deus erat, & homo careret omni fomite, & omni appetitus deordinatione, iuxtà illud Matthæi 1. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*. Verba autem Sancti Thomæ in art. 3. quęſt. 27. in corpore, quibus dicit, carere fomite, fuiſse ſpeciale priuilegium dignitatis Chriſti, exponenda ſunt quantùm ad naturam. Ille enim per ſe habuit omnem, & animæ, & corporis ſanctitatem; Virgo uerò ab illo acceptam, & communicatam, & non ſolum ab illo; ſed etiam per illum, & per ipſius meritum, & ſi regula uera eſt, quòd; *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; potius arguitur ex hac communicatione, eximia, & perfecta Chriſti ſanctitas, de cuius plenitudine omnes, iuxtà ſuum modum, acceperunt, quàm ei aliquo pacto derogetur, immò ſi carni Chriſti id competit, etiam carni Virginis, id competere debet, cùm una, & eadem ſit caro, quantùm ad unitatem corporalis naturæ, & ſubſtantiæ ex parte materię, ut dicit D. Auguſtinus tomo 9. libro, de aſsumptione Marię, & hæc caro Matris ideò fuerit perfectè ſanctificata, ut ex ea Chriſti caro formaretur.

Matth. 1.

D. Thomas.

D. Auguſt.

Illvd verùm eſt; Beatam Virginem in conceptione filij perfectiori modo, hunc effectum, conſecutam fuiſse. Quod indicant verba Athanaſij in lib. de ſanctiſſima Deipara. *Spiritus ſanctus*, inquit, *in Virginem deſcendit cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini principatus adſunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratioſa eſſet, atque idcircò gratia plena cognominata eſt; eò quòd ad impletionem Spiritus ſancti, omnibus gratijs abundaret*. Hæc ille.

D. Athanaſ.

Sed aliqua dicta ſanctorum Patrum hic exponenda ſunt, ac primò Damaſceni lib. 3. de fide cap. 2. dum dicit, *Spiritus ſanctus ſuperueniens purgauit Virginem*, & Ambroſius exponens verba Lucæ, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, inquit, *Spiritum ſanctum purgaſſe eam à ſordibus peccatorum, antequam conciperet Verbum*. Et Arnobius ſuper Pſalmum 14. *Ieſus*, inquit, *immaculatus, ſolus Virgineam aulam ingreſſus, ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit, & dedit ſanctificationem potius quàm accepit*.

Exponuntur dicta aliquorum Patrum circà B. Virginis mundationem.

Damaſcen.

Ambroſius.

Arnobius.

D. Cyprian.

Auctor lib. de Cardinalibus Chriſti operibus, qui Cypriano adſcribitur, in capit. de Natiuitate Chriſti inquit. *In Chriſti conceptione, Spiritu ſancto obumbrante, originale incendium extinctum fuit*. Hæc, & alia ſimilia loca Patrum intelligenda eſſe

da eſſe de purgatione, non ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis, ſed ab externis impedimentis, à remiſſione animi, ab ignorantia negatiua, ſeu neſcientia, Vt Dionyſius loquitur capitulo. 6. par. 3. à medio, de cœleſti Hierarchia. Vel de maiori mentis illuminatione, quæ dicitur purgatio, quòd mentem Virginis in vnum collegit, & à multitudine ſegregauit, & eſt ſolutio eiuſdem D. Thomæ, ad tertiũ, & ſic intelligendus eſt Damaſcenus loco citato; Vel de æſtu libidinis, & ſordibus Puerperij, quæ carnales maculæ, & vulgò ſecundinæ appellantur, à quibus Beata Virgo in conceptione, & partu filij, immunis fuit. Quicquid de his ſecundinis ſenſerit Caietanus 3. par. quæſt. 35. art. 6. & Abulenſis ſuper cap. 12. & 20. Leuitici, quos ſequitur Eraſmus Lucæ 2. Contra quos ſtat confeſſio Patrum ducentorum, & viginti in Trullo congregatorum, Canone 79. & Auguſtinus in lib. de quinq; hæreſibus cap. 5. dicens. *Vnde ſordes in Virgine Matre, vbi non eſt concubitus cum homine Patre?* & ſic accipienda ſunt verba citata Arnobij, & Ambroſij. Cyprianus autem, non loquitur de fomite peccati, ſed de voluptate ſenſibili, qua Virgo, in filij conceptione omnino caruit, cùm ſpiritus ſancti operatione conceperit.

D. Dioniſius. D. Thomas. B. Virgo non habuit ſecundinas in partu filij. Caietan. Abulen. Eraſmus. Conc. Trullanum. D. Auguſt.

Concludendum eſt igitur, Beatam Virginem, etiam in via, quamuis habuerit potentiam remotam peccandi; puta, libertatem arbitrij; ſimpliciter tamen, & de facto, & in ſenſu compoſito, ut dicunt, ex Dei priuilegio, hoc eſt, gratia ſpeciali, & ſingulari Dei prouidentia, & protectione per actualia, & ſpecialia eius auxilia, ſemper in omni tempore, ac ſtatu impeccabilem fuiſſe, quicquid dixerit Gregorius de Arimino in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. & eſt definitio Concilij Tridentini ſeſſ. 6. can. 23. & ante illud, Concilij Claramontani ſub Vrbano Secundo, ut refert Andreas de Vega lib. 14. cap. 18. Quocirca optimè D. Bernardus in ſermone, *Signum magnum*, inquit, *Nihil in ea, non dico tenebroſum; ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum; ſed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentiſſimum; liceat ſuſpicari.*

B. Virgo ex priuilegio fuit ſéper impeccabilis. Greg. Arim. Conc. Trid. Conc. Claramont. Vega. D. Bernard.

Svnt aliqui, ut Carthuſianus lib. de Præconio, & dignitate Matris, & Caniſius lib. 1. de Virgine cap. 9., qui aſſerant Beatam Virginem Iuſtitiam Originalem habuiſſe; quod etiam Durandus in 3. diſtinct. 3. q. 3. & Caietanus prima ſecundæ q. 109. art. 2. videntur aſſerere. Et Suarez aliquo modo inclinat in hanc ſententiam. Sed ſimpliciter, & formaliter, vt ſentio, non eſt concedendum, Beatam Virginem Iuſtitiam Originalem habuiſſe, cùm triſtitiæ, doloris, defatigationis, mortis, & aliarum affectionum paſſibilium capax fuerit, quas donum Iuſtitiæ Originalis excludit, quamuis talem integritatem naturæ per gratiam habuerit, vt perfectus ordo inter Deum, & ipſam, & inter partem eius ſenſitiuam, & rationalem, (perfecta quoque ſubordinatione inter eius potentias collocata) fuerit perpetuò, quoad vixerit, conſtitutus, de qua re latè Cordubenſis libro primo quæſt. 46.

Carthuſ. Caniſ. Durand. Caietan. Suarez. B. Virgo ſimpliciter non habuit Iuſtitiam Originalem. Corduben.

An autem in hac prima Sanctificatione, Beata Virgo vſum rationis habuerit, non diſſimulanda quæſtio eſt.

D. Thomas 3. par. q. 27. art. 3. negat, Beatam Virginem habuiſſe uſum liberi arbitrij, adhuc in ventre Matris exiſtentem; & dicit, hoc fuiſſe ſpeciale priuilegium Chriſti; Vnde nec id Ioanni Baptiſtæ concedit in articulo 6.

D. Thomas.

Verum probabilior eſt nobis contraria ſententia, cùm, & Ioanni Baptiſtæ id conceſſum fuerit, uti habetur Lucæ 1. *Exultauit Infans in gaudio in utero meo*: Vt enim optimè adnotauit Caietanus in eodem art. 6. & Lucæ 1. Quamuis exultare minus propriè rebus inanimatis, vel etiam animatis, carentibus ratione, tribuatur, iuxta illud, *Montes exultauerunt, vt arietes; & colles, ſicut agni ouium*; tamen exultare cum gaudio de re ſpirituali, propriiſſimum eſt hominis, qui ſecundùm partem intellectiuam, exultat, & gaudet, ut fecit Ioannes in aduentu Chriſti. Quocirca errauit Ianſenius, qui in cap. 4. ſuæ concordantiæ, ſcripſit, hanc Iohannis exultationem non fuiſſe cum cognitione, & illud non fuiſſe propriè gaudium, ſed effectum quemdam gaudij, puta geſticulationem, & ſaltum quemdam externum; ſed fallitur, nam ut optimè adnotauit Origenes Homil. 7. in Lucam, nunquam in Scripturis ſacris, exultare in gaudio, metaphoricè ſumitur, quamuis exul-

B. Virgo in vtero matris habuit uſum liberi arbitrij. Luc. 1. Caietan. Ianſenius redarguitur. Origenes. S. Io. Baptiſta exultauit cognoſcendo Chriſtum in utero exiſtés.

D.Leo. Chryſoſt. Theophyl. Auguſt. D.Hieron. D.Ambroſ.

uis exultare ſimpliciter, de aliquibus rebus etiam inanimatis dicatur; & ità de Ioanne Baptiſta ſcribunt Sancti Patres. Leo ſerm. 10. de natiuitate, donum Prophetiæ Ioanni tribuit, adhuc in utero exiſtenti. Quod etiam Chryſoſtomus Homil. 1. in Lucam, & Theophilactus Lucæ 1. ſcribunt. Et licèt Auguſtinus in Epiſtola ad Dardanum moueat hanc quæſtionem, & inſolutam relinquat; Nihilominus. D. Hieronymus Epiſtola 7. ad Lętam, & Ambroſius lib. 1. in Lucam, & lib. 2. cap. 7. non ſolùm exultandi affectum, ſed etiam intelligendi ſenſum, aſſorunt tunc Ioannem habuiſſe.

B. Virgo habuit fidei, & cognitionis actũ, in inſtanti conceptionis. Medina. D.Bernard. Viguerius. Caiet. Medina. Suarez.

Beatissimam quoquè Virginem, actum cognitionis, & fidei in inſtanti ſuæ conceptionis hàbuiſſe, docent expreſsè, Medina 3. par. q. 27. artic. 5. D. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. de Beata Virgine cap. 2. art. 1. & Viguerius in ſuis inſtitutionibus cap. 5. §. 3. Et quamuis Ioannes Baptiſta, licèt ſanctus, poſt illum actum, non perſeuerauerit in uſu arbitrij, vt Caietanus art. 3. & Medina art. 6. adnotarunt, nihilominus Beatam Virginem ſemper in eo perſeueraſſe, non indoctè probat Suarez contra Caiet. 3. par. q. 27. art. 3. diſput. 3. ſect. 7. Et Hæc de prima Sanctificatione dicta ſufficiant.

Quod B. Virgo in conceptione Verbi gratiã conſumatam accepit. ex D. Thoma. D.Bernar. Damaſcen.

Mvlta alia dona, plurimaſq; gratias, Maria in ſecunda ſanctificatione, hoc eſt in filij conceptione, adepta fuit; immò, & ipſius gratiæ conſumationem, ut inquit D. Thomas quæſt. citata, art. 5. ad ſecundum. Non quòd Beata Virgo ſemper, vſque ad finem uitæ per bona opera, & heroicos actus Virtutis, & Charitatis, acceſſionem gratię non meruerit, & obtinuerit, cum uiatrix eſſet; ſed quòd tunc per ſuperuentionem ſpiritus ſancti, confirmando eam in bono, complementum, & vltimam quaſi perfectionem virtutum acceperit, iuxtà verba Gabrielis ad illam. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in Te, & virtus Altiſſimi obumbrabit Tibi.* Quid eſt, qd dicit, *Superueniet?* niſi ut Bernardus exponit, ut nimirùm abundantiori gratia, & ſanctitate cumularet, & ſuper impleret eam. Vnde Damaſcenus in oratione 1. de dormitione Virginis inquit. *Omnium bonorum initium* (loquitur de Virgine.) *medium, & finis, ſecuritas etiam, ac vera confirmatio, in illa ſeminis experte conceptione poſita fuit.*

Cur dixerit Angelus, ſuperueniet in te. D.Hylarius. Ad Rom. 3.

Locvm illum ponderant aliqui Sanctorum Patrum, & quęrunt, Cur Angelus dixit *ſuperueniet*, & non *veniet in Te?* Sanctus Hylarius eam rationē reddit, quòd hæc operatio conceptionis Chriſti, vires humanæ naturæ omnino ſuperabat. Quo modo etiam dicit Paulus ad Romanos 3. *Iuſtitia autem Dei per fidē Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum;* ubi *Super omnes* dicit, quaſi Iuſtitia illa, nec uiribus legis, nec potentia humanę naturæ conſequi, & attingi poterat; ſic ſuperuentio illa Spiritus Sancti effectus ſupernaturales in Maria operata fuit, &

D. Hylarius. D.Auguſt.

quoad animam, & quoad corpus. Quoad animam, ut Hylarius in 2. de Trinitate, & Auguſtinus in quæſtionibus Noui, & Veteris Teſtamenti cap. 11. in ea omnium gratiarum plenitudinem copioſiſſimè infundendo, etiã ſuper omnes Angelos; quod, quamuis in prima ſanctificatione aſſeuerãter dixerimus factum eſſe; in hac tamen ſecunda omnino exequutum fuiſſe, de fide eſt, & certiſſimum ex uerbis Angeli, *Aue gratia Plena.* Quoad corpus verò extinguendo fomitem, vt Riccardus de Sancto Victore lib. de Emanuele cap. 27. & præparando ſanguinem puriſſimum Beatę Virginis, ex quo corpus Chriſti formandum erat. Vt Damaſcenus libro, 3. de fide Orthodoxa, & lib. 4. cap. 10. atque perfectiſſimè in momento uno, corpus Chriſti organizando; Vt Ambroſius lib. de Iuſtitia capit. 16. Auguſtinus loco citato cap. 51. & in Enchyridion capit. 28. 29. & 40. Damaſcenus lib. 3. de fide; Chyſoſtomus Homil. 2. in Symbolum, & Hieronymus in expoſitione Symboli ad Damaſum.

Riccardus de Sancto Victore. Damaſcen. Ambroſ. Auguſtin. Damaſcen. Chryſoſt. Hieron. D.Bernard.

D. Bernardus Homil. 4. ſuper miſſus eſt, exponens illa verba, *Superueniet in Te,* dicit. *Si autem Spiritus ſanctus in ea erat, quomodo adhuc, tamquam nouiter ſuperuenturus repromittitur? An fortè ideò nõ dixit ſimpliciter, ueniet in Te; ſed addidit ſuper, quia, & prius quidem fuit in ea per multam gratiam, ſed nunc ſuperuenire nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuſurus erat ſuper illam; at verò cum plena*

iam ſit,

iam ſit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere poteſt, quomodo, & ante plena fuiſſe intelligenda eſt? An prior quidem gratia eius tantum repleuerat mentem; ſequens verò etiam ventrem perfundere debeat? quatenus ſcilicet plenitudo diuinitatis, quæ ante in illa ſicut, & in multis ſanctorum ſpiritualiter habitabat, etiam ſicut in nullo ſanctorum corporaliter, in ipſa habitare inciperet? Hæc Bernardus.

VERVM Beatam Virginem non ſolùm tempore conceptionis filij; ſed etiam toto tempore ſuæ Vitæ quolibet tempore, & momento, meruiſſe augumentum gratiæ, multi Doctores aſſerunt, vt D. Antoninus 4. par. tit. 15. capit. 20. §. 6. Albertus Magnus lib. de Beata Virgine. cap. 176. & 177. & 197. Caniſius libro 5. cap. 1. & Suarez vbi ſuprà. Addunt aliqui ex ſententia Ruperti, & Ambroſij, nec ſomno impeditam fuiſſe, quò minus ad Deum conuerti poſſet, quod etiam aliquibus ſanctis pro aliquo uitæ tempore conceſſum fuit. Ad id probandum citat Caniſius lib. 1. cap. 13. Ambroſium lib. 2. de Virginibus, & Rupertum lib. 7. Commentariorum in Cantica Canticorum. Accommodari poſſet huic rei, illud Canticorum 5. *Ego dormio, ſed cor meum vigilat*; Quæ verba Rupertus lib. 5. ſuper Cantica explanans inquit, *Multarum quoque animarum fuit, & eſt, non ſolùm ſecundum illam ſimilitudinem, ocio ſancto dormire, id eſt, à terrenis curis vacare, & in cæleſtibus per contemplationem corde vigilare, verumetiam eodem modo, quo, & Iacob tunc dormiuit ſecundum corpus dormire, & ſecundum animam per ſomnium cæleſtia videre, iuxtà illud, Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & Iuuenes veſtri viſiones videbunt; ſed ò Tu Cœlum Dei, unica ſedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo, cunctis mortalibus, ſiue terrenis hominibus longè eminentior extitiſti, in quo longè ſtudioſior ad contemplandum eum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, atque aptior fuiſti*. Sed hęc verba de metaphorico ſomno contemplationis accipienda eſſe, idem Rupertus in antecedentibus, proximè declarauit.

B. Virgo toto tempore ſuæ vitæ meruit gratię augmẽtum. D. Antonin. Alb. Magn. Caniſ. Suarez. Rupert. Ambroſ. Caniſ. Ambr. Ruper. Cantic. 5.

EQVIDEM exiſtimo, Beatam Virginem frequentiſſimè noctes totas vigilem in meditationibus, & cõtemplationibus Diuini Verbi filij eius, prẹſertim poſt illius aſcenſionem ad Cœlum tranſegiſſe. Quod Bonauentura, & Caniſius, aliquibus Viris ſanctis reuelatum fuiſſe referunt; in ipſo tamen ſomno, & corporali dormitione (quam ſemper breuiſſimam habuiſſe, tùm ob optimã corporis temperiem, tùm ob moderatam viuendi rationem credendum eſt) euigilaſſe, & actus meritorios feciſſe, incertum eſt. Illud conſtanter affirmari poteſt, quod Ambroſius loco citato dicit. *Dormire illi non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit, & tamen cum quieſceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in ſomnijs, aut lecta repetit, aut ſomno interrupto continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat*.

Vigiliæ B. Virginis poſt Chriſti aſcenſionem. Bonauent. Caniſius. D. Ambroſ.

Almaynus in tertio ſentent. diſtin. 3. q. 2. & Scotus in quarto diſtin. 4. q. 6. ad primum, ut refert Medina dicta quæſt. 27. art. 5. uidentur dicere, plenitudinem gratiæ tantam fuiſſe in hac ſecunda ſanctificatione Mariæ, ut non reciperet poſtea augumentum; vt de Chriſto dicitur. Sed errant. Nam quamuis id ſolius Chriſti ſit priuilegium, qui fuit ab initio plenus gratia ſecundum omnem rationem gratiæ; tamen Beata Virgo, quæ uiatrix erat, & in ſtatu merendi conſtituta, vſque ad finem vitæ, ſemper creuit in meritis. Medina addit vnum, datam eſſe gratiam Beatæ Virgini in ſecunda ſanctificatione ex opere ſuo, & ex opere operato, vt cum quis recipit Sacramentum. Actus enim heroici virtutum eius id merebantur de condigno.

Almayn. Scotus. Medina. Medina.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Quid Beata Virgo Maria in Iubilæo Sancta Penteco-ſtes conſecuta fuerit.

Licet nō indiguerit, tamē B. Virgo ſumpſit Sacramētum ueteris legis contra peccatum originale, ſicut S. Iohannes Baptiſta circūciſionem. Palud. Suarez.

SED, quid gratiæ conſecuta fuerit Beata Virgo in ipſo die Pentecoſtes, iam videamus: Et eſt quęrere, An illa Sacramentum Confirmationis receperit?

PRIMVM conſtat, Sacramentum illud legis naturæ, quod etiam ab Hæbræis in lege ſcripta, octauo die à natiuitate, fœminis pro remedio originalis peccati applicabatur; Mariam, quamuis ſine peccato originali eſſet, cùm augumento gratiæ, ſuſcepiſſe; ſicut etiam Ioannes Baptiſta Circumciſionem recepit, quamuis in utero Matris ſanctificatus fuiſſet; & vt optimè adnotauit Paludanus in tertio ſenten. diſtin. 3. q. 2. Et Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thom. q. 37. diſp. 18. ſect. 3. extraordinaria, & prior illa ſanctificatio in utero Annæ Matris non reddidit illam incapacem huiuſmodi augumenti gratiæ, quod ad modum operis operati, ideſt præter omne meritum ſuſcipientis, infallibili lege, homini bene diſpoſito, ut erat tunc B. Virgo, in eo ordinario remedio præſtabatur.

B. Virgo ſuſcepit Baptiſmum nouę legis. Contra Scotum. Euthym. A quo fuerit Baptizata B. Virgo. Nicephorus. Baronius.

AMPLIVS, Baptiſmi nouæ legis Sacramentum, Deiparam ſuſcepiſſe, apud Theologos certum eſt, quicquid Scotus in quarto diſtin. 4. q. 6. in ſolutione argumentorum dixerit, quamuis dubitatiuè potiùs id neget. Euthymius, inquit, ſuper 3. caput Ioannis, quòd quidam Apoſtolorum temporibus proximi ſcribunt, Chriſtum baptizaſſe Petrum, & Virginem Matrem. Nicephorus lib. 2, cap. 3. ex Euodio, qui ſucceſſit Petro in Anthiocheno Epiſcopatu, refert, Chriſtum Dominum, manibus ſuis, Petrum ſolùm baptizaſſe, Petrum verò reliquos Apoſtolos. Quod etiam Baronius Cardinalis narrat, & probat.

Sed illa dictio, ſolùm, vel dicit ordinem ad cæteros Apoſtolos, ità ut ſit ſenſus, quod ex Apoſtolis, ſolùm Petrum baptizauit; ſtatim enim ſubiungit. *Petrus porrò Andream, & filios Zebedei, illi deinceps reliquos Apoſtolos.* Vel accipienda eſt, ut non excludat Matrem Chriſti, quæ, & ad exemplum aliorum fidelium, & ut eſſet capax receptionis aliorum Sacramentorum nouæ legis, & præcipuè Euchariſtiæ, ab obligatione ſuſceptionis Baptiſmi excipienda nequaquam eſt. Recepit igitur, & Sacramentum Baptiſmi, & rem Sacramenti, ideſt, gratiam, quæ per tale Sacramentum confertur. Hoc quoque docet Sotus in quarto diſtin. 5. q. unica artic. 2. dubio 2. poſt 3. concluſ. & Bernardinus de Buſto, in quarta parte principali ſui Marialis, ſermone 11. part. 3. §. 2. Qui citat Albertum in ſuo Mariali cap. 72. dicentem, ſuſcepiſſe Beatam Virginem per Baptiſmum characteris impreſſionem; per quem à gentilibus, & Iudæis diſtingueretur, virtutum exercitationem, & meritorum augumentationem.

Sotus. Buſtus. Albertus.

Matt. 3. Gloſſ.

Adde, quòd Dominus Ioanni dixit, quando Chriſtum volebat baptizare, Matthæi 3. *Sic decet nos adimplere omnem Iuſtitiam*, ideſt, ut Gloſſa exponit, perfectam humilitatem; quæ etiam ratio militat de Beata Virgine.

Frequenter ſuſcipiebat B. Virgo Euchariſtiam. Alb. mag. Caniſius. Buſtus. Act. 2.

PRAETEREA, Beatam Virginem, Sacramentum Euchariſtiæ frequentius ſuſcepiſſe, Theologis certiſſimum eſt. Ità Albertus Magnus in ſuo Mariali cap. 81. Caniſius lib. 1. cap. 9. verſus finem; & Buſtus ibidem. Cùm enim in naſcenti Eccleſia, fideles omnes quotidie eſſent, *perſeuerantes in oratione, & fractione Panis*, vt dicitur Actorum 2., qua ratione negabitur, Beatam Virginem hanc Chriſtianam conſuetudinem non obſeruaſſe?

Præceptū de ſumptione Euchariſtiæ Io. 6.

Adijce, quod diuino pręcepto, vſus huius Sacramenti fidelibus demandatur per illud Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* ergo non eſt dubitandum, Beatam Virginem deuotè illud ſuſcepiſſe. Immò addit Albertus, quòd non ſolùm illa ex hoc Sacramento recepit Dominicæ paſſionis commemora-

tionem;

tionem; ſed etiam conſolationem contra corporalem abſentiam filij.

De Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramento dubium eſt aliquod inter Doctores. Aliquibus placet, Virginem Pœnitentiæ Sacramentum non ſuſcepiſſe, quòd materiam illius Sacramenti non habuerit, ideſt, peccatum nullum mortale, vel veniale. Ità Sotus in quarto diſtinct. 14. quæſt. 1. artic. ſecundo, & dicit ridiculum eſſe, quòd dicitur ab Alberto, ſolitam fuiſſe confiteri Ioanni Euangeliſtæ. Contrarium docet Paludanus in quarto diſtinct. 13. quæſt. 4., Albertus de laudibus Virginis, capite 69. Buſtus, & Caniſius locis citatis. Sed profectò prior ſententia eſt ſequenda; cum duo illa, materia ſcilicet, & forma, ſint adeò de neceſſitate Sacramenti, vt ex alterius defectu, & carentia, nullum Sacramentum reddatur.

Verum B. Virgo Pœnitentiæ, & extremæ vnctionis Sacramenta ſuſceperit. Sotus. Paludan. Buſtus. Caniſius.

Aliqui contendunt, Beatam Virginem nequaquàm Sacramento Extremæ Vnctionis vnctam fuiſſe; quòd illius Sacramenti incapax eſſet, cum nullum actuale peccatum haberet: Ità Paludanus in quarto diſtinct. 23. quæſt. 3. artic. 2. Gabrielis Supplementum quæſt. 1. dubio tertio, Echius Homilia 56. de extrema Vnctione, tomo quarto, quamuis eius ratio mihi non probetur. Victoria in ſumma numero 222.

Palud. Supple. Gab. Echius. Victoria.

Econtrà Alij, ut Albertus capite 72., & 74. Caniſius, Bernardinus de Buſto, & Suarez, qui citat Syluestrum in Roſa aurea, tract. 3. de quæſtionibus impertinentibus caſu 44.

Alber. Caniſ. Buſtus. Suarez. Silueſt.

Sed circa has ſententias Iudicium ferre, facile eſt. Cum enim Beata Virgo, non ſolùm numquam peccauerit; ſed ex diuino priuilegio peccare non potuerit; illius Sacramenti incapax erat; cùm in ea veritas formæ huius Sacramenti ſaluari non poſſet.

De Matrimonio verò, & Ordine, nulli eſt controuerſia. Cum huius, ratione ſexus fœminei, fuerit incapax. Illud verò, poſtquàm in Sacramentum à Chriſto fuit inſtitutum, nuſquàm ab ea fuit contractum, Quicquid in hac re Albertus, quem ſequitur Caniſius, dicat.

De Sacramento Ordinis, & Matrimonij quoad B. Virginem. Alb. Caniſ.

Sed quid de Confirmatione? Omnes Theologi conueniunt, Beatam Virginem in die Sanctæ Pentecoſtes, præter omne meritum ſuum, quaſi ex opere operato (ſicut etiam Apoſtoli) Spiritum ſanctum, perfectiſſimumque Confirmationis effectum; & gratiam recepiſſe ſanè, quamuis non receperit Beata Virgo Confirmationis Sacramentum, quantum ad ſignum ſenſibile Vnctionis viſibilis, (in quo ſtat ratio Sacramenti) non tamen defuit illi Vnctio inuiſibilis, & recepit characteris Chriſmalis impreſſionem, meritorum augumentationem, abundantiam denique Spiritus ſancti ab robur, qui eſt effectus illius Sacramenti Confirmationis; & ità tradunt Albertus, Caniſius, & Alij locis citatis. Atque hæc de Beata Virgine.

Quomodo B. Virgo Sacramentum Confirmationis acceperit. Alber. Caniſ.

CAPVT OCTAVVM.

Quid Apoſtoli per Iubilæum Pentecoſtes obtinuerint.

CIrca ſecundum, breuiter dicimus, in die Sacræ Pentecoſtes, Chriſtum poteſtate excellentiæ, quam habet in Sacramentis; contuliſſe Apoſtolis effectum Sacramenti Confirmationis, plenitudinem ſcilicet Spiritus sãcti. Sicut enim dicitur ad Romanos 8. *Ipſi primitias Spiritus ſancti acceperunt*; Et quamuis ſenſibiliter Chriſmatis Vnctione uncti nõ fuerint, aliquid tamen materię huius ſacramenti conformę, fuit ſenſibiliter in ipſa collatione Spiritus ſancti Apoſtolis exhibitum. Ignis enim, ſub cuius ſpecie Spiritus ſanctus in illos deſcẽdit ad eamdem ſignificationem dirigitur, ad quam refertur oleũ, quod in Sacramento Confirmationis, ut materia, adhibetur, ad ſignificandam gratiam

In die Pentecoſtes Apoſtoli acceperunt à Chriſto plenitudinem Spiritus ſancti, & quænam alia dona. ad Rom. 8. Ignis, ſub cuius ſpecie de-

Spiritus

ſcendit Spiritus ſanctus. Oleum.

Spiritus ſancti,qua Chriſtiani in illo vnguntur;Et quoniam oleum eſt materia,& fomentum ignis, qui maximam actiuitatem habet; ideò ad denotandum, quòd hæc gratia Spiritus Sancti per Apoſtolos ad alios deriuanda erat, Apoſtolis ſub

Figura linguarum.

forma ignis, & non olei data fuit. Præterea figura linguarum, in qua deſcendit Spiritus Sanctus ſuper illos,ad balſamum aliquo modo proportionem habebat, cùm balſamum per odorem, lingua per locutionem, fidei communicationem ſignificent. Hæc ſigna ſenſibilia,miraculosè tunc diuinitus exhibita ſunt. Quamobrem alia materia ſacramentalis ſenſibilis,quoad illos,neceſſaria non fuit,quemadmodum etiam, quando ad impoſitionem manus Apoſtolorum, & ad eorum prædicationem; plenitudo Spiritus Sancti, ſuper fideles in ſignis viſibilibus de-

Actor. 11.

ſcendebat,vt dicitur Actorum 11. *Cùm cœpiſſem loqui*,inquit Petrus, *cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos,ſicut,& in nos in initio*,quamuis Apoſtoli, quando huiuſmodi viſibilia ſigna non apparebant,communiter chriſmate,in exhibitione huiuſmo-

D.Thomas.

di ſacramenti uterentur, vt inquit Diuus Thomas tertia parte, quæſtione 72. articulo ſecundo in corpore. Receperunt igitur ea die, rem ſacramenti Confirma-

Quomodo Apoſtoli, & ad quid receperunt Spiritum ſanctum, & quas gratias cum illo.

tionis;ſecundò eius characterem. Quocircà ſacramentum ipſum, numquam poſtea ſuſceperunt, cum iterabile non ſit. Tertiò etiam, receperunt plenitudinem Spiritus Sancti ad Robur,ex illa enim die, omni timore expulſo, conſtanter fuerunt fortes in bello, habuerunt frontem ferream, & pectus æneum ad pugnandum cum Principibus,& ſapientibus huius ſæculi,ità ut cùm ante Reges, & Præſides conſtituti eſſent,datum fuerit illis,quòd audacter, & ſapienter loquerentur. Quamuis enim Apoſtoli antea eſſent baptizati, ſicque gratiam haberent Spiritus Sancti,attamen adhuc trepidi erant, & animo multum deiecto, vſque adeò, quòd Petrus ad vocem ancillulæ, Chriſtum negaret; immò, & poſt Chriſti A-

Matth.26.

ſcenſionem, teſte Euangeliſta Matthæo capitulo vigeſimoſexto. *Omnes propter metum Iudæorum* in domo incluſi erant,quorum puſillanimitatem Dominus non ignorans, ante Aſcenſionem ſuam ait ad eos. *Sedete in Ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto*,

Lucæ 24. Donum perſeuerantiæ Apoſtolis datum.

Lucæ 24.Quartò receperunt per illam miſſionem viſibilem Spiritus Sancti (omnium peccatorum remiſſione collata) donum perſeuerantiæ, ac ſtabilem confirmationem in bono. Quocircà ab ea hora ex diuino priuilegio,ab incurſu in mortale peccatum præſeruati fuerunt;quamuis venialiter peccare po-

Sotus. Ad Galat.2.

tuerint,ut inquit Sotus in quarto,diſtinctione decimaquarta,quæſt.ſecunda,articulo quinto.Paulus enim ad Galatas ſecundo,affirmat, Petrum reprehenſibilem fuiſſe;nec illicò poſt confirmationem fomite peccati caruere; cùm Paulo, qui erat Vas electionis, ſentienti ſtimulum carnis dictum fuerit. *Sufficit Tibi gratia*

Gratiæ gratis datæ Apoſtolis.

mea, nam Virtus in infirmitate perficitur. Poſtremò omnium gratiarum, quæ dicuntur gratis datæ,& præſertim varietatis linguarum, & interpretationis ſermonum,& ſimilium,ampliorem cumulum receperunt, iuxtà illud Actorum. *Loquebantur varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei,&c*.Fuit autem in tantum gratiæ collatę

Actor.1.

copia ampliſſima,vt Actorum primo nominetur illa Baptiſmi nomine. *Vos autem baptiZabimini Spiritu Sancto,non poſt multos hos dies*;quòd in die Pentecoſtes etiam viſibili ſigno,in linguis igneis cælitus emiſſis, factum fuit.

Ex D. Athanaſio quæſtio explicatur de deſcenſu Spiritus Sancti.

Athanasivs in libro de Sanctiſſima Deipara,circa medium,quærit, An quando Chriſtus dixit ad Apoſtolos,*Vos autem ſedete Hieroſolymis,donec induamini virtute ex alto,adueniente in vos Spiritu Sancto*, eadem fuerit promiſſio, qua ad Virginem dixit Angelus,*Spiritus Sanctus ſuperueniet in Te, & Virtus Altiſſimi te obumbrabit*. Idem enim videtur genus promittendi, & eadem ratione intelligi poſſe, cùm, & hic virtutem ab Altiſſimo ſuperuenturam in Apoſtolos, & Spiritus ſancti acceſſum denunciet. Quid igitur? Num,ut Apoſtolis Spiritus,& Virtus Altiſſimi promittitur,ità,& Virgini quoque promittitur? & Reſpondet, quòd ſi diceremus,eadem ratione Virgini, & Apoſtolis promiſſionem factam eſſe, itidemque Virtutem Altiſſimi, & Spiritum Sanctum in eam deſcendiſſe, ſequeretur, cùm in Apoſtolis ea ipſa Virtus,& Spiritus ſanctus Incarnationem non fecerit;neque in Virgine Virtutem Altiſſimi, aut obumbrationem ſancti ſpiritus, Incarnatio-

nem

nem operatam fuiſſe, nec hominem eſſe factum. (at hoc abſit) Dicit igitur, conuenientiam, & proportionem eſſe in hoc, quod, *Sicut in Apoſtolos virtus iſta ideò deſcendit* (verba ſunt Athanaſij,) *ut contra omnem aduerſariam uirtutem uigerent, ideòque Spiritus ſuperuenit eſſentialiter cum omnibus ſuis dotibus, ut efficaciam acciperent omnibus ſignis, prodigijs, & portentis, ad confirmandam, certamq́, & indubitatam reddendam promiſſionem Chriſti. Ità quoq́ Spiritus ſanctus in Virginem deſcendit cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini principatus, adſunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratioſa eſſet, atq́ idcircò gratia plena cognominata eſt, eò quod ad impletionem Spiritus ſancti, omnibus gratijs abundaret*; & plura in hanc ſententiam quę alibi citata ſunt. Diſcrimen tamen illud aſſiguat, quòd Virgo uirtute, & Spiritu impleta eſt, tùm vt corpus eius ſanctificaretur, tùm ut ſalutarem illum fœtum concipere poſſet; *Atque ità* (verba ſunt Athanaſij) *deinceps diuina Verbi natura, ibi ſuum tabernaculum eligens, in ea incarnationem aſſumpſit, et Homo factus eſt; non ità quidem, ut potentiam aliquam operando, & vim inderet; ſed ut in ea naturaliter, ſecundum vniuerſam integritatem Deitatis, perſona filij ab initio Deus, & vlterior initio, carnem, & hominis conditionem indueret.* Hæc Athanaſius.

Itaque Apoſtolis, Spiritum ſanctum ad fortiter agendum, Beatæ uerò Virgini ad corporis ſui ſanctificationem, & ad filij Dei in propria perſona, conceptionem in eius utero faciendam, tunc datum eſſe, ſecundum Orthodoxorum dogmatum rectitudinem, dicit. Et hæc de ſecundo.

Cur datus B. Virgini Spiritus ſanctus tẽpore ſalutationis Angelicæ.

Reliqvvm eſt mō explicare, quid nobis in dies gratia illa Pentecoſtes operetur, qnod in Sacramēto Confirmationis, dū à nobis ſuſcipitur, perficitur, & cōpletur.

Sacramentvm Confirmationis à Chriſto Domino, & quoad materiam, & qnoad formam (ut S. Fabianus Romanus Pontifex teſtatur in Epiſtola ad omnes Orientales Epiſcopos, quæ refertur de conſecratione, diſt. 5. Can. Literis) inſtitutum, gratiam quemadmodum, & cætera Sacramenta nouæ legis, non ponenti obicem, confert. Et quamuis primariò illa in eo non detur ad remiſſionem culpę, ſed ad augumentum, & firmitatem Iuſtitiæ, in quo differt ſpecie ab eà gratia, quæ in Baptiſmo datur, ut inquit, D. Thomas 3. par. q. 72. ar. 7. tamen primam quoque gratiam conferre, non eſt dubitandum. Sunt autem multi effectus huius gratiæ Sacramentalis, qui in huiuſmodi Sacramento præſtantur: perficit hoc Sacramentum gratiam baptiſmalem, cùm enim in Baptiſmo homines Chriſtiani effecti, quaſi modò geniti infantes, teneritatem adhuc, & mollitudinem quamdam habeant; deinde cùm Sacramentum Chriſmatis ſuſcipiunt, aduerſus omnes carnis mundi, & Diaboli conatus, robuſtiores fiunt, eorumque animus in fide confirmatus, promptus fit ad confitendum, & glorificandum nomen Chriſti. Quamobrem perfecti milites, & ſolidi bellatores Chriſtianæ Reipublicæ efficiuntur. Vnde Melchiades Papa in Epiſtola ad Hiſpaniarum Epiſcopos à medio, & habetur tomo 1. Conciliorum, inquit, *Spiritus ſanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augumentum præſtat ad gratiam*. Hanc autem ſoliditatem, & fortitudinem, quæ per gratiam Confirmationis infunditur, elegantiſſimè Dominus, cùm de hoc Sacramento loqueretur, indumenti translatione, ſignificauit, atque expreſſit. Lucę 24. *Sedete in Ciuitate quoadusq́ induamini virtute ex alto*; quod perſpicuè in Apoſtolis deprehenſum eſſe, ſuperius monſtratum fuit.

Explicatur hic materia, de Sacramento Confirmationis, & primo eius inſtitutio.

Fabian Papa.

Gratia huius Sacramenti, & eius effectus.

D. Thomas.

Melchiades Papa.

Luc. 24.

Habuit deinde hoc Sacramentum eam uim, ut Characterem imprimat, quo fit, ut repeti nullo modo poſſit, & quamuis omni tempore hæc gratia per Epiſcopum baptizatis conferri poſſit, ſolenni tamen ritu, & religione, in die Pentecoſtes, præcipuè in Dei Eccleſia hoc Sacramentum adminiſtratur; Quo die Apoſtoli Spiritus ſancti uirtute roborati, & confirmati fuere, ut huius diuini facti fideles recordatione admoneantur, quæ, & quanta myſteria in eo Sacramento excogitanda ſint. Atque hæc, circà Iubilæum Sacræ Pentecoſtes dicta ſatis, ſuperque ſint, expoſitum enim eſt, quomodo Beata Virgo, Apoſtoli, & hodiè quoque fideles eius participes ſint.

Imprimit characterem.

CAPVT NONVM.

In quo inſtituitur Diſputatio. De Neceſſitate Iubilæi Eccleſiaſtici reſpectu totius Eccleſiæ.

IN Hac Diſputatione, neceſſitas Iubilęi Eccleſiaſtici, ſeu Indulgentiæ, quod idem eſt, in ordine ad vniuerſam Rempublicam Chriſtianam, ex parte cauſſæ efficientis, & ex parte materiæ perquirenda eſt, atque in ea triplex Quæſtio tractabitur.

Prima erit. An in Eccleſia Dei, ſit à Chriſto tradita poteſtas relaxandi pœnas peccatorum, extrà Sacramentum.

Secunda An Apoſtoli ſicut immediatè à Chriſto receperunt poteſtatem iuriſdictionis, ità quoq; receperint, ab eodem Epiſcopalē ordinē, & conſecrationem.

Tertia erit. An in corpore Eccleſię, ſit aceruus, & cumulus meritorum Chriſti, & Sanctorum, ex quibus, tamquàm ex Theſauro, ſolutiones pœnarum peccatorum fieri poſſint. Harum autem Quæſtionum tractatio, ad prolixitatem, & obſcuritatem uitandam, in plures ſecanda eſt partes. Sit igitur.

QVAESTIO PRIMA.

An in Eccleſia Dei ſit à Chriſto tradita poteſtas remittendi pœnas peccatorum extrà Sacramentum.

HÆc Quæſtio, quoniam ab Hæreticis frequentiſſimè in controuerſiam, & diſputationem uſurpatur; idcircò more ſcholaſtico, hoc eſt, diſtincto modo, & ordine, cum ſit grauiſſima, à nobis pertractanda eſt. Plures erunt partes huius quæſtionis, atque primo loco in hoc capite, ſententias hæreticorum, eorumque rationes ponemus, deindè in ſequentibus veritatem Catholicam multis argumētorum claſſibus confirmabimus. Denique hęreticorum argumenta diſſoluemus.

Et quoad Primum, Vualdenſes, & eorum criminis, iniquitatiſuè ſectator, & ſocius Vuitcleph, quos deinde ſequutus eſt Ioannes Huſſ negantes Purgatorium; dixerunt quoque nullam eſſe Indulgentiarum uirtutem, nullamque apud Pontificem poteſtatem eſſe, Indulgentias concedendi. [Hæretici negant Indulgentias.]

Verum Hi, & in antecedēti, & in ſequela, atque etiā in conſequenti peccant. In antecedenti quidem, quoniā Purgatorium eſſe, ideſt, locū, in quo animæ à corpore ſolutæ per ignem à ſordibus, quas in corpore contraxerūt, purgantur, antequā in ęternam beatitudinē recipiantur, probatur firmiſſimè, tùm teſtimonio ſacrarū literarum, ſecūdo Machabæorum 12. Matt. 12., 1. Corin. 3. & alibi; tùm etiā Sanctorum Patrum, præſertim Origenis Homil. 6. in Exod. Cypriani lib. 4. Epiſtolarum Epiſt. 2, D. Auguſtini in Enchyridion ad Laurentium cap. 69. & 110. & lib. 21. de Ciuit. Dei ca. 21. & 27. & ſerm. 41. de Sanctis, & ſerm. 4. de Commemoratione animarum. Gregorij Niſſeni in oratione pro mortuis. Hieronymi in fine li. 18. Commentariorum ſuper Eſaiam, & quamplurium aliorum, quos citat Henricus Vicus in tractatu de deſcenſu Chriſti ad Inferos, & cumulatiſſimè Cordubenſis, q. 2. de Indulgentijs, & Bellarminus in ſua ſexta controuerſia generali primi tomi de Purgatorio, & nos de hac re inferius abundè agemus. [Eſſe Purgatorium probat. 2. Mach. 12. Matt. 12. 1. Cor. 3. Origen. Cyprian. Auguſt. Niſſen. Hieron. Henricus Vicus. Cordouben. Bellarm.]

Peccant quoq; in Conſequentia, ut optimè dixit Medina diſp. 9 de Indulgētijs cap. 48. Quoniā, etſi concedamus, Purgatorium nō eſſe, vel mortuis Indulgētias non prodeſſe; nō inde ſequitur, illas, uel inanes eſſe, vel nullam eſſe poteſtatem in Eccleſia illas concedendi; poſſunt enim concedi, & prodeſſe uiuis: Immò dato, & non conceſſo, locum Purgatorij non eſſe; viuentes adhuc in hac mortali vita, magis indigerent Indulgentijs. Cum enim nihil coinquinatum in Cœlos intret; laborandum, & contendendum ſummopere uiuentibus eſſet, ut in hoc mundo per pœnas proprias, uel Indulgentias ſatisfacerent. [Medina.]

Illos quoq; in Conſequēti peccare, abunde cōſtat ex Conc. Conſt. vbi art. 42. Vuitcleph contra Indulgētias, ut hęreticus condēnatus fuit; & ex Conc. Later. [Conc. Conſt. Cōc. Latera.]

ſub Inn.

ſub Inn. III. & ex alijs, quę ſuperius citauimus, & infrà in loco proprio adducemus.

Lvthervs deindè inſignis Hoſtis Indulgentiarum, earumq; acerrimus impugnator, ob quarū inteſtinū odium, exiſtimans propter earū impugnationē, Romano Pontifici, ſediq; Apoſtolicę maximā perniciem, & iacturā inferre; multū laborauit, omneſq; neruos contendit in illis demoliēdis, euertendiſq;. Quocircà errorem illū veterem ſuſcitauit, & docuit. Vanas ſcilicet, & fallaces eſſe Indulgētias; non ea rōne motus, q̄ Purgatorium non eſſet, (quamuis ēt in hac re valdè uarius fuerit, cū illud ſępè admiſerit; multis tñ erroribus admixtis, & poſtremò tandem omninò ſuſtulerit, & negauerit) ſed alijs, quas paulò poſt adducemus: Atque ex hoc lapſu, deinde oblitus ueritatis, & primę fidei, quam Deo dedit, lubricè in profundum aliarum hæreſum lapſus eſt. Conatur igitur oſtendere, poteſtatem conferendi Indulgentias in Eccleſia nullam eſſe, his quatuor rationibus. Lutherus uanas, & fallaces eſſe dixit Indulgentias.

Primo. Nullus hominū impedire poteſt diuina decreta, quæ Deus ſua voluntate ergà aliquem mortalium ſanciuit: Atqui Deus, diuina Iuſtitia ſic exigente, pœnas, & ſupplicia in peccatores ſtatuit; Ergò à nullo hominum poſſunt peruerti, commutari, ac remitti, ipſe enim Deus illorum ſolus exactor eſt, vel in hoc ſæculo, uel in futuro. Iuxta illud Pſalmi. 88. *Si peccauerint, uiſitabo eos in Virga ferrea*. Argumenta Lutheri contra poteſtatē cōferendi Indulgentias. Pſal. 88.

Secvndo Diuinę punitiones, & pęnę, quę à Deo pro peccatis infliguntur, ſunt medicinales, Cum per illas hō à peccatis, uel pręſeruetur, uel purgetur, hoc enim nomine à Deo immittuntur: ergò in nullius hominis eſt poteſtate, illas uel impedire, uel relaxare, uel commutare; Immò qui id tentaret, grauiſſimè peccaret.

Tertio. Papa, vel Eccleſia non pōt in pœnam Inferni, quę pro peccatis datur; q̄m in Inferno nulla eſt Redemptio. Item non pōt in pœnas Purgatorij (admittebat aūt tunc Lutherus Purgatorium) q̄m, pręter quamquod illud eſt extrà Pontificis Iuriſdictionē, pœnæ illę à diuina Iuſtitia definitę, quouſq; expientur, impediri ab hoīe non poſſunt. Pręterea nec in pęnas, ſeu afflictiones illas externas, quibus Deus flagellat homines in hac vita pro ſua volūtate. Cum. n. hę ſint effectus diuinæ prouidentiæ, & multoties diuinæ beneuolentiæ ergà nos, quis audebit illas impedire? Nec enim diuina prouidētia falli pōt, nec ſine ſacrilegio fas eſt, diuinū ergà nos amorē auertere: Deindè nec poteſt illis pęnis derogari, quę ad ſalutis neceſſitatē ab Euangelio proponuntur; ut Matt. 5. Vbi ieiunare, & orare pręcipitur. Ergò nullo mō Eccleſia, ſeu Pontifex, eas pęnas remittere, uel condonare poteſt, quas diuina Iuſtitia, & Prouidētia in peccatores decreuit; nec. n. Papa Deo eſt ſuperior. Quid? cū poteſtas ligandi, atq; ſoluendi par ſit; ideo quia Eccleſia non poteſt ligare, niſi ad pęnā Canonicā, quę ad Eccleſiaſticam ſocietatē in officio continendā ab hominibus adinuenta eſt; pari modo, nec poterit abſoluere, niſi à pœna Canonica. Fruſtrà igitur Eccleſia, vel Pontifex per Eccleſiaſticas Indulgentias, & Iubileos, pœnas, quæ in foro diuinæ Iuſtitiæ debentur, excludere conatur. Matth. 5.

Qvarto illo argumento communi. Chriſtus pro nobis ſatisfecit in Cruce per paſſionem ſuam. Ergò fruſtratoria eſt in Eccleſia, omnis poteſtas conferendi Indulgentias. His argumentis alia addamus, & ſit Quintum in ordine.

Qvinto. Effectus ſacramenti non poteſt conferri abſque Sacramento, niſi ab eo, qui habet poteſtatem excellentię quoad Claues, & quoad Sacramentum: Atqui is ſolus Chriſtus eſt, ut communis eſt doctrina Doctorum. Ergò non poteſt Eccleſia extrà Sacramentum remittere pęnam temporalem, debitam Deo pro peccato, quæ eſt effectus Sacramenti, Baptiſmi, ſcilicet, & Pęnitentiæ.

Sexto. Si poteſt Eccleſia extrà Sacramentum remittere pœnam pro peccatis Deo debitam; poſſet quoque extrà Sacramentum remittere culpam, cùm indifferenter veraque poteſtas ei concedatur, vt Matthæi 16. 18. & Ioannis 20. Matth. 16. & 18.

Septimo. Eccleſia non poteſt hominibus augere gratiam, & applicare merita, & præmia, & bonum Charitatis extrà Sacramentum. Ergò nec auferre malum pœnæ extrà Sacramentum. Ioan. 20.

Octavo. In lege veteri non fuit poteſtas data Synagogæ conferendi Indulgentias. Ergò neque Eccleſiæ Chriſti.

Nono. Si Eccleſia poſſet diſpēſare Theſaurum ſpirituale Chriſti, poſſet quoq; diſpenſare Theſaurum ſpiritualem Synagogę; ſed hoc non pôt; ergò neque illud.

Decimo. Si aliqua ratione poſſet Eccleſia remittere pœnas per viam Indulgentiæ, eſſet diſpenſando Theſaurum meritorum Chriſti; ſed hoc non concludit poſſe fieri ſine Sacramento. Ergò, &c.

Diceret enim quis, taxatum, & definitum eſſe à Chriſto modum in Sacramentis, quo huiuſmodi diſpenſatio fiat; non autem extrà Sacramentum.

Præterea, iſta diſpenſatio Theſauri, vel eſt actus abſolutionis, vel diſtributionis in partes communitatis faciendę, non diſtributionis, quia tunc dare Indulgentias non eſſet actus Iuriſdictionis, nec ſuſcipientes illas abſoluerentur corā Deo à uinculo Pœnitentiarū: Non abſolutionis, quia hæc non includit per ſe, & directè Theſauri diſpēſationē, vel applicationem; Immò nullū Theſaurum prȩſupponit.

2. Cor. 2. Vndecimo. Quoniam locus Pauli 2. Corint. 2. *Si quid donaui vobis, &c.* nō intelligitur ſecundū ſenſum literalē de Donatione pœnę, quę fit per Indulgentias; ſed de pęna illa Canonica, uel Eccleſiaſtica, quę ulterius ſoluēda erat ab illo inceſtuoſo in foro cōtētioſo, ut ex textu patet, & ex multorū Doctorū interpretationibus.

Dvodecimo, & vltimo. In nullo loco Euangelij fundatur hæc poteſtas. Nam triū locorū, in quibus à Chriſto Apoſtolis traditur ptās remittendi, & ſoluēdi peccata, videlicet Ioan. 20. Matth. 18. & 16. nullus de poteſtate conferendi Indulgētias loquitur. Textus. n. ille Ioannis, de remiſſione peccatorū, quæ datur in Pœnitentiæ Sacramento, intelligi debet, ut definit Conc. Trid. ſeſſ. 14. Can. 3. & rectè interpretatur Chryſoſt. Hom. 85. & Cyril. lib. 12. cap. 56. locus autem Matth. 18. oībus Apoſtolis poteſtatē corrigendi inmorigeratos, leges ferendi, excōicandi, aliaſq; iuridicas, forenſeſque pęnas infligēdi tribuit, ut ex illo contextu perſpicuè colligitur. Vbi duos vel tres teſtes adhiberi, Eccleſię q; denunciatio fieri docetur.

Ioan. 20. Matth. 18. & 16. Conc. Trid. Chryſoſt. Cyrillus.

Alius verò locus Matth. 16. de ſumma, & vniuerſali Petri poteſtate, quā Chriſtus ei tradidit ad gubernandā Eccleſiam, ſermonē facit; Et cùm Textus ibi loquatur de ptāte, quę ſoli Petro tradita eſt, non uidetur congruū, intelligi dēre de ptāte conferendi Indulgētias, quę cęteris Eccleſię Prȩlatis cōis eſt. Non igitur aptus locus Scripturarū adducitur, in quo Chriſtus hmōi tradidit ptātem. Hęc ſunt argumenta, quę in hac re uidētur facere difficultatē; ſed facillimè à nobis diſſoluētur; ſi primùm Catholicā ueritatē in hac unica ſubſequenti propoſitione aperiamus.

CAPVT DECIMVM.

Quòd Chriſtus reliquerit Eccleſiæ poteſtatem concedendi Iubileos, & Indulgentias, probatur auctoritate Scripturæ.

Chriſtus Eccleſiæ ſuæ poteſtatem Indulgentias cōcedendi tradidit.

Catholica Propoſitio. Chriſtus Dominus tradendo ſuę Eccleſię poteſtatem clauium, tradidit quoque poteſtatem relaxādi pœnas peccatorum, extrà Sacramentū, ſeu quod idem eſt, conferendi Indulgentias.

Hæc propoſitio probatur primò, auctoritate ipſius Scripturę. Secundò, auctoritate Patrum. Tertiò Conciliorum. Quartò, ratione.

Auctoritate Scripturæ, ex Matthæi 16. & 18. probatur, Indulgentias ab Eccleſia conferri poſſe.

Loca Scripturæ.

Primo Chriſtus Dominus promiſit, & dedit Eccleſię ſuę omnem poteſtatē, tam ſacramentalem, quàm non ſacramentalē (ideſt, non ſolùm quæ in Sacramento exercetur, ſed ēt quę, extrà Sacramentū exerceri poteſt) remittendi, & ſoluendi peccata, quantū ad pœnā; ergò dedit ei poteſtatē conferendi Indulgentias. Cōſequentia eſt maximè euidens, nec alia probatione indiget; Antecedens verò ſatis clarè habetur Matt. 16. dū Petro dicitur, *Tibi dabo claues Regni cœlorū, et quodcū que ligaueris ſuper terram, erit ligatū, et in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terrā, erit ſolutū, et in cœlis:* In quibus verbis, cū dicat indiſtinctè, *quodcunque ſolueris*, Et pœnæ ſolu-

Matt. 16. Explicatio copioſiſſima verborū Chriſti. Tibi dabo claues &c. de hac poteſtate.

næ ſolutio comprehenditur: quam promiſſionem Dominus adimplens Matthæi 18. contulit de facto Petro, & cæteris eamdem poteſtatem, dicens vniuerſaliter, & ſine ulla alicuiuſmodi coarctatione: *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſo luta, & in cælo*; Matth. 8.

Nullum in hoc loco Dominus excepit modum remittendi peccata, nullum in ſpecie determinauit, ſed generatim, ac abſolutè locutus, generalem quoque atque omnimodam auctoritatem, miniſterialiter tamen, remittendi peccata dedit, non enim hunc incluſit, illum verò excluſit, ſed, & hunc, & illum in generali ſermone complexus eſt. Cùm igitur, vnus modus remittendi ſit, ut pœna peccatorum, extrà Sacramentum, per ſatiſfactiones Chriſti, & Sanctorum, ex communi Eccleſiæ Theſauro depromptas, remittatur, & ſoluatur, fit, ut hunc quoque modum à Chriſto in ſuis uerbis uniuerſalibus comprehenſum, & intentum, Prælatis Eccleſiæ ſuæ promiſerit, conceſſerit, ac dederit; omnem enim modum, omnemque rationem, peccata remittendi, quæ in Dei gloriam, in ædificationem Eccleſiæ, & ſubſidium animarum facit, diuinamque bonitatem, & amorem ergà peccatores, commendat; uerba Chriſti complecti, neceſſariò aſſerendum eſt; cùm Eccleſiæ ſuę, omnia poſſibilia, & conuenientia remedia, ad deletionem peccatorum reliquerit. Et in eodem loco Matthęi neceſſaria deductione, & conſequentia relicta eſſe affirmādum ſit. Nec obſtat, ibidem Chriſtum, particularem non facere mentionem de Indulgentijs; nam hoc ipſo, quod ibi agitur de cauſis peccatorum cognoſcendis, atque de eorum pœnis, in Dei foro remittendis, uel retinendis, poteſtatem quoque dandi Indulgentias, quę nil aliud ſunt, quàm peccatorum remiſſiones, comprehendit; In citatis autem uerbis Matthęi, pręfatam poteſtatem ſoluendi peccata Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus datam eſſe, docent expreſsè.

D. Hilarius, Can. 18. in Matthęum, ubi in eam ſententiam pulcherima quędam, & animaduerſione digna eleganter proſequitur, lege apud ipſum eo loco. D. Hilarius.

Et D. Hieronymus in Caput 18. Matthęi ait, *His verbis, poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant, qui à talibus condemnantur, humanam ſententiam, diuina ſententia roborari, & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter, & in cælo.* D. Hieron.

Et D. Auguſtinus, tomo 5. libro 20. de Ciuit. Dei, cap. 9. exponens uerba illa, *Sedes, & ſedentes ſuper eas, & Iudicium datum eſt. Non hoc*, inquit, *putandum eſt, de vltimo dici Iudicio, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernantur; Iudicium autem datum, nullum melius accipiendum videtur, quàm id, quod dictum eſt. Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt, & in cælo, & quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt, & in cælo.* D. Auguſt.

Idem Auguſtinus tomo 9. tract. 22. in Ioannem, exponens uerba illa de Lazaro, *Soluite illum, & ſinite abire, Quo modo*, inquit, *dictum eſt miniſtris Apoſtolis, quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt, & in cælo.*

Et tract. 49. verſus finem, inquit, *Sed ut confiteris, Deus facit, magna voce clamando, ideſt, magna gratia vocando, ideò cum proceſſiſſet mortuus, adhuc ligatus confitens, & adhuc reus, ut ſoluerentur peccata eius, miniſtris hoc dixit, ſoluite illum, & ſinite abire, Quid eſt ſoluere, & ſinite abire? quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt, & in cælo.*

Idem Auguſtinus tomo 10. in lib. Quinquaginta Homiliarum Homilia 23. verſus medium dicit, *Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt, quod ait Chriſtus, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt, & in cælo.* Et plura in hanc ſententiam; cui etiam ſubſcripſit D. Chryſoſtomus homil. 61. in Matth., & Anſelmus in eumdem locum, qui omnes affirmant, (& eſt communis expoſitio) Dominum ibidem loqui de poteſtate clauium, qua Apoſtoli, eorumque ſucceſſores ligant, vel abſoluunt peccatores. Nec Origenis expoſitio in commentaria ſuper Matth., qua dicit, hoc in loco non Eccleſiaſticam poteſtatem tradi, ſed fraternam correctionem iuberi, admittenda eſt; Impropriè enim dicitur, quis aliquem ſoluere, qui ſua admonitione in cauſa eſt, vt ille à peccatis reſipiſcat, & per Pœnitentiam à peccatorum vinculis ſoluatur, ſicut etiam impropriè ligare dicitur, qui ſua denuncia- Chryſoſt. Anſel. Origenes.

tione efficit, vt peccator habeatur tamquã ethnicus,& publicanus; hæc, inquam, impropria ſunt; ſicut etiam, quæ affert Theophylactus in hunc locum, exponens illum de remiſſione iniuriarum, dicitque, eos ligare, qui iniuriam retinent, illos autem ſoluere, qui remittunt. Et quamuis aliqui, vt Anſelmus, exponant hunc locum præcipuè de poteſtate Iuriſdictionis, per quam excõmunicatione alligantur peccatores; nihilominus cęteri Patres iam citati, de vtraque poteſtate ordinis, ſcilicet, & iuriſdictionis verba Matthęi exponunt, cùm generaliter in ipſo textu dicatur, *Quæcumque ſolueritis &c.* ſicut etiam Matthęi 16. *Quodcumque ſolueris, &c.* Verùm ſicut certum eſt, in loco illo Ioannis 20. dari à Christo pręcipuè poteſtatem remittendi peccata in Sacramento Pœnitentię, vt D. Chryſoſtomus Homil. 85. in Ioannem, & Cyrillus lib. 12. cap. 56. quamuis etiam addat Baptiſmum, & Hieronymus in Epiſtola ad Hędibiam, quęſt. 9. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. Can. 3. & 9. Ita quoque certum eſt, prefatum locum Matthęi ex clara ſanctorum Patrum doctrina de poteſtate ligandi, uel ſoluendi, etiam extrà Sacramentum, accipiendum eſſe, uel per leges, vel per excommunicationem, uel etiam per condonationes, & remiſſiones pœnarum, quę, pro peccatis ſolui debebant; At verò hunc locum in ſequentibus fuſius proſequemur.

Theophylactus.
Expoſitio Anſelmi in hunc locum.
Matt. 16.
D. Chryſoſt.
D. Hieron.
Conc. Trid.

INTERIM Kemnicius Hęreticus, & alij ſectarij audiendi non ſunt, qui in locis citatis nil aliud afferunt eſſe, ſoluere, vel ligare, quàm uel publicè, uel priuatim concionari, de Pœnitentia, & fide in Chriſtum, ut per illam, iuſtificatio, & remiſſio peccatorum apprehendatur. Profectò noua, & falſa eſt hęc Interpretatio, non ex ſanctis Patribus, ſed ex proprio, ac deprauato ſenſu, deducta. legantur, Cyprianus lib. 1. Epiſtola ſecunda, Hilarius Canone 16. in Matth. Ambroſius libro primo de Pœnit. cap. 2. & 7. & lib. 2. cap. 2. Auguſtinus lib. 2. de Adulterinis coniugijs cap. 6. & Pſal. 101. concione ſecunda, Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, & Homil. 55. in Matth. Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 55. Theophylactus, & Euthimius in caput 16. Matthæi, & alij, quamplures. Qui omnes, in communi ſunt ſententia, vt in illis Chriſti verbis, vltrà cæteras facultates, poteſtas quoque remittendi peccata, re ipſa, veraciter, & efficaciter Eccleſiæ miniſtris, tamquam eius inſtrumentis tradatur: Immò ipſamet verba Chriſti apertè id ſignificant; Nec enim ſanat ęgrotũ, qui tantummodò Medicum indicat, à quo ſanitas ſit procuranda, nec portam aperit, qui fabrum docet, per quem oſtium ſit reſerandum, ſic etiam nec remittit peccatum, qui pręd icat Chriſtum ut ab eo per fidem ſolam, (ut illi aſſerunt) remiſſionem delictorum accipiat. Allucinantur itaque Hæretici in horum uerborum expoſitione, ſicut etiam in expoſitione illorum verborum Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, In quibus etiam auctoritatem prædicandi Euangelium, quo peccata dimittuntur, dari contendunt. Poteſtatem enim concionandi diuerſam eſſe à poteſtate remittendi peccata, euidenter ex eo cognoſcitur; quòd ante reſurrectionem Diſcipuli miſſi ſunt à Chriſto ad Euangelium prædicandum, Lucæ 10. *Miſit eos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus:* & paulò poſt; *Dicite*, inquit, *appropinquauit in Vos Regnum Dei:* & tamen poteſtatem remiſſionis peccatorum non dum nacti erant. Adde, quòd poteſtas prædicandi vniuerſaliter per totum orbem, data eſt illis uerbis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ità Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 55. vt etiam Matthæi 28. Quæ verba diuerſa ſunt ab illis, quæ ſequuntur, nempè, *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis &c.* vt rectè Cyrillus eodem libro, cap. 56. animaduertit; Diuerſæ igitur ſunt poteſtates, ſed quid plura? Num ſola Euangelij annunciatione, remittitur peccatum? certè pleraque alia ſunt neceſſaria ad conſequendam remiſſionem. Igitur poteſtas prædicandi longè alia eſt à poteſtate ſoluendi, uel remittendi peccata, ſeu eorum pœnas. Quod ſi inſtet Hæreticus, ubinam hæc poteſtas ſoluendi peccata Apoſtolis tributa fuerit, cùm etiam in loco Matthæi 18. illa non exhiberi, ſed promitti videatur. Reſpondendum eſt, etiamſi nullus locus Scripturę adduceretur, in quo huiuſmodi poteſtas actu tributa eſſet Apoſtolis, cùm Chriſtus illam promiſerit, nec mentiri poſſit, aliquando illam eis

Falſa explicatio hæreticorum de eo, quod eſt ſoluere, & ligare.
Cyprian.
Hilarius.
Ambr.
Auguſt.
Chryſoſt.
Cirillus.
Theophyla.
Euthym.
Quid ſoluere, & ligare comprehendat ex Patribus exponit.
Iohan. 20.
Luc. 10.
D. Cyrillus.
Vbi ſit locus Scripturæ, in quo Apoſtolis tradita fuit poteſtas ſoluẽdi peccata.

tradidiſ-

tradidiſſe, neceſſariò fatendum eſt. Sed dicamus, poteſtatem Iuriſdictionis etiam extrà ſacramentum Apoſtolis, tributam eſſe, Matt. 18. Ità Anſelmus, & alij, atque etiam Ioannis 20. illis uerbis, *Pax Vobis, ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos.* Tunc enim illos, ut Cyrillus ait, lib. 12. cap. 55. totius orbis Doctores, Prædicatores, Gubernatores, ac Miniſtros ſalutis fecit: clauem uerò ordinis in ſequentibus uerbis, *Accipite Spiritum Sanctum.* Petro autem tamquam principali, & ordinario paſtori ſigillatim maior, & pleniſſima Iuriſdictio etiam exterior collata fuit, cùm illi dictum fuit Ioan. 21. *Paſce oues meas.* De qua re inferius ſuo loco. Concludendum eſt igitur, quod Eccleſia ſicut in Sacramento poteſt remittere pœnam peccatorum, ità etiam extrà ſacramentum ex loco capitis 18. Matthæi, Sanctorum Patrum interpretationibus illuſtrato.

Matth. 18. Ioan. 20.

Ioan. 21.

CAPVT VNDECIMVM.

Idem ex eiſdem locis Scripturæ alia oſtenditur via.

SECVNDO in eiſdem locis Matthæi 16. & 18. & Ioannis 20. conceditur à Chriſto Eccleſiæ poteſtas remittendi peccata, ut in textu patet; ergò, & conferendi Indulgentias, ſeu remittendi pœnas peccatorum extrà Sacramētum. Cum enim peccatum dicat duo, & culpam, & pœnam: profectò, ad remiſſionem utriuſque, poteſtas tradita eſt, aliàs non peccatum integrè; ſed pars peccati remitteretur. Igitur ſicut Eccleſia remittit aliquam pœnam virtute Clauium, quando per Sacerdotis ſententiam, ſatisfactionem ei, qui confitetur, iniungit; ſic quoque remittere poteſt reſiduum pœnæ, quæ ſupereſt, remiſſa culpa, ab ipſo Pœnitente, uel in hoc mundo, uel in Purgatorio, exoluendæ. Hæc enim cùm ſit remiſſibilis, & ſolutionem, ſeu relaxationem admittere poſſit etiam in hac uita, quærendum eſt à qua poteſtate ſolui, & remitti debeat? Et quidem, mea ſententia, neceſſariò dicendum eſt, uelint, nolint Aduerſarij, ab illa poteſtate, de qua dixit Chriſtus, conferendo illam Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus. *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælis.*

Chriſtus concedēdo facultatem remittendi culpas, conceſſit, & ſoluendi pœnas, & conſequenter concedendi Indulgentias.

Sed reſpondent Aduerſarij, dumtaxat hanc poteſtatem Eccleſiæ conceſſum eſſe in Sacramentis; non autem extrà collationem ſacramenti, extrà quam nec pœnam, nec culpam remittere poſſit. Sed contra.

PRIMO, poteſtas remittendi culpam, præſertim mortalem, ideò eſt ſacramentis alligata; quoniam ad culpæ remiſſionem requiritur infuſio gratiæ, quam Eccleſia, eiuſque Miniſtri dare non poſſunt abſque ſacramento, ergò ſi in aliquo genere remiſſionis non exigatur collatio gratiæ; ſed ſine eius infuſione fieri poſſit, poterit utique extrà ſacramentum, talis remiſſio præſtari; Atqui remiſſio pœnę huiuſmodi eſt, ſcilicet, vt ſine collatione gratiæ fieri poſſit, cum aliquid pœnæ remaneat, poſtquàm iam culpa eſt remiſſa, ergò etiam fieri poterit ſine ſacramento. Remiſſio enim culpæ ex natura rei eſt alligata ſacramentis; Remiſſio verò pœnæ nequaquam; ſed tantùm Theſauro Eccleſiaſtico, ut inferiùs dicetur. Et hæc replica eſt Paludani in 4. diſtin. 20. quæſt. 4. art. 1. dub. 3. & Soti in 4. diſtin. 21. quæſt. 1. ar. 1. in ſecunda probatione Concluſionis, & Caietani in tract. 16. tomo 1. quæſt. 4. & Cordubenſis. quæſt. 7. de Indulgentijs.

Quod hæc poteſtas ſit etiam extra ſacramentum.

Palud. Sotus. Caietan. Cordub.

Secundo, (& eſt noſtra Replica) Cum aliquid pœnæ temporalis remaneat ſæpè in homine poſt culpam remiſſam in ſacramento, (quod quamuis remittat pœnam ęternam, certum eſt tamen, non remittere totam pœnam temporalem, niſi tanta contritio eſſet, quę illam omnino abſorberet.) Quæro igitur, quando relinquitur hęc pœna; uel illa eſt ſolubilis, peracto ſacramento, uel non? ſi eſt ſolubilis, habetur intentum; ſin minus, uerba Chriſti falſa erunt, dum dixit uniuerſaliter, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælis.* Nec iterum dicant, pe-

racto ſacramento.in alio ſacramento ſolui poſſe. Nam vrgendum eſt,an huiuſmodi pœna ſit remiſſibilis extrà ſacramentum,vel non; et ſi hoc poſtremum dicant, Chriſtus profectò mentitur, dum fallacem Eccleſiæ poteſtatem tradit ſoluendi quamcumque pœnam, cum tamen vna reperiatur, quæ ab Eccleſia ſolui non poſſet.

Differentia, quam ponit Roſenſis inter hæc loca Matth. 16. & 18.& Io.20.

Rofensis Cardinalis Vir eruditiſſimus in libro, quem contra Martinum Lutherum ſcripſit,magnum diſcrimen ponit, inter hæc tria loca adducta, videlicet Matthæi 18.16.& Ioannis 20.nec de vna,eademque re Chriſtum in illis loqui arbitratur,exiſtimat enim locum Ioannis ad Pœnitentię Sacramentum pertinere, locum ex Matthæi 18.ad iudicialem proceſſum,pœnaſq; forenſes;illũ verò Matthæi 16.ad poteſtatem conferendi indulgentias ſpectare. Multa adinuenit ille diſcrimina inter hæc loca. Locum Matthæi 16. diuerſum eſſe ab alijs duobus, in quinque ponit. Primò,quia ibi Petro tantùm Chriſtus locutus eſt. Deinde,quia ibi tantùm fit mentio clauium Regni Cœlorum, non in alijs, quamuis in altero loco Matthæi, Cœli in ſingulari,nullo tamen pacto Clauium mentio fiat. Tertiò,in illo dumtaxat ponitur diſtributio ſuper ſingulare. *Quodcumque*,inquit, *ligaueris*; In altero verò Matthæi loco eſt quidem diſtributio; ſed ſupra vniuerſale, *Quæcumque*. Quartò,quoniam in Matthæi 16.ponitur verbum ſoluendi,in 18.verò,alligandi;apud Ioannem verò,remittendi,quæ omninò, ut uidetur,contrariã habent ſignificationem. Quintò,nam ſi locus Matthæi 16.eumdem ſenſum haberet cùm altero illorum,profectò conſentiret cum illo,qui eſt apud eumdem Matthæum 18.cap. Atqui ab illo diuerſiſſimus eſt. Numquam enim idem Euangeliſta vnam, eamdemque rem ſępè repetit; ſed ab alijs locis ſemel narratis diuerſus eſt,& ideò diſtinctum habent ſenſum locus ille ab iſto.

In quibus differat ab alijs locus Mat. 16

Quæ diſcrimina ſint inter locũ Mat. 18.& Io.20.

Qvod autem alia duo loca Matthæi 18.& Ioan. 20.diuerſa inter ſe ſint, facillimè demonſtratur. Primò Matthæus vtitur verbo,alligandi Ioannes uerò retinendi,quæ inter ſe diſtant:ligare enim eſt de nouo aliquem uinculo conſtringere; Retinere vero,eſt in priori uinculo aliquem confirmare. Secundo,apud Matthæum, prius ligandi poteſtas,deindè ſoluendi ponitur. E contra apud Ioannem prius remittendi,deinde retinendi. Tertio apud Matthæum non dicitur, *Accipite Spiritum Sanctum*; apud Ioannem uero dicitur. Item hiſtoria Matthęi fuit ante mortem Chriſti;Ioannis vero poſt Reſurrectionem. Et ſi verum eſt,quod D. Hieronymus ſcribit in libro de Viris Illuſtr. Ioannem ea dumtaxat enarraſſe,quę ab alijs Euangeliſtis prętermiſſa fuere;non autem repetijſſe,quę ab alijs ſcripta ſunt;quomodo hi duo loci non erunt inter ſe diuerſi?

D.Hieron.

Fvndat igitur tres diſtinctas poteſtates,ex horum trium locorum differentia.

Triplex poteſtas ex horum locorum differentijs.

Primam forenſem, ut diximus, in externo foro Eccleſiaſtico in Matthęi 18.in quo cunctis Apoſtolis in uniuerſum datur poteſtas alligandi per excommunicationem,facta priùs triplici Canonica monitione,& deinde eos, qui, ſequuta pœnitentia,reſipiſcunt, ſoluendi.

Alteram poteſtatem,ordinis uidelicet, in Pœnitentię,ſacramento, remittendi peccata,in illo loco Ioannis, *Accipite Spiritum Sanctum,quorum remiſeritis peccata.*

Tertiam poſtremò poteſtatem à duabus pręfatis diſtinctam (quę non in contumaciam,ut prima,neque in culpas ipſas, ut ſecunda, ſed in pœnas, quæ, remiſſo peccato,relinquuntur, ſuas actiones exercet) in illo Matthæi loco 16. In quo Petro dicitur *Quodcumque ligaueris ſuper terram,&c.* Eſtque hęc poteſtas propria Petri,& exhibita ei fuit in pręmium confeſſionis diuinitatis Chriſti, dum dixit, *Tu es Chriſtus filius Dei Viui*;ob quam hęc uniuerſalis Petri poteſtas ſuper omnes cœlos,ideſt,ſuper omnes Eccleſias,& fidelium congregationes, ad uiuos deindè,& mortuos,apud Purgatorium detentos,ſe extendit.

Cvm igitur Eccleſia has tres dumtaxat agnoſcat poteſtates. Sacramentalem, forenſem, & eam, quę per Indulgentias, pœnas peccatorum ſoluit, nec illa quę Matthęi 16.Petro à Chriſto datur,ſit,uel forenſis, uel ſacramentalis, omnino relinquitur,quod ſit illa,per quam Indulgentię conferuntur. Docet igitur Roſenſis

in eo

in eo loco, peccata ſoluere, nil aliud eſſe, quàm pœnas donare, & indulgere; Atque hoc in Petri poteſtate ſitum eſſe.

Medina hanc Ioannis Roſenſis ſententiam in diſput. 5. de Indulgentijs cap. 17. non omninò comprobat, ea ratione motus, quòd ab ordinaria poteſtate conferendi Indulgentias, non modò reliquos omnes Apoſtolos, uno excepto Petro; ſed etiam vniuerſos Epiſcopos excludere videatur. Ea enim auctoritas Matthæi 16. in qua, (iuxtà Roſenſis ſententiam) tantummodò huiuſmodi poteſtas fundatur, de ſolo Petro loquitur, nec ad reliquos Apoſtolos, qui tunc præſentes erant, ſe extendit; Atqui relaxandi pœnas, Epiſcopos ordinariam habere poteſtatem, decretum eſt commune Theologorum, Romanorum Pontificum, & Cōciliorum. Quamobrem excogitauit Medina alias, præter hunc locum, Indulgentiarum ſedes inquirere, & explicatis per ipſū ſex poteſtatibus à Chriſto erga peccatores inſtitutis, quæ apud illum legantur; concludit tandem, quod tamen Sotus ante illum ſcripſit in 4. diſtin. 20. quæſt. 1. art. 2. conc. 1. & 4., etiam in Matthæi 18. cap. comprehendi hanc diuinam poteſtatem, compenſandi pœnas temporales peccatorum, omnibuſvè Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus collatam fuiſſe, in illis verbis, *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcumque ſolueritis, ſoluta erunt*; Vbi generalis poteſtas circà peccatores, etiam non ſacramentalis, traditur. Multa hic Auctor ſcribit, in huius ſententiæ confirmationem, quæ apud illum videnda ſunt. Nos alia loca, ubi poteſtas Indulgentiarum indicatur, proferamus.

Doctrina ſuprapoſita ex Roſenſi non placet Medinæ, & cur.

Sotus.

CAPVT DVODECIMVM.

Probatur idem ex loco Ioannis 21. Paſce oues meas.

Tertio probatur idem ex alio loco Scripturæ Ioannis 21. Cùm dicitur Petro, *Paſce oues meas*; In quo verbo traditur Petro poteſtas paſcendi fideles ſpirituali doctrina, gubernatione, & prouidentia erga illos, ſacramentis, applicationeque Theſauri Eccleſiaſtici, eiuſque diſpenſatione. Vnde cùm talis paſtus, & poteſtas non ſit ibi limitata à Chriſto, nec à nobis videtur limitanda; & cùm Chriſtus, tamquam ſponſus, ex ratione deſponſationis, Eccleſiæ ſuæ inexhauſtum, & illimitatum infinitumque ſuorum meritorum Theſaurum reliquerit, ad filios gratiæ educandos, ad onus pœnarum quæ illos grauant, ſubleuandum, ad eorum animas recreandas, & refocillandas, ad ipſorum denique plenam pænarum redemptionem, vt latiùs inferius; poteſtatem quoque in eius capite reliquit, eumdem Theſaurum fidelibus diſpenſandi, & applicandi; quod ad poteſtatem paſcendi agnos, & oues præcipuè ſpectat. Vnde Leo Papa in Epiſtola 89. ad Epiſcopos per Viennenſem Prouinciam conſtitutos inquit, *Cùm Petro præ cæteris, ſoluendi, & ligandi tradita ſit poteſtas; paſcendarum tamen ouium cura ſpecialiùs mandata eſt.* Ex hoc eodem loco Gerſon non obſcurus Theologus lib. 4. quæſt. penult. colligit, ſecundum Theologos, & Canoniſtas, magnas diuitias ſpirituales, totumque theſaurum Eccleſiæ, qui ad paſtum ſpiritualem neceſſario requiritur, Petro eiuſque ſucceſſoribus, à Chriſto diſpenſandum, traditum eſſe, additque, Petrum hac poteſtate conferendi Indulgentias, vſum fuiſſe erga illos, quos corporaliter ſanauit;

Ex Verbis Chriſti Io. 21 Paſce oues meas, eadem poteſtas demonſtratur.

D. Leo.

Gerſon.

Lutherus in libro de poteſtate Papæ, ut eneruaret ſummi Pontificis auctoritatem, exiſtimauit, per vocem illam, *Paſce*, nullam conceſſam fuiſſe Petro nouam poteſtatem, ſed tantummodo datum illi fuiſſe ſimplex præceptum concionandi, docendi, & diligendi. *Paſcere enim*, inquit, *non eſt præeſſe, ſed cibum præbere, & miniſtrare, quod etiam inferiori Miniſtro, vel Dapifero conuenit.*

Refertur falſa expoſitio Lutheri in hunc locum, & rationibus confutatur.

Sed errat. Primum, quoniam ille propriè, & primariò dicitur alium paſcere, qui non

Quis nam ue

[eatur paſcere alium.] qui non quacumque ratione dapes menſæ miniſtrat; ſed qui procurat, & prouidet alteri cibum, & cuius impenſis, vel induſtria edulia præſtantur; quòd certè proprium eſt illius, qui tamquam præpoſitus, & gubernator, ſuper familiam eſt conſtitutus. Iuxtà illud Lucæ 12. [Luc. 12.] *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens? quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram.*

[Quid ſit propriè, & verè paſcere; & quænam ſit paſtoris munus.] Praeterea per vocem, Paſce, omnem actum Paſtoralem intelligi debere, cōmunis vſus loquentium demonſtrat: Idem enim eſt paſcere, ac agere, vel eſſe Paſtorem; Paſtoris autem partes ſunt, etiam apud rudes, non ſolùm prębere cibum, ſed etiam ducere, reducere, defendere, cædere, caſtigare, condonare, regere, ac pręeſſe, immò minis, & uirga ad obediendum cogere, denique cętera munia paſtoralia præſtare quę Ezech. enumerat, cap. 34. [Ezechiel 34.] Vnde in Scripturis ſæpè Paſcere, pro regere ſumitur, ut Pſalmo 2. [Pſal 2.] *Reges eos in uirga ferrea*, ideſt Paſces eos, vt in Hæbręo habetur, & Pſalm. 77. [Pſal. 77.] *Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, & Pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*, Item Pſal. 79. [Pſal. 79.] *Qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ouem Ioſeph*, Vbi Hębraicè eſt, *Paſcis*, & apud Iſaiam capite 44. [Iſai. 44.] ad ſignificandum imperium, & regnum Cyri, nomine paſtoris nuncupatur. *Paſtor meus es tu.* Et Verbum Ioannis loco citato non paſcere quocumque modo; ſed regendo, & præſidendo ſignificat, eſt enim cum Ianſenio [Ianſen.] aduertendum capite 148. ſuæ Concordiæ, parte vltima, quòd, quamuis in prima, & tertia locutione, Chriſti ad Petrum Græcè ſit βόσκε, in ſecunda tamen eſt ποίμαινε, quod ſignificat non paſcere, vel præbere cibum ſimpliciter, ſed regendo, ac dominando gregi prouidere; ſic etiam Michæę 5. [Mich. 5.] & Matthæi 2. [Matth. 2.] idem verbum ponitur, dum dicitur, *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*, & Apoc. 19. [Apoc. 19.] *Ipſe reget eos in virga ferrea.* Vnde Petro, tamquam Rectori, ac Pręfecto Eccleſię, paſcere fideles Chriſti conuenit. Atque ita hæc verba Ioan. D. Aug. [Auguſt.] exponit tom. 10. de verb. Domini ſer. 62. ſic dicens. *Paſce oues meas. Commendabat Petro Chriſtus agnos ſuos paſcendos, qui paſcebat, et Petrum. Quid enim præſtare poterat Domino, maximè iā immortale corpus gerenti, & in Cœlum aſcenſuro? In hoc oſtēde quia amas me. Paſce oues meas. Ergo fratres cū obedientia audite, oues vos eſſe Chriſti, quia, & nos cum timore audimus, Paſce oues meas. Si nos cum timore paſcimus, & timemus pro ouibus; ipſæ oues quomodo pro ſe timere debent? Pertineat ergo ad nos cura, ad oues obedientia; ad nos vigilantia paſtoralis; ad vos humilitas gregis.* Hęc Auguſtinus. Idem ex Chryſoſt. [Chryſoſt.] Homil. 87. in Io. & lib. 2. de Sacerd. & ex D. Greg. [Greg.] in toto opere de cura paſtorali, atque ex D. Bernardo [Bernard.] lib. 2. de conſideratione colligitur. Quod autē D. Petrus in ſua 1. Canonica capit. 3. [1. Pet. 3.] inquit, *Neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis*; huic veritati non repugnat; ſicut etiam ea, quę ſcribit Auguſtinus [Auguſtin.] tract. 163. ſuper Iohan. ibi, *Sit amoris officium paſcere dominicum gregem. ſicut fuit timoris indicium negare Paſtorem.* Quoniam dominandi tantùm libidinem, atque ſuperbiam excludunt, non rectitudinem imperandi. Vitium dominij damnant, nō naturam, ut rectè Theophilactus, [Theophil.] & Euthym. [Euthim.] in cap. 10. Iohannis docent. Ex quibus conſtat; in citatis verbis, *Paſce oues meas*, ſummam poteſtatem omnis functionis paſtoralis, atque ob id etiam conferendi Iubilęum, & Indulgentias, Petro conceſſam fuiſſe; eo pręſertim tempore, quo ipſum Chriſtus Dominus, ſuum Vicarium inſtituit.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ex verbis Matthæi 16. Tibi dabo Claues, idem deducitur.

[Poteſtas clauium ad quæ ſe extendat.] QVARTO probatur ex eodem loco Matthęi 16. ſed ex alijs verbis, illis uidelicet, *Tibi dabo claues Regni Cœlorum.* Ex quibus per neceſſariam conſequentiam colligitur in Eccleſia poteſtatem eſſe concedendi Indulgētias. Facultas enim Clauiū, quas Chriſtus Eccleſię in Petro conceſſit,

præter

prętet vſum, quem in Sacramentis habet, & potiſſimum in Sacramento Pœnitentię, ligandi, atque ſoluendi, latiſſimè quoque patet extrà Sacramentum, & in foro exteriori: dum Eccleſiæ Pontifices, & præſertim Summus, vel pœnas earum culparum, quæ remiſſæ ſunt, ſoluit, & condonat, vel incorrigibiles, & rebelles Eccleſiæ præceptis, ac legibus; immò vinculo etiam excommunicationis, aliarumque cenſurarum, conſtringit, & ligat. Verùm cum culpa, & pœna impedimenta ſint ad ingreſſum Regni Cęlorum. (*Nihil enim coinquinatum intrabit in illud, & quis habitabit in tabernaculo tuo?* dixit Dauid, *Qui ingreditur ſine macula;* &, *Abſterget Deus omnem lachrymam, neque dolor erit vltrà, &c.*) ad Claues Regni Cęlorum ſpectare, neceſſe eſt, vtrumque impedimentum tollere; alioquin aperire Regnum Cœlorum fidelibus, non ſufficerent. Cùm igitur remaneat pœna ſoluenda, ad quam peccator ex diuina Iuſtitia tenetur, peracto iam Sacramento, per quod remotum fuit culpæ obſtaculum, relinquitur, quod in Eccleſia Dei ſit facultas, & auctoritas à Chriſto tradita (quæ in virtute dictarum Clauium contineatur) per quam debitum talis pœnæ (dando tamen homini ex Theſauro, vnde tale debitum ſoluat) tamquam impediens ingreſſum Regni Cęlorum, remoueatur. Hanc rationem indicat Caietanus tract. 16. tom. 1. quæſt. 4.

Caietan.

Quid Clauiũ nomine ſignificetur.

Hæreticorũ falſa expoſitio.

Sed, ut hæc ratio, ex hoc loco Scripturæ deducta, maximi ponderis eſſe cognoſcatur. Explicandum eſt, quid ibi per Claues intelligatur. Vuicleph, vt refert Thomas Vualden. 2. to. de Sacramẽtis. cap. 144. & duobus ſequentibus; & Caluinus Inſtitutionum lib. 4. cap. 41. num. 1. & Philippus de Mornay in libello gallico de Eccleſia cap. 7. exiſtimarunt per claues hoc in loco, nil aliud ſignificari, niſi poteſtatem prædicandi Euangelium, communiter omnibus Eccleſiæ miniſtris traditam: *Habemus*, inquit, *poteſtatem clauium eſſe ſimpliciter in illis locis Matthæi 16. & Ioan. 20. de ſoluendis, & ligandis peccatis, Euangelij prædicationem, nec tàm poteſtatem eſſe, quàm miniſterium;* & iterum, *Peccatorum remiſſio, quam annunciant, vera Dei promiſſio eſt: damnatio, quam pronunciant, certum eſt Dei Iudicium.* Docet ergo hanc poteſtatem clauium, totam poſitam eſſe in annunciando ſalutem credentibus, & incredulis damnationem, & ſic ſolui, vel ligari peccata; exiſtimatque hanc poteſtatem, diſtinctam eſſe ab illa Iuriſdictionis, quæ habetur Matthæi 18. cuius actus eſt excommunicatio perſonalis, ſeu reconciliatio. Appellat Caluinus hanc ſuam huius loci interpretationem, non argutam, non coactam, non diſtortam; ſed germanam, fluentem, & obuiam. Verùm niſi inuidia primatus Petri commouiſſet cor illius ad loquendum, & manum eius ad ſcribendum, ſanè tam diſtorta, & abſurda non eſſet illius interpretatio, quæ cùm à recta ratione minimè proficiſcatur, à veritate quoque longò interuallo diſtat. Vt enim prædicatio Euangelij ſit pars aliqua poteſtatis Clauium, nequaquam tota eius poteſtas eſt; ut paulò poſt latiùs dicetur, immò annunciatio ipſa Euangelij non remittit peccatum; ſed abſolutio in Pęnitentię Sacramento. Quamuis enim prædicatio à Paulo 2. Corinth. 5. dicatur verbum reconciliationis, id tamen intelligendum eſt excitatiuè, & motiuè, ità ut per conciones moueantur homines ad Pęnitentiam agendam, per quam deinde Deo reconciliantur. Vnde Chryſoſtomus, & Cyrillus in præcitatum locũ Ioannis, & D. Hieronymus in Epiſtola ad Hædibiam, quæſt. 9. per auctoritatem remittendi peccata, non poteſtatem concionandi; ſed poteſtatem conferendi Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ intelligunt, de qua re legendus eſt Ambroſius in libro de Pęnitentia, & nos paulò antè fuſius diſputauimus.

Caluini malitia.

2. Cor. 5.

Chryſoſt.
Cyrill.
Hieron.

D. Ambroſ.

Vera expoſitio Patrum, quid ſignificent Claues.

D. Chryſoſt.

Qvid igitur per Claues? Veteres Patres, omneſq; Catholici per Claues datas Petro, intelligunt ſupremam poteſtatem, quam Chriſtus Petro, ſuiſque ſucceſſoribus in vniuerſam Eccleſiam militantem, tribuit. Sic Chryſoſtomus Homil. 55. in Matthæum verſus medium, in illis verbis, *Quid das quæſo? Claues, inquit, Regni Cælorum, vt quæcumque ligaueris, &c. Nam quæ Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem; & vt futura Eccleſia, tot, tantiſq; fluctibus magno impetu irruentibus, immobilis maneat, cuius Paſtor, & Caput, Piſcator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet. Hæc (inquam) omnia, quæ ſolius Dei*

ſunt, ſe

ſunt, ſe pollicetur daturum. Hęc Chryſoſtomus. Deindè comparat Petrum Hieremiæ dicens, *Ita, & Pater ad Hieremiam dicebat, ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſuit te; ſed ipſum quidem genti vni Pater; Hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.* Et deindè quęrit, quę maiora ſint dona, quę Pater, aut quę filius Petro largitus eſt? *Pater quidem* (verba ſunt Chryſoſtomi) *reuelationem ei filij ſui dedit. Filius autem partim, vt iam Patris, quàm filij ſui reuelationem vbique terrarũ poſſet ſeminare, partim, vt quamuis homo eſſet mortalis, cæleſti tamen poteſtate polleret, & Claues haberet Regni Cælorum; Ità Petrus Eccleſiam per vniuerſum orbem amplificatã, Cælo etiam ipſo validiorem monſtrauit;* & plura alia, in quibus demonſtrat in his verbis, Petro commiſſum fuiſſe regimen totius Eccleſię.

D. Gregor.

D. GREGORIVS lib. 4. Epiſtola 32. inter multas rationes, quas reddit, de commiſſa totius orbis cura Petro, hanc quoque aſſignat, quod Dominus dixit illi, *Tibi dabo Claues Regni Cælorum.* Verba eius ſunt hęc. *Cunctis enim Euangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa ſit, ipſi quippè dicitur, Petre amas me? Paſce oues meas; Ipſi dicitur, Ecce Sathanas expetijt cribrare vos ſicut triticum; & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ipſi dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam; & tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quodcumq; ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis. Ecce Claues Regni cæleſtis accipit, Poteſtas ei ligandi, atque ſoluendi tribuitur, cura ei totius Eccleſia, & Principatus committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.* Hęc Gregorius.

Leo nonus.

LEO NONVS in Epiſtola ad Thomam Carthaginenſem Epiſcopum, & in alia ad duos Aphricę Epiſcopos, idem nomine Clauium intelligit, non ſolùm poteſtatem remittendi peccata, ſed etiam extrà Sacramentum, poteſtatem definiendi cauſſas omnium Eccleſiarum, & alias citrà Sacramentum, putà, pręcipiendi, corripiendi, diſpenſandi, remittendi, vt proindè Eccleſiaſticus Principatus fuerit illi promiſſus, tamquam futuro Iudici, & Principi omnium, qui ſunt in Eccleſia.

D. Leo primus.

D. LEO Primus, in Epiſtola 89. ad Epiſcopos Viennenſis Prouincię, *Petro*, inquit, *præ cæteris ſoluendi, & ligandi, tradita eſt poteſtas;* ex quibus uerbis planè colligitur, aliquid habuiſſe Petrum, quod cęteri non habuerunt. Non me pręterit, aliquos ex patribus, nomine Clauium Regni Cęlorum diſcretionem, & potentiam intelligere, potentiam, quę liget, & ſoluat; diſcretionem, quę dignos, uel indignos diſcernat. Ita Rabanus, & D. Hieronymus in Commentarijs ſuper hunc locum Matthęi, & Gloſſa in Matthæi 18. Alios verò per Claues, accipere poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, quaſi Dominus, ſubdens illa verba, *Quodcumque ligaueris, &c.* voluerit explicare, quid per metaphoram Clauium intellexerit, officium ſcilicet ſoluendi, & ligandi, ſeu aperiendi, & claudendi, quæ idem uidentur, & ità Theophilactus ſuper hunc locum Matthæi. Ex qua interpretatione, aſſerendum quoque eſſet, omnes Apoſtolos, Claues Regni Cęlorum accepiſſe, paremq; cum Petro honorem, & poteſtatem. Sic Cyprianus in lib. de Vnitate Eccleſię, docet illis verbis. *Hoc*, inquit, *erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit; & Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis.* Et Hylarius lib. 6. de Trinit. ità videtur loqui dicens, *Vos ò Sancti, & Beati Viri, ob fidei veſtræ meritum, Claues Regni Cælorum ſortiti, & ligandi, atque ſoluendi in cælo, & in terra ius adepti.* Et D. Hieronymus in lib. 1. in Iouinianum, idem videtur ſentire; & Sanctus Leo Papa ſerm. 3. de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, tractans prædicta verba, *Tibi dabo Claues*, inquit, *Tranſiuit in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes, decreti huius conſtitutio commeauit.* Quod etiam Auguſtinus in tract. 56. in Ioannẽ, videtur ſenſiſſe, dum ait, *Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia; ſi autem hoc in Eccleſia fit, Petrus quando Claues accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificauit;* vbi omnes Apoſtolos, Claues innuit accepiſſe.

Varias res intelligunt quidam Patres nomine Clauium.
Rabanus.
D. Hieron.
Gloſſa.
Theophil.
D. Cyprian.
D. Hylarius.
D. Hieron.
D. Leo.
D. Auguſt.

Anacletus Papa.

Hanc Anacletus Pontifex æqualitatem poteſtatis intelligere uidetur. Cùm de

Petro,

Petro, reliquiſque Apoſtolis ſic ſcribit, & habetur diſtin.20.cap. In nouo teſtamẽto. *Hic*, ideſt, Petrus, *ligandi, ſoluendique poteſtatem primus accepit à Domino, primuſq́, ad fidem, populum ſua prædicationis virtute adduxit, verboque inſtituit. Cæteri verò Apoſtoli cum eodem pari conſortio, honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt, qui etiam, iubente Domino, in toto Orbe terrarum diſperſi, Euangelium prædicauerunt.*

VERVM omnes huiuſmodi expoſitiones, ut à nobis non reijciuntur, ſic illam iã nos ultrò amplectimur, quam Caietanus tradit in tract. de Inſtitutione Romani Pontificis cap.5. Quem ſequitur Gregorius de Valentia lib.7. Analyſis fidei Catholicę cap.2. & Ioan. Maldonat. in Matth. per illa verba. *Tibi dabo Claues*, totam & adęquatam ſpiritualem poteſtatem Clauium Regni Cęlorum, ideſt, aperiendi, & claudendi illud, promiſſam, & deinde traditam fuiſſe Petro. Verba autem illa, *Quodcumque ſolueris*, non ut pręcedentium expoſitio, ſumenda ſunt; ſed ut res planè diſtincta; Quòd vel ex ſola illa particula, *et*, cognoſcitur, ſicut enim pręcedentia per coniunctionem diſtinguuntur. *Et ego dico Tibi: & ſuper hanc Petram: & Porta Inferi non præualebunt: Et tibi dabo Claues*: ſic, & poſtremum iſtud eodem modò prolatum, *& Quodcumque ligaueris, &c.* per cõiunctionem diſtinguitur. Eſt autem hęc diſtinctio; illa, ſecundùm quam diſtinguitur pars à toto. Soluere enim, & ligare ſunt actus partiales poteſtatis clauium, non adæquati, & totales, cùm aperire, & claudere, latiùs patere videantur. Cùm autem dicitur, *Tibi dabo Claues*, integram, & adæquatam Petri poteſtatem Chriſtus ſignificat. Dum verò dicitur, *Quodcumque ſolueris*, poteſtatem indicat remittendi peccata, quæ eſt pars illius; hoc enim nomine dicitur in Epiſtola Alexandrinæ Synodi ſcripta à D. Athanaſio, cæteriſque Epiſcopis Ægypti, quod poteſtas Clauium, ſingulari priuilegio, Petro, ſucceſſoribuſque eius promiſſa, & conceſſa fuit. Accipitur hic priuilegium pro præeminentia. Quamuis enim Cæteri Apoſtoli, æquales inter ſeſe fuerint in poteſtate ligandi, atque ſoluendi, atque etiam omnes æquales fuerint Petro in munere Apoſtolico; vt D. Cyprianus, & Hieronymus locis citatis: non tamen æquales fuerunt Petro in tota poteſtate Clauium, quę ſoli Petro non ratione Apoſtolatus, ſed ratione Capitis, & Papatus à Chriſto promittitur, atque præſtatur; non autem cæteris Apoſtolis, aut vlli eorum.

[Margin: Inter omnes Auctor probat expoſitionem Caiet. Greg. de Valent. Maldonatus. — D. Athanaſ. — D. Cyprian. D. Hieron.]

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Quomodo Petri, & cæterorum Apoſtolorum Claues, pares, uel impares eſſent.

AD MAIOREM verborum Matthæi, quæ proximè citauimus, dilucidationem, *Tibi dabo Claues, &c.* non abs re eſſe duximus, ſi diſtinctè exponamus diſcrimen inter Petri, & reliquorum Apoſtolorum Claues: In aliquo enim fuerunt ęquales, in aliquo verò inæquales. Dicimus igitur, quòd omnium Apoſtolorum in Clauibus paritas, & æqualitas in duobus conſiſtit, ut doctè à multis expoſitum eſt; à Driedone lib.4. de uarijs dogmat. cap.4.p.1. à Caiet. in tract. de comparatione Papæ, & Concilij, cap.3. à Melchiore Cano lib.6. de locis Theologicis cap. vltimo ad vndecimum argumentum, à Dominico Soto in 4. diſt.20.q.1.art.2. & 3.

[Margin: Dried. Caiet. Canus. Sotus.]

PRIMVM eſt, quòd ab ipſo Chriſto immediatè auctoritatem Eccleſiaſtici miniſterij omnes receperint. Vndè, & ab eo omnes miſſi ſunt, ſicut ipſe miſſus erat à Patre. Ioannis 20.

SECVNDVM eſt, quòd eam auctoritatem ſic à Chriſto acceperunt, ut non in una tantùm orbis parte, ſub ubique terrarum ritè, ac legitimè muneribus Eccleſiaſticis fungi poſſent, Vt Matt.28. *Euntes, &c.*

[Margin: In duobus, Apoſtolorum omnium claues inter ſe, æquales fuerunt.]

Claues Petri à reliquorum Apoſtolorũ. Clauibus in tribus differebant.
Innoc. 3.
Bonifac. 8.

Sed Clauis, ſeù poteſtas Petri, in tribus maximè aliorum Apoſtolorum poteſtatem exceſſit. Primò, quia illa ſe extendebat ſuper ipſoſmet Apoſtolos, nemine excepto, ut putà Chriſti oues, ut innuit Innocentius III. de maioritate, & obedientia, cap. *Solita*, & Boniſacius in extrauag. *Vnam ſanctam*. Erat enim Petrus fundamentum omnium, qui ad Eccleſiæ ædificium ſpectabant, & Paſtor à Chriſto ſingulariter conſtitutus cunctorum, qui ad Chriſti gregem pertinebant; quocirca potuit Petrus cum auctoritate cunctos ceteros Apoſtolos regere, eoſque in fide confirmare, illos conuocare, certumque modum, & locum eis præſcribere ad fungendum miniſterio Apoſtolico, quatenus ad Eccleſiæ bonum id expediret. Vndè Caietanus loco citato rectè dixit Apoſtolos reliquos, quatenus Apoſtolos, fuiſſe quidem Diuo Petro pares; tamen, qua ratione erant oues Chriſti, fuiſſe Petro ſubiectos.

Caietanus.

Secvndo excellebat, quod auctoritas Petri, in vniuerſum orbem erat ordinaria, & duratura, ſuiſque ſucceſſoribus relinquenda. Sic enim ipſe illam à Chriſto accepit; fuit enim ab ipſo conſtitutus petra, ac fundamentum uniuerſæ Eccleſiæ, quæ vſque ad finem Mundi futura erat. Nec talis fundamenti locum, ipſe perpetuò, niſi per ſuos etiam ſucceſſores tenere potuit; aliorum verò Apoſtolorum auctoritas extraordinaria erat, ex priuilegio enim peculiari in uniuerſum orbem, & à Chriſto proximè Apoſtolatus auctoritatem receperunt. Quamobrem ad eorum ſucceſſores huiuſmodi poteſtas deriuata minimè fuit; quamuis enim Epiſcopi legitimè creati, in ſuis Eccleſijs Apoſtolorum ſucceſſores ſint, vt Anacletus dicit in Cano. *In nouo*, diſt. 21. eo, quod uicem, atque functionem Apoſtolorum in illis gerant, quod etiam D. Auguſt. in Pſalm. 44. docet, exponens illud; *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij. Patres*, inquit, *miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis, filij nati ſunt, conſtituti ſunt Epiſcopi*; atque idem habetur in Concilio Florentino in inſtructione Armenorum, & Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. Non tamen ſuccedunt Apoſtolis in poteſtate Apoſtolica, quæ illis, ut extraordinaria, ex priuilegio competebat, Vndè Epiſcopi non habent in totam Eccleſiam, nec in vniuerſum Orbem iuriſdictionem, ut Apoſtoli; non poſſunt ubique terrarum prædicare, & fundare Eccleſias, ut Apoſtoli, Matth, vltimo; & Marci vltimo; non poſſunt libros canonicos condere, ut illi; non poſſunt nouos Epiſcopatus inſtituere, ut illi: denique non habent donum linguarum, & miraculorum, ut Apoſtoli. Succedunt autem illis propriè in ordine ſacro Epiſcopali, deindè per quamdam proportionem, ac ſimilitudinem; nempè, quod ſicut ſub Chriſto in terris uiuente, primi erant Apoſtoli duodecim, deindè ſeptuaginta duo Diſcipuli, ſic modò primi ſub Rom. Pontifice ſunt Epiſcopi, poſt quos Presbiteri, deindè Diaconi &c. Poſtremò quantum ad gradus, ſeù loca Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, locum enim Apoſtolorum, ut inquit, D. Hieronymus tom. 2. Epiſt. 54. ad Marcellam aduerſus Montanum, in Eccleſia Catholica Epiſcopi tenent. Vndè reprehendit Montanum, quod Epiſcopos, non primo, hoc eſt Apoſtolorum, ſed tertio, ac nouiſſimo ponebant loco. Lege Clementem Epiſt. 1. ad Iacobum, & Epiſt. 3. de offi. ſacerdotis, & Clericorum, Dionyſ. de Cœleſti Hierarchia cap. 3. & 5, & ibi Carthuſ. Damaſum Epiſt. 3, Leonem Epiſt. 28. Iſidorum lib. 2. de officijs Eccleſiaſticis, Patres Concilij Neocæſarienſis, Can. 13., Bedam lib. 3. in Lucam, cap. 15. Gloſſam in 10. caput Lucæ, Diuum Thom. 2. 2. quæſt. 184. artic. 6. ad primum. Qui omnes dicunt, Epiſcopos propriè Apoſtolis ſucceſſiſſe, nimirum his tribus modis, quos enumerauimus. Vndè D. Cypr. lib. 4. Epiſt. 9. definit, *Epiſcopum eſſe, qui Apoſtolis uicaria ordinatione ſuccedit*.

Anacletus.
D. Auguſt.
Conc. Floren.
Conc. Trid.
In quibus rebus Epiſcopi ſuccedant, vel non ſuccedãt Apoſtolis.
Matth. vlt.
D. Hieron.
Clem.
Dioniſ.
Carthuſ.
Damaſus.
Leo.
Iſidor.
Conc. Neoc.
Beda.
Gloſſ.
D. Thom.
Cyprian.

Non me latet in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 1. dici etiam Sacerdotes, quantum ad officium offerendi ſacrificium, & conſecrandi Euchariſtiam, ſucceſſores Apoſtolorum, quod etiam prius à Clemente lib. 2. Conſtitut. cap. 32., & Ignatio in Epiſt. ad Smyrnenſes dictum fuit; licet hi Patres alibi aliter loquantur, Nam Clemens lib. 2. conſtit. cap. 30. & Ignatius in Epiſt. ad Trallian. dicunt, Epiſcopos tenere locum Dei, Presbiteros locum Chriſti, (nempè in Altari)

Conc. Trid.
Clem.
Ignatius.

Diaconos

Diaconos verò locum Apoſtolorum, nimirum quia cantant, & explicant Euangelia, & miniſtrant Sacerdoti, quemadmodum Apoſtoli Euangelium prædicabant, Chriſtoque miniſtrabant. Interdùm uerò dixerunt, Epiſcopum tenere locũ Chriſti, Presbiteros, & Diaconos, locum ſeptuaginta duorum diſcipulorum, vt Clemens cap. 32., & Ignatius ad Smyrnenſes Aliquandò verò Epiſcopis locum Apoſtolorum tribuunt, Presbiteris locum ſeptuaginta duorum diſcipulorum, & ità Patres iam citati; diuerſimodè enim comparabant Epiſcopos, & Presbiteros, & ſeruata proportione, Epiſcopo ſemper primum locum dabant; Verùm illa poſtrema diſtributio eſt propriè diſtinctio inter Epiſcopos, & Presbiteros. In ſuprema enim ordinis poteſtate, quam Apoſtoli habebant, ſoli Epiſcopi ſuccedunt. Vndè hi dicuntur ſimpliciter ſucceſſores Apoſtolorum, de quibus Actorum 20. *In quo uos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Vide Henricum Henriquez in ſua ſumma lib. 3. cap. 6.

Clem.
Ignatius.
Acto. 20.
Henriquez.

TERTIO. Petrus ſic Claues accepit à Chriſto, vt ab eo acciperent poteſtatem, quicumq; Claues habuerint, ut rectè Franciſcus à Victoria in tract. de Clauibus numero quinto. Nam quod Apoſtoli non acceperint à Petro, ut ſententia communis tenet (quicquid in hoc dixerit Turrecremata ſuper cap. *Ità Dominus*, diſt. 19. & lib. 2. ſummæ, de Eccleſia ca. 54. 60. & 77. & Dominicus Iacobatius lib. 10. de Concilijs art. 7.) fuit ex peculiari priuilegio, quo, & Paulus gloriabatur, poteſtatem Apoſtolicam *Non ab hominibus, neq; per hominem, ſed per IESVM Chriſtum* ſe accepiſſe, quod inferius latius explicabitur. Nec enim ſucceſſores Apoſtolorum, præterquàm D. Petri, eadem gaudent poteſtate; cùm poteſtatem iuriſdictionis non immediatè à Deo, ſed à Romano Pontifice accipiant, (licèt Chriſtus Claues per medios miniſtros eorum ſucceſſoribus conferat,) ità docent Bonauentura, Albertus, Durandus, vetereſque alij Scholaſtici in 4. diſt. 18. & 24: & Caiet. in tract. de Auctoritate Papæ, & Concilij cap. 3., Soto in diſtin. 20. quæſt. 1. artic. 2. Franciſcus Vargas in diſputat. de hac ipſa re., Heruæus in libro de poteſtate Papæ, Biel in Canon: Miſſæ lect. 3. & Alij quamplurimi, quos refert Henriquez lib. 6. cap. 5. iuxtà quem ſenſum intelligendus eſt Textus in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

Victoria.
Turrecr.
Iacobatius.
Bonau.
Alb.
Dur.
Caiet.
Sotus.
Franc. Vagas.
Heruæus.
Biel.
Henriquez.

Bagnes in ſecunda, ſecundæ, quæſt. 1. art. 10. optimè hanc rem declarat, Apoſtolos ſcilicet mediatè à Chriſto auctoritatem gubernandi, ordinandi, prædicandi, iudicandique Eccleſiam accepiſſe, quam quidem poteſtatem à Petro accepturi erant, niſi Petrus ab ipſo Chriſto præuentus fuiſſet.

Bagnes.

ET QVONIAM de Apoſtolis ſolùm aliqua controuerſia eſt inter Doctores, an à Petro Claues receperint. De alijs enim apud omnes in confeſſo eſt, à Petro, & per Petrum recipere, à quo, vt dixit Anacletus Papa in Epiſt. 1. cœpit nouus ordo ſacerdotalis, vt ab Aaron cœperat olim. Idcirco paullò fuſius res hæc explicanda erit, non quidem hoc loco, ut diſputationum confuſionem fugiamus, ſed poſt huius primæ queſtionis tractationem.

Anacletus.

CONCEDENDVM itaque eſt, Apoſtolos ratione Apoſtolatus ſuas habuiſſe Claues, vel ea, quæ ſunt Clauium, putà; poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Quæ duo, actus quidem Clauium ſunt, ſed inadæquati, Matt. 18. & Ioan. 20. Pręterea concedi debet ſoli Petro, & non alijs datas, & promiſſas eſſe Claues ſimpliciter in tota ſua plenitudine, putà non ſolum, quoad actus ligandi, atque ſoluendi, ſed etiam ea omnia faciendi, quæ ad Regnum Cœlorum ſpectant, & cuncta impedimenta auferendi, quæ ingreſſum ad illud prohibent, ut veritates fidei determinare, Concilia vniuerſalia conuocare: fratres confirmare; Reges deponere, vel inſtituere, & ſimilia Ioan. 21. Rurſus admittendum eſt, quod ſoli Petro, & non alijs datum ſit habere Claues, ut eſt fundamentum, & caput Eccleſię, & ordinarius Paſtor Gregis Chriſti; huic enim ſingulariter dictum eſt; *Tu es Petrus, & Tibi dabo Claues, & quodcumque ſolueris*, & præterea; *Paſce oues meas*.

Quomodo Petrus, & quomodo cæteri Apoſtoli Claues acceperint, & cũ qua poteſtate.
Matth. 18. & Ioan. 20.
Ioan. 21.

Cuius rei argumentum non leue eſt, quod ſolius Diui Petri ſtatuas, & imagines, videmus Claues in manibus tenere, immò qui in antiquis numiſmatibus

D. Petri imagines cũ Clauibus effinguntur.

operam poſuerunt, animaduerterunt, Petro Claues humeris impoſitas eſſe, quòd
præcipuè videre eſt in numiſmate Leonis Primi, vbi ex vna parte legitur no-
men ipſius Leonis, ex altera verò apparet effigies Diui Petri cum Clauibus ab
humeris pendentibus, inſcripto etiam nomine ſic, SANCTVS PETRVS. Quod certè
maximè facit ad inſinuandum, & perſuadendum, plenitudinem Poteſtatis ſo-
Iſai. 22. li Petro fuiſſe à Chriſto datam, de quo ſub figura Eliachim ab Iſaia vaticinatum
fuit capite vigeſimoſecundo. *Dabo Clauem Dauid ſuper humerum eius, & aperiet,
& non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat,* Quod apertè Diuus Io-
Apoc. 3. han. Apoc. 3. de Chriſto interpretatur. Ad quæ loca in dicto numiſmate fit allu-
Baron. ſio, ut eleganter notauit Cardin. Baronius tomo 6. Annal. ex Archiuio rerum an
Lelius Paſqualinus. tiquatum Lelij Paſqualini Canonici Sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe, viri ſanè
diſertiſſimi, ac modeſtiſſimi. Sicut enim Alexandrini in ſuis Epiſtolis rectè Pa-
Papa dicitur Euangeliſta Apoſtolus, & Chriſtus. pam appellant Quintum Euangeliſtam, quod in rebus fidei definiendis, atque do
cendis infallibilem veritatem habeat, & etiam Decimumtertium Apoſtolū, tùm
ob uitæ ſanctitatem, tùm ratione Cathedræ Apoſtolicæ Romanæ, quæ ſola hono
ris Apoſtolatus ſucceſſionem habet; ſic quoque ritè appellatur Chriſtus, ut etiam
Conc. Rom. in Concilio Romano tempore Gelaſij, eò quod Pontificale Imperium à Deo ſu-
Iſai. 9. per humerum Chriſti Iſai. 9. & ab ipſo Chriſto ſuper humerum D. Petri colloca-
tum fuerit Matth. 18. Etſi enim cęteris Apoſtolis aliquem paſcendi modum, ut
putà; prędicandi, remittendi peccata; baptizandi; gubernandi, & ſimilia Chriſtus
commiſerit: nihilominus vniuerſalem poteſtatem gubernandi Eccleſiam ſoli Pe-
tro ſine limitatione aliquà tradidit, cùm ei totā Eccleſiam ſubiecit, adeò quod, &
in ſingulos, & in omnes Apoſtolos poteſtatem habebat; Vnde in Concilio illo
primo Apoſtolico Petrus primus ſurgit, primus loquitur, ac denique quęſtionem
primus definit, (Iacobus enim poſt Petrum reſpondens locutus eſt;) in eo, ut Ca-
D. Hierony. put, pręſidet, eiuſque ſententiam Iacobus, omneſque alij ſequuntur, vt Hierony-
mus docet in Epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter Epiſtolas Auguſtini.
Nec enim quęſtio illa ab ipſo ſolo Iacobo definita fuit, ut Hæretici commentan-
tur; cum ex Petri, cęterorumque Apoſtolorum placitis decretum fuerit, nihil one
ris imponendum eſſe conuerſis, niſi vt abſtinerent à ſuffocato, &c. *Tunc,* inquit
Acto. 15. Textus, *placuit Apoſtolis, &c.* Actorum 15. Chryſoſt. Homil. 87. in Ioannem, & A-
Chryſoſt. nacletus in Epiſt. ad Epiſcopos per Italiam, &c. quàm pulchrè oſtendunt, Petrū
Anaclet. Iacobo maiorem fuiſſe. Nec huic veritati aduerſantur, quę Euſebius lib. 2. hiſtor.
Euſeb. Clemens. cap. 1. ex Clemente lib. 6. diſpoſit. ſcribit, ſcilicet, quod *Petrus, Iacobus, & Ioannes,
poſt Aſſumptionem Saluatoris, quamuis ab ipſo fuerint omnibus penè prælati, tamen non
ſibi vendicabant primatus gloriam; ſed Iacobum, qui dicebatur iuſtus, Apoſtolorum Epi-
ſcopum ſtatuunt;* ſic impreſſum eſt, in Codice Baſilienſi, ex Ruffini verſione. Sed lo
cus Euſebij abſque dubiò corruptus eſt, vt in Codice Colonienſi ab homine ca-
Bellarmin. tholico verſo, & edito apparet, in quo vt notauit Bellarmin. nomen primatus nō
habetur, & non Apoſtolorum Epiſcopus, ſed Hieroſolymorum legi debet, prout
Nicephor. quoque legitur apud Nicephorum, dum hunc locum citat. lib. 2. cap. 3. Vnde D.
D. Bernard. D. Chryſoſt. Bernardus in li. 2. de conſideratione, dixit, *Iacobus vna Hieroſolyma contentus, vni-
uerſitatem Petro tradit,* Atque id D. Chryſoſt. Homil. 3. in Acta ſignificare noluit,
dùm dixit, alios Apoſtolos ſolium ceſſiſſe Iacobo, inter ſe non ampliùs diſceptan-
tes, loquitur enim ibi Chryſoſt. de ſolio particularis Epiſcopatus, cuius ſedem,
tamquam inter particulares Epiſcopatus nobiliorem, Iacobo minori detulerunt.

Qua ratione Petrus, qui alijs Apoſtolis erat ſuperior, miſſus fuerit ab illis in Samariam. Actor. 8. QVOD autem Petrus ab Apoſtolis in Samariam, ad prædicandum ibi verbum
Dei, miſſus fuerit Acto. 8. non arguit illum cæteris Apoſtolis, vel ſubiectum, vel
inferiorem fuiſſe, vt ſectarij uolunt; cùm non ex auctoritate, uel iuſſione, ſed ex
conſilio, & ſuaſione aliorum miſſus fuerit. Immò ex hoc ipſo, quod iudicabant, au
ctoritate Petri in fide Neophytos illos confirmandos eſſe (quæres grauiſſima e-
rat,) arguitur non minoris, ſed maioris auctoritatis, inter Apoſtolos Petrum repu
tatum eſſe; Quod etiam contigit Phinei filio Eleazari ſacerdotis, decemque Prin
Ioſue 22. cipibus cum eo miſſis ad filios Ruben, & Gad, habitantes trans Iordanem, Ioſuè
22. &

22.& 1.Paralip.9.qui profectò minorés illis non fuerunt,à quibus miſſi ſunt.Im- 1.Paralip.9.
mò,cum Phinees ſũmus eſſet ſacerdos,iure diuino vniuerſo Populo præerat.Le-
ge Caietanum libro de Auctor.Papæ,& Conc.cap.4.Quod autem Apoſtoli abſ- Caietan.
que vllo Petri mandato Diaconos conſtituerint, Actor.6.nil primatui Petri præ Actor.6.
iudicat, cùm id non eo inuito, ſed vel iubente, vel ſaltem conſentiente Petro fa-
ctum fuerit,ità quoque D.Chryſoſt. Homil.3.in Acta luculenter reſpondit, cir- D. Chryſoſt.
ca electionem Matthiæ,& Diaconorum; *Quid?*inquit,*an non licebat ipſi Petro,eli-*
gere? licebat ei quidem maximè; verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari, igitur
non quia non potuit;ſed quia expedire non putauit,ipſe non elegit,immò cùm in illa electio
ne Matthiæ reliquos cùm auctoritate admonuerit, eius primatus ſatis oſtenditur; oportet
enim inquit,&c. In tribus,autem præcipuè Hæretici contra Primatum Petri exul-
tant, quæ in ſequenti Capite reijcienda duximus.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Obiectiones Hæreticorum aduerſus ſummam Petri Clauem diluuntur.

TRIBVS potiſſimum machinis; magnam ac ſupremam Petri Clauẹm, & poteſtatem confringere nituntur Hæretici, ſed in vanum laborant, ut in eorum diſſolutionibus oſtendemus, cum portę Inferi, ex Diuina promiſſione, aduerſus illam pręualere non poſſint. Ac Primo obijciunt, quod Paulus ad Galat.cap.2. ut ſignificet, ſe Petro non ſubiectum eſſe, ſed vel maiorem, vel ęqualem: eidem in facie reſtitit.

Secundo, quòd in eodem loco Epiſt. ad Galatas pleno ore Paulus, nec Petro nec Iacobo, nec Ioanni ſubiectum ſe profitetur; *Quibus*, inquit, *neque ad horam ceſſimus ſubiectionis,&c, mea nihil refert, quales fuerint, qui aliquid eſſe videntur.* Item, *qui videbantur aliquid eſſe, nulla mihi mandata dederunt.* Item, *nihil mihi contulerunt*, & ſimilia.

Tertiò, quod ea, quę Chriſtus promiſit, vel exhibuit Petro, putà Claues Regni
Cœlorum, non ſoli Petro, ſed vniuerſæ Eccleſiæ promiſſa, & exhibita fuerunt,
ad quod probandum multa loca Auguſtini adducunt, quæ inferius explica-
bimus. Explicatio dilucida verbo-

VERVM, hęc argumenta paruo negocio diluuntur. Ad primum reſpondeo; for- rum D. Pauli
tè illum Cepham, cui reſtitit Paulus, non fuiſſe Petrum, ſed aliquem alium ex ſe- ad Galat.2.de
ptuaginta diſcipulis, ità tradit Clemens Alexandrinus lib.4.diſpoſit.& Euſebius reſiſtentia fa-
lib.1.hiſt.cap.14.& Oecumenius in collectaneis ſuper illud ad Galathas 2. *Dixi* cta Petro in
Cephæ, & ſic argumentum nihil concludit. Fortè quoq; cum Hieronymo, Chry- facie.
ſoſtomo, Theophilacto, Theodoreto, Origene non verè, ac ſerio, ſed ſimulatè fuit Clem.Alex.
Petrus reprehenſus; quam expoſitionem, ſi ſequamur, nil aduerſarij obtinebunt. Euſeb.
At, demus cum Auguſtino Epiſt.19. & D.Thom. ſecunda ſecundę quęſt.33. art. Oecumen.
4.verè Petrum reprehenſum fuiſſe; id tamen dicimus, licuiſſe Paulo, etiam ſi mi- Hieron.
nor, & inferior eſſet; ubi enim incumbit neceſſitas, & debita reuerentia ſeruatur, Chryſoſt.
licèt minori reprehendere, etiam publicè, maiorem; pręſertim quando imminet Theophil.
periculum fidei; ut ſi Pręlatus erraret in fide, uel doceret errorem ſuum alios; uel Theodor.
etiam, quando notabiliter moribus ſuis Populum ſcandalizaret. Lege, quæ à Ca- Orig.
ietano ſcribuntur ſecunda ſecundę quæſt.34. art.4. De reuerentia uerò ſeruanda, D.Auguſt.
in Pręlatorum correctione, legenda eſt Epiſtola ſecunda Anacleti, & ſecunda E- D.Thomas.
uariſti Pontificum, & D.Gregorius lib.5.moralium cap.10.& 3.par.Paſtor.ca.5. In correctione ſuperiorũ quomodo ſe gerant minores.

In hoc autem Petri facto duo inſigniter relucent. Primum humilitas Petri, qui Caiet.
dùm reprehenſus eſſet, non dixit, ſe primatum tenere, atque à nouellis, & poſteris Anacl.
obſequium, & obtemperantiam ſibi deberi: Id animaduertunt, D.Cyprianus in Euariſt. D.Greg. D.Cypr.

D. Auguſt. D. Greg.

Epiſt. ad Quintum, & D. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 1. & D. Gregorius loco proximè citando.

D. Auguſt.

Alterum eſt, exemplum, quod alijs Præpoſitis, à Petro exhibitum fuit; nimirum, nè in indignationem incidant, ſi ab inferioribus corrigantur: ità D. Auguſtinus in citata Epiſt. 19. *Rarius*, inquit, *& ſanctius exemplum Petrus poſteris præbuit; quo non dedignarentur à poſterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus pro defendenda veritate, ſalua Charitate, reſiſtere.* Scio, pleroſque in huius argumenti ſolutione laborare, & aliquo modo Paulum parem Petro facere, ſaltem quantum ad fidei defenſionem; ſed expeditior ſolutio eſt, quod Petrus à minore reprehenſus ſit. Audi Gregorium Homil. 18. in Ezechielem hanc ſententiam comprobantem, *Se*, inquit, *etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atq; in eadem re factus eſt, ſequens minoris ſui, ut in hoc etiam præiret, quatenus, qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus etiam in humilitate, & poſt, ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.* Hæc Gregorius. In hoc autem Petri ſacto, aut nullum peccatum fuit, ut omnes Græci Patres volunt, in commentarijs eorum, in caput 2. ad Galatas, ità Theodorus Heracleæ Epiſcopus, Euſebius Emiſſenus, Didimus Alexandrinus, Apollinarius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, quos ſecutus eſt D. Hieronymus in commentarijs ſuper eumdem locum, & in Epiſt. 89. ad Auguſtinum, & Caſſianus in lib. Collationum, Collat. 17. & 20. Vel certè tantùm veniale, ut Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem, Cyprianus loco citato, Ambroſ. in caput 2. ad Galatas, Cyrillus lib. 9. in Iulianum, Auguſt. in Epiſt. ad Hieronym. 8. 9. & 19. Gregorius lib. 28. moralium cap. 12., D. Thom. & Alij.

An in hac re, de qua fuit obiurgatus à D. Paulo, peccauerit ullo modo D. Petrus.

D. Gregor. Patres Græci. D. Hieron. Caſſianus. Tertull. Cyprian. Ambroſ. Cyrill. Auguſt. Greg. D. Thom.

Quomodo ſint intelligenda verba Diui Pauli in Epiſtola ad Galatas, adducta in 2. argumento.

Ad ſecundum, reſpondendum eſt, Paulum in Epiſt. ad Galat. vel alibi, nuſquàm ſignificaſſe, ſe Petro ſubiectum non eſſe, quoad gubernationem, ſed ſolùm oſtendere, Euangelium ſuum non eſſe ſecundum hominem, neque ab homine acceptum, ſed æquè verum, ac diuinum; ab ipſomet Chriſto immediatè reuelatum, ac illud quod prædicabat Petrus; hoc enim contendebant Pſeudoapoſtoli, ſcilicet, Paulum eſſe non Chriſti, ſed hominum Diſcipulum, nec à Chriſto, ſed ab hominibus edoctum eſſe. Quocirca Pauli Euangelium non eſſe eiuſdem auctoritatis, ac roboris, ſicut Euangelium Petri, ad quam calumniam refellendam, audacter ſcripſit Epiſtolam ad Galatas, inquiens, *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neq; per hominem, &c.* & infra; *notum facio uobis Euangelium, quod Euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neq; enim ab homine egò accepi illud, neq; didici: ſed per reuelationem* IESV *Chriſti.* Hic Paulus nil de ſubiectione, quantum ad officium gubernandi loquitur: ſed tantùm de reuelatione ſui Euangelij. Verba autem illa, *quibus nec ad horam ceſſimus ſubiectionis*, nequaquam ad Petrum referenda ſunt, ſed ad Pſeudoapoſtolos, ut expreſsè Paulus ipſe refert, ut patet legenti textum; *Propter ſubintroductos falſos fratres*, inquit, *qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto* IESV, *ut nos in ſeruitutem redigerent, quibus nec ad horam ceſſimus ſubiectionis.* Nec illa alia verba; *Mea nihil intereſt, quales fuerint, qui aliquid eſſe videntur*, in ignominiam, vel in contemptum Petri protulit Paulus; Abſit, ſed cauſſam reddens, quarè cum his Apoſtolis, qui aderant Hieroſolymis, ſuum uoluerit conferre Euangelium; dicit, quòd, etſi illi imperiti homines aliquando fuerunt, quòd parum ſua intereſſe putabat; hodiè tamen, cùm magni iam Apoſtoli, & columnæ excelſæ Eccleſiæ, Dei gratia, eſſent, ad illos acceſſit, Deus enim perſonarum acceptor non eſt. Quod autem hæretici ex Paulo citant, *Qui videbantur eſſe aliquid, nulla mihi mandata dederunt*, falsò quidem, ac fraudulenter citant; cùm nil tale apud Paulum reperiatur, ut optimè adnotauit Bellarm. lib. 1. De Rom. Pontif. cap. 26. Eſt enim hoc hæreticis familiare, ſicut etiam aliquando Hæbræis fuit, ut teſtatur Iuſtinus Martyr in Apologetico contra gentes, ut perſricta fronte, verbo Dei ſcripto aliquid de ſuo addant; uel ex eo minuant, prout libuerit; nec plagas, quas Deus ad uerbum ſuum addentibus comminatur Apocalypſ. vltimo, metuunt; cùm nec Gehennæ flammas timeant,

Fraus hæreticorum.

Bellarm.

Iuſt. Martyr

Apoc. 2.

meant,ad quas iam iudicati ſunt. Illud autem, *Qui videbantur eſſe aliquid,nihil mihi contulerunt*, exponunt Patres de doctrina Pauli, quam ab Apoſtolis cæteris non tecepit,nihil enim doctrinæ illi communicarunt, cùm pleniſſimè à Chriſto de omnibus Chriſtianæ fidei myſterijs inſtructus fuerit, undè uerè Paulus dexteram accepit à Petro ſocietatis,cùm in munere prædicandi,utrique ſocij eſſent, quamuis in regimine Paulus Petro ſubiectus eſſet; ſic etiam primo Regum 23. illi dicuntur ſocij Saulis Regis, qui ſerui eius erant; nec inter Paulum, & Petrum, vlla interceſſit diuiſio iuriſdictionis, ità quod Petrus Iudæorum tantùm, Paulus verò gentium dumtaxat Apoſtoli eſſent, nàm ex diuinis literis conſtat,& Petrum gentibus, & Paulum Hæbræis prædicaſſe, cùm omni creaturæ Deus Apoſtolis præceperit prædicare Euangelium,& Paulus Act.9. Vas electionis dicatur, ut *portet nomen Chriſti coram gentibus,& Regibus,& filijs Iſrael.*

1. Reg.23.

Act.9.

Cur Petrus dictus ſit Apoſtolus Circumciſionis, & Paulus Gentilitatis, ad Galat.2.

Diſtributio autem illa Apoſtolatus Circumciſionis,& Præputij, quæ innuitur ad Galatas, capit. 2. ſignificat principale munus, præcipuamque operam Petri fuiſſe ergà Iudæorum prædicationem: Pauli verò ergà Gentium: Vndè hic præcipuè Apoſtolus gentium, ille verò Iudæorum iure appellatus eſt, potiſſimum enim Petrus in conuerſione Iudæorum operam ſuam ponebat, Paulus verò in Gentilium,neuter tamen à conuerſione utriuſque Populi excludebatur.

An Chriſti promiſſiones factæ, & exhibitæ fuerint in perſona Petri.

Ad Tertium, reſpondemus,promiſſiones illas Petro verè in propria perſona factas,& adimpletas eſſe, atque in Petro vniuerſę Eccleſiæ collatum fuiſſe,quod Petro promiſſum, & collatum fuit; nec enim per parabolam Chriſtus Petro dixit, *Tu es Petrus,& Tibi,dabo Claues,&c.* ſed verè, & realiter; cùm hæc ſit vera hiſtoria,non parabola,& præter verba ipſius Euangelij,quæ clariſſima ſunt,ſic Patres interpretantur. Origenes Homil. 5. in Exodum, Petrum magnum Eccleſiæ fundamentum, & petram ſolidiſſimam, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam,nominat,& in caput 6.ad Rom.ſic ſcribit: *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper terram, fundaretur Eccleſia,nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi Charitatis exigitur*, D. Baſil. in ſerm.de Iudicio Dei, ſic habet; *Ille beatus* de Petro loquitur, *qui cæteris Prelatus diſcipulis fuit, cui Claues regni Cælorum commiſſa ſunt*,& lib.2.in Eunomium, *Petrus*, inquit, *propter fidei excellentiam, Eccleſiæ edificationem in ſe ipſum ſuſcepit*. D. Epiphanius, in Ancorato, ait, *Hic eſt, qui audiuit, Paſce agnos meos*, D.Chryſoſt.Homil.55.in Matt. *per illa*,inquit, *verba, Tu es Petrus Paſtorem Eccleſiæ illum conſtituit*, D.Ambr.ſerm. 47.,inquit, *Petra dicitur Petrus,eo,quòd tamquàm ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem,molemq; contineat*.

Origen. D.Baſilius. Epiphan. Chryſoſt. D.Ambr.

D.Cyprian. D.Hieron. D.Gregor.

Relinquo hic teſtimonia Cypriani in Epiſt.ad Quintum, & in libro de vnitate Eccleſiæ,ſeù de ſimplicitate Prælatorum,atque etiam D. Hieronymi libro primo in Iouinianum,& in caput 16.Matthæi,& in Epiſt.ad Damaſum,& D. Gregorij lib.4.Epiſt.32., & lib. 6. Epiſt. 37. & aliorum,quos abundè adducunt, qui hanc controuerſiam ex profeſſo tractant; Duorum Patrum præclariſſimę ſententię de hac re adijciendæ ſunt, nimirum Maximi,& Paulini; Maximus ſerm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo,inquit, *Per Chriſtum Petrus factus eſt Petra, dicente ei Domino, Tu es Petrus,& ſuper hanc Petram, &c.*& ſerm.3. de Apoſt. *Quanti*, inquit, *meriti apud Dominum ſuum Petrus erat, ut ei poſt nauiculæ paruæ remigium,totius Eccleſiæ gubernacula traderentur*: Paulinus Epiſt.4.ad Seuerum, *Petra*,inquit, *eſt Chriſtus, ſed etiam diſcipulo ſuo, huius vocabuli gratiam non negauit, cui ait; ſuper hanc Petram, &c.*

D.Maximus. Paulinus.

Petræ nomine à Chriſto Petrus ipſe realiter ſignificatus, ex D. Leone.

En igitur,quod hac metaphora Petræ, & Clauium Chriſtus Dominus re ipſa Petro regimen totius Eccleſiæ commiſerit,eumque fundamentum omnium credentium poſuit: Vide D. Leonem ſerm. 2. de Anniuerſ. ſuæ aſſumptionis, ubi hæc egregia verba profert, *Manet ergò diſpoſitio veritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula,non relinquit, ſic enim præ cæteris eſt ordinatus, ut dum Petra dicitur; dum fundamentum pronunciatur: dùm Regni Cælorum ianitor conſtituitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas,per ipſa appel-*

lationum

D.Auguſt.

lationum myſteria noſceremus. Cui accedant quæ Diuus Auguſtinus in Pſalmos contra partem Donati ſcribit. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ Inferorum Portæ*. Et ſermone decimoquinto de Sanctis, ſic ſcribit; *Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici edificij altitudo conſurgit*.

Claues Eccleſiæ ſoli Petro commiſſæ, cõtra hereticos. Matth. 16. Caietan. D.Hieron.

Qvod autem Hæretici addunt, Claues Regni Cœlorum, non ſoli Petro, ſed tòti Eccleſiæ datas, & promiſſas fuiſſe falſum eſt, cùm ſingulariter Petro dicatur Matthæi 16. *Tibi dabo Claues, &c.* in qua ſententia pluribus circumſtantijs Petri perſona, ità ſigillatim deſcribitur, ut Notarij publici, certum aliquem hominem in ſuis publicis inſtrumentis deſcribunt, ut optimè Caietanus animaduertit; uocat enim illum nomine ſuæ natiuitatis, dicens; *Beatus es Simon*. addidit nomen Patris, à quo genitus fuit; *Bar Iona*, nouum quoq; nomen à ſe recenter impoſitum expreſſit; *Quia tu es Petrus*, indicanſque eius perſonam, ſingulariter, inquit, *dico Tibi*, ac denique, ut optimè D. Hieronymus adnotauit, illi dictum fuit, *Tu es Petrus*, qui proprio ore præclaram illam confeſſionem fidei fecit, ut mercedem reciperet vera confeſſio. Sicut igitur in propria perſona, atque ex proprio ore dixit, *Tu es Chriſtus filius Dei uiui*, ſic etiam, non in Eccleſiæ figura, ſed in propria perſona Clauium pollicitationem recepit, & cui nam facta eſt reuelatio, de qua Chriſtus ibidem dicit, *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi &c.* niſi propriè Petri perſonæ?

Conſtat igitur, Claues Petro in propria perſona, ratione tamen officij Paſtoralis, datas eſſe, quæ proinde omnibus eius legitimis ſucceſſoribus datæ intelliguntur, publica enim priuilegia, etiam perſonalia alicui perſonæ, non ut priuatæ: ſed vt publicæ pro ſe, ſucceſſoribuſque tribuuntur.

Claues Primò, & per ſe datę ſunt Petro, & per Petrũ Eccleſiæ. Chryſoſt. Hieron. D.Auguſt.

At Respondent Hæretici, Claues quidem datas eſſe primo ipſi Eccleſiæ, & per Eccleſiam Petro, qui ab ipſa Eccleſia illas recipiat, ſicut etiam, dùm hanc confeſſionem faciens, reſpondit, *Tu es Chriſtus, &c.* nomine cæterorum Apoſtolorum, tamquàm præco, pro omnibus reſpondit vt Chryſoſt. & Hieron. affirmant, atque etiam D. Auguſt. in ſerm. 13. de verbis Domini. Sed falluntur, res enim è contrario accidit, non enim primò Eccleſiæ, ac deindè Petro Claues traditę ſunt, ſed primùm Petro, & per Petrum Eccleſiæ, non enim caput à membris reliquis, virtutem, & influentiam rècipit, ſed è contra caput ipſum cæteris partibus corporis robur, & virtutem communicat, eſt enim Petrus caput, radix, origo, & fundamentum Eccleſiæ: ſicut etiam nec nomine omnium, ut relator quidam, confeſſionem illam fecit, ſed ut princeps, & caput illorum. Quod non incongruè expoſuit S. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 64. *Vt Princeps*, inquit, *caputq; cæterorum primus exclamat, Tu es Chriſtus filius Dei viui*, & D. Leo ſer. 2. de Sanctis Petro, & Paulo, *Ille primus eſt in Domini confeßione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate*. Vndè merito à D. Chryſoſtomo Matth. 16. Petrus os Apoſtolorum appellatur, per quod omnes Apoſtoli, illi aſſentientes, reſponderunt; neſciebant enim, quod reſponſum darent Chriſti petitioni, nec ex humano conſilio id dependebat, cùm ex reuelatione Patris confeſſio illa à Petro facta fuerit. Vndè omnium ora Petrus præueniens, confeſtim proſiliuit, & dixit; *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; Ita D. Chryſoſt. Homil. 55. in Matth. & D. Leo ſerm. 11. de Paſſione Domini.

D.Cyrill. D.Leo. D.Chryſoſt. D.Chryſoſt. D.Leo.

Cur, & quomodo Eccleſia dicitur eſſe in Summo Pontifice. D.Cyprian.

Sicut igitur tantùm Petro eſt facta reuelatio, iſque ſolus reſpondit, cæteris illi aſsentientibus, ſic quoque ſoli Petro Claues Cœlorum promiſſæ ſunt, ab illo deinde cæteris communicandæ. Igitur ſicut Eccleſia particularis dicitur eſse in ſuo Epiſcopo, ut D. Cyprianus, dixit lib. 4. Epiſt. 9. ita Eccleſia uniuerſalis in Summo Pontifice, tamquàm in capite, uerè eſse dicitur, & ſic ipſe Petrus in perſona totius Eccleſię dicitur Claues accepiſse; eo quod in ipſo, tamquàm in Pręſide, & primaria Eccleſię perſona publica, tota Eccleſia repręſentatur, & eo maximè, quod in commune commodum, & vtilitatem uniuerſę Chriſtianę Reip. eas recepit: & ſic intelligenda ſunt teſtimonia D. Auguſtini, in tract. 124. & 134. in Ioannẽ, ubi, inquit, quando ei dictum eſt, *Tibi dabo Claues*, vniuerſam ſignificaſse Eccleſiam,

Exponuntur loca D. Aug. quibus vtuntur hæretici. D. Auguſtin.

& gene-

& generalitate figurata, totius Eccleſiæ perſonam geſſiſſe; Ità ſanè eſt, quòd Petrus, quia re vera in propria perſona Claues recepit, non ut ſingulare indiuiduum, ſed ut caput, & præſes totius congregationis fidelium, in perſonà totius Eccleſiæ recepiſſe cenſetur. Vndè ipſemet Auguſt.in Pſalm. 108.ſe exponens ait, *Quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum pertinere videntur, nec tamen illuſtrem habent intellectum,niſi cùm refertur ad Eccleſiam, cuius ille àgnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam,propter primatum,quem in diſcipulis habuit,ſicuti eſt, tibi dabo Claues Regni Cælorum,etſi quæ huiuſmodi.*

D.Auguſt.

Igitur non vt ſingularis, & priuata perſona, neque ut qualiſcumque alius Eccleſiæ miniſter, ſed, vt totius Eccleſiæ Præpoſitus, qui ſingulariter totam Eccleſiam repræſentauerit,in ciuſque Eccleſiæ vtilitatem, Claues accepit. Sic diligenter Caietanus in tract.de Rom. Pontif.inſtitutione cap.3. & Echius in locis com. cap.3. Greg.de Valentia lib.7. Analyſis fidei cap.2. in fine.

Caiet. Echius. Greg. de Valent.

Pluribus autem modis exponi poteſt, Petrum figuram Eccleſiæ geſſiſſe, quæ tamen omnia rem geſtam uerè in Petri perſona præſupponunt.

Primvm, per modum rei geſtæ, adeò quod res verè geſta,ſit figura aliarum rerum,ut eſus Agni Paſchalis; Tranſitus Maris rubri, & Iordanis: Promulgatio legis: roratio Mannæ, & alia id generis, quæ verè geſta ſunt, alia tamen Eccleſiæ myſteria ſignificant: atque in hoc ſenſu dicitur, Petrum ſignificare Eccleſiam; ſupponit enim veritatem rei geſtę in ipſo, etenim, quod capiti datur, etiam toti corpori datum intelligitur, ſicut quod Regi Regno. Vnde Leo Papa ut refertur in Capite, *Ità Dominus*, diſ. 9. aſſerit, à Petro omnem poteſtatem, in totum corpus deriuari, & D. Auguſt. in lib. de Agone Chriſtiano cap. 13., inquit, ratione officij capitalis, Eccleſię collatas eſſe Claues, cum Petro datę ſunt.

Quomodo Petrus totius Eccleſiæ typum gereret, & cur.

D. Leo. D.Auguſt.

Rectè D.Auguſtinus dixit quoque in expoſitione Pſalmi citati, Iudam impiorum perſonam geſſiſſe, inimicorumque Chriſti figuram fuiſſe. Quis autem negabit re ipſa, Iudam impium, & inimicum Chriſti fuiſſe? prętereà Idem Auguſt. tract. vltimo in Ioannem dicit, ità Petrum Eccleſię militantis, ac uitę actiuę figuram geſſiſſe, quando audiuit; *Sequere me, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis*, & cùm Regni Claues accepit; ſicut Ioannes Eccleſiam triumphantem, uitamque contemplatiuam, quandò *ſupra pectus Domini, in cœna recubuit*.

Atqui certum eſt, ratione rei geſtę Ioannem id ſignificaſſe, hiſtoricè enim, & verè ſupra pectus Domini recubuit, igitur, & Petrus accipiendo Claues, ratione rei geſtę Eccleſiam militantem ſignificauit, uel actiuam uitam.

Idem quoque Auguſt.in lib. 15. de Trinit. cap. 26. inquit, Chriſtum geſſiſſe figuram Eccleſię quandò baptizatus fuit, cùm tamen uerè ac realiter Baptiſmum receperit. Non igitur apud Auguſtinum hiſtorica narratio excluditur, ubi unum eſt alterius figura.

D.Auguſt.

Secvndo, dicitur Petrus totius Eccleſię figuram geſſiſſe, eo quod fuerit figura totius cętus miniſtrorum Eccleſiaſticorum, ut ipſe Claues in propria perſona accipiens, cęteris Eccleſię Epiſcopis, & Presbiteris ſuo modo, & menſura communicaret: nec enim eas recepit, ut ſolus ipſe illis uteretur, & hoc uoluit D. Auguſt. tract. 50. in Ioann. dum, inquit, *Si hoc Petro tantum dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi autem hoc in Eccleſia fit, Petrus quandò Claues accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificauit*; Itaque cùm uideamus, reliquos Eccleſiæ miniſtros ſoluere, & ligare, vtique non ſolus ſibi ipſi Petrus, ſed etiam vniuerſos Eccleſiæ miniſtros repræſentando, Claues accepit.

Bellarm. accuratè detegit hic doloſam abraſionem, quam Caluinus in hoc loco Auguſtini fecerat, auferendo uerbum illud; *tantum*, ut perſuaderet, Petro nihil dictum, vel datum, niſi quatenus Eccleſiam ſignificabat.

Dolus, & malitia Caluini ex Bellar.

Tertio dicitur, Petrus, accipiendo Claues, fuiſſe figura totius Eccleſiæ Sanctæ, id eſt, omnium iuſtorum, & eorum, qui uiua membra Chriſti ſunt, ſic D. Auguſt. tract. 50. in Ioann. verſus finem, *Iudas malus, corpus malorum ſignificat; Petrus corpus bonorum, corpus Eccleſiæ, ſed in bonis*; & lib. 3. de Bapt. cap. 17. & 18. & lib. 5. cap. 21.

D.Auguſt.

cap.21.& lib.6.cap.3.& lib.7.cap.51.dicit,iuſtorum Eccleſiā,ex auctoritate peccata remittere iis,*ad quos poſtquam baptizati,vel reconciliati fuerint, charitas Eccleſia ſe extendit,ità vt fiant membrum viuum columba,in qua per orationes aliorum iuſtorum vnitatem habeant*; Quem modum loquendi de Clauibus, & remiſſione peccatorum excogitauit D.Auguſt.propter Donatiſtas, quibus incredibile erat,Baptiſmum ab Hæreticis collatum,poſſe hominem iuſtificare,& in Eccleſiam introducere,his D.Auguſt.reſpondet,per Baptiſmum,à quocumque collatum extendi charitatem Eccleſiæ in eum,qui baptizatur, & gemitum columbæ, & orationes Sanctorum.

Bellarm. Quam expoſitionem multis proſequitur Bellarmi.lib.1.de Rom.Pontif. cap. 12.Nobis, qui ad alia magis noſtræ tractationi propria properamus, hæc dixiſſe ſufficiat.

Petrus omnium Apoſtolorum ſupremus. D. Cyprian. ILLVD igitur certum eſt, Petrum ita figuram Eccleſiæ portaſſe, ut Apoſtolatus Principatum, atque primatum ſolus à Chriſto obtinuerit, nec vllum cæterorum Apoſtolorum parem, vel æqualem ſibi habuerit. Certè D. Cyprianus in eo ipſo loco,vbi dixit,pari conſortio præditos reliquos Apoſtolos fuiſſe, & honoris, ac poteſtatis,ſtatim ſubiunxit,*ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, Petro Primatus datur,vt vna Chriſti Eccleſia, & vna Cathedra demonſtretur*.

Addit quoque, ſuper vnum Petrum Eccleſiam eſſe fundatam, & rurſus dicit, quamuis, & alij Apoſtoli paſtores conſtituti ſint, tamen, ut unitatem manifeſtaret,vnam Cathedram, Chriſtum conſtituiſſe, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuiſſe, & multa alia ibidem in hanc ſententiam.

D.Hieron. D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum circa medium, ſic æqualitatem in Apoſtolatu ponit, vt præeminentiam Petri in auctoritate regiminis ſummoperè tueatur. Audi verba eius, *Super petram fundatur Eccleſia,& licet idipſum in alio loco ſuper Apoſtolos fiat,& cuncti Claues Regni Cælorum accipiant,& ex æquo (reſpectu ſcilicèt prærogatiua Apoſtolatus) ſuper eos Eccleſia fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim, vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Quid clarius? D.autem Leo in Epiſt.ad Anaſtaſium Tharſenſem Epiſcopum eleganter, & parem Apoſtolorum electionem,& Petri principatum expoſuit;his verbis. *Inter Beatiſſimos Apoſtolos,in pari honoris conſortio, fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio* (ſcilicet ad Apoſtolatum) *vni tamen datum eſt, vt cæteris emineret*. Quod ſi Anacleti verba benè perpendas, idem quoque ſignificant, cùm dicat,à Petro poſt Chriſtum in nouo teſtamento ſacerdotalem ordinem cœpiſſe,& ipſum Apoſtolos reliquos pro Principe habuiſse. Quod etiam Theophilactus in commentarijs Lucæ 22. appoſitè exponens illa verba; *Confirma fratres tuos*, ſcripſit. *Planus*, inquit, *huius loci intellectus hic eſt; quia te habeo, ut principem diſcipulorum, poſtquam negato me, fleueris, & ad pænitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſia petra, & fundamentum es*. Sed hunc locum tandem aureis uerbis Diui Auguſtini quæſtione ſeptuageſimanona, ex nouo teſtamento, concludamus; *Quid ambigitur?* inquit, *pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne, non rogabat? Vt cæteros taceam; manifeſtum eſt, in Petro omnes contineri; rogat enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur: ſemper enim in Præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur*.

D.Leo.

Theophil.

D. Auguſt.

Ciril. Alex. D.Thomas. Accedant hùc uerba Cyrilli Alexandrini in theſauro, quæ D. Thomas in Opuſculo contra Græcos recitat: *Sicut Chriſtus*, inquit, *accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, dux ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcunque eſt, vt ei cuncta curuentur: ſic, & Petro, eiuſque ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij, quam Petro Chriſtus, quod ſuum eſt, plenum, ſed ipſi ſoli dedit*.

Baronius. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius tomo primo Annalium, egregiè diuerſa Patrum teſtimonia de hac re componit, ea adhibita diſtinctione, quod Dominus noſter, certo quodam diſcrimine adhibito, ea, quę ſunt communia omnibus Apoſtolis ab his, quæ propria Petri ſunt, in Euangelio diſtinxerit, atque ea, quæ ſunt

communia

communia æquè Petro, ac cæteris Apoſtolis contulit; ut Poteſtatem ſacrificandi, *Hoc facite in meam commemorationem*, prædicandi, & baptizandi, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos:* remittendi peccata; *quorum remiſſeritis peccata, &c.* excommunicandi; *quæcumque alligaueritis ſuper terram:* interpretandi Scripturas; *aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*. Lucæ 24. Ea uerò, quæ peculiaria uoluit eſſe Petri, apertè indicauit, cum dixit; *Tu uocaberis Cephas, Tu es Petrus, Tibi dabo Claues, Paſce Agnos, & oues meas*. Quo circa mirandum non eſt, ſi hac diſtinctione adhibita, interdùm Patres dixerint, omnes Apoſtolos pari fuiſſe præditos poteſtate, interdùm verò, Petrum cæterorum caput, & principem.

At Vero non ſolùm Patrum teſtimonijs hæc Clauium præeminentia, in Petro demonſtratur, ſed etiam multis prærogatiuis, inſignibuſque priuilegijs, quibus à Domino affectus fuit. In cuiuſnam quæsò naui ingreſſus eſt Dominus, niſi Simonis Petri? Lucæ 5. Ioannis 21. Vndè Ambroſius ſerm. 11. dixit, *Hanc ſolùm Eccleſiæ nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus;* Immò non nauis unica, ſed mare ipſum à ſolo Petro calcatum fuit, non ab alijs, ſic Matth. 14. & Ioan. 21. habetur. Vndè Bernard. lib. 2. de conſider. perbellè, inquit, *Inſtar Domini, gradiens ſuper aquas, unicum Chriſti Vicarium deſignauit, qui non uni Populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſi quidem aquæ multæ, Populi multi*, & turſus *quid iſtud? nempè ſingularis Pontificij Petri ſignum, per quod non nauem unam, ut cæteri, quiſque ſuam: ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum: mare enim ſæculum eſt, naues, Eccleſiæ*. Præterea cui in Piſcatione dicitur, *duc in altum*, niſi Petro? quis rete traxit in terram, niſi Petrus? cui denique dicitur *noli timere, ex hoc enim homines eris capiens?* certè ſoli Petro, ut his ſymbolis ſignificaretur, per Petrum homines ad Eccleſiam militantem adducendos, & eius regimine ad triumphantem Eccleſiam perducendos eſſe. Sic D. Auguſtinus in tract. 122. in Ioann. exponit. Sanè, quod Dominus iuſſerit, ſolui tributum pro ſe, & Petro, immò ab ipſomet Petro didragma ſolui: *da*, inquit, *illis pro me, & te*, quid aliud innuit, ut Origenes, Chryſoſt. & Hierony. in caput 16. Matthæi exponunt, niſi Petrum, cunctis alijs Apoſtolis prælatum eſſe. *Soluit*, inquit, Auguſtinus quæſt. 75. quæſtionum ueteris, & noui teſtamenti, *duo didragma, unum pro ſe, & alterum pro Petro; quia ſicut in Chriſto, ità, & in Petro omnia continentur*. Item in cœna Petrus primus eſt cui à Domino lauantur pedes, iuxtà ſententiam Auguſtini, in caput 13. Ioannis; nec enim nobis probatur eorum opinio, qui putant, Iudam antè Petrum locum fuiſſe, quamuis etiam hi ex hoc facto primatum Petri colligant, cum ueriſimile ſit, ſolùm Iudam temerè antè Principem Apoſtolorum ſe conſtituiſſe, ità Chryſoſtomus, & Theophylactus ſuper eumdem locum Ioannis. Hinc eſt, quòd ipſe primus, collecto diſcipulorum cœtu, vnum eligendum eſſe in locum Iudæ, docet, ad eiuſque præceptum duo conſtituuntur, atque illis dantur ſortes: Act. 1. Item primus omnium poſt acceptum Spiritum ſanctum Euangelium promulgat, Act. 2. Item primus omnium, & Iudæis, & Gentibus prædicat, Act. 10. Item Petro ſoli dictum fuit in illa uiſione; in qua oportunum tempus Gentibus prędicandi oſtendebatur: *Macta, & manduca;* manducare enim capiti dumtaxat conuenit, cibumque in ſtomachum emittere, & illum ſibi incorporare. Sic Petri, tamquam capitis Eccleſię, partes erant, infideles conuertere, & membra Chriſti efficere. Pręterea Petrus primum Hereſiarcham, principem, & Patrem hereticorum, Simonem ſcilicèt Magum, vt tradit Ireneus lib. 1. cap. 20. & lib. 3. in principio, damnauit, & ſuperauit Act. 8. Poſtremò diuina iuſſione ſedem ſuam in ea Ciuitatę collocauit, quę caput terrarum, & vrbium Regina exiſtit, cęteris Apoſtolis, vt refert Euſebius, ex Origene libro 3. cap. 1. ad alias mundi prouincias deſtinatis. Ità docet D. Leo in ſerm. 1. de Natali Sanctorum Petri, & Pauli, & Maximus in eodem natali; Itaque ſicut in ea caput Imperij erat, ſic Princeps Apoſtolorum regni ſui ſedem ad arcem eiuſdem Imperij deſtinauit. Atque ità obiectionibus hereticorum abundè ſit ſatisfactum.

Prærogatiuę, & excellentię Diui Petri ſupra cæteros Apoſtolos hic enumerantur.

Lucæ 5. Ioan. 21.

Ambroſ.

Matth. 14. Ioan. 21.

D. Bernard.

D. Auguſt.

Origen. Chryſoſt. Hieron.

Auguſt.

Cui primo lauit pedes Chriſtus facta Cæna.

Chryſoſt. Theophil.

Actor. 1. & 2.

Actor. 10.

Irenæus.

Actor. 8.

Euſeb.

D. Leo.

D. Maximus.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Refellitur noua opinio Caietani circa Claues Regni Cœlorum.

CAIETANVS in tract. de inſtitutione, & auctoritate Romani Pontificis capite 5. quaſdam Claues Regni Cœlorum, in Eccleſia inuexit, & alias, quàm ordinis, & iuriſdictionis: putat enim aperire, & claudere, quę duo affirmat eſſe actus adęquatos illarum Clauium, non includi totaliter in Clauibus ordinis, & iuriſdictionis; vndè docet, prę̨ter ligare, & ſoluere, Claues Regni Cœlorum alios ſuperiores actus diſtinctos includere. Quocircà, inquit, Claues Regni Cœlorum importare poteſtatem, tam ordinis, quàm iuriſdictionis, quę per actiones ligandi, & ſoluendi ſignificatur, & aliquid amplius.

Bagnes.

Quam doctrinam, ſecutus eſt Bagnes ſecunda ſecundę, quęſt. 1. artic. 10. dub. 4. vbi poſt multa dicit, quod Claues, quę diſtinguuntur in Claues ordinis, & iuriſdictionis, non adęquant totam latitudinem Clauium Regni Cœlorum.

Refellitur hic opinio Caiet.

An Claues Eccleſiæ aliquid aliud includant præter poteſtatē ordinis, & iuriſdictionis.

VERVM hęc doctrina ſubtilis quidem eſt, ſed, ut noua, vndequaque vera non eſt, quod enim dicit ſoluere, & ligare, idem omninò non eſse, ac claudere, & aperire, admitti forſan poteſt, cùm latius patere uideatur, aperire, & claudere; vt paulò poſt dicemus. In eo autem, quod Caietanus dicit, in Eccleſia alias eſse Claues quàm ordinis, & iuriſdictionis, nouum, & inauditum eſt, nec enim Claues Regni Cęlorum, etiam ſi abſolutè, uel quomodocumque conſiderentur, ab actibus ordinis uel iuriſdictionis diuelli poſsunt: immò quiuis actus, à Summo Pontifice explicatus, omninò reducitur ad poteſtatem ordinis, uel ad poteſtatem iuriſdictionis. Vndè docendum eſt, Claues Pontificias Petri ſuperiores eſse Clauibus Apoſtolorum, atque ab his in multis differre, quemadmodum, & poteſtas iuriſdictionis Petri, iuriſdictioni aliorum Apoſtolorum præeminebat. Petrus, enim, ut caput Eccleſiæ habuit Claues Regni Cœlorum, ſecundum actus Clauibus adęquatos: cæteri uerò Apoſtoli, Claues habuerunt ſecundum actus ordinis, & partialis iuriſdictionis, non enim in ſe ipſos mutuam poteſtatem habebant, præter alios actus, qui Petro, ut Eccleſiæ fundamento, & capiti, ſunt reſeruati: quemadmodum etiam rectè dicimus, quod poteſtas Clauium, ſeu Claues, quas ſeptuaginta Diſcipuli, & alij inferiores Sacerdotes accipiunt, cùm ſint tantùm Sacracramentales, ſint minores, & diſtinctæ à Clauibus, quas Apoſtoli à Chriſto receperunt; habent enim illi Claues ordinis, & iuriſdictionis in ordine ad Sacramentum tantùm, vt dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. & 8. & Cano. 15. & expreſsè habet Sotus in 4. diſtin. 21. q. 1. art. 4. vbi dicit, quod non poſitiuo iure ſed diuinò, Presbiteri Parochiales non poſſunt Indulgentias conferre, nec iuriſdictionem in foro exteriori exercere. Et quamuis poteſtas ordinis, quoad conſecrationem Euchariſtiæ, & celebrationem ſacrificij Miſſæ, & quoad peccatorum abſolutionem in foro Pœnitentiæ ſit æqualis, in omnibus Sacerdotibus inferioribus, in Epiſcopo, & in Papa, ut ex ſeſſione 14. Concilij Tridentini cap. 6. & Cano. 10. colligitur: Attamen in poteſtate iuriſdictionis multi ſunt gradus, & minor eſt in ſimplici Sacerdote, quàm in Parocho, & minor in Parocho, quàm in Epiſcopo, & minor in Epiſcopo, quàm in Papa; ac proindè minor in Apoſtolis, quàm in Petro.

Conc. Trid.
Sotus.

Maldonat.

MALDONATVS, in cap. 10. Matt. negat, in Scripturis haberi, Apoſtolos habuiſſe Claues. At, licet non legatur, illos recepiſſe Claues aperiendi, & claudendi, legitur tamen, accepiſſe Claues ideſt Poteſtatem ligandi, & ſoluendi, remittendi, & retinendi; Matt. 18. & Ioan. 20. Hæc enim poteſtas, verè Clauis Appellatur lege Conc. Trid. ſeſſ. 14. Can. 15. & cap. 6.

Conc. Trid.

Caiet. in alio dicto reprehenditur à Bellarm.

BELLARMINIVS lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 12. exiſtimat, in alio quoque dicto Thomam Caietanum reprehendendum eſſe, dùm ait, ligare, & ſoluere, non idem eſſe, ac claudere, & aperire. Affirmatque in illis uerbis, *Tibi dabo Claues*,

promiſſam

promiſſam fuiſſe Petro poteſtatem deſignatam per Claues, in illis vero, *Et quodcumque ſolueris*, officium, ſiuè actiones Clauium explicari; ità ut omninò idem ſit claudere, & ligare, ſoluere, & aperire: & addit, Dominum functiones Clauium, non per claudere, & aperire, ſed per ſoluere, & ligare expreſſiſſe, ut intelligeremus, has locutiones metaphoricas eſſe, & tunc demùm Regnum Cœlorum homini aperiri, cum homo à peccatis ſoluitur, quæ ingreſſum in Cœlum prohibebant. Itáque in Petri Pontificio nil aliud ponit, quàm poteſtatem animas ligandi, atque ſoluendi, quod etiam ex illo hymni verſiculo comprobat; *Peccati vincula reſolue, tibi poteſtate tradita, qua cunctis Cœlum verbo claudis aperis.*

Verùm, de poteſtate ligandi, & ſoluendi legendus eſt Ricchardus de Sancto Victore, in libro de poteſtate ligandi, & ſoluendi, & in confeſſionali, de peccatorum differentijs, Gerſon parte ſecunda, tractatu de poteſtate ligandi, & ſoluendi, & in tractatu de contemptu Clauium, Abulenſis in Matthæi decimoſexto, quæſtione ſeptuageſimanona, & in Matthæi decimooctauo, quæſtione quadrageſimaſecunda, & alij recentiores. Et quamuis verùm ſit, actus Clauium quoad vſum remittendi peccata, in functionibus illis ligandi, atque ſoluendi concludi; nihilominus, aperire, & claudere aliquid plus ſignificare videntur, quàm ligare, & ſoluere, ſeu remittere, vel retinere; Petrus enim, cuius propriè ſunt Claues Regni Cœlorum, vt Matthæi decimoſexto; ſuper cæteros Apoſtolos aliquid poteſtatis plus habebat, ut Ioannis vigeſimoprimo, & nunc Papa ſupra cęteros Epiſcopos habet illuminare, ſenſus Scripturæ aperiendo, regere uniuerſalem Eccleſiam, diſpenſare, deponere, & ſimilia, qui actus non pertinent propriè ad iudicium, & tamen pertinent ad actum aperiendi.

Riccard.

Gerſon.

Abulen.

Matth. 16.
Ioan. 21.

Sed, quicquid ſit, dato etiam, quod adæquati actus Clauium ſint ſoluere, & ligare, & quod hæc duo idem ſint, ac aperire, & claudere: Illud certum eſt, ad Clauem Petri, tamquàm ſuperioris, aliquem actum pertinere, qui non ſpectet ad Claues aliorum Apoſtolorum, aliàs, in quo Petrus cæteris Apoſtolis maior fuiſſet? abſolutè enim per Claues ſupremum dominium, & primaria auctoritas in Pontificâtu intelligitur, ut Leo Caſtri ſuper Eſaiam, ex multorum Patrum interpretatione exponit.

Leo Caſtri.

Haec autem ſuprema Petri auctoritas, rectè per metaphoram Clauium deſignatur, nomen enim Clauis in Sacra Scriptura ſæpè poteſtatem, & principatum deſignat, ſic Eſaiæ 22. dicitur, *Dabo*, (inquit, Dominus Eliachim filio Eliæ, Summo Sacerdoti, qui typum Chriſti geſſit, habentis Clauem Eccleſiæ, vt Hierony. Cyrill. Procop. Aymo, D. Tho. Lyr. Carthuſ. ibidem exponunt,) *Claues Domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat*. Hic per metaphoram Clauium Domus Dauid, talis poteſtas in Eccleſia deſignatur, ut quod ab ea conſtitutum fuerit, ratum apud omnes, & firmum eſſe debeat. Huc ſpectat Illud Eſaiæ 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius*. Quid enim principatus ſuper humerum, niſi Claues ſuper humerum? & quid, rogo Claues ſuper humerum, niſi Eccleſiaſtica poteſtas ſuper Chriſtum? De quo Apocalypſis 3. dicitur, *Qui habet Clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*. Rectè autem huiuſmodi poteſtas proportionem, & analogiam habet, ad Clauem materialem, quæ dùm fores aperit, vel claudit, ingreſſum Domus, uel promouet, vel impedit; ſic Regnum Cœlorum, in vniuerſali gubernatione Eccleſiaſtica, hac poteſtate aperitur aliquandò, & aliquandò clauditur.

Quod rectè poteſtas Petri ſignificetur per Claues, & quid nomine Clauium in Scriptura denotetur.

Iſai. 22.

Iſai. 9.

Apoc. 3.

Aperitvr quidem, cùm uel quis per auditionē uerbi Dei in ouile Chriſti primò ingreditur, uel etiam, dùm quis Sacramenta recipit, per quę culpę obſtaculum remouetur, ſicut enim peccatum pręcipuè in corde latet, ità pręcipuus actus, & officium Clauium eſt, in occulto foro Pœnitentię Cœlum aperire, uel dùm quis Indulgentias acquirit, per quas ui Clauium extrà Sacramentum, debitum pœnę ex peccato contractum, pręcio ſatisfactionum Chriſti, et Sanctorū ſoluitur: uel dùm quis à Cenſuris abſoluitur, excommunicatus enim auctoritate Clauiū, in Eccleſię gremium, ideſt, in participationem ſuffragiorum, & Miſſarum, reducitur, ut ſic à

Qua ratione per Claues Regnum Cœlorum aperiri, & Claudi poſſit.

culpa liberatus, & à pœnis, per ſuffragia eccleſiaſtica Cœlum ingrediatur. Aperitur deindè dùm diſpenſatur in impedimentis Ordinis, uel Matrimonij, & ſimilia. Denique dùm dogma fidei definitur, & ſenſus Sacræ Scripturæ declaratur, dùm miracula approbantur, dùm ius naturale obſcurum declaratur, vt de immortalitate animæ, & de quibuſdam contractibus, de Monte Pietatis, & ſimilibus, dùm leges eccleſiaſticæ in bonum commune conſtituuntur, dùm quidam in Sanctorum numerum referuntur, dùm Religiones approbantur, ac poſtremò dùm Sacerdotes, Epiſcopi, Diaconi, cæterique alij, qui ad Eccleſiaſticam Hierarchiam ſpectant, creantur, & præficiuntur.

CLAVDITVR verò Regnum Cœlorum, dùm ab Eccleſiæ communione quis reijcitur, vel per ſeparationem à Sacramentorum perceptione, vel per ſuſpenſionem ab exercitio alicuius officij ſpiritualis, vel per impedimentum, quod Irregularitatem vocant, ad altiores gradus Eccleſiaſticos conſequendos, uel per depoſitionem, & degradationem ab ipſo officio, vel inhabilitationem ad beneficia, vel denique per ligamen peccatorum, quæ eſt caſuum reſeruatio, vel abſolutionis negatio, vel pœnitentiarum iniunctio, vel per ſententiam, qua reus authenticè declaratur, aut damnatur, pœnas ipſo iure incurriſſe. Poſſem hoc loco hos diuerſos actus, aperiendi, & claudendi Regnum Cœlorum varijs Sanctorum Patrum teſtimonijs exornare, & confirmare; ſed quoniam hæc tractatio non eſt præſentis inſtituti, ad alia properemus.

Quod ſoli Petro Claues Regni Cælorũ, ideſt ſuprema poteſtas in Eccleſia tradita fuerit. Ioan. 21. Matth. 16. Martinez. D. Thomas.

ILLVD interim, ut certum ſtatuamus, tantummodò Petro, ſeù Eccleſiæ in Petro, vt Capite, Claues Regni Cœlorum, hoc eſt Eccleſiæ militantis, atque etiam Regni Cœleſtis, (Vtrumque enim per Regnum Cœlorum commodè intelligi poteſt) maximè vniuerſales, & primarias traditas fuiſſe. Quas enim Claues accepit, apud Ioannem vigeſimoprimo, niſi promiſſas Matthæi decimoſexto, ſeu aliqui etiam uelint, ibi quoque Petro ſtatim datas fuiſſe Claues, quoad poteſtatem iuriſdictionis in utroque foro, cùm non dùm eſſet Sacerdos, & illud futurum, *Dabo*, pro præſenti ſumi, vt ſæpè in Scripturis fieri, probat Martinez libro quinto Hypot. capite tertio, ità quoque innuit D. Thomas in quarto, diſtinctione decimanona, queſtione prima, articulo tertio, ad primum, et diſtinctione decimaquarta, queſtione tertia, articulo ſecundo, queſtiuncula tertia, ad primum, Soto diſtinctione vigeſima, quæſtione prima, articulo ſecundo, Concluſ. 1. Riccard. diſtinctione vigeſimaquarta, articulo quinto, queſtione tertia, ad quartum, Alexan. de Ales, quarta parte, queſt. ſeptuageſima nona, membr. 6. articulo tertio, §. ſecundo. Quantum autem ad plenum vſum, Claues datas fuiſſe, Ioannis vigeſimoprimo, nemo negat. Et quidem, dictum ne cæteris fuit; *Paſce agnos meos, & paſce oues meas?* An alijs, *Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos?* An alijs, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* An denique alijs, *Rogaui pro te, ut non deficiat fides tua?*

Soto. Riccar. Aleſ.

Epiphan. Optatus.

SANCTVS Epiphanius in Ancorato ait: *Iuxtà omnem modum in ipſo Petro firmata eſt fides, qui accepit Claues Regni Cælorum.* Optatus Mileuit. libro 7. contra Parmen. id quoque affirmat his verbis; *Beatus Petrus præferri omnibus Apoſtolis meruit, & Claues Regni Cælorum communicandas cæteris*, (ſcilicèt ſuis legitimis ſucceſſoribus; ut libro primo, & ſecundo expoſuerat) *ſolus accepit.* Propter hanc ſingularem in Petro Clauium poteſtatem, Dionyſius Areopagita capite tertio, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, vocat Beatum Petrum, ſummum, & Verticalem, Cyrillus Hieroſolimitanus Catechesi 2. 17. & vigeſimaprima, Regni Cœlorum Clauigerum, Epiphanius Hereſi quinquageſimaprima, Ducem Diſcipulorum, & à Beato Hylario ſolus, & propriè Cœli Ianitor vocatur, Can. decimoſexto in Matthæum. Relinquimus hic conſultò cęterorum, tàm latinę, quàm Grecę Eccleſiæ, de hac re teſtimonia, quæ tamquam fluminis impetus, & torrens perennis, hanc veritatem in agro Eccleſiæ Dei uiuidam, ac ſemper vireſcentem reddunt.

Dion. Areop. Cyrill. Epiphan. Hilar.

Origenes.

ILLVSTRISSIMVM tamen Origenis teſtimonium, ultimo loco, tamquàm hu-

ius ue-

ius veritatis ſigillum, non eſt omittendum. Is tract. 6. in Matthæum diſcrimen Petri à cæteris, egregiè ponderauit; quod illis Cœli; huic Cœlorum; ideſt totius Eccleſiæ Claues ſint traditæ. Verba eius ſunt hæc; *Quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum; ideò illi quidem, ſic dicit; & Tibi dabo Claues Regni Cœlorum; & quæcumq; ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis. Non ergò modica differentia eſt; quòd Petro quidem datæ ſunt Claues, non unius Cœli; ſed multorum Cœlorum, ut quæcumq; ligauerit ſuper terram, ſint ligata non tantùm in uno Cœlo; ſed in omnibus Cœlis: ad eos autem, qui multi ſunt ligatores, & ſolutores in terra, ſic dicit, ut ſoluant; & alligent, non in Cœlis, ſicut Petrus; ſed in uno Cœlo, quia non ſunt in tanta perfectione, ſicut Petrus.* Hæc ille. Maldonatus dicit in Caput 16. Matth. Origenem veram, ſolidamque ſententiam, nimis ſubtiliter probando, perdidiſſe. Verum non eſt Origenes carpendus hic, cum ex uerbis Euangelij ingenioſam differentiam ponat inter Petri, & cæterorum Apoſtolorum poteſtatem. Vndè quod Sotus in quarto diſtinct. 20. quæſtione prima articulo ſecundo dicit, vnumqnemque Apoſtolorum fuiſſe per Chriſtum, Epiſcopum vniuerſi orbis, puto aliqua limitatione indigere; nam cùm in vniuerſum orbem non haberent ordinariam poteſtatem, ſed tantùm delegatam à Chriſto, in illis verbis; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c.* Non uideo quomodo propriè vnuſquiſque eſſet Epiſcopus uniuerſi orbis: Immò ex illius ſententia dicendum quoque eſſet, quod vnuſquiſque fuiſſet per Chriſtum inſtitutus Epiſcopus totius Eccleſiæ, quod derogat dignitati, & Primatui Petri, quòd ſi Sotus confugiat ad delegatam Iuriſdictionem, utique verum eſt; ſed iam non erit tunc propriè vnuſquiſque Epiſcopus totius orbis. Maldonatus. Sotus.

Ex HAC doctrina Euangelica, neceſſaria conſequentia deducitur, in poteſtate Clauium Summi Pontificis eſſe, indicere, conferre, & promulgare fidelibus Chriſtianis Sacros Iubilæos, & Indulgentias: exercetur enim tunc ab illo actus aperiendi Regnum Cœlorum, nam dùm debita, propter peccata contracta, ſolutione mutuata à paſſionibus Chriſti, & Sanctorum ſoluuntur, & remouentur; quid aliud profectò fit, quàm quòd oſtium Regni Cœlorum aperitur? Corollarium circa Iubilæos, & Indulgentias.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Eadem auctoritas concedendi Indulgentias probatur ex loco Pauli, ſecunda ad Corinthios ſecundo. Si quid donaui, &c.

PROBEMVS quinto, in poteſtate Eccleſiæ eſſe, Indulgentias, ſeù Iubilæos conferre ex verbis Apoſtoli, ſecunda ad Corinthios 2. qui locus meo iudicio hanc rem maximè illuſtrat. Hiſtoria illius inceſtuoſi, quem Paulus eo in loco commemorat; nota eſt his, qui eius Epiſtolas peruoluunt: Grande peccatum ille Corinthus commiſerat, qui fornicationem talem perpetrauerat, qualis nec inter gentes audita fuerat, ità ut uxorem Patris haberet, ut dicitur prima Corinthiorum quinto, quod peccatum ità expiatum fuit, ut poſt remiſſam culpam, ut docent, Anſelmus, & Ambroſius, traditus fuerit Sathanæ huiuſmodi inceſtuoſus in perniciem carnis, ut ea flagellatione, ac pœna, quæ ſimili flagitio ex diuina iuſtitia debebatur, ſpiritus ſaluus fieret in die Domini. Corpus enim puniri ibi tantùm iniungitur, uti ſpiritus, ideſt anima ſeruetur; ea namque conſeruata, & corpus conſeruabitur, inquit Theophylactus ibidem, quæ pœna medicinam etiam illi afferret. Fuit enim illa potius effectus curam gerentis, quàm punientis. In qua, mera Dia- Exponitur egregie locus Pauli 2. Cor. 2. circa illius inceſtuoſi abſolutionem. 1. Cor. 5. Theophilact.

 bolo

bolo ſtatuta erat, ęquè ac in Diuo Iobo, ut corpus tantùm, non autem animam attingeret. Verùm poſtea auctoritate Chriſti pręcepit Paulus Corinthis Sacerdotibus, ut illius Pœnitentiam relaxarent, & remiſſionem ulterioris pœnę, illius peccati facerent, illaque ſatisfactione contenti eſſent, quam hactenus egerat, ne ille fortè abundantiori triſtitia abſorberetur. Varijs enim pœnis, inceſtuoſus hic oneratus fuerat, ob quas nimia triſtitia, & corporis vexatione cruciabatur.

Hæc eſt hiſtoria, cumque à Corinthiorum etiam Eccleſia dignus aliqua remiſſione, & venia iudicaretur, pro eoque fideles illi intercesſiſſent, ſic Apoſtolus ſcribit. *Cui aliquid*, inquit, *donaſtis, & ego: nam, & ego, quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti*. Tota autem prorſus hæc pœnæ remiſſio, uel donatio, nil aliud re ipſa eſt, quam Indulgentia, ut dictum eſt, ergò ſi id potuit Paulus, ut Epiſcopus, facere; poteſt quoque Eccleſia, non enim minoris poteſtatis eſt, quantum ad talia Summus Pontifex, quàm fuerit Beatus Paulus. Apertè Apoſtolus in illis uerbis ſignificat, ſe à Chriſto poteſtatem accepiſſe, pœnam iudicio Dei, debitam peccato, poſt dimiſſam culpam, condonandi, eiuſdem Chriſti auctoritate, quod re ipſa eſt, poteſtatem accepiſſe, conferendi Indulgentiam. Nec dicendum eſt, vt Hæretici aſtruunt, ibi condonaſſe Apoſtolum pœnam tantùm Eccleſiaſticam, in foro contentioſo debitam, vel illam, quæ iudicio Eccleſiæ, publicè ad aliorum ædificationem, & diſciplinę cauſa, debebatur; cùm illam non ſolùm Apoſtolus, ſed ipſa item Eccleſia condonauerit: ad quam ſanè, Indulgentia, de qua loquimur, non ſe extendit. Pluribus enim rationibus, ex uerbis D. Pauli petitis efficaciter oſtendemus, Apoſtolum pœnam aliquam in iudicio Dei debitam remiſiſſe, atque adeò re ipſa illi Corinthio Indulgentiam conceſſiſſe.

Eo loco D. Paulum Indulgentiam, & remiſſionē pœnę, in foro Dei debitæ, conceſſiſſe.

PRIMO, quoniam uerba illa Apoſtoli, *Quod autem donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti*, manifeſtè declarant, non de humana pœna, quæ ſecundum Eccleſiæ iudicium, cauſa diſciplinæ, uel canonici fori, debetur, ſe loqui, ſed de ea, quæ ſecundum diuinam Iuſtitiam, & Chriſti iudicium, uel in hoc mundo, vel in Purgatorio, huiuſmodi peccato debebatur. Hoc eſt enim donare in perſona Chriſti, id eſt non qualicumque auctoritate; ſed, ut Ambroſius, Anſelmus, & Dionyſius Carthuſianus, alijque exponunt, vice, & loco Chriſti, cuius Vicarij ſumus, quibus, & ipſe ſuam poteſtatem commiſit, & ſoluendi, itemque ligandi uirtutem largitus eſt; erat igitur iudicio Chriſti debita, illa pœna, quæ in perſona Chriſti ritè condonatur, & non tantùm cauſa diſciplinæ, ſecundùm Eccleſię ſententiam, ſic Anſelmus locum iſtum interpretatur. *Vt reatum*, inquit, *ei, cui donauit, oſtenderet, apud Deum, ait in perſona Chriſti ſe donaſſe, quod donauit, id eſt vice Chriſti, qui ait; Quorum remiſeritis, &c.* Hęc Anſelmus, cuius integram ſententiam paulò poſt citabimus.

Ambr. Anſel. Dion. Carth.

D. Anſelm.

SECVNDO, quoniam in eo loco ab Apoſtolo ea remittitur pœna, quę relinquebatur, poſt remiſſam culpam, illi inceſtuoſo luenda; ut Diuus Chryſoſtomus, Theophylactus Ambroſius, & alij in eundem locum, interpretantur, & ex ipſis Apoſtoli uerbis colligitur, inceſtuoſum illum, iam obtinuiſſe remiſſionem culpę, per Pœnitentiam. At hoc genus pœnæ eſt propria materia, circa quam Indulgentia verſatur, ut ſuo loco diximus, pœna autem forenſis, & iudicialis ſeù canonica, nihil commune habet, cum ea pœna, quę poſt remiſſionem culpę ſolui debet.

Chryſoſt. Theophil. Ambroſ.

TERTIO, hæc pœna, quę ab Apoſtolo condonatur, iniuncta fuit illi Corintho in medicinam, & ſalutem animę, ut illius hominis, inquit, *Spiritus ſaluus fieret in die Domini*. Atqui humanę leges primariò ad hunc finem non diriguntur, his enim uerbis, indicauit Apoſtolus eam pœnam, uel aliam eius loco debuiſſe, ſecundùm Dei iudicium, hominem illum luere, ut tandem ſaluus fieret, niſi alia uia, ut ei accidit, ſuccurreretur: uides, quòd de ea pœna loquitur, cuius ſolutio ad ſalutem neceſſaria erat.

QVARTO,

QVARTO, id ipſum hoc argumento conuincitur, quoniam ea pœna, vel pars illius remiſſa fuit tunc ab Apoſtolo; quæ impoſita ab eodem fuit eidem homini, prima Corinthiorum 5. ſed ibi Paulus cum virtute Domini noſtri IESV Chriſti, ideſt auctoritate, & poteſtate Chriſti, illum damnauit ad pœnam, quæ in foro Dei tali fornicationi debebatur; ob id enim tradidit eum Sathanæ, ergò non de publica, aut canonica aliqua pœna loquebatur, quæ tantùm in foro externo Eccleſiæ, ratione diſciplinæ deberetur, ſed de illa, quæ in Dei Iudicio, & foro conſtituta, & confirmata erat. Quocircà rectè Theodoretus, Ambroſius, Theophylactus, & Anſelmus affirmant, Chriſtum ipſum, eamdem Pauli ſententiam, ſimul tuliſſe, & confirmaſſe, atque illam à diuino iudicio tum, & robur obtinuiſſe; quod Apoſtolus illis verbis indicauit, dum ait, ſe nomine, & virtute Chriſti ità iudicaſſe. Et ſicut auctoritate Chriſti pœnam impoſuit, ità eadem auctoritate illam remiſit.

1. Cor. 5.
Theodor.
Ambro.
Theophil.
Anſel.

QVINTO, quoniam Paulus pœnam illam condonauit per auctoritatem, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus tradidit, remittendi peccata, nempè in foro ipſius Dei, ut Epiphanius hæreſi 59. Diuus Ambroſius libro primo de pœnit. capite 6. D. Cyrillus libro duodecimo in Ioannem, capite 56. in fine, & D. Anſelmus loco citato docent; qui omnes, ex his verbis Apoſtoli, contra Nouatianos probant, in Eccleſia eſſe auctoritatem remittendi peccata, poſt Baptiſmum à Chriſto conceſſam. Et quis dubitabit, huiuſmodi remiſſionem in foro Dei fieri? Cùm igitur circa peccatum inceſtuoſi, Apoſtolus, quoad remiſſionem culpę, quę iam per Pœnitentiam Corintho deleta erat; ea poteſtate vſus non fuerit, relinquitur, ut eam exercuerit, quoad remiſſionem pœnę, ſecundum Dei iudicium, huiuſmodi peccato debitæ.

Epiphan.
Ambro.
Cyrill.
Anſel.

Audiant Hæretici Cyrillum explicantem uerba illa; *Quorum remiſeritis, &c. Eccleſiæ filijs peccantibus quidem increpant; pœnitentibus autem indulgent; ſicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios in perniciem carnis tradebat, ut Spiritus eius ſaluaretur, recepitq; rurſus, nè maiore ſubmergeretur dolore.* Hæc ille. At quomodo recepit, niſi per remiſſionem pœnæ, poſt deletam culpam relictæ, virtute Clauium à Chriſto traditarum?

Cyrillus.

NEC obſtat argumentum illorum, quod eſſet pœna publica, vel publico Eccleſiæ conſenſu irrogata, vel condonata; quandò enim peccatum eſt publicum, quale fuit illius inceſtuoſi, pœna debita in foro Dei, etiam publico conſenſu Eccleſiæ imponebatur, & remittebatur: immò ex D. Auguſtino Homilia quinquageſima dignoſcitur, pœnitentias illas, quæ in ipſo Sacramento Pœnitentiæ imponebantur, plurium iudicio ſolitas fuiſſe, pro cuiuſque criminis qualitate, anteà decerni, ac publicè iniungi, & adimpleri, ut ex Gregorio Neocæſarienſi, qui Canones Pœnitentiales collegit, cognoſcitur. Rectè autem (licèt minus principaliter) Eccleſia, quæ ob huiuſmodi peccatum offenſa erat, condonauit illi pœnam, quæ ad fidelium quoque ſatisfactionem iniuncta fuerat, ſed hunc locum Pauli, Sanctos Patres ità intellexiſſe, eorum ſcripta abundè demonſtrant.

Argumẽtum hæreticorum diſſoluitur.
D. Auguſt.
Greg. Neoc.

THEODORETVS in eumdem locum Pauli ſic ſcribit, *Condonare vocat Apoſtolus remittere, oſtendens peccatum illius fuiſſe maius, quàm Pœnitentia; remiſſionem tamen vocat Χάριν, hoc eſt gratiam, oſtendens peccatum fuiſſe maius Pœnitentia.*

Expoſitiones Patrum in hunc locum D. Pauli.
Theodoret.

OECVMENIVS Conſtantinopolitanus, inquit, *Ne exiſtimet is, qui ſtuprum commiſerat, ſe ſufficienter Pœnitentiam egiſſe, ait Paulus, condonetis, ſiuè veniam detis.* Hæc ille.

Oecumen.

Quid eſt autem Indulgentias dare, niſi peccatum, ideſt eius pœnam temporalem, antè ſufficientem Pœnitentiam condonare?

THEOPHYLACTVS ſuper eumdem locum Pauli, *Si quid donaui, &c.* dicit, *Vt non exiſtiment, ſe eſſe dominos dimittendi, & non alium, ac propterea negligant hominem abſoluere, indicat is, quod iam ipſe tali donauerit, ut non poſſint ſeſe porrò ſibi opponere; nè autem percutiantur, veluti contempti, propter vos, inquit, remiſi ei. Noram enim, quod hoc*

Theophilact.

vobis gratum eſſet futurum, deinde, ne iudicetur, propter homines conceſſiſſe, vel dimiſiſſe ei pœnam, adiecit in perſona Chriſti, hoc eſt erga Deum, & coram Chriſto, illo hoc iubente; ac veluti eius loco exiſtens, dimiſi. Quod ſi vos in gloriam Chriſti ei dimiſiſtis, quomodo non eſt huic ignoſcendum, ut glorificetur Chriſtus. Quid clarius?

Idem exponens illa verba antecedentia in eodem capite, *Potius vos ei condonetis, & conſolemini,* dicit, *ut enim ille non exiſtimet ſibi remiſſam noxam, quia ſatis confeſſus ſit, & ſufficienter Pœnitentia ductus, oſtendit, quod non tantum ex Pœnitentia ſua, quantum ex illorum gratia, & donatione dimiſſionem receperit.*

Ambroſius. Diuus Ambroſius in eundem locum ita ſcribit; *Manifeſtum eſt, quia, quod iubet fieri, ipſe facit, nec poteſt hoc abnuere, quod etiam obſecrans, ut fiat, ſcribit, cum haberet poteſtatem iubendi; ſed quia in prima Epiſtola graue eius detulit crimen, ut horrerent illum omnes: nunc, cum recipi illum vult, orat, ne adhuc exulcerato animo aduerſum illum, durum illis eſſet, habere cum illo communionem Eccleſiæ, neque enim tanta in eis erat, quanta in Apoſtolo prouidentia, ut ſtatim intelligerent faciendum eſſe, quod dicebat Apoſtolus, in cauſa huius duntaxat. Ideo obſecrat, ut donent illi, ſignificans, Deum illi ignouiſſe, quia nihil ſine Dei Spiritu agebat Apoſtolus: Nam, & ego, ſi quid donaui, propter vos donaui in perſona Chriſti; Hoc dicto, granauit illos, quia ſi Magiſter, petentibus Diſcipulis, donauit, cui voluerunt, peccatum, quanto magis obaudire debent Diſcipuli Magiſtro? Et ut rationem, cur donauit, oſtenderet apud Deum, ait, in perſona Chriſti ſe donaſſe, quod donauit, hoc eſt, acceptum habuiſſe Chriſtum, cuius legatione fungebatur, ut factum ab Apoſtolo, factum ſit Chriſto, ſicut dixit, quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo; ſi ergo huic, pro quo petierunt, per Apoſtolum Chriſtus ignouit, quanto magis huic iam ignotum erat, cui ut donent, ipſe etiam hortatur?* Hæc Ambroſius.

Idem in libro de Pœnitentia aduerſus Nouatianos, ex hoc loco Pauli, probat in Eccleſia auctoritatem remittendi peccata, ſic dicens; *Quid ergo iſti Nouatiani, poſſunt conſortium ſecum habere, qui Claues Regni Cœlorum non ſuſcipiunt, negantes improbè in Eccleſia poſſe peccata donari, cum Petro dictum ſit, Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta, & in Cœlis? Vndè, & ipſe Vas electionis dicat; ſi cui autem, quid donaſtis, & ego; nam, & ego, quod donaui propter vos in perſona Chriſti; Cum igitur Paulum legerint, ſic eum tam impiè arbitrantur erraſſe, ut ſibi uendicauerit Domini ſui, ſed vendicauit acceptum, non vſurpauit indebitum.* Hactenus Ambroſius.

Anſelmus. D. Anſelmus in eundem locum Pauli, exiſtimat, *Poſt remiſſam culpam, uerum Pœnitentiam (quod eſt, inquit, à peccato ceſſaſſe;) & aſperam egiſſe, & ut abſorbeatur à maiore triſtitia, id eſt, ne ſletibus immoderata triſtitia immergatur, & in profundum deſperationis incidat, & ne, dum à cunctis, diutius uiderit ſe abijci, de ſe deſperans, det animum ad mundum fruendum, quaſi, qui locum apud Deum iam non habeat. Vnde monet illos, clementes in eum fieri, cum aſperam egerit Pœnitentiam; oſtendit autem, ut, quod illi donatum fuit, non hominum pœnas reſpicere, ſed Dei; illis verbis, & ut ratum ei, cui donauit, oſtenderet apud Deum, ait in perſona Chriſti ſe donaſſe, quod donauit, id eſt vice Chriſti, qui ait, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; ſi ergo huic, pro quo petierunt Apoſtolum, ipſe pro Chriſto ignouit, quantò magis illi ignoſcendum erat, cui, ut donent, & ipſe hortatur.* Hæc Anſelm.

Vide quàm apertè Anſelm. dicat, hanc donationem non hominum, ſed Dei pœnas complecti.

Chryſoſt. D. CHRYSOSTOMVS Homil. 4. in 2. Pauli ad Corinthios explanans eundem locum dicit. *Nequaquam autem meminit peccati, quod iam eſſet excuſandi tempus, ut contrà potius condonetis, & conſolemini, neque fiat, ut abundantiore triſtitia abſorbeatur huiuſmodi. Non enim ſolum iubet, remitti increpationem, verum etiam ad priorem ſtatum reuocat. Nam ſi quis flagellis cæſum dimittat, ſanctum, nec deliniat, nihil agit; At vide, ut rurſus, & illum premit, ne Indulgentia fiat deterior. Quamquam enim confeſſus erat factus pœnitens; tamen oſtendit, quod non perinde ex Pœnitentia, atque ex condonatione, conſequatur remiſſionem, eo quod dicit, ut condonetis, & conſolemini* Idem uerò declarat, & id quod ſequitur. *Non enim id, quod dignus ſit, neque quod ſufficientem exhibuerit*

buerit Pœnitentiam; ſed quod infirmus ſit, ideò, inquit, dignus, illum venia: Vnde, & adiecit, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Eiuſmodi, & multa alia in hanc ſententiam. Et infrà, *cui autem quid donaſtis; & ego; mox ne redderet illos elatos, quaſi huius negocij auctoritas penes ipſos eſſet, ita ꝗ fieret, ut non abſoluerent hominem, rurſus adigit illos ad hoc, dicens, ſe quoque illi donaſſe.* Et infrà; *Nam, & ego, inquit, ſi quid donaui, propter uos donaui in facie Chriſti, aut in gloriam Chriſti, aut tamquam, & hoc, Chriſto iubente.* Hæc, & alia ibi Chryſoſtomus. In quibus verbis, multa ſunt ponderanda, quæ ad rem noſtram faciunt.

Diligenter perpenduntur verba Diui Chryſoſtom.

Cùm enim primò dicit, per huiuſmodi condonationem, pœnitentem illum ad priorem ſtatum reuocari, innuit, totam pœnam, quæ ex iuſtificatione reſidua erat, fuiſſe illi remiſſam, & indultam, quam condonationem, vocat Chryſoſtomus remiſſionem, Abſolutionem, uel Indulgentiam.

Deinde, obſeruandum eſt, quod per talem condonationem, extrà Sacramentum aliquid illi fuit indultum, videlicet reſiduum pœnæ, propter quam magno animi mœrore premebatur.

Præterea animaduertendum eſt, hanc condonationem, ex gratia, & ex humanitate, & Charitate Pauli, & aliorum in illum factam fuiſſe, nè enim abundantiori triſtitia ille abſorberetur, non propria, ſed Chriſti auctoritate, de ſummo illo rigore pœnæ remittendum, uiſum fuit.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Idem aſſeritur ex alijs locis Scripturæ.

SExtum Argumentum, ex varijs locis Scripturæ depromendum eſt, vt efficaciter demonſtretur, in Dei Eccleſia auctoritatem eſſe, conferendi Indulgentias, & Iubilæos.

Pro huius rationis intelligentia, illud principium ponendum eſt, quod D. Thom. in 4. diſt. 20. art. 4. quæſt. 1. & Turrecremata, de pœnis, diſtinct. 1. Canone, ſi quis aliquando § in Leuit. quæſtio 1. dicunt, eſſe fundamentum totius materiæ Iubilæi, & Indulgentiarum, nimirùm, quod vnus pro alio poteſt ſatisfacere, non tantùm cùm vnus alteri ſpeciali, & propria intentione ſatisfactionem ſuam accommodat, ſed etiam cùm ex eius, ſaltem implicita intentione, hanc eamdem applicationem faciunt ij, qui præſunt in Eccleſiæ communitate, tamquam diſtribuentes commune bonum, & vniuerſalem Eccleſiæ quemdam theſaurum, in diuina acceptatione repoſitum.

D. Thom.
Turrecr.

Vnus pro alio ſatisfacere poteſt, & quomodo.

Hæc autem ſatisfactionum communicatio, non ſolùm prouenit ex natura charitatis, ſed etiam ex quadam ratione Iuſtitiæ. Quod probatur primùm ex officio, & ratione membrorum. Secundò ex natura charitatis. Tertiò ex vi Iuſtitiæ. Quartò ex nonnullis locis Scripturæ, Sanctorum Patrum interpretatione elucidatis. Poſtremò ratione in eadem Scriptura fundata.

Communicatio ſatisfactionum oritur non ſolum ex charitate, ſed etiam ex Iuſtitia.

Ac primùm, cùm omnes Chriſtiani ſint tamquam vnum quoddam corpus ſub vno capite, quod eſt Chriſtus, & fideles eiuſdem corporis ſint membra, inuicem coniuncta, & vnita, ut inquit D. Paulus ad Romanos 12. prima Corinth. 12. ad Epheſios 1. & ad Coloſſen. primo, & alibi natura autem, & ratio membrorum eiuſdem corporis illa omninò eſt, vt vnum officio ſuo, alteri proſit, ac viciſſim ſibi, mutuoque inſeruiant, & ſubſidium ferant; conſequens eſt, vt fideles hac etiam lege, & ratione teneantur, nimirum vt alter alteri, quod membra ſint coniuncta in eodem corpore, ſuccurrat, atque obſequium præſtet; neque id ſolùm lege charitatis, ſed ex Iuſtitia, vel ex officio, & debito munere membrorum. Inter cætera autem officia cuiuſque membri Eccleſiæ, vnum eſt, etiam pro pœna temporali debita peccato ſatisfacere, vt in tractatu de ſatisfactione Theologi oſtendunt.

Rationes deductæ ex officio, & ratione membrorum.
ad Rom. 12.
1. Cor. 12.
ad Epheſ. 1.
ad Coloſſ. 1.

Igitur,

Igitur, & hoc etiam munere poſſunt Eccleſię membra ſibi inuicem ſubſidio eſ-
ad Galat. 6. ſe. Vndè Paulus ad Galatas 6. dixit; *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*; Et cùm inter cætera onera, vnum ſit, pœnam pro peccato debitam ſubire, efficitur, vt vnus poſſit, participationem ſuorum operum alteri impendendo, pro eodem dictam pœnam ſoluere. Hùc ſpectat communio illa Sanctorum,
Sanctorum Communio in Symbolo fidei. quam in ſymbolo confitemur. Omnes enim in eodem Baptiſmo, in Chriſto baptizati ſumus; Omnes eumdem panem manducamus, & de eodem calice bibimus; omnes denique eiuſdem corporis, ut dictum eſt, membra eſſe profitemur.
Simile. Sicut igitur, nec oculus ſibi tantùm uidet, ſed ut pedes dirigat, nec pes ſibi ambulat, ſed in oculorum utilitatem, ut eos deferat; ſic officia, & facta Chriſtianorum, ſiunt charitate omnia communia, ità ut auxilium unius proſit alteri uiuo, uel defuncto ad id, quod ex lege ualere poteſt. Hùc quoque ſpectat, quod dixit Paulus
ad Epheſ 5. ad Epheſios 5. *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione; ſicut Chriſtus dilexit vos, & tradidit ſemetipſum pro vobis*: Quibus in uerbis hortatur nos Apoſtolus, ut ſicut Chriſtus caput tradidit ſe pro ſuo corpore, ità unumquodque membrum pro alio ſe tradat.

Rationes ex natura Charitatis deſumptæ. Deinde ex ipſa natura charitatis, ex qua uirtutem ſuam conſequitur ſatisfactio, id probatur; Etenim Deus ſatisfactionem ex charitate emanantem, iuxtà naturam, & conditionem ipſius charitatis acceptat; eſt autem illa charitatis natura, ut communionem mutuæ amicitiæ habeat, ex qua mutuorum officiorum communicatio proficiſcitur, atque adeò, ut quemadmodum quis pro ſe ipſo, ſic etiam pro amico ualeat ſatisfacere. Quod paſſim in uita Ciuili accidit.

Rationes ex ipſa Iuſtitia deductæ. Praeterea, ex quadam Iuſtitiæ æquitate id oſtenditur; Æquum enim eſt, ut quod unum membrum, in hoc Eccleſiæ corpore offert, & exoluit pro altero; ità à Deo ad remiſſionem pœnæ acceptetur, ac ſi ab ipſo met offerretur. Satisfactio enim, ut inquit D. Thom. in ſupplement. 3. par. quæſt. 13. art. 2. ad primum, conſiſtit ſolùm in relaxatione pœnæ, ideſt, in hoc, ut quis non ſit ampliùs ad pœnam obligatus. Hic autem fructus ſatisfactionis poteſt alicui prouenire de condigno, ſeu ex Iuſtitia, etiam beneficio ſatisfactionis alienæ. Sic habet communis opinio
D. Thom. Adrian. Alenſis. Bonau. Riccar. Durand. Sotus. Theologorum in 4. diſtin. 20. D. Thom. diſtin. 15. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 2. & lib. 3. contra gentes cap. 158. Adrian. quæſt. 3. de ſatisfactione, & quodlib. 8. art. 2. concluſ. 3. Alen. 4. par. quæſt. 24. m. 4. art. 4. Bonauent. diſtin. 20. art. 1. quæſt. 1. Riccardus, ibidem art. 1. Durand. diſtin. 16. quæſt. 2. art. 3. dub. 8. Sot. lib. 3. de natura, & gratia cap. 6. & in 4. diſtin. 19. quæſt. 2. art. 4. ad primum, & aliorum. Adde, quòd ſatisfactio aliena, quæ, vti precium, in Indulgentijs Deo exhibetur pro ſolutione pœnæ, quæ poſt remiſſionem peccati relinquitur, non ſolùm eſt æquiualens ei, quàm homo debebat ſoluere, ſed etiam magis Deo grata, & etiam quantum ad uim ſatisfaciendi, uehementior ac potentior apud Deum; ſunt enim, ſicut alibi diximus, Paſſiones Chriſti, & Sanctorum. Sicut igitur poteſt quis ex quadam Iuſtitia Deo pro ſe ſatisfacere; ità etiam pro altero; præſertim cùm in utroque caſu ſatisfactiones noſtræ diuinæ gratiæ acceptanti, & meritis Chriſti, innitantur; neque enim pura, & exacta Iuſtitia intercedit, ſed Iuſtitia, & æquitas quædam diuinæ gratiæ innixa.

Probatio ex locis Sacræ Scripturæ. Postremo nonnullis teſtimonijs Scripturæ id oſtenditur; Inſignis eſt locus il-
Inſignis locus D. Pauli ad Coloſſ. 1. le Diui Pauli ad Coloſſen. 1. in quo firmiſſimè, ac ſatis clarè hæc doctrina fundatur. Quidquid Hæretici obſtrepent. *Gaudeo*, inquit, *Paſſionibus pro vobis; & adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Qui locus à nobis copioſè declarabitur in ſequenti quæſtione, ubi de theſauro agetur. Illud nunc ad rem noſtram facit, quod dicit Paulus, ſe ſuſtinere Paſſiones, ſeu adimplere pro corpore Chriſti miſtico, quod eſt Eccleſia, uidelicèt, ut fidelibus communicatione paſſionum, & afflictionum, quas in ſua carne ſuſtinebat, prodeſſet.

Falſa expoſitio Caluini, & aliorum hæreticorum exploditur. Caluinus lib. 3. ſuarum inſtitutionum cap. 5. ſeſſ. 4. & alij recentes Hæretici perperam interpretantur D. Paulum, eas quidem paſſiones, pro corpore quod eſt Eccleſia, adimplere, ſeu pati, vt illæ prodeſſent ad ædificationem in fide, & in verbo Euan-

bo Euangelij, atque vt fideles laboribus, & perſecutionibus ſuis, in Chriſti religione ſuſcepta erudirentur, ædificarentur, ac confirmarentur: non autem, vt Eccleſiæ ad redemptionem, ſeù ſatisfactionem aliquam, pœnæ peccatis debitæ, illæ valerent, ſic enim ſe alibi, inquiunt, explicauit Apoſtolus 2. Corinth. 1. *Siue tribulamur, pro veſtra exhortatione, & ſalute*, & ad Philippen. 1. *Quæ circà me ſunt, magis ad profectum, venerunt Euangelij*. Ità Kemnitius in examine ſeſſ. 25.

Sed eſto, Apoſtolum ea paſſum fuiſſe, vt ædificationem, atque exemplum, fidelibus præberet. Hæc enim intentio, in omni bono opere, negari non poteſt, cur autem negandum eſt, quauè firma ratione inficiari poteſt, eas Paſſiones, non etiam, ea intentione paſſum fuiſſe, vt ad ſatisfaciendum pro pœna peccato debita alijs valerent?

2. Cor. 12. Origen.

Nemini enim dubium eſſe poteſt, Apoſtolum ea voluntate, atque intentione, paſſiones illas ſuas ſuſtuliſſe, ut Eccleſiæ Dei, omni ratione, ac uia, qua prodeſſe poterant, utique proficerent: abſolutè enim dicit, ſe pati pro corpore Eccleſiæ, id eſt in eius commodum, & utilitatem, nec modum ullum determinauit, uel reſtrinxit, quo dumtaxat affirmaret, ſe id facere, immò ex alijs uerbis eius docemur, mẽtem Apoſtoli fuiſſe, ut paſſiones ſuas, etiam ſecundum uim ſatisfaciendi, pro pœna dirigeret. Dicebat enim non ſolùm impendere, ſed ſuperimpendi, ſe libentiſſimè pro alijs optare, ſecunda Corinth. 12. ex quo loco Origenes Homil. 10. in Numeros affirmat, Paulum tamquam uictimam ſuo modo, expiauiſſe aliorum peccata.

At uerò, ut omnis operatio bona hominis iuſti, eam intrinſecè, conditionem habet, ut ſanctam ædificationem, & pium exemplum alijs præbeat; ſic quoque omnis perpeſſio, atque labor, ac denique omne opus pium, cui difficultas atque moleſtia ineſt, intrinſecè uim habet, pro pœna temporali, & pro ſe, & pro alijs ſatisfaciendi; gratis autem, immò iniquè aſſeritur, Apoſtolum mentem ſuam diuiſiſſe, & illum quidem priorem operum ualorem, hunc autem poſtremum, nequaquam in Eccleſiæ emolumentum conceſſiſſe.

D. Auguſt. — Origenes.

Sed hanc, quam nos diximus, Apoſtoli fuiſſe mentem, egregiè D. Auguſtinus exponit, in enarratione Pſalmi 61. paulò poſt principium, tractans hunc locum Apoſtoli. *Patitur*, inquit, *Chriſtus in membris ſuis, id eſt in nobis ipſis, ad communem hanc quaſi rempublicam, nam quiſque pro modulo noſtro, exoluimus, quod debemus, & pro poſſe virium noſtrarum, quaſi canonem paſſionum inferimus*. Lege quoque Origenem dicta Homil. 10., & 24. in Numeros. Sed Patrum ſententias, quæ disertè hunc locum Pauli interpretantur, inferius adducemus.

Obiectiones hæreticorum ex Scriptura, & Patribus.

At urgent Hæretici, Paulum ſæpè negaſſe pro alijs ſe ſatisfacere, ut prima Corinth. 1. *Numquid pro vobis*, inquit, *Paulus crucifixus eſt?* Quod etiam confirmant illo eorum domeſtico argumento, ſolùm Chriſtum fuiſſe, qui ſua morte, & paſſione pro debito noſtrorum peccatorum, ſoluendo præcium, ſatisfecerit, neminem autem aliorum Sanctorum id egiſſe, cui rei accommodant teſtimonia quædam Diui Auguſtini in Pſalm. 16. & tract. 47. in Ioann. & Diui Leonis Epiſt. 81. & 95. & Diui Chryſoſtomi lib. 3. de prouidentia, & Aliorum.

Solutio ad argumenta hæreticorum. Actor. 10. Ad Galat. 6.

Sed reſpondetur, orthodoxam, ac ueram doctrinam eſſe, ſolùm Chriſtum crucifixum, eſse humani generis Saluatorem, & redemptorem Acto. 10. *Non eſt aliud nomen, &c.* & ad Galatas 6. *In quo eſt ſalus, &c.* atque adeò per Crucis ſacrificium, ac per mortem, & paſſionem Chriſti cumulatiſſimè pro peccatis noſtris ſatisfactũ eſse, ità tamen, ut ipſemet Chriſtus uoluerit noſtris quoque ſatisfactionibus, Dei gratia munitis, temporalem peccatorum pœnam ſoluendo, diuinę Iuſtitiæ ſatisfieri. Nec enim Chriſti ſatisfactio, noſtras excluſit; ſed eis locum reliquit, ut per illas, tamquam per medium quoddam, fructus ſatisfactionum Chriſti, ſiuè pro ſe, ſiuè pro alijs participetur, & applicetur; ſicut etiam nõ ex eo, quod Chriſtus, tamquam redemptor, ſufficientiſſimè, & efficaciſſimè orauit, nobis pręterea orandum non eſt. Quis hoc, niſi ſtultus affirmabit? eſt ſanè noſtra quoque oratio neceſsaria, ut fructum orationis Chriſti nobis, uel alijs obtineamus. Si enim huiuſmodi ap-

plicatio

plicatio necessaria non eſt, ut hæretici contendunt, ad quid Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia ualet? ad quid prædicatio Euangelij requiritur? ob quid fides? cur tam multi damnantur, & tam pauci ſalui fiunt? Certè affirmandum eſt, paſſionem Chriſti ſufficienter quidem omnia peccata Mundi redmiere, nemini tamen prodeſſe, niſi per fidem, & ſacramenta, cæteraque media diuinitùs inſtituta ſingulis applicetur: Inter cętera autem inſtrumenta, diuinitus ad pœnam temporalem peccatorum expiandam ordinata, unum eſt noſtra ſatisfactio, quæ ex eadem Chriſti paſſione uim habet apud Deum, id, quod totum in maiorem Chriſti honorem, & gloriam redundat, cùm etiam membris ſuis id tribuerit, ut per eius gratiam, & uirtutem, aliqua ex parte, & ipſa ſatisfaciant. Nec ob id Chriſti ſatisfactio imperfecta, uel non integra cenſenda eſt, ſed adimpletur à nobis, ut uerbis Apoſtoli utamur, dùm opera facimus, per quę, tamquàm medio quodam, fructus Chriſti ſatiſfactionum ad nos perueniat.

Item, neq; additamento noſtrarum ſatisfactionum Chriſti ſatisfactio adiuuatur, quaſi adminiculo quodam ad plenè ſatisfaciendum indigeat: ſed illæ noſtræ requiruntur tamquam medium à Chriſto conſtitutum, per quod ſatisfactiones Chriſti nobis applicentur; tùm ob rationem diuinæ Iuſtitiæ, quæ exigit, ut qui peccauit, ille mulctetur, & patiatur, tùm ob maiorem noſtram dignitatem, & commodum, ad fructum ſatiſfactionum Chriſti reipſa percipiendum, de quo rurſus amplior redibit ſermo.

Alter locus D.Pauli ex 2. Cor.8. PROBATVR item ex alio loco Pauli 2. Corinth. 8. ubi D.Paulus hortatur Corinthios ad ſuppeditandum Tito, & Lucæ neceſſaria, dicens: *in præſenti veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt, & illorum abundantia* (ſpiritualem intelligit in pijs operibus) *veſtræ inopiæ ſit ſupplementum*. Egregiè hunc locum Diuus Chryſoſtomus interpretatur Homil. 17. in 2. ad Corinth. ubi abundantiam diuitiarum, cum affluētia uirtutum, ac piorum operum comparat, ſic ſcribens; *Quid autem eſt, quod dicitur? floretis vos opibus, florent illi vita, & fiducia in Deum; detis igitur illis de opibus, quibus abundatis; illi autem non habent, vt accipiatis à fiducia, ſecundum quam, illi diuites ſunt, vos autem penuriam patimini. Vide quomodo clam inducit, quod ſuper vires, & de paupertate dederint. Nam ſi vis, inquit, de abundantia accipere, de abundantia da*; & paulò poſt, *qualis ſit iſta æqualitas, ſpiritualia reddere pro carnalibus*.

D.Chryſoſt.

NEC hoc loco Paulus ſolum loquitur de doctrinæ abundantia, qua Lucas, & Titus per miniſterium uerbi, inopiam ſpiritualem Corinthiorum ſupplebant, ut hæretici doloſè interpretantur, hanc abundantiam ad ſolam concionandi functionem reſtringentes; ſed abſolutè, ac generatim de abundantia omnium bonorum operum, ſpem enim ibi Corinthijs facit, forè, ut ex huiuſmodi abundantia rerum ſpiritualium, illorum ſpiritualis inopia ditaretur: ſubdit enim paulò poſt; *In hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis, prouidemus enim bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coràm hominibus*, ubi abſolutè loquitur de omni genere bonorum, & in principio ferè capitis, quæ ſit hæc abundantia bonorum operum exponit, ſic dicens; *Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine inſuper, & charitate veſtra in nos, &c.*

Ambroſ. Anſel. D.AMBROSIVS, & D.Anſelm. hanc ſpiritualem abundantiam, non ſolùm in doctrina, ſed etiam in oratione, atque in omni Sanctorum ſuffragio ponunt, ſic ſuper eumdem locum ſcribens Anſel. *Sed ditabantur Sanctorum ſuffragio, quorum ſe virtutibus inſeruerunt, dùm eos ad bene agendum ſuſtentaret miniſtrando illis neceſſaria*. Hæc ille. Sed quid plura? Verba ipſa Pauli ſe declarant, inquit enim. *Potens autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*

D.Hieron. D.HIERONYMVS ſuper eumdem locum exponens illud uerbum, *Prouidemus enim*, inquit, *Nihil enim propter humanam gloriam facimus: ſed tamen nolumus, vt per nos, aliquis ſcandalum meritò patiatur, ſed vt omnes videntes opera noſtra bona, magnificent Patrem noſtrum.*

POSTREMO illa Dauidis oratio abſolutè, & generatim prolata ad hanc ueritatem con-

tem confirmandam maximè facit, inquit Propheta in Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Quę verba, non eo referenda ſunt, ut Hæretici commentantur, quòd Propheta ſignificare velit, ſe non priuatam aliquam opinionem de Deo habere, aut ſuæ fidei confeſſionem, propter occultum aliquem metum, celaturum, ſed publicè id ipſum de Deo ſentire, quod, & alij timentes eum, & cuſtodientes mandata ſua profitentur, atque huius publicæ confeſſionis ſe eſſe participem, & ſocium. Quod vocabulum Hæbraicum ſignificare videtur. Hoc enim Dauid in alio antecedenti verſiculo fecerat, dum dixit, *Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar*, & iterum; *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.* Cum autem dicit, *Particeps ego ſum, &c.* ſignificare voluit, ſe pijs operibus, omnium timentium Deum communicare, tamquam ſocium, & membrum eiuſdem corporis Eccleſiaſtici; eſt enim Eccleſia ſocietas quædam filij Dei IESV Chriſti Domini Noſtri, in quam Paulus gloriabatur, ſe vocatum eſſe, de qua etiam dicitur 1. Ioannis primo, *Vt, & vos ſocietatem habeatis nobiſcum*; ac certa ſpe communicationis bonorum operum alienorum, erigens ſe Dauid, ſignificauit quoque nos, ſocios, & participes eſſe omnium bonorum operum timentium Deum.

Pſalm. 118.

1. Ioan. 1.

D. HIERONYMVS ſuper eumdem Pſalmum, ſic habet. *Dauid particeps erat in Regno ad omnes homines, qui ſuſtinebant tribulationem, & modo Eccleſia particeps eſt ad illos, qui Deum timent, timore ſancto, & ſua mandata implent, particeps eſt cum illis in fide, ſpe, charitate.* D. Ambroſius Homil. 8. in illum Pſalmum, cæterique Patres ità communiter interpretantur.

D. Hieron.

D. Ambroſ.

ADIICIENDA eſt, quoque hic optima ratio, quoniam ſi quilibet poteſt alteri ſua temporalia erogare, cur non, & eleemoſinas ſpirituales elargiri? Immò quanto hæc germaniùs ex charitate procedunt, tanto magis poſſumus cum proximis ea communicare: Quo argumento vtitur Paulus ad Romanos 15. perſuadens collationem in pauperes Sanctorum faciendam eſſe, dicens, *Si ſpiritualium eorum participes ſunt gentes, debent, & in carnalibus miniſtrare illis.* Participes, inquit, ſpiritualium, non quod eorum doctrina erudirentur, cùm abſentes eſſent, ſed quia, & orationibus, & ſuffragijs, mutua ſe opera adiuuabant.

Ad Rom. 15.

Igitur cùm vnus valeat pro alio ſatisfacere, & non tantùm viuente, ſed etiam defuncto, cùm 2. Machabæorum 12. ſcriptum ſit, *Sanctam eſſe cogitationem pro defunctis orare, vt à peccatis ſoluantur*; Sequitur, quod ſicut quis ſuo arbitratu, & libertate poteſt pias ſuas operationes, ſuffragia, eleemoſinas, ieiunia, flagellationes, peregrinationes, cæteraque alia pœnalia opera, in gratia tamen facta, in alium, mouente charitate, transfundere; ità ut uerè pro illo ſoluat, & ſatisfaciat, ſic quoque Eccleſia poteſtatem habet, ſecundùm rationem, & legem eiuſdem charitatis, huiuſmodi ſatisfactiones, & merita Chriſti, & Sanctorum, indigentibus ſocijs applicare. Nec enim Sancti illi homines, qui hiſce operibus ſatisfactorijs abundãt, eatenus auari ſunt, vt ſibi citrà neceſſitatem proprię perſonæ illa retinere, & reſeruare contendant; vel adeò frigida charitate affecti, vt quod non prodeſt ſibi ad ſatisfactionem, alijs egentibus negare velint; Immò, vt ex Cypriano eſt ſuperius relatum, rogant illi Epiſcopos, Eccleſiæque Præpoſitos, vt propriis operationes his, qui neceſſitatem patiuntur, ſua auctoritate impartiri velint, atque hoc eſt, ut Cyprianus ait, priuilegium maximum, & prærogatiua Sanctorum, qui eo animo, & intentione huiuſmodi ſatisfactionibus, bonum bono quotidie addentes, abundant.

2. Machab. 12.

D. Cyprian.

Eſt igitur in poteſtate Eccleſiæ, huiuſmodi ſatisfactiones applicare, & quaſi colligere hæc fragmenta ne pereant, quod eſt Sacrum Iubilæum, & Indulgentias conferre. Sed hoc fuſius proſequi ad tractationem theſauri ſpectat. Nunc propoſitionem poſitam, Patrum auctoritate fulciamus.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Auctoritate Patrum probatur, in Eccleſia poteſtatem eſſe conferendi Iubilæum, & Indulgentias.

Tertullianus. TERTVLLIANVS in libro de Pudicitia aduerſus Eccleſiam ſcripto, ferè per totum, expreſſis verbis, dicit, Pōtificem Maximum, quem Epiſcopum Epiſcoporum appellat, nimia facilitate ignoſcendi, & Indulgentias, & venias concedendi, anſam ſubminiſtrare delinquendi; quo nomine exagitat Romanam Eccleſiam, eiuſque Epiſcopum; ſed nós aliquas ſententias ex verbis eius proferamus, è ſpinis roſas colligendo, vt cognoſcamus, apud Romanum Pontificem, non nouam, ſed vetuſtiſſimam reſidere poteſtatem, Iubilæum, & Indulgentias conferendi; Verba Tertulliani ſunt hęc, in principio eius operis. *Aduerſus hanc nonne diſſimulare potuiſſem? Audio etiam, edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex, ſcilicet, Maximus Epiſcopus Epiſcoporum dicit; ego, & Mœchia, & Fornicationis funes dimitto; ò edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum, & vbi proponetur liberalitas iſta? Ibidem opinor, in ipſis libidinum ianuis, ſub ipſis libidinum titulis. Illic eiuſmodi pœnitentia promulganda eſt, vbi delinquentia ipſa uerſabitur: Illic legenda eſt venia, quo cum ſpe eius intrabitur. Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronunciatur, & Virgo eſt, abſit, abſit à ſponſa Chriſti tale præconium.* Et infra. *Sed iam hæc gloria extinguitur, & quidem per eos, quos tanto conſtantiùs oportuerat eiuſmodi maculis, nullam ſubſcribere veniam, quando propterea quoties volunt, nubunt, nè Mœchiæ, & fornicationi ſuccidere cogantur, quòd melius eſt nubere, quàm vri. Nimirùm propter continentiam, incontinentia neceſſaria eſt, incendium ignibus extinguetur. Cur ergo crimina poſtmodum indulgent pœnitentia nomine, quorum remedia præſtituunt multinubentiæ iure? nam, & remedia vacabunt; cum crimina indulgentur, & crimina manebunt, ſi remedia uacabunt. Itaque vtrobique de ſollicitudine, & negligentia ludunt; præcauendo vaniſſimè quibus parcūt, & parcendo ineptiſſimè quibus præcauent, cum aut præcauendum non ſit, vbi parcitur, aut parcendum non ſit, vbi præcauetur. Præcauent enim quaſi nolint admitti aliquid, indulgent autem, quaſi velint admitti: quando ſi admitti nolint, non debeant indulgere; ſi indulgere velint, non debeant præcauere. Nec enim Mœchia, & fornicatio, de modicis, & de medijs delictis deputabuntur, vtrumque competat, & ſollicitudo, quæ præcauet, & ſecuritas, quæ indulget; ſed cum ea ſint, quæ culmen criminum teneant, non capiunt, & indulgeri, quaſi modica, & præcaueri, quaſi maxima,* & alia eiuſdem tenoris.

Hieron. Hæc Tertullianus non iam Catholicus, ſed Hæreticus ſcripſit, cum ab Eccleſia ad Montaniſtarum caſtra demigraſſet, vt admonet Hieron. lib. de ſcript. Eccl. Nobis autem licet, Philiſtæum etiam gladio ſuo trucidare, & ex eius ſententia inordinate aduerſus Eccleſiam prolata, eiuſdem Eccleſiæ peruetuſtum indulgendi morem liquidò in hæreticorum iniuriam cognoſcere. Numquid enim medicorum, & medicamentorum copia infirmandi materiam, uel occaſionem præbet? Equidem vbi abundat delictum ſuperabundare debet, & gratia. Nec Patris eſt arguenda clementia, ſi ea filij interdum abutantur. At nunc alia Patrum teſtimonia proferamus.

Theophyl. THEOPHYLACTVS in cap. 16. Matthæi, explicans illa verba, *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*, ſic habet; *Claues autem intelligas, quæ ligant, & ſoluunt, hoc eſt delictorum vel Indulgentias, vel pœnas. Habent enim poteſtatem remittendi, & ligandi, qui, ſicut Petrus, Epiſcopatus gratiam aſſequuti ſunt.* Hæc Theophilactus, & clarè loquitur de pœna.

Hylarius. D. HYLARIVS ſuper eumdem locum Matthæi, *Tu es Petrus*, ſic ait; *O in nuncupatione noui hominis fœlix Eccleſia fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & Tartari Portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. ò Beatus cœli Ianitor, cuius arbitrio, Claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium, præiudicata auctoritas*

ta auctoritas ſit in Cælo, vt quæ in terris, aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant in Cælo. Pœnam igitur, quæ ad clauſtra mortis pertinet, Chriſti, & ſua auctoritate per Indulgentias diſſoluet.

D. Leo in 2. ſer. in Nat. Apoſt. Petri, & Pauli. *Propter quod dicitur Beato Petro Apoſtolo, Tibi dabo Claues Regni Cælorum, et quæcunq; ligaueris, ſuper terrā, erunt ligata, & in Cælis, et quæcunq; ſolueris ſuper terrā, erũt ſoluta, & in Cælis. Trāſiuit quidē in Apoſtolos alios uis iſtius poteſtatis; ſed non fruſtrà uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri Priuilegium, ubicunq; ex ipſius fertur æquitate iudicium. Nec nimia eſt, uel ſeueritas, uel remiſſio, ubi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Petrus, aut ligauerit, aut ſoluerit.* Quę verba repetit in ſermon. 3. de anniuerſario ſuę aſſumptionis. D. Leo.

Et in eodē ſer. 3. ſic hēt, *Ego dico tibi, hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ità & ego tibi notam facio excellentiam; Quia tu es Petrus, ideſt, cum ego ſim inuiolabilis, ego lapis angularis, qui facio utraq; unum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere; tamen Tu quoq; Petra es; quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* Hęc ille. Cur igitur alliganda eſt Sacramentis tantùm Petri poteſtas, quoad remiſſionem pœnæ?

D. Bernardus li. 2. de Cōſideratione ad Eugeniũ, verſus finē. *Quis es? ſacerdos magnus, ſũmus Pōtifex, Tu Princeps Epiſcoporũ, Tu hæres Apoſtolorũ, tu primatu Abel, gubernatu Noè, patriarchatu Abrahā, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, ptāte Petrus, unctione Chriſtus: Tu es, cui Claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sũt quidē, & alij Cæli ianitores, & gregũ paſtores; ſed tu tāto glorioſiùs, quāto, & differentius utrumq; præ cæteris nomē hæreditaſti, habēt illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi uniuerſi crediti, uni unus. Nec modò ouium, ſed et Paſtorum. Tu unus oium Paſtor. Vnde id probem, quæris? ex Verbo Domini; Cui n. nō dico Epiſcoporũ, ſed ēt Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce Oues meas, quas? illius, vel illius Populos Ciuitatis, aut regionis, aut certi Regni? oues meas, inquit. Cui non planum non deſignaſſe aliquas; ſed aſſignaſſe oēs? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil, & fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens uni unitatem, omnibus commendaret in uno grege, & uno Paſtore, ſecundũ illud, una eſt colũba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionē non habent, ſed diuiſionem, recedentes ab unitate, inde eſt, qđ alij ſinguli, ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes Sacramentum: deniq; Iacobus, qui uidebatur columna Eccleſiæ, una contentus eſt Hieroſolyma, Petro uniuerſitatem cedens.* D.Bernard.

Plura alia teſtimonia adduci poſsēt, ſed in re tā clara, ſatis ſit teſtimoniũ Alberti magni, qui ſup eundē locũ Matt. pulchrè ex Riccar. de S. Vict. adnotauit: *Quod ligatio, ſacerdotis præcedit abſolutionē; ſecũdũ Dei opus ecōtrariò eſt, quia Deus ſoluēdo primò poſteà ligat. Sacerdos aũt primò ligãdo, poſteà abſoluit. Eſt et uinculum culpæ, & uinculũ pœnæ. Vinculũ aũt culpa, quo hō ligatur peccato, & non pōt mereri, q̃ diu eſt in illo. Eſa. 24. Tenebitur, plāta eius laqueo, & 2. Paral. vlt. Incuruatus ſũ multo uinculo ferreo, & nō eſt reſpiratio mihi. Vinculũ āt pœnæ eſt multiplex, ſ. uinculũ æternæ dānationis, & uinculũ pœnæ Purgatorij, quæ nō pportionata eſt uiribus pœnitentiæ; Eſt & uinculũ pœnæ tpalis cōdigna peccatis, eſt, & vinculũ pœna arbitrariæ ſm conditionē Pœnitentis, & Peccatorũ æſtimatũ. Deus ergò abſoluit à duobus vinculis primis p ſe ipſũ, & ſine conditione, & niſi abſoluat, nihil pōt fieri de peccatore, niſi dānatio. Eſ. 43. Ego ſũ, qui deleo iniquitates tuas pp me, ſuprà c. 9. Quis pōt peccata dimittere, niſi ſolus Deus? Pſal. 50. Tibi ſoli peccaui; ſic aũt abſolutũ mittit ad Sacerdotē, ligatũ pœna purgatoria, & pœna peccato condigna; ſicut Lazarũ ſuſcitatum miſit ad Diſcipulos ſoluendũ. Ioã. 11. Sacerdos autē uinculatũ à Deo ſoluere nō pōt ſimpliciter; ſed ligando ad pœnā expiationis, pōt abſoluere à pœna condigna purgationis, quā in Purgatorio ſoluere deberet, eo qđ Sacerdos non eſt Dominus; ſed Miniſter, & oportet eũ primò æſtimare emendam Domino faciendā, & ad illam ligare, et tunc reſiduum, ut Clauium, remittere, & abſoluere à uinculis, quibus uinctus ad eũ acceſſit. Eccl. 6. Vincula illius alligatio ſalutaris. Sic Luc. 10. Samaritanus, alligando vulnera, infudit uinum pœnæ ſatisfactoriæ, & oleum remiſſionis pœnæ Purgatoriæ, & peccato condignæ. Sic ēt aliquãdo per Indulgentias remittuntur. Sed de hoc notandum eſt, Quòd Indulgentia eſt remiſſio pœnæ ſatisfactoriæ iniunctæ, uel iniungēdæ pro peccato confeſſo, & de quo præceſſit compunctio, quòd ille à Deo abſolutus eſt à vinculo* Albertus Ma. Riccardus. Iſai 24. 2. Paralip. vlt. Iſai. 43. Pſal. 50. Ioann. 11. Eccl. 6. Luc. 10.

peccati, & æternæ damnationis, quæ abſolutio niſi præcedat, non habet locum Indulgentia hominis. Hęc Alb., cuius verba hoc loco poſita, cautè legenda ſunt, cùm Sacerdos ab ſoluens non ſolùm pœnam, ſed ẽt culpam remittat. Ioã. 20. *Quorum remiſeritis, &c.* Ioan. 20.

CAPVT XX.

Auctoritate Conciliorum probatur, in Eccleſia poteſtatem eſſe promulgandi Iubilæos, & Indulgentias.

PROBANDVM nobis eſt ex doctrina Conciliorũ, in Eccleſia poteſtatẽ eſſe donandi Indulgentias. Afferã hic primũ multorũ antiquorũ Conciliorũ loca, quæ, etſi propriè, ac præciſè de Indulgentia pœnæ peccatorũ accipienda non eſſe, aliqui contendant; Eccleſiaſticarum tñ pœnarum, & in foro Dei, & in foro Canonico debitarũ relaxationẽ, & remiſſionẽ ſub noĩe ueniæ, & humanitatis cõtinere, negare nõ poſſunt. Quocircà ſicut illa noĩa, mãſuetudo, ſ. humanitas, & ſimilia remiſſioni pęnarũ Eccleſiaſticarũ cõgruè applicantẽ, ità ſanè remiſſioni pœnæ peccatorum; hoc eſt, Indulgentię eleganter, ac maximè propriè tribui poſſunt. Et ad Indulgentiarũ, de qua agimus, materiã illuſtrandã plurimum conferunt.

Conc. Rom. Cyprian. ROMANVM Conciliũ, Anno Dñi 253. celebratũ, ſede per mortẽ Fabiani vacante, ſtatuit circà lapſos, nihil innouãdũ; ſed eorũ curã mediocriter temperandã eſſe, ut in to. 1. Conciliorũ habetur, & apud Cyprianũ Epiſt. 31. quę eſt Cleri Romani ad illũ; Tẽperamentũ illud nõ niſi relaxatio pœnæ erat, in illo ſæculo, quã nos Indulgentiã uocamus. Hoc Conciliũ indicat ẽt, ſede vacante Cleri Romani partes eſſe, pſpicere, & inuigilare ſuper uniuerſã Dei Eccleſiã, ut ẽt notauit Illuſtriſ. Baron. to. 2. Annal.

Baron. Conc. Sacer. CONCILIVM Sacerdotale, Romę ſub Cornelio Papa, q fuit ſucceſſor Fabiani, cõgregatum contra Nouatũ, cui interfuerũt 60. Epiſcopi, & totidem Preſbiteri cũ multis Diaconis, Anno Dñi 255. ſtatuit, Nouatũ, cùm his, qui eũ ſequerentur, alienũ eſſe ab Eccleſia; eos uerò, qui lapſi fuerant in certamine, fraterna commiſeratione curandos, & fomentis Pœnitentiæ iuuandos. Hæc ibi. Fomentũ Pęnitentiæ, quo infirmis ſpirituale remediũ præbetur, ipſa remiſſio pœnæ eſt, quã nos uoce Indulgentiæ ſignificamus, per quam, cõmiſeratione fraterna, id eſt, mutuis ſuffragijs cõicatis, egentes curãtur. Scribit de hac re Cornelius ad Eccleſiã Antiochenã, Epiſtolã, indicãs quid ſtatuerit Concilium Romæ congregatũ, & quid Italis, Aphris, cęteriſq; occidentalibus, uiſum fuerit, de quo etiam Cyprianus librum edidit, lapſos ad Pœnitentiam cohortando, lege Euſebium lib. 6. hiſtoriæ cap. 35. Cyprianum Epiſto. 52. & 67. & 68.

Euſebium. Cyprian. Conc. Ancyr. CONCILIVM Ancyranum, poſt tempora Marcellini Papæ celebratum, paulò ante Nicenum, circà annum Domini 308. pluribus in locis mentionem facit Indulgentiarum, ſub uoce manſuetudinis, humanitatis, & veniæ.

In Can. 2. quod refertur diſtin. 50. Can. *Preſbiteros, qui immolauerint*, ſic ſcribitur. *Diaconi, ſimiliter, qui immolauerunt, honorem quidem habeant, cum poſtea iterùm reluctati ſunt, illum quidem honorem habere oportet. Ceſſare vero debent ab omni ſacro miniſterio, ità vt nec panem, nec calicem offerant, nec pronuncient, uel prædicent, niſi fortè aliqui Epiſcoporum conſcij ſint laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis amplius aliquid tribuere, vel adimere: penès ipſos ergò erit de his poteſtas.*

In Canon. 5. vbi agitur de ijs, qui in locis Idolorum manducauerunt, ſic ſcribitur. *Quotquot autem aſcenderunt templa cum veſte lugubri, & recumbentes inter alios, manducauerunt flentes: ſi compleuerint Pœnitentiam triennij temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur ad communionem, id eſt, vt ipſi oblationem non offerant: ſi autem perducti ad Templa, non manducauerint, biennio maneant in Pœnitentia. Tertio uerò anno communicent, ſed ſine oblatione, ut dictum eſt: in quarto autem anno perfectionem ſuam recipiant. Epiſcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perſpecta ſingulorum conuerſatione, normam, regulamq; cõuerſationis attribuat, id eſt, ut humanius agens, ſecundum vitæ modũ, tempus alicui Pœnitentiæ breuiare, aut ẽt plixius, qđ correctioni neceſſariũ uiderit, addere. Diſcutiatur aũt oĩum, horum, & præcedens uita, & poſterior, & ità circa eos Sacerdotalis ſe humanitas moderetur.*

In Canon. 16. vbi agitur de ijs, qui irrationabiliter uixerint, ſic ſcribitur, *Quot*

quot ante

quæ ante viceſimum ætatis ſuæ annum tale crimen commiſerint, quindecim annis exactis in Pænitentia, communionē mereantur Orationum, deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis Sacramenta contingāt. Diſcutiatur autem uita eorū, quales tempore pænitudinis extiterint, & iuxtà hanc humanitatē conſequantur.

In Can. 21. de Mulieribus, quę fornicanē, & partus ſuos necāt; *Sed de his, quæ agūt ſecū, ut utero conceptus excutiātur, antiqua quidē definitio eſt, vſq; ad exitū vitæ eas ab Eccleſia remoueri: Humanius aūt nunc definimus, vt eis decē annorū tēpus tribuatur.*

In Can. 22. dicitur poſt principium; *Eos, qui non uoluntate, ſed caſu homicidium fecerint, prior quidem regula poſt ſeptem annorum Pænitentiam communioni ſociauit ſecundum gradus conſtitutos. Hæc verò humanior definitio, quinquennij tempus tribuit. Modus autem huius Pænitentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, ut ſecundum conuerſationem pænitentium, poſſint, & extendere tardantibus, & minuere, ſtudioſè feſtinantibus.* Quæ verba habentur in prima editione.

Fuit autem hoc Concilium Prouinciale, cui interfuerunt 18. Epiſcopi, quorum aliqui etiam in Nicenam primam ſynodum conuenerunt, ſed tamen fuit poſteà receptum in ſexta Synodo generali Conſtantinopoli in Trullo celebrata, ut patet ex 2. Can. ſextę Synodi, & ſub Euſebio Papa celebratum in Ciuitate Ancyra, in Prouincia Galatiæ, & vt dictum eſt, antiquius eſt Niceno.

Concilium primum Nicenum, quod fuit prima ſynodus generalis, anno Domini 315. coacta ſub Siluestro in Nicea Bithiniæ Vrbe, ubi congregati 318. Epiſcopi Catholici aduerſus Arrium, Photinum, & Sabellium, Sanctam, & Catholicam fidem expoſuerunt, ut videre eſt apud Euſebium in ſuo Chronico, & Nicephorum lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 26. & in 1. tomo Conciliorum. — Conc. Nicæ. / Euſebius. / Nicephorus.

In Can. 5. huius Concilij, & habetur 11. q. 3. Can. *Seruetur*, vbi de excommunicatis dicitur; *Dignè etiam à cæteris excommunicatis ſimiliter habeantur, quouſq; in communi, uel ipſi Epiſcopo ſuo uiſum fuerit, humaniorem circa eos, ferre ſententiam.*

Et Can. 11. dicitur. *De his, qui præter neceſſitatem præuaricati ſunt, aut pp ablationē facultatū, aut propter periculū, aut aliquid huiuſmodi, quod factū eſt ſub tyrannide Licinij, placuit ſanctæ Synodo, licèt indigni ſint miſericordia, tamē aliqd circà eos humanitatis oſtēdi.*

Concilium Sardicēſe ſub Iulio Primo, de quo in Hiſtoria tripartita li. 4. c. 21. celebratū anno Dñi 351. conuenerūt in eo Orientales Epiſ. 66. occidentales circiter 300. Quamuis Orientales continuò ab eo diſceſſerint, quòd nollent ad uerba procedere, niſi ſemotis priùs à Concilio, Pauli, & Athanaſij defenſoribus. In Can. 21. de ſuſcipiendis his, qui perſecutionem patiuntur, ſic ſcribitur: *Placuit, ut ſi aliquis uim perpeſſus eſt, & inique expulſus pro diſciplina, & Catholica confeſſione, uel pro defenſione ueritatis effugiens pericula, innocens, & deuotus ad aliam uenerit Ciuitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire poſſit, aut iniuriæ eius remedium acceperit; quia durum eſt, eum, qui perſecutionem patitur, non recipi etiam, & larga beneuolentia, & humanitas ei eſt exhibenda.* — Conc. Sard. / Hiſt. Tripar.

Concilium Laodicenum ſub Liberio Papa cōgregatū Laodiceę circà annum Domini 364. in can. 2. Hanc Eccleſiæ veniam, & Indulgentiam appellat miſericordiam, & bonitatē Dei, his verbis. *Hi, qui diuerſorum peccatorū lapſus incurrunt, & oratione, & confeſſione, ac Pænitentia malorum ſuorū perfectam conuerſionē demonſtrāt, pro qualitate peccati, pænitentiæ tempus attribuendum eſt, propter miſericordiam, & bonitatem Dei. Qui ergò huiuſmodi ſunt, reuocandi, & ad communionem ſunt applicandi.* — Conc. Laod.

Et in can. 1. veniam, Indulgentiā vocat, in illis uerbis loquēs de Bigamis, *Pauco tempore exempto, uacata orationibus, & ieiunijs, ſecundum ueniam reddi eis cōmunionē.* Quid eſt. n. veniā concedere, niſi indulgere? Hoc Conc. Prouinciale quidē fuit, in quo fuerunt 22. Patres ex prouincijs Aſię, in Laodicea Phrygię Pacatianę, & 59. Canones ſtatuerūt, quibus regulę Eccleſiaſticæ expoſitæ ſunt, quorum auctor pręcipuè Theodoſius Epiſcopus extitit. Confirmatū tñ fuit in ſexta Synodo generali in Trullo celebrata, præſente Conſtantino; & de hoc Concilio Laodicenſi, meminit Gratianus in Decretis diſtin. 16. Can. *Quoniam*, & 26. q. 7. Can. *Nō oportet.* — Gratianus.

Concilium Carthaginēſe Tertiū, ſub Siricio, anno Dñi 397. Can. 31. ut Pęni- — Conc. Carth.

tentibus ſecundũ peccatorum differentiam, Epiſcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur, & habetur 16.q.7. *Pœnitentibus*. Huc ſpectant, quę habentur in Conc. 4. Carthaginenſi can. 75. vbi pœnitentibus, qui in perſoluendis pœnitentijs, negligentiores ſe pręſtant, tarda reconciliatio, & indulgentia repromittitur, *Negligentiores*, inquit, *pœnitentes tardius reconcilientur*, & refertur à Gratiano 26.q.7. Can. *Sacerdos*, Et quamuis fuerit prouinciale ſub Siricio Papa, anno 398. cui adfuerunt 214. Epiſcopi, fuit tamen confirmatũ in ſexta ſynodo generali in Trullo.

Gratianus.

Conc. Agath.

CONCILIVM Agathenſe, in Ciuitate Agatha in Gallia habitum ab Epiſcopis 35. ſub Sixto Tertio, anno ſalutis 438. Can. 37. ſub voce Relaxationis, Indulgentiarũ meminit, in illis verbis; *Vt præſcripto biennio tertio ſine relaxatione ieiunent*; & hoc eſt Prouinciale. Idē habetur in Epaunenſi Conc. ſub Gelaſio Primo ann. 494.

Conc. Illerd.

CONCILIVM Illerdenſe ſub Symmacho Papa, anno Domini 502. quod fuit Prouinciale 8. Epiſcoporũ, in Can. 10. habet. *Qui iubente Sacerdote pro qualicumq; culpa ab Eccleſia exire contempſerit, pro noxa contumeliæ, tardius recipiatur ad ueniã*; et refert Gratianus 11.q.3. Can. *Qui iubente*. Ex prænarratis Cõcilijs habes apertiſſimè pęnarũ relaxationes, & remiſſiones, quæ formã, ac ſpecimen indulgẽtiæ præſeferũt.

Gratianus.

Conc. Later.

CONCILIVM Lateranenſe Magnum, quod ab aliquibus numeratur tertium Lateranenſe; ab alijs verò quartum, ſunt enim varij in hac re Scriptores. Bartholomęus Carranza in ſua ſumma Cõciliorum, & Caniſius, ac Bagnes in ſuis Chronologijs Eccleſiaſticis, Primum Lateranenſe exiſtimant celebratum fuiſſe ſub Martino Primo, anno Domini 650. tempore Conſtantis Secundi Imperatoris, aduerſus Sergium, Pyrrhum, & Paulum Patriarchas Conſtantinopolitanos, & contra Cyrum Alexandrinum, & Theodorum, & alios Monothelitas.

Carranza. Caniſius. Bagnes.

Secundum Lateranenſe, ſcribit Caniſius, celebratum fuiſſe ſub Alexandro Tertio Senenſi, circiter annum 1147. Frederico Primo Ahenobarbo regnante.

Tertium uolunt ſub Innocentio Tertio Anagnienſi, celebratum fuiſſe, anno Domini 1215. ſub Philippo Aheneobarbi filio, & Friderico ſecundo; In quo fuerunt Epiſcopi 470. Metropolitani 70. Duo Patriarchæ, Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, ac in vniuerſum 1285. Patres; Oratores uerò Regum, Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri.

Quartum Lateranenſe pro reformatione Eccleſiæ, & pace inter Principes Chriſtianos componenda, inſtitutum, atque celebratum fuit anno Domini 1518. ſub Iulio Secũdo, & Leone Decimo, Maximiliano primo Imperatore regnante.

Lateranenſiũ Conciliorum ſeries diuerſa ex Bellarm.

ROBERTVS Bellarminus in controuerſia 4. generali, 1. tomi de Concilijs, & Eccleſia militante lib. 1. cap. 5. aliam texit ſeriem Conciliorum Lateranenſium; qui tamen, cum ſermonem inſtituat de Concilijs Generalibus dumtaxat, non facit ibi mentionem de Concilio Lateranenſi ſub Martino Primo, quod Concilium fuit particulare anno Domini 660. celebratum, eiuſque tom. 3. Conciliorum, plures Canones extant, ac cætera quidem ab alijs enumerata Concilia Lateranenſia, quæ non continentur ſub aliquo ex his, quæ à Bellarmino adducuntur, non Generalia, ſed particularia ſunt; etſi aliqua celeberrima fuiſſe, negandum non eſt; Quinq; igitur Bellarminus enumerat Concilia generalia, apud Lateranũ celebrata. Primum Epiſcoporũ. D. CCCC. & amplius, anno M. C. XXIII. cõtra Saracenos, pro recuperãda terra ſancta tẽpore Calixti Secundi, & Henrici Quinti Imperatoris, & de eo dicit, Platinam, & Honuphriũ, mẽtionem facere; non tũ extare.

Platina. Onuphrius.

Secundum Lateranenſe, Epiſcoporum 1000. anno 1139. contra Antipapas, & pro Iure Cleri, tempore Innocentij Secundi, & Lotarij Imperatoris, adducit Platinam, & Honuphrium, & dicit apud nos non extare.

Tertium Lateranenſe, Epiſcoporum ferè 300. pro reformatione Eccleſiæ, & contra Vualdenſes, anno 1180. tempore Alexandri Tertij, & Friderici Primi Imperatoris. Affert Platinam, Honuphrium, & Guglielmum Tyrium, qui interfuit, lib. 20. de Bello Sacro, cap. 26.

Gug. Tyrius.

Quartum Lateranenſe, dicit fuiſſe illud celebratum ſub Innoc. III., & Friderico Secundo, ex Matthęo Palmerio, Honuphrio, & Platina. Dicit, contra varias

Palmerius.

hæreſes,

hæreſes, & pro terra Sancta, congregatos fuiſſe Patres numero 1283. ex quibus erant Epiſcopi C. D. LXXIII. anno Domini 1225.

Quintum Lateranenſe, aſſignat ultimum celebratum ſub Leone Decimo Patrum 115. contra ſchiſmata, cęptum anno Domini 1512. perfectum 1518.

Quicquid tamen ſit de numero Lateranenſium Conciliorum, quod inferiùs à nobis proprio loco tractabitur, teſtimonium, quod nos pro indulgentijs adducimus, depromitur ex magno Lateranenſi ſub Inn. III. ſiue tertium, ſiuè quartũ fuerit. In eo Conc. Generaliſſimo, Can. 62. Patres coercent indiſcretas, ac ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati nimis laxè concedebant: Quòd ob id, Claues Eccleſiæ contemnerentur, & pœnitentialis ſatisfactio eneruaretur; moduſque ibi præſcribitur in illis dandis, nè Epiſcopi excedant ſpatium quadraginta dierũ de iniunctis pœnitentijs, cuius Decreti illa ratio aſſignatur, q Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen cõſueuerit obſeruare. Refertur hoc Decretũ in Cap. Cũ ex eo, de Pœnit. & Remiſſ.

Concilium Lugdunenſe Primum, anno 1245. ſub Innocentio Quarto, & Friderico Secundo, coactum pro terra Sancta recuperanda, & contrà ipſum Imperatorem Fridericum, idem ſtatuit circà Indulgentias, quod ſtatutum fuerat in Concilio Generali Lateranenſi, illudque confirmauit. Canon huius Concilij habetur in ſexto Decretalium de pœnit. & Remiſſ. cap. 1. Conc. Lugd.

In Concilio Lugdunenſi ſecundo, Patrum ferè 1000. anno Domini 274. tempore Gregorij Decimi, ſub Rodulpho Primo, ſtatutum fuit, Epiſcopos, in tradendis Indulgentijs, limites Concilij generalis excedere non debere, quod ſi exceſſerint, vires non habere; Hic Canon reſcribitur in 6. de Pœnit. & Remiſſ. cap. *Indulgentiæ*, licèt Bonifacio attribuatur.

Concilium Viennenſe celebratũ, anno 1311. Epiſcoporum 300. ſub Clemente Quinto, & Henrico Octauo Imperatore, cõſtituit, ut feſtũ Corporis Chriſti, ſolẽni ritu, celebraretur in uniuerſa Eccleſia, Feria quinta poſt octauã Pentecoſtes, conceſſis Indulgẽtijs ijs, qui in eodẽ feſto, uel infrà octauas, officio Diuino vel horis intereſſent; hoc Decretum regiſtratũ eſt in Clemẽtina de Reliquijs, & Veneratione Sanctorũ. Quod ẽt ab Vrbano Quarto Papa, anno 1265. fuerat cõſtitutum. Conc. Vienn.

In eodem Concilio, Quæſtorum quorumdam abuſus damnatur, qui contrà Eccleſiaſticę poteſtatis dignitatem, Indulgentiarum nundinationes agentes, Remiſſionem plenariam, & à pœna, & à culpa, quę à ſolo Papa conceditur, indulgebant. Et habetur in Clemen. *Abuſionibus*, de Pœnit. & Remiſſ.

Concilium Conſtantienſe, anno Domini 1415. Patrum ferè 1000. ex quibus Epiſcopi erãt amplius 300. inchoatũ ſub Ioan. XXII. dicto XXIII. & abſolutũ ſub Martino Quinto, & Sigiſmundo Imperatore; ut Platina, & Honuphrius, ac cęteri Chroniſtę teſtantur. In octaua ſeſſione condemnauit 45. Atticulos Vuitcleph, inter quos, 42. erat, *Fatuum eſſe credere Indulgentias Papæ, & Epiſcoporum*; Et in ſeſſ. 19. Hieronymus de Praga anathematizauit hęreſes Vuitcleph, & Ioan. Huſſ de Indulgentijs, Reliquijs Sanctorum, & alijs. Et quamuis hoc Concilium, quoad priores ſeſſiones, in quibus decreuerat, Concilium eſſe ſuper Papam, reprobatum ſit in Concilio Florentino, & Lateranenſi ultimò, tamen quantum ad alia, quæ Martinus Quintus approbauit, firmum, & ratum eſt. Conc. Conſt.

Concilium Baſileenſe inchoatum anno Dñi 1431. Senis, & continuatum poſteà Baſileę, ac deinde Lauſannę uſq; ad annum 1449. in ſeſſ. 24. Indulgentias cõcedit oĩum peccatorũ in forma Iubilęi his, qui ſubſidiũ pro reductione Gręcorũ, procurationẽ, & auxiliũ dederint; & tales, quales Eccleſia concedere ſolet oĩbus euntibus Romã, tẽpe Iubilęi, vel Cruce ſignatis, pro recuperatione terrę Sanctæ. Conc. Baſil.

Idem Conciliũ in Appendice in Epiſtola Synodali confirmat oẽs Indulgẽtias traditas ab Eugenio Quarto, & Martino Quinto in Die Corporis Chriſti, & Indulgẽtias centũ his, qui cũ accẽnſo lumine pręcedẽdo; his verò, qui ſubſequendo comitantur Sanctiſſimũ Sacramentũ, dũ infirmis defertur, quinquaginta annorũ concedit. Adductũ eſt à nobis Conc. Baſil. teſtimoniũ, non quòd ignoremus, ipſũ

M 3 reproba-

reprobatum fuiſſe in Concilio Lateranenſi vltimo ſeſſ. 12. exceptis his, quę Nicolaus V. in Bulla, actis eiuſdem Concilij annexa, approbauit; ſed ut intelligatur ab aduerſarijs, etiam eo tempore, & ab illis, qui illi Concilio interfuerunt, creditum fuiſſe, poteſtatem eſſe in Eccleſia conferendi Indulgentias.

Conc. Trid.

Novissime. Concilium Tridentinum in ſeſſ. 25. in Decreto de Indulgentijs, hanc Catholicam veritatē huiuſmodi uerbis illuſtrauit, & confirmauit. *Cùm poteſtas conferendi Indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atq; huiuſmodi poteſtate diuinitùs ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: Sacroſancta Synodus, Indulgentiarum uſum, Chriſtiano Populo maximè ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinēdum eſſe docet, & præcipit, eoſq; anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, uel eas concedendi in Eccleſia, poteſtatem eſſe negant.* Et hoc Concilium fuit inceptum, anno 1545. & finitum anno 1563. tempore Pauli Tertij, Iulij Tertij, ac Pij Quarti. Carolo Quinto, ac Ferdinando Imperatoribus. Patres in eo fuerunt numero. 255. videlicèt Legati 4. Cardinales 2. Patriarchæ 3. Archiepiſcopi 25. Epiſcopi 168. Procuratores abſentium 39. Generales Ordinum, ſeptem.

Quantum ualeat hæc probatio ex auctoritate Côciliorum.

Haec Conciliorum teſtimonia adducta (plurimis Prouincialibus cōſultò relictis) ex continuata ſerie ſęculorum firmiſſimum faciunt argumentum, & irrefragabile, ad oſtendendam hanc veritatem, eſſe videlicèt in Eccleſia poteſtatem conferendi Indulgentias, & niſi quis, cæcitate prauæ diſpoſitionis affectus fuerit, uel pertinacia, & perfidia obduratus, eam negare non poteſt, cùm ex traditione Apoſtolica id continuis ætatibus; in omnibus Eccleſijs Sanctorum uſitatum ſit. Hac eadem ratione probat Apoſtolus in prima Epiſtola ad Corinth. inferiores Prophetas, ſuperioribus ſubiectos eſſe debere, & mulierem docere in Eccleſia, minimè fas eſſe, *Sicut*, inquit, *in omnibus Eccleſijs Sanctorum doceo*; & Rurſus, *an à uobis proceſſit Verbum Dei, aut tantummodò ad uos peruenit?* quaſi diceret, non à vobis; ſed à veſtris anteceſſoribus proceſſit. In quo, rei antiquitas demonſtratur, *Nec uſq; ad uos peruenit; ſed vlteriùs progreſſum eſt.* In quo vniuerſitas, & conſenſio denotatur. Sic nos dicimus, hoc Eccleſiaſticum dogma, Eccleſiam poſſe Iubilęos, & Indulgentias conferre, Catholicum, & Orthodoxum eſſe dogma in omnibus Eccleſijs orbis, in pluribus Concilijs edictum, & prędicatū fuiſſe. Hoc à multis teſtibus accepimus, nec à nobis proceſſit, ſed ab his, qui ante noſtra ſæcula per multos tractus temporum fuerunt. Superat hęc doctrina Indulgētiarum, annum ducenteſimum, ſuperat quingenteſimum, ſuperat milleſimum à Chriſto; Immò vſque ad annum Domini 315. peruenit, & plus ultrà, Immò ab anno 252. à Chriſto per Conciliorum Patres audiuimus, Indulgentias eſſe. Sed adhuc vlterius ab ipſo Clemente Primo, hanc veritatem ſuo loco audituri ſumus, ità ut illud verè in hac re adimpleatur, quod dicitur: *Patres noſtri annunciauerunt nobis*.

CAPVT XXI.

Rationibus ex alijs Eccleſiæ conditionibus deductis eadem Poteſtas Iubilæos, & Indulgentias conferendi probatur.

Ex Aliis proprietatibus, quas Eccleſia Catholica habet, facilè erit perſuadere, in Chriſtiana religione eſſe hanc quoque auctoritatem, pœnas peccatorum extrà Sacramentum, relaxandi.

Remedia Eccleſię ad culpas ueniales delendas.

Et primò, Eccleſia habet poteſtatem etiam extrà Sacramentum remittendi culpas veniales per plura remedia, ut per Orationem Dominicam, vt dicit textus in Can. *De quotidianis*, de pœnit. diſt. 3. & eſt Auguſtini in Enchyridion c. 71. Et in can. *Tres ſunt autem*, eodem titulo, diſt. 1. in fine, & eſt eiuſdem Auguſt. in Epiſt. 108. ad Seleucianum, & in lib. 50. Homiliarum, Homilia vltima. Itē per

Oratio Dominica. Auguſt.

confeſ-

confeſſionẽ generalem, ut Eccleſiaſtica conſuetudo teſtatur; dũ ante Miſſam à Sacerdote, & in Prima, & in Completorio à Clericis dicitur; quicquid dicat Palud. in 4. diſt. 16. q. 1. Item per Aquam benedictam, vt eſt textus de cõſecratione, diſt. 2. Can. *Aquam*. Item per eleemoſinam, Luc. 11. *Date eleemoſinam, & ecce omnia mũda ſunt vobis*. Quod etiam habetur in Can. *Medicinam*, de conſecratione, diſtin. 1. Item per benedictionem Epiſcopalem, ut dicit D. Thomas 3. par. quæſt. 87. art. 3. uel per tunſionem pectoris, ut ibidem D. Thomas. Item per orationem in Eccleſia dedicata, iuxtà illud Iacobi 5. *Oratio fidei ſaluabit infirmum*, ut etiam D. Thom. ubi ſuprà, & per alia remedia, quæ Hoſtienſis accumulat ſuper cap. *Omnis Vtriuſque ſexus*, de Pœnitentijs, & Remiſſionibus, & Caietanus ſuper citatum locum Diui Thomæ.

Confeſſio generalis. Paludanus. Aqua benedicta. Luc. 11. Eleemoſina. Benedictio Epiſcopalis. D. Thomas. Percuſſio Pectoris. Iacobi 5. Oratio in Eccleſia. Hoſtien. Caiet.

Item per quæcumque alia ſacramentalia ab Eccleſia inſtituta, quæ ex ui Clauium, & ex opere operato, uirtutem habent remittendi culpas ueniales, ut placet Soto in 4. diſtin. 15. quæſt. 2. art. 3. & alijs quos infra citabimus. Igitur multò magis Eccleſia poterit remittere pęnas, extrà Sacramentum, cum minus ſit relaxare pœnam, quam dimittere culpam.

Sacramentalia culpas ueniales delent. Sotus.

Secvndo, in Eccleſia plura ſunt alia remedia, extrà Sacramentum, ad remiſſionem pœnarum, quæ relinquuntur, remiſſo peccato, vt Eleemoſina, iuxtà illud Lucæ loco citato. Oratio quælibet facta in gratia, & cum feruore charitatis, iuxtà illud Iacobi 5. *Oratio fidei, &c.* Condonatio iniuriæ, iuxtà illud Lucæ 6. *Dimittite, & dimittemini*. Hoc enim habet peculiare remiſſio iniuriarum, & dilectio inimici, ut infallibiliter ex Chriſti promiſſione, pœnæ remiſſionem à Deo obtineat, iuxtà illud Euangelij Marci 11. *Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in Cælis eſt, dimittet, vobis peccata veſtra*. Quæ quidem teſtimonia, non de remiſſione mortalis culpæ intelligenda ſunt, quippè, quæ per ſolam contritionem, & Pœnitentiæ ſacramentum remittitur; ſed de remiſſione pœnæ per modum ſatisfactionis, quamuis etiam augumentum gratię opera illa mereantur, ſi fiant ab homine iuſto. Et licet hoc habeant omnia opera meritoria, ſpecialius tamen id obtinent opera miſericordiæ, præſertim remiſſio offenſæ fratrum, quæ inter eleemoſinas ſpirituales, primum locum obtinet. Vndè ſicut D. Thomas in quarto, diſtin. 15. art. 2. quęſt. 2. bene dixit, quod inter opera ſatisfactoria, magis ſatisfactoria eſt eleemoſina; ſic nos dicimus, quod inter eleemoſinas remiſſio iniuriarum eſt maximè ſatisfactoria. Caiet. in ca. 6. Matth. cenſuit, quòd ſi quis in mortali perſeueret, ob remiſſionẽ iniuriarum, ex ſpeciali Chriſti priuilegio nobis reuelato, tandem etiam culparum remiſſionem à Deo ſit conſecuturus. Quod quidem intelligendũ eſt, non infallibiliter, ſed ut plurimum, præſertim ſi peccet ex flagilitate, non ex contemptu, & malitia, atque id diſpoſitiuè, ut bene Bagnes 2. 2. quæſt. 32. artic. 4. dubio penultimo. Igitur pari ratione, in eadem Eccleſia, applicando Sanctorum merita, poterunt eædem pœnæ extra Sacramentum remitti.

Iacobi 5. Luc. 6. Quantũ ualeat remiſſio iniuriarum. Marci 11. D. Thomas. Caietan. Bagnes.

Et quoniam in hac ratione aſſertum fuit, benedictionem Epiſcopalem uim habere remittendi culpas ueniales, & efficiendi alios effectus ſpirituales, & ſæpè in hoc opere idem aſſeritur, placet hoc loco paulò fuſius id exponere.

Haec cæremonia benedictionis Epiſcopalis, non eſt cur ab hæreticis ludibrio habetur, originem enim habet ex actionibus Chriſti, qui aſcendens in Cœlum hac benedictionis cæremonia, erga ſuos Apoſtolos, & dicipulos uſus eſt, inquit Lucas 24. *Et eleuatis manibus ſuis benedixit eis; & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in Cælum*. Hæc fuit ultima Chriſti actio, hæc poſtrema cæremonia ab Euangeliſta diligenter expreſſa. Ne quis putet, hanc benedictionem uocalem duntaxat fuiſſe precationem aliquam; non autem manuum actionem; ſubiungit Euangeliſta, *eleuatis manibus*, ut eam ipſam benedicendi formam, qua Chriſtus uſus eſt, in Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, emanatam, intelligamus. Fuit autem, & in ueteri lege huius externæ benedictionis uſus, ſic Leuitici nono legitur. *Moyſes, & Aaron egreſſi, è tabernaculo, benedixerunt Populo; Aaron extendens manum ad Populum, benedixit ei*, & Genẽ. 49. *Iacob extendens manus*

Benedictio Epiſcopalis contra hęreticos probatur, & explicatur eius uirtus, & præſtantia. Lucæ 24. Leuit. 9. Geneſ. 49.

benedixit

benedixit duobus filijs Ioſeph, Ephraim, & Manaſſes. Non ſolùm autem exemplo Chriſti, Eccleſiarum Præpoſiti, hac benedictionis ceremonia in Sacris myſterijs, publicè celebratis vtuntur, ut D. Auguſt. in Epiſt. 59. quæſt. 6. oſtendit, ac præſertim in ſacro Miſſæ officio, ut in Agathenſi, & Tauronenſi primo Concilio abundè cognoſcitur; ſed etiam in priuatis congreſſibus. D. Auguſtinus cum adhuc Epiſcopus non eſſet creatus, ægrotum quemdam amicum viſitauit, vbi cùm præſens eſſet Epiſcopus loci, inquit, *accepta ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus.* Ità ſcribit in capite 8. Libri 22. De Ciuitate Dei. Similiter in Eccleſia Græca, Nectarius Ciuis Tarſenſis, qui deindè Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus factus eſt, cùm è Conſtantinopoli, vbi primùm Concilium Conſtantinopolitanum celebrabatur, reditum in Patriam pararet, acceſſit prius ad Diodorum Tarſi Epiſcopum, vt ab eo cùm precatione benedictionem acciperet. Quanti autem ponderis, & momenti ſit hæc etiam priuata Epiſcopalis benedictio, illuſtre quoddam exemplum Sancti Antonini Archiepiſcopi Florentini, vt Surius in vita eius refert, omninò declarat. *Cuidam ruſtico, qui munuſculum quoddam Archiepiſcopo attulerat; ſic ille benedixit, dùm acciperet, dicens, Retribuat tibi Deus. Cumque ruſticus aliā mercedem expectans, iratus diſcederet, Epiſcopus eum reuocare iubet, & propoſita bilance, ruſtici donum in vna lance reponit; ſuam verò benedictionem cum verbis illis, Retribuat tibi Deus, in cartula conſcriptam, in altera, vt quid, cui præponderaret, probaretur. O mirum, ſed non indubitatum? en ſtatim cartula benedictionis Epiſcopalis; donum ruſtici grauiter depreſſit.* Quo exemplo declarauit Deus, quanta diuina virtus in benedictione Epiſcopali ſita eſſet, quam præter alios ſpirituales effectus, culpas quoque veniales remittere, apud omnes orthodoxos, in confeſſo eſt. Sed iam tertiam rationem proferamus.

D. Auguſt.
Con. Agath. & Tauronen.
Surius.
Miraculum benedictionis Epiſcopalis.

Tertio, ex vſu quodam Eccleſiaſtico, qui antiquiſſimus, atque perpetuus per multa ſæcula in Eccleſia fuit, idem probatur; Canones enim pœnitentiales, ſeu regulæ Eccleſiaſticæ, ad quarum normam compellebantur Pœnitentes, pro peccatis ſatisfacere, quos antiquiſſimos eſſe, & in ſuperioribus ſæculis vſitatos, mox indicabimus, id apertè declarant.

Etenim ſeueras pœnas, diuturnaſque afflictiones, ad ſatisfaciendum pro peccatis magnis remiſſis, iuſtè, & diuerſimodè pro varijs generibus peccatorum, ab Eccleſia conſtitutas eſſe, liquidò perſpicitur ex libro pœnitentiali Romano, Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, Bedæ, Commeani, & Bruchardi; & ante iſtos, ex ſcriptis Irenæi, Fabiani Pontificis, Petri Alexandrini, Baſilij, Niſſeni, & ex varijs Concilijs, Græcis, & Latinis, ut ſuperius demonſtrauimus, in quibus varij ritus obeundarum pœnitentiarum, quæ iniunctæ, & impoſitæ erant, traduntur.

Pœnæ per antiquos canones pœnitentiales pro peccatis impoſitæ referũtur.
Theodorus Cantuarien.
Beda.
Commeanus.
Bruchardus.
Irenæus.
Fabianus Papa.
Petrus Alex.
Baſilius.
Niſſenus.
Euſebius.
Cyprianus.
Diuerſitas pœnitentiarum per Canones pœnitentiales.
Bruchard.
Petrus Alex.

Evsebivs lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 46. ſcribit, Dionyſium Alexandrinum ſtatuiſſe per Epiſcopos, impoſitis pœnitentijs, peccatores ad Eccleſiam, à qua per Eccleſiaſticam ſententiam, & cenſuram abſciſſi erant, fore reducendos. D. Cyprianus quoque in multis locis, & præſertim lib. 1. Epiſtola 2. & 7. & lib. 4. Epiſtola 2. & in lib. de lapſis, & in alijs locis, quos ſuprà in lib. 1. citauimus, perpetuus eſt in ea ſententia, Epiſcopos ſuo muneri non ſatisfacere, niſi per pœnitentiam lapſis pacem darent. Nec ſemper eodem modo, vt dictum eſt, obligatio pœnitentiarum imponebatur; ſed aliquibus pro grauitate delicti, breuior, aliquibus longior ad ſatisfaciendum irrogabatur, triennium quibuſdam, ſeptennium alijs, alijs verò decennium, nonnullis, qui atrociſſima commiſerant crimina, triginta anni, vel etiam aliquando ſpacium totius vitæ in pœnitentiam præſcribebatur. In leuioribus verò peccatis, quadragenaria, hoc eſt, quadraginta dierum pœnitentia, quæ apud Bruchardum lib. 19. Can. 1. Carina vocatur, quod vt Petrus Alexãdrinus ſcribit, is numerus Chriſti ieiunio ſit conſecratus; In minimis verò, & leuiſſimis, tres dies pœnitentiæ, putà ieiunij, ſeu peregrinationis imponebatur, cuius rei exempla aliqua ex Bruchardo depromamus. *Pro modico furto, viginti dies pœniteat, qui eſt viginti annorum; qui eſt decem annorum, aliquid furti faciens, ſeptem dies pœniteat. Si quis non honorauerit Patrem, aut Matrem, tres annos pœniteat; Qui operatus eſt,*

ratus eſt, in die Dominico, tres dies in pane, & aqua pœniteat. Si mœchatus fueris cum alterius uxore, duas Carinas, cum 14. annis ſequentibus pœnitere debes; quia ſuper uxorem ſuam, alteram habuiſti; ecce unum adulterium; habuiſti etiam alterius uxorem, ecce aliud adulterium, & numquam debes eſſe ſine pœnitentia.

NICOLAVS Papa Primus, in Epiſtola ad Rataldum Epiſcopum Sanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis, longam ſcribit pęnitentiam eorum, qui matrem, vel patrem occiderint; & habetur 33. quæſt. 2. Can. *Latorem*, & in Concilio Vuormacienſi Can. 30. & recitatur à Bruchardo libro 6. capite 46. & ab Iuo par. 10. capite 173. *Matricida ſic pœniteat, per unum annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ ſtans, orans, & deprecans Deum, perſeueret, qualiter tanto eripiatur piaculo: completo anno, introeundi in Eccleſiam licentiam habeat, ſtatum inter audientes ſtet, ſed nondum communicet: completis tribus annis, Sacræ communionis ei gratia concedatur; oblationes verò non offerat; niſi prius aliorum ſeptem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis, carnem non manducet, nec vinum bibere præſumat, exceptus feſtis diebus, atque Dominicis, & à Paſcha, vſque ad Pentecoſten, & quocumque ire voluerit, equo non vehatur, ſed pedes proficiſcatur. Arma non ſumat, niſi contra Paganos; Ieiunet autem tribus diebus per habdomadam vſque ad veſperam, & à propria, & legitima coniuge non ſeparetur, ne in fornicationis voraginem corruat. Si autem, ante annorum trium curſum, finis vitæ illius appropinquauerit, corporis, & ſanguinis Domini Noſtri particeps fiat; ſin autem, vt ſuprà ſtatuimus, efficiatur; tamen ſi illius conuerſionem, & lachrymarum fontem, in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circà eum ſollicitudo peruigil appareat, mitiſque in omnibus demonſtretur.* — Nicolaus Primus. Conc. Vuormatien. Bruchardus. Iuo.

NYSSENVS Epiſtola 4. ad Epiſcopum Mitelen. propter aggrauantem circũſtantiam, & ob eiuſdem peccati reſiduum, grauiorem pęnitentiam iniungendam ſcribit, his uerbis, *Quoniam*, inquit, *eorum, qui fornicatione polluti ſunt, aliqua cum hoc peccato, commixta eſt iniuria; proptereà duplum conuerſionis tempus his præſcriptum eſt; qui ſe contaminauerunt adulterio, animalium initu, & rabie in maſculos. In his enim peccatum conduplicatur; Vnum quidem in illicita, & nefaria voluptate; Alterum autem, quod conſiſtit in iniuria, quæ fit alteri.* Huculſque Nyſſenus. — Nyſſenus.

In Pęnitentiali Romano, multa ſimilia habentur, ut, *Si Presbyter fornicationem fecerit, decem annis pænitentiam faciat, hoc modo, ſcilicet, quòd ſit incluſus, ſiue à cæteris in aliquo loco remotus, ſacco indutus; & humi proſtratus, miſericordiam Dei humiliter implorans, primis tribus menſibus continuis, à veſpera, in veſperam, pane, & aqua vtatur, exceptis Dominicis diebus; & feſtis præcipuis, in quibus modico vino, piſciculis, & leguminibus recreetur. Si Presbiter cognouit filiam ſuam ſpiritualem, quam baptizauit, vel in Baptiſmo, vel in Confirmatione tenuit, vel quæ ſibi confeſſa fuit, debet pænitentiam agere duodecim annis, &c.* — Pœnitentiale Romanum.

HAEC adducta ſunt, ut demonſtremus ex Eccleſiaſtico vſu, eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi pœnas, & conſequenter donandi Indulgentias. Etenim ſi in Eccleſia; hoc eſt, in eius Præpoſitis, Romano Pontifice, & Epiſcopis, reſidet facultas imponendi extra Sacramentum punitiones, per quas pœnæ in foro Dei debitæ, poſt acceptam Iuſtificationem, remittuntur: Quomodo in illa quoq; non erit poteſtas relaxandi etiam extra Sacramentum, huiuſmodi punitiones, quoties iuſta, & rationabilis cauſſa interceſſerit? Non ne æquè ligandi, & ſoluendi, remittendi, & retinendi, aperiendi, & claudendi, poteſtatem accepit? ſanè Petro dictum fuit; *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælo, & Quodcumque ligaueris, &c.* Omnibus autem Apoſtolis ſimul, *Quæcumque ligaueritis, vel ſolueritis in terra, ligata, vel ſoluta erunt in Cælo,* Immò ex ipſa natura Regiminis, id perſpicuum ſit, cum omnis Magiſtratus poteſtatem habeat, & pœnas imponendi, & eas relaxandi. Eius enim eſt ſoluere, cuius eſt ligare: Cur igitur Religionem Chriſtianam, ea poteſtate priuabimus? — Argumentatio ex hac Eccleſiæ poteſtate imponendi pœnas extra Sacramentum.

Adde, quòd ſicut Eccleſia potuit illas Canonicas pœnitentias abrogare, (non enim in hoc ſæculo ſunt in uſu) ità quoque ſi eſſent in uſu, poſſet, ob legitimam cauſſam remittere, & eadem ratione, licèt pœnitentiæ non ſint iniunctæ, poteſt

pœnas, quæ in Purgatório debentur, & illis correſpondent, auctoritate Chriſti ſibi indulta, iuſta de cauſa relaxare, & præſertim adhibita ex alieno compenſatione. Hæc ratio practica, firmiſſima eſt ad Indulgentias perſuadendas. Quæ autem Hæretici circa hanc rationem obijciunt, inferius ſoluemus.

Vſus Pontificum concedẽdi Indulgentias probat, in Eccleſia eſſe hanc poteſtatem. Turrecrem. Bellarmin.

QVARTO. Probatur idem ex factis Pontificum. Cùm enim multi Summi Pontifices, & Epiſcopi contulerint, & conferant Indulgentias, non eſt aſſerendum illos, uel attentare, quod non poſſunt, uel fruſtratoriè, & tamquam aerem uerberantes, id facere. Habent enim poteſtatem à Deo datam, non in deſtructionem; ſed in ædificationem. Nec Eccleſia in his, quæ ſpectant ad mores uniuerſales, poteſt errare; Quod certum Dogma eſt apud Theologos, & copiosè probat Turrecremata in Summa de Eccleſia, & Bellarminus in ſua controuerſia de Conciliorum auctoritate lib. 2. cap. 2. Vnde impium eſſet dicere, Eccleſiam aliquid uani facere, & eſt Ratio D. Thomæ deducta ex traditione Apoſtolica. Id enim, quod in omnibus Eccleſijs Sanctorum, id eſt Chriſtianorum ab Epiſcopis docetur, abſque dubio traditio Apoſtolica eſt, ut innuit Paulus prima ad Corinth. 14. ſemper (1. Cor. 14.) autem à Summis Pontificibus, & ab omnibus Epiſcopis, uniuerſali conſenſu prædicatum eſt, Indulgentias eſſe; illarumque uſum Populo Chriſtiano maximè ſalutarem; Neque id à tempore Clementis Sexti (ut impiè Lutherus finxit) incepit; ſed ab alijs Pontificibus ante annos 450. Immò ante 500. & ante 900. & multò plures anteriores annos, à Præpoſitis Eccleſiæ uſurpatum fuit. Quod inferius, ubi de Origine, & Inſtitutione Iubilæi agetur, ſeriatim per ſæcula Pontificum, demonſtrabimus; ſicut ſuperiùs egimus de Concilijs: Nunc ſatis erit meminiſſe,

Pōtifices Romani, qui Indulgentias, & Iubilæos contulerunt.

Diuũ Gregorium Magnum, qui fuit anno Domini 600. Alexandrum Tertium, qui ſedit anno 1160. Vrbanum Quartum, qui fuit anno 1249. Innocentium Tertium, & deindè alios, Bonifacium item Octauum, anno 1300. Clementem Sextum 1350. Bonifacium Nonum 1400. Nicolaum Quintum 1450. Paulum Secundum 1475. Alexandrum Sextum 1500. Clementem Septimum 1523. Iulium Tertium 1550. Gregorium Decimumtertium 1572. Sixtum Quintum, & deniq; Clementem Octauum, pluresque alios (quòs hic prætermittimus; ſuo autem loco, enumerabimus diſtinctè) Iubilæos, uel Indulgentias contuliſſe.

Conſenſus uniuerſalis omnium hominum.

QVINTO. Probatur idem ex uniuerſali omnium Populorum, Prouinciarum, Nationum conſenſu, qui non ſolùm receperunt piè, & maximo cùm deuotionis feruore Sanctos Iubilæos, ſacraſque Indulgentias à Sede Apoſtolica, ſanctiſque Epiſcopis illis elargitas; Verùm etiam illas inſtanter, atque etiam inſtantiſſimè petierunt à Summis Pontificibus ſibi concedi. Non nè Itali, Galli, Angli, Poloni, Britanni, Hiſpani, Indi, Aphri, omnes denique orientales, & occidentales gentes, promptiſſimum huius rei teſtimonium faciunt? faciliimè hoc probari poſſet, ſi, vel Apoſtolicas Epiſtolas peruoluerèmus, vel Breuia Summorum Pontificum ex Regiſtro Romano repeteremus; quod facere longiſſimum eſſet inſtitutum.

Loca peculiaria diuerſarũ nationum in Baſilica Sancti Petri de Vrbe.

NVNC illud memoratu dignum eſt, in Baſilica Vaticana Sancti Petri, naues illius Eccleſiæ, ſedes eſſe certorum Populorum, qui in Anno Sancto ad illam confluebant. Vocatur pars illa Eccleſiæ, quæ in altari Vultus Sancti exiſtit, nauis Vngarorum, quòd illi, eo tempore, eò accedentes ad Veronicæ Imaginem Saluatoris inſpiciendam, maxima deuotione, ferreiſque cathenis ſe flagellantes, ibidem genuflexi, humique proſtrati, proſpicerent, & intuerentur. Alia pars Eccleſiæ eſt Polonorum, atque alia aliarum gentium.

CAPVT XXII.

Reſponſiones ad Argumenta Hæreticorum, & aliorum.

Duo pœnarũ genera ex Sacris literis.

HAec Est poſtrema pars huius primæ quæſtionis, in qua Argumentis principio factis ſatisfaciendum eſt; ſed prius animaduertendum, quòd in Sacris literis, duplex pœnarum genus reperitur, medicinale vnum, alterum ſatisfactoriũ. Nec enim vno, & eodem fine Iob, Thobias, & Paulus à Deo flagellantur, ac Nabuchodonoſor, Dauid, Maria Moſis ſoror, & huiuſmodi. Affliguntur illi diuinitus, vt creſcant in meritis, & præſeruentur à peccatis. Hi uerò, ut per eorum cruciatus, & afflictiones diuinæ Iuſtitiæ, quam læſerunt, ſatisfaciant. Quo ſuppoſito, ad duas primas rationes Lutheri, dicimus, pœnas primi generis, nullo pacto poſſe nos, nec debere impedire.

Duo prima argumenta Lutheri ſoluuntur.

Cùm enim in noſtram utilitatem, optimo fine à Deo infligantur, nec ſine noſtra iactura, nec ſine Dei iniuria impediri poſſent. Pœnas autem ſecundi generis, ſatisfactorias ſcilicet, quæ luendi peccati cauſſa, diuinitus immittuntur: ſi à reis æquiualens per iuſtam compenſationem detur, etiam ex alieno, rectè impediri poſſe. Qua in re, nec ulla diuinæ Iuſtitiæ fit iniuria, cum debita fiat compenſatio, ut ſupponitur; nec diuina Prouidentia fruſtratur; quoniam ea lege decreuit, peccatores huiuſmodi flagellis cruciare; niſi aliundè ſatisfaciant, ſicut etiam Iudex, uel Reſpublica fruſtrari non dicitur, quando quis pœnam lege ſtatutám incurrit, dum læſæ Iuſtitiæ per æquiualentis compenſationem ſatisfacit. Huius rei non pauca ſunt in Sacra Scriptura exempla. Diuino Decreto Niniuitis pœna ſubuerſionis comminata fuit. Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*; eorum tamen pœnitentia in ſacco, cinere, & cilicio talis ſubuerſio impeditur. Sic etiam 2. Regum 24. dicitur, cum Gad Propheta, nomine Dei loquitur, *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua*, & tamen peſtis, quam elegit, multò antè, Dei miſericordia, quę pœnitentia flectitur, ſedata eſt; & minùs durauit, quàm Propheta prædixit. Et quamuis Origenes Homilia 16. in Numeros, audacter dicat, hæc, & ſimilia uerba, quæ dicuntur in Scripturis, non à Deo, ſed à Prophetis ipſis dicta eſſe; tamen uera ſolutio eſt, hæc à Deo dicta fuiſſe, cùm, & Ionas, & Gad à Deo miſſi fuerint; & comminatoriam, non definitiuam Dei ſententiam protuliſſe, in qua illa conditio ſubintellecta latebat, niſi per pœnitentiam diuinæ Iuſtitiæ ſatisfacerent. Ità D. Hieronymus in caput 3. Ionæ in fine, & Concilium Toletanum Octauum cap. 2., & refertur in cap. *Incommutabilis*. 22. quæſt. 4. Vndè Gregorius 16. Moralium, cap. 18. egregiè dixit, quod maximè ad rem noſtram facit. *Cùm exterius mutari videtur ſententia, interiùs conſilium non mutatur; quia de vnaquaque re, immutabiliter intus conſtituitur, quicquid foris mutabiliter agitur*. Et D. Chryſoſtomus Homilia 5. ad Populum ait. *Si Homines mutati non eſſent, cecidiſſet Prophetia; ſed quia illi mutati ſunt, ideò Prophetia, licèt impleta non fuerit, minimè cecidit; ſeruauit enim Deus legem communem à ſe poſitam: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam, & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem eis*. Similem ſententiam habet Ieremias capite 18. & Ioel 2.

Ionæ 3.
2. Reg. 24.
Origen.
Explicatio cõminationis Prophetarũ aduerſus populos.
D. Hieron.
Conc. Tolet.
D. Greg.
D. Chryſoſt.
Ieremias 18.
Ioel 2.

Flagella peccatis debita, pœnitentijs vltrò acceptis remittuntur.

Ex His luculentiſſimè cognoſcitur, quantoperè cum Sacra Scriptura conueniat id, quod diximus, cruciatus nempè in nos à Deo decretos, ſtudio Pœnitentiæ, Orationum, Ieiuniorum, aliorumque operum pœnalium amoueri, & auerti poſſe; nec id eſt impedire diuinam uoluntatem, ut Lutherus ait, quæ *non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat*; ſed eſt eam, uel operibus pœnalibus per nos actis, præuenire; uel tantumdem recompenſare alienis laboribus, chriſtiana charitate nobis mutuatis, quantum exigit diuina Iuſtitia.

D. Thomas.
Quod Indulgentiæ ſint etiam in remedium.

D. Thomas in Additionibus ad 3. par. in quæſt. 25. art. 1. in ſolutione ad quartum, unum dicit maximè animaduertendum, quòd Indulgentiæ ſunt etiam in remedium,

medium,& probat dupliciter. Primò,quoniam maius remedium præbetur contra peccata uitanda ex gratia,quàm ex aſſuetudine noſtrorum operum,quia ex affectu,quem accipiens Indulgentias,concipit ad cauſam,pro qua Indulgentia datur,ad gratiam diſponitur. Ideò etiam per Indulgentias,remedium ad peccata uitanda,præſtatur. Secundò,quoniam nihilominus his,qui Indulgentias conſequũtur,conſulendum eſt,nè ob id abſtineant ab operibus pœnitentiæ iniũctis, ut etiam ex his remedium conſequantur,quamuis à debito pœnæ eſſent immunes, & præcipuè quia quandoque ſunt plurium debitores, quàm credant; & ex his patens eſt reſponſio ad duas priores rationes.

Ad Tertiam reſpondemus, inſufficientem eſſe illam diuiſionem quadruplicis pœnæ,deficit enim in eo,quòd non complectitur pœnam,quæ ex peccato remiſſo ſupereſt,circà quàm Eccleſia,poteſtate ſibi à Chriſto tradita,ſicut etiam in pœnas Purgatorij, ut infrà dicemus, & in alias Canonicas iniunctas, auctoritatem compenſandi,& indulgendi habet. Nec enim Eccleſia,vel ullus hominum pęnas Inferni,extrà Sacramentum,in re uel in uoto ſuſceptum,uel eas,quas medicinales uocant,ad cuſtodiam uirtutum,uel ad augenda merita innocentibus inflictas;ſed ſola diuina uoluntas impedire poteſt.

Ad Quartam rationem,facilis eſt reſponſio,& eſt communis. Chriſtum quidem ſatisfeciſſe per ſuam paſſionem cumulatiſſimè pro culpis, & pęnis totius mũdi;ſed quoad efficaciam,operæpræcium eſſe,uel per Sacramenta, uel per theſauri donationem,vel per alia bona opera noſtra diſpoſitiuè, huiuſmodi Chriſti ſatisfactiones huic,uel illi applicari. Applicatur autem nobis Chriſti Paſſio per Claues Eccleſiæ,non pleniſſimè,uel infinito modo,quoad remiſſionem pœnæ temporalis; ſed ſecundum quantitatem noſtræ contritionis, quæ ex Dei fauore procedit:uel etiam iuxta gradum gratię cuicumque Sacramento definitum,ad quem aliqua pęnæ diminutio neceſſariò ſequitur,& ideò contingit aliquandò,ut remiſſa culpa per Sacramentum, remaneat pœna aliqua temporalis auctoritate, & arbitrio Clauium præſcribenda, & à nobis in hoc ſęculo, uel in futuro exoluenda; ut bene dixit Soto in 4.diſtin. 19.quęſt.1. & 3. & diſtin.21.quęſt.1.art.1. Atque

Sotus. hęc per Indulgentias redimitur.

Ad Quintam rationem reſpondemus cum Soto in 4. diſtin.21. quæſt.1. art.(1) ad vltimum, quod non omnis remiſſio pœnæ temporalis eſt effectus Sacramenti,cum hæc ſine infuſione nouæ gratiæ dimitti poſſit;remiſſio uerò pœnæ, quæ fit per Indulgentias,fit quidem ex ui Clauium,id eſt,uirtute Paſſionis Chriſti,applicatæ tamen non per Inſtrumentum Sacramenti; ſed per peculiarem Eccleſiæ poteſtatem,à Chriſto traditam,circà eius theſaurum.

Ad Sextam rationem,concedimus Eccleſiam poſſe extra Sacramẽtum;remittere culpam uenialem per plura remedia,ut dictum eſt. Quomodo autem hæc Sacramentalia remittant veniale peccatum,alibi explicabitur.

Adrianus. Ad Septimam, negatur conſequentia cùm Adriano in quęſtione de Indulgentijs, in ſolutione ad primum; ſi non poteſt pręmia adijcere, ſeu augere, ergò, nec pœnam remouere. Nemo enim poteſt de condigno,(excepto Chriſto,qui ex natura, & ratione capitis habet influere uitam in membra) ſua merita, gratiam, vel gloriam alteri dare,& applicare. Immò nec Eccleſia poteſt cuiquam Sanctorum ſua merita,vel pręmia detrahere,& alteri concedere,quia hoc eſſet Sanctis pręiudicium afferre; ſecùs verò in operibus pœnalibus quoad vim ſatisfactionis, quæ Sanctis exuberat. Vnde negandum quoque eſt,à toto genere eiuſdem facultatis eſſe,bonum adijcere,& malum adimere.

Abulenſis. Ad Octauam reſpondemus cum Abulenſi de Indulg.& Cord.lib.5.de Indul-
Corduben. gentijs,quæſt.7. In lege veteri,(cum adhuc non fuiſſet ſolutio, & redemptio facta per Chriſtum)nec fuiſſe theſaurum,nec remiſſionem peccatorum per viam alicuius Sacramenti,nec Claues,nec poteſtatem vllam à Deo,circà Indulgentias, conceſſam. Caruit igitur Synagoga theſauro,Clauibus,& Sacramentis,quæ omnia Eccleſiæ Chriſti reſeruabantur.

Ad Nonam. Petit hoc Argumentum, An in theſauro Eccleſię reconditæ, & repoſitæ ſint pœnæ ſatisfactoriæ Sanctorum Prophetarum, & Patriarcharum, qui fuerunt in Veteri Teſtamento; & an illas Papa poſſit in Indulgentias erogare. Quod dubium in ſequenti quæſtione à nobis pertractandum eſt. Ex quo loco petenda erit huius argumenti ſolutio. Interim tamen dicendum eſt, theſaurum quidem materialiter cæpiſſe prius eſſe, quam Chriſti ſatisfactio realiter exhibita fuerit, tamen formaliter, in ratione diſpenſationis, non cæpiſſe, niſi poſt Chriſtum. Henriquez lib. 7. cap. 2. num. 2. Immò ex Chriſti meritis exhibitis, cæpit formaliter Theſaurus Eccleſiæ, vt Abulen. Henriquez. Abulen.

Ad Decimam reſpondemus, negando conſequentiam. Diſpenſatio enim Theſauri non eſt alligata Sacramentis, immò extrà ipſum Sacramentum fit, ut demõſtratum eſt. Et ad ſecundam inſtantiam dicimus, quòd Indulgentiarum conceſſio, & abſolutio, eſt ſolutio, & eſt diſpenſatio. Abſolutio quidem, in quantum actum iuriſdictionis dicit, per quam virtute paſſionis Chriſti, & Sanctorum, pœnæ remittuntur. Deinde eſt quoque ſolutio; quoniam Chriſtus, & Sancti communicãt nobis ſuas ſatisfactiones, per quas debita pęnarum ſoluamus; quas pœnas ſoluit Chriſtus principaliter, ſoluunt deindè Sancti, & etiam illi, qui Indulgentias ſuſcipiunt, licèt ex alieno. Poſtremò eſt diſpenſatio, quoniã diſtributione, & applicatione theſauri id totum perficitur. Sicut etiam dicimus, quod Indulgentia ſit gratuita donatio ex theſauri diſpẽſatione, iuſtę ſatisfactionis applicatio, & abſolutio ab iniunctis reſpectu viuorum. Sed de his latius in quæſt. de Theſauro dicendum eſt.

Ad Vndecimam, patet ſolutio ex dictis.

Ad Duodecimam, iam ſatis indicatum eſt, non ſolùm in his tribus locis Matthæi 16. & 18. & Ioannis 20. poteſtatem conferendi Iubilęos, & Indulgentias Eccleſiæ conceſſam fuiſſe à Chriſto, ſed etiam in multis alijs locis Scripturæ.

Antequam autem huic capiti extremam manum imponamus, aliqua obiectiones hæreticorum ſoluendæ ſunt, quibus aduerſus veterem Eccleſiaſticum vſum pœnitentiarum, inſurgunt. Multa enim mendacia circa illas ineptè, & inconſultè effutiunt.

Dicunt in primis, huiuſmodi pœnitentias, non fuiſſe inſtitutas, vt Deo per illas ſatisfieret, ſed Eccleſiæ, quæ illas cauſſa diſciplinæ decreuerat, vt fideles illa ſeueritate à peccando in poſterum deterrerentur, non autem, vt pœna, iudicio Dei debita, vllo pacto redimeretur; quod confirmant, quia non omnibus peccatis, ſed quibuſdam tantùm enormibus decernebantur, cùm tamen Deus per omnia peccata, ſecundum cuiuſque grauitatem offendatur, & ideo omnia puniat. Obiectiones aliæ hæreticorum referuntur, & ſoluuntur.

Dicunt Secundò, Veteres Patres, qui de his pœnitentijs loquuntur, nimis largiter illas commendare, ut quod Tertullianus dicit, in lib. de Pœnit. & in Apolo. cap. 39. ſatisfactionibus illis peccata expiari, redimi, compenſari. Cyprianus, illis peccata redimi, ablui, ſanari, & iudicem placari. lib. 1. Epiſt. 8., lib. 4. Epiſt. 4. & 5. & alibi. Auguſtinus etiam dum ait, Deum illis de peccatis præteritis propitiari, &c. in Enchyridion cap. 70. & 71. & alibi. Impudenter quoque addunt, hos Patres à regula Sacræ ſcripturæ in hoc declinare. Tertull. Cyprian. Auguſt.

Dicunt Tertiò, per huiuſmodi diſciplinam canonicam (ſic vocant illas pœnitentias) iram Dei non placari, ne infligat ipſe alioquin pro peccatis pœnam. Ità Philippus, Caluinus, Martinus, Kemnitius, & alij filij iniquitatum. Ac proindè colligunt, ex harum relaxatione nullum firmum ſumi argumentum pro remiſſione pœnæ iudicio Dei debitæ, quod nos dicimus facere Indulgentias.

Sed ex Veterum Patrum ſententijs prudens, atq; eruditus lector facilè cognoſcet, quàm turpiter labantur heretici. Et quoad primùm dicimus, ex multorum Patrum ſcriptis haberi, huiuſmodi pœnitentias ad iram Dei placandam, ſatisfaciendo ei pro pœna alioquin debita, ab Eccleſia conſtitutas fuiſſe: ſic enim de illis loquuntur, dùm affirmant, in pœnitentia ſatisfactionis opera eſſe neceſſaria. Ità Tertullianus lib. de Pœnitentia; *Hoc enim pretio* (loquitur nominatim de ſatisfactione) *Dominus veniam adijcere instituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam pro-* Refutatio hæreticorum. Tertull.

N *ponit*

poſt impunitatem, & in Apologetico cap. 39. ubi in caſtigationibus illis, & pœnitentijs, dicit fuiſſe diuinam cenſuram, hoc eſt uindictam. Idem Origenes Homil. 6. in Exodum, & 15. in Leuit. & Homil. 3. in caput 3. Iudicum. Cypr. lib. 1. Epiſt. 8. & lib. 4. Epiſt. 4. & 5. & lib. 3. Epiſt. 14., & lib. 5. Epiſt. 6. & 12. & alibi. D. Ambroſ. ſer. *in dominica*, de Abraham, & lib. 1. de pœnit. cap. 2. & lib. 2. cap. 5. & Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem; D. Chryſoſt. in cap. 6. ad Hæbreos Homil. 9. Alcuinus in lib. de Eccleſ. Officijs in cap. de capite Ieiunij, D. Baſilius in canonibus Can. 73. D. Hieronymus in caput 2. Iohelis, & Amos cap. 9. D. Leo ſerm. 8. de Ieiunio ſeptimi menſis, ac denique D. Auguſt. tùm alibi, tùm præcipuè Homil. 50. cap. 9., & lib. Quinquaginta Homiliarum hom. 10. ubi hæc ſcribit, *In hac ergo pœnitentia maiorem quiſquè in ſe ſeueritatem debet exercere, ut à ſe ipſo iudicatus, non iudicetur à Deo*, & in Pſalm. 50. in illa uerba, *& à peccato meo munda me. Implora*, inquit, *miſericordiam, ſed attende iuſtitiam: Miſericordia eſt, ut ignoſcat peccatum, iuſtitia eſt, ut puniat peccatum, Quid ergo? quæris miſericordiam? peccatum impunitum remanebit? Reſpondeat Dauid, reſpondeant lapſi, reſpondeant cum Dauid, ut miſericordiam mereantur, ſicut Dauid, & dicant, non Domine, non erit impunitum peccatum meum, non impunitum erit, ſed ideò nolo, ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Hæc Auguſtinus. His autem teſtimonijs nil clarius adduci poteſt, ut obſtinatos Hereticos conuincamus, noſtram ſatisfactionem, non ſolùm ad exemplum, uel diſciplinam politicam requiri; ſed ad Deum placandum, diuinæque Iuſtitiæ ſatisfaciendum. Nec illę pœnitentię, quatenus dolorem internum excitant, dumtaxat ſatisfaciũt, ut Hæretici replicant; ſed in primis quatenus per ipſas punitur, & uindicatur ab homine ipſo peccatum, ne alioquin ſeuerius à Deo puniatur, & uindicetur. Quod apertè Auguſtinus cæterique Patres dixerunt. *Nolo*, inquit Auguſtinus, *ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Vndè rectè Apoſtolus dixit 2. Corinth. 7. *Triſtitiam eam, quæ in pœnitentia ſecundum Deum habetur*, (de hoc genere ſatiſfactionũ loquitur) *operari inter cætera uindictam*, hoc eſt, ulciſci peccatum per pęnitentiam, & ſatisfactionem; atque hoc, in ſcripturis, ſacrificium appellatur, ut ſuper Pſal. 4. Beda egregiè adnotauit, dicens; *Mortificetis propria uitia veſtra, facientes fructus dignos pœnitentiæ: tantùm ſcilicet pro ſingulis nos affligendo, quantum digna expetit pœnitentia, quod erit ſacrificium Iuſtitiæ, id eſt iuſtum ſacrificium.*

Nec uerum eſt, quod obiiciunt Hæretici, ſolis grauioribus peccatis penitentias illas decretas fuiſſe; nam ex Bruchardo, ocioſis, ac leuioribus iuramentis, ſeptem, quindecim, uel etiam quadraginta dierum pęnitentia impoſita fuit; fornicationi uerò, & aliis uulgaribus peccatis, decem dierum. Arbitrio uerò ſacerdotum relictum fuit, ut peccata, quæ in ſpecie in canonibus minimè taxata erant, ad proportionem earum pęnitentiarum, quæ in illis ſancita erant, mulctarent, ut Alcuinus ſcribit in lib. de Eccleſiaſt. officijs cap. de capite Ieiunij, & refertur à Gratiano de Pœnitentia diſt. 1. Can. 86.

QVOD autem ſecundo loco dicunt, ſententias Patrum de effectu earum pęnitentiarum pugnare cum Sacra Scriptura, puerile eſt, ne dicam ſtultum. An non iudicium Sanctorum Patrum, Hæreticorum cauillationibus anteponendum eſt? Interpretantur illi ſcripturas; iſti deprauant; quicquid illi interpretantur, ex fontibus ſcripturæ deducunt; at hi ex Patre Diabolo mutilando, uel detorquendo illas, mendacia proferunt. Quæ animi ſtoliditas, & uecordia impudentiſſima eſſet, plus Philippo, Caluino, & Martino credere, quàm tot doctiſſimis, & ſapientiſſimis Patribus. Certè Patres uerè, nec nimis largiter, uel hyperbolicè pœnitentias illas commendarunt, dùm dixerunt, ſatisfactionibus noſtris peccata expiari, redimi, ablui, atque ſanari; quæ omnia ex ipſis Sacris Scripturis hauriuntur, Danielis quarto, per opera noſtra redimi peccata; expiari ſecunda Corinth. 7. ablui, & ſanari Pſal. 50.

Addè, quòd, & ſi concedamus, hyperbolicè aliquos Patres commendaſſe ſatisfactionem, ut fecerunt illi, qui ad populos conciones habebant; attamen nil mendacij, nil falſi protulerunt. Hyperbolica enim loquutio exigit, ut uerè aliquid ſubſit in re.

Orig.
Cyprian.
Ambroſ.
Chryſoſt.
Alcuinus.
Baſil.
Hieron.
Leo.
Auguſt.
Auguſtin.
2. Cor. 7.
Beda.
Alcuinus.
Gratianus.
Magis interpretationi Patrum, quam hæreticorum credendũ eſt.
Daniel 4.
2. Cor. 7.
Pſal. 50.

ſit in re, licèt non tàm excellenter, ut verba ſignificant; alias non figura, ſed men-
dacium eſſet, Bellarm. de Pœnit. lib. 4. cap. 10. Bellarm.

Tertium autem eorum dictum, ex verbo Apoſtoli prima Corinth. 11. falſum 1. Corin. 11
eſſe redarguitur, *Si noſmetipſos*, inquit, *iudicaremus*, *à Domino non iudicaremur*.
Quam ſententiam D. Auguſtinus in Enchyridion cap. 66. interpretatur de re- D. Auguſt.
demptione pœnæ temporalis, iudicio diuino debitę poſt hanc uitam. Relinquo
hic loca Matthęi 3. & Lucę 3., in quibus Ioannes Baptiſta homines hortatur, ut Matt. 3.
faciant *fructus dignos Pœnitentiæ*; quę verba non ſolùm ad nouitatem uitę, & legis Luc. 3.
obedientiam referenda ſunt, ut aduerſarij exponunt; ſed pręcipuè, ut laborioſis
operibus peccata penitùs deſtruantur, & deleantur. Ità Gregorius homil. 20. in Grego.
Euangelia, D. Chryſoſt. homil. 10. in Matth. Iſychius lib. 4. in Leuit. 14. & Beda Chryſoſt. Iſychius.
in Pſalm. 4. & alij, quos ſupra adduximus. Beda.

Igitur cumulatiſſimè oſtenſum eſt, huiuſmodi ſatisfactiones in ueteri Eccle-
ſia, ad redimendam peccatorum remiſſorum pœnam inſtitutas fuiſſe. Nunc ſi
argumentari liceat, nemini dubium eſt, ſolitos fuiſſe tunc Eccleſiarum Pręla-
tos huiuſmodi pœnas, alioquin iuſtè peccatis conſtitutas, remittere, & rela-
xare; quod etiam, nec ipſi hęretici negant. Id enim perſpicuum eſt, ex Conci- Conc. Nicen.
lio Niceno Can. 11., & Ancyrano Can. 2., & 5. & ex actis Concilij Chalcedo- Conc. Ancy. Conc. Chalc.
nenſis, actione prima. in Epiſt. quam Monachi ad Concilium Epheſinum ſecun- Conc. Laod.
dum miſerunt, & ex Concilio Laodiceno Cano. 2., ex Carthaginenſi Cano. 31. Conc. Carth.
ex Triburienſi Canon. 52. & ex D. Cypriano lib. 1. Epiſtolarum Epiſt. 3. & ex Conc. Tribu. D. Cypria.
alijs, quos ſupra citauimus, & ex Bruchardo lib. 18. Can. 18. Atqui hoc agere, nil Bruchard.
aliud fuit, quàm re ipſa Indulgentias concedere, cùm pœnam remitterent, iudi-
cio diuino, peccatis debitam.

Adde, quòd ſicut hodiè Prælati Eccleſiæ pœnas peccatorum miſericorditer
indulgent; ſic olim Prælati, ex quadam gratia, & benignitate erga ipſos pœni-
tentes, Pœnitentias, & ſatisfactiones illas remittebant; quod ex his, quę in primo
libro diximus, certiſſimum eſt. Nam in Concilio Niceno, illa remiſſio inſtituta
fuit, *Vt humanius* (ſic loquitur Concilium) *cùm pœnitentibus ageretur*. In Laodice-
na Synodo dicitur, *ſecundùm miſericordiam faciendum* eſſe; alij, ut Baſilius in Cano D. Baſilius.
nibus, Can. 73. & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, *ut clementer cum illis age-* Dion. Corin. Epiſcopus.
rent. Quo etiam verbo uſus eſt Cornelius Papa lib. 4. Epiſt. 2. dicens, *lapſis qui-* Corne. Papa.
buſdam clementer ſe pœnitentiam relaxaſſe, & denique Cyprianus lib. 3. Epi. 3. ait, D. Cyprian.
ſe, *humanitate quadam ſolere huiuſmodi pœnas remittere*.

Quæ omnia ad Indulgentiam Eccleſiaſticam, de qua agimus propriè referen-
da eſſe nemo, niſi cęcus, negabit. Eſt igitur probatum ex antiquiſſimo uſu Eccle-
ſiæ, remiſſiones, & Indulgentias pœnarum Deo debitarum, relaxari diuina au-
ctoritate per Eccleſiæ Prælatos, & contrarijs cauillis reſponſum.

Atque hæc ſatis de hac quæſtione, in qua per plura capita, neceſſitatem Sa-
cri Iubilæi, ex parte cauſæ efficientis ſolidè demonſtrauimus. Proximè ſequitur,
ut eam, quam promiſimus, quęſtionem obiter, ac digreſſionis modo diſcutiamus.
Nùm ſcilicèt omnes Apoſtoli, immediatè à Chriſto in Epiſcopos conſecrati fue
rint, ſicut ab illo, immediatè, poteſtatem iuriſdictionis acceperunt.

CAPVT XXIII.

Tractatur quæſtio ſecunda: Quòd Apoſtoli omnes vltra Petrum, immediatè à Chriſto receperint Claues, & in Epiſcopos conſecrati fuerint.

Omnes Apoſtoli à Chriſto immediatè poteſtatem Iuriſdictionis acceperunt.
Ioann. 20.
D. Chryſoſt.
Theophyl.
Luc. 6.
Ioan. 6.

OMNIVM eſt omnium Theologorum ferè, & Canoniſtarum ſententia, poteſtatem iuriſdictionis, vndecim Apoſtolos immediatè à Chriſto, non à Petro recepiſſe; ità eſt textus expreſſus Ioannis 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, vbi D. Chryſoſtomus, inquit, *ſuum eis reliquit miniſterium*, & Theophylactus, *opus*, inquit, *meum ſuſcipite*; quibus verbis hi Patres docent, Apoſtolos Chriſti Vicarios conſtitutos eſſe, ipſiuſque Chriſti officium, & auctoritatem accepiſſe; & quamquam eos Chriſtus Apoſtolos creaſſet ante ſuam Paſſionem, cùm nec dum Epiſcopi, nec ſacerdotes eſſent, vt patet Lucæ 6. *vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos Apoſtolos nominauit*, & Ioannis 6. *Nonne ego vos duodecim elegi?* tamen poſtquam Epiſcopi, & Sacerdotes creati fuerunt in Cœna, vniuerſalem iuriſdictionem in totum mundum, tamquam locum ſuum in Regno Eccleſiæ gubernando, poſt reſurrectionem ſuam illis contulit, & poſt Paſſionem abſoluit, quod ante illam inchoauerat, ſi eiſdem temporibus, diuerſas illis contulit poteſtates.

Caietan.
Soto.
Victoria.
Ledeſm.
Cordub.
Palud.
Turrecr.

HANC, de Apoſtolorum iuriſdictione, à Chriſto immediatè accepta, veritatem docent, Caiet. tom. 1. tract. 1. cap. 3. & tract. de poteſtate Papæ cap. 5. ad 3. & cap. 9. & 10. ad 4. & 5. Soto diſtin. 20. q. 1. art. 2. concluſ. 4. & diſt. 24. q. 2. Victoria de Clauibus §. 4. & in relect. 2. de poteſt. Eccleſiaſt. q. 2. Ledeſm. q. 20. artic. 4. Cordub. in lib. 4. q. 12. & alij, licet Palud. de poteſtate Eccleſiæ, cum Turrecremata, quem citauimus, contrarium ſine ratione, vel auctoritate ſentiat.

An ſolus Petrus acceperit à Chriſto poteſtatem ordinis, reliqui verò Apoſtoli à Petro.

AT VERO, de altera poteſtate, quæ ordinis nuncupatur, egregia diſputatio eſt, à quonam, & quo tempore, & in quo loco Scripturæ habeatur, Apoſtolos creatos, & conſecratos fuiſſe in Epiſcopos.

Bellarm.
Turrecr.
Acto. 13.
D. Chryſoſt.
D. Leo.
Gratianus.

Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 23. & lib. 1. de Clericis cap. 3. exiſtimat cum Turrecremata lib. 2. ſummæ de Eccleſia cap. 32. ſolum Petrum à Chriſto Epiſcopum ordinatum fuiſſe, cæteros autem Apoſtolos à Petro Epiſcopalem conſecrationem accepiſſe: quod exemplo Pauli præcipuè probat, qui licet de Cœlo à Domino Apoſtolus creatus fuerit, in Epiſcopum tamen per manuum impoſitionem, ab Eccleſiæ miniſtris ordinatus fuit, in Act. 13. Hæc autem impoſitio manuum adeò fuit vera ordinatio, vt in ea Sauli, in Pauli nomen, imputatum fuerit, vt dicit D. Chryſoſt. in prædictum locum Actorum; quod etiam D. Leo in Epiſt. ad Dioſcorum, quæ eſt 81. confirmat, & habetur apud Gratianum diſt. 75. Can. *Quod Die Dominico*.

Turrecr.
Anacletus.
Clem. Alex.
Euſeb.
Hieron.
Remigius.

Secundò adducit Turrecremata ex Anacleto in Epiſt. ad Epiſcopos Italiæ, quæ tom. 1. Conciliorum habetur, & refertur in Can. *Porrò*, diſt. 66. Iacobum fratrem Domini fuiſſe ordinatum Epiſcopum Hieroſolymitanum à Petro, Ioanne, & altero Iacobo maiore; quod etiam tradunt Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. cap. 1. & Hieronymus de viris illuſtribus, in Iacobo, & Remigius in caput decimum Matthęi.

Tertiò, addit Turrecremata, quoniam Thomas Apoſtolus, cùm fuerit abſens, quandò Chriſtus in prima die reſurrectionis, dixit Apoſtolis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum, &c.* neceſſariò dicendum eſt, à Petro illum deindè hanc poteſtatem accepiſſe.

D. Clemens.

Quartò, ex D. Clemente, qui in 2. Epiſtol. non ſolum dicit, Petrum eſſe magiſtrum Apoſtolorum; ſed etiam eorum ordinatorem, ideſt, conſecratorem.

Quintò, & vltimò, quoniam hoc exigit vnitas Eccleſiæ, ut ab vno primo Epiſcopo, ideſt Petro, cæteri fiant Epiſcopi: non enim conuenit, ut multi à multis, ſed multi ab vno deriuationem habeant, ut ſic ab ipſo Petro, quaſi quodam capite, do na ſua Chriſtus in totum corpus Eccleſiæ diffundat, ut dixit D. Leo, in Epiſt. 89. quæ refertur in Can. *Ità Dominus*, diſt. 19. D. Leo.

VERVM, Turrecrematæ hæc opinio indulgenda eſſet, cum affirmet quoque Apoſtolos, non à Chriſto immediatè, ſed à Petro omnem iuriſdictionem accepiſſe: Cùm autem Bellarm. in lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. & lib. 4. cap. 22. & 23. in ea ſit ſententia, quod Apoſtoli omnes à Chriſto immediatè Claues, uniuerſamque iuriſdictionem receperint; non video qua potiſſima ratione adductus fuerit, ut aſſereret, cæteros Apoſtolos non à Chriſto, ſed à Petro Epiſcopos ordinatos fuiſſe; Etenim, cùm ad perfectam, & abſolutam rationem Apoſtolici officij requiratur, non ſolùm poteſtas iuriſdictionalis, ſed etiam Sacramentalis; & hæc quidem ſuprema, & hierarchica, ideſt non Sacerdotalis ſola, quæ ad verum Chriſtis corpus conſecrandum dirigitur; ſed etiam Pontificia, quæ miſticum Chriſti corpus reſpicit, Presbiteros conſecrando, & alios proprios Epiſcopales actus exercendo; conſequens eſt, Chriſtum vtramque poteſtatem immediatè Apoſtolis contuliſſe; aliàs non perfectè, ſed imperfectè, ac diminutè Apoſtolatus officium illis contuliſſet. Immò partem tantùm muneris Apoſtolatus, non integrum munus contuliſſet. Adde, quod minus perfectam, minuſque dignam partem Apoſtolatus illis per ſe ipſum tradidiſſet, cùm nobilior, ac præſtantior functio illa ſit, quæ poteſtatem ordinis Pontificalis reſpicit, ſicuti eſt, Epiſcopos conſecrare, Presbiteros, & Diaconos creare, Confirmationis Sacramentum exhibere, grauiores caſus abſoluere, & ſimilia. Huc accedit, quod Chriſtus Dominus in illis uerbis, *Hoc facite*, Lucæ 22. in ultima cœna prolatis, Apoſtolos omnes per poteſtatem excellentiæ, vnico actu, non ſolùm omnibus ordinibus initiauit, ſed etiam poteſtatem Sacerdotalem, Euchariſtiam conſecrandi dedit, atque etiam poteſtatem Epiſcopalem alios in Sacerdotes, & Epiſcopos conſecrandi. Hæc enim omnia importat uerbum illud. *Hoc facite*, vt non ſolùm per illud poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam dederit, ſed etiam, quod ſolis Epiſcopis competit, facultatem conſecrandi Sacerdotes, per quos Euchariſtia conficiatur. Ità Sotus in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 2. Ledeſm., Victoria, Henriquez lib. 10. cap. 3. 6. & 7. & Durand. diſt. 24. quæſt. 5. Vndè Actorum 1. & Pſalm. 108. dicitur, Iudas habuiſſe Epiſcopatum; quod factum non fuit, niſi in cœna. Item Lucæ 22. ſubditur, *Ego diſponam uobis regnum, ut ſedeatis ſuper duodecim ſedes*, ideſt, ut ſitis Apoſtoli, & Epiſcopi, ità Gloſſ. cap. *In nouo*. diſt. 21. cap. *In Chriſto*, de conſecratione diſt. 2., & Armacanus lib. 6. cap. 6., licèt perperam ex hoc inferat, Presbiteros æquales eſſe Epiſcopo, quod uterque ordo ſimul à Chriſto exhibitus ſit.

Confutatio ſententiæ ſupra poſitæ Turrecr. & Bellarmini. Bellarm.

à Chriſto immediatè collata eſt etiam cæteris Apoſtolis utraque poteſtas.

Luc. 22.

Sotus. Ledeſ. Victo. Henriq. Durand. Act. 1. Pſal. 108. Armachan.

ADVERTENDVM autem, Chriſtum in cœna non omnem contuliſſe poteſtatem, quæ Sacerdoti, aut Epiſcopo competit; nam poſt reſurrectionem diuerſo actu nouam poteſtatem Apoſtolis contulit abſoluendi à peccatis, quæ noua quædam poteſtas eſt ordinis, non quidem cum nouo charactere, ſed perficiendo, & extendendo characterem prius datum. Itaque in illis verbis. *Accipite Spiritum ſanctum*, & Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, quo ipſi Apoſtoli remittere poſſint peccata, ea abſoluendo; & etiam eiſdem Apoſtolis, Epiſcopis iam conſtitutis, poteſtatem dedit hanc auctoritatem cum manus impoſitione Presbiteris conferendi.

Quam poteſtatem Chriſtus in Cœna dederit Apoſtolis.

VNDE errauit Caluinus, dicēs, in Cœna Domini datam fuiſſe auctoritatem abſoluendi, & poſt reſurrectionem declaratam fuiſſe, & additam exteriorem iuriſdictionem; cum quo etiam falluntur, alij ſcholaſtici, quos recitat Henriquez lib. 10. cap. 6., vt Vgo Cardinalis in 20. cap. Ioannis, Marſilius quæſt. 12. art. 2. Riccardus diſt. 34. art. 4. quæſt. 3. ad 5. Ledeſm. 2. part. quæſt. 19. art. 2. Victoria titulo de Clauibus, §. 2. Syluester uerbo, ordo ſecundò, §. 4. verſic. 3. & Alij, quos omnes excuſat, quod ſcripſerint antè Concilium Tridentinum. Non enim Chriſtus

Error Calui. Henriquez. Vgo Cardin. Marſil. Riccar. Ledeſ. Victor. Syluest.

Ioan. 20.

tunc, idest Ioannis 20. declarauit, ſed nouam dedit poteſtatem remittendi peccata, nuſquàm anteà Apoſtolis datam.

Turrianus. Clemens. Pet. Bollo. Henriquez.

SVNT nonnulli, qui dicunt, hanc Apoſtolorum in Epiſcopos ordinationem dilatam fuiſſe in diem Pentecoſtes, eoque die, & confirmatos Apoſtolos fuiſſe, & in Epiſcopos conſecratos eſſe, contendunt, cum plena poteſtate prædicti ordinis, ut confirmare, & ordinare poſſent; idque ſignificatum fuiſſe, dùm Spiritus ſanctus in linguis igneis ſuper eorum capita, (ut prædicarent Euangelium,) deſcendit. Ità Turrianus in lib. 3. Clemens, de conſtit. Apoſt. cap. 17. & Petr. Bollo in Oeconom. Can. Claſſe 3. cap. 2. §. 1. citat Turrianus Clementem, Anacletum, Ammonium, & Dionyſium de Eccleſiaſtica Hierarchia, & Hieronymum, Dialogo orthodox. & Luciferian. Sed ut Henriquez adnotauit, re vera hi Patres id non exprimunt. Addit Turrianus, uſum illum Eccleſiaſticum imponendi librum Euangeliorum apertum ſuper capita Epiſcoporum, qui ordinantur, deriuatum fuiſſe ex linguis igneis, quæ ſuper capita Apoſtolorum apparuerunt.

Opinio aſſerentium, Apoſtolos poſt reſurrectionem fuiſſe ordinatos Epiſcopos Iohan. 20. Carthuſian. D. Auguſt. D. Thomas. Cyrill. Chryſoſt. Theophyl.

ALII aſſerunt, ſtatim poſt reſurrectionem, Ioannis 20. hanc Epiſcopalem ordinationem Apoſtolis à Chriſto datam eſſe. Ità Carthuſ. diſtin. 24. quæſt. 8. & multi Alij, ut ille refert. Quibus fauere videntur verba Auctoris quæſtionum noui, & veteris teſtamenti, apud D. Auguſtinum quæſt. 97. vbi inquit. *Nemo ignorat, Chriſtum Apoſtolos ordinaſſe Epiſcopos, imponendo eis manus, priuſquam in Cælos aſcenderet.* Et ſanè ità eſt. Chriſtus enim Dominus in Cœna poteſtatem Epiſcopalem Apoſtolis contulit, quàm deindè ſtatim poſt reſurrectionem, antequam Cœlos aſcenderet Ioannis 20. perfecit, & compleuit. Nec enim veriſimile eſt, Chriſtum Dominum, per ſe ipſum minores ordines Apoſtolis tradidiſſe, (quod neceſſariò fatendum eſt,) & non ordinem Epiſcopalem. Adiſce, quod ordinatio, ſeu conſecratio illa Epiſcopalis nil aliud eſt, quàm collatio curæ Epiſcopalis cum ſolemnitate, & cum noua poteſtate ordinis, ut tradit D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 184. art. 6. ad ſecundum. Conſtat autem, cæteros Apoſtolos, præter Thomam, omnem iuriſdictionem, & poteſtatem Eccleſiaſticam à Chriſto immediatè recepiſſe in illis verbis, *Et ego mitto vos, Accipite Spiritum Sanctum, &c.* vt D. Cyrillus, Chryſoſtomus, & Theophylactus, in eundem locum docent: non enim tunc illis Chriſtus merum, & nudum ius prædicandi dedit; ſed etiam omnem poteſtatem, & auctoritatem faciendi omnes ſpirituales functiones, ac denique ius regendi animas vniuerſi orbis; ità ut illi eſſent non ſolùm prædicatores, verùm etiam rectores, & gubernatores, in ſpiritualibus, cæteriſque omnibus, quæ ad ſalutem animarum pertinent, ut eſſent quoque paſtores, delegati tamen animarum: Id enim eſt regere, & gubernare Eccleſiam Dei, ut dicitur Actor. 20.

Actor. 20. Quid ſpectet ad munus apoſtolicum. D. Thomas. D. Cyprian.

ETENIM ad perfectam rationem muneris Apoſtolici, non ſolùm ſpectat ius prædicandi, cui annexa ſit quædam delegata ampliſſima iuriſdictio, ut Bellarm. cenſuit, ſed propriè ius regendi, & gubernandi animas, quod eſt intrinſeca ratio Epiſcopatus, ut optimè tradit D. Thom. in 1. ad Corinth. ca. 12. cui deindè annexum eſt ius prædicandi, & exterior iuriſdictio. Quæ omnia Apoſtolis à Chriſto, per poteſtatem excellentiæ immediatè fuerunt tradita, ut probatum eſt. Vndè Diuus Cyprianus in lib. de Immunit. Eccleſiæ ſic rectè ſcribit; *Loquitur Dominus ad Petrum, Tibi dabo Claues Regni Cælorum, & eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit; Paſce oues meas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, tamen ut vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, &c.*

Bellarm.

Ex quo Cypriani loco, idem Bellarm. in eodem cap. 23. concludit, per illa verba Chriſti, *Ego mitto vos*, datum fuiſſe Apoſtolis, quod Petro promiſſum fuerat, per illud, *Tibi dabo Claues*, & poſtea exhibitum, per illud, *Paſce oues meas*, per quæ verba pleniſſimam iuriſdictionem, & completam poteſtatem ordinis Petro datã fuiſſe, nemo dubitat. Immò lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 12. num. 30. Bellarminus aſſerit, Apoſtolos à Chriſto immediatè utramque poteſtatem accepiſſe: iuriſdictionis quidem, quando dixit, *Ego mitto vos*; ordinis autem, cùm ſtatim inſufflando,

ſlando, dedit illis Spiritum Sanctum, ad remittenda peccata; Atque in hoc benè loquitur.

Pyghius.

Albertvs Pyghius lib. 3. Eccleſiaſt. Hierarchiæ cap. 8. dicit, ex loco, *Sicut miſit me Pater, &c.* nullum ſumi firmum argumentum, pro hac re, de qua agimus; Cùm non ſolùm Apoſtolis, ſed omnibus diſcipulis verba illa dicta ſint à Chriſto. Vndè ſequeretur, omnes diſcipulos, non ſolùm Apoſtolos, æqualem cum Petro accepiſſe poteſtatem; quod Scripturæ aduerſatur.

Matth. 16 & 18.

Vervm Reſpondetur, Chriſtum illis tantummodò eam poteſtatem conceſſiſſe, quibus anteà promiſerat; illis enim facta eſt collatio, quibus facta eſt promiſſio. At ſolis Apoſtolis Matth. 16. 18. dictum fuit, *Quæcumque ſolueritis, &c.* Præterea dicendum, illis dumtaxat præfatam poteſtatem datam à Chriſto eſſe, qui illius iam capaces erant: tales autem erant ſoli Apoſtoli, qui in Cœna inſtituti fuerant Sacerdotes, nec enim alios, præter Apoſtolos, uſquè ad illam apparitionem, quæ ſerò facta eſt, in qua Dominus, verba illa locutus eſt, Sacerdotes creatos eſſe legimus.

D. Thomas.

Hanc doctrinam tradidit D. Thom. 3. par. artic. 5. ad ſecundum dicens, eiſdem Diſcipulis datum eſſe, poſt reſurrectionem, actum ſecundum poteſtatis ſacerdotalis, qui eſt ligare, & ſoluere, quibus datus fuit actus primus antè Paſſionem in cœna, quandò dixit, *Accipite, & manducate, Hoc facite, &c.*

Adde, quod non ſolùm traditione, ſed ſcriptis etiam omnium Sanctorum, qui de hac re ſcripſerunt, accepimus ſolos Apoſtolos tunc huiuſmodi auctoritate à Chriſto munitos fuiſſe, ità tamen, ut alijs ſuo tempore, & modo communicarent.

Solutio argumentorum contrariæ ſententiæ.

Nec argumenta propoſita negocium faciunt. Ad primum enim, de Paulo, multis modis reſpondetur.

Ioan. 20.

Primò, Paulum non fuiſſe ex numero eorum Apoſtolorum, quibus dictum eſt à Chriſto ante Aſcenſionem, *Ecce ego mitto vos*, Ioannis 20. ſed deindè à Chriſto poſtquàm in Cœlum aſcendit, ad Apoſtolatum vocatum, & electum fuiſſe, iuxtà illud, *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum, &c.* Ac deniquè ab Anania iuſſu domini baptizatum, & à Lucio Cyrenæo, & Manae, Epiſcopis per manuum impoſitionem, in Apoſtolatum ordinatum, ſic expreſsè habet Ioannes Chryſoſtomus Homil. 27. in Act. *Quid eſt miniſtrantibus, prædicantibus? ſegregate, inquit, mihi Barnabam, & Saulum; Quid eſt ſegregate mihi in opus? in Apoſtolatum. Vide iterum, à quibus ordinatur, à Lucio Cyrenæo, & Manaè, immò à Spiritu; quantò enim perſona humiliores erant, tantò purior Dei apparet gratia. Ordinatur iam in Apoſtolatum, ut iam cum poteſtate prædicet; quomodo igitur ille dicit, non ab hominibus, neque per homines? dicit non ab hominibus, ut manifeſtet, quod non homo illum uocauit, neque adduxit; dicit nec per hominem, quod non ab aliquo miſſus eſt, ſed à Spiritu. Idcirco, & ſic ſubdit, igitur, illi quidem miſſi à Spiritu deſcenderunt in Seleuciam, & illinc abnauigauerunt in Cyprum.* Et infrà, *In Antiochia ordinatur, ibi prædicat*, & in Hom. 28. in principio, inquit, *ſimul abierunt ordinati*. Eamdem interpretationem tradit Oecumenius, & Gloſſa interlinearis, & Lyra. Act. 13.

Chryſoſt. Oecumen. Gloſſ. interli. Lyran.

Quid ſignificet in lege noua Euangelij manus impoſitio.

Per manus enim impoſitionem in nouo teſtamēto Ordinatio ſignificatur, ità Act. 6. per manus impoſitionem, Apoſtoli Diaconos ordinauerunt, & prima ad Thimot. 4. *Noli gratiam negligere, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbiterij*, ideſt Epiſcoporum; Presbiterium enim, Epiſcoporum cœtum, uel chorum ſignificat, qui nouo Epiſcopo manus imponunt, ut Chryſoſt. Theodoret. Oecumenius, Theophylactus, & Alij exponunt. Rurſus in eodem loco, cap. 5. loquens Epiſcopo Apoſtolus ait, *Manus citò nemini impoſueris*, Item 2. ad Thimot. primo, *reſuſcites, ait, gratiam, quæ data eſt tibi per manuum impoſitionem*. lege D. Chryſoſtomum Homil. 14. in Act. poſt medium, ubi verbum illud Græcum, Chyrotonia, quod impoſitio manuum interpretatur, dicit, ordinationem ſignificare; eius uerba hæc ſunt, *Ordinati ſunt per preces, hoc enim eſt Chyrotonia, ideſt ordinatio; manus viri ſuperponitur, totum autem Deus operatur, & illius eſt manus, quæ*

Act. 6. 1. Thim. 4. Chryſoſt. Theodoret. Oecum. Theophyl. 2. Thimot. D. Chryſoſt.

Quid ſignificet uerbum græcum Chyrotonia.

eius, quæ

eius, qui ordinatur, caput contingit, ſi quemadmodum oportet, ordinetur. Et Homil. 10. in primam ad Thimoth. eadem voce, chyrotonia, pro ordinatione utitur. [D. Hieron.] D. Hieronymus in cap. 58. Iſaiæ, chyrotoniam interpretatur impoſitionem, ſeu extenſionem manus, quæ cum uocis imprecatione, ordinationem perficit.

[Conc. Nicen. Theodoret. Metaphraſt.] Similiter etiam Concilium Nycenum in Epiſt. ad Alexandrinos, apud Theodoretum, lib. 1. Hiſt. cap. 9. chyrotoniam pro ordinatione uſurpat. Quod etiam Simeon Metaphraſtes in uita Sancti Ioannis Chryſoſtomi habet, dicit enim; quod cum Epiſcopus Antiochenus ei manus imponeret, ut eum faceret Presbiterum, ſtatim Spiritus Sanctus uiſibiliter, in forma columbæ, in eum deſcendit.

[Greg. Nonus. Impoſitio manus ab ipſo Chriſto inſtituta fuit.] HANC autem manuum impoſitionem, etſi Gregorius Nonus ritum ab Apoſtolis introductum appellet in cap. *Presbiter,* de Sacramentis non iterandis; non eſt tamen ritus ab Apoſtolis inſtitutus, ſed à Chriſto, quamuis ipſi primi cœperint huiuſmodi ritum in ordinationibus vſurpare; cum enim in impoſitione manuum detur gratia, quando quis ordinatur, conſequens eſt, illam impoſitionem eſſe de eſſentia, & partem materialem Sacramenti, præcipuè in ordinatione Diaconi, Sacerdotis, & conſecratione Epiſcopi; [D. Thomas. D. Bonauent. Scotus. Palud. Altiſſiod. Aſten. Taran. Ledeſm. Pet Soto. Hoſius. Caniſ. Echius. Henriquez. Soto.] ut D. Thom. docet 3. par. in Add. quæſt. 37. artic. 5. in corp. & quæſt. 38. art. 1. ad primum, & in 4. diſtin. 25. quæſt. 1. art. 1. Sanctus Bonauentura diſtin. 24. 2. par. art. 1. quæſt. 4. Scotus, & Paludanus diſtin. 24. Altiſſiodorenſis in ſua Summa par. 4. Aſtenſis. tit. 4. art. 5. Taran. quæſt. 3. art. 3. in corpore, & ad tertium, & inter recentiores, Martinus Ledeſm. in 4. 2. par. q. 36. art. 4. ad primum, Petrus à Soto lect. 5. de Sacramento ordinis, Cardinalis Hoſius in Inſtitutio. cap. 50. Caniſius tit. de ordin. cap. 3. Echius tom. 4. Homil. 66. & Henriquez lib. 1. cap. 11. & lib. 10. cap. 7. & 8. quicquid dixerit Dominicus à Soto diſtin. 24. quæſt. 1. art. 4.

[Conc. Cart. 4. Septima Syn. Iuo Carnot. Dioni. Areo. Innocent. Clemens. Bouius. Bellarm. Henriquez. Conc. Nicen. Turrian.] NOTANTER autem dictum eſt, manus impoſitionem requiri neceſſariò in ordinatione Diaconi, quoniam in ordinatione Subdiaconi ad eius ſubſtantiam non pertinet, ut habetur in Concilio 4. Carthaginenſ. Can. 4. & colligitur ex 7. Synodo Can. 20. apud Iuonem 3. par. cap. 121. & ex Dionyſio cap. 5. de Eccleſiaſt. Hierarchia quarè emendandus eſt textus capit. 1. de Sacramentis non iterandis, ubi corrigitur ordinatio Subdiaconi ſine manus impoſitione. Quo in loco Innocentius dicit, eſſe legendum, *ad ordinem Diaconatus,* vt in vetuſtioribus Codicibus habetur. Corruptus eſt quoque texus apud Clementem lib. 8. conſtit. cap. 27. & 28., ut Bouius adnotauit; dùm ibi legitur, Subdiaconum, & Lectorem, habere manus impoſitionem. Lege Bellarmi. de Ordin. cap. 9. & Henriquez lib. 10. cap. 8. Quod autem dicitur in Concilio Niceno Can. 14. ut Turrian. ſcribit; lib. 8. conſtitutio. Clem. capit. 21. primam Tonſuram, quæ non eſt ſacramentum, fieri cum manus impoſitione; id impropriè intelligendum eſt, pro appoſitione manuum, dùm capilli inciduntur, ut patet in Pontificali.

[Actor. 6. Dionſ. 1. Thim. 2. 2. Thim. 1. D. Ambroſ. D. Hieron.] Vndè Actor. 6. dicitur, quod ordinati ſunt Diaconi, cum manus impoſitione, quia datur gratia ſacratior, ut Dionyſ. eodem lib. cap. 1. & 5. Cùm autem dicat Paulus, per manus impoſitionem dari gratiam, prima ad Thimoth. 2. & 2. ad Thimoth. 1. neceſſariò affirmãdum eſt, huiuſmodi manus impoſitionem eſſe partem eſſentialem Sacramenti; nec enim promiſſio gratiæ à Chriſto facta eſt ceremonijs accidentarijs, ſed partibus eſſentialibus Sacramenti. Quocircà D. Ambroſ. in lib. de Dignitate Sacerdotis cap. 5. egregiè dixit. *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam,* & D. Hieronymus loco citato dixit, quod; *ordinatio non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem, impletur manus.*

[Act. 14. Bellarm. Henriquez. Actor. 13.] Neque enim, ut Hæretici uolunt, chyrotonia eſt extenſio manuum ad orandũ, uel ad ſuffragium dandum, ſed extenſio manuum ſuper capita ordinandorũ, ut ex cap. 14. Actor. conuincitur; ubi enim Latinæ legimus, *cùm conſtituiſſent illis Presbiteros,* Græcè habetur χειροτονήσαντες, ideſt, cum per manus impoſitionem creaſſent Presbiteros, chyrotonia enim, & chyroteſia in ordinatione Presbiteri, quæ fit ab Epiſcopo, pro eodem ſumi debent, ut benè notauit Bellarm. li. 1. de Cleric. cap. 7. argu. 6. & Henriquez lib. 10. cap. 3. & patet ex Actor. 13. ubi diſtinguitur,

oratio

oratio à manuum impoſitione, tanquam diuerſus actus, *orantes impoſuerunt manus*.

Verum perpetuò hic ritus impoſitionis manuum in collatione ordinum in Dei Eccleſia, ut à Chriſto inſtitutus, obſeruatus fuit. Lege Clem. lib. 8. conſtit. cap. 21. & ſequentibus, Damaſum Epiſt. 4. Innocentium Primum Epiſt. 22. Leonem Primum Epiſt. 8. Concilium Nicenum Can. 29. Anthiochenum Can. 10. & 17. Carthagineuſe quartum Can. 2. 3. & 4. & Tridentinum ſeſſ. 23. Can. 4. Nec obſtat, quod Innocentius Tertius, in capite *Paſtoralis*, de Sacramentis non iterandis, & Gregorius Nonus locò citato, dixerit, nempè ordinationes ſine manuum impoſitione factas, non eſſe iterandas; ſed quod omiſſum fuit, implendum eſſe; hoc enim potius indicat contrarium, cùm id, quod neceſſarium non eſt, ſupplendum non ſit. Vndè per illa verba dictorum Pontificum ſignificatur, ſolùm huiuſmodi cæremonias poſſe diuidi, & diuerſo tempore dari; quocumque tamen tempore dentur, efficaces eſſe, & omninò neceſſarias: Lege quoque D. Auguſtinum in ſerm. de geſtis cum Emerito, & Can. *Ex multis*, prima quæſt. 3. & Can. *Daibertum* prima, quæſt. 7. Hanc etiam ſententiam de ordinatione Pauli, inter recentiores ſequitur Bagnes ſecunda ſecundæ quæſtione prima artic. 10. & Henriquez lib. 10. cap. 3.

[Margin: Clemen. Damaſus. Innoc. 1. Leo 1. Conc. Nicen. Antiochen. Carthag. 4. Trident. Innoc. 3. Gregor. 9. D. Auguſt. Bagnes. Henriq.]

Secvndo ad locum illum Act. 13. reſpondent aliqui, Paulum quidem omnem auctoritatem, & iuriſdictionem Apoſtolicam, & Epiſcopalem à Chriſto habuiſſe, non à Petro vel ab alijs, quod Lucas Act. 22. & ex profeſſò de ſe ipſo Paulus teſtatur 2. Corinth. 10. *Et ſi amplius*, inquit, *aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus*; & ad Galathas primo; *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem*, Et iterum; *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam ſuam, continuò non acquieui carni, & ſanguini, neque ueni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum, deinde poſt Annos tres ueni Hieroſolymam uidere Petrum, &c.* Et cap. 2. *Mihi autem qui uidebantur eſſe aliquid, nihil contulerunt*. Verba autem illa *imponentes illis manus*, legitimam miſſionem ad opus prædicationis ſignificare contendunt; Ità Gloſſa in caput 10. 2. ad Corint. exponens illud uerbum, *de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus, non illis, in ædificationem, & non in deſtructionem, ut nos in uirtutibus ædificemus; & non prauis doctrina, uel exemplo corrumpamus*; Vndè D. Paulus ſubdit, non minorem auctoritatem, atque efficaciam ſe abſentem habere in Epiſtolis, quàm præſentem in ſermone.

[Margin: Act. 13. A quonam fuerit ordinatus D. Paul. Act. 22. 2. Corin. 10. ad Galat. 1. Gloſſa.]

Hanc expoſitionem ſequitur Caiet. Actor. 13. vbi expreſsè dicit, ſicut etiam Actor. 6. hanc impoſitionem manuum, non fuiſſe Sacramentalem, ſed quamdam actionem, qua & Apoſtoli, & alij Primates in Eccleſia ad firmandam gratiam noui miniſterij utebantur, ſicut etiam ſeptem miniſtris ſuper menſis, & uiduis, Apoſtoli manus impoſuerunt, quibus ſicut Barnabæ, & Saulo per huiuſmodi manuum impoſitionem, nullum Sacramentum collatum fuit, cùm nullum fuerit nouum Sacramentum neceſſarium ad opus illorum, aut iſtorum.

[Margin: Caietan.]

Hæc autem verba Caietani aliqua cenſura digna ſunt, in eo, quod de illis Diaconis loquitur. Certum enim eſt, illos ab Apoſtolis ordinatos non fuiſſe tantùm, & deſtinatos, ut pauperum menſis ſeruirent, ſed per ſe, ac principaliter, ut miniſtrarent menſæ Altaris. Expreſſis uerbis docet hoc D. Ignatius Epiſt. 5. ad Trallianos, *Oportet*, inquit, *Diaconos myſteriorum Chriſti miniſtros per omnia placere, nec enim eſcorum, & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei adminiſtratores*, Et inferius dicit, *purum, & inculpatum miniſterium, Diaconos Sacerdotibus exhibere, ut Sanctus Stephanus Beato Iacobo; Timotheus, & Linus Paulo; Anacletus, & Clemens Petro, &c.* Et in Epiſt. 13. ad Heronem Diaconum; *Nihil*, inquit, *ſine Epiſcopis facito, Sacerdotes enim ſunt, tu verò Sacerdotum miniſter; Baptizant, ſacrificant, eligunt, manus imponunt; tu verò illis miniſtras, ut Sanctus Stephanus Iacobo, & Presbiteris, qui erant Hieroſolymis*. Hæc Ignatius. Idem quoque docet Chryſoſt. Homil. 14. in Act. Beda,

[Margin: Ponderantur uerba Caiet. hoc in loco. D. Ignatius. Chryſoſt. Beda.]

& Lyranus

Lyran. Magiſter ſen. Rabanus. Iſidor. Ambro. Cathar. Baronius. Diaconatus eſt uerùm Sacramentum. Dur. Caiet. Victor. Ledeſ. Conc. Trid. Sotus. Epiſcopi ſoli poſſunt Diaconos conſecrare. Conc. Ancy. Conc. Antioc. Epiphan. Damaſus. Hieron. 1.Thim.4. 1.Thim.3. ad Philip.1. Theophanus. Alphon. à Caſtro.

& Lyranus Act.6.& cæteri Patres ibidem, & Magiſt. diſt.24. Rabanus lib.1. de Inſti t. Clericorum cap.7. Iſydorus lib.7. Ethymol.ca.12. & Ambroſius in Epiſt. ad Epheſios cap.4. Catharinus lib.5. contra Caietanum. Canon autem, qui Sextę Synodo affixus, Caietano fauere uidetur; dum dicit, ſeptem Diaconos ab Apoſtolis electos, non miniſtraſſe ſacris myſterijs; apochryphus eſt, nec approbatione dignus, ut Cardinalis Baronius benè notauit, tomo primo Annaliũ. Negare enim Diaconatum eſſe Sacramentum, ut Durandus quæſt.2. & Caiet. in Opuſculo de Ordinibus, cui uidentur aſſentire Victoria §.226.& Ledeſm.2. par. quæſt.40. art. 1. periculoſiſſimum, & temerarium eſt; immò poſt Concilium Tridentinum erroneum, vt in ſeſſione 23. cap.2.& Can.2.3.& 4. videre eſt, licèt Sotus temerè quæſtione prima art.4. Caietani opinionem, tamquam probabilem, defenſabilem eſſe dixerit. Nec verùm eſt, quod Victoria dixit, Papam aliquandò Abbati commiſiſſe ordinare Diaconos. Numquam enim Eccleſia agnouit Presbiteros, vel Diaconos, niſi ab Epiſcopis ordinatos; vt cognoſcitur ex Concilio Ancyrano Can. 12. Antiocheno Can. 10. lege Epiphanium Hæreſi 75. Damaſum Epiſt.4. Hieronymum Epiſt.85. ad Euagrium, & Patres in Priorem ad Timotheum cap.3. & 4. Bulla autem Innocentij VIII. in qua uidetur concedere, quibuſdam Abbatibus benedictis facultatẽ conferendi ſuis monachis ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus, declarata fuit à Congregatione Cardinalium ſuper Concilium Tridentin. Anno 1592., & à Clemente Papa VIII. in Bulla Ciſterciensium, quod ſit intelligenda, quantum ad facultatem concedendi dimiſſorias ſuis regularibus, pro ordinibus maioribus, & non aliter. Vndè D. Paulus 2. ad Thimoth.4. dicens *Miniſterium tuum imple*, Diaconiam intellexit, ut in græco habetur, & prima ad Thimoth. 3. & ad Philippenſ. 2. eaſdem qualitates requirit in miniſterio Diaconi, & Epiſcopi. Immò ad Philippenſ. 1. vt Theophanus exponit, nomine Diaconi, etiam Epiſcopus intelligitur. Quod etiam dixit Caſtro Verbo, Epiſcopus, hæreſi prima, ad finem.

Expoſitioni autem Caietani, ſuper verba Actor. 13. fauere uidentur verba, quæ in eo capite habentur; *Imponenteſq; eis manus, dimiſerunt illos*; miſſi quidem fuerunt à Spiritu ſancto, & quidem Paulus à Chriſto immortali electus, & miſſus fuit ad opus prædicationis, dimiſſus tamen fuit ab Eccleſia; licèt enim Paulus Antiochiæ, atque Iudæis antè huiuſmodi manuum impoſitionem, uerbum Dei prædicaſſet; nihilominus ad prædicandum gentibus, non niſi poſt illam ſegregatus, & miſſus fuit.

Quadruplex modus eligendi Apoſtolos ſiue miſſos, ex D. Anſelmo.

DIVVS Anſelmus, in caput primum ad Galatas pulchrè notat, quatuor modis fieri Apoſtolorum, ideſt miſſorum electionem. A Deo, & non ab hominibus; à Deo, & ab hominibus, ab hominibus, & non à Deo; nec ab hominibus, nec à Deo, ſed à Diabolo, uel à ſe ipſo: à Deo, & non ab hominibus, ſicut Moyſes, & Aaron diuinitùs miſſi ſunt ad Pharaonem: à Deo, & ab hominibus, ſicut Ioſuè, & Caleb, miſſi ſunt ad explorandam terram. Ab hominibus, & non à Deo, ſicut factum eſt, quandò Phariſæi *Concilium inierunt, ut caperent* IESVM *in ſermone, & miſerunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes; magiſter ſcimus, quia uerax es, &c.* Nec ab hominibus, nec à Deo, ſed à Diabolo, uel à ſe ipſis, ſicut pſeudoapoſtoli, qui (inſtigante Satana) ſine electione ſe ingerunt, & in aliorum meſſem mittere falcem præſumunt. Hæc Anſelmus. Addit autem, Paulum in primo genere electionis inueniri, quia non ab hominibus, & ab Apoſtolis, neque per hominem, ut Ananiam, qui baptizauit eum, eſt electus in Apoſtolum; ſed per IESVM Chriſtum, & per Deum Patrem; nec per mortalem Chriſtum, ſicut Petrus, & Andreas, ſed per immortalem, quia Pater ſuſcitauit eum à mortis. Nil tamen repugnat, dicere cum Turrecremata lib.2. cap.61. Paulum in principio Apoſtolatus à Chriſto immediatè auctoritatem prædicationis recepiſſe, quam deindè à Petro recepit; quando auctoritate Petri, Paulus, & Barnabas per inſpirationem Spiritus ſancti, miſſi ſunt ad prædicandum Act.13. ſicut tangit Gloſſa Decret. in capitulo, *Quis neſciat*, diſt. 11. Rectè autem, & congruè adnotat Caietanus in

Qualis fuerit electio D. Pauli. Turrecr. Act.13. Gloſſa. Caietan.

cap.10.

cap. 16. poſterioris ad Corinth. etiam loca aliqua deſignata, & indicata fuiſſe Paulo à Deo ad prædicandum, de qua re vehementer gloriabatur. Hæc expoſitio nullam patitur difficultatem, niſi vnam (meo iudicio.) Nimirum, quòd ſequeretur, Paulum, antè Baptiſmum, poteſtatem Apoſtolatus, & Epiſcopatus recepiſſe; & ſi enim concedi debeat, uocationem, atque electionem ad Apoſtolatum, antè Baptiſmum habuiſſe, ut Act. 9. quomodo tamen Sacerdotium, ius, & characterem paſtoralem, plenumque munus Apoſtolicum receperit, antè illum, non uideo. Quarè probabilior mihi uidetur prima ſolutio, quod per manus miniſtrorum Eccleſiæ ordinatus fuerit, ſicut etiam Sanctus Matthias.

Multa genera impoſitionis manuum in Scripturis, & Patribus. Act. 8. & 19. Ad Hæbr. 6. Tertull. D. Thomas.

HIc adijciendum eſt, multa alia genera impoſitionis manuum reperiri apud Patres, & in Scripturis. Primùm eſt, ſuper ipſos baptizatos in Sacramento Cõfirmationis. Act. 8. & 19. & ad Hæbræos 6. de qua Tertullianus in lib. de Baptiſmo, atque hæc etiam eſt de neceſſitate illius Sacramenti, ut docet D. Thom. 3. parte, quæſt. 37. art. 5. ad primum, in Addit.

Lindan. D. Leo. D. Auguſt. D. Cyprian. Vigilius Pap. Conc. Mileu. Conc. Tol. 4. D. Auguſt. Iuſtin. Mart. D. Leo. Bellarm.

Secundum eſt, eius manus impoſitionis, quæ reconciliatoria dicitur, atq; hanc Epiſcopi adhibebant adultis, qui fuerant ab Hæretico ſpontè baptizati, & reuertentes ad Eccleſiam, in ſignum publicæ reconciliationis, ab Epiſcopo Catholico illis imponebatur manus, ideſt confirmabantur, per quam confirmationem nequaquam recipiebant gratiam, quæ in Baptiſmi collatione præſtabatur, cum etiã Hæreticorum Baptiſmus, ſi intendant facere, quod facit Eccleſia Catholica, fructuoſus ſit. De hoc lege Lindanum 4. Panop. cap. 27. D. Leonem Epiſt. 37. & 79. cap. 2. D. Auguſtinum de Eccleſ. Dogmat. cap. 52. & lib. 3. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, cap. 16. & 18. & lib. 5. cap. 23. & de vnitate Eccleſiæ cap. 19. Qua in re lapſus eſt D. Cyprianus Epiſt. 72. & 74. ubi dicit, Baptiſmum datum adultis ab Hæretico non valere, ideſt, non eſſe fructuoſum, niſi ſequatur manus impoſitio per Epiſcopum Catholicum; Huiuſmodi quoque reconciliatoria impoſitio manuum adhibebatur his, qui ab hæreſi reuerſi, in Eccleſia per pœnitentiam, & Claues reconciliabantur. De hac loquitur Vigilius Papa; in Epiſtola ad Eucherium cap. 3. Concilium Mileuit. cap. 12. Quartum Toletanum cap. 12. D. Auguſt. lib. 5. de Baptiſmo cap. 23. & lib. 6. cap. 31. Iuſtinus Martyr in quæſtionibus ad gentes quæſt. 14. & D. Leo Epiſt. 89. Hanc reconciliationem non negat D. Auguſtinus in 3. de Baptiſmo cap. 16. iterari poſſe, neque enim de confirmatione ibi, quæ fit per manus impoſitionem cum chriſmate, loquitur; ſed de reconciliatione pœnitentium, ut doctè probat Bellarminus de Confirmatione cap. 7. Prætereà omnes illi, qui ordinati erant à Nouatianis, reconciliabantur cùm Enchyroteſia, ideſt, manus impoſitione, ut aſſerit Theodoretus lib. 3. Hæret. fabul. in Nouato; Prateolus verbo, Nouatus, & D. Gregorius lib. 4. Epiſt. 6. agens de Arrianis. Nec huiuſmodi reconcilia tio erat reordinatio, cùm Ordo iterari nõ poſſit; ſed reductio quædam ſacerdotis, & habilitatio, ut laicæ communionis poſſet eſſe particeps. Aliquando verò etiam, ad ordinis malè ſuſcepti executionem extendebatur. D. Gregorius lib. 9. Epiſt. 61. & Vigilius Papa in Epiſt. 2. cap. 3. teſtatur, in Eccleſia orientali Græcorum, hanc manuum impoſitionem reconciliatoriam fieri ſolere cùm vnctione chriſmatis per Epiſcopum, & eo abſente, in mortis articulo per Presbiterum. Vndè in Concilio Niceno Can. 31. iubentur Arriani inungi, cum ad Eccleſiam venerint. In occidentali verò per ſolam impoſitionem manuum. Rurſus pœnitentes ſolemnem, ac publicam pœnitentiam agentes, per manus impoſitionem reconciliabantur, & per orationem publicam à pœnitentijs, & cenſuris, antequàm abſolutio Sacramentalis peccatorum eis impartiretur, abſoluebantur. Teſtatur id Clemens lib. 2. conſtit. cap. 45. & lib. 8. cap. 12. & Cypr. lib. 3. Epiſ. 10. & 71. ad Quintum, Concilium Mileuit. cap. 12. & Toletan. 4. cap. 12. Hęc ipſa oratio, qua ſacerdos reconciliabat, uocatur impoſitio manus; immò D. Auguſtinus hoc nomine lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. ipſum Pœnitentiæ Sacramentum, manuum impoſitionem appellat.

Theodoret. Prateolus. D. Greg. D. Greg. Vigilius Pap. Conc. Nicen. Clemens. Cyprian. Conc. Mileu. Toletan. 4. D. Auguſt.

TERTIVM genus continet magis impoſitionem illam, quæ ſalutaris dicitur; &

fiebat

D.Greg. Gratianus. Con. Arel.1. Carthagin. 4. Hiſpalen.2. Clemens. D.Auguſt.

fiebat Cathecumenis in exorciſmo, ut D. Gregorius innuit, Homil. 29. in Euangel. & Gratianus in cap. *Sacerdotes*, de conſecr. diſt. 4. Atque hac manuum impoſitione facta, in numerum baptizandorum admittebantur; appellabanturque tunc competentes. Vide Concilium Arelat. primum cap. 6. Carthaginenſe Quartum cap. 85. Hiſpalenſe ſecundum cap. 7. Clement. lib. 2. Conſtitut. cap. 39., & D. Auguſtinum lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26.

Quodruplex manuum impoſitio. Henriquez. Luc. 4. Mar. vlt. Actor. 9.

En igitur, quòd manus impoſitio quadruplex eſt, ut rem hanc in ſummam colligamus; nempè conſecratoria, confirmatoria, reconciliatoria, & ſalutaris. Lege Henriquez libro 1. cap. 11., licèt hic in reconciliatoria aliquid peccauerit. Impoſitiones autem illæ manuum, quas Chriſtus, & Apoſtoli ſuper infirmos faciebant, ut ſanarentur, Lucæ 4. & Marci vltimo, ad ſalutares reducuntur; ſic Ananias Actor. 9. ſanauit cæcitatem Pauli ante Baptiſmum, per impoſitionem manus.

Turrian. Actor. 11. Luc. 1. Ad hæb. 2. 9. & 10. Bellarm. Luc. 22.

Franciscvs Turrianus in adnotat. lib. 8. Clementis Romani, de chariſmat. & ordin. inquit, in hoc cap. 13. Act. declaratam fuiſſe Pauli vocationem per homines; ordinationem autem eius à Chriſto factam fuiſſe, dùm poteſtatem hierarchicam à Deo recepit, atque in hoc ait, Paulum à Barnaba differre, quod immediatè à Deo nec uocatus, nec miſſus fuit, ſed per alios, ut Act. 11. ſed, meo iudicio, primæ ſolutioni ſtandum eſt. Ad cuius confirmationem adijciendum eſt, quod illa fuit vera ordinatio Pauli, cùm intra Miſſæ, & ſacrificij miniſterium peracta fuerit, ut ex uerbis Lucæ conſtat, *miniſtrantibus*, ideſt ſacrificantibus, *illis Domino, & ieiunantibus, &c.* vox enim illa græca, λειτουργούντων, à, λειτουργία, deducta, in Scripturis publici, & externi ſacrificij miniſterium ſignificat, ut ex cap. primo Lucæ, & Epiſt. ad Hæbræos cap. 2. 9. & 10. colligitur. Vndè rectè Græci Miſſæ actionem, λειτουργίαν vocant, ut benè Bellarm. notauit libro primo de Miſſa cap. 13. Vndè manauit uſus in Eccleſia, ut ſacræ ordinationes intrà actionem Miſſæ celebrarentur; ut etiam Chriſtus in Cœna fecit. Lucæ 22.

Quando, & quomodo fuerit ordinatus D. Iacobus. 1. Cor. 15. Cyril. hieroſ. Hieron. Doroth. D.Hieron. D.Chryſoſt. Beda. Anacletus. Clemens. Euſeb. Card. Baron. Epiphan. Hieron. Policrates. Euſeb. Hieron.

Ad ſecundum argumentum, de Iacobi ordinatione; nonnulli exiſtimant, hunc Iacobum fratrem, ideſt cognatum Domini, fuiſſe extrà numerum duodecim Apoſtolorũ. Quod dicunt, indicaſſe Paulum, prima Corinth. 2. ibi; *Viſus eſt Vndecim Apoſtolis, deindè Iacobo*, quaſi hic ſit extrà numerum illorum Apoſtolorum. Ità Cyrillus Hieroſolymit. Cathecheſi 4. & Hieron. in Eſaiam 17. Nomenque proprium eius fuiſſe dicunt, Simeonem, cognomento tamen Iacobum appellatum. Ità Doroth. in Synopſi. Fuitque Hieroſolymitanorum Epiſcopus, & Iacobi Apoſtoli ſucceſſor, ad quem Clemens Epiſtolas ſcripſit. Sed iſtorum opinio, quæ tres Iacobos neceſſariò admittit, explodenda eſt, cum D. Hieronymo contra Eluidium. Vndè alij reſpondent, illam ordinationem Iacobi Apoſtoli referri debere ad quamdam loci deſignationem, ut Diuus Chryſoſtomus innuit Homil. 87. in Ioannem; dicens, Hieroſolymis Iacobum à Petro totius Orbis Magiſtro prępoſitum fuiſſe. Quod ex Bedæ Martyrologio, 26. die menſis Decembris accidit: fuit enim tunc ad certi loci adminiſtrationem electus, & cùm inſignijs Epiſcopalibus in propriam Cathedram inthronizatus, cùm iam antea Epiſcopus eſſet, ſine proprio titulo, vt Gloſ. verbo; *Ordinatus*, ibidem aſſerit: quo ex facto, ordinationibus cæterorum Epiſcoporum forma præſcripta fuit, ut dicit Anacletus loco citato. Quare hic Iacobus, & ab ipſo Chriſto, & ab Apoſtolis ordinatus dicitur à Clemẽte lib. 8. conſt. Apoſtolicarum, & Euſebio lib. 7. hiſt. cap. 14. in fine. De his inſignibus Epiſcopalibus Iacobo impoſitis, putà lamina, uel bractea aurea, ſeù Mitrà præcioſa (ſic hodiè illam appellamus.) uide Baronium Card. tom. 1. Epiphanium hæreſi 29. & 78. & Hieronymum de ſcriptor. Eccleſiaſt. in Iacobo; & in Epiſto. ad Galatas cap. 2. Eodem quoque ornamento capitis, tamquàm Regiæ dignitatis ſigno, uſum fuiſſe Ioannem Euangeliſtam, teſtatur Polichrates Epheſiorum Epiſcopus in Epiſt. ad Victorem Rom. Pontificem, ſic refert Euſebius lib. 5. cap. 23. & Hieron. de ſcriptoribus Eccleſiaſt. in Polichrate.

S. Thomas Apoſtolus à Chriſto ordinatus.

Ad Tertium, de Beato Thoma dicimus, datam ei fuiſſe poteſtatem apoſtolicam, &

cam, & Epiſcopalem ab ipſomet Chriſto, quando videns illum credidit, & tetigit, dicens, *Dominus meus, & Deus meus.* ità Toletus in Ioannis 20. annotar. 25. in fine, & Soto in 4. diſt. 20. art. 2. in fine. Non deſunt tamen qui dicant, Thomam abſentem ſimul cum alijs huiuſmodi poteſtatem, vel Claues recepiſſe; ſic Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 56. probatq; iſe ex illo Numerorum vndecimo, vbi Eldal, & Medal manentes in Caſtris, & procul à Tabernaculo Moyſi poſiti, donum prophetandi vnà cum 70. Senioribus receperunt. Quod etiam placuit Cardinali Baronio primo tomo Annalium, & Io. Maldonato; videntur enim Claues illæ tori collegio Apoſtolico, & ſingulis illius, cuius Thomas erat pars, collatæ fuiſſe; ità Gagneius in 20. Ioann. Echius Homil. de reſurrectione, Caſtro, verbo, Sacerdos, hæreſi prima. Atque hæc reſponſio magis placet Soto loco citato. Atqui, cùm poteſtas illa Apoſtolica prædicandi, & remittendi peccata cum ſanctificatione, & inſufflatione, quæ præſentiam requirebat, communicata fuerit; nullo pacto videtur Thomæ, qui tunc non ſolùm abſens, ſed etiam infidelis erat, impartita. Legere poteris Chryſoſtomum Homil. 86. Cyrill. lib. 12. cap. 57. Theophylactũ, Euthymium in 20. Ioannis, Auguſtinum ſer. 159. de tempore, & 16. contra Fauſtum cap. 33. Ambroſ. Lucæ vltimo, Gregorium 14. Moralium. cap. 29., & Homil. 26. in Euangelia; qui omnes dicunt, Thomam à principio incredulum, & pertinacem fuiſſe, & vſque ad octauum diem in ea incredulitate perſeueraſſe.

Toletus. Sotus. Cyrill. Card Baron. Maldonat. Gagneius. Echius. Caſtro. Soto. Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym. Auguſt. Ambr. Gregor.

Ad Quartum dicimus, Turrecrematam malè citare verba Clementis, & numerum Epiſtolæ, in tertia enim Epiſtola de officio Sacerdotis, & Clericorum, paulò poſt medium, hæc verba ſcribit. *De quibus etiam Beatus Petrus inſtructor, & ordinator noſter, & princeps Apoſtolorum manifeſtè cunctos audientes inſtruebat, dicens, &c.* Vides hic, Clementem vocare Petrum ſuum ordinatorem, non autem Apoſtolorum.

Clemens.

Ad Quintum, concedimus omnem Eccleſiaſticam poteſtatem, & ordinationẽ à Petro deriuari, iure ordinario; attamen ex Chriſti ſpeciali gratia, factum eſſe, vt Apoſtoli non à Petro, ſed à Chriſto ordinati ſint; qui tamen ſi à Chriſto ordinati non fuiſſent ab ipſo Petro utique poteſtatem, & ordinationem accepiſſent. Neq; hoc auctoritati, & poteſtati Petri vllo pacto derogat, ſed Chriſti gratiam, atque fauorem in Apoſtolos, quos principes, & fundamenta Eccleſiæ eſſe voluit, ſummoperè declarat; quemadmodum etiam, quod Apoſtolos Chriſtus per ſe ipſum Sacerdotes fecit; nihil officit excellentiæ, & auctoritati Petri; ſi igitur uia ordinaria Apoſtolatum, & Epiſcopatum accepiſſent, ſanè Petrus illos ordinaſſet; ſed quoniam ex ſingulari gratia à Chriſto præuenti fuerunt, ab eodem poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis immediatè acceperunt; utramque enim poteſtatem officium Apoſtolatus includit, ut ſuperius probauimus. lege Bagnem, loco ſuperiùs citato. Atque hæc de hac quæſtione, quam obiter quidem, ſed non abs re hic inſeruimus.

Bannes.

CAPVT XXIIII.

Ponitur quæſtio Tertia. An in Dei Eccleſia neceſſariò detur Theſaurus meritorum Chriſti, & Sanctorum, ex quo Iubileus, & Indulgentiæ depromantur.

Perdifficilis, & ardua eſt huius quæſtionis materia, in quam nedùm Hęretici; verùm etiam nonnulli Doctores noſtri Scholaſtici impingentes, tamquàm ſcopulo hęſerunt.

Lutherus enim ſuis cauillationibus deceptus, exiſtimauit, hunc Eccleſiaſticum Theſaurum eſſe prorſus fictitium, chimæricum, & nullius momen-

Lutherus negat Theſaurũ Eccleſiæ.

ti; eo præcipuè ſuo familiari argumento motus; quod in Sacris literis nulla huius Theſauri memoria habeatur, & alijs, quæ poſteà ſuo loco adducentur. Franciſcus Mayronus in quarto diſtin. 19. q. 2. contendit minus piè, & indoctè huiuſmodi Theſaurum, nedùm Sanctorum, ſed etiam Chriſti, de medio prorſus tollere; quoniam non ſolùm Sancti præmium pro ſuis meritis, ultrà condignum receperunt; Verùm, & ipſe Chriſtus Saluator noſter ſufficiens habuit præmium ſuorum meritorum. *Propter quod*, inquit, Apoſtolus, *exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Et ideò infert, Indulgentiam eſſe merè abſolutionem pœnæ, à qua Papa, exiſtente legitima cauſa, hominem extrà Sacramentum, (nulla ipſius pœnæ facta recompenſatione, vel ſolutione) abſoluit; ſicut in Sacramento abſoluitià culpa. In hanc eamdem opinionem inclinat Taperus artic. 6. Durandus verò in quarto diſt. 20. q. 3. & ſi Chriſti Theſaurum non auſus ſit negare, Sanctorum tamen Theſaurum omninò negat. Cùm nulla hiſtoria, uel auctoritate probetur, ijs, qui modò viuunt, ipſos ſua bona opera applicaſſe. Et Durandum, eiuſque ſententiam ſequitur Angelus, verbo Indulgentia. §. 9. Medina de Indulgent. diſputat. 8. cap. 40. 41. 44. & ſequentibus, anceps fuit circà veritatem, & neceſſitatem Theſauri. Dicit enim, non eſſe hæreticum, illum negare; licèt tandem, ut rem probabilem, illum defendat. Et addit, Papam ſine illo abſolutè Indulgentiam dare poſſe.

Mayronus. Taper. Durand. Angelus. Medina.

Vt autem in re tàm graui, diſtincto ordine procedamus, quatuor hic tractanda ſunt.

Primum. An ſit neceſſarium ad efficaciam Sacri Iubilæi aliquod ſpirituale ærarium.

Secundum. Quo quaſi ære meritorum, huiuſmodi ærarium locupletetur.

Tertium. Quorum ſatisfactionibus, & operibus repleatur.

Quartum. Quis huius ærarij ſit legitimus diſpenſator, & per quatuor propoſitiones, in ſubſequentibus proximè capitibus collocatas, quæ veritatem Catholicam continent, huiuſmodi dubijs ſatisfaciemus.

Eſſe in Eccleſia Chriſti vere Theſaur. contra Lutherum, & alios.

Prima Propositio. In Eccleſia eſt Theſaurus Eccleſiaſticus, ex meritis, & iuſtis operibus, quæ uim ſatisfaciendi habent, coactus; qui ad efficaciam Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum, ſimpliciter eſt neceſſarius. Hæc propoſitio duas complectitur veritates. Prima eſt contrà Lutherum, & alios hæreticos, negantes eſſe apud Eccleſiam huiuſmodi ſpiritualem Theſaurum. Secunda veritas eſt, contra Mayronem, qui putauit, Indulgentias poſſe concedi, & acquiri ſine illo.

Quid nomine Theſauri intelligatur.

Nomine, autem Theſauri ſpiritualis intelligimus collectionem, vel cumulum ſatisfactionum Sanctorum ſibi ſuperfluarum, ſimul non in loco aliquo materiali, ſed in Dei acceptatione repoſitarum, ſicut etiam Theſaurus temporalis, dicitur aceruus bonorum, quæ in publico ærario aſſeruantur. Caiet. 2. 2. q. 66. art. 5. Couar. Reg. Peccatum, 3. p. §. 2. Soto lib. 4. de Iuſt. q. 1. art. 1. Nauar. cap. 17. num. 172. Molina lib. 1. de Primogen. cap. 23. & alij: facit l. 1. C. de Theſaur. li. 10. & §. Theſaur. Inſti. de rerum Diuiſione.

Caiet. Couar. Soto. Nauar. Molina.

Probatur igitur, eſſe in Eccleſiaſtica Republica ærarium quoddam ſpirituale, ex quo neceſſitatibus fidelium miſericorditer ſubuenitur, argumentis ex tribus locis petitis: ex teſtimonijs ſcilicet Sacrarum literarum, ex Patrum auctoritate, & ex ipſa natura bonorum operum. Obduratiſſimus namque erit intellectus, qui hiſce argumentis cedere recuſabit.

Probatur Theſaurus Eccleſiæ ex Scripturis.

Atteſtatur Sacra Scriptura, plures iuſtiſſimos uiros, uitę ſanctitate, eximiaque virtute præfulgentes, non ſolùm iuſtis, & ſanctis operibus abundaſſe; ſed etiam à Deo, & ab hominibus, pluribus, grauiſſimiſque flagellis percuſſos eſſe, illoſque patienter tolerando, longè, lateque plus ſatis paſſos fuiſſe, quàm pro peccatis ſuis mererentur. Exemplum in promptu eſt, Iob uir ſanctiſſimus. *Vtinam*, inquit, *appenderentur delicta mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera, quaſi arena maris, hac grauior appareret*. Cruciabatur uir innocentiſſimus diris, duriſque flagellis, & cùm ſemper coram Deo ambulaſſet, *vt vir rectus, ac timens Deum, & rece-*

Iob.

& recedens à malo, enixè à ſummo Iudice poſtulabar, cur tantoperè torqueretur?
*Diciti*s(inquit D.Hieronymus in præcitata verba Iob 6.) *me peccatis meis facienti-* D.Hieron.
bus, iſta pati, propter quod velim, vt peccata, contra calamitatem hanc, quam patior, pen-
ſarentur, & illicò videretis; quia hæc ipſa calamitas, uelut arena maris, ſupra horum pec
catorum merita, ponderaret. Hæc Hieronymus. Prætereà nonnulli fuerunt Sancti,
qui in vtero gratiam ſanctificationis receperunt, quemadmodum Ioannes Bapti
ſta, & Ieremias, quos, nemini dubium eſt, plura toleraſſe flagella, quàm ad pro-
priorum criminum dilutionem indigerent. *Quid enim aliud fuit Ioannis Baptiſtæ*
Vita(ut inquit Baſilius Concione prima de Ieiunio) *quàm unicum, & perpetuum Ie-* Baſilius.
iunium? Ioannes Sanctus homo, (inquit Bernardus ſermo. in Natiuitate Baptiſtæ) Bernardus.
miſſus à Deo, immò Angelus Dei, quo nullus maior in natis mulierum, innocentiſſimum
illud corpus, ſic caſtigat, ſic affligit; & tamen (ut Beda ait in Homilia de Decollatio- Beda.
ne Ioannis Baptiſtæ) *Quis noſtrum dicere audeat; Beatum Ioannem, actu, vel dicto, uel*
habitu, vel motu peccaſſe? Innocentes deindè pro Chriſto occiſi ab Herode, non
nè pœnam martyrij ſuperabundanter tulerunt? ſed à tramite Sacræ Scripturæ
non declinemus.

D.Pavlvs ad Coloſ. 1. *Gaudeo*, inquit, *in paßionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ* Ad Coloſſ. 1.
deſunt paßionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Quibus ver- Hoc loco co-
bis Apoſtolus apertiſſimè Theſaurum Eccleſiaſticum commemorat; Quid eſt e- pioſius expli-
nim ſufferre paſſiones in carne ſua pro Eccleſia, niſi labores, & pœnas proprias, catur locus
ad communicandum alijs, in eccleſiaſtica arca reponere? Enimuerò humanum Pauli. Adim-
corpus, typum eſſe Eccleſiæ Chriſti, egregiè Paulus, tùm alibi, tùm maximè pri- pleo ea quæ
ma Corinthiorum 12. & ad Epheſios 4. docet. Cùm enim in ea multæ, & diuer- deſunt paſſio
ſæ operationes ſint, ab uno capite manantes, & in unum, eundemque finem con- num Chri-
ſpirantes; efficitur, ut per analogiam ad corpus humanum, rectè vniuerſitas Eccle ſti, &c.
ſiæ explicetur, appelleturque corpus Chriſti, qui eſt eius caput. Huius miſtici cor- 1. Cor. 12.
poris Eccleſiaſtici membrum cùm eſſet Paulus, adimplebat, & longas, duraſque Ad Epheſ. 4.
perſecutiones ferendo, perficiebat ea, quæ deerant paſſionum Chriſti, ideſt, quas
Chriſtus non pertulit, perferebat ipſe pro Eccleſia, hoc eſt, Eccleſiaſtico Theſau-
ro, qui potiſſimùm Chriſti paſſione, ut inferius dicemus, conflatur, ſuos quoque
in commune fidelibus diſtribuendos applicabat labores. Nec Paulus exiſtima-
uit, pœnas, quas Chriſtus pro nobis ſuſtinuit, uel incompletas, uel inſufficientes
fuiſſe ad mundi ſaluationem, aut quòd ſuas paſſiones, Chriſti paſſionibus coæ-
quandas, vel conferendas iudicaret; ſed, ut eſſet copioſus ſatisfactionis Theſau-
rus, ſuas quoque paſſiones addebat. Qua etiam ratione dicimus, Chriſtum tàm
multa paſſum fuiſſe, cum tamen vnica ſanguinis gutta vniuerſum Orbem redi-
mere potuiſſet. Voluit enim, ut non ſolùm ſufficiens; ſed copioſa quoque eſſet Re
demptio.

Vnde ſic ſcribit D. Anſelmus in illum locum Pauli. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſ-* Anſelmus.
ſionum Chriſti in carne mea, ideſt, ea, quæ Chriſtus in carne ſua minus pertulit, ego in car
ne mea perfero, pro multiplicando corpore eius, quod eſt Eccleſia. Paßiones enim Chriſti
non ſunt in ſolo Chriſto, immò paßiones Chriſti non ſunt, niſi in Chriſto; ſi enim Chriſtum
intelligamus caput, & corpus, paßiones Chriſti nō ſunt, niſi in Chriſto; ſi autem Chriſtum
intelligamus ſolùm Caput, paßiones Chriſti non ſunt in ſolo Chriſto, nam Apoſtolus, adim
pleo, inquit, ea, quæ deſunt paßionum, non mearum, ſed Chriſti, in carne non tam Chriſti;
ſed mea, patitur, inquit, Chriſtus adhuc paßiones non in carne ſua, in qua aſcendit in cæ-
lum; ſed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra. Quiſquis ergò es in membris Chriſti,
quicquid pateris ab eis, qui non ſunt in membris Chriſti, deerat paßionibus Chriſti. Ideò
additur, quia deerat, menſuram adimplens, non ſuperfundens, tantùm pateris, quantum
ex paßionibus tuis inferendum erat vniuerſa paßioni Chriſti, qui paſſus eſt in capite no-
ſtro, & patitur in membris ſuis, ideſt, in nobis ipſis. Ad communem hanc quaſi Rempubli-
cam noſtram, quiſque pro modulo noſtro exoluimus, quod debemus, & paßione virium no-
ſtrarum, quaſi canonem paßionum noſtrarum inferimus. Paritio plenaria non erit paßio-
num omnium, niſi cùm ſæculum finitum fuerit. Adimpleo, inquit, ea, quæ deſunt. Cui de

ſit it? Paßionibus Chriſti. Et vbi deſunt? In carne mea. Nam in carne Chriſti, quam Virgo peperit, nihil paſſionũ deeſt; ſed omnes in illa paßiones ſunt impletæ; ſed adhuc reſtat pars paſſionum eius in mea carne, quas quotidie tolero pro vniuerſali corpore eius, quod eſt Eccleſia. Si enim ab eruditione fidelium ceſſarem, has paßiones ab infidelibus non ſuſtinerem; ſed quia ſemper Eccleſiæ ſtudeo prodeſſe, ſemper aduerſa cogor tolerare. Hæc Anſelmus.

Oecumen. Oecumenius eandem Pauli ſententiam his verbis dilucidat, in ſuo capite quinto. *Et viciſſim compleo ea, quæ deſunt. Papè, quidnam eſt, quod ait? Si Chriſtus homo factus, illuſus, & alapis cæſus, Crucifixus, ac mortuus, quidpiam debens, & obligatus nobis diſceſſit, cùm maiora pati debuiſſet, hæc ergò viciſſim compleo. Si quid defuit, quod ille pateretur, ego, inquit, patior. Chriſtus enim alapis cæſus, ac illuſus, flagellatus, ac crucifixus pro nobis, non ſimplici modo omnia compleuit, ſed ſuprà mentem quoque; & ſermone non inueſtigabili, expleuit. Omnes itaque debitores conſtituti ſumus, ob innumeras illas, & mundum ſaluantes afflictiones, ut ipſi etiam toleremus, viciſſimque ſuſtineamus afflictiones, ac calamitates pro Chriſto, & corpore ipſius, ut viciſſim compleamus, quæ paſſus eſt Chriſtus pro nobis. Atqui viciſſim ipſa complere, ideſt, æquè, ac ſimili modo pati, ità, ut nihil prætermittatur, omnino impoſſibile eſt: nam quæcumque paſſi fuerimus, deerit adhuc aliquid ad Chriſti afflictiones; Quo igitur modo viciſſim compleri poterit, quod Dominus pro ſeruo paſſus eſt, per hoc, quod ſeruus patiatur pro Domino? neque enim hoc æquale erit, aut ſimile, quin potius longo adhuc aberit interuallo. Verùm enim per hoc, quod ij, qui peccatis ſunt obnoxij, aliquid tolerant pro eo, qui de ipſis benemeritus eſt, nec peccare poteſt, æquale ei redditur, quod eſt, impeccabilem tanta ſuſtinuiſſe pro peccatoribus, & ijs, qui ipſum offenderant? aliaque ſunt innumera, quæ differentiam oſtendant. Idcircò quæcumque paſſus fuerit quiſpiam viciſſim complere volens; defectum ab afflictionibus Chriſti viciſſim compleat. Quapropter Beatus quoque Paulus, qui pro Chriſto, plusquam cæteri omnes, decurrerat, qui in dies pericula ſuſtinebat innumera, hoc faciens, ac docens dicebat, pro corpore ipſius, cum ſuperius dixerit. Pro vobis patior; nunc idem firmius, ac credibilius dicit. Siquidem, ne vos, inquit, increduli ſitis, quod ego pro Vobis pati ſuſtineo; nam pro Vobis patiens, pro corpore Dei mei patior. Corpus enim ipſius Eccleſia eſt, cuius dignatus eſt, eſſe Caput; Vos autem pars eſtis vniuerſalis Eccleſiæ.* Hæc Oecumenius.

Hinc igitur conflatur Theſaurus meritorum in Eccleſia; Hinc effluunt Indulgentiæ; Hinc ampliſſimi Iubilæi emanant; Quemadmodum enim paſſio Chriſti ſuffragatur Eccleſiæ, hoc eſt, membris Chriſti; ità membra Chriſti, ideſt, fideles, ſibi mutuis operibus inuicem ſuffragantur; dum ſatisfactio vnius, alteri ſubſidio eſt.

Theodoret. Nec hoc loco diſſimulandum eſt, Theodoretum aliter hunc locum Pauli interpretari. Accipit enim illa verba Apoſtoli de Preſſuris, quas ille pertulit ob Euangelij prędicationem, quaſque de cętetò ſufferre debebat, ut reſiduum Orbis, verbi Dei Euangelizatione, repleret; ſed diſtorta Interpretatio eſt, ut intuenti patet.

Sedul. Chryſoſt. Theophilact. Ambroſ. Sedvlivs, Chryſoſtomus, Theophylactus, & Ambroſius interpretantur non de Paulo in ſe, ſed de Chriſto in Paulo, eiuſque paſſione, quaſi Chriſtus huсuſque iniurias patiatur pro nobis; & aſſerunt ità loqui Paulum, ut oſtendat Chriſtum, etiam nunc periclitantem pro Eccleſia, atque ea ipſum uti phraſi, ut faciliùs Coloſſenſes in Chriſtum crederent. Sed hęc violenta quoque expoſitio eſt, ab illiſque excogitata, nè paſſiones Pauli, Paſſionibus Chriſti ęquari viderentur, & Paulum nòn ex arrogantia, ut Chryſoſtomus ait; ſed ex magno amore ergà Chriſtum loqui, oſtenderent. Alij exponunt de afflictionibus, & tribulationibus, quas vnuſquiſque pati debet, cùm membrum Chriſti ſit, iuxtà illud eiuſdem Pauli 1.

1.Thim.3. ad Thimothęum tertio, *Omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto Iesv, perſecutiones patiuntur*. Verùm quis non videt, Paulum loqui de pœnis, quas gloriabatur ſe perpeti; non ſolùm, ut membrum Eccleſię eſſet; ſed ut alijs quoque prodeſſet? ſubiungit enim illa apertiſſima verba, *pro Corpore eius, quod eſt Eccleſia*, eſt enim id Eccleſię theſaurizare.

Burlingerus Hereticus, ut refert Catharinus, in eumdem locum Pauli, arbitratus eſt, legendum eſſe, *Suppleo, quæ ſuperant, non quæ deſunt afflictionibus Chriſti* propter verbum grecum, ὑστερήματα; quo uſus eſt Apoſtolus, quod non modò ea, quę deſunt, ſed etiam, quę poſteriùs relicta ſunt, ſignificat; Id autem, quod Chriſtus reliquit, fuit exemplum, teſte Petro, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Non igitur ſatisfactiones ſupplebat Apoſtolus, quod eſſet in contumeliam abſolutę ſatisfactionis Chriſti, ſed eius imitationem. Hęc ille. At viriſte indocta falſitate, & fallaci fuco hereticam doctrinam depingit. An non dicit Apoſtolus ſe ſupplere? Quid autem ſuppletur? Quod ſuperabundat, an quod deeſt? Immò verbum illud grecum ſignificat, quod poſteriùs relinquitur, quia hoc poſterius deeſt priori; & ſuppletur, quod non eſt; ſed poſterius uenturum eſt, *exemplum*, inquit, *quod reliquit Dominus, ſupplebat Paulus, non ſatisfactionem Chriſti*; Cur hoc negat? *Quia*, ait, *cederet in iniuriam Chriſti*; At ſi Paulus ſupplet exemplum, non ne eadem iniuria fiet abſolutiſſimo exemplo? ſi datus eſt Chriſtus nobis in exemplum, quid oportet adiungi Paulum? Immò Paulum ipſum ſe oſtentare exemplum? Numquid fortè exemplum illius imminutum fuit? Abſit. Quemadmodum igitur (rectè concludit Catharinus) non obſtitit perfectiſſimò capitis exemplo, ſi, & alij eius imitatores, alijs ſe præbuerint in exemplum; Ità perfectiſſimis eius meritis, & ſatisfactioni non derogant, quicumque in aliorum vtilitatem, & profectum ſua merita, & ſatisfactiones afferunt. Vt enim hoc illi poſſent, ipſe Chriſtus meruit, & vt efficerent, ipſe voluit, dedit, atque eoſdem adiuuit. Adimplebat itaque Paulus ea, quæ deerant paſſionum Chriſti, ut coniunctio ipſius Chriſti cum afflictionibus noſtris ſignificetur, & impleatur; ſicut enim, (inquit Caietanus in hunc locum) ex Chriſto, & nobis integratur unum corpus; ità ex paſſione Chriſti, & ex paſſionibus noſtris, (quæ tamen ex Chriſto Capite vim habent) integratur vna paſſio: Nam quemadmodum definiuit Chriſtus certum membrorum ſuorum numerum, certamque magnitudinem; ac multitudinem meritorum, ita definiuit determinatum numerum paſſionum iniungendarum paſſioni ſuæ, & quantùm in carne Pauli, quantum in carne Petri, quantum in carne Laurentij adijciendum eſt afflictionum, prædefinitum eſt. Et propterea Paulus dicit, quòd ipſe adimplet ea, quæ in carne ſua deſunt paſſionum Chriſti, pro Corpore eius, quod eſt Eccleſia, ideſt per afflictiones, & fructuoſos labores, adiectos paſſioni Chriſti, copioſum illum Theſaurum redemptionis augebat, vt indè poſteà indigentijs membrorum miſtici corporis ſubſidium præberetur, vt ſic, qui propria virtute deficerent, peccatorum cruciatus, & tormenta, alienis ſatisfactionibus redimerent.

Inepta Burlingeri expoſitio ex Catharino.

Catharinus.

Caietanus.

CAPVT XXV.

Teſtimonijs Sanctorum idem probatur.

SED iam Teſtimonijs Sanctorum veritatem Theſauri Eccleſiaſtici, demonſtremus; atque ſingulariſſimo, & vetuſtiſſimo vnius Cypriani teſtimonio res fiet certiſſima. Vt magnoperè mirer, Medinam ſæpè in opere ſuo de Indulgentijs, & præſertim in diſputatione 8. dicere, Theſauri ſpiritualis uſum, à ſecundo ſæculo inchoaſſe. Cùm in D. Cypriano, qui inter Scriptores primi ſæculi, nemine contradicente, enumeratur, (ſcripſit enim ante annos 1300.) nil frequentius, nil crebrius, nil clarius legatur, quàm Martyrum, ac Confeſſorum ſatisfactiones, merita, & labores, lapſis (Præpoſiti tamen auctoritate, ideſt Epiſcopi) donari, & applicari, ut manifeſtè colligitur ex eodem in Epiſtola 10. 11. 12., & 14. ſecundum editionem Pamelij. An non in primo ſæculo iuxtà Catholicam veritatem, quæ ſemper vna, & eadem prædica-

D. Cyprian.
Medina.

tur, ſemper vnus pro alio potuit ſatisfacere? ſic Chriſtus, Eccleſia, eiuſque Doctores perpetuò docuerunt. At nunc verba ipſa Cypriani, ad maiorem huius ueritatis declarationem, deſcribamus. In lib. 3. Epiſtola 18. quæ apud Pamelium eſt 14. hæc habet verba. *Deſideraſtis in hac re formam à me vobis dari, ſatis plenè ſcripſiſſe me ad hanc rem proximis literis ad vos factis, credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo ceperint, exomologeſi facta, & manu eius à vobis in Pœnitentiam impoſita, cùm pace à Martyribus ſibi promiſſa, ad Dominum remittantur.*

Et eodem lib. Epiſtola 17. quæ apud Pamelium eſt 13. ità habet. *Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbiterum quemcumque præſentem, uel ſi Presbiter repertus non fuerit, & urgere exitus ceperit, apud Diaconum quoque exomologeſin facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in Pœnitentiam impoſita, ueniant ad Dominum cùm pace, quam dari Martyres, literis ad nos factis, deſiderauerunt.*

Et in Epiſtola 16. in eodem libro, quę apud Pamelium eſt 12. *Fecerunt ad nos de quibuſdam* (loquitur de lapſis reuertentibus) *Beati Martyres literas, petentes examinari deſideria ſua.* Et infrà. *Beatorum Martyrum literas, & deſideria examinare poſſimus.* In his literis petebant Martyres à Præpoſitis, ideſt, ab Epiſcopis, ut communicatis ſuis ſatisfactionibus, Pax daretur lapſis, ut ſuperiùs dictum eſt; Examinandum uerò erat crimen lapſi, an maius, an minus fuiſſet, an iuſto tempore Pœnitentiam egiſſet, an exomologeſis perfecta fuerit, an manus ab Epiſcopo, & Clero in Pœnitentiam impoſita fuiſſet, & ſimilia, ut lib. 3. Epiſt. 15. vbi dicit; inſpiciendum eſſe, actum, & opera, & merita ſingulorum, quod idem repetit in Epiſtola 14. eiuſdem libri, quæ apud Pamelium eſt 10.

Et eodem lib. 3. Epiſt. 13. quæ eſt 11. apud Pamelium, in illis uerbis, *Et conſiderantes quæ, & qualia anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicitè, & cautè, petentium deſideria ponderetis.* Et poſt pauca; *Nè ſiquid abruptè, & indignè à vobis promiſſum, uel à Nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos, Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.*

Medina. Medina citat Epiſtolam Cypriani ad Antonianum, & Epiſtolam 2. lib. 1. in quibus, & ſi ex Eccleſiaſtica poteſtate, pacem dandam lapſis Cyprianus dicat, nequaquam tamen, ex publico Eccleſiaſtico Theſauro, huiuſmodi pœnarum condonationes fieri negat, ut malè ipſe Medina deducit, ſed Præpoſitorum auctoritate, id debere fieri docet. Vndè Theſaurum, ideſt, cumulum meritorum applicandum Cyprianus in illis locis ſupponit. Quid, quod etiam ante tempora Cypriani, hunc ritum communicandi, & concedendi Martyrum auxilia, & opera ad pacem, & Indulgentiam dandam, uel ad laxandam Pœnitentiam, (ut verbo Cypriani utar lib. 4. Epiſt. 2.) in Eccleſia Dei fuiſſe, apertè ſcribit idem Cyprianus, tùm alibi, tùm eodem lib. 3. in citata Epiſt. 13.

Hinc eſt, quòd idem Cyprianus lib. 2. Epiſt. 4. ad Moyſen, & Maximum Preſbiteros, aptiſſima ſimilitudine Carcerem, in quo Martyres coniecti erant, horreo, in quo triticum aſſeruatur, comparauerit; ſicut enim ex horreo frumentum, & tritici grana, iam benè purgata, uarijſque agitationibus expolita, & excepta, in aliorum commodum, & utilitatem extrahuntur; ſic ex laboribus, & pœnis Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum, in carcere detruſorum, præcioſiſſimæ ſatisfactiones, ad fidelium utilitatem, efferuntur; Aurea eius verba ſunt hæc *Aeſtas ecce meſſium fertilitate fæcunda eſt, & area frugibus plena eſt. Sed vos, qui gloriam ſeminaſtis, frugem gloriæ metitis, atque in Dominum area conſtituti, exuri paleas inextinguibili igne conſpicitis, ipſi, ut tritici grana purgata, & frumenta præcioſa iam purgati, & conditi, hoſpitium carceris, horreum computatis.* Hæc Cyprianus, cuius integra ſententia inferiùs recitanda eſt.

Simile.

Tertullian. TERTVLLIANVS in libro de Reſur. Carnis; ſeras, & aridas eſcas, & reliquam corporis afflictionem Sanctorum virorum, ſacrificia eſſe Deo grata, ſcribit.

Vndè,

Vndè, & ſua, & aliena peccata, quantum ad pœnam expiare poſſunt.

D. Gregorius Nazianzenus, qui floruit ante annum 1100. in oratione in laudem Sancti Cypriani Martyris Antiocheni, eam ob rem uocat Martyres his nominibus. *Sunt*, inquit, *holocauſta ratione prædita, victimæ perfectæ, oblationes Deo grata, & accepta, veritatis præconia, mendacij proſciſſiones, legis, quæ ſpirituali modo intelligitur, expletio, erroris oppreſſio, vitij inſectatio, peccati diluuium, mundi illuſtratio.* Cur, vt etiam Medina, contra ſe ipſum tamen, ponderauit, mundi illuſtratio, & diluuium peccati Martyres? An quia Martyrum merita, uirtute Charitatis, & communis Eccleſiaſticæ ſocietatis nobis adiuncta, ad peccatorum expurgationem, quaſi quædam humana ſacrificia deſeruiunt? Sed de Sanctorum, & Chriſti operibus in hoc ærario ſpirituali reconditis, plura dicere erit ſequentis diſputationis.

Nazianzen.

CAPVT XXVI.

Rationibus ex ſtatu Eccleſiæ, & natura bonorum operum deductis, idem aſſeritur.

IAm Rationibvs demonſtrandum eſt, Eccleſiam hoc Theſauro non carere, tam ex parte Eccleſiæ, quàm ex parte, & natura bonorum operum.

Ex parte quidem Eccleſiæ, quoniam, cum ſit illa Regnum Chriſti, (ſic enim Matthæi 13. & 18. & Lucæ 1. & 19. appellatur) vtique ærario ſpirituali carere non debet. Omnis enim Reſpublica, ritè, & optimè inſtituta, congeſtam aliquam ſummam pecuniæ habet, certo loco repoſitam, vt communibus neceſſitatibus, egenorumque indigentijs ſuccurratur; Nec aliter regi, conſeruari, & tueri poſſet, vt experientia notum eſt. Ità Eccleſia Chriſti, quæ omnem mundi principatum, & monarchiam ſuperat, diuinaque diſpoſitione, non humano ingenio, ordinata perſiſtit, non terrenas, ſed cœleſtes habet opes in gazophylacio ſpirituali repoſitas, ad onera eorum ſubleuanda, qui ære alieno ſunt aſtricti. Opes iſtæ ſunt merita ſupererogationis, & ſuperexcedentia, vt dicunt, Chriſti, & Sanctorum, quemadmodum declarat D. Auguſtinus ſuper Pſalmum 31. *Seruatum eſt meritũ; factus eſt Theſaurus tuus, meritum tuum;* quem Theſaurum deſignabãt opes Booz, & diuitiæ Ioſaphat, & Theſauri Ezechiæ, vt Ruth. 2. & 2. Paralip. 17. & 32. & Eſaiæ 39. & Ieremiæ 10. Huius quoque rei figuram geſſit Ioſeph Geneſis 45. Poſſidebat enim hic omnes Ægypti diuitias, eaſque in commodum, & vtilitatem fratrum ſuorum, qui eò acceſſerant, erogauit, ſingulis binas ſtolas proferens; Beniamin uerò dedit trecentos argenteos, cùm quinque ſtolis optimis; tantumdem pecuniæ, & veſtium miſit Patri ſuo, addens eis aſinos decem, qui ſubueherent ex omnibus diuitijs Ægypti, & totidem aſinas, triticum in itinere, paneſque portantes; Ità Chriſtus, ipſiuſque Vicarius, diuitias cœleſtium donorum, & iuſtorum operum, quæ ſunt in Eccleſia, fidelibus, & præcipuè ijs, qui in anno Sacro Iubilæi, Romam accedunt, per Sacras Indulgentias, quaſi per diuitias Ægypti, diſtribuunt. Has quoque opes deſignabant diuitiæ Aſſueri, vt legitur Eſther primo. Qui ad eum finem *fecit conuiuium cunctis Principibus, & Pueris ſuis; fortiſſimis Perſarum, & Medorum Inclitis, & Præfectis Prouinciarum coram ſe, vt oſtenderet diuitias gloriæ Regni ſui, & magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicèt, & octuaginta diebus.* Sic Eccleſia ad Dei gloriam, & animarum ſalutem Indulgentias, & Sacros Iubilæos, quaſi magna conuiuia proponit cunctis fidelibus, vt oſtendat præcioſiſſimas opes, & diuitias Regni ſui, magnitudinemque potentiæ remittendi pœnas peccatorum, quàm à Chriſto accepit.

Argumẽtum pro theſauro ex parte Eccleſiæ deductum.
Matth. 13. & 18.
Luc. 1. & 19.
D. Auguſt.
Ruth. 2.
2. Paralip. 17. & 32.
Iſai. 39.
Ierem. 10.
Geneſ. 45.
Eſther 1.

D. Thomas in Opuſculo 20. qui eſt de Regimine Principum lib. 2. cap. 7. utilitas affert

D. Thom.

tas affert rationes, ob quas artificiales diuitiæ, vt eſt aurum, & argentum, & alia metalla, & ex his conflata numiſmata, neceſſaria ſunt Regi, ad munimen regiminis ſui. Prima eſt ex parte Regis. Si enim quilibet homo, etiam infimus, indiget auro, vel argento, vel pecunia ad agenda negocia, & commutationes faciendas; (eſt enim numiſma omnium commutationum inſtrumentum, & ut inquit Philoſophus in 5. Ethicorum, quaſi fideiuſſor futuræ neceſſitatis, cum prætium omnium rerum contineat) ergò multò magis Princeps, cuius ſtatus ex ſui natura, eſt ſubditis communicatiuus, quòd ſine proprio inſtrumento, quod eſt pecunia, effici non poteſt, ſicut nec faber operari ſine malleo. Præterea quoniam Regi competit, uirtutem magnificentiæ, in magnos ſumptus exercere, vt dictum eſt de Aſſuero, qui 127. Prouincijs apud Orientem imperans, in conuiuio, quod fecit Principibus ſui Regni, curauit miniſtrari *in vaſis aureis, vinum, & cibos, ut magnificentia Regia dignum erat*.

Rationes ex D. Thoma, cur theſaurus pecuniarũ ſit Regibus neceſſarius. Ariſtoteles.

Secunda ratio eſt ex parte ſubditorum, cum Princeps debeat, & ſuæ familiæ, & Populo ſibi ſubiecto, in neceſſitatibus prouidere. Habet enim ſe Rex, ut inquit Philoſophus 8. Ethicorum, ad Populum, ſicut Paſtor ad Oues, & Pater ad filios. Sic Pharao de publico ærario, ingruente fame per totam Ægyptum, frumentum emit, populiſque ſecundum prudentiam Ioſeph diſtribuit, ne fame perirent. Romana quoque Reſpublica, (Teſte Catone) vt refert Salluſtius, vigente publico ærario, magna habuit incrementa; eo verò deficiente, ad nihilum redacta fuit. Præterea ſicut accidit in corpore humano, in quo ex ſtomacho, vbi cibus recipitur, ad cætera membra alimentum diffunditur; ità ex ærario Regis, pecuniarum Theſauro referto, neceſſitatibus Regni, & ſubditorum, ſubueniri debet. Sicut enim Reſpublica humano corpori aſſimilatur, vt ait Philoſophus, ità ærarium ſtomacho. Deindè maximè detraheretur Regiæ dignitati, ſi à ſubditis Princeps mutuum reciperet, præſertim pro expenſis Regis, vel Regni, quod ſi aliquando fieri contingat, indebitæ exactiones, per ſubditos, vel quoſcumque alios, ab ipſis Dominis faciliùs permittuntur, preterquàm quòd, cùm mutuantis ea natura ſit, vt difficile mutuum reddat, ſubditus mutuatarius offenſus, inimicitias, & odia in Regem conciperet, & inter cæteros conciues foueret.

Ariſtoteles. Cato. Salluſtius.

Tertia ratio eſt, quoniam Principi, vel Reipublicæ, neceſſariò incumbit ad defenſionem perſonæ, & ſtatus, militiam paratam, & extructam habere, præſidiaque, reſarcire, vel etiam noua cōſtruere, ne hoſtes inuadant terminos ſui Regni, quod ſine ærario, & auri, & argenti copia effici nequit. Vndè Holofernes Princeps Nabuchodonoſor, quando inuaſit Regiones Syriæ, & Ciliciæ, cum exercitu magno, tulit auri, & argenti magnam copiam ex Domo Regis: & Salomon inter actus regalis magnificentiæ enumerat, ſibi coaceruaſſe aurum, & argentum, ſubſtantiamque Regum, ac Prouinciarum, vt patet 2. & 3. Regum.

2. & 3. Reg.

Ex his igitur cauſis liquet, Regi neceſſarias eſſe artificiales diuitias, ſeu Theſauros, non ad faſtum regalem, vel oſtentationem, (quod prohibetur à Domino in Deuteronomio per Moyſem) ſed ad conſeruationem ſui Regiminis.

Verum à Chriſto Domino, in Regno ſuo, quod eſt Eccleſia, proprium Theſaurum poſſideri, neceſſarium dicimus, non prima, uel tertia ratione. (eſt enim omnium ditiſſimus, dicente Dauid, *ſi eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim Orbis terræ, & plenitudo eius*) nec ut eius diuina Maieſtas magis reluceat, cum dicat Eſaias 6. cap. *Plena erat omnis terra maieſtate eius*. nec denique, ut Regnum ſuum ab inimicis defendat, cum apud Lucam cap. 11. dicatur, hoſtes ſuos ità deuictos, & expoliatos eſſe, vt è Regno omnino expulerit, eorumque arma diripuerit, & ſpolia diſtribuerit; ſed ea præcipuè ratione, quæ ſecundo loco poſita eſt, uidelicet, ut prouidè ſpiritualibus ſubditorum neceſſitatibus conſultum eſſet. Ex huius enim Theſauri apertione, egeni à debitis liberantur, captiui redimuntur, pauperes ditantur, denique ipſi diuites ditiores redduntur.

Cur ſpiritualis theſaurus ſit Eccleſiæ neceſſarius. Iſai. 6. Luc. 2.

Sed iam ex natura, & ratione bonorum operum, diuitias meritorum, in Eccleſia congeſtas, & reconditas eſſe, aperiamus. Hanc rationem tangit D. Thomas in 4. diſtin.

D. Thomas.

4.diſtin.20.quæſt.1.art.3.& Doctores ibidem, & Caietanus in quodlib.2.tract. 27.quæſt.1.& Alij. Caietanus.

Negari non poteſt, aliqua Iuſtorum opera, ſimul, & meritoria eſſe, & ſatisfactoria, bona item, atque etiam pœnalia, uimque non ſolùm impetrandi, ac promouendi ad bonum; ſed etiam affligendi, & uindictam in carnem exercendi, habere, ut Ieiunia, Peregrinationes, flagella, eleemoſinæ, humi cubationes, carceres, martyria, & id genus alia. (An autem per quodcumque opus bonum, etiam non pœnale, ſatisfieri poſſit, ut Scotus diſtin.15.quæſt.1.art.3. & Gabriel diſtin. 16. quæſt.2. & Sotus in 4.diſtin.19.quæſt.2.art.1.paulò poſt diſputabitur.) Sed huiuſmodi opera, in quantum uirtutem ſatisfactiuam habent, ſæpè operanti non ſunt neceſſaria. Multi enim ſunt uiri Sanctiſſimi, qui pro leuiſſimis peccatis, grauiſſimam egerunt pœnitentiam. Alij, qui nullo commiſſo crimine, cruciatus, & dolores intimos perpeſſi ſunt, ut Beata Virgo, quæ, etſi omni peccato caruerit, tamen iuxtà Crucem multa perpeſſa eſt. Alij in Eremo longam uitam degentes, cōtinuis ieiunijs, & macerationibus, ſuprà condignum, ſpontè ab ipſis ſuſceptis, caſtigabant corpus ſuum. Dicendum eſt ergò, huiuſmodi opera, in quantum ſunt ſatisfactoria, uel alijs communicari poſſe, uel tamquam inutilia, & infructuoſa, ſine premio, & remuneratione permanere. Atqui hoc poſtremum concedere, hoc eſt arida, & infructuoſa remanere, eſt contra diuinam Iuſtitiam, quę ut peccatum non ſinit impunitum, ità nec bonum irremuneratum; ergò neceſſariò fatendum, eſt, ad aliorum commodum, & utilitatem relicta eſſe, uidelicèt, ut repoſita in Eccleſiaſtico Theſauro, aliorum indigentię, ſummi diſpenſatoris auctoritate, ſubueniren. Ex natura bonorum operū probatur theſaurus in Eccleſia. Scotus. Gabriel. Sotus.

DVRANDVS huic ſolidæ rationi, eam affert reſponſionem, quòd hęc opera, inquantum ſatisfactoria, accidentali pręmio à Deo remunerantur. At contrà, quoniam ſic etiam Chriſti opera, quæ perſonale, eſſentiale, & accidentale premium acceperunt, è Theſauro pellerentur, atque etiam, ut optimè dixit in hoc Medina in diſput.8.cap.45. Quoniam ratio pręmij, ſiuè eſſentialis, ſiuè accidentalis, non reſpondet operi ſecundùm ſatisfactiuam rationem; ſed ſecundum meritoriam. Vndè, cùm ſatisfactiua ratio ſit omninò diſtincta à meritoria, niſi propria peccata ſint diluenda, utique ocioſa, & inanis ſemper erit, niſi alteri communicetur. Nec dicendum eſt, id per accidens fieri, ſeu per accidens, ſatisfactoria opera carere ſuo effectu, ratione ſubiecti, ſeu materię, quę ſatisfactione non egeat. Nam ut rectè inquit Cordubenſis lib.5.quęſt.5.de Indulgentijs, id non per accidens, ſed per ſe eſſet, cum ſuaptè natura, omnia ſatisfactoria ſupererogationis opera eſſent infructuoſa; quia ſcilicèt, nec in ipſis operantibus, nec in alijs ſuum effectum habere poſſent, inquantum ſatisfactoria. Durandus. Medina. Cordubenſis.

CAPVT XXVII.

Quod ſine Theſauro Eccleſiaſtico nulla Indulgentia, vel Iubileus conferri poſſit.

SED Iam ſecunda veritas primæ propoſitionis, quæ habet, ad efficaciam Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum, huiuſmodi Theſaurum ſimpliciter neceſſarium eſſe, demonſtranda eſt. Huic veritati aduerſatur, nedum Mayronus, ſed etiam, ut diximus, Medina diſput.7.& 8. qui acerrimè Mayronem defendens, contendit omnibus neruis probare, Indulgentias, ſola Clauium poteſtate, abſque ullo Theſauro, concedi poſſe; aſtruitque in primo ſæculo, illius vſum vllum non fuiſſe; ſed vtrumque allucinari, & demonſtratum eſt, & demonſtrabimus. Mayronius. Medina.

ANTE iſtos fuerunt nonnulli, vt refert Mayronus in 4. diſtin. 20. quæſt.1. qui putarunt, Mayronus.

putarunt, Indulgentias non alio modo, quàm per viam orationis concedi. Dicebant enim, Beatos, qui ſunt in cœlo, viuis, aut defunctis pœnarum remiſſiones ſuis precibus impetrare; cuius rei indicium facere volebant verba illa, quæ in Bullis Pontificum apponuntur; *De Benignitate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli confiſi damus decem annos Indulgentiarum, &c.* Quaſi his verbis, patrocinium dumtaxat Petri, & Pauli, ad diluendas eas pœnas expectetur. Vndè etiam Pontifex, dum Indulgentias concedit, præmittit. *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, &c.*

Henricus de Gandauo.

ALII quoque fuerunt, ut refert Henricus de Gandauo, Quodlib. 15. quæſt. 2. qui putarunt, Indulgentias quantitatem ſuam, menſuram, atque virtutem ab opere, & labore, qui ad Indulgentiam conſequendam adhibetur, ſuſcipere. Sed aduerſus hos nobis nunc non eſt colluctatio, cùm potiùs ad errorem, quàm ad opinionem uergant. Vtrique enim à Clauium poteſtate Petro tradita, ius conferendi Indulgentias excludunt. Cùm illi in ſola impetratione Sanctorum illud conſtituant; Hi verò tantummodò in actione merentis. Quocircà, & hos, & illos dimittentes, aduerſus Mayronis, & Medinæ ſententiam inſurgamus, ualidiſſimiſque rationibus probemus, efficaciam Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum, neceſſariò ex Theſauro Eccleſiaſtico eſſe promendam.

Rationes cur efficacia, & valor Indulgentiarum ex theſauro Eccleſiæ pédeat. Ad Rom. 3. 1. Cor. 2. Ad Hæbr. 9. 1. Ioan. 2. Luc. 19. Acto. 4.

PRIMO, Remiſſio pœnæ, quæ acquiritur per Indulgentias, fit uirtute meritorum paſſionis Chriſti, & Sanctorum. Igitur omnis virtus Indulgentiarum ex Theſauro pendet. Antecedens probatur; Cùm enim Chriſtus ſit vniuerſalis Redemptor, iuxtà illud Pauli ad Romanos 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, &c.* Et 1. Corinth. 2. *Qui dedit ſemetipſum Redemptionem pro nobis.* Et ad Hæbræos 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et 1. Ioannis 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam totius mundi:* Et Lucæ 19. *In redemptionem pro multis*, ſcilicèt, quoad efficaciam. Et deniquè omiſſis alijs, iuxtà illud Actorum 4. *Non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oportet nos ſaluos fieri*, conſequitur, ut cùm remiſſio pœnæ peccatorum ad uirtutem, & meritum redemptionis ſpectet, nullam fieri remiſſionem culpæ, aut pœnæ, tàm in Sacramento, quàm extrà, niſi virtute paſſionis Chriſti.

SECVNDA ratio, quæ non noua eſt, ſed explicatio præcedentis. Hæc remiſſio pœnæ eſt effectus paſſionis Chriſti, cùm pertineat ad remiſſionem peccatorum, ergò ex virtute paſſionis Chriſti efficacitatem habet: Cuicumque enim remittitur peccatum, ut dictum eſt, ſiuè quoad culpam, ſiuè quoad pœnam, ex virtute paſſionis Chriſti remittitur. Eſt hæc ratio Caietani in Opuſculis tomo 2. tract. 8. quæſt. 1. & Soti in quarto diſtin 21. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 2. Vegæ lib. 4. in Concil. Triden. cap. 6., & lib. 7. cap. 7. & lib. 15. cap. 10. Suarez 3. par. quæſt. 1. artic. 2. diſput. 4. ſectione, 4. & quæſt. 19. attic. 3. diſp. 39. ſectione, 3. tomo primo. Addit Caietanus, quòd in remiſſione Indulgentiarum, ſicut in cæteris vijs Domini, eſt reperire miſericordiam, & iuſtitiam; Miſericordiam quidem, cùm Chriſtus miſeriam peccatorum, ut ſuam propriam reputet; Iuſtitiam uerò; quoniam meritum, ac paſſio Chriſti ità peccatori communicatur, ac ſi ipſe peccator debitum Deo ſoluat de ſuo, non per ſe ipſum, ſed per Chriſti communicationem acquiſito. Et quamuis Paſſio Chriſti fuerit infinita, quoad ſufficientiam pro deletione pœnæ, vel culpæ; applicatur tamen finito, & limitato modo in Sacramentis, & extrà Sacramenta. Vndè fit, vt remiſſa ſæpè parte pœnæ in Sacramento, remaneat quoque altera pars extrà Sacramentum dimittenda, per paſſionem tamen, & Theſaurum meritorum Chriſti.

Caietanus. Sotus. Vega. Suarez.

TERTIA ratio. Pœna temporalis pro peccatis actualibus poſt Contritionem, & Confeſſionem debita, non ſpectat ad forum extrinſecum Eccleſiæ; ſed ad forum pœnitentiale, cùm ſit eiuſdem rationis cùm alijs ſuis partibus, uidelicèt cùm culpæ, & æternæ pœnę reatu; ergò ſicut illæ cęteræ partes, ex uirtute Clauium, quę paſſionem Chriſti applicant, remittuntur; ità, & remiſſio illius pœnę ex Paſ-

ſione

ſione Chriſti emanabit; & cum non fiat per applicationem Sacramenti, vt ſuppo nitur, neceſſariò dicendum eſt, fieri per applicationem Theſauri. Adde quod ſi Paſſio Chriſti liberat à maiori debito pœnæ, nempè æternæ; & à maiori culpa, nimirum, mortali; utique liberabit à minori debito, quale eſt, pœna temporalis, & à veniali peccato. Et cùm id fieri queat ſine infuſione nouæ gratiæ, utique extrà Sacramentum per paſſionem tamen Chriſti, huiuſmodi liberatio fieri poterit.

Existimavit Mayronus, Papam ea poteſtate, qua Princeps eſt, & qua in Vniuerſam Rempublicam Chriſtianam; ſecundum externam politiam dominatur, remittere pœnarum debita per Indulgentias, ſicut Princeps ex iure ſui Regiminis, debita peccatoribus in ſua Politia remittere poteſt. Sed errat, ut optimè annotauit Caietanus loco citato. Papa enim, licèt ſit quaſi Princeps in foro Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis exterioris, cum ſit ſolutus, vt Princeps, ab omni pœna, & lege Eccleſiaſtica; in foro tamen pœnitentiali habet poteſtatem à Chriſto, non tamquam Princeps; ſed tamquam miniſter; idèſt non habet arbitrariam, & liberam poteſtatem; ſed ſecundum id, quod Chriſtus per Clauium poteſtatem illi determinauit. Vndè nec poteſt remittere pœnam extrà Sacramentum, niſi ex vi Clauium, applicando Theſaurum paſſionis Chriſti. Error Mayronii. Caietanus.

Qvarto, ſi Princeps non poteſt remittere cauſſam debiti, nec ipſum debitum remittere poterit; ſed ſic eſt, quod Summus Eccleſiæ Præpoſitus non poteſt, niſi per Paſſionem Chriſti, remittere cauſam debiti, id eſt, peccatum. (Papa enim non poteſt, etiam veniale peccatum, remittere ſine contritione, vel Sacramento, uel Sacramentalibus) ergò nec poterit remittere pœnam ex peccato debitam, abſque applicatione Paſſionis Chriſti.

Qvinta ratio, (& eſt Argumentum contrà Mayronem, & Medinam qui in ſola, & nuda poteſtate conceſſa Petro per illa uerba, *Quodcumque ſolueris, &c.* putàt, Papam ſolo iuſſu, nutu, & uoluntate, pœnas remittere poſſe, non diſcernentes modum potentiæ, à Chriſto Domino inſtitutum, per quem in talem actum deuenit.) Aliud eſt enim (ut optimè inquit Caietanus) Papam poſſe remittere huiuſmodi pœnas, quod ueriſſimum eſt, ut teſtatur uerbum Chriſti. *Quodcumque ſolueris.* Et aliud eſt, poſſe huiuſmodi pœnas remittere tali modo; putà, ſolo iuſſu, uel nutu. Verùm enim eſt, quod poteſt hoc, alio modo; putà, per Eccleſiaſtici Theſauri diſpenſationem, quemadmodum Sacerdotes, quamuis habeant poteſtatem remittendi peccata, non ſequitur, quòd, ſolo iuſſu, uel imperio id poſſint efficere; ſed miniſtrando Sacramentum pœnitentiæ. Sic quoque Summus Pontifex poteſt quidem ſoluere quodcumque ſuper terram; ſed diuerſimodè, exteriora quidem, ſolo iuſſu, & imperio, per leges, & edicta. Interiora uerò, peccata ſcilicet, & eorum pœnas, in foro Dei, non niſi mediante Sacramento, quoad culpas, uel diſpenſatione Theſauri, quoad præfatas pœnas. Fundamentum igitur Mayronis, quod in mera poteſtate Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſticis Clauibus abundantiſſimè reſideat poteſtas condonandi pœnas peccatorum abſque Sacramento, uel applicatione Theſauri; falſum eſt, ut ſentit D. Thomas in 4. diſtin. 20. quæſt. 3. D. Bonauentura eadem diſtin. par. 2. quæſt. 6. Paludanus in 4. diſtin. 20. quæſt. 4. & Riccardus diſtin. 20. quæſt. 2. & Abulenſis in cap. 16. Matthæi quæſt. 90. Quomodo Papa poſſit pœnas peccatorum remittere. D. Thomas. D. Bonauent. Paludan. Riccard. Abulen.

Fvervnt aliqui Canoniſtæ, qui dixerunt, Papam ſolo uerbo, poſſe aliquem creare ſacerdotem, nempè proferendo, *Eſto Sacerdos*; ità uoluit aliquando Felinus, & quid ſimile dixit, & ſupponit Scotus in 4. diſtin. 6. quæſt. 1. de Confirmatione, dum dicit, Papam abſentem poſſe conſecrare Epiſcopos ſolo uerbo. Papa non poteſt ſolùm verbo facere Sacerdotes contra Felinum, & Scotum.

Sed quantoperè à ueritate diſcrepent, omnibus, uel minimis Theologis notiſſimum eſt, cùm Chriſtus particularem modum conſtituendi Sacerdotes, per collationem Sacri Ordinis, in Eccleſia ſua inſtituerit.

Hæc enarrata argumenta probant, Indulgentias ex uirtute meritorum Chriſti, efficaciam habere; Quòd autem etiam fiant, uirtute meritorum, quæ Sancti Homines in Theſauro accumularunt, (quod in prima ratione tangebatur) mox demonſtrabitur.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Quòd bona opera ſolùm, vt ſatisfactoria ſunt, & ſuperabundant, compleant Theſaurum Eccleſiaſticum.

Theſaurus cõſtat ex operibus ſatisfactorijs ſuperabũdantibus.

CIRCA ſecundum, ex quibus videlicet ſpiritualibus diuitijs huiuſmodi ærarium cogatur, ſit ſecunda Propoſitio.

SECVNDA Propoſitio. Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum Theſaurus, componitur ex ſuperabundantibus ſatisfactionibus, quæ ab operibus ſatisfactorijs, vel ex meritis, prout ſatisfactoria ſunt, ſupererogatoriè emanarunt, & emanant in Eccleſia.

Caietanus. Cordub. Henriq.

Bona opera pœnalia quadruplicẽ virtutem habẽt.

Explicatur hæc propoſitio. Bona, & iuſta opera, ut rectè annotauit Caietanus tom. 2. tract. 8. quæſt. 2. & Cordubenſis, quæſt. 5., ac nouiſſimè Henriquez lib. 7. cap. 1. ſuæ ſummæ, & præcipuè pœnalia, vt Ieiunium, Peregrinatio, & ſimilia, quadruplicem habent virtutem, ſcilicèt, bonitatem conferendi, medendi, merendi, & ſatisfaciendi. Hæc enim quatuor hos effectus efficiunt; nam ea ratione, qua ipſum opus eſt bonum, & rectum, regulæque rationis conforme; reddit quoque ipſum operantem bonum, diſponitque illum ad alia bona opera: ea uerò, qua tale opus eſt, putà, Eleemoſina remedium, & medicinam affert contrà auaritiam; ſi ſit ieiunium, contrà concupiſcentiam, & ſimilia: ea autem ratione qua ex Charitate procedit, eſt gloriæ æternæ meritorium, iuxtà illud Matth. 6. *Glorificant Patrem, &c.* Lege D. Thomam 1. ſecundæ, quæſt. 21. artic. 4. & quæſt. 114. artic. 1. Soto de natura, & gratia lib. 3. cap. 7. Vegam lib. 8. in Conc. Tridentin. cap. 11. & 12. ſicut etiam ſi ex gratia non procedat, ſaltem laude, & gloria humana dignum erit, vt etiam D. Thom. eadem quæſt. 21. artic. 2. affirmat. Denique ex eo, quod eſt pœnale, & afflictiuum, eſt ſatisfactorium pro pœna temporali, debita pro peccato. Vt communiter Doct. in 4. diſt. 15., 17., & 19.

Matth. 6. D. Tho. Soto. Vega.

SECVNDO notandum eſt, inter hæc quatuor, & præcipuè inter meritum, & ſatisfactionem, multa diſcrimina eſſe.

Quæ ſint differentię inter meritũ, & ſatisfactionem. ad Thim. 4.

PRIMVM eſt in natura, & quiditate. Eſt enim meritum condigni, (de quo eſt ſermo,) actio, ob quam agens dignus eſt æterna gloria, adeò quòd ex Iuſtitia, ſtante lege, & promiſſione, ea illi debetur, iuxtà illud Apoſtoli ad Thimotheum 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ:* ſatisfactio verò, eſt voluntaria, & integra ſolutio pœnæ, quam debitor exoluendo, dicitur Iuſtitiæ ſatisfacere; adæquando enim ſolutionem debito, vtique plenè ſatisfacit. Cap. *ſatisfactio*, de Pœniten. diſt. 3. & eſt Auguſtini de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 54. lege D. Thomam in Add. quæſt. 12. art. 3. Soto diſ. 19. q. 1. artic. 1. Ledeſ. q. 11. art. 3. Nauarr. cap. 3. num. 1.

D Auguſt. D. Thom. Soto. Ledeſm. Nauarr.

SECVNDVM eſt, quantum ad effectum; nam meritum non deſeruit ex condigno, niſi operanti, cuius perſonam non excedit, dempto Chriſto, qui pro omnibus meruit; Habuit enim Chriſtus gratiam Capitalem, ſeu vniuerſalem; Cæteri verò particularem. Satisfactio verò alteri quoque deſeruire poteſt. Vndè eſt alijs communicabilis, & applicabilis. Cùm enim vnus pro alio debitum pœnale ſoluit, ſiuè temporale, ſiuè ſpirituale, verè pro illo ſatisfacit.

TERTIVM eſt, quòd meritum, quantum ad mercedem, & pręmium, plenè remuneratur in ipſis operantibus, cum illis ſolis proficuum fuerit; receperunt enim mercedem ſuam: ſatisfactio verò ſoluit primum debitum perſonale, ſi quod eſt; nimirum debitam pœnam pro peccatis, quę agens perpetrauit, diluit. Deinde, ſi pœnalitas operis ſuperexcedat debitum pœnę, remanet illud plus, in quo excedit, tamquàm ipſis operantibus ſuperfluum, & infructuoſum. Hoc eſt autem, quod dicitur à Doctoribus, remanere irremuneratum, vel ut rectiùs loquendum eſt, in illos non ſortitum eſſe effectum ſolutionis; quod non prouenit ex defectu

diuinę

diuinę largitatis, aut operis, aut ipſius operantis, ſed propter excellentiam ipſius perſonę, quę ſuperabundanter paſſa eſt voluntariè, vt optimè Caietanus eodem loco.

Caietanus.

Qvartvm eſt, quòd licèt vtrobique difficultas reperiatur; nihilominus, quæ in merito eſt ex obiecto prouenit, illudque auget, quæ verò in ſatisfactione eſt, reſpicit ſubiectum, cui moleſtiam affert, ut ait D. Thomas in 4. diſ. 15. q. 1. artic. 4. ad 1. & Medin. in Codice de ſatisfact. q. 4. Vndè ſicut illa non auget ſatisfactionem, præciſè loquendo, ſic nec iſta minuit meritum; cùm vtrumque ex diuerſa ratione eidem iuſto operi competat.

D. Thomas. Medina.

Qvintvm diſcrimen, quòd merito, ſeu operibus, ſecundum rationem meritoriam, non ſuccedunt Indulgentiæ, ut de ſe patet; nam ex ui Indulgentiæ præciſè, nec homo gradum gloriæ, uel gratiæ acquirit, nec per eas homo bonus fit, vel meretur; ſed pro opere pœnali, in quantum eſt ſatisfactorium, ſufficiuntur Indulgentiæ, per quas pœna, ex alienis ſatisfactionibus, ſoluitur, quæ per Pœnitentiam ex proprijs, in foro Dei ſoluenda erat.

Ex his ſic poſitis clariſſimum fit, Theſaurum Eccleſiaſticum conflari ex operibus, quatenus ſatisfactoria ſunt, quæ Sanctis ſuperabundant. Multa enim ſatiſfactoria opera ſuperabundant Sanctis, præter illud Chriſti infinitum pelagus ſatisfactionum, & paſſionum, (vt ſuo loco dicemus;) quæ in Dei acceptatione repoſita, Theſaurum Eccleſiaſticum componunt. ità definitum eſt in extraua. *Vnigenitus* à Clem. VI. de Pęnit. & Remiſ. & à Leone X. contra Lutherum, ut refert Caiet. 3. par. quæſt. 48. artic. 5. ad 3. Alexand. de Aleſ. 4. part. tit. de Indulg. memb. 3 artic. 1. Bonauen. Ricchar. Albertus, Carthuſian. in 4. diſ. 20. q. 4. & Sotus diſ. 21. q. 1. art. 5. Petrus de Soto tit. de Indulg. lect. 1. Cord. lib. 5. q. 5. & ſummiſtę verbo, Indul. Greg. de Valentia, & alij recentiores. Atque id ipſum Colligitur ex Patribus paulò ante citatis, & ex Origene, Homil. 10. & 24. in Numer. & D. Auguſtino in Pſal. 68. & 65. exponens illud, *Quæ deſunt membris*, & Pſalm. 61. habet hæc verba ſub obſcura; *In Canonem, ideſt portionem paſſionum inferimus, Paratoria plenaria*. Paratoria, ſignificat abacum, & ſibi vult Auguſtinus, quòd quiſque de ſatisfactione paſſionum ſuarum, quæ ſibi ſuperfuit, ponit in abacum, & Theſaurum Eccleſiæ, portionem.

Clem. VI. Leo X. Caiet. Alenſ. Bonauen. Ricchar. Alber. Carthuſ. Sotus. Pet. Soto. Cordub. Greg. Valen. Orig. Auguſt.

Vervm hic duo dubia ſuboriuntur.

Primum, An omnia bona opera merendi, & ſatisfaciendi vim habeant.

Secundum, An huiuſmodi opera ſatisfactoria remanſerint pro nobis, ſeu incommodum, & vtilitatem noſtram.

Qvoad Primum, Medina in diſput. 8. cap. 45. diſtinguit vniuerſa humana opera bona in ſeptem claſſes, quas ipſe factiones uocat, de quibus nullo pacto eadem ratione arbitrandum eſſe, iudicat. Primo loco ponit ea opera, quæ ante iuſtificationem, & antè Pœnitentiam, & animi conuerſionem fiunt, quæque à Theologis mortua appellantur: atque hæc nullam meriti, vel ſatisfactionis rationem habere ab omnibus recipitur.

Septem claſſes operum bonorum ex Medina.

Secvndo locō, ea opera ponit, quæ ante iuſtificationem quidem fiunt, non tamen ante animi conuerſionem, ſed ſimul cùm ipſa, qualia ſunt ea, quæ peccatores ad diuinam miſericordiam flectendam, in ipſo actu Pœnitentiæ adhibent, ut Cilicia, Cineres, Ieiunia, flagella, & reliquæ afflictiones animæ, & corporis; & his operibus negat ineſſe virtutem ſatisfaciendi, cùm Dei gratia non ſint ſuperueſtita, quę ſola Iuſtitiæ pondus, & valorem impertit, conceditque operibus huius generis, rationem dumtaxat meriti de congruo, cum deceat diuinam Miſericordiam, homini ſic petenti remiſſionem, & gratiam elargiri; cùm nec ipſe peccator per haſce corporis, & animę afflictiones, aliud intendat, quàm culpę abolitionem, & gratię conſequutionem: non pœnę remiſſionem; & hactenus benè. Verùm addit vnum Medina, quod meo iudicio, non eſt probandum; uidelicèt, nec animi Contritionem, nec uehementem conuerſionem, niſi ſubſequantur ipſam iuſtificationem, pœnam delere; & ſic intelligit dictum Theologorum, quod

perfecta Contritio omnem diſſoluat pœnam: Contritio, inquam, illa, quę poſt
animi ueram conuerſionem conſequitur; ſed certè Contritioni uehementi, & per
fectę, quę ipſam iuſtificationem aliquando concomitatur, non uideo, quomodo
totius pœnę expunctio neganda ſit; cùm pœnam ęternam, & partem tempora-
lis, ſi mediocris ſit, omnium conſenſu remittat; ſicut enim Deus in uno tempo-
ris momento iuſtificat; ſic interdum in eodem ſubitò illuminat mentem, fidem-
que, ſpem uenię, Dei dilectionē, aliaque motiua ad iuſtificationem tribuit, atque
efficaciter etiam mouendo uoluntatem, in eodem Contritionem perfectam
Henriq. concedit, ut doctè Henriquez lib. 4. cap. 21. §. 7. & ante illum, D. Thom. 1. 2. q.
D.Thomas. 23. artic. 3. ſi igitur fuerit uehementiſſima, etiam ſi concomitanter ad iuſtificatio-
nem ſe habeat, ideſt in eodem inſtanti fiat, uniuerſam pœnam remittere, neceſsè
eſt, quod tamen ille negat. Sanctus Thomas in 4. diſ. 15. quęſt. 1. artic. 2. id uide-
Ruard. Tap. tur aſſerere, quem ſequutus Ruardus Taperus in explicatione artic. 6. Louanien-
ſium, dixit; poſſe homines ſatisfacere Deo pro culpa, & pœna ęterna, per actus
quoſdam, qui ordine naturę ſequantur gratię gratum facientis infuſionem, &
pręcedant remiſsionem peccatorum.

Tertio enumerat genus eorum operum, quæ iuſtificationem quidem ſequun-
tur, verùm ad aliquid diuinitùs accipiendum diriguntur, videlicèt cùm quis, vt à
Deo donum ſapientiæ adipiſcatur, ſanctam peregrinationem init; ſic Moyſes,
inquit ille, dum legem acciperet, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ie
iunauit in Monte, & Dauid pro filij ex adulterio ſuſcepti vita, iam peccati ſui In-
2. Reg. 12. dulgentia potitus, ieiunat, & affligitur, vt 2. Reg. 12. ſic Eſther cum ancillis ieiu-
Eſther. 4. nauit, vt Dominus orationem eius, ad liberationem gentis Iudaicæ dirigeret Eſt-
Daniel 9. her 4. ſic Daniel poſuit faciem ſuam ad Dominum, & in ieiunijs, ſacco, & cinere,
Dominum pro reductione Populi in Hieruſalem, deprecatur, Daniel 9. ſic etiam
D.Thomas. legimus, D. Thomam ad diuinos ſenſus Scripturæ difficillimos explanandos, ſæ-
pè ieiunium adhibuiſſe, & id generis alia. His operibus, etſi Medina gratiæ valo-
rem non deneget, tamen omni ſatisfaciendi virtute illa denudat, cum eo ſolo ani
mo, & intentione ab auctoribus fiant, vt impetrationem eius, ob quam fiunt, rei,
ſortiantur. Itaque non virtutem ſatisfaciendi, ſed tantùm impetrandi, & prome-
rendi, habere contendit: ſicut, ſi Socrates centum deberet, & aliquid aliud à me
obtinere vellet, ea de cauſa, non autem ad debiti ſolutionem, mihi quinquaginta
offeret, profectò priori debito ſatisfeciſſe, nequaquam cenſeretur; ad contractum
enim non ſolùm rei valor; ſed animi applicatio quoque deſideratur. Verùm hæc
Limitatur doctrina Medinæ. Doctrina (meo Iudicio) aliqua limitatione indiget. Nam ea præcipuè opera ſatis-
factionis, quæ poſt ſe effectum in ipſo operante relinquunt; puta, ieiunium, quo
elapſo, manet carnis debilitatio; & eleemoſina, qua elargita, remanet ſubſtantiæ
D.Greg. diminutio; & oratio, quæ ſecundum D. Gregorium, non ſolùm eſt mentis eleua-
tio, ſed etiam carnis afflictio; non ſolùm merendi, ſi à gratia proficiſcantur; uel e-
tiam impetrandi, ſi ad hoc dirigantur; ſed etiam ſatisfaciendi virtutem habere, di
cendum eſt. Cùm nec id à tota intentione operantis excludatur, quamuis ob aliũ
principaliorem finem, ab operante aſſumantur. Quo etiam nomine, ſi in ſatisfa-
ctionem poenitentialem iniungantur, & in ſtatu mortiſero fiant, iterari non opor
D.Thomas. tet, ut docet D. Thomas in 4. diſtin. 15. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. ad tertium.
Adde, quòd huiuſmodi opera ex ſui natura ſatisfactoria ſunt, cùm pœnalitatem,
& afflictionem inferant.

Quarto ponit ea opera, ſiuè corporis afflictiones, & labores, quæ ab homine
iuſtificato fiunt, ad compenſanda, aut propria, aut aliena peccata; qualia fuerunt
ea, quæ Dauid poſt reconciliationem, proprio voluntatis arbitrio, præſtitit; & a-
lia multa, quæ apud Eccleſiaſticas hiſtorias ab hominibus Chriſtianis diuerſi or-
dinis factitata memorantur; qui, cum numquam de propitiato peccato ſecuri eſ-
ſent, ſemper per bona opera præcedentia peccata redimere contendebant.

Quinto, annectit illud genus operum, quæ poſt adeptam iuſtitiam, & fortaſſe
poſt pœnæ vniuerſæ præcedentibus culpis debitæ, compenſationem, non in v l-

lius peccati ſatisfactionem; ſed ex habitu quodam rectè operandi, & Deo ſine fine ſeruiendi, exhibentur: dum Sancti homines addentes bonum bono, iuxtà Christi conſilium, *theſaurizant ſibi Theſauros in Cælo*, vt abundè ſeminantes, abundè, & metant. Matth. 7. Roman. 13.

In Sexta ſede reponit ea opera, quæ à gratia quidem proficiſcuntur, non tamen vt priora, ad peccatorum dilutionem diriguntur; neq; tantùm ex habitu illo, Deo placendi fiunt, ut poſteriora: ſed ad carnis macerationem; ad quam reducit afflictiones quaſdam voluntarias Pauli, ut illam, 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, nè cùm alys prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* 1. Cor. 3.

Denique ſeptimam conſtituit claſſem, in qua ea opera comprehendit, quæ ab hominibus vitæ innocentia, & integritate præditis, nulloque culpæ, aut pœnæ vinculo irretitis, etſi non voluntariè ſuſcipiuntur, voluntariè tamen ſuſtinentur; ad quam Iob, Thobiæ, & ſimilium (qui, etſi innocentiſſimi eſſent, grauiſſimis tamē flagellis percuſſi dicuntur) patientiam, ac labores pertinere dicit; creditque, hæc tantùm poſtrema quatuor Iuſtorum Operum genera, ad Theſaurum Eccleſiaſticum ſpectare. Ea enim, & gratiæ valorem habere, & ex applicatione actuali, ſeu habituali, aut virtuali agentium, præcij, & compenſationis rationem ſortiri dicit. Verùm, ut diximus, nec illa opera tertij generis, ab hac ſerie excludenda ſunt; immò, & octauum genus operum addendum, meo iudicio eſt, quod ſoli Deiparæ Virgini eſt cōcedendum, quę, ut præ cæteris Sanctis omni plenitudine gratiarum repleta eſt ab inſtanti ſuę Conceptionis, ità quoque in eius operibus ſuprema quędam, præcellenſque uirtus merendi, & ſatisfaciendi ſita fuir; nec in aliorum numero includi debet, quæ præ cunctis meruit, & omnes in paſſionibus anteceſſit.

Sotvs in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1. in 2. concluſ. docet, omne opus meritorium, quod ex gratia proficiſcitur, generali ratione eſſe quoque ſatisfactorium, cum per omne opus meritorium augeatur gratia, ad cuius accretionem, fit pariter aliqua pœnę remiſſio. Vndè infert, per actum quemcumque dilectionis Dei, per contemplationem, & mentalem orationem, per Contritionem, & alia huiuſmodi, generaliter fieri ſatisfactionem. Addit, quòd non poteſt eſſe aliquod tale opus, quamtumcumque ſpirituale, quin ſecum aliquam pęnam, moleſtiam, & ſatisfactionem afferat; ipſa enim contemplatio propter phantaſmata, quibus utitur, quodammodo uires relaxat. Omne opus meritorium, eſt etiam ſatiſfactorium ex Soto.

Et D. Thomas in 4. diſtin. 15. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad primum, & quæſt. 4. art. 7. quæſtiun. 1. docet, Orationem, nedum vocalem, ſed etiam mentalem, eſſe ſatisfactoriam; quia utraque pœnam habet. Prætereà multa ſunt munera præcioſiora, & excellentiora, & conſequenter magis Deo grata, quàm ſint opera pęnalia, ut lectiones Sacræ, publicæ Conciones, & alia, quæ in bonum publicum diriguntur, ut Regimen paſtorale, ac ſollicitudo Epiſcopalis. Quis igitur his operibus merendi tantùm, nō etiam ſatisfaciendi facultatem tribuet? Certè ex doctrina D. Thomæ colligitur, ieiunium eſſe minus ſatisfactorium, quàm Eleemoſinam, quæ, licèt minorem pœnalitatem habeat, ex maioti tamen charitate procedit. D. Thomas. Enumerātur hic multa opera ſatisfactoria etiam non pœnalia.

Et hanc doctrinam, ut uerißimam, ſequitur Henricus Henriquez, in ſua ſumma, lib. 5. cap. 19. eamque optimè probat, ac auctoritatibus doctorū exornat. Henriq.

Nec enim ſolùm inſignia charitatis, & orationis opera, ut Scotus cenſuit in 4. diſtin. 15. quęſt. 1. art. 3. & Gabriel, diſtin. 16. quęſt. 2. nota. 1. ſed omnia aliquam pęnę remiſsionem obtinent, non tantùm per modum meriti, & impetrationis; ſed propter difficultatem, & rationem pœnæ, quàm ſemper adiunctam, & inuolutam habent; ut D. Thomas dixit. Virtus enim eſt circà difficile, & oratio cum mortificatione ſenſuum, & ſenſualitatis, & meditatio cum fatigatione corporis, & organorum ſenſus fit, propter attentionem. Scotus. Gabriel.

Lege Caietan: Opuſc. 6. q. 1. & Victo. §. 202. & Nauar. cap. 26. num. 24. Ex quibus infertur, quòd internus actus operis boni ſemper ſatisfacit, vt aſſeruit Soto loco citato, Ledeſm. 2. par. quæſt. 14. dub. 4. art. primo, & Henricus quodlibet. 8. quæſt. 18. Opus autem externum eſſentialiter eſt magis ſatisfactorium, quam internum; addit enim valorem ſatisfactionis, non tantum accidentaliter, quia intenſiùs, diuturniùs, & cum maiori pœna exerceri ſolet. Caietan. Victor. Soto. Ledeſm. Henricus.

ceri ſolet;ſed per ſe,quia bonum,& gratum Deo eſt,ſaltem pro ſatisfactione pœnæ;in quo differt à ratione meriti,reſpectu pręmij eſſentialis,cuius totus valor eſt in voluntate efficaci. Vndè cõcludendum eſt,quòd ſicut omni ſatisfactioni,quam iuſtus pro ſe,vel pro alio offert,coniunctum eſt meritum gloriæ propriæ,vt aſſerit D.Thom.4.diſtin.17.quæſt.2,art.4.ad 3. Atque ita ſatisfactio viæ eſt melior,quã Purgatorij,ità omni meritò coniunctus eſt quidam valor ſatisfactionis.

D.Thomas.

Opera ſatisfactoria tria pręcipuè ſunt, & quæ.

Conc.Trid.

QVAE omnia licèt vera ſint,nihilominus per Antonomaſiam, & peculiari quadam ratione,ſola opera,quæ ex obiecto ſunt pœnalia,ideſt,quæ priuant bono vtili,aut delectabili, (priuatio enim honeſti in culpam refertur) dicuntur ſatisfactoria;& hæc ex communi Theologorum ſententia in 4.diſtinct.15. & ex Concilio Tridentino ſeſſ.6.cap.14.& ſeſſ.14.Can.13.tria præcipuè ſunt,Oratio,Ieiunium, & Eleemoſina, ad quæ, tamquam ad quædam præcipua capita, cætera reuocantur,videlicet ad Ieiunium,ea omnia,quæ corpus affligunt,& carnis concupiſcentiam domant,ut flagellationes,cilicia,vigiliæ,& ſimilia: Ad Eleemoſinam reducuntur,quæ concupiſcentiam oculorum,ſeu auaritiam tollunt,& hęc ea ſunt,quę in proximi vtilitatem cedunt, vt opera miſericordiæ. Ad orationem verò, quæ Deo immediatè exhibentur,ut Hymnodiæ, Preces,actus Contritionis, & Confeſſionis. Per hæc enim, & ſimilia, ſuperbia vitæ eradicatur, quæ impedit orationem.

Vtilitas maxima operũ ſatisfactionis cõtra hęreticos.

NEC verò huiuſmodi opera ſatisfactionis,nudæ cæremoniæ ſunt,aut res inutiles,vt Philippus Melancthon in Apologia Auguſtana,artic.de Confeſſ. & ſatisfactione,& Caluinus in ſuis Inſtitut.lib.3.cap.4. & Alij Hæretici commentantur; ſed res vtiliſſimæ, quę documentis Sacrę Scripturę, & exemplis Sanctorum, & Priſcorum Patrum teſtimonijs roborantur.

Thob.12. Math.6. Lucæ 11. 1.Cor.9. Percuſſio pectoris. Lucæ 18. Cyprianus. Tertullian. D.Auguſt. Math.11.

Apertum eſt teſtimonium Thobię 12. *Bona eſt Oratio cum Ieiunio,& Eleemoſina.* Matthęi 6. Tria hæc commendantur à Domino. Dauid multis precibus, pſalmiſque peccatorum ſuorum miſericordiam, & remiſſionem cum lachrymis conſequutum fuiſſe,nemo eſt,qui ignoret. Eleemoſinam omnia purgare, docet Chriſtus,Lucę 11.Ieiunijs verò,& caſtigationibus,corpus ſuum affligebat Paulus,tundendo illud vſque ad liuorem,vt prima Corinth.9.dicit,& ibi notat Theophylactus. Nec eſt, quòd Hęretici has externas corporis percuſſiones derideant, cum Chriſtus in Euangelio,Lucę 18.Publicanum pœnitentem laudet,qui, inter cętera pietatis exercitia,pectoris ſui quoque tunſionem aſſumpſit,ut ea,internam animi ſui compunctionem ſignificaret, ut ait Cyprianus in explicatione Orationis Dominicę,& Tertullianus lib.4.contra Marcionem, eiuſmodi tunſionem pectoris,inter mores antiquiſſimos Chriſtianorum refert. D.Auguſtinus in enarratione Pſalmi 146.his verbis, *Quomodo frangis, quomodo conteris cor tuum? confitendo, puniendo peccata tua, Quid aliud ſignificat pectorum tunſio? niſi fortè putamus,oſſa noſtra aliquid peccaſſe,cùm cadimus,& tundimus pectus; ſed ſignificamus nos cor contere-re,vt à Domino dirigatur;ſanat enim contritos corde*. Hęc Auguſtinus. Ex alio loco eiuſdem Auguſtini,videlicet de verbis Domini ſerm.8.dilucidiſſimè cognoſcitur hunc ritum percutiendi pectus, qualem hodie obſeruamus in Eccleſia, dum ad Altare à Sacerdote dicitur, *Confiteor*, vetuſtiſſimum eſſe; Cùm enim Populus,cum legere verba illa Euangelij audiuiſſet, *Confiteor Tibi Pater*. Matthęi 11.ſtatim pectus percuſſit. Quod per errorem factum fuiſſe Auguſtinus declarat his verbis. *In hoc ipſo,quod ſonuit, Confiteor, pectora veſtra tutudiſtis. Tundere autem pectus, quid eſt, niſi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulſu, occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis? niſi quia audiſtis, Confiteor tibi Pater? Confiteor audiſtis,qui confitetur non attendiſtis; nunc ergò aduertite,ſi Confiteor Chriſtus dixit, à quo eſt longè omne peccatum,non ſolius eſt peccatoris;ſed etiam laudatoris. Confitemur ergò,ſiue laudantes Deum,ſiuè accuſantes noſmetipſos*,& plura alia,per quę,quamuis oſtendat,confiteri eo loco, pro laudare accipi, quod proprium fuit Chriſti, qui ſine peccato erat; nec eo tempore opus fuiſſe,vt pectora tunderent;interim tamen pietatis Chriſtianę,& operis ſatisfactorij conſuetudo egregiè demonſtratur. Quod etiam ex alio

ſermone

ſermone Auguſtini,uidelicet 36.de Verbis Domini comprobatur ibi. *Percutiebat pectus ſuum, pœnas à ſe ipſo exigebat, propterea Dominus confitenti parcebat*. Quem morem etiam D.Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium de Cuſtodia Virginitatis,teſtatur,ſe frequentaſſe illis uerbis, *Memini me clamantem, diem crebrò iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas*; Quàmplurima ex Patribus,& ex hiſtorijs Eccleſiaſticis poſſent depromi teſtimonia,& exempla;ſed præter inſtitutum noſtrum. Vide D. Auguſtinum de Eccleſ.dogmat.cap.68.ubi abſtinentiam,& corporis caſtigationem egregiè commendat,& Nazianzenum in Epiſt.ad Hellenium,ubi ait,pleroſq; dies uiginti ſine cibo tranſigere,& Tertullianum de reſurrectione carnis, à nobis ſępè citatum,aſſerentem,carnis macerationem eſſe ſacrificium Deo gratum. Cauillatio tamen quędam Caluini hoc loco,ex Cypriano,neceſſariò refellenda eſt. Dicit ille loco citato, ueteres Scriptores uocaſſe, ut plurimùm ſatisfactionem (de qua agimus) non compenſationem, quę Deo redderetur; ſed publicam teſtificationem, qua,qui excommunicatione mulctati fuerāt,& in communionem recipi uellent, Eccleſiam reddebant de ſua pœnitentia certiorem; Indicebantur enim illis Pœnitentibus certa ieiunia;& alia,quibus ſe prioris uitę,uerè, & ex animo pertęſos eſſe approbarent, uel potiùs priorum memoriam obliterarent, atque ita dicebātur non Deo,ſed Eccleſię ſatisfacere. Hęc iſte. Sed quantoperè hallucinetur,uel unus Cyprianus in Epiſtola 27.& 64. luculenter demonſtrat. Verba Epiſtolę 27. hęc ſunt. *Summiſſos ergò* (loquitur de lapſis) *& quietos, & verecundos eſſe oportet eos, qui delicti ſui memores, ſatisfacere Deo debent, nec Eccleſiæ nomine literas facere, cùm ſe magis ſciant, Eccleſiæ ſcribere*. Et paulò poſt, *Quæ illi cogitantes, & quamuis libello à Martyribus accepto, ut tamen à Domino ſatisfactio ſua admitti poſſit, orantes ſcripſerunt mihi, &c.*

D.Hieron. — Auguſt. — Nazian. — Tertull. — Refellitur falſa Caluini doctrina ex D. Cypriano.

Verba Epiſtolę 64. hęc ſunt; *lapſi ſatisfactionibus immorantes, & Domini miſericordiam deprecantes, ad Eccleſiam pulſent, &c.* Idem dicit in Epiſtola 10.& 55. & in ſerm.de lapſis. Sed iam ſatis oſtendimus,primum dubium reſoluentes,bona opera,pręter alia munera,merendi,& ſatisfaciendi uim habere.

NVNC autem ſecundum dubium enodandum eſt; nempè, An huiuſmodi opera ſatisfactoria, ex intentione agentium, in noſtrum commodum referantur. Quod omni conatu negant Hęretici,ut arida,& inutilia huiuſmodi opera, declarent;ſed ex uerbis D. Pauli, omnis eorum machina deſtruitur. Hic enim ad Coloſſ. 1. de ſuis ſatisfactorijs operibus loquens,dicit, *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro Corpore eius, quod eſt Eccleſia*; Aperta ſunt hęc uerba Pauli atteſtantis, intentionem ſuam dirigi ad complendas in propria carne paſſiones, deficientes ad implendam menſuram à Deo definitam pro Eccleſia, & pro ſatisfactione membrorum eius. Quod idem de alijs Sanctis dicendum eſt,ex ſententia D. Auguſtini ſuper Pſalmum 86. circà medium,cuius uerba ſunt hęc. *Videte ergò, quid dixit Apoſtolus, quia in ipſo Chriſtus patiebatur, ut adimpleam, inquit, ea, quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea. Vt adimpleam, quid? Quæ deſunt. Cui deſunt? preſſurarum Chriſti. Et vbi deſunt? In carne mea. Numquid aliquid preſſurarum deerat in illo homine, quod factum eſt, Verbum Dei natum ex* MARIA *Virgine? Paſſus enim eſt, quicquid pati deberet ex ſua voluntate, non ex peccati neceſſitate, & videtur, quia omnia. In Cruce enim poſitus accepit acetum in ultimo, & ait, perfectum eſt, & inclinato Capite, emiſit Spiritum. Quid eſt, perfectum eſt? Iam de menſura paſſionum nihil deeſt, quia omnia, quæ de me dicta ſunt, completa ſunt, tamquàm ideò expectaret, ut complerentur. Quis eſt, qui ſic proficiſcatur, quomodo ille de corpore egreſſus eſt? Sed quis eſt, qui hoc potuit? Qui primo dixerat, poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, nemo tollet eam à me; ſed ego pono eam à me, & iterum ſumo eam: poſuit quando voluit, ſumpſit quando voluit, nemo abſtulit, Nemo extorſit. Ergò impletæ erant omnes paſſiones, ſed in capite: reſtabant adhuc Chriſti paſſiones in Corpore. Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra. In his ergò membris cum eſſet Apoſtolus dixit, ut adimpleam, quæ deſunt preſſurarum*

Quomodo poſſit vnus ſuam ſatisfactionem alteri applicare exponitur, & probatur, contra hereticos, ad Coloſſ. 1. — D.Auguſt.

Chriſti in carne mea. Ergò illuc imus, quò Chriſtus praceſsit, & adhuc Chriſtus illuc pergit, quò praceſsit: praceſsit enim Chriſtus in capite, ſequitur in corpore, & adhuc Chriſtus hic laborat, & Chriſtus hic patiebatur à Saulo, quando audiuit Saulus; Saule, Saule quid me perſequeris? quomodo ſolet lingua dicere, calcato pede, calcas me, linguam nullus tetigit, compaſsione clamat, non attritione: Adhuc Chriſtus hic eget, Chriſtus hic peregrinatur, Chriſtus hic agrotat, Chriſtus hic in Carcere includitur, iniuriam et facimus, ſi non ipſe dixit, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & potaſtis me, hoſpes, & collegiſtis me, nudus, & ueſtiſtis, ager, & uiſitaſtis me. Hęc Auguſtinus.

Viri Sancti ſua bona opera in aliorum utilitatem cõferunt. 1. Cor. 8.

CONSTAT igitur, Sanctos uiros omnia ſua bona opera, nedum inpropriam, ſed in communem Eccleſię utilitatem referre, ut ſic ex ęquitate Charitatis, illorum abundantia, inopiam multorum ſuppleat; quemadmodum Paulus de Corinthijs dicebat 1. Corinth. 8. Qua enim ratione Dauid particeps erat omnium timentium Dominum, & cuſtodientium mandata eius; niſi quia, ut membrum Eccleſiaſtici corporis, communi bonorum operum ſpirituali nutrimento fruebatur? Quòd ſi unuſquiſque, natura duce, propriam gloriam, & exaltationem non refugit: cùm ſcriptum ſit Prouerb. 18. *Frater Fratrem adiuuans exaltabitur*; Qua ratione dici poterit, iuſtos uiros ſuas actiones, etiam in fratrum commodum non direxiſſe? Numquid hac gloria, & exaltatione carebunt? Quemadmodum igitur, eadem duce natura, unum membrum naturale nutrimentum, quod redundat, alteri ſubminiſtrat; ſic Martyres, Confeſſores, Virgines, alijs huius corporis Eccleſiaſtici partibus, impellente Charitate, ſua opera bona communicant. Et quamuis, non determinatè, pro hoc, uel illo, qui remiſsione indiget, huiuſmodi opera ſecerint, aliàs, ut inquit D. Thomas ubi ſupra, abſque omni Indulgentia, remiſſionem conſequerentur; communiter tamen in totam Eccleſiam, ea direxiſſe, negare, erroneum, & hæreticum eſt. Proſunt autem huic, uel illi, ob diſtributionem, & applicationem eius, qui poteſt communia alicuius multitudinis bona diſtribuere: Vndè ſicut aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſſet; ità ſi ei ſatisſactio alterius per eum, qui poteſt, applicetur. Sed hæc de ſatisfactione Sanctorum dicta ſunt; Nam opera Chriſti, quæ infinitam, & merendi, & ſatisfaciendi virtutem habent, non modò in communi, & pro toto humano genere oblata ſunt; ſed etiam quantum ad ſufficientiam pro quolibet homine. Voluit enim, ſaltem voluntate antecedenti, ſuam mortem, ac paſſionem ſingulis hominibus prodeſſe. Iuxtà illud Ioannis 17. *Non tantùm pro eis rogo, ſed pro eis, qui credituri ſunt per uerbum eorum in me:* Vndè pro omnibus paſſionem, ac mortem obtulit, applicatur autem ſingulis, uel per operationem Sacramenti, uel per diſpenſationem Eccleſiaſtici Theſauri. Sicut enim Sacerdos, dum peccatorem abſoluit, Chriſti meritum, & paſſionem illi applicat. Ità quoque Eccleſiæ Præpoſitus, dum Indulgentiam diſtribuit, nil aliud agit, quàm paſſionis Chriſti virtutem, ex Eccleſiaſtico Theſauro, extrà Sacramentum tamen, huic, vel illi conferre, ut ſæpè dictum eſt.

Prouerb. 18.

Simile.

Opera Sanctorum nulli peculiariter applicata, quibus proſint, & quomodo. D. Thomas. Simile.

Satisfactiones Chriſti oblatæ ſunt pro omnibus, & pro ſingulis hominibus. Ioan. 17.

Hæreticorũ argumẽtum, & eius dilutio.

SED dicunt Calumniatores Hæretici: Si Chriſti ſatisfactio infinità fuit, & inexhauſta ad remiſſionem pœnæ peccatorum ſingulorum hominum, Cur ad pœnas, & ſatisfactiones Sanctorum recurritur? Nonnè illi infertur iniuria, dum quaſi finitæ, & limitatæ Sanctorum ſatisfactiones adduntur? ſed hoc eſt eamdem cantilenam ſæpius repetere. Quocircà iterum reſpondemus, Chriſtum IESVM Redemptorem noſtrum ſua paſſione, & ſatisfactione, quantum ad ſufficientiam, operatum eſſe, ut dictum eſt, pleniſſimam culpæ, & pœnæ ſingulorum hominum remiſſionem: nec illi defuiſſe aliquid paſſionum ad reconciliandum Deo genus humanum; Verùm, ut hæc remiſſio ſuum ſortiatur effectum, & efficacitatem habeat, indiuiduali applicatione indiget, quæ fit per inſtrumenta, ab ipſomet Chriſto Domino inſtituta. Applicatur autem homini primùm per Baptiſmum, in quo ſola Chriſti paſſione, & ſatisfactione, ei, qui non fictè, & ſine obicè accedit, omnia peccata, & quantum ad pœnam, & quantum ad culpam, remittuntur: ad quod opus remiſſionis per Baptiſmum, nullus Sanctorum ſuis paſſionibus concurrit;

Quomodo ſatisfactiones Chriſti ſine vlla eius iniuria cùm ſatisfactionibus Sanctorũ coniungantur.

Baptiſmi virtus.

currit; quamuis eorum precibus, & orationibus iuuari aliquem poſſe, vt ad fidem veniat, & Sacramentum ſuſcipiat, negandum non ſit: At ſi poſt Baptiſmum homo in peccata labatur, ſi reſipiſcat, ut iterum remiſſionem conſequatur, habet quidem à paſſionibus Domini remiſſionem totalem, per Pœnitentiæ Sacramentum, culpæ, & pœnæ æternæ; non tamen integram remiſſionem pœnæ temporalis, ità diuina exigente Iuſtitia, ut ipſum membrum, quod peccauit, pro ſe ſatisfaciat, & patiatur; Et cùm omnes Chriſtiani ſint membra unius corporis Eccleſię, voluit idem Chriſtus, ut vnum membrum poſſit etiam pro alio pati, & ſatisfacere, propter colligationem in vno ſpiritu, & eodem capite, ut quod vnum membrum pro alio perſoluit, ipſum perſoluiſſe apud Deum cenſeatur.

Dicunt itaque, vel ergò merita Chriſti cenſentur exhauſta, uel iniuria fit Chriſto, dum Sanctorum merita ſupplent. Sed neutrum eſt; ſemper enim infinitum in ſe remanet meritum Chriſti, quamuis finito modo, ſiuè per Sacramentum, ſiuè per Theſaurum applicetur. Quòd autem Sanctorum merita, & paſſiones nobis proſint, non dedecus, ſed honor eſt Chriſti, de cuius gratia procedit, ut illorum paſſiones nobis proſint: merita enim Sanctorum, merita ſunt Chriſti, qui, ut Caput, ſalutiferos influxus in potiora membra diffundit, ut alia infirmiora per illorum communicationem iuuentur. Ita docet Concil. Triden. ſeſ. 14. cap. 8. & Can. 14. & ſeſ. 6. cap. 16. & Cano. vlt. Baſil. Reg. Breuio. 12. & communiter Doctor. Scholaſtici in 4. diſt. 15. & 19. Taper. art. 6. ſed Hæreticorum, & aliorum argumenta, enucleatiùs ſuo loco diſſoluentur. Atque hæc circà ſecundam Propoſitionem dicta ſint.

Conc. Trid.
D. Baſil.
Scholaſtici.
Taper.

CAPVT XXIX.

Quod non ex Dei, vel Angelorum; ſed ex Chriſti, & Sanctorum diuitijs Theſaurus Eccleſiaſticus conſurgat.

QVOAD tertium, ſcilicèt ex quorum ſatisfactionibus, & operibus, Theſaurus Eccleſiaſticus repleatur; ſit

TERTIA Propoſitio. Eccleſiaſticus Theſaurus repletur ex operibus Chriſti, Beatæ MARIAE ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & electorum à primo iuſto, vſque ad vltimum. Hæc Concluſio eſt de fide, determinata à Clemente VI. in capite *Vnigenitus*, de Pœnit. & Remiſſ. in extrauagantibus communibus, cuius verba ſunt hæc. *Vnigenitus Dei Filius id, quod fuit permanens, & quod non erat aſſumens, ut haberet, vndè hominem lapſum redimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo Patri.* Et infrà. *Quantum ergò ex inde, ut nec ſuperuacua, inanis, aut ſuperflua tanta effuſionis miſeratio redderetur: Theſaurum Eccleſia militanti acquiſiuit, volens ſuis theſaurizare filijs pius Pater, ut ſic ſit infinitus Theſaurus hominibus, quo, qui uſi ſunt, Dei amicitia participes ſunt effecti. Quem quidem Theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum; ſed per Beatum Petrum Cœli Clauigerum, eiuſq́; ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & pro pijs, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſiône pœnæ temporalis, pro peccatis debita, tam generaliter, quàm ſpecialiter, prout cùm Deo expedire cognoſceret, verè pœnitentibus, & confeſsis miſericorditer applicandum. Ad cuius quidem Theſauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum, & electorum à primo iuſto, vſq́; ad vltimum merita, adminiculum præſtare noſcuntur, de cuius conſumptione, ſeu minutione, non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quàm pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad Iuſtitiam, tantò magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.* Hęc ibi.

Quæ ſint opera in theſauro Eccleſiæ repoſita.
Clem. VI.

FVERVNT aliqui, ut Auctor Scrutinij Sacerdotalis in 5. tract. 2. par. & alij, qui

Scrutinium Sacerdotale.

Secundum aliquos Eccleſiæ theſaurus quadruplex eſt.

quatuor Theſauros diuerſos conſtituunt, unum Chriſti, ſecundum Beatę Virginis, tertium Sancti Iohannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum, & omnium Martyrum; quartum Sãctorum Confeſſorum, Virginum, & omnium electorum, qui in ieiunijs, uigilijs, & orationibus Deo fideliter ſeruierunt, quorum merita ità fuerunt ſublimia, ut longè minora eis ſuffeciſſent ad ſalutem. Dicit ergò hic Auctor, quòd de ſuperfluo, ſeu ſuperabundanti unoquoque horum ordinum peculiaris Theſaurus conſtituitur, ex quibus Indulgentię erogantur.

Vnus tantum theſaurus in Eccleſia conſtituitur.

Io. de Anan. Felin. Silueſt. Armil. Nauar. Viuald.

VERVM rectiùs dicendum eſt, quòd ſicut una eſt Eccleſia, una fides, unum Baptiſma; ſic quoque unus eſt Eccleſię Theſaurus, ex infinitis Chriſti meritis congeſtus, cui etiam accedit cumulus meritorum Beatę MARIAE Virginis, & omnium electorum; & iſta eſt communis opinio Theologorum in 4. diſtin. 20. & Canoniſtarum in cap. *Indulgentia* de Pœnitentijs, & Remiſſionib. in 6. & in Clemen. 1. de Reliq. & Vener. Sanct., Ioannis Ananię in tract. ſuo de Iubilęo, Felini in ſerm. de Indulgentia, & Summiſtarum, Silueſtri uerbo, Indulgentia num. 4. Armillę uerbo Indulgentia, Nauarri §. in Leuitico, notabili 13. num. 1. & ſequentibus, & Martini Viualdi, in ſuo Candelabro in tract. de Indulg. quęſt. 4.

D. Thomas.

Quod etiam optima ratio ſuadet. Diuitię enim effuſę, & diuiſę non ſunt Theſaurus; ſed tantùm diuitię congregatę in unum, ut affirmat D. Thomas ad Coloſſen. 2. Lect. 1. in medio, & id ex pręcitato cap. *Vnigenitus* apertè cognoſcitur.

SED, an Dei quoque opera, an Sanctorum Veteris Teſtamenti, an Iuſtorum, qui in lege naturę, & non ſcripta, fuerunt, An Sanctorum quoque Angelorum merita in hoc Theſauro concludantur, breuiter uidendum eſt.

Medinæ doctrina, an ex operibus Dei cõſtet theſaurus proprie loquendo.

MEDINA diſput. 8. cap. 42. in fine adnotat, Theſaurum hunc ſpiritualem, non Dei Theſaurum eſſe; ſed Eccleſię, quocircà non ex Dei bonis; ſed ex Eccleſię diuitijs ſpiritualibus, aſſerit factum eſſe, nam licèt Deus ſit, qui bonis operibus meriti, & ſatisfactionis ualorem impendat, quemadmodum Rex pecuniæ ualorem attribuit, Eccleſiaſtica tamen (inquit) Reſpublica eſt, quæ à ſuo capite Chriſto, uſque ad nouiſſimum, & ex ijs, qui in eadem diuites, ideſt Sancti uocantur, ad ſatiſfaciendum diuinæ iuſtitiæ, eumdem Theſaurum in ſuorum pauperum releuationem, bonorum operum impenſis, extruxit; quemadmodum, & de Republica illa, cui Regius Pręfectus pręſideret, antea dicebamus, ea enim, ex ijs pecunijs, quas Rex ſigillo ſuo ualidas effecit, ad eidem Regi pro pauperibus ſatisfaciendum, publicis eorum, qui diuitijs locupletantur, impenſis, Theſaurum accumulat. Hæc Medina.

Ex pijs operibus Chriſti, & Sãctorum fit theſaurus, nõ ex alijs, proprie loquendo.

ITAQVE non ex Dei, ſed ex IESV Chriſti Dei, & hominis diuitijs, ſi propriè, & caſtè loquendum eſt, & ex Sanctorum bonis conſurgere, hoc ſpirituale ærarium, aſſerendum eſt; quamuis à Dei gratia, tamquam à ſigillo quodam, omnes noſtræ operationes valorem, & merendi, & ſatisfaciendi ſortiantur.

Quod B. Virgo inter Sanctos primatũ obtineat in theſauro conficiendo, & augendo.

D. Anſelm.

INTER Sanctos autem primum locum, merita Beatæ Virginis obtinere, non erit difficile perſuadere; ſi incredibiles dolores, quos præcipuè iuxtà Crucem filij perpeſſa eſt, diligenter perpendamus: certè D. Anſelmus lib. 1. de excellentia Beatæ Virginis cap. 5. eos tanti fecit, ut Virginem, Sanctis Martyribus, licèt atroces, & horrendos illi cruciatus pertulerint, anteferre videatur, ſic ſcribens. *Quicquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benigniſſimi cordis intima, & utique pia Domina, non crediderim, te potuiſſe ullo pacto, ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe ſpiritus vitæ, dulciſſimi filij tui, pro quo moriente conquerebaris, & tantopère torquebaris, Te confortaret.*

Sophron. uel Hieronym.

B. Virginem fuiſſe etiã uere Martyrẽ, & qua ratione.

SOPHRONIVS, vel Hieronymus in ſerm. de Aſſumpt. Beatæ Virginis ad Paulam, & Euſtochium verſus finem, MARIAM pluſquam Martyrem fuiſſe probat, ea ratione optima; Quòd alij Sancti, etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima (quia immortalis eſt) pati non potuerunt. *Beata*, inquit, *verò Dei genitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur. Ideò vt ità fatear, quia ſpiritualiter, & atrocius paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, pluſquam Martyr fuit; Vnde conſtat, quia plus*

omnibus

omnibus dilexit, propterea, & plus doluit, in tantum, vt animam eius totam pertranſiret, & poſsideret vis doloris, ad teſtimonium eximiæ dilectionis; Quæ quia mente paſſa eſt, pluſquam Martyr fuit. Nimirùm, quod eius dilectio ampliùs fortis, quàm mors fuit; quia mortem Chriſti ſuam fecit. Tunc enim, ut inquit Laurentius Iuſtinianus libro de Triumphali Chriſti Agone cap. 21. Cor Virginis, clariſſimum paſſionis ſpeculum, & perfecta mortis imago, effectum erat. Vndè bene Hieronymus, non ſolùm Martyrem illam appellat, ſed ſuprà Martyrem.

Laur. Iuſtin.

Ildephonsvs ſerm. 2. de Aſſumpt. Mariam pluſquam Martyrem prędicat, quod gladius à Simeone prædictus ad eius vſque animam peruenerit; Quòd fugientibus Apoſtolis, iuxta crucem ſteterit, & filium in ea pendentem viderit.

Quod fuerit pluſquã Martyr B. Virgo. ex Ildephonſo.

D. Bernardvs in ſermone, qui incipit. *Signum magnum*, eam pluſquàm Martyrem appellat, quod non ſolùm ante, ſed etiam poſt mortem filij, grauiſsimum perpeſſa ſit Martyrium, cùm compaſsionis affectus, corporeæ paſsionis ſenſum exceſſerit. Lancea enim, Chriſti animam planè non attigit, quamuis mortuo corpori non pepercerit; ſed Mariae animam vndique pertranſiuit.

Idem docet etiam D. Bernardus.

Gvaricvs Diſcipulus Beati Bernardi ſerm. 4. de Aſſumpt. Virginis, ſemper Martyrem Virginem fuiſſe docet, quòd fida ſemper fuerit Chriſti ſectatrix, adeò, vt nec procella perſecutionis, nec horrore ſupplicij, à ſectando filio, & Magiſtro, potuerit abſterreri.

Guaricus.

Gerson in tract. 2. de Cantico Decacordo, & Rupertus lib. 7. de Diuinis officijs, & lib. 13. in Euangelium Ioannis idem quoque dicunt. Lege Caniſium lib. 4. de Maria Virgine cap. 26.

Gerſon. Rupert. Caniſ.

Fvervnt Aliqui, vulgi opinionem ſequentes, qui Beatam Virginem, tempore paſsionis filij, aſſeruerunt, paſſam fuiſſe ſpaſmum, ideſt, vehementem dolorem, ſeu ægritudinem, per quam langueſceret, ſenſum amitteret, & in terram concideret; ſed hæc indigna ſunt, quæ de Virgine aſſerantur, ut optimè probat Caietanus in Opuſculo de ſpaſmo, & Suarez tomo 2. diſput. 4. ſectione 3. & diſput. 41. ſect. 2. & euidenter colligitur ex textu Ioannis 19. *Stabat autem iuxtà Crucem.* Quem locum ponderans Ambroſius, de obitu Valentini, nec fletum, Virginem tunc emiſiſſe dicit. *Stantem*, inquit, *lego, flentem non lego*. Vide Bernardum in ſerm. ſuper illud. *Stabat autem iuxtà Crucem*, & Anſelmum loco citato, & eundem Ambroſium lib. de Inſtitut. Virginum, cap. 7. & lib. 10. Epiſtola 82. Neque enim Deipara ægritudinem aliquam vmquam paſſa fuit; cùm nec Chrſtus, teſte Chryſoſtomo, cui illa ſimillima per omnia fuit, aliquo morbo affectus fuerit; tùm etiã, quia hoc priuilegium fuit Ioanni Euangeliſtæ conceſſum, ut ait Hieronymus in Prologo Euangelij Ioannis, ergò multò magis Virgini; neque etiam tempore paſſionis, creſcentibus doloribus, in aliquod indecorum, uel incompoſitum prorupiſſe, dicendum eſt; ſed cum ſemper habuerit perfectum dominium ſuper omnes actus ſuos; ita motus, affectuſque inferioris partis regebat, ut omnis eius actus, ſummã modeſtiam, diuinæque voluntatis obedientiam, & conformitatem præſeferret. Exercebat tunc Virgo actum ſummæ obedientiæ ergà Deum, & feruentiſſimæ Charitatis ergà homines, voluntariè offerendo filium pro illis, vt optimè ſcripſit Bonauentura in 1. ſentent. diſt. 48. quæſt. vltima, & D. Antoninus in 4. part. Theologica, tit. 15. cap. 41. §. 1. Vbi dicit, Virginem non fuiſſe minoris obedientiæ, quàm Abraham. lege Abulenſem q. 14. in Prologum Matthæi.

Vtrum B. Virgo in filij paſſione ſpaſmũ paſſa fuerit, & quomodo. Caietanus. Suarez. Ioan. 19. D. Ambro. D. Bernard. D. Anſelm. D. Ambro. Chriſtus, & B. Virgo numquam ęgrotarunt, ſicut neque D. Io. Euangeliſta. D. Chryſoſt. D. Hieron. D. Bonauent. D. Anton. Abulen.

Aranda, de terra ſancta tract. 1. cap. 14. refert, in Hieruſalem templum fuiſſe, dictum Sanctæ Mariae de ſpaſmo, & Caietanus loco cit. inquit, cùm Indulgentia Papæ celebratum fuiſſe feſtum de ſpaſmo, cùm octaua, & Indulgentijs; quod ſolùm intelligendum eſt, non de ſpaſmo cùm alienatione ſenſuum; ſed de ingenti dolore, quem Virgo in paſſione Chriſti filij ſui paſſa eſt.

Aranda. Caietan.

Sed ad rem noſtram. Maximos, Beatam Virginem perpeſſam fuiſſe dolores, & omnium etiam parturientium cruciatus excedentes, præter eos, quos adduximus teſtes, ſcribit Damaſcenus lib. 4. cap. 15. quod eſt de Dormitione Deiparæ, dicens, quòd dolores quos Mater Chriſti euitauit in partu, abundè paſſa ſit in

Damaſcen.

paſſione

Cyprian. Athanaſ. Bernardus.

paſſione filij: Quòd idem dicunt, Cyprianus in ſerm. de Natiuit. Chriſti, Athanaſius in Deſcriptione MARIAE, & Ioſeph, & Bernardus in ſermon. 2. in Vigiliam Natiuitatis.

Epiphanius. D.Hieron. Ambr. Euthym. Quas habeat in Cœlo aureolas B.Virgo. Sotus. Abulen. Suppl. Gabr. Soto. Suarez. Rupert. Anſel. D.Thomas. Emiſſen. Rupert. Bernard. Nazian. Ephræm.

EPYPHANIVS, Hereſi 78. refert, aliquos putaſſe, gladium illum mortis Chriſti, re vera, MARIAM interfeciſſe, eamque cùm Chriſto verè mortuam fuiſſe, licèt poſtea reſurrexerit; quod dictum ficititium eſt, & omni fundamento caret; Nec enim Beata Virgo uiolentam mortem perpeſſa eſt; in pace enim, vitam finiuit; ut Hieronymus in dicto ſerm. de Aſſump. teſtatur. Quamuis gladius Chriſti, id eſt, mors eius, animam illius pertranſiuerit, ſummo dolore eam afficiendo, ut Ambroſius, & Euthimius Lucæ 2. exponunt. Nec propterea, Martyrij Aureola, illam in Cœlo carere, dicendum eſt, ut Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 5. artic. 2. Et Abulenſis in Matth. 13. quæſt. 20. dicunt, quòd illa non verè Martyrium, ſed potius, imaginem Martyrij pertulerit. Nam ſicut excellentiſſimam Virginitatis Aureolam obtinet, quòd enim pugnam carnis non ſenſerit, meritum, uel præmium illius nequaquàm diminuit, vt optimè diſputat Supplemen. Gabrielis in 4. diſtin. 49. quæſt. 4. artic. 3. dub. 2. & Soto diſtin. 49. quæſt. 5. artic. 2. vbi addit, quod etſi non carnis, ut etiam benè Suarez tom. 2. diſp. 21. ſect. 4. Sathanę tamen iacula, & tentamenta pertulerit, ſicut & Chriſtus. Item, ſicut propriam Doctoris Aureolam habuiſſe, negandum non eſt, cùm Magiſtra fidei, & Doctorum Doctrix fuerit, vt inquit Rupertus lib. 5. in Cantica, & Anſelmus lib. de Excell. B. Virg. cap. 7. Quamuis enim officium publicè docendi non exercuerit, priuatum tamen exercuiſſe, (quod ad promerendam Doctoratus Aureolam ſufficit, ut tradit D. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 5. artic. 5.) nemini dubium eſt, non ſolùm veritates fidei Apoſtolis, & præſertim Ioanni, & Lucæ aperiendo, ut dicit Euſebius Emiſſenus in Euangelio de feſto Aſſumpt. & Rupertus in Caput 2. Matthæi, & Bernardus Homil. 4. ſuper *Miſſus eſt*; ſed etiam ipſis Iudæis Scripturas, & prophetias de Chriſto filio ſuo enucleando, eorumque imminens exitium, ut habet Nazianzenus in Tragœdia de Chriſto patiente, vaticinando: Ità quoque congrua ratione aſſerendum eſt, Martyrij Aureolam conſequutam eſſe, uel certè ſingularem quamdam, & inſignem coronam, ſplendorem, & ornatum præcipuum, qui omnem Aureolæ rationem perfectione excedat: ſicut enim Ephræm Diaconus Magni Baſilij familiaris, in oratione ad Virginem, vocat illam Martyrum honorem, ac decus; ità quoque ab ipſa omnes Martyres non ſolùm in præmio eſſentiali, ſed etiam in accidentali, ſuperari dicendum eſt.

Paſſiones B. Virginis omnibus prodeſſe.

EN igitur dolores, cruciatus, paſſiones, Martyrium immaculatæ Virginis. Numquid ergò alijs Eccleſiæ membris Virginem prodeſſe, negandum eſt? ipſa ab omni labe peccati libera, ab omni pœna ſoluta, ab omni denique ſatisfactione immunis; non nè pro nobis, & Eccleſia Dei has diuitias, præcioſiſſimaſque opes in ærario Eccleſiaſtico reponebat; & ſi capillus de capite ſeruorum Chriſti non peribit, quanto magis merita B. Virginis?

Quãta fecerit bona, & quot, quantaq; mala D. Paulus fuerit paſſus, 2. Cor. 11.

SED de Apoſtolis, cæteriſque Sanctis pauca dicamus. Vnum inter Apoſtolos eligo Paulum, eius exemplum profero, qui plus omnibus laborauit. Spiritus ſanctus reddit Teſtimonium de illo ſecunda Corinth. 11. *Exiſtimo*, inquit, *nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis; nec aliquis putet, me inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier. Multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor.* Sed his maiora audiamus: *In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo, & ego, Hebræi ſunt, & ego, ſemen Abrahæ ſunt, & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego, miniſtri Chriſti ſunt, & ego (ut minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies, quadragenas, una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, noctè, & die in profundum maris fui. In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, præter illa, quæ*

extrin-

extrinſecùs ſunt; inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? ſi gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Deus, & Pater Domini Noſtri IESV *Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit, quod non mentior; Damaſci Præpoſitus gentis Aretha Regis, cuſtodiebat Ciuitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.*

Et in cap. 12. *Propter quod placebo mihi in infirmitatibus, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto.* Et poſt pauca. *Nihil enim minus fui ab his, qui ſunt ſuprà modum Apoſtoli, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis, in prodigijs, & virtutibus.* Multa alia inſignia, quæ paſſus eſt Paulus, ex Scripturis poſſent afferri; ſed hæc ſatis: Quæ omnia Apoſtolus gaudens, & libenter patiebatur pro filijs ſuis, quos in Euangelio genuerat, & pro Dei Eccleſia, cui has opes theſaurizabat. *Nec enim,* inquit, *debent filij Parentibus theſaurizare, ſed Parentes filijs; ego autem libentiſsimè impendam, & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris.*

D. CHRYSOSTOMVS mira ſcripſit de laudibus Beati Pauli tom. 3. Homil. 1. animum Pauli, Pratum inſigne quoddam virtutum, & ſpirituale appellat: Quę enim per alios Sanctos diſperſa erant ornamenta, & inſignia, ea in Paulo coniuncta fuiſſe demonſtrat. *Siuè enim Propheta,* inquit, *potentius aliquid in ſe oſtenderint, magiſq; mirabile, ſiuè Patriarchæ, ſiuè iuſti, ſiuè Apoſtoli, ſiuè Martyres, hæc omnia ſimul colligens Paulus, habet cùm tanto cumulo, cùm quanto nullus eorum, bonum, quo excellebat, impleuit.* D. Chryſoſt. de laudibus S. Pauli.

Comparat Paulum Abel, Noè, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Iob, Moyſi, eoſque ſuperexcedere manifeſtat. *Abel,* inquit, *obtulit ſacrificium, & indè laudatur, ſed ſi Pauli hoſtiam adducamus in medium, quàm cœlum à terra ſuperior apparebit, quam ergò ultis, ut memorem; non enim una tantùm eſt, ſi quidem ſemetipſum per dies ſingulos immolabat, quam tamen rurſus hoſtiam dupliciter offerebat, cum quotidiè moriens, tùm corporis ſui mortificationem, ſine intermiſsione circumferens; nam & ad pericula ingiter parabatur, conſumans uoluntate Martyrium, & naturam in ſe mortificando carnis, nihil minùs, quàm immolata hoſtia Deo munus implebat: immò etiam multò amplius; non enim oues offerebat, aut boues, ſed ſemetipſum per dies ſingulos dupliciter, (vt diximus) immolabat, propter quod confitendo dicebat; Ego enim iam immolor, ſanguinem utiq; ſuum, immolationem uocans, neq; verò his tantùm ſacrificijs contentus fuit, ſed quia ſe ipſum conſecrauerat Deo, etiam orbem uniuerſum ſtuduit offerre. Qui terram uidelicèt, ac mare, Græciam, ſimulq; Barbariem, omnemq; prorſus, quanta eſt ſub cœlo, regionem, quaſi volitans circumiuit, non ſimplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens; ſed peccatorum ſpinas, vepreſq; euellens, & verbum ſeminans vbiq; pietatis, fugans errores, ueritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens, quinimmò ipſos homines, quaſi ex Dæmonibus in Angelos prouehens, Propter quod iam hinc poſt ſudores plurimos, ac Trophæa innumerabilia tranſiturus, pro Diſcipulorum conſolatione dicebat; ſed & ſi immolor ſuper ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, propter quod, & vos gaudete, & congratulamini mihi. Quidnam igitur huic beſtiæ reperitur æquale, quam Paulus Sancti ſpiritus gladio immolauit, quamq; in illo altari obtulit, quod ſupra cœlos locatum eſt? ſed Abel dolo germani percuſſus occubuit, atq; hinc effectus eſt clarior. Vt ergò innumeras tibi oſtendam mortes, tot utiq; quot etiam dies Beatus iſte in prædicatione uixit; ſi verò eam quoq; uis noſſe mortem, quæ nouiſſimè etiam rebus impleta eſt. Abel quidem à fratre, ut nihil à ſe læſo, ità nullis affecto beneficijs, interemptus eſt: Paulus verò ab eis interfectus eſt, quos innumeris malis cupiebat eripere, & propter quos ſuſtinuit vniuerſa, quæ paſſus eſt.* Hactenus Chryſoſtomus. Magni ſunt iſti labores, magnæque opes, quas Paulus in ærario reportat. Comparat deindè Chryſoſtomus Paulum Noè, quòd à Diluuio ſpirituali, quod longè grauius eſt illo aquarum, ſuis Epiſtolis, & prædicationibus, uniuerſum mundum liberauerit.

Abrahæ quoque ſuperiorem illum facit; *Reliquit ille, exiens de terra ſua, & de cognatione*

gnatione ſua, domos, patriam, amicos, atq; cognatos: Paulus non modò patriam, cognatos, ac domum; ſed ſe ipſum quoq; ac mundum reliquit: immò etiam Cælum, & Cælum Cæli, & hæc omnia, Chriſtum ſuſcipiendo, deſpexit: Abraham quoq;, inquit, *ſe ipſum in periculum tradens, hoſtibus filium fratris eripuit; & Paulus non fratris filium, neq; tres, aut quinq; vrbes, ſed orbem vniuerſum, de Diaboli extorſit manu, innumerabilia per dies ſingulos pericula ſuſtinendo, proprijſq; mortibus maximam ſecuritatem alijs comparando; Abraham voluit filium immolare, Paulus non filium, ſed ſemetipſum millies immolauit.* Deindè Iſaac patientiam commendat, qua maiorem illam Pauli dicit; *At Paulus* (verba ſunt Chryſoſtomi) *non puteos cernens lapidibus obrutos, ſed proprium corpus, non ſolùm ſicut ille ſedebat, ſed etiam à quibus lapidabatur, in cœlum ſtudebat euehere? Quanto enim amplius obruebatur fons iſte, tantò erumpebat magis, ac plures ex ſe fluuios effundendo manabat.* Hucuſque Chryſoſtomus.

Præterea, Paulum, Iacob in ſudoribus, & laboribus ſuperaſſe oſtendit: *Neque enim*, inquit, *bis ſeptem annorum, ſed totius vitæ ſeruitium pro ſponſa pertulit Chriſti, non aduſtus ſolum æſtu diei, & noctis gelu; ſed tentationes mille perpetiens; & nunc quidem verberibus, nunc verò lapidibus caſus, atque colliſus; nunc quidem cum beſtijs, modò autem fluctibus pugnans, modo etiam nimiæ, atque continua reluctans fami, diebus, atque noctibus, & inter certamina, vbique reſiliens, captas oues ex Diaboli faucibus extrahebat* Hæc Chryſoſtomi verba mirificè faciunt ad Theſaurum Eccleſiæ ſpōſæ Chriſti.

Amplius Ioſeph quoque in pudicitia, & virtute, Paulum ſuperare, ridiculum dicit eſſe oſtendere. *Qui ſemetipſum mundo crucifixerat, & quaſi mortuus prorſus, ad mortuum immobilis permanebat.*

Coæquat deindè patientiam, & puritatem vitæ Pauli, cum innocentia vitæ Iob, *Vermes*, inquit, *atque vulnera, ſæuos, atque intolerabiles Sancto Iob inferebant dolores, & ego fateor; ſed ſi per tam multos annos Pauli verbera, & cum iugi fame, etiam nuditatem, catenas, carcerem, inſidias, periculaque conſideres, quæ à domeſticis, ab extraneis, à tyrannis, à toto poſtremo patiebatur orbe; Addas hoc etiam, his profectò amariora, ideſt, pro eis, qui labebantur, dolores, ſollicitudinem, quam pro Eccleſijs vſtionem, quam pro ſcandalizatis ſingulis perferebat, videbis, quam erit omni ſaxo durior anima iſta perpetiens, & ferrum, atque adamantem ſuperans. Quæ enim Iob corpore, hæc Paulus mente ſuſtinuit, quæ omni verme moleſtior, de ſingulis quibuſque labentibus, meſtitia conſumebat; Vndè, & iuges lachrymarum ex eo fontes, non diebus ſolum, ſed etiam noctibus effluebant, omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in ſingulis, propter quod etiam dicebat, filioli mei, quos iterum parturio, &c.* Vides ex Chryſoſtomo, quanta ſuperimpendat Paulus pro Eccleſia; prætereo hic, quæ addit Chryſoſtomus, Paulũ videlicèt Moyſem, Dauidem, Heliam, & Ioannem, immò, & ipſos Angelos ſuperare; Vnum in Paulo mirandum eſt, quòd cum fuerit homo exigui corporis, (tricubitalis enim fuit, ut innuit Chryſoſtomus in oratione in Principes Apoſtolorum, ante medium) & ſubcurui; ſic enim deſcribit illum Nicephorus lib. 2. cap. 37. *Paulus autem corpore erat paruo, & contracto, atque incuruo, & paululum inflexo, facie candida, annoſque plures præſeferente, & capite modico, oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſus vergebant, naſus pulchrè inflexus, idemque longior, barba denſior, & ſatis prolixa, eaque non minus, quam capitis coma, canis reſperſa erat.* Cum is inquam, tam magnas, ac vehementes, & graues afflictiones pertulerit, tamque multiplices, ac longas peregrinationes obierit, ut ad ipſam quoque Hiſpaniam peruenerit, & ab Oceano, vſque ad Oceanum cucurrerit, vt affirmāt Epiphanius lib. 1. Hæreſi 27. paulò ante finem. D. Chryſoſtomus Homil. 76. ante medium, in caput 24. Matthęi, & tomo 3. Homil. 7. de laudibus Sancti Pauli, poſt medium, & tomo 4. Homil. 13. in caput 4. prioris ad Corinthios: D. Hieronymus Eſaiæ 11. & Amos 5. D. Anſelmus in Epiſtola ad Romanos cap. 15. Beatus Gregorius lib. 3. Moral. cap. 37. Dorotheus Epiſcopus Cypri in lib. de vita, & morte Apoſtolorum, & alij quàmplurimi.

Statura, & forma corporis Pauli Apoſtoli ex Chryſoſt. & Nicep.

Epiphan. Chryſoſt.

Hieron. Anſelm. Gregor. Dorotheus.

Sed de perſecutionibus, peregrinationibus, & laboribus Pauli, plena ſunt opera Chryſoſtomi, quæ legere iucundiſſimum eſt.

Enimvero nè longior,& pręter inſtitutum,protrahatur diſputatio,relictis Sanctis Martyribus; ex Eremitis admirandum illum Sanctum Simeonem Stylitam commemoremus, de quo ſcribentes, Theodoretus in hiſtoria religioſa cap. 26. Euagrius Scholaſticus Epiphanenſis lib. 1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 13. & 14. Metaphraſtes in vita Theodoſij Cœnobiarchæ, & Sanctus Damaſc. in libro, quem ſcripſit aduerſus vituperatores imaginum, arctiſſimam eius vitam, mirandamque pœnitentiam narrant, quam referunt quoque Aloyſius Lypomanus,& Surius tomo 1. in menſe Ianuarij, die quinta. Hic Vir Illuſtris,ac maximum terrarum Orbis miraculum, (ut verbis Theodoreti vtar) floruit anno Chriſti 378. ſub Damaſo,& ſub Theodoſio Iuniore Imperatore, cuius geſtorum fama, ad omnes Perſas,Indos,Medos,Æthiopes,Scythas,etiam Nomadas,cęteroſque Romano Imperio ſubiectos, quàm citiſsimè peruaſit: effectus Monachus,cùm octuaginta ſocios haberet, omnes auſteritate vitæ, alijſque virtutibus ſuperabat: alij binis quibuſque diebus cibum ſumebant, Simeon totam hæbdomadam,omninò ieiunus tranſigebat:aſperrimo fune ex palmarum folijs contexto,nudos lumbos cingebat, atque ità conſtringebat, ut omnem illam corporis partem, quam premebat,dilaceraret, aſsiduuſque cruor ab vlcere emanabat, nec remedium adhibere permiſit,etiam Cœnobij Præfectis imperantibus. Tantus Stylitæ fuit viuendi rigor, ut è Monaſterio illum eijcerent, & quamuis cum fune è fouea extractus, ad Monaſterium reuocatus fuerit,ex eo in oppidũ Thelaniſum profectus,toto triennio in domuncula anguſta incluſus, oſtio cæmentis obſtructo, permanſit quadraginta diebus ieiunans, in quibus nec panes decem, nec aquæ lagenam, quam Baſſus Presbyterorum Præfectus,& Viſitator, ad vitæ ſuſtentationem ei reliquerat,guſtauit;Quocircà Baſſus elapſis quadraginta diebus,illum exanimem,mutũ, & immobilem inuenit, & accepta ſpongia, labra illius aliquantiſper madefecit, vnde refectus, ſurgens, lactucas, & cicoreas non admodum dentibus comminutas deglutiebat; ab hoc tempore, quotannis quadraginta dies continuos ieiunauit, diuinumque officium primo tempore ſtans perſoluebat, deindè ob attenuationem,& imbecillitatem corporis ſedens, dènique extincto ferè corporis robore, humi ſemimortuus cubabat; prætereà catena ferrea longitudinis uiginti cubitorum pedem dextrum ligauit,ut pręſcriptos fines ſepis conſtructæ,nè digito quidem uolens tranſgredi poſſet,quàm Miletus Epiſcopus Antiochenus à fabro diſſolui iuſsit,dicens,homini mentem ad cohibendum corpus pro uinculis eſſe. Aduentabant ad ſeruum Dei, Armeni, Iberi, Homeritæ, Hiſpani, Britanni, inundatioque hominum copioſa ad illum confluebat, omnes illum tangere, & ab eo benedici contendebant: qua continua moleſtia ut careret, in columna ſtationem ſuam inſtituit. Erat hæc primùm altitudinis duorum cubitorum, deindè ſex, poſtea duodecim,tandem viginti,denique quadraginta; ſeries vitæ eius ibi degentis hæc erat:omnes horas noctis,& diei, vſque ad horam nonam orabat, deindè ſermonem habebat cùm eis,qui illum adierant;(adibant autem vndique innumerabiles,& perenni,tamquam fluminis curſu,illum petebãt)horum multos ad Chriſti fidem conuertebat,ab Hæreſi,& Iudæorum ritu alios ſæpè reuocabat;peracta concione,infirmos,languidoſque incurabiles,qui ex omni orbis parte concurrebant,ſanitati reſtituebat;poſthæc,rixas,& inimicitias componebat,liteſque tamquam in tribunali ſedens, ex columna dirimebat. Poſtremò circà ſolis occaſum ad diuina colloquia,ſe recipiebat:Theodoſium Imperatorem ità acriter obiurgauit, vt edictum de reſtituendis Synagogis, quas antè Chriſtiani à Iudæis abſtulerant. reuocaret;multa futura vaticinatus eſt,& cum diuturnam vitam duxiſſet, vſque ſcilicet ad 56. annos,ardore ſolis,& hiberna glacie, vehementibuſque ventorum turbinibus conſumptus,humanæ naturæ imbecillitate extinguitur, eius corpus etiam poſt mortem in columna erectum, & immobilè diù permanſit, Antiochiam deindè tranſlatum fuit,multis in itinere editis miraculis,nec minora apud ſepulchrum,præfatamque columnam ſigna faciebat, quàm dum uiueret.

Theodoret. Euagrius. Metaphr. Damaſce. Lypoman. Surius.

VitaB. Simeonis Stylitæ, hic breuiter narratur, legiſſe non pœnitebit.

Haeretici fabuloſam,& ridiculam hanc religioſam hiſtoriam cenſent, Stylitamque

Supradictę hiſtoriæ contra

Q

hæreticos certiſſima ueritas demõſtratur, & defenditur ex Theodoreto.

tamque iſtum, mirificè à Dæmone illuſum fuiſſe dicunt; ſed ſileant. Theodoretus enim, qui eo tempore, quo ille ſuperſtes erat, ſingula hæc, quæ dicta ſunt, & multo his maiora, hiſtorica ueritate narrat, omneſque ferè homines, qui tunc uiuebant, actionum eius teſtes adducit; pertimuit illorum narrationem aggredi, ne, quoniã ſuper humanam naturam ſunt, omnemque fidem excedunt, fabuloſa, & ab omni prorſus ueritate remota, poſteris eſſe uiderentur. Hæc ille. Vide quomodo noſtrorum Hæreticorum ſpiritum præſentiebat; ſed diuino inſtinctu, hæc omnia illum feciſſe, non ſua uirtute, oſtendit dupliciter. Primò dicens, Deum id feciſſe ſumma prouidentia, ut ſegniores, nouo hoc uitæ ſpectaculi genere, arctiſſimæque pœnitẽtiæ exemplo ad ſalutem excitaret, atque alliceret; ſæpè enim nouę technę à Deo proponuntur, ut torpore ab animis Populorum depulſo, ad uetum Dei cultum per pœnitentiam inflammentur; nam, & Eſaiam nudum per ciuitatem incedere iuſſit, Eſaię 20. & Ieremiam zona lignea pręcinctum, incredulis uaticinari, uecteſque ligneos, ac ferreos ſuæ illum ceruici imponere præcepit, Ieremiæ 13. & 28. Ezechielem quoque per dies 40. in latus dextrum, & ſuper latus ſiniſtrum 390. recumbere. Ezechielis 4. & rurſus, enſe acuto caput radere, & barbam, aſſumptaque ſtatera pilos diuidere, cuius tertiam partem igni tradere, aliam tertiam gladio, aliam tertiam vẽto diſpergere, paruumque numerum pilorum in ſummitate pallij ligare præcepit. Ezechielis 5. Secundò, Spiritus Sancti inſtinctu ſcribit, Stylitam elegiſſe genus illud uiuendi, ad auis modum, in altiſſima columna, ut hominum honorem, & gloriam declinans, ab confluentium contactu in altum, quaſi in tutum, ſe reciperet. Hæc, & alia pręclara enarrant Theodoretus, & citati Hiſtoriographi de iſto.

Dupliciter probatur, opera Stylitæ diuino inſtinctu, & gratia facta fuiſſe.

Iſai. 20.

Ierem. 13. & 28.

Ezech. 4.

Ezech. 5.

Nazian.

VERVM Eremitarum, & Monachorum diuitias, & merita in Theſauro Eccleſiaſtico reponenda, egregiè Nazianzenus ad Hellenium, admonitorio carmine deſcripſit, his Carminibus.

Quorum pars ſpecubus gaudet, cubat inque cauernis
Deſertis, odio proſequiturque domos:
Defugit ac cœtus hominum, dulcemque quietem,
Sancta colit, ſophia eſt, quæ ſoror atherea.
Compedibus rurſum pars altera vincta laborat,
Cum carne vt vitium debilitare queat;
Pars alia exiguis tectis incluſa, ferarum
Ritu, hominem nullum vidit in his latebris.
Biſque dies denos, nocteſque impaſta remanſit,
Sæpius omnigenis abſtinuitque cibis,
Sit fas magna loqui, noſtri pecus vnus Ouilis
Horum erat, hinc abiens paruulo ab oppidulo:
Eſt etiam lingua iniecit, qui vincla loquaci,
Solo animo laudes, perſonuitque Dei:
Eſt etiam in ſacris, qui totos ædibus annos,
Conſtiterit, fundens vota, preceſque Deo.
Nec (quod vix credas) claudebat lumina ſomno,
Sed lapis vt viuens, in prece fixus erat,
Huicque cibi reliquum donabat Coruus, vt ambos
Fructum vnum tantum, quod releuaret, erat.

Et poſt multa.

Præſtantes inter Chriſti pia membra, quis autem
Signa Dei numeret, ſydera cornigera?
Qui mundo exiguè viuunt, minimoſque fauores
Impendunt carni, quæ mala cuncta fluunt.
Qui motus animi ſiſtunt, ſæuaſque procellas,
Quas Belia horrendi vis inimica parit.
Atque modum imponunt verbis, linguaque ſilenti,

Riſumque

Riſumque, atque oculos, auriculaſque premunt.
Qui pede ſunt nudo, duplici ſine veſte, gemuntque
In terra exanimes, mente polumque tenent.

Plurima alia huius generis exempla poſſent adduci; ſed illa apud Lypomanum, & Surium uideantur.

Lypoman. Surius.

Sed labores, & continentiam, temperantiamque uitæ Baſilij Magni, non eſt cur prætereamus. Gregorius Nazianzenus in laudem Baſilij Magni, oratione 20. de eius mirifica paupertate ſic ſcribit. *Illi verò quid vmquam fuit, præter corpus, ac neceſſaria carnis integumenta? Diuitiæ autem illi erant, nihil habere, & Crux, cum qua ſola ipſius vita verſabatur, & quam maiori in prætio habebat, quàm ingentes pecuniæ aceruos; neque enim quemquam, etiamſi maximè cupiat, omnia adipiſci poſſe; at omnia contemnere poſſe, ſicque omnibus rebus præſtantiorem, ſublimioremque ſe præbere.*

Sanctitas D. Baſilij Magni ex D. Gregorio Nazianzeno. Summa eius paupertas.

Et de Continentia eius in uictu, ſic ſubdit. *Quis vmquam tanta inedia fuit? pænè etiam dixerim, quis tàm carnis expers? Nam voracitates, & ſaturitates adeos abiecerat, qui ad brutorum naturam propiùs accedunt, quorumque ſeruilis, atque in terram prona vita eſt. Ipſe autem nihil eorum, quæ poſt guttur, pars deinceps honore ſunt, magnū eſſe cenſebat; Verùm neceſſarijs tantùm cibis, quamdiu licebat, vitam tolerabat, atque hunc ſolum luxum norat, nempè à luxu abſtinere, nec ob eam cauſam, pluribus rebus indigere, ſed lilia, & aues (quibus ſimplex, atque artificij expers pulchritudo eſt, & victus facilis, & ex tempore quæſitus) ob oculos habere, quemadmodum Chriſtus meus monet, qui carnis paupertatem noſtra cauſa ſubijt, vt nos ipſius diuinitate locupletemur. Hinc illi tunica una, pallium vnum, & stratus humi lectulus, & illuuies, & vigiliæ (illa eius decora, & ornamenta) & ſuauiſſima cœna, & obſonium, panis, & ſal, nouum, inquam, illud condimentum, & potio ſobria, & vberrima, quam nobis nihil laborantibus, fontes profundunt.*

Maxima abſtinentia eiuſdem.

Sed de egregijs actionibus, & paſſionibus Sanctorum Monachorum legendus eſt D. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, & in vita Pauli, & Hilarionis, & in Epiſtola ad Euſtochium de Virginitate. D. Auguſtinus lib. 1. de Moribus Eccleſiæ ca. 31. & in ſermonibus ad Fratres in Eremo. D. Athanaſius in uita Sancti Antonij, D. Gregorius Nazianzenus in oratione 21. in laudem Magni Athanaſij. Caſſianus in Collationibus per totum. Tertullianus in lib. de Reſurrectione carnis, & ſexcentos alios, quos conſultò relinquo.

D. Hieron. D. Auguſt. D. Athanaſ. D. Greg. Nazian. Caſſian. Tertull.

Ex D. Hieronymo in Epiſtola 1. ad Eliodorum, verſus finem adijciendum eſt, hos ſanctiſſimos Confeſſores, non ſolùm multas diuitias depoſuiſſe in Theſauro Eccleſię; ſed ipſos eſſe uiuos lapides, de quibus in Apocalypſi, Ciuitas Magni Regis conſtruitur. Pręterea iuſtorum Cathęcumenorum abundantes ſatisfactiones, etiam ante ſuſceptionem Baptiſmi, in communi Theſauro Eccleſiæ reponi, docet Henriquez lib. 7. cap. 18. ſunt enim Chriſtiani non quidem numero, ſed merito, vndè, & eorum ſatisfactiones, in aliorum vtilitatem applicari poſſunt.

D. Hieron.

Opera bona Cathecumenorum in theſauro Eccleſiæ reponi. ex Henriquez.

Nunc ſanctos quoque Veteris Teſtamenti, portionem ſuam in noſtro ærario ſpirituali habere, demonſtremus. Quis enim negabit, Abeli iuſto labores, & patientiam Martyrij, quantum ad rationem ſatisfactiuam, ſuperfluam fuiſſe? De Ieremia quoque, & Ioanne Baptiſta, qui in vtero ſanctificati fuere, uitæque genus laboribus, & Pœnitentiæ ſubiectum, uſque ad mortem traduxerunt, quis idem non affirmabit? Relinquo Sanctum Abraham, Ioſeph, cæteroſque, & ad nouiſſimos deſcendo Machabęos: Eleazarum ſcilicèt, ſeptemque filios vnà cùm matre, de quibus etiam noſtra Eccleſia Chriſtiana diem feſtum ritu religioſo celebrat, & ſicut Stephanum eorum, qui poſt Chriſtum paſſi ſunt, inter primitias agnoſcit, ſic Eleazarum inter primitias eorum, qui ante Chriſtum fuere, enumerat. Magnum Nazianzenum in oratione in eorum laudem, quæ 22. eſt, audiamus. *Quid autem Machabæi? (horum enim nomine, diem hunc feſtum agitamus,) qui quamuis apud multos non honorentur; quia non poſt Chriſtum decertarunt; digni tamen ſunt, qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus, inſtitutiſq; patrijs fortem animum præſtiterunt. Qui porrò ante Chriſti paſſiones Martyrium ſubierunt, quid tandem*

Sãctos etiam viros veteris legis, ſuis ſatiſfactionibus Eccleſiæ theſaurum auxiſſe.

Machabæi.

Nazianze.

facturi erant, ſi poſt Chriſtum perſecutionem paſſi fuiſſent, eiuſq́ mortem, noſtræ ſalutis cauſa ſuſceptam, ad imitandum propoſitam habuiſſent? Nam qui ſine huiuſmodi exemplo, tanta virtutis laude floruerunt, an non multò fortiores ſe præbuiſſent, ſi cum exemplo periculum adire ipſis contigiſſet? Ac ſimul myſticus, & arcanus hic ſermo eſt, mihi quidem, atq; omnibus Dei amore præditis, admodum probabilis; neminem videlicet eorum, qui ante Chriſti aduentum, numeros omnes virtutis impleuerunt, id citra Chriſti fidem eſſe conſequutum. Quamquàm enim Verbum, ſuo poſtea tempore liberè promulgatum eſt, puris tamen animis etiam ante innotuit; quemadmodum ex multis, qui ante ipſum honoribus affecti ſunt, liquidò perſpici poteſt. Quocircà Machabæi non idcircò contemnẽdi ſunt, quia ante Crucem extiterunt; verùm quia ad Crucis normam, vita ſuæ rationes exegerunt, ideò laudandi, ac verborũ honore celebrandi. Hæc Nazian. & plura alia in curſu orationis. Paullò poſt principium laudans Matris Machabęorum conſtantiam, uictimas, & holocauſta, hoſtiaſque filios appellans, ſic dicit. *O virilem animum in muliebri corpore; ò præclarum, & admirandum munus! O ſacrificium, Abrahæ ſacrificio (vereor, nè hoc à me audacius dicatur) maius; ac præſtantius; nam ille unum alacri animo obtulit, quamquam vnigenitum, & diuinitùs promiſſum; immò ad quem promiſſio ipſa referebatur, quodq́ maius eſt, quia non generis tantùm ſui, uerum omnium etiam huiuſmodi hoſtiarum primitiæ, & radix extitit; Hæc autem Populum vniuerſum filiorum Deo conſecrauit. In quo ſanè, tùm matres, tùm Sacerdotes, victimarum ad necem promptè, atq; alacriter accedentium, holocauſtorum ratione præditorum, hoſtiarumq; omni feſtinatione, ad lanienam properantium, multitudine ſuperauit.* Hactenus Gregorius; Qui etiam ordinem Martyrij eorum deſcribit ſic dicens; *Nihil his hominibus fortius, qui ad quiduis perferendum prompto, & parato animo ſunt. Carnifices, quid cunctamini? Quid moras nectitis? Quid benignum, & ſuaue iuſſum expectatis? Vbi gladij? Vbi vincula? celeritatem requiro, ignis amplior accendatur, acriores feræ producantur, exquiſitiora tormenta proferantur, ſint omnia regia, & ſplendida. Primus natus ego ſum: primùm me conſecra. ego poſtremus: ordinis ratio immutetur; ſit quoque quiſpiam eorum, qui media ſunt ætatis, in primorũ ordine, ut ſic æquas honoris portiones obtineamus. Quid parcis? expectas fortaſſe, vt orationem retexamus? Immò verò iterum, ac tertiò; ſæpiuſque, eumdem ſermonem repetamus, non impuris cibis veſcemur; non manus dabimus, citius noſtræ veneraberis, quàm vt nos tuis cadamus. Vt in ſummà dicam, aut noua tormentorum genera excogita, aut hæc, quæ in promptu ſunt, à nobis contemni, pro certo habe. Atque hæc fuit illorum ad Tyrannum oratio.*

Sed, quę inter ſeſe colloquia ante Martyrium habuerint, iucundè auſcultanda ſunt; *Amplectabantur ſe mutuo,* inquit, *atque exoſculabantur, non minus lætis animis, quàm ſi iam ad certaminum finem ventum eſſet. Eamus ad pericula, fratres, clamabant, eamus, properemus, quamdiu feruet aduerſus nos Tyrannus; nè fortè molliatur, atque ita ſalutis iacturam faciamus; proponũtur epulæ inſtructiſſimæ: ijs interſimus. Pulchra quidem res eſt, cùm fratres ſimul habitant, ſimul epulantur, ſeque inuicem conſtipant, ac protegunt; pulchrior autem, cum virtutis cauſa ſimul periclitantur; Ac quidem ſi fieri potuiſſet, corporibuſque pro patrijs ritibus, & inſtitutis depugnauiſſemus; nam hoc quoque mortis genus laude non caret. Quoniam autem temporis ratio id non tulit, ipſa certè corpora offeramus.*

Verba quoque Matris poſt filiorum Martyrium, hoc in loco prætermittenda non ſunt, & poſt multa hęc dicit. *Super niuem ſplenduiſtis, ſuper lac coagulati eſtis, ſuper ſapphyrum cætus veſter eſt, quippe qui Deo progeniti, atque oblati eſtis. Quid iam ſupereſt? Adiunge me (quæſo) filijs, o Tyranne, ſiquid apud hoſtes quoq; gratia locus eſt. Ità enim illuſtrius tibi hoc certamen fuerit. Atq; vtinam mihi per omnia ea ſupplicia, quibus illi affecti ſunt, graſſari contingat, ut ſaniem meam cùm eorum ſanie, & carnes ætate confectas cùm carnibus commiſceam: Nam ipſa quoq́ ſuppliciorum inſtrumenta, propter filios amo. Quod ſi mihi concedatur; at illud certè optarim, ut cineres cum cineribus coniungantur, noſq́ vnum, idemq́ monumentum excipiat. Noli ijs, qui pari virtute præditi ſunt, par mortis genus inuidere. Valete Matres, Valete filij. ſic à vobis prognatos educate: ſic ipſi educemini, pulchrũ vobis exemplum dedimus, facite, ut ad eumdẽ modum certetis.*

Aurea

Aurea ſunt omnia Gregorij verba in ea oratione. Nos plus ſatis fortè, quàm par erat, retulimus, ut oſtenderemus, Sanctos quoque antiquæ legis, ærario Eccleſiaſtico bona ſua contuliſſe. Quod etiam uiros iuſtos Gentiles feciſſe, ſine labore demonſtrabimus, ſi exemplum ſancti Iob repetamus, cuius ſufferentiam, vt ſingularem D. Iacobus in ſua Canonica cap. 5. tanquam efficaciſſimum exemplum patientiæ proponit. *Sufferentiam*, inquit, *Iob audiſtis, & finem Domini uidiſtis, quoniam miſericos Dominus eſt, & miſerator.*

Etiam uiri iuſti in Gentilitate bona opera in theſauro Eccleſiæ repoſita ſunt. Iacob. 5.

Iſte eſt Iob, cuius iuſtitiæ, & merita tamquam maxima proponuntur, & Noè, ac Danieli coæquantur Ezechiel. 14. Sed tam eximij, & patientis viri afflictiones præclarè ſcribit Nazianzenus oratione 21. his verbis. *Hac tibi, tùm ſermone ſuo, tùm cruciatu Iob perſuadeat, qui cùm homo eſſet veritatis cultor, à reprehenſione alienus, iuſtus, pius, & quacumq; illi Scriptura teſtimonio tribuuntur, ab eo tamen, qui ipſum depopoſceras, tot, tamq; denſis, & copioſis aſſultibus quatitur, vt cùm multi ſæpè ex omni hominum memoria, in ærumnas, & calamitates inciderint, nonnulli etiam, vt probabile eſt, vexati, & afflicti fuerint; nemo tamen cum illius miſerijs comparari queat. Non enim pecunias tantum, & prædia, & ſplendidam, ac numeroſam prolem; quæ res ab omnibus hominibus expetuntur; non hæc, inquam, dumtaxat amittit, & quidem ità, ut nec luctibus ipſis, ob malorum connexionem, locus eſſet; ſed poſtremò in ipſo quoq; corpore incurabili, ac viſu etiam tetra, & horribili plaga affectus, pro calamitatis cumulo, uxorem habebat, grauioribus eum conſolantem. Id enim obnixè agebat, vt ad corporis plagam, animæ vulnus accederet. Quin ſinceriſſimos etiam amicos ſuos, malorum (vt ipſius verbis vtar) conſolatores habebat, non depulſores, qui cùm ipſius dolorem perſpicerent, nec doloris arcanum intelligerent, in ea opinione verſabantur, vt non virtutis explorandæ, ſed vindicandi ſceleris cauſa, hanc illi plagam inflictam eſſe, exiſtimarent. Quid dico, exiſtimarent? Immò nec calamitatem exprobrare: Idq; eo tempore, cum etiam ſi peccati pœnam lueret, eius tamen angorem, conſolatoria oratione fallere, ac mitigare conueniebat. Atq; hoc ſtatu Iob erat, & diuina circà eum actionis principia hoc modo ſe habebant; Virtus enim cùm inuido ſpiritu decertabat. Hic, ut virtutem ſuperaret, omni ope contendebat, illa, ut inuicta permaneret, omnia perferebat.* Hactenus Nazianzenus, & nos de his, qui Theſaurum Eccleſiaſticum ſuis opibus affluentiſſimè repleuerunt; nam Angelorum merita in ærario Eccleſiaſtico non concludi, nec hominibus ad ſatisfactionem prodeſſe, euidentiſſimum eſt; tùm quoniam Angeli operibus ſatisfactorijs carent: habuerunt enim tantùm meritoria, quæ ſtatim gloriæ remunerationem receperunt: Tùm etiam, quoniam, etſi corpus myſticum Eccleſiæ non ſolùm conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis, vt inquit, D. Thomas 3. part. quæſt. 8. artic. 4. in corpore; tamen vnum membrum pro alio poſſe ſatisfacere, ad Homines ſolùm pertinet. Adiuuant tamen Angeli homines, orationibus, deprecationibus, impetrationibus, reuelationibus, tutela, atque cuſtodia, cæteriſque miniſterijs, ad quę à Deo mittuntur in commodum eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis, non autem meritis, aut ſatisfactionibus.

Ezechiel. 14. Nazianzen.

Angelorum opera in theſauro non reponi.

D. Thomas.

CAPVT XXX.

Quis ſit huius Aerarij legitimus Diſpenſator.

CIRCA quod ſit Quarta Propoſitio. Solus ſummus Pontifex eſt proprius, & legitimus Diſpenſator Theſauri Eccleſiaſtici, ad concedendum Sacrum Iubilæum: Quamquàm Concilium Generale, Epiſcopi, atque etiam Delegati Indulgentias diſpenſare poſſint. Habet hæc propoſitio duas partes.

Solus Romanus Pontifex eſt legitimus diſpenſator theſauri Indulgentiarū.

In prima dicitur, ad ſolum maximum Eccleſię Prępoſitum ſpectare, Sacrum Iubilęum edicere, & probatur. Cùm enim ipſe ſit Rector Domus Dei, ut Am-

D. Ambro.

broſius, ait in prima ad Thimotheum 3. primuſque Oeconomus, & Gubernator Eccleſię Chriſti, ut dicitur Iohannis 21. Chryſoſtomus libro 2. de Sacerdotio, Auguſtinus in ſupradictum locum Ioannis, Cyrillus in Ioannem lib. ſecundo, Cyprianus aduerſus Nouatianos Epiſtola 26. & denique Sanctus Clemens ad Iacobum fratrem Domini, alijque Patres, tàm Gręci, quàm Latini teſtantur: efficitur, Romanum Pontificem, Proprium, Primarium, & vniuerſalem Diſpenſatorem, Diſtributoremque huiuſmodi ęrarij Eccleſiaſtici eſſe. Pretereà, & eſt ratio D. Thomæ, & Caietani in tract. 16. quęſt. 1. tomo 1. Bona communia alicuius Reipublicæ, ſi rectum ordinem diſpenſationis inſpiciamus, ab eo diſtribuenda ſunt, cui credita eſt ipſius Reipublicæ gubernatio: Princeps enim, qui prę eſt Reipublicæ, ea, quæ ad communitatem, bonumque vniuerſale ſpectant, moderatur, & dirigit: ſic pecunia à ſeruis conflata, & reperta in domo Domini, à præfectis operum templi, fabris eſt diſtribura 4. Reg. cap. 22. ſatisfactoria autem opera, ex quibus integratur Theſaurus, eſſe quidem bona communia totius Reipublicæ Eccleſiaſticæ (pro Eccleſia enim ſunt facta, & in illius commodum relicta) ſuperiùs monſtratum eſt; Tertio id definitur in citata Extrauaganti. *Vnigenitus*, à Clemente Sexto illis verbis. *Quem quidem Theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum; ſed per Beatum Petrum Cæli Clauigerum, eiuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & proprijs, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali Remiſſione pænæ Temporalis, &c.* Quartò Summus Pontifex indeterminatam habet facultatem communicandi Indulgentias, (non quidem exhauriendi totum Theſaurum, cùm ſummus ſit, & infinitus; ſed ſuo arbitrio diſpenſandi illum, prout fidelibus iudicauerit neceſſarium totaliter; vel partialiter pœnam remittendo) ergò illius proprium erit, Sacri Iubilæi Indulgentias, quæ ſummæ ſunt, promulgare. Quinto, Remiſſio vniuerſaliſſima culparum in toto orbe, ad Summum Pontificem duntaxat ſpectat. Is enim ſolus caſus ſibi reſeruat, qui ab vllo Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel Patriarcha abſolui nequeunt, ergò etiam vniuerſalis pœnarum remiſſio; & quantum ad totalitatem pœnæ, & quantum ad generalitatem ſuſcipientium, à ſolo Papa concedi poterit; Habet enim is plenitudinem poteſtatis, vt habetur in cap. Quanto, de Translatione Epiſcoporum, & in cap. Prępoſuit, de conceſſione prębendę. Neque in probatione huius primę partis concluſionis, eſt diutiùs immorandum.

Ioan. 21. Chryſoſt. Auguſt. Cyrill. Cyprian. Clemens. D. Thomas. Caiet. 4. Reg. 22. Clem. VI.

QVOD autem Concilium Generale legitimè congregatum poſſit etiam Indulgentias plenarias, & generaliſſimas concedere, quod in 2. par. propoſitionis dicebatur; primò ex facto probatur: Concilium enim Baſilęenſe in ſeſſ. 24. pro reductione Gręcorum, plenarias Indulgentias conceſſit, vt ſuperius diximus; deindè etiam ratione: quoniam Generale Concilium, in Spiritu Sancto legitimè congregatum; pręſertim pręſentibus Papa, vel eius Legato, iure diuino, plenam habet iuriſdictionem. Vndè Indulgentias pleniſſimas concedere poteſt, ſicut etiam facultatem habet abſoluendi à caſibus, etiam Apoſtolicę Sedi reſeruatis: Quod fecit Concilium Tridentinum in cap. *Liceat*, ſeſ. 24. quemadmodum etiam Concilium Generale excommunicare poteſt, ſuſpendere, & interdicere, &c. Ità Sotus in 4. diſtin. 21. quęſt. 1. art. 4. Nauarrus de Indulgen. notab. 31. num. 2. & Felinus in ſerm. de Indulgen. columna finali. Henriquez lib. 7. cap. 31. §. 3. qui extendit hoc ad Concilium ſine auctoritate Papę tempore ſchiſmatis legitimè congregatum.

Quod etiam Concilium Generale legitimè coactum poſſit Indulgentias concedere. Conc. Baſil. Conc. Trid. Sotus. Nauar. Henriq.

AN autem Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchę, Indulgentias concedere poſſint, dubium non eſt, cùm, & in Concilio Lateranenſi ultimo, id expreſsè ſupponatur, & perpetuus, vniuerſaliſſimusque uſus Pręlatorum Eccleſię teſtatur; Verùm, quo iure, diuino nè, an poſitiuo, id pręſtare poſſint, maximum, & grauiſſimum dubium eſt inter Theologos.

Quo iure Epiſcopi, & alij ſuperiores Prælati poſſint Indulgentias concedere.

DVRANDVS in 4. diſtin. 20. quęſt. 5. & alij, ut refert Paludanus eadem diſtinct. quęſt. 4. art. 2. concl. 3. exiſtimarunt; ius concedendi Indulgentias à Domino Ieſu Chriſto, iure ordinario, ſoli Papę conceſſum fuiſſe. Cęteros autem Epiſcopos,

Durand. Palud.

& Prælatos,

& Prelatos,ſolùm ex commiſsione Papę,quę generaliter, dùm conſecrantur, eis conceditur,id habere; Addunt etiam, Epiſcopum, dùm concedit Indulgentias, non dare illas;ſed denunciare;quia delegatus non poteſt ſubdelegare: huius opinionis fundamentum eſt, quòd poteſtas concedendi Indulgentias, non ſit poteſtas Clauis, uel iuriſdictionis; ſed tantum facultas communicandi Theſaurum; quam ſententiam,etiam ſequitur Silueſter,uerbo,Indulgentia queſt.5.num.10.& citat Hoſtienſem,eam tenentem,additque quòd ſicut reliqui ex commiſsione ſpeciali Papę id preſtare poſſunt; ità quoque ex commiſsione generali eiuſdem, Epiſcopi ergà ſubditos ſuos. Auguſtinus de Ancona in lib.de Poteſt.Eccleſiaſt.queſt. 39.art.5.huic ſententię ſubſcribit.

Silueſter.

Auguſt. de Ancona.

Verùm hęc opinio,refellitur cum ſuis fundamentis, collatio enim Indulgentiarum,non ſolùm eſt nuda diſtributio communis Theſauri,ſeù ſolutio pœnarū; ſed eſt actus abſolutionis, & poteſtatis Clauium, & iuriſdictionis, ut ſuperiùs dictum eſt,quarum actus, extrà Sacramentum exercere iure ordinario,etiam ad Epiſcopos ſpectat,per Indulgentias enim non ſolùm fit ſolutio debiti,ſed etiam remiſsio peccati,quantum ad pœnam; & Epiſcopum tantummodo declarare; non autem uerè dare Indulgentias, ridiculum eſt, & minus dignitati Epiſcopali congruens.

Refellitur opinio ſupradicta.

Vnde alij ueriùs,(meo Iudicio)dixerunt,Patriarchas,Archiepiſcopos,& Epiſcopos,iure diuino,ordinariam poteſtatem habere concedendi Indulgentias;minores tamen, & inferiores à Papa. Hęc concluſio implicitè continetur in illo decreto Concilij Tridentini de Indulgen.ſi benè inſpiciatur, præſertim in illis uerbis. *In his tamen concedendis moderationem,iuxtà veterem, & probatam in Eccleſia cō ſuetudinem, adhiberi cupit,&c.*& in poſtremis uerbis, *vt ità Sanctarum Indulgentiarum munus,piè,ſanctè,& incorruptè,omnibus fidelibus diſpenſetur.* Quibus uerbis, ſi addantur ea,quę in principio illius capitis apponuntur, in quibus dicitur,à Chriſto hanc poteſtatem Eccleſię traditam eſſe; id,quod intendimus probare, non obſcurè colligitur.

Iure diuino Epiſcopi poſſunt dare Indulgētias,minores quàm Papa.
Conc. Trid.

Hanc opinionem, quę eſt communis, expreſsè tenet D.Thomas in 4.diſt.20. queſt.4. D.Bonauentura, Paludanus eadem diſt. loco citato, Gerſon in tract.de Poteſt.Eccleſiaſt. Supplemen.Gabri. in 4.diſt.45. queſt.3. art.2. propoſit.6.& 8. Sotus in 4.diſtin.21.queſt.1.art.4.Nauarrus in tract.de Indulg.notab.31. Medina diſput.8.cap.47.cuius ſententia inferiùs diſtrictius examinabitur, Corduben, lib.5.de Indulgen.queſt.12.& Caietanus tom.1.tract.8.queſt.4. licèt in tract.16, queſt.1.loquendo de totali diſpenſatione Theſauri,ſoli Papę illam reſeruet. Probatur autem hęc ſententia pluribus argumentis,

D.Thomas.
D.Bonauent.
Palud.
Gerſon.
Suppl. Gabr.
Sotus.
Nauar.
Medina.
Cordub.
Caietan.

Primo, Poteſtas Clauium, & Prelationis, de qua loquitur Chriſtus Matthęi 16.& 18. Vbi fundantur Indulgentię, non ſolùm ſe extendit ad remiſsionem culpę,ſed etiam ad remiſsionem pœnę extrà Sacramentum, ut ſuperiùs demonſtratum eſt;ergò non ſolùm Papa,ſed etiam cęteri Eccleſiarum Prelati, ſeu Prępoſiti, quo nomine ſæpè Cyprianus illos appellat, ex iure Clauium, Indulgentias conferre poſſunt,& conſequenter,diuino iure,ex Theſauro diſpenſare;non enim poteſtas remittendi peccata extrà Sacramentum, tantummodò Papę conceſſa eſt; ſed etiam Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in dignitate; cùm illis quoque dictum fuerit. *Quæcumque ſolueritis,&c.* Igitur eo ipſo,quod quis ordinatur Epiſcopus huius,uel illius Diœceſis,habet Clauem, & poteſtatem ad remittendum peccatum,quoad pœnam extrà Sacramentum,ergà ſuos ſubditos;ſicut, & ad abſoluendum illos à culpa in Sacramento, etiam ſi per Summum Pontificem, nil aliud illi ullo modo committatur. Nec obſtat,quòd Papa preficit illos huic,uel illi Eccleſię:nam quamuis huiuſmodi attributio,applicatio,& deſignatio ſubditorum, in actu exercito,ſit de iure poſitiuo,depēdens à commiſſione, & mera uoluntate Papæ;tamen poteſtas Clauium ad predicta erga ſubditos eſt de iure diuino, collata, Ioannis 20.& alijs locis citatis; quemadmodum etiam de Parocho dicimus,quòd,illum habere ſubditum Ioannem,vel Franciſcum,aut hanc,uel illam

Epiſcoporum poteſtatē circà Indulgentiarum cōceſſiones eſſe ex iure diuino probatur.
Matth. 16 & 18.
Cyprianus.

Parochiam,

Parochiam, ſit de iure poſitiuo; ſed quòd ſubditos abſoluat à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, ſit ex virtute diuina, quæ in Sacramento Ordinis, à Chriſto inſtituto, ei poteſtatem abſoluendi tradidit. Vndè concluditur, quòd Epiſcopus, ex natura officij ſui Epiſcopalis, iure diuino inſtituta, habet ius conferendi Indulgentias.

D. Hilarius.

SECVNDO, quia Epiſcopi ſunt Principes ſpirituales Populorum, ut Hilarius in Matthæum dicit, Can. 17. in initio, ſuntque Gubernatores Ciuitatum, & Diœceſum, ergò in illis facultate diſpenſandi Theſaurum uti debent.

TERTIO, quoniam ſi Epiſcopi tantùm ex commiſſione Papæ, ſeu ex Priuilegio id facerent, non poſſent committere inferioribus Clericis facultatem conferendi Indulgentias, cùm Delegatus ſubdelegare non poſſit; quod tamen falſum eſt, ut paulò poſt inferiùs dicemus. Cùm ergò ritè eam committant, neceſſariò dicendum eſt; eos id facere iure ordinario, & conſequenter ex natura officij Epiſcopalis Indulgentias dare; cùm omne illud, quòd per aliud eſt, ad illud, quod per ſe tale eſt, reducatur.

QVARTO, Curati, & Parochiales Presbiteri, ideò ex diuino iure non habent facultatem conferendi Indulgentias, quoniam ad eorum officium; ideſt, animarum curam, quam ipſi gerunt, non ſpectat illam habere Iuriſdictionem, ergò, cùm ad Epiſcopale munus per ſe ſpectet illa Iuriſdictio; (ſunt enim Epiſcopi, iure diuino, ſucceſſores Apoſtolorum, in iure, & dignitate Epiſcopali; ſunt item Prælati, Præpoſiti, & Gubernatores Populorum, non ſolùm in foro Poli; ſed etiam in foro fori Eccleſiaſtico, vt ſuperius tactum eſt) neceſſariò fatendum eſt, ius conferendi Indulgentias, per ſe ad officium Epiſcopale pertinere; quòd autem in antecedenti ponitur, id ad Curatos non pertinere, facilè eſt probare; quoniam præterquàm quòd non ſunt propriè Prælati; ſed iure poſitiuo coadiutores Epiſcoporum, ut docet D. Thomas ſecunda 2. quæſt. 184. artic. 6. & 8. & in 4. diſtinct. 20. quæſt. 4. illi non acceperunt à Chriſto Clauem, & facultatem, niſi in foro interiori, & alligatam Sacramentis, ut notiſſimum eſt Ioannis 20.

D. Thomas.
Ioan. 20.

Viualdus exiſtimat, Confeſſarios approbatos poſſe concedere Indulgentias.

MARTINVS Viualdus Hiſpanus in ea eſt ſententia, quam putat veriſſimam, quòd omnis Confeſſor approbatus in foro Pœnitentiæ poſſit Indulgentias concedere ſibi confitentibus, in tract. de Indulg. num. 6. & ideò bonum eſſe, ſi Sacerdos in impoſitione Pœnitentiæ; diſpenſet cùm confitente, circà reſiduum pœnæ, ſi maior eſſet imponenda. Quæ ſententia fuit etiam, ante illum, grauiſſimorum virorum; Innocentij, in cap. *Quod autem*, de Pœnit. & Remiſſ. Zabarellæ in Clem. *Religioſi* de Priuilegijs, Panormitani in Cap. *Sicut dignum*; de Homicid. Archidiaconi, & Geminiani cap. *Indulgentiæ* de Pœnit. & Remiſſ. libro 6. & Gloſſæ in cap. *Menſuram*, de Pœnit. diſt. 1. Verbo, Sacerdotis, & inter Theologos Marſilij in 4. quæſt. 12. vt refert Soto diſtin. 21. quæſt. 1. artic. 2. Qui addit vnum mirabile, videlicèt Sacerdotem, dum in Sacramento abſoluit, Indulgentias conferre, perindè ac Romanus Pontifex, & quando abſoluit à culpa, & pœna, tunc conferre Indulgentiam plenariam, & eſt etiam opinio Armillæ, verbo Indulgentię nu. 3. & Angeli, eodem verbo nu. 5. Sed hæc ſententia facilè reprobatur. Primò, quoniam, ut bene inquit Soto, loco citato, præterquàm quòd ille modus loquendi, ideſt, diſpenſandi confitentem à reſiduo pœnæ; ſit extraneus à foro pœnitentiali, (quamuis Viualdus dicat, id per ignorantiam, & negligentiam Confeſſorum euenire) eodem modo dici poſſet, per Baptiſmum, & alia Sacramenta conferri Indulgentias. Secundò, quoniam id dicere, eſt Hæreſim Lutheri affirmare, qua dicebat, (ut refert Caſtro aduerſus Hæreſes lib. 2. verbo; Abſolutiò; Hæreſi 2.) non plus facere Papam, & Epiſcopum in Sacramento Pœnitentiæ, quàm infimum Sacerdotem; *Quamuis enim verum ſit, quòd æquè à tota abſoluit culpa ſubditum Sacerdos, niſi ſit reſeruata, ſicut Papa; tamen quoad pœnam, quæ reſtat perſoluenda, infimus Sacerdos, vltrà abſolutionem à culpa, numquàm propria auctoritate poteſt in vniuerſum à pœna abſoluere.* Hęc ſunt verba Caſtri, quem malè citat Viualdus pro contraria ſententia, cùm nihil minus dicat; ſicut etiam Silueſtrum, qui

Innoc.
Zabarel.
Panormit.
Archidiac.
Geminian.
Gloſſ.
Marſil.
Sotus.
Armil.
Angel.
Refellitur hæc ſententia.
Alphon. à Caſtro.
Silueſter, & Caſtro defenduntur contra Viualdũ.

quamuis

quamuis ex ſententia Innocentij, & Geminiani uideatur id aſſerere, quod iſte Viualdus dicit, in nu. 11., tamen in nu. 12. dicit, eſſe impoſſibile propriè loquendo, Sacerdotes in foro pœnitentiali poſſe dare Indulgentias: interpretaturque Doctores, qui contrarium uidentur dicere, non eſſe intelligendos, quaſi aſſerant id fieri, applicando merita per modum Indulgentiæ: ſed augendo erubeſcentiam, & contritionem, virtute Clauium, &c. Ità quoque ſentiunt Calderinus in cap. *Noſtro*, columna 17. de Pœnit. & Remiſſ. & Nauarrus in cap. *Quem pœnitet*, eodem titulo, nu. 7. & in cap. *Quis aliquando*, notab. 31. nu. 9. Ex dictis patet, ad Epiſcopalem dignitatem pertinere ius conferendi Indulgentias, ſicut & conferre Ordines maiores, & confirmare. Sed fortè hæc quæſtio ex illa alia pendet, ſcilicèt, an omnis ordinaria Iuriſdictio Epiſcopalis immediatè à Deo deſcendat, vel à Papa: quę tamen in alium proprium locum reijcienda eſt.

Calderin.
Nauar.

QVOD autem Epiſcopi, minores quàm Papa, Indulgentias conferre poſſint, non eſt opus probare; cùm ſolus Papa habeat plenitudinem poteſtatis, in quo etiam poteſtas diſpenſandi Theſaurum, ex iure diuino uberius, & principalius reſidet, iuxtà illud Ioannis 21. *Paſce oues meas*, & Matthæi 16. *Quacumque ligaueris, &c.*

Ioan. 21.
Matt. 16.

Quocircà in cap. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & Remiſſ. cùm nimis Epiſcopi laxarent habenas, ad magnas Indulgentias concedendas, fereque æquales temerè ſe facerent in hoc Romano Pontifici, Decreto Concilij Generalis, ad 40. dies, vel etiam ad annum, in die conſecrationis Eccleſiæ, exercitium huiuſmodi poteſtatis, quoad Epiſcopos, limitatum fuit.

Poteſtas Epiſcoporum limitatur circà Indulgentias.

INTER Indulgentias autem Papę, & Epiſcoporum, magna intercedunt diſcrimina. Primum eſt, quod plenariam, & quorumcumque annorum Indulgentiam tantummodò ſummus Pontifex, & Generale Concilium concedere poſſunt. At verò Epiſcopi, Archiepiſcopi, Legati non niſi ſecundum, quod eis eſt conceſſum, & taxatum, in Cap. *Cùm ex eo*, & Cap. *Noſtro*, de Pœnit. & Remiſſ. Vndè Felinus in tract. de Indulg. dicit, quòd Legatus Papæ, Archiepiſcopus, & Epiſcopus ſunt pares in dando Indulgentias; quod dictum limitandum eſt hodie quoad Legatos; quia cùm id ex commiſſione faciunt, tantas poſſunt dare Indulgentias, quantas habent à Papa in facultatibus, & in commiſſione, & aliquando etiam plenariam, ſi Papa illis concedat.

In quibus differunt Indulgentiæ Epiſcoporum, ab Indulgentijs Roman. Pontificis.
Felinus.

Secundum Diſcrimen eſt, quòd ſolus Papa, & Concilium perpetuas poſſunt concedere Indulgentias; reliqui verò dumtaxat temporales, excepto Legato, qui in terminis ſuæ legationis, ſicut perpetua poteſt facere ſtatuta per Cap. finale, de offi. legati; ità quoque perpetuas Indulgentias; quod tamen tutiùs eſſet, ſi in eorum facultatibus Papa id exprimeret.

Tertium Diſcrimen eſt, quòd ſolus ſummus Pontifex poteſt concedere Indulgentias in toto mundo, & in omnibus eius partibus; at verò cæteri tantùm in ſuis Iuriſdictionibus; vt Epiſcopi in ſua Diœceſi, Archiepiſcopi in ſua Prouincia, & Legatus in ſua legatione; hæc autem dicta ſint citrà Priuilegium ſpeciale Pontificis; poteſt enim concedere alicui maiorem poteſtatem concedendi Indulgentias, ut Cardinalibus, Præfectis Religionum, & alijs, quibus voluerit.

CONVENIVNT autem in eo: quòd ſicut Papa poteſt ex commiſſione dare alteri, dummodò ſit Clericus, facultatem dandi Indulgentias, ità quoque Epiſcopi inferioribus Clericis, etiam nō Sacerdotibus; omnia enim, quæ ſpectant ad Iuriſdictionem, ſunt iure Canonico delegabilia, iuxtà Gloſſam receptam cap. *Peruenit*, diſtin. 95. & quæ notantur in cap. *Quod ſedem*, de officio ordinarij, & in cap. *Tranſmiſſa*, de electione, & eſt Doctrina D. Thomæ in 4. diſtin. 20. art. 4. quæſt. 1. & in quodlib. 2. art. 16. ad ſecundum, & Armillæ in verbo, Indulgentia num. 4. & Nauarri de Indulg. notab. 31. num. 8. & communiter Summiſtæ, & Canoniſtæ id docent. Nec recipitur dictum Hoſtienſis in cap. *Accedentibus*, de exceſſibus Prælatorum, quòd requiratur etiam in Epiſcopo electo, vt ſaltem ſit Sacerdos, ad hoc, ut poſſit ex officio ordinario Indulgentias cōferre, poteſtas enim Ordinis, vt inquit

In quibus cōueniunt Papa & Epiſcopi in concedendis Indulgentijs.
Gloſſ.
D. Thom.
Armill.
Nauar.
Hoſtienſis doctrina refutatur.

Scotus

Scotus.

Armill.

Scotus in 4. diſtin. 19. ſecerni poteſt à poteſtate iuriſdictionis. Prius enim in corpus Chriſti verùm ſuit poteſtas data Apoſtolis à Chriſto, quàm in corpus myſticum; undè ſunt adinuicem ſeparabiles, & vna prius, quàm altera dari poteſt, ut etiam hodie fit in ordinatione Sacerdotis; Hinc ſequitur, quòd Vicarius Epiſcopi non poteſt dare Indulgentias, niſi habeat ſpecialem licentiam, vt Armilla, verbo, Indulgentia num. 3.

Sotus.

Palud.
Cordub.

Conueniunt ſecundò, quòd ex eodem Theſauro Eccleſiaſtico Papa, & Epiſcopi hauriunt Indulgentias, vnus enim eſt, vt diximus, Theſaurus in Eccleſia. Vndè reprehendendi ſunt, qui dicũt, Papam ex Theſauro vniuerſali totius Eccleſiæ; Epiſcopum verò, ex particulari Eccleſiæ, cui præeſt, id petere. Quod videtur ſentire Sotus in 4. d. 21. quæſt. 1. art. 4. in ſolutione ad ſecundum, dùm dicit, quod Theſaurus vnius Epiſcopatus non eſt tàm diues, ut ampliſſimas poſſit facere Indulgentias; vt enim inquit Paludanus diſtin. 20. quæſt. 4. art. 2. conc. 3. & Cordubenſis in citata quęſt. 12. in qualibet Eccleſia particulari eſt Theſaurus totius Eccleſiæ communis omnibus Eccleſijs, quantum ad ſingulare Eccleſiarum Regimen eſt neceſſarius; Vndè de Theſauro totius Eccleſiæ, benè poteſt particularis Epiſcopus, (quantum ei fas eſt) Eccleſiæ ſuæ diſtribuere, & diſpenſare.

Solus Papa concedere poteſt Indulgentiam vniuerſalem; & quęnã requirantur ad talem Indulgentiam.

Auguſt. de Ancon.

D. Antonin.

Ex dictis Corollarium ſequitur, quòd ſolus Papa poteſt vniuerſalem Indulgẽtiam dare; ut enim inquit Auguſtinus de Ancona, in Summa de Poteſt. Eccleſiaſtic. quæſt. 29. art. 1, tria ad Vniuerſalem Indulgentiam requiruntur. Primùm Vniuerſalitas Theſauri, quo ſtipendiantur milites Eccleſiæ, fideles Chriſti: ſecundùm, Vniuerſalitas Iuriſdictionis, & diſpenſationis: Tertium eſt Vniuerſalitas cauſæ, prò qua conceditur Indulgentia; quia Vniuerſalis Indulgentia, ſolùm pro vtilitate Vniuerſalis Eccleſiæ fieri debet; iſta autem tria ſolùm in Papa reperiuntur, & ideò ſolus is poteſt vniuerſalem Indulgentiam conferre, qualis eſt Indulgentia Sacri Iubilæi, vt Antoninus dicit in 1. par. tit. 10. §. 6. de Indulgentia Iubilæi. Vndè iure optimo Papa ſolus Clauiger Theſauri Eccleſiaſtici appellatur.

Triplex modus conferendi Indulgentias ex Medina.

Medina exiſtimauit, triplici modo Indulgentias conferri poſſe. Vel per modum auctoritatis tantùm; vel per modum ſuffragij tantùm; vel per modum auctoritatis, & ſuffragij ſimul, prioríque modo ſolo, non quidem in ſua tota amplitudine; ſed ſecundùm Papæ arbitrium, Epiſcopis jus conferendi Indulgentias competere, reliquis duobus modis, tale ius ad Pontificem Summum pertinere; ex quibus infert primò, ſoli Papæ creditum eſſe Theſaurum: Secundò, Epiſcoporum poteſtatem, non tàm à Pontificibus, & Concilijs ad quadragenarium numerum contractam eſſe, quàm declaratam, & expoſitam.

Refellitur doctrina Medinæ.

Conc. Trid.

Verum hæc omnia, quæ ab eo dicta ſunt, liquet, non ſubſiſtere; tùm quia Indulgentia ſinè Theſauro conferri poſſet; tùm etiam, quia cùm Papa aliquando, vel Curatis, vel Abbatibus, vel Præpoſitis Religionum concedat ius conferendi Indulgentias ſuis ſubditis, quæ vtique ex Theſauro hauriuntur, maiori auctoritate & priuilegio, hi præditi eſſent, quàm Epiſcopi, qui, ſecundum ipſum, nec guttam aquæ ad refrigerandas poenas, ex illo haurire poſſunt; tùm denique quoniam, ſi benè perpendantur rationes, quibus Concilium Lateranenſe motum fuit ad coercendam huiuſmodi poteſtatem Epiſcoporum, conijcitur ſatis clarè, ante illam limitationem, Epiſcopos Indulgentias illimitatè, & ſine vlla Papæ commiſſione, ex iure ſui officij ordinarij contuliſſe. Non enim ea ratio ibi affertur, quaſi id non poſſint; ſed quod per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, Claues Eccleſię contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio langueſcit. Quam rationem repetit Concilium Tridentinum loco citato. Adde, quòd ſi omne moderamen Indulgentiarum eſſet potius declaratio, quàm modeſtatio, Patres in Concilio Tridentino aliquid noui, circà talem poteſtatem declaraſſent; quod non eſt dicendum, cum ibi tantummodo moderamen in illis concedendis, iuxtà veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupiat, nè nimia facilitate, Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur.

Diuiſio tripartita theſauri ex Coſma Mõtigiano.

Cosmas Montigianus in libello ſuo, idiomate vulgari conſcripto, de Sanctiſ-

ſimo Iubilæo cap. 19. Theſaurum Dei infinitum quidem; ſed tripartitum ponit, Potentiæ ſcilicèt, Sapientiæ, & Miſericordiæ, appellatque Potentiam Patris, Sapientiam filij, & Miſericordiam Spiritus Sancti Theſaurum. Iuxtà illud Deuteron. 32. *Non nè hac recondita ſunt apud me, & ſignata in Theſauris meis?* Additque Petrum Apoſtolum, Theſaurarium, Diſpenſatoremque Theſauri Patris eſſe, cùm illi potentiæ Theſaururus creditus ſit, iuxtà illud Matthęi 16. *Caro, & Sanguis non reuelauit Tibi; ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis.* Potentiamque Patris dicit eſſe, aperire, vel claudere Regnum Cœlorum; & ideò dictum fuiſſe Petro, *Tibi dabo Claues.* Deindè Paulum Apoſtolum Theſaurarium filij appellat, quòd commiſerit illi ſcientiæ, & ſapientiæ Theſaurum, iuxtà illud ad Galatas primo. *Neque enim ab homine accepi illud, neque dedici, ſed per reuelationem* IESV *Chriſti.* Denique Beatam Virginem, Theſaurariam eſſe Spiritus Sancti, eò quòd ſit Mater Gratiæ, & Miſericordiæ. Deut. 32. Math. 16. Ad Galat. 1.

VERVM hic Auctor non nimis ſapienter, & Theologicè loquitur. Theſaurus enim Eccleſiæ non ex bonis Dei, & diuitijs, & attributis Sanctiſſimæ Trinitatis conſtituitur, ut ſuperiùs dictum eſt; ſed ex bonis, & meritis Chriſti Dei, & Hominis, ſecundum humanæ naturæ rationem, & virorum iuſtorum meritis; quæ tamen ex Sanctiſſimæ Trinitatis gratia per Chriſtum vim ſatisfaciendi habent. Præterea, quid tres Diſpenſatores adhibet? Quamuis enim omnis Chriſti gratia per Virginem, tamquam per collum, ad nos dimanet, & per eius impetrationem, & interceſſionem omnia bona nobis à Deo concedantur, non eſt tamen illa (quæ Clauibus Eccleſiæ carebat, & incapax ratione ſexus Sacramenti Ordinis erat) dicenda Diſpenſatrix Eccleſiaſtici Theſauri, hoc enim illorum eſt, quibus à Chriſto dictum fuit. *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlis.* Poſtremò, cùm Paulus diſtribuebat diuitias ærarij Eccleſię, non vtique ſapientiam Dei diſpenſabat; ſed eius, & ſuas paſſiones, in perſona Chriſti donabat; Principi autem Apoſtolorum, traditas eſſe à Chriſto Claues, (quę Claues Regni Cœlorum à Chriſto appellantur, non autem potentiæ Dei Patris) omnis Theologorum ſchola edocet. Iſtæ enim improprię locutiones in tractatione rei grauiſſimæ, ſummoperè à Docto Viro vitandæ ſunt. Non probatur doctrina Montigiani.

NVNC reliquum eſt (ut perfectam Theſauri Eccleſiaſtici doctrinam tradamus) illis obiectionibus reſpondere, quas Hæretici, vel etiam aliqui ex Catholicis aduerſus hunc Theſaurum faciunt.

CAPVT XXXI.

Obiectiones reijciuntur, quibus aduerſarij Aerarium Eccleſiaſticum demoliri conantur.

ADVERSARII contrà Theſaurum inſurgunt, his argumentis. Argumenta hæreticorum contra Theſaurum Eccleſiæ.

PRIMO, Quia hæc aſſertio fit ſine ſufficienti auctoritate Scripturæ; nec Romanæ Eccleſiæ auctoritas hac in re illi ſuffragatur, cùm in rę tam graui, & Iuſtitiæ Dei deroganti, nil affirmari debeat, de quo non poſſimus reddere rationem. Et hoc argumentum eſt Achilles familiaris Lutheri, & omnium Hæreticorum.

SECVNDO, meta præfixa bonis operibus Chriſtianorum, eſt ipſe Chriſtus, ad cuius exemplar omnis probatæ, atque ſanctæ vitæ figura referenda eſt, iuxtà illud Pauli ad Romanos 8. *Conformes fieri imagini filij Dei:* ſed hanc metam nemo attingit. Paulus enim, qui plus omnibus laborauit, de ſe ipſo dixit, *nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum*; fruſtrà igitur fingunt Papiſtæ, inquit Lutherus, certum modum bonorum operum, quibus pro peccatis ſatisfiat, quem homines excedere valent, vtpotè, plura pati aduerſa, uel patrare benefacta, quàm Ad Rom. 8.

ipſis

ipſis ſint neceſſaria ad ſalutem, quæ vocant opera ſupererogationis; ex quibus
Roſenſis. coniunctis meritis Chriſti conficiatur Theſaurus Indulgentiarum. Sic refert Ro-
ſenſis ex Luthero.

Tertio, nulla Sanctorum merita ſunt relicta irremunerata, omnes enim ope-
rationes Sanctorum, etiam Beatæ Virginis, tam in ratione meriti, quàm in ratio-
ne ſatisfactionis, ſuprà condignum per gloriam beatitudinis remuneratæ ſunt,
Lucæ 6. iuxtà illud Lucæ 6. *Menſuram bonam; & cogitatam, & ſuper effluentem dabunt in
ſinum ueſtrum*; ergò nihil ſuperflui redundat, per quod Theſaurus confici poſſit.
Durand. eſt argumentum Durandi, & Mayronis.

Mayron. Qvarto, ipſemet Chriſtus Redemptor noſter recepit præmium ſuorum me-
ritorum, & laborum, iuxtà illud Lucæ. *Sic oportebat pati Chriſtum, & intrare in glo-
riam ſuam*, atque ob id Paulus cùm dixiſſet. *Propter quod Deus exaltauit illum*. Sub-
iungit, *& dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine* Iesv, *omne genu fle-
ctatur, &c*. Quare nullus relictus eſt meritorum Theſaurus, & eſt argumentum
Mayron. Mayronis.

Qvinto, id etiam in Sanctis accidiſſe, ſic oſtēditur. Omnis ſatisfactio, & opus
pœnale Sanctorum, etiam ſi innocentiſſimam vitam egerint, ob quam pro pro-
pria perſona ſatisfactione non indiguerint, commutatum eſt in remunerationem
1. Cor. 3. æternæ gloriæ, iuxtà illud 1. Corinth: 3. *Vnuſquiſq; propriam mercedem recipiet, iux
Durand. tà ſuum laborem*. Igitur nulla ſunt opera ſupererogationis, & eſt ratio Durandi.

Sexto, nullus Sanctorum ſufficienter impleuit in hac vita, mandata Dei: om-
nis enim Sanctus ex iuſtitia tenetur, diligere Deum, quantum poteſt, & vltrà
quàm poteſt, & cùm fecerint omnia, quæ debuerunt facere, ſerui inutiles ſunt;
Vndè ſapientes Virgines noluerunt communicare oleum ſuum fatuis, timentes,
D. Auguſt. ne illis deficeret; ergò nulla ſunt merita ſuperflua. Quod Auguſtinus videtur aſ-
ſerere lib. 1. retract. cap. 19. dicens. *Magis ignoſcente Deo, quàm implente*.

Septimo, ſi aliquod opus ſupererogationis, & ſuperexcedens iudicandum eſ-
ſet, vtique Martyrium, quod eſt opus perfectiſſimum, iuxtà illud, *Maiorem Chari-
tatem nemo habet, &c*. ſed hoc eſt etiam opus debitum, dicente Domino, *Qui eru-
buerit me coram hominibus, erubeſcam, & ego eum coram Patre meo*, & ſimilia. ergò
multò minus alia opera ſuperexcedentia iudicanda ſunt.

D. Auguſt. Octavo, D. Auguſtinus, multis in locis dicit, quod omnibus Sanctis conue-
nit dicere. *Dimitte nobis debita noſtra*, ſed qui confitetur, ſe habere debitum, utique
non ſuperabundat, ergò.

Nono, & eſt maior explicatio præcedentis. Nullus Sanctus in hac vita eſt ſine
1. Ioan. 1. aliquo peccato, ut dicitur 1. Ioannis 1. *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos
ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Ergò omnis Sanctus aliqua ſatisfactione
indiget; nulla ergò merita ſunt ſuperflua. Confirmatur hæc ratio, quia omne o-
pus bonum, etiam cùm omnibus ſuis circumſtantijs optimè factum, eſt pecca-
D. Auguſt. tum veniale, ut inquit Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 19. *Omnia mandata implen-
tur, quando quicquid non impletur, ignoſcitur*.

Decimo, Sancti orant pro ſe ipſis, nè Deus illis peccatum imputet, ut inquit
D. Hieron. Hieronymus contra Pelagianum, exponens illud, *Beatus vir, cui non imputauit Do
minus peccatum*; Et infrà. *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno*,
ergò, &c.

Vndecimo, quia diſtributio huius Theſauri tendit in maximam iniuriam, &
irreuerentiam paſſionis Chriſti. Cùm enim Remiſſio pœnæ infimum quid ſit, at-
que uiliſſimum, non eſt cur illa preçioſiſſima in ſolutionem, & relaxationem pœ-
næ temporalis expendatur.

Dvodecimo, Gratia, ſiuè per Contritionem, ſiuè quocumque alio modo ali-
cui communicetur, non datur niſi communicatis quoque meritis Chriſti, ergò
ſuperfluæ ſunt Indulgentiæ, cùm ſine illis Theſaurum meritorum Chriſti quis
conſequatur.

Decimotertio, Sancti dùm uiuerent, numquam habuerunt intentionem ap-
plicandi

plicandi poſteris opera, & ſatisfactiones ſuas, ergò nullo pacto ad vſum Indulgentiarum deſeruire poſſunt; actus enim agentium, vltrà intentionem eorum, non operantur.

Decimoqvarto, quoniam ſi per diſtributionem Theſauri Indulgentiæ concedantur, tunc virtute Clauium non fieret abſolutio; ſed tranſlatio operum; quod aduerſatur uerbis Chriſti. *Quodcumque ſolueris ſuper terram.*

Decimoqvinto, quoniam vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem, & non ſecundùm alienum, ut inquit Paulus prima Corinth. 3. & Ioannes in Apocalypſi. *Opera illorum ſequuntur illos.* Vana eſt igitur omnis ſatisfactio ex alienis.

1. Cor. 3.

Decimosexto, & Vltimo, maius opus pietatis eſt corripere, & caſtigare peccantes, quàm illis remittere pœnas, ergò Eccleſia non piè agit indulgendo illis.

Hæc ſunt Argumenta, quæ præcipuè aduerſus Theſaurum fiunt. Verùm ad illa diluenda, non magna opera nobis utendum erit, cùm & facillima ſint ad ſoluendum, & iam ex Catholica Doctrina expoſita in ſuperioribus, eorum diſſolutio ferè innoteſcat, ſed ad ſingula reſpondeamus.

Ad Primum dicimus, non ſolùm auctoritate Romanæ Eccleſiæ, ſed etiam Sacræ Scripturæ in multis locis, atque etiam Sanctorum Patrum, & Conciliorum Theſaurum in Eccleſia conſtitui, ut fusè ſatis oſtenſum eſt; & quamuis nulla alia auctoritas conuinceret, ſola auctoritas definitiua Romani Pontificis ſatis eſſet ad reddendam rationem de ea, quæ in nobis eſt fide. Illum enim in rebus fidei definiendis, errare non poſſe, promiſit Chriſtus, illis verbis Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, ut non deficeret fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quem locum ſic exponit Theophylactus Lucæ 21. Et multi veteres, & Sancti Pontifices, quibus benè comperta erat ſuæ ſedis auctoritas, hunc locum ità intellexerunt, vt Lucius primus Papa, & Martyr in Epiſtola 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ; Felix Primus in Epiſtola ad Benignum de Romana Eccleſia, D. Leo primus ſermone 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum, & deniquè omiſſis alijs, (quos legas apud Bellarminium lib. 4. de Romano Pontifice cap. 3.) Innocentius III. in Epiſtola ad Epiſcopum Arelatenſem, quæ refertur in cap. *Maiores,* extrà de Baptiſmo, & eius effectu. *Maiores,* inquit, *Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri ſedem referendas intelliget, qui nouit pro eo Dominum exoraſſe, nè deficeret fides eius.* Quam etiam veritatem docet D. Thomas, ſecunda ſecundæ quæſt. 1. artic. 10. & quæſt. 11. artic. 2. ad tertium, & lib. 4. contra gentes cap. 76. & Opuſculo 1. contra errores Græcorum cap. 33. & à cap. 65. vſque ad 70. & Thomas Vualdenſis lib. 2. Doctrinalis antiquæ fidei cap. 47. & 48. Turrecremata lib. 2. in ſumma de Eccleſia à cap. 107. vſque ad 112., Caietanus in Opuſculo de Primatu Romanæ Eccleſiæ, Cano lib. 6. de locis Theologicis, & eſt veritas catholica definita à Leone X. in Bulla contrà Lutherum artic. 28. nec ad noſtrum inſtitutum pertinet, pluribus hanc rem proſequi.

Solutiones egregiæ ſingulorum argumentorum.

Rom. Pontifex in rebus fidei definiendis errare nō poteſt. Luc. 22.

Theophilact. Lucius Papa primus. Felix primus. D. Leo 1. Bellarm. Innoc. III.

D. Thomas.

Vualdenſis. Turrecr. Caiet. Canus. Bulla Leonis X.

Dicimus ſecundò, conſequentiam illam non valere, hoc non eſt in Scripturis, ergò non eſt aſſerendum. Multa enim ad veritatem fidei Catholicæ ſpectant, quæ vel traditione, uel Conciliorum, & Pontificum definitione habentur, ut ſignare ſe Cruce, uſus aquæ benedictæ, Baſilicas conſecrare, & ſimilia; nec eſt neceſsè, fieri mentionem expreſſam Theſauri ſub hoc nomine in Scripturis; ſed ſatis eſt, quod res ipſa, vel apertè, uel neceſſaria conſequentia colligatur ex illis, ſicut Doctores dicunt de Purgatorio, & alijs ſimilibus.

Ad ſecundum reſpondemus, Chriſtum eſſe quidem nobis metam præfixam, ut imitatione ſequamur veſtigia eius, iuxtà illud Petri. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.* Et illud, *Exemplum dedi vobis, &c.* eſt enim ipſe abſolutiſſimum, & perfectiſſimum exemplar omnis Sanctitatis, & innocentiæ; non tamen eſſe nobis metam præfixam, ut æquales, & pares illi fiamus in perfectione, non enim dixit Paulus æquales; ſed *conformes fieri imaginis filij ſui.* In hac autem conformitate duplex terminus, ſeu meta Chriſtiano proponitur. Iuſtitiæ vna,

quæ per uiam mandatorum curritur; altera perfectionis, quæ per viam conſiliorum acquiritur:& per hanc multos Sanctos ambulaſſe,exhibēdo opera ſupererogationis;putà voluntaria ieiunia,cilicia,paupertates, rerum omnium abdicationes,nemo negare poteſt,quamuis hæc etiam opera ex conſilio, tamquam media aſſumantur, etiam emiſſis votis in ſtatu Religionis, ad perfectionem acquirendam,quæ eſſentialiter conſiſtit in præceptis, vt inquit D. Thomas in ſecunda ſecundæ, quæſt.184. artic.3. in corpore. Perfectio enim Chriſtianæ vitæ per ſe,& eſſentialiter conſiſtit in præcepto Dilectionis Dei, & Proximi. In his autem medijs conſiſtit perfectio inſtrumentalis, prout hæc promptiùs, ac faciliùs hominem ad perfectam Dilectionem Dei, & Proximi perducunt, quæ eſt meta, & finis, ac terminus Chriſtiano propoſitus, per quem contendunt Sancti, conformes,& ſimiles fieri Chriſto.

D.Thom.

Reſpondemus ſecundò, quod ex his medijs ad Chriſtianam perfectionem, prout ratio ſatisfactiua ſuperabundat in illis, conficitur Theſaurus, vt ſuprà dictum eſt; quod etiam procedit, ſi ipſamet uita Chriſti nobis in metam neceſſariam propoſita eſſet; quamuis enim numquam peruenturi eſſent Sancti ad illud exemplar uitæ Chriſti, nec illud vmquam attingerent; peruenturi tamen eſſent ad illum ſtatum,in quo cùm carerent poenis,quas ſoluerent;ſatisfactionibus, qui bus alijs proficerent,abundarent, ut optimè dicit Medina cap.46. & ſic patet ſolutio ad ſecundum.

Medina.

Ad Tertium dicimus, quòd opera Sanctorum dupliciter poſſunt conſiderari, ut indicatum eſt,uel ut ſunt meritoria, & ſic omnia ſunt remunerata in ipſis Sanctis,etiam ſi ſint opera ſupererogationis, iuxtà illud, *Quodcumq; ſupererogaueris, ego,cum rediero,reddam tibi*; & ſecundum hanc rationem meriti,procedit auctoritas Lucæ citata in argumento 1 vel, ut ſunt ſatisfactoria, & ſic falſum eſt, ea, quæ ſupererogauerunt,eſſe remunerata in ipſi Sanctis; ſed relicta ſunt,ut remunerentur in nobis. Remunerare uerò hic ſumitur abuſiuè,non pro receptione præmij, & gloriæ,ſic enim opera,prout meritoria ſunt, dumtaxat remunerantur; ſed pro ſortitione ſui effectus, cùm enim propter excellentiam ipſorum Sanctorum non poſſint in illis remunerari, Ideſt ſuum effectum ſatisfactionis ſortiri, relicta ſunt, ut remunerentur in nobis, ideſt,ut nobis ad ſatisfaciendum proficiant; & eſt ſolutio Caietani.

Caietan.

Ad Quartum reſpondemus, Chriſtum quantum ad gloriam animæ, & præmium eſſentiale,nihil ſibi meruiſſe;ſed illud habuiſſe,ut debitum ſine merito, ab inſtanti ſuæ conceptionis,ut dicit D.Thomas 3.par.q.19.artic.3. ſed ſuis laboribus, & paſſionibus nobis omnem gratiam, & omnem gloriam, ſeu præmium eſſentiale promeruiſſe;ſibi uerò accidentale, hoc eſt gloriam corporis, & ea, quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam,ſicut eſt Aſcenſio,veneratio,nominis exaltatio,& ſimilia,iuxtà illud Apoſtoli ad Philippen.2.*Propter quod Deus exaltauit illum*; & ad Hæbræos 2. *Videmus Iesvm propter paſſionem, & mortis gloriam, coronatum*. Et hæc eſt Doctrina Communis Doctorum, & Magiſtri in 3. ſentent. diſtin.18. Et quoniam gratia Chriſti fuit gratia Capitis; hinc eſt, quòd meritum ipſius ſe extendit ad alios,in quantum ſunt membra eius, per quem remiſſio peccatorum, & quoad pœnam,& quoad culpam,iuſtitia,& vita æterna nobis donatur. Vndè ex hoc,quod nobis meruit remiſſionem peccatorum, neceſſariò ſequitur,in Eccleſia exiſtere Theſaurum meritorum eius. Sotus in quarto diſtin.21.q.1.artic.2.addit,quòd merita Chriſti non fuerunt ſatis in illo præmiata; ſed in nobis præmiari; in quibus nomen eius exaltatur, & ſanctificatur; meritum autem Chriſti in infinitum ſuperexcedere ſuum præmium,ſeu gloriam accidentalem.

D.Thom.

ad Philip.2. ad Hæbr.2. Magiſt.ſent.

Sotus.

Ad Quintum patet Reſponſio ex dictis.

Ad Sextum, negatur Antecedens. Omnis enim vir iuſtus cùm Dei gratia, & auxilio eius ſpeciali,implere poteſt ſufficienter mandata Dei,nec iuſtus appellandus eſt,qui ab hac uita diſcedit,abſque obſeruatione mandatorum Dei;nec enim Chriſtus præcepit impoſſibilia,cùm dixit illi, *Si uis ad uitam ingredi,ſerua mādata*; & quam-

& quamuis (ſi vires naturæ attendamus) ſemper iuſti ex ſe ipſis inſufficientes, & inutiles ſint, iuxtà illud Pauli, *Non ſumus ſufficientes, &c.* tamen etiam, ſi cùm Dei gratia ſolùm mandata adimpleant, cùm faciant tantùm, quod debent, ſerui inutiles appellantur; ſi autem ſupererogationis opera ſuperaddant, utiles ſerui dicuntur. Qui enim non facit, niſi quod debet, inutilis dicitur; ſapientes verò Virgines timuerunt ſibi non ſufficere oleum, id eſt, opera ad meriti conſcientiam, non ad pœnalitates, & ſatisfactiones. Et Verba Auguſtini, quantum ad vires naturæ accipienda ſunt.

Ad Septimum dicimus cùm Caietano, quod quàmuis Martyrium in articulo neceſſitatis ſit opus debitum ob fidei confeſſionem; tamen in illo, cùm mors ſit ultimum terribilium, ſępè Martyres ſupererogant, quoad ſatisfactionem; plus enim uoluntariè patiuntur, quàm pro peccatis debeant; Quando autem Martyrium ſubeunt extrà neceſſitatis articulum, plus illos facere, quàm debeant, ac proindè abundè ſupererogare, nemo negabit. Caietan.

Ad Octauum reſpondetur, quandoque aliquos Sanctos peccaſſe, & ſic fuiſſe debitores, nec repugnat, peracta Pœnitentia, multa opera ſupererogationis, & ſatisfactionis illos feciſſe; & quamquàm iuſtus ſemper uerè dicat. *Dimitte nobis debita noſtra*, conſtituens ſe, ſecundum proprias uires, debitorem; non tamen ſequitur, ſemper iuſtum peccare, uel eſſe in ſtatu peccati; abſit, ut patet in Beata Virgine, quæ numquam peccauit, Ioanne Baptiſta, Ieremia, & alijs: ex diuina enim gratia, ſecundùm quam merita ſatisfactiones, & ſupererogationes operantur, non ſunt debitores; ſed creditores, nihil damnationis habentes, & digni uita æterna, ex ipſis Sanctis operibus ſuis, ut benè dicit Caietanus, & eſt Doctrina Communis. Caietan.

Ad Nonum, dicimus, falſum eſſe antecedens; nam Beata Virgo nullum habuit peccatum, & ſi qui alij aliquod leue peccatum commiſerunt, non proindè conſequitur, ſemper in peccatis fuiſſe, vel nulla opera ſupererogationis egiſſe, vt expoſitum eſt. Addè, quòd leues illę culpæ, quas Sancti etiam quotidię contrahunt, (ſemper excipio Beatiſſimam Virginem) nulla deinceps ſatisfactione plerumque indigent; ſed a ur feruore charitatis, vel oratione, alijſque diuinis, aut Eccleſiaſticis inſtitutis diluuntur. Cur enim, vt benè dicit Medina, Stephani Lapides, Laurentij Craticula, Catherinæ Rota, &c. compenſationes erunt venialium culparum? Ad Confirmationem dicimus, illam propoſitionem, omnia opera bona iuſti eſſe ſaltem venialia peccata, eſſe hæreſim condemnatam in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Can. 25. 31. & 32. Conc. Trid.

Ad Auguſtinum reſpondendum eſt, quod Deo ignoſcente, hoc eſt gratiam dāte, non ex ſe ipſis, Sancti obſeruant mandata, & quicquid homo per ſe adimplere non poteſt, Dei gratia præueniente, concomitante, & ſubſequente perficere poteſt.

Ad Decimum dicendum eſt, eſto, aliquem Sanctum habuiſſe aliquod peccatum, pro quo dum viuit, oret, ne imputetur illi ad pœnam; ob id tamen non eſt ne gandum, multa opera ſupererogationis meritoria, & ſatisfactoria poſſe facere, vt de ſe patet.

Ad Vndecimum, negādum eſt, illam diſtributionem tendere in irreuerentiam Chriſti, immò in maximam eius gloriam reſultare neceſſariò affirmandum eſt, cum omnia Sanctorum opera dona ſint Chriſti, ex cuius meritis, & Paſſione omnem vim merendi, & ſatisfaciendi obtinent.

Ad Duodecimum, negatur conſequentia; quamuis enim merita Chriſti poſſint applicari alijs modis; poſſunt quoque applicari per Indulgentias; deinde, & ſi per Sacramenta, & actus noſtros, putà contritionem, applicentur merita Chriſti, non applicantur infinito modo, præſertim, quoad remiſſionem pœnæ temporalis, vt ſæpè dictum eſt. Quocircà relinquitur locus ex parte ſubiecti pro Indulgentijs, niſi eſſet tanta contritio, ut omnem pœnam deleret, vt inquit D. Thom. 1. contra Gentes cap. 27. D. Thom.

Ad Decimumtertium, reſpondendum eſt, Sanctos, dum bona ſupererogationis facerent, ſemper intentionem virtualem, & habitualem habuiſſe applicandi illa opera in commodum vniuerſale totius Eccleſiæ, aliàs non ex recta charitate illa feciſſent. Chriſtus autem, vt ſuperius dictum eſt, formaliter, & actu ipſo mortem, & Paſſionem ſuam, non ſolùm in communi omnibus hominibus, ſed etiam ſigillatim ſingulis applicauit. Pro vno quoque enim homine ſufficienter pati voluit.

Ad Decimumquartum, negatur conſequentia; Virtute enim Clauium non ſolùm applicantur huic, vel illi opera Sanctorum, ſed etiam abſoluitur hic, vel ille à pœna pro peccatis ſuis debita. Vndè Indulgentia ſecundum diuerſos ſuos actus, varijs quoque nominibus appellatur; In quantum enim eſt remiſſio pœnæ; dicitur abſolutio; In quantum huic, vel illi datur, vndè ſoluat, dicitur diſpenſatio; In quantum diuinæ Iuſtitiæ fit ſatis, dicitur ſatisfactio, ſeù ſolutio.

Ad Decimumquintum, facilis eſt reſponſio, loquitur enim ibi Paulus de mercede, & præmio, quod vnuſquiſque accipiet ſecundùm menſuram ſuorum meritorum; Opera enim, quantum ad meritum, vnumquemque ſequuntur, prout enim vnuſquiſque geſſit, ſic recipiet.

Ad Vltimum negatur antecedens, non enim pia mater ſemper filios ſuos flagello caſtigat, & punit, ſed ſæpè erga illos, qui corriguntur, miſericordia vtitur; ſicut enim eſt tempus caſtigandi; ita quoque ignoſcendi: eſt autem hæc maxima gratia, & liberalis Clementia, quod quis debitum ſuum poſſit ſoluere, non ex ſuo ſed ex alieno. Atque hæc circà neceſsitatem Theſauri Sacri Iubilæi ſatis, ſuperque dicta ſint.

CAPVT XXXII.

Inſtituitur Diſputatio de efficacia, & valore ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum.

QVo Materia ſatisfactionis, circà quam Eccleſiaſticus Theſaurus verſatur, perfectè, & pro dignitate tractetur, operę præcium eſt, in hac diſputatione nonnulla dubia, quæ circà illam oriuntur, dilucidare.

Primvm eſt. An opera, quæ ſemel in Theſauro reponuntur, deperdi poſsint.

Secvndvm eſt. An Chriſti opera, quoad ſatisfactionem fuerint infiniti ualoris, uel quod idem eſt. An Theſaurus ex parte Chriſti ſit infinitus.

Tertivm. Quid noſtræ ſatisfactiones cooperentur cum Chriſti ſatisfactionibus, quando Theſaurus diſpenſatur.

Qvartvm. Quo ordine concurrant ſatisfactiones Sanctorum cum Chriſti ſatisfactionibus.

Qvintvm. An noſtræ ſatisfactiones poſt Chriſti paſsionem maiorem gradum ſatisfactionis obtinuerint, quàm ſine illa anteà haberent.

Sextvm. An quando Chriſti ſatisfactio applicatur nobis per opera noſtra, ſit una, uel duæ ſatisfactiones, una Chriſti, altera noſtra.

Septimvm. In quo differunt ſatisfactiones per Indulgentias à ſatisfactionibus Sacramentalibus.

Octavvm, & Vltimum, quomodò ex operè operato proſint nobis ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum. Et quoniam ſatis prolixum eſſet, has omnes quæſtiones unico complecti capite, ideò cuique ſuam ſedem aſsignabimus.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Tractatur quæſtio. An opera, quæ ſemel in Theſauro reponuntur, deperdi poſſint.

HAEC PRIMA quæſtio noua eſt; & à paucis, quòd ſciam, tractata, atque ideò in utramque partem diligenter à nobis uentilanda eſt.

ADRIANVS in 4. tit. de Clauibus, poſt tertiam cõcluſionem, & Henriquez lib. 4. cap. 16. §. 4. in fine, & lib. 7. cap. 2. §. 3. ſuæ ſummæ, exiſtimant, opera ſemel in Theſauro poſita, ſemper in eodem conſeruari, quamuis ille, qui ea operatus eſt in gratia, poſtea cadat in peccatum mortale, & cum eo decedat: ex quo inferunt, etiam opera ſatisfactionis Præſcitorum, & damnatorum, qui iam ſunt in inferno, in Theſauro conſeruari, dummodò illa in gratia ſint facta, atque id probant. An ſatisfactiones damnatorum, remaneant in theſauro. Adria. & Henriq.

PRIMO, quia ſatisfactionis valor non pendet in conſeruatione à gratia perſonæ operantis, ſicut pendet ratio meriti, quod ſi per ſubſequens peccatum mortificetur, nemini prodeſt.

SECVNDO, quoniam ratio ſatisfactionis exuberantis, quæ prodeſt alijs, propter impedimentum, quod ipſi operanti poſteà aduenit, non poteſt, nec debet infructuoſa reddi, cum Deus nullum bonum irremuneratum relinquat. Vt Gloſſa ad Romanos 2. ex Diuo Ambroſio. Gloſſ.

TERTIO, et eſt ratio Adriani, quoniam cùm huiuſmodi opera ſint iam in Theſauro repoſita, uti ab homine iuſto facta, Eccleſia non poteſt ius ſuum perdere, quod in illa acquiſiuit. Vndè poteſt ea per Indulgentias, ac ſi innocens perſeueraſſet, applicare, cum in illis ius quæſitum habeat.

QVARTO, quoniam opera meritoria; etiam ſi homo poſtea cadat in peccatum, ſemper manent in acceptatione Dei; aliàs ſi homo reſurgat, reuiuiſcere non poſſent; nec enim, ut benè inquit Soto in quarto diſtinct. 16. quæſt. 2. artic. 4. ad primum, & artic. 5. ad primum, illa deciduntur, vel delentur ex mente, & acceptatione Dei ſecundum ſe, quamuis impedita ex parte hominis remaneant per peccatum, quoad effectum; vndè, & peccato ſublato, effectum ſuum conſequuntur; ergò & opera ſatisfactoria exuberantia ſemper in diuina acceptatione manebunt, immò cùm nullum habeant impedimentum, alijs ſemper prodeſſe poterunt. Sotus.

QVINTO, quia impedimentum peccati, etiam finalis, ſolùm perſonæ operanti obeſt, non autem ipſis operibus, ut dictum eſt, ergò.

Addit Henriquez, omnes magiſtros in publico actu Salmanticenſi, hanc tenuiſſe ſententiam, contra Sotum. Henriq.

POSSET item hæc opinio ex eo confirmari, quod ſicut Eccleſia Prophetias habuit ex malis miniſtris, ut de Caypha patet; & miracula ex peruerſis hominibus; ità quoque ſatisfactiones ex Damnatis, ſemel iuſtis habere, non eſt abſurdum: & ſicut Paganus, qui verè baptizat, cauſſat gratiam, & ad illam concurrit actiuè, ut ſignificat D. Thomas 3. part. quæſt. 62. artic. 1. & q. 64. artic. 1. ad 3. & artic. 5. & Sotus in 4. diſt. 1. q. 5. artic. 1. & Ledeſm. q. 5., ſic etiam damnatus poteſt concurrere ad ſatisfactiones aliorum. D. Thom. Sotus. Ledeſm. An Salomon damnatus fuerit.

PRAETEREA Eccleſia recepit libros Canonicos ſcriptos ab his, qui ad infernum damnati ſunt, ſicut de Salomone multi tenent, ut D. Auguſt. lib. 17. De Ciuit. Dei cap. 8. & 20. & lib. 22. contra Fauſtum cap. 81. & in Epiſt. ad Elipum, & lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 21. Chryſoſt. in Matthæum Homil. 68. Rabanus quarto Reg. cap. 23. Cyrillus lib. 7. contra Iulianum, Beda quæſt. 29. 3. Reg. cap. 11. D. Gregorius 2. Moraliqm cap. ſecundo, Abul. in lib. 2. Reg. cap. 7. quæſt. 13. Lyranus in eumdem locum, D. Thom. lib. 3. de Regimine Principum cap. 8. Albertus Pighius lib. 7. de libero hominis arbitrio cap. 2. Vega lib. 12. in Conci- D. Auguſt. D. Chryſoſt. Rabanus. Cyrill. Beda. Gregor. Abul. Lyranus. D. Thom. Pighius. Vega.

Gratianus. Salomon fuit Auctor libri Sapientiæ ex Auguſt.

lium Tridentinum cap.2.& alij. Quod idem refert Gratianus in Decretis 13.q.4. Can. *Salomon*, Atqui Salomonem librum Sapientiæ compoſuiſſe, ex eius capite nono conſtat; imò Auguſtinus 17. de Ciuit. Dei cap.20. enumerat tres libros, ſcilicèt, Prouerbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum à Salomone conſcriptos, & in Canonicam auctoritatem receptos eſſe ab Eccleſia. In libro autem primo, de Prædeſtinatione cap.14. ex profeſſo ſcribit, librum Sapientiæ eſſe Canonicum, & lib.2. Retractationum cap.4. affirmat, illum librum eſſe Salomonis, quod

Euſebius. D. Auguſt. D. Hieron. Bellarm. Conc. Carthag. 3.

etiam Euſeb. lib.4. hiſtoriæ, cap.22. tradit ex Ægeſippi, & Irenæi, & omnium antiquorum ſententia, licèt D. Auguſt. lib.2. de Doctrina Chriſtiana cap.8. & D. Hieronymus ex aliorum opinione referant, hunc librum putari à multis eſſe, vel Ieſù filij Sirach, vel Phylonis; quin etiam librum Eccleſiaſticum Salomoni tribuit Patres, vt rectè probat Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 14. ex Clemente, Cypriano, Damaſo, Baſilio, Ambroſio, Hieronymo, & Gregorio, quibus addendum eſt Concilium Carthaginenſe Tertium cap.43.

Henriquez.

Iotvr nihil etiam repugnat, Eccleſiam ſatisfactiones eorum, qui Præſciti, & Damnati ſunt, recipere, & retinere, vt communibus Eccleſiæ vſibus inſeruiant. Addit Henriquez, omnia eſſe propter electos, vt in eos, tamquam in uaſa miſericordiæ, Deus abundantius oſtendat diuitias ſuas;

In contrarium eſt, quod nulla eſt conuentio lucis ad tenebras, nec Chriſti ad Belial; & cùm damnati homines ſint membra arida, & exiccata, non apparet eſſe apta, niſi ad ignem.

Contraria ſententia aliorũ, qui negant, opera damnatorum remanere in theſauro. Ezech. 18 D. Thom. Sotus. Ledeſm. Gratian.

Svnt igitur alij in contraria ſententia, exiſtimantes, huiuſmodi ſatisfactiones, nec remanere in theſauro, nec computari inter eas, quæ membris viuis Eccleſiæ in ſolutionem debiti peccatorum applicantur. Probantque id dupliciter. *Primò* quoniam per peccatum mortale omnia merita amittuntur ab eo, qui peccat, iuxtà illud Ezechielis cap.18. *Si auerterit ſe iuſtus à Iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur*, & docet D. Thom. 3. par. quæſt.88.& 89. art.3.& in 3. diſtin.31. Sotus in 4. diſtin.16. quæſt.2. art.4.& Ledeſm. quæſt.30. artic.2.& communiter Doctores in quarto, licèt Gratianus cap. *Intermittentes*. §. *Dicens*, de pœnitentia diſtin.4. vocet hæc iuſti opera, mortua; tamen reuera reſpectu viatoris mortificata per peccatum dicuntur, & reparabilia, ſi reſipiſcat; reſpectu verò eius, qui damnatus in Inferno iacet, ſunt ei mortua, & prorſus inutilia; quapropter, etſi opera virtutum, in charitate facta, ſint opera, & dona Dei, & poſtquam actu tranſierint, maneant in acceptatione Dei, retineantque vitam, & digna ſint præmio, ex parte ipſius Dei; tamen, quia homo per peccatum indignum ſe præbet illa mercede, mortificari, & perdi dicuntur; à Deo enim obliuioni traduntur, ne effectum remunerationis obtineant. Sicut igitur Deus meritorum eius, qui damnatur, non recordatur; ità quoque ſatiſfactionum eius, etiam quoad alios, non recordari neceſſe eſt; cùm dicat Scriptura, *omnes Iuſtitiæ eius non recordabuntur*, ideſt obliuioni tradentur. At ſi Deus retineret illas in theſauro, ideſt vellet, eas inſeruire uſibus Indulgentiarum; profectò ſatis illarum recordaretur.

Probant ſecundo, quoniam ſi maneant apud Deum illa opera non uidentur ex natura rei remanere, ſed ex mera gratia; ſi enim in ratione meriti manerent, apud Deum eſſent digna aliqua mercede, & aliquo præmio; & uel iuſtificationis uel gloriæ. Non iuſtificationis, tùm quia nemo poteſt ſibi mereri reparationem poſt lapſum, tùm quia ſequeretur, hominem ex Iuſtitia, & ex debito iuſtificari, qđ eſt hæreticum. Nec gloriæ; quia ratione horum meritorum gloria nulli eſt debita, præſertim ſi homo in peccato mortali finaliter decedat, peccator enim, ut ſic, ſemper indignus eſt gloria; neque hæc eſt illi ullo modo debita. Dices; peccatum ponere tantum impedimentum. Sed contrà, quoniam peccator ex Iuſtitia meretur priuari omnibus bonis, ut perduelles ex Iuſtitia omnibus bonis ſpoliantur; non igitur ex Iuſtitia, uel ex natura rei manent illa opera apud Deum, ſed tantùm ex gratia, & ex mera Dei benignitate.

Tertio, quoniam peccatum, ut peccatum eſt, facit indignitatem, & inimicitiã in or-

in ordine ad gloriam; ergò illa merita, ratione quorum quis erat dignus, ammittunt illam dignitatem; nec poteſt intelligi, illa merita manere in ratione meriti, ſecluſa à ſubiecto; concludunt ergò, quòd, cùm per peccatum ſit homo indignus poſitiuè cœleſti præmio, nullum habeat ius ad gloriam, & conſequenter illa merita ſimpliciter non manere; uel ſi manent, manere ſecluſa à ſubiecto, quod uidetur implicare; peccatorem autem, quaſi Dei perduellem ex iuſtitia mereri pœnam æternam, atque ità ex Iuſtitia quoque omnibus bonis operibus ſpoliari, apud omnes in confeſſo eſt. Qd̃ ſi in peccato mortali decedat, ſicut illa non manet in ratione meriti, ſic nec manere in ratione ſatisfactionis, cùm meritorum, & ſatisfactionum, quoad hoc, par ſit ratio; omnibus enim bonis tàm meritorijs, quàm ſatisfactorijs priuatus peccator in Infernum detruditur.

Respondent autem argumentis cõtrariæ opinionis, & ad primum dicunt, per peccatum ſubſequens, omnia merita, & ſatisfactiones perire, nec ſi homo reſipiſcat, illa redire, niſi ex Dei gratia, & benignitate; id tamen paulò poſt examinandum eſt. Quod ſi cùm peccato mortali homo moriatur, omnia omninò perire, & à Dei mente, tamquam hominis inimici deleri. Addunt quoque, gratis dici opera ſatisfactoria manere, merita autem non manere, cùm ſæpè idem opus meritorium, & ſatisfactorium ſit. Argumenta Contrariæ ſententiæ ſoluuntur.

Ad ſecundum, reſpondent idem argumentum poſſe fieri de meritis, in ratione meriti; & ſic nihil probat; nec ſatisfactio illa ſuperabundans, remuneratione, uel applicatione digna eſt, etiam quoad alios, cùm ſit iam opus hominis inimici Deo, & ad illum ordinem habeat.

Ad Tertium, reſpondent Eccleſiam non indigere iſtis operibus, vel ſatisfactionibus, nec amplius ius habere in opera iam arida; & deſiccata.

Ad Quartum, iam reſponſum eſt; ſemper quidem redire illa opera, non ex iuſtitia, ſed ex Dei miſericordia, iuxtà illud Ezechielis 18. *In quacumq; hora iuſtus egerit Pœnitentiam, iniquitatum eius non recordabor*, & cap. 33. *Impietas impij non nocebit ei*. Ezechiel. 18. & 33.

Ad Quintum, reſpondetur, impedimentum peccati etiam ipſis operibus obeſſe, cum cauſſent occaſionaliter Deum, illorum obliuiſci.

Ad Vltimum, Dicunt, Prophetias, & ſapientiam Salomonis, & ſimilia proceſſiſſe ex gratia gratis data, non autem ex gratia gratum faciente. Quocircà meritò in commodum Eccleſiæ conuerti poſſe, etiam ſi à malis hominibus exerceantur. Atqui indignum eſt, & incongruum, ut Eccleſia ad tollenda impedimenta peccatorum, damnatorum hominum, qui ſunt in Inferno, operibus utatur. Videtur enim hoc remedium improprium, & à iuſtitia Diuina alienum, cùm potius per hæc opera deperdita, ipſorum damnatorum pœna, ſaltem accidentaliter augeatur.

Verum, vt etiam in hac parte noſtram ſententiam proferamus; dicimus hanc diſputationem, ut rectè dixit Adrianus, magis eſſe ſubtilem, quam vtilem, cùm Eccleſia diuitijs Chriſti, & Sanctorum opulentiſſimè ditata, illis damnatorum hominum ſatisfactionibus non indigeat. Equidem non video, quomodò arida hæc opera, atque huiuſmodi membra exiccata, & ab Eccleſiaſtico corpore abſciſſa cæteris viuis membris adiumento eſſe poſſint. Adde, quod in Clem. Vnigenitus, ſolùm fit mentio meritorum Chriſti, & Sanctorum iuſtorum, qui ab Abel vſque ad finem Mundi erunt, & ſicut merita à diuina mente abolentur, nec in ea manent ad effectum remunerationis; quia Deus non vult inimico ob illa remunerationem dare, cùm ea indignus ſit; ita neque ſatisfactiones illæ manent amplius in Theſauro, ideſt non vult Deus illas computare, & in numerum ponere cum alijs, quæ vtilitati Eccleſiæ inſeruiunt; nec enim eſt æquum, ut cum Chriſti, & Beatæ Virginis ſatisfactionibus, Iudæ, uel aliorum damnatorum opera conectantur. Quid in hac re ſentiendũ ſit exponitur.

Sed in hac quæſtione cuicumque liberum ſit, ſequi opinionem, quam maluerit, vtraque enim probabilis eſt; mihi autem hæc ſecunda probabilior, & certior eſt; remanere enim in mente diuina merita, vel ſatisfactiones nil aliud eſt, ſi à Vtraque ſententia probabilis eſt, ſed ſecunda probabilior.

metaphora diſcedamus, quàm velle illa opera remunerare. Et conſequenter obliuioni illa tradere, vel delere ex mente ſua, eſt nolle illa remunerare, vel effectum aliquem recompenſationis habere: quàm voluntatem erga homines damnatos Deum habere, eſt valdè correſpondens diuinæ Iuſtitiæ, immò ſi illorũ ſatisfactiones, vt præmittitur, ad communem vſum Eccleſiaſtici corporis reſeruarentur in theſauro, id in magnum damnatorum honorem cederet; & ſicut opera illa reſpectu viatoris non dicuntur mortua, ſed ob impedimentum perſonæ mortificata, ſic reſpectu eorum, qui ſunt in Inferno, & ſine gratia decedunt, non mortificata, ſed omninò mortua, & inutilia dicuntur, quia reparari non poſſunt, ſicut illa; omnes enim ferè Doctores in hoc conueniunt, per pœnitentiam omnia merita reuiuiſcere, neque id ſinè temeritate negari poteſt. Ità D. Thom. 3. par. quæſt. 89. art. 2. Caiet. art. 5. ad tertium Soto in 4. diſtin. 16. quæſt. 2. art. 4. & 5. Ledeſm. quæſt. 30. art. 5. Bagnes ſecunda ſecundę, quęſt. 24. art. 6. dub. 6. & alij recentiores; & eſt Doctrina Patrum, vt Diui Hieronymi. Capitulo. *Quicumque*. de Pœnitentia, Chryſoſtomi Homil. 2. in Pſalm. 50. Verſiculo. *Aſperges me.* Nec id ſolùm fit ex gratia, ſed etiam ex Iuſtitia, cùm Deus nemini deneget præmium, quod alicui debetur; operibus autem, poſtquàm viuificantur, gloria, tamquàm pręmium, ex Iuſtitia debetur, aliàs proprio fine fruſtrarentur; gratia verò perſonæ ſe habet, ut conditio, ſinè qua non; qua conditione per pœnitentiam poſita, ſeu remoto prohibente, opera ſuum effectum merendi ſortiuntur ex Iuſtitia, ſicut de gratia Baptiſmi, vel abſolutionis docent Theologi, quandò recipiuntur cum obice, quo ablato per pœnitentiam, ſuo tempore eorum effectus viuificatur. De his operibus mortificatis, ac deindè viuificatis loquitur D. Paulus ad Hæbræos 6. ſignificans, illis de Iuſtitia tunc pręmium deberi: *Abundate*, inquit, *in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino; non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri*. Quam ſententiam de operibus mortificatis exponunt ibi Chryſoſtomus, Theophilactus, Anſelmus, Gloſſ. interlin. & Ordinaria, & D. Thom. Neque enim rationi cõſentaneum eſt, tot merita, & paſſiones pro Chriſto perpeſſas, & ab amico Dei in eius gratia patratas, fruſtrâ, & ſine cauſſa abſque præmio fuiſſe: ſi proprio fine fruſtrarentur, iuxtà quem ſenſum plures Patres exponunt illa verba Pauli ad Galatas 3. *Tanta*, inquit, *paſſi eſtis ſine cauſa?* Ità D. Hieronymus, Ambroſius, Theophylactus, Theodoretus, Anſelmus, Sedulius, D. Thomas, Caietanus, Carthuſianus, Lyra, Adamus, Gloſſ. interlin. & alij in illum locum, & D. Auguſt. Epiſt. 54. ad Macedonium.

Merita per pœnitentiam redeunt, & quomodo.
D. Thom.
Caietan.
Soto.
Ledeſm.
Bannes.
D. Hieron.
D. Chryſoſt.
Ad Hæbr. 6.
Chryſoſt.
Theophil.
Anſel.
Gloſſ. interlin. & ordin.
D. Thom.
Ad Galat. 3.
Communis expoſitio Patrum.

Attamen quandò Præſcitus abſque gratia decedit, omnia eius opera infructuoſa, & inutilia redduntur, immò ad maiorem eius damnationem, contumeliam, & dedecus potius pœnam augent, ſaltem accidentaliter; licèt enim damnati, ex mente Diui Auguſtini, puniantur citrà condignum in Enchyridion capite 110. & libro 21. De Ciuit. Dei capite 24. attamen ex bonis operibus, quæ in gratia Præſciti fecerunt, cùm ſe in illis finaliter perſeueraſſe nòn uideant, maximè cruciantur; Vndè tamquam opera perſonæ Deo inimicæ, & non gratæ, èx libro viuentium delentur, nec ad commodum membrorum Eccleſiæ in diuina acceptatione reſeruantur, niſi fortè per accidens, quatenus illorum exemplis, & recordatione cæteri admoneantur, ut in gratia perſeuerent, & peccata, eorumque occaſiones declinent, & ſic fideles Dei Eccleſiæ, ſicut Iudæi ex Ægyptiorum ſpolijs, quotidie diteſcunt.

Opera decedentium in peccato mortali inutilia & infructuoſa.
D. Auguſt.

CAPVT

CAPVT XXXIIII.

Ponitur ſecunda Quæſtio. An Chriſti opera, quoad ſatisfactionem, fuerint infiniti valoris. Vel, quod idem eſt. An Theſaurus ex parte Chriſti ſit infinitus.

EX FIDE Catholica aſſerendum eſt, Chriſtum Dominum non ſolùm ſatisfeciſſe pro hominum peccatis, quoad culpã, liberando nos ab omni peccato; præcipuè verò à culpa originali, ut innuit D. Ioan. Baptiſta in illis verbis, quæ habentur in Euangelio Ioannis cap. 1. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*; vbi Græcè eſt. *Qui tollit peccatum illud mundi*: principale autem, atque communiſſimum peccatum, quo nec infans vnius diei caret, eſt peccatum originale; ſic in ſingulari legit D. Cyprian. lib. de duplici martyrio, D. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 30. & D. Ambroſ. 3. de fide cap. 5. licèt alij legant in plurali, ut Orig. Hom. 24. in Numer. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 15. & lib. de Baptiſ.

Chriſtus plenè ſatisfecit nõ ſolùm pro culpis, ſed & pro pœnis.
Ioan. 1.
D. Cyprian.
D. Auguſt.
D. Ambroſ.
Orig

Aduertendum autem hic eſt, Magdeburgenſes in Centuria 7. cap. 10. corrupiſſe textum ſecundæ Epiſtolæ Bonifacij Quinti ad Eduuinum Regem Anglorum apud Bedam lib. 2. hiſt. Angl. cap. 10. addentes de ſuo, ut ſolent, *à ſolo peccato originali Chriſtum nos redemiſſe*; & habetur hęc Epiſtola tomo 2. Epiſtolarum Summorum Pontificum. Sed certè in illa Epiſtola, uox illa, *à ſolo*, non reperitur, ſed ità ibi legitur. *Accedite ergo ad agnitionem eius, qui vos creauit, qui in vobis vitæ inſufflauit ſpiritum, qui pro veſtra redemptione filium ſuum miſit, vt vos ab originali peccato eriperet, & ereptos de poteſtate diabolicæ nequitiæ cæleſtibus præmijs muneraret.* Eſt enim hoc principale peccatũ, non ſolum, ob quod Chriſtus mortuus eſt. Id etiam optimè notauit Bellarminius, libro 4. de Romano Pontifice, cap. 10. Non ſolùm igitur aſſerendum eſt, Chriſtum ſatisfeciſſe pro culpis, ſed etiam pro pœnis huiuſmodi culpis, & peccatis debitis ſufficienter ſatisfeciſſe: ità habetur in Pſalmo 68. *Quæ non rapui tunc exoluebam*: & Eſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros*, (ideſt pœnas) *ipſe portauit*, & in Epiſt. 1. B. Petri cap. 2. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, ſuper lignum*; vbi pœnæ peccatorum, peccata appellantur. Hinc eſt quòd dicitur, Chriſtum nos à poteſtate Dæmonis liberaſſe, cum enim Dæmon haberet in hominem poteſtatem, ob culpam commiſſam, illum puniendi, torquendi, & in Infernum deducendi; offerens Chriſtus Patri ſuam ſatisfactionem, pro pœnis peccatis noſtris debitis dignè ſatisfecit, & ſic à poteſtate Dæmonis nos eripuit. Lege Nazianze. in Oratione 42. circà finem, & Auguſtinum 13. de Trinit. cap. 12. & Anſelm. Cur Deus homo cap. 6. & Bernard. Epiſt. 120. Quo etiam nomine dicitur, Chriſtus Cœli Ianuam nobis ſua morte aperuiſſe, maxima enim homini pœna per peccatum iniuncta erat, nè Cœlum ingredi poſſet, quàm Chriſtus per ſua merita, & ſatisfactiones abſtulit. Item hoc etiam nomine dicitur Chriſtus mortem ſuperaſſe, Oſe. 13. *O mors ero mors tua*, & prima Corinth. 13. *abſorpta eſt mors in victoria*, & 2. Timoth. 1. *qui deſtruxit quidem mortem*: quam, pœnam peccati eſſe, docet D. Paul. ad Rom. 5. *Mors*, inquit, *per peccatum*. Dum igitur Chriſtus pro pœnis omnibus, peccatis debitis, plenè ſatisfecit, mortem quoque abſtulit, non quidem, vt ab illa immunes eſſemus; licèt etiam id efficere potuiſſet; ſed vt in ea non perſiſteremus, quod per beneficium reſurrectionis ad vitam æternam hominibus conceditur; ſicut etiam, quamuis ſatisfecerit pro omnibus pœnalitatibus, & ærumnis, quæ ex peccato originali contrahuntur; noluit tamen præcium ſuæ ſatisfactionis offerre, ut ſtatim illa auferrentur, ſed opportuno, ac conuenienti tempore, ſcilicèt poſt reſurrectionem, vt rectè docuit Auguſt. 23. De Ciuit. Dei cap. 4.

Fraus Magdeburgenſium.
Beda.
Bellarm.
Pſalm. 68.
Eſa. 53.
1. Petri 2.
Nazian.
Auguſt.
Anſelm.
Bernard.
Hoſeæ 3.
1. Cor 13.
2 Tim 1.
Ad Rom 5.
Qua ratione Chriſtus mortem à nobis abſtulit.
D. Auguſt.

PRAETEREA ex eadem fide fatendum eſt, hanc Chriſti ſatisfactionem, non ſolùm

Chriſti ſatisfactio fuit non

modo æqualis. ſed ſuperabundans, & qua ratione.

lùm æqualem, ſed etiam ſuperabundantem fuiſſe, atque id non tantùm, ex diuina acceptatione; ſed ex ipſorum operum Chriſti proprio valore, quem ex dignitate perſonæ operantis habebant. Et quòd ęqualis fuerit, colligitur ex D. Paulo

Ad Rom. 9.

ad Rom. 9. vbi Paulus vocat Chriſtum, *Verbum conſumans, & abbreuians inæquitate, quia uerbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram*. Quem locum exponens

D. Chryſoſt.

D. Chyſoſt. in Homil. 16. ſuper eamdem Epiſtolam, propè finem, dicit, Paulum velle ſignificare, Verbum in Chriſti redemptione adeò abbreuiatum eſſe, ut non

Iſai. 10.

solùm ſalutē, ſed etiam iuſtitiam attulerit. Quod etiam ex Eſa. 10. habetur (quem locum Paulus ibidem adducit,) *Conſummatio*, inquit, *abbreuiata ſiundabit iuſtitiam*; ſenſus enim Iſaiæ eſt, ut ibidem Hieron. exponit, Chriſti ſaluationem, ad re-

D. Hieron.

demptionem, plenam fuiſſe. Quocircà egregiè idem Apoſtolus in Epiſtola ad

Ad Hæbr. 7. 8. 9. & 10.

Hæbræos cap. 7. 8. 9. & 10. vnica Chriſti ſolutione, ac ſacrificio noſtram redemptionem conſumatam eſſe oſtendit, quod eleganter D. Cypr. in ſermone de ratio-

D. Cyprian.

ne Circumciſionis ponderauit, dicens. *Tanta dignitatis Redemptoris noſtri illa vna fuit oblatio, ut vna ad tollenda Mundi peccata ſufficeret, qui tanta auctoritate, in Sancta introiuit ſanguine proprio.*

Probat hic, ſatisfactionem Chriſti ſuperabundantem fuiſſe.

At uerò, quòd ſuperabundans fuerit, idem Paulus in eadem Epiſtola cap. 5. oſtendit. *Sicut*, inquit, *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c.* ſubdens poſteà, *ſed non ſicut delictum, ità & donum, ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius Domini* Iesv *Chriſti in plures abundauit*. Lege in hunc locum Chryſoſtomum Homil. 10. & Agapetum Pa-

Chryſoſt. Agapetus. Leo.

pam, Epiſtola ad Antip. & Leonem Papam Epiſt. 81. 95. & ſermone 12. de Paſſione, qui omnes ex eodem Pauli teſtimonio oſtendunt, ſanguinem Chriſti fuiſſe diuitem ad pręcium redemptionis noſtræ, donumque Chriſti ad libertatem nobis uindicandam fortius, ac validius fuiſſe, quàm Adæ peccatum ad ſeruitu-

1. Ioan. 2.

tem. Hoc autem D. Ioannes in prima ſua Epiſtola Canonica, cap. 2. diſertis uerbis docuit, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed e-*

Conc. Tribu.

tiam, pro totius Mundi. Vndè in Concilio Triburienſi cap. 19. adnotatur, uinum in conſecratione Calicis in maiori quantitate adhiberi, quàm aquam, ut ſignificetur, maiorem eſſe maieſtatem, & uirtutem ſanguinis Chriſti, cuius ſymbolum eſt vinum, quàm fragilitatem Populi, qui per aquam ſignificatur.

Quod ſuperabundantia ſatisfactionum Chriſti ex perſonæ ipſius dignitate penderet.

Id autem non ſolùm ex diuina acceptatione, ſed etiam ex perſonæ ſatisfacientis dignitate procedere, facilè erit oſtendere, ſi demonſtremus quoque Chriſti opera fuiſſe infiniti valoris, cum vtrumque ex maieſtate perſonæ operantis, quæ Deus ſimul, & homo erat, emanaret. Sanè ualorem, & pręcium operum Chriſti eſſe ex dignitate eius perſonæ, non ſolùm ex Dei gratia, & acceptatione, docet Paulus ad Hæbræos 5. (vt benè ibi Teophylactus notat) inquiens, *Et quidem cùm*

Ad Hæbr. 5. Theophyl. Chryſoſt.

eſſet filius Dei, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Quæ verba Chryſoſt. Homil. 8. in eamdem Epiſtolam ponderans; ait, in illis oſtendi, opera Chriſti eſſe effectum, magis perſonæ eius, quàm gratiæ Dei; *Vult*, inquit, *oſtendere id, quod geſtum eſt, magis eſſe opus ſuum, quàm Dei gratia. Tanta*, inquit, *fuit eius reuerentia, ac pietas, ut ideò*

D. Cyprian.

eum reuereretur Deus. D. Cyprian. in ſerm. de Aſcenſione; de hac re ſic dicit, *Intelligi voluit in præcio, quod pro eo datum eſt: & in eo, quod ipſe dedit pro mundo, quanta fuerit diſsimilitudo, ut dubium eſſe non poſsit, quin magnitudo præcij ſuperet negotium; nec æquari poſsit damnum, quod damnatio iuſte meruerat; obedientia Chriſti, quæ vſq; ad mortem progreſſa eſt, & vltrò ſoluit, quod non debebat.*

D. Athanaſ.

Et Athanaſius, libro de Incarnatione, paulò poſt principium: ait, *Corpus aſſumpſit, quod pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret, & mortem in omnibus, quaſi ſtipulam igni, conſumeret ſuis meritis, & ſatisfactione.*

Illvd verò argumentum hanc veritatem omninò confirmat, quòd ſolus Chriſtus in mortali uita obtulit ſe, vitamque ſuam, *cùm lacrymis, & clamore valido*, vt

Ad Hæbr. 5.

ad Hæbræos 5. dicitur. Nullus enim Martyrum, tamquàm Dominus uitæ ſuæ, & tamquàm Sacerdos, & ſpontè obtulit uitam ſuā, niſi Chriſtus, qui in Cruce Sacerdotis officium exercuit, & proprium ſacrificium obtulit ſui ipſius, cùm eſſet

Dominus

Dominus propriæ vitæ, & fuerit ſpontaneæ Paſſionis, ac mortis ſuæ aliquo modo cauſa, indirectè ſcilicèt, & per accidens, ut docet D. Thom. 3. part. quæſt. 47. artic. 1. in corp. nolens fugere, uel reſiſtere, cùm in ipſiſmet tormentis uitam ſuam illæſam conſeruare potuiſſet, ut Ioannis 10. 13. & 17. & Eſaiæ 53. quod nulli Martyrum conceſſum eſt, ut D. Leo dixit in Epiſtola 83. Vndè D. Chryſoſt. Homil. 81. in Ioannem, & Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 25. exponunt illud Ioannis 17. *pro eis ſanctifico me ipſum, ut ſint, & ipſi ſanctificati in ueritate*, ideſt ſacrifico me ipſum; quę omnia, virtutem ſalutis ex perſonę ualore emanare declarant. Vndè Cyrillus li. 1. De fide ad Reginas, cap. 5. ſic ſcribit, *Solus ſufficit qui ſuper omnes eſt, & Deus eſt, morte ſua carnis à mundo depellens carnem*, & D. Cyprian. in expoſitione fidei, in articulo de Paſſione, ſiuè alius Auctor illius Opuſculi, *Si potuit*, inquit, *per unum hominem mors introire, quanto magis per unum hominem, qui & Deus erat, potuit uita reſtitui*, D. Ambroſ. in lib. De Incarnatione cap. 6. valorem ſuę ſatisfactionis ſumi ex ſuppoſito, ſic eleganter declarat, *Ex nobis*, inquit, *accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex noſtro, & quod noſtrum non erat, ex ſuo nobis diuina largitate conferret, & ſecundum naturam igitur ſe obtulit noſtram, ut ultrà noſtram operaretur naturam*. De hoc legendus eſt Anſelmus lib. 1. & 2. Cur Deus homo, ubi latiſſimè hanc ueritatem docet; inter ſcholaſticos autem D. Thom. 3. par. quęſt. 1. artic. 2. ad 2. & quęſt. 48. artic. 8. & ſententiarij in tertio diſt. 20. vt Bonauentura quęſt. 3. Riccardus quęſt. 4. Palud. quęſt. 2. artic. 2. Alexand. de Ales 3. part. quęſt. 1. memb. 7. & quęſt. 17. memb. 3. art. 2. memb. 5. artic. 2. Altiſiodor. lib. 3. ſummę, tract. 1. cap. 8. Abulenſis Paradox. 1. cap. 41. & in Prologo ſuper Matthęum, quęſt. 27. & ſuper cap. 3. Matthęi, quęſt. 19. & Gugliel. Pariſien. in lib. Cur Deus homo cap. 8.

D. Tho. | Ioan. 10. 13. & 17. | Eſai. 53. | D Leo. | D. Chryſoſt. | D. Cyrill. | Cyprianus. | D. Ambroſ. | D. Anſelm. | D. Thom. | D. Bonau. | Riccard. | Palud. | Alen. | Altiſſiod. | Abulen. | Gugl. Pariſ.

QVOD autem Chriſti merita, & ſatisfactiones habuerint ſimpliciter, & abſolutè valorem infinitum ad ſatisfaciendum Deo pro iniurijs ab hominibus illi illatis, quod principaliter in hoc dubio à nobis probari debet, tùm ex ſcripturis, tùm ex Patribus demonſtrabimus, contrà Scotum in 3. diſtin. 19. & 20. & in 4. diſt. 15. quæſt. 1. & Medinam Codice De pœnitentia tract. 3. quæſt. 1. qui cenſent, nullo pacto huiuſmodi Chriſti opera valorem infinitū habere, neque acceptari à Deo, vel ab ipſo Chriſto referri ad aliquid infinitum. Immò addit Medina, magis infinitum eſſe peccatum hominis, quàm ſatisfactionem Chriſti. Illud enim in ratione culpæ eſt infinitum, cùm in Dei necem ex ſe tendat, vndè & pœna illi infinita reſpondet. Hæ verò, ideſt Chriſti ſatisfactiones, vel pœnę, quas Chriſtus pertulit, nequaquam infinitæ ſunt; quinimò nec aliquid Chriſtus operatus eſt, quo bonum aliquod infinitum Deo tribueret.

Satisfactiones, & opera Chriſti fuiſſe infiniti valoris cōtra Scotum, & Medinam.

SED contrarium huius rei definitum videtur à Clemente Sexto in Extrauaganti, *Vnigenitus* de pœnitentijs, & remiſſionibus, vbi expreſſis verbis dicit, Chriſtū ſuis meritis, & ſatisfactionibus acquiſiuiſſe infinitum theſaurum hominibus, &c. Cui determinationi fauent multa loca Sacræ Scripturæ, quæ de præcio noſtræ redemptionis, & ſanguine Chriſti ità loquuntur, vt de re incomparabilis, & infinitis valoris. Iob 6. dicitur. *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret:* quę verba D. Gregorius lib. 7. Moralium cap. 2. Chriſto patienti appropriat. Item Pſalm. 129. *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*, & D. Paulus prima ad Corinth. 6. *Empti enim eſtis præcio magno*, & prima Petri 1. *Nō corruptibilibus, auro, vel argento redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine, quaſi Agni immaculati, Chriſti*, Sed ad Hæbræos 13. *vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem Populum*, & infrà, *in ſanguine teſtamenti æterni*, & cap. 9. *Quanto magis ſanguis Chriſti, &c.* Quæ loca, & ſimilia, etſi non expreſsè valorem infinitum, inæſtimabilem tamen, ac ſine termino, operum Chriſti deſignant.

Clem. VI. | Iob 6. | D. Gregor. | Pſalm. 129. | 1. Cor. 6. | 1. Pet. 1. | Ad Habr. 9. & 13.

D. GREGORIVS Nazianzenus Oratione 42. propè finem, exaggerat maximum miraculum Paſſionis Chriſti, in eo, quod exiguæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt.

Nazian.

D. BASILIVS

D.Baſil.

D.BASILIVS exponens illa verba Pſalmi 48. *Frater non redimit, redimet homo*, inquit, hoc præcium ſanguinis Chriſti omnem valorem ſuperare.

D.Ambroſ.

D.AMBROSIVS in Præfatione Pſalmi 35. *Bonum*, inquit, *aurum, ſanguis Chriſti, diues ad præcium, profluus ad lauandum omne peccatum*.

Damaſcen.

D.DAMASCEN. lib. 3. de fide cap. 15. & 19. dicit, Chriſti operationes ſalutiferas eſſe, non ſolùm, quia humanæ ſunt, ſed etiam diuinæ, & Deitate perfuſæ.

Theodoret. Conc. Epheſ.

THEODORETVS in Ancyran. Homil. De Natiuit. Domini, quæ refertur in Concilio Epheſino tom. 6. cap. 10. inquit, Deum paſſiones aſſumpſiſſe, vt illæ Dei effectæ, uictoriam aduerſus paſſiones nobis obtinerent. Vndè uim diuinam illis tribuit, & multa appoſitè proſequitur in hanc ſententiam, in quadam alia Homilia Natiuitatis eodem tomo 6. appendice quinta cap. 2. Vndè rectè Dionyſ. Epiſt. 4. ad Caium, inquit, actiones Chriſti ex dignitate perſonæ operantis fuiſſe diuinas, Deificatas, & Dei uiriles.

D.Dioniſ.

D.Auguſt.

D.AVGVSTINVS in enarratione Pſalmi 95. circà medium, pulchra de ineſtimabili ualore ſanguinis Chriſti ſic ſcribit. *Tenebantur enim homines captiui, ſub Diabolo, & Dæmonibus ſeruiebant, ſed redempti ſunt à captiuitate. Vendere enim ſe potuerunt, ſed redimere non potuerunt, venit Redemptor, & dedit præcium, fudit ſanguinem ſuum, emit Orbem terrarum. Quæritis, quid emerit? videte, quid dederit, & inuenite quid emerit. Sanguis Chriſti præcium eſt. Tanti quid ualet? Quid, niſi totus Orbis? Quid, niſi omnes gentes? Valdè ingrati ſunt præcio ſuo, aut multum ſuperbi ſunt, qui dicunt, aut illud tam paruum eſſe, vt ſolos Aphros emerit, aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum. Non ergò exultent, non ſuperbiant, pro toto dedit, quantum dedit, nouit, quid emerit.* Hæc Auguſtinus.

D.Anſelm. Iacob. Bill.

D.ANSELMVS lib. 1. Cur Deus homo cap. 14. & 19. latiſſimè hanc rem proſequitur; Quocircà eleganter Iacobus Billius in Scholijs ad uitam Gregorij Naziãzeni, num. 127. oſtendit, ſanguinem Chriſti longis interuallis diſtare à ſanguine Martyrum. Et meritò canitur ab Eccleſia; *Quem ſacer cruor perunxit*, Lege D. Thomam 3. par. quæſt. 47. art. 1. Caietanum Ientacul. 3. Sixtum lib. 2. Bibliothecæ, uerbo, Agnus.

D.Thom. Caietan. Sixtus Senẽſ.

Vnde habeãt infinitatẽ valoris Chriſti ſatisfactiones.

QVOD, ſi quæras, ex qua radice, & principio quaſi formali, hæc dignitas, & infinitus ualor operum Chriſti emanet. An ſcilicèt ex diuinitate, ſeù natura diuina; an ex humanitate, ſeù natura humana; an denique ex ſuppoſito, quod utramque naturam in Chriſto ſuſtentat, uel quod idem eſt, an ex ipſa unione hypoſtatica diuinæ perſonæ cum natura humana. Reſpondendum eſt, hanc dignitatem non proficiſci, tamquàm ex principio formali immediato, à natura diuina, quæ eſt in Chriſto, ſicut etiam nec opera, per quæ Chriſtus ſalutem noſtram operatus eſt, & officium mediatoris exercuit, in illam tamquàm in formale principium referenda ſunt: nec enim Chriſtus ſecundum naturam diuinam paſſus eſt, uel mortuus; tunc enim, & Pater mortuus eſſet, quod fuit hæreſis Patripaſſianorum; quæ enim ſecũdum naturam diuinam conueniunt uni perſonæ, conueniunt omnibus tribus, quibus illa communis eſt. Igitur ſicut Diuinitas, ſeu natura diuina in Chriſto, non fuit principium ut quo, ſeù formale ſatisfactionum, laborũ, & paſſionis eius; has enim non ſecundum diuinitatem, ſed ſecundum humanitatem ſuſtinebat: ità nec efficacia, præcium, ſeù valor infinitus earum ipſi Diuinitati, ut ſic, ideſt à ſuppoſito præcisè conſideratę, formaliter eſt tribuendus. Et quamuis actiones Chriſti in ratione entis, in ratione boni, & veri, à tota Diuinitate penderent effectiuè; ualor tamen moralis earum, & præcium quoad rationem meriti; & ſatisfactionis immediatè non à Diuinitate abſolutè conſiderata; ſed ab ipſa perſona diuina operante ſumitur. Vndè ſi Deus per potentiã abſolutam cõmunicaret alicui ſuam diuinitatem abſque perſonalitate, ideſt non uniendo illum ſibi hypoſtaticè; operationes, quæ in eo homine à Deo fierent, utique ex ſe non eſſent in finiti ualoris, cum tantum effectiuè, non autem perſonaliter, in natura, cui facta eſſet talis communicatio, procederent. Addè, quod hæc dignitas, ſeù ualor, & efficacia infinita operum Chriſti, non eſt aliquis influxus, aut realis efficientia, ſeù aliqua actio phyſica diuinæ naturę,

ne naturę, in illa opera, nel aliqua res poſitiua, & phyſica infinita, ſuperaddita operibus Chriſti, vel ſimpliciter diſtincta ab ipſo Chriſto, ſed ſolùm moralis quidam valor, & æſtimatio, ex vnione naturæ humanæ, cum hypoſtaſi diuina Verbi, proueniens. Huiuſmodi enim efficacia, & dignitas, ſi eſſet aliqua realis efficiẽtia Deitatis in illa opera, non ſolùm filio, ſed etiam Patri, & Spiritui Sancto tribuenda eſſet; cum omnis diuinæ eſſentiæ operatio illis tribus ſit communis. At id hæreticum eſt; ſicut enim concedi non debet, Patrem paſſum fuiſſe, vel ſatisfeciſſe; ità nec infinitè ſatisfeciſſe, contra Monothelitas; cui enim non conuenit ſatisfacere, eidem neque conuenit tantùm, ſeu infinitè ſatisfacere, & è contra. Adijce quòd diuina perſonalitas non aliter concurrit ad actus humanitatis Chriſti, quã cõcurreret propria. Atqui hæc ſolùm terminando, & ſuſtentando concurrit, ergò, & illa. Non igitur ad naturam diuinam vt ſic, talis dignitas referenda eſt; Sicut etiam, quòd natura humana in Chriſto ſit impeccabilis, nec mentiri poſſit, & infinitè Deo ſit grata, & infinitè bona, ſolùm prouenit ex coniunctione ad diuinam perſonam.

Praeterea, hæc dignitas operationum Chriſti ad ipſam naturam humanam ſimpliciter, uel præciſè nequaquam referenda eſt; quamuis enim principium, quo opera, quæ à Chriſto mediatore fiebant, ſit natura humana, & non diuina; tamen dignitas, & ualor operum ex ſuppoſito, & unione eiuſdem naturę ad illud emanat, non enim natura finita ex ſe poteſt infinitatem ualoris actionibus communicare, ſicuti operatio Angeli ſemper finita erit. Itaque concludendum eſt, neque ex natura diuina ut ſic, neque ex natura humana præciſè hanc infinitam efficaciã, & dignitatem, ſatisfactiones Chriſti habere; ſed ex ſuppoſito, ideſt, ex eo, quòd erant ſatisfactiones perſonę diuinę, in natura tamen humana peractę: Eſt autem hic aduertendum, ut ſcientificè totam rem hanc expendamus, opera Chriſti non habere infinitum ualorem ex præciſo conceptu hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentię perſonalis, ſecluſa Diuinitate, ex eo enim actiones Chriſti infinitatem ualoris habent, quoniam illę ſunt actiones Dei, & perſonę ſimpliciter infinitę, & conſequenter id ex coniunctione Diuinitatis obtinent. Perſona enim ex præciſo conceptu relationis nec perfectionem, nec infinitatem includit, niſi Diuinitas quoque in ea intelligatur. Et quoniam relationes in diuinis non poſſunt ità præſcindi ab ipſa natura, quin hęc in eis eſſentialiter includatur, fit, quòd totus ualor ſatisfactionum Chriſti re ipſa ſit ab ipſa Diuinitate, licèt formaliter non ſit ab illa, ut ſic, ſed ut includitur in ipſa perſonalitate Verbi terminante, & ſuſtentante naturam humanam. An valor operũ Chriſti tribuatur naturæ humanæ.

Qvomodo autem ſuppoſitum diuinum contulerit actibus Chriſti infinitum valorem, præſertim, cùm ipſa vnio duarum naturarum inter ſe, ſit quid finitum, & creatum, vt inquit D. Tho. 3. par. queſt. 2. art. 7. in corp. difficile eſt explicatu; Dicendum tamen, quòd ipſa perſonalitas non eſt ratio agendi, ſeu principium formale actionum, quod tàm diuinę, quàm humanę perſonalitati competit, hoc enim, vt dictum eſt, competit naturæ, quę eſt principium quo operandi; ſed ex hoc quòd illa natura humana quoad ſubſiſtentiam terminatur à diuina hypoſtaſi, ab eaque hypoſtaſim, & perſonalitatem recipit, fit, ut moraliter ipſa perſona operans, actus ipſius humanæ naturæ informet ſanctificet, diuinoſque illos denominet, ac infinitatem dignitatis, & valoris illis uerè, ac re ipſa tribuat. Sicut enim ipſa natura humana vnitur Verbo, immediatè tamen, ſic actiones eius, per humanitatem Verbo quoque vniũtur, egrediuntur enim proximè ab humanitate Verbo vnita. Quapropter ipſamet diuina perſona ratione huius vnionis quodammodò illis actibus afficitur per humanam naturam effectam ſuam; & è conuerſo, perſona diuina illos afficit, extollit, dignificat, atque deificat. Neque id prouenit ex unione animæ Chriſti cum corpore, ut clarum eſt; neque ex coniunctione duarum naturarum, diuinæ ſcilicèt, & humanæ inter ſe, ut ſic; quoniam, præterquàm quòd hæc non eſt maxima, immò minima unionum, cùm ſit unio rerum improportionatarum, minimè vnibilium, atque ex sè infinitè diſtantium, ut ait D. Tho. in 3. diſt. 5. quæſt. 1. artic. 1. quæſt. 2. & 3. part. quæſt. 2. artic. 9. in corp. & ad 2., & Qua ratione valor infinit operum Chriſti oriatur à diuino ſuppoſito. D. Thom. D. Thom.

Caiet. Caiet. ibidem; hæc vnio in humanitate eſt, aliquid creatum, tùm quantum ad relationem, quam ſignificat, ut dicit D. Thom. & Caiet. eadem quæſt. art. 7., tùm etiam quantum ad fundamentum proximum dictæ relationis, iuxtà ſententiam Suarez. Suarez 3. par. quæſt. 2. art. 7. diſp. 2. Eſt autem id modus quidam ſubſtantialis, & realis ipſius humanitatis, quem acquirit, dum Verbo copulatur; Et hoc fundamentum, ſeu talis modus, (ex quo ut ille opinatur reſultat relatio,) eſt, quid finitum, creatum, ideſt de nouo factum, quod tamen non abs re negat Caiet. cum in Incarnationis myſterio nihil creatum interueniat, niſi paſſio, qua natura humana trahitur ad eſſe Verbi; igitur hac ratione non prouenit. Relinquitur ergò neceſſariò quòd proueniat ex ineffabili unione naturæ humanæ cum hypoſtaſi diuina Verbi. Falſum autem eſt, hanc unionem eſſe quid creatum, & finitum; hæc enim unio quantum ad coniunctionem naturę humanę in perſona filij, fundatur in ipſomet unico eſſe ſubſtantiali diuino, & increato ipſius Verbi, vt optimè Caiet. ſuper artic. 7. & 9. cit. Hinc ſequitur, Bonum quod ex hoc vnione humanitati, eiuſque actibus communicatur, eſſe rem ſimpliciter infinitam. Caiet.

VNDE, valor, qui à perſona diuina actibus Chriſti, mediante humanitate ſibi vnita confertur, erit ſimpliciter infinitus, etiam ſi nihil phyſici, & realis influat in illud opus. Clarum eſt enim ſola dignitate operantium idem opus patratum à Rege, & à priuato homine, quoad precium ualdè differre. Hinc eſt, quòd Sancti Patres valorem mortis, & Paſſionis Chriſti ipſi Dei filio tribuunt, ut Cyrillus in quarto de Trinit. circà principium, & libro de recta fide ad Reginas. *Ex confeſſo*, inquit, *ſalutaris eſt mors Chriſti, ſed ſi non eſſet Deus, quomodo ipſe, & ſolus ſufficeret ad hoc, ut eſſet pretium? ſed ſufficit ſolus, pro omnibus mortuus, quia ſuper omnes eſt*. Et in Enchyridion cap. 118. ait. *Neq; per ipſum liberaremur, unum mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum IESVM, niſi eſſet Deus*. Cyrillus.

Hilar. Epiphan. Auguſt. Leo. Idem colligitur ex Hilario lib. 9. de Trinitate, ex Epiphanio in Ancorato, ex Auguſtino de Ciuit. Dei lib. 6. cap. 9. & 17. & ex Leone ſer. 1. de Natali Domini, qui aſſerunt, Chriſtum ideò efficacem redemptorem, & mediatorem fuiſſe, quia erat Deus, & homo.

Dion. Areop. Damaſcen. Operationes Chriſti theandricæ. Sophron. Sexta Synod. QVA propter rectè Dionyſius Areopagita in Epiſt. 4. ad Caium, & in cap. 2. De diuinis Nominibus, & Damaſcenus lib. 3. De fide cap. 19. Actiones Chriſti, uocant operationes Theandricas, ideſt Dei uiriles, ratione ſuppoſiti operantis; ſemper enim Deus homo operabatur, non nudus homo, uel nudus Deus, quamuis Sophronius in oratione, quæ habetur in Sexta Synodo Actio. 11. tria genera operum Chriſti diſtinguat, quædam merè diuina, ut creare, & conſeruare, gubernare creaturas, præcognoſcere occulta; quædam merè humana, ut comedere, bibere, fatigatum eſſe, ac ſudare; quædam miſta, partim diuina, partim humana, ut ſuper aquas ambulare; reddere enim aquas ſolidas, Dei erat, ambulare ſuper illas, hominis; atquè hæc dicit, Theandrica appellari, ideſt humana opera diuinè patrata, quemadmodum erant omnia miracula Chriſti. Nec huic ueritati obſtat, quod legitur in Epiſt. Agathonis apud Sextam Synodum, actione quarta, ubi negatur in Chriſto opus perſonale, & conceditur opus naturale, quaſi uelit naturis Chriſti, non perſonę opera tribuere; neque enim eſt hęc intentio, & mens illius, ſed affirmat, in Chriſto non eſſe unicum opus dumtaxat, iuxtà unam perſonam operantis; ſed eſſe duo opera, prout ſunt duę naturę, per quas unica perſona operatur. Multiplicantur enim opera ad multiplicationem principij formalis. Quocircà, etiam ſi in ſanctiſſima Trinitate tres ſint, qui operentur; unum tamen eſt opus, cùm unica in eis ſit natura, quæ eſt principium formale operandi. Hinc ſequitur famoſum illud Corollarium, nimirum, unam guttam ſanguinis Chriſti fuiſſe ſufficientiſſimum precium ad perfectam redemptionem hominum totius vniuerſi, propter unionem ad Verbum; quod etiam aſſeruit Clemens VI. in citata Extrauaganti. *Vnigenitus*, & id communiter omnes Doctores D. Tho. 3. part. quæſt. 7. ad ſecundum, & quodlib. 2. artic. 2. Alenſis 3. part. quæſt. 17. memb. 5. artic. 2. Bonauent. in 3. diſt. 3. artic. 1. quęſt. 2. Sotus lib. 3. De natura, & gratia cap. 6.

Sexta Synod.

Vna gutta ſanguinis Chriſti ad totius orbis redemptionem ſufficientiſſima fuiſſet. Clem. VI. D. Thom. Alenſis. D. Bonauent. Sotus.

cap.6. Vega lib.7. in Concilium Tridentinum cap.8. & 9. Suarez in tertiam partem, tom.1. art.2. diſputat.4. ſectio.4. Bellarm. lib.5. de Chriſto mediatore cap.1. & ſequentibus. Et quamuis Durandus diſtin.20. quęſt.2. art.2. num. 10. ſubobſcurè de hac re loquatur, in quęſt. tamen 3. fatetur, Chriſtum ratione perſonæ meruiſſe, & ſatisfeciſſe infinitè.

Vega. Suarez. Bellarm. Durand.

Caietanvs 3. par. quæſt.48. art.5. hanc rem benè declarat; nempè, quod opera, quæ Chriſtus fecit erant creata, ac proindè ſimul à Patre, & à Spiritu Sancto effectiuè, tamen ſpeciali ratione perſonaliter, atque etiā vitaliter erant à ſolo Chriſto, vt innuit D. Tho. loco citato, in corp. art. Hinc etiam eſt, quòd Chriſtus in ſingulis ſatisfecit, de rigore Iuſtitiæ, vt D. Tho. 3. par. quæſt.1. art.2. & quæſt.46. art.12. ad ſecundum, & tertium, & quæſt.48. art.2. & 5.

Caietan. D. Thom.

Ex quo etiam fit, quòd anima, ſeù humanitas Chriſti omnipotentiam quamdam habuerit, de qua Matthæi vltimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas*, vt inſtrumentum Verbo coniunctum, & ob infinitum valorem ſui meriti, & ſatisfactionis.

Quomodo humanitas Chriſti dici vere poſſit omnipotens.

Et Vero, quamuis Chriſtus, vt homo, non fuerit omnipotens abſolutè loquendo, vt docet D. Thom. 3. par. quæſt. 13. artic.1.2.3. & 4. & Caietanus, Medina, & Suarez ibidem, & Alex. de Ales 3. par. quæſt.14. cæterique Theologi, cum Magiſtro in 3. diſtin.14. vt Paludanus, quæſt.3. Gabriel quæſt.1. art.3. dub.1. Durand. quæſt.5. Bonauent. art.3. Nulli namque creaturæ, etiam humanitati Chriſti, poteſt diuina omnipotentia ſimpliciter, & ſecundum totam ſuam perfectionem cōmunicari, cùm illa ſit propria diuinitatis, quæ omnium creaturarum principium eſt; & in Chriſto nulla naturarum, vel proprietatum confuſio facta ſit: ſed inconfuſę, tàm facultates, quàm proprietates, atque etiam operationes vtriuſque naturę, humanæ ſcilicèt, & diuinæ fuerint; vt clarà fides eſt: Attamen humanitati Chriſti, ut eſt inſtrumentum coniunctum Verbo, omnipotentia Dei communicata dicitur à Sanctis Patribus dupliciter; uel per communicationem idiomatum, ut dixit D. Thom. in quæſt. proximè citata art.1. ad primùm; uel propriùs, quóniam ipſa Chriſti humanitas ob talem unionem ad Verbum eleuata, & ſublimata fuit, ut eſſet ad nutum ſuæ uoluntatis, & ex ſuo arbitrio, principium efficiens, & actiuū (inſtrumentale tamen) miraculorum, & operationum ſuper naturam; uimque obtinuit perpetuam, & permanentem operandi multa, quæ ſunt Dei propria, putà gratiam, remiſſionem peccatorum, animarum iuſtificationem, illuminationes, & ſimilia. Etenim, per actiones ſuę humanitatis, quatenus erat organum animatum ipſius diuinitatis, nō ſolùm corpora ſanabat; ſed etiam animas iuſtificabat; ut colligitur ex illo Ioannis 7. *Totum hominem ſanum feci*, & ex Diuo Auguſtino tract. 30. in Ioannem, & ex D. Tho. 3. par. quęſt.44. art.3. ad tertium. Vndè etiam, ſicut quantumlibet loco diſtantes ſanabat, ut Matth.8. ità etiam iuſtificabat, nō ſolùm per modum orationis, aut interceſſionis, impetrationis, uel per ſolam aſſiſtentiam diuinę uirtutis, ut cenſuit Durand. in dicta diſtin.14. quęſt. ultima, ad ſecundum, & Riccardus in eodem 3. diſtin.13. art.2. quęſt.3. Gabriel dub.3. Bonauentura diſtin.19. quęſt.1. Alex.3. par. quęſt.13. memb.3. art.3. Altiſſiod. 3. par. tract.1. cap.4. quęſt.2. Vega lib.7. De iuſtificatione cap.14. ſed ex poteſtate, & diuina motione, quę ea humanitate, ut inſtrumento, utebatur ad quodcumque opus miraculoſum, etiam diſtanter peragendum, & id innuit D. Greg. Homil.28. in Euangelia, D. Thom.3. par. quęſt.56. art.1. ad tertium, & Caietanus 3. par. quęſt.13. artic.2. De hac uirtute omnipotenti humanitatis Chriſti legendi ſunt hi Patres; D. Leo, Epiſt.81. ad Epiſcopos Palęſtinę, Cyrillus Alex. lib.4. in Ioannem cap.24. et lib.10. Theſauri cap.9. & lib.2. cap.15. D. Athanaſius in ſer.4. contra Arrianos, Nazianzenus in carmine de Chriſti miraculis, vbi inquit,

Viribus eijcitur Chriſti, cum Dæmone, febris.

Chryſoſtomus Homilia 26. in Matthæum ſuper illa verba; *Domine ſi uis, potes me mundare*, & Homilia 31. in Ioannem, & Homilia 1. in Acta, Euſebius libro 4. de demonſtratione Euangelica cap.13. D. Auguſtinus tractat. 14. in Ioannem vbi poteſtatem multiplicandi panes tribuit manibus Chriſti, & contra Felicianū

Matth. vlt. D. Thom. Caietan. Medin. Suarez. Alen. Magiſter. Palud. Gabr. Durand. Bonauent. Ioan 7. D. Auguſt. D. Thomas. Matth.8. Durand. Riccard. Gabriel. Bonauent. Alex. Altisſiod. Vega. D. Gregr. D. Thom. Caiet. D. Leo. Cyrill. Alex. Nazian. Athanaſ. Chryſoſt. Euſeb. Auguſt.

Ambroſ. Damaſc. Theodor. Nicetas. Gregor. Euthim.

cap. 11. Ambroſius, ſerm. 90. & 91. Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 18. Theod. in dialogo. 2. Nicetas lib. 3. theſauri cap. 38. D. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 30. & 31. ac denique Euthymius, lib. 7. in Lucam cap. 19. vbi ſic ait; *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquo tempore permanſit, habetq; ignis rationes, ità quoque ſancta ipſius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis ſunt, operabatur. Ideò manus quidem mortuum, ac deſertum corpus coniunxit, vox autem recedentem animam reuocauit.* Hæc ille. D. Gregorius loco citato exiſtimat, ſanctis quoque à Deo communicari, vt non ſolùm impetratione, ſed etiam poteſtate poſſint opera miraculoſa facere; ità ut non ſolùm moraliter; ſed etiam phyſicè, & realiter, tamquàm Dei inſtrumenta, effectum miraculorum producant; De qua re aliquandò D. Auguſt. dubitauit, in lib. 22. De Ciuit. Dei cap. 9. & 10. licèt ſuper Pſalm. 76. exponens illud; *Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus.* Hunc modum comprobare videatur, dicens. *Fecit, & Moyſes, ſed non ſolus, fecit & Helias, fecit & Heliſeus, fecerunt & Apoſtoli, ſed nullus eorum ſolus. Illi cùm facerent, tu cum eis, tu quandò feciſti, illi non tecum; Non enim tecum fuerunt, cum feciſti, quando & ipſos tu feciſti.*

D. Auguſt.

Et in expoſitione Pſalmi 130. inquit, hunc modum operandi miracula, Sãctos à Chriſto recipere, & id in maximum Chriſti honorem vergere, immò maiorem in Chriſto poteſtatem arguere; *Vndè*, inquit, *fieri poteſt, vt plus valeant ſarmenta, quàm radix?* Lege Caſtrum, verbo, Miracula, Michaelem Medinam li. 2. de recta in Deum fide cap. 7. Bellarminum, lib. 4. de Eccleſia cap. 14. D. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 178. art. 1. Quocircà ſi per umbram Petri, & per ſudaria, & ſemicinctia Pauli ſuper languidos poſita, infirmi ſanabantur, & per alia inſtrumenta inanimata; nimirum per oſſa demortui Eliſæi, & per Eliæ Pallium inſignia, & diuina miracula facta ſunt, multo magis id humanitati Chriſti, eiuſque actionibus, re ipſa tribuendum eſt. Lege Diuum Thom. quæſt. 6 de potentia art. 4. & Caniſiũ in ſuo Mariali lib. 5. cap. 18. Non enim Deus Chriſto dedit Spiritum ad menſuram, Ioannis 3. quem locum D. Tho. 3. par. quæſtio. 7. art. 2. ad primum ſequutus pleroſque Patres, de Chriſto, vt homo eſt, intelligit; Ità D. Auguſtinus tract. 14. et Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius, ſuper eumdem locum Ioannis; *Omnia enim dedit Pater in manu filij*, quamuis Cyrillus Alex. lib. 2. in Ioannem cap. 72. & Nazianzenus Orat. 36. nu. 14. verba illa Ioan. exponant de diuinitate filij.

Caſtro. Medin. Bellar. D. Thom. Caniſ. Ioan. 3. D. Thom. D. Auguſt. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Cyrill. Alex. Nazian.

Qua ratione Chriſti humanitas habeat poteſtatem faciendi miracula. Vega. Medina. Caietan.

De Hac virtute efficiendi miracula, ſeu gratiam, humanitati Chriſti communicata, ſeù de virtute humanarum Chriſti operationum ad iuſtificandum, & miracula facienda, multi multa ſcripſerunt, varias quæſtiones, & difficultates excitantes, & prolixè tractantes, ut Vega lib. 7. de Iuſtificatione per nouem, & decem capita, Medina ſuper tertiam partem, Suarez fuſiſſimè in diſputat. 31. in octo ſectiones diſtributa. Vnicus tamen Caietanus pauciſſimis verbis rem totam abſoluit, in quæſt. 13. tertiæ partis, art. 2. eo enim ipſo, quòd Deus re aliqua, vt inſtrumento, vtitur ad opus miraculoſum, eleuat rem illam ad ſtatum cauſæ inſtrumentalis, & Deum, rem illam mouere, ſeù virtutem inſtrumentalem illi communicare, nil pœnitùs aliud eſt, quàm aſſumere talem rem, ſeù vti paſſiuè tali re ad huiuſmodi opus. Quapropter cùm Deus vtatur Chriſti humanitate ſibi coniuncta, ad opera miraculoſa, & ad gratiam, & dona ſupernaturalia Eccleſiæ præſtanda, meritò illa dicitur inſtrumentaliter ad præfata omnia cooperari, nec hac in re aliud myſterium, vel occultum, meo iudicio, reconditum eſt.

Caro Chriſti fuit infinitæ dignitatis. D. Tho. Error Iohannis Methinæ in hac materia. D. Bernardinus. D. Bernardus

Verum, vt ad rem noſtram propiùs redeamus, non ſolùm opera Chriſti, ſed ipſamet caro Chriſti infinitam dignitatem habebat, ex hoc quòd caro Dei eſſet, ut ſapienter inquit D. Thom. 3. par. quæſt. 48. art. 2. ad tertium, cuius uerba aurea hic ſunt ſubijcienda. *Dignitas*, inquit, *carnis Chriſti non eſt exiſtimanda ſolùm ſecundum carnis naturam, ſed ſecundum perſonam aſſumentem; inquantum ſcilicèt erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* In hac materia de merito Chriſti infinito, & de ualore operum Chriſti, lapſus eſt Ioannes Methinæ, in Codice de pœnitentia, tract. 3. quæſt. prima, qui ex ſupradictis arguendus eſt. Lege D. Bernardinum tom. 4. ſerm. 40. & D. Bernard. Epiſt. 190. & lib. de Paſſione

Domini

Domini cap.33. & Epiſt. Nicolai V. in qua etiam referuntur, quę Clemens VI. dixit, idem affirmando in Epiſtola, quam edidit exhortatoriam, ut Chriſtiani Principes pro tuenda religione aduerſus Infideles arma ſumerent, ut in lib. 11. commentariorum Pij II. refertur.

Clemens VI.
Pius II.

Hoc nomine, ſcilicet ratione coniunctionis humanitatis, cum diuina perſona, plerique Sanctorum Patrum hanc uim, quam Chriſtus etiam ut homo habebat, conferendi ſalutem animæ, & corpori, abſolutè ac ſimpliciter tribuunt diuinæ perſonæ, ut Athanaſius in ſermon. 4. contra Arrianos, Damaſcenus in lib. Quod ad imaginem Dei facti ſumus, Sophronius, in Sexta Synodo actio. 11. & D. Leo Epiſt. 10. Cùm tamen illud quoque ueriſſimum ſit, Chriſti humanitatem, Verbi inſtrumentum, non ſolùm ut moralem cauſam, ſed etiam, ut Phyſicam inſtrumentalem feciſſe miracula. Vndè per modum Imperij, & poteſtatis abſque oratione infirmos ſanabat, ut Lucæ 5. *Volo, mundare*. Matthæi 8. *Imperauit uentis*, vbi Chryſoſt. Homil. 26. *glorificauerunt*, inquit, *Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus*. Quocircà Chriſtus, ut dicitur Eſaiæ 51. Brachium Domini appellatur. lege Driedonem de captiuitate, & redempt. tract. 2. cap. 2. part. 3. art. 6. & Lucæ 6. dicitur, uirtutem ex illo exijſſe, & cap. 8. *Noui uirtutem exijſſe à me*. Lege Chryſoſtomum Homil. 31. in Ioannem, & Greg. Niſſ. Orat. in Greg. Thaumaturg. Nec ſolùm corpora ſanabat, ut dictum eſt, ſed etiam erat inſtrumentum ad productionem gratiæ, & aliorum donorum ſupranaturalium; *Gratia enim, & ueritas per IESVM Chriſtum facta eſt*, & rurſus, *hic eſt, qui baptizat*, & Matthæi 9. *Vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata*, & cap. vltimo, *Data eſt mibi omnis poteſtas, &c.* & ad Epheſios 2. *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto*, & ad Coloſſ. 1. *Ex quo totum corpus, &c.* Vide D. Thom. 3. part. quæſt. 43. & 44. artic. 1. ad 4., & artic. 3. ad 3. & quæſt. 48. artic. 6., & quæſt. 56. art. 1. ad 2. & alios quamplurimos Patres, & ſcholaſticos Doctores, quos refert, & citat Henriquez in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 16. nu. 1., & cap. 25. nu. 2. Vndè etiam hodie Chriſti humanitas in Cœlo exiſtens, licèt diſtans, actiuè iuſtificat homines in terra; immò, & Beatis lumen gloriæ per Chriſtum infunditur, ut D. Thom. & Caiet. ſignificant 3. part. quæſt. 52. artic. 2. immò per hanc Chriſti humanitatem reſurrectio mortuorum futura in fine mundi, fiet. Ioan. 5. *Ego ſum reſurrectio, &c.* & D. Tho. 3. part. quęſt. 54. & 59. lege D. Auguſtinum tract. 18. & 26. in Iohannem.

Athanaſ.
Damaſc.
Sophron.
Leo.
Luc. 5.
Matth. 8.
Chryſoſt.
Iſai. 51.
Driedon.
Luc. 6. & 8.
Chryſoſt.
Niſſen.
Matt. 9. & vlt.
ad Epheſ. 2.
ad Coloſſ. 1.
D. Thom.
Henriquez.
Ioan. 5.
D. Thom.
D. Auguſt.

CAPVT XXXV.

Exponitur Tertia Quæſtio. Quid noſtræ ſatisfactiones cooperentur cum Chriſti ſatisfactionibus, quando Theſaurus diſpenſatur.

QVAERIMVS in hac quæſtione, an ſatisfactiones Sanctorum, quæ in Theſauro repoſitæ ſunt, partem pœnæ remittant, quandò Theſaurus diſpenſatur. Et ratio dubitandi eſt, quoniam Chriſti ſatisfactiones, ſinè quibus nunquam Indulgentiæ condonantur, primo loco applicātur, nec minimus gradus pœnæ remitti poteſt, quin Chriſti ſatisfactio applicetur. Vndè vel iſtę Sanctorum uidentur ſuperfluæ, uel certè exponendum eſt quid efficiāt.

Circa quod dubium aliqua dicenda ſunt. Dico primo, ad peccati mortalis remiſſionem, & pœnæ æternæ ſatisfactionem, ſola Chriſti ſatisfactio, & meritum applicatur; Hoc eſt communiſſimum dictum, & receptum apud omnes, & eſt de fide. Eſaiæ 63. *Torcular calcaui ſolus, & non eſt uir mecum.* Ioannis 11. *Expedit uobis, ut vnus moriatur homo pro populo*; Vbi D. Cyrillus lib. 11. cap. 34. Item 1. Corinth. 11. ait Apoſtolus; *Nunquid Paulus pro uobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?*

Sola Chriſti ſatisfactio applicatur ad remiſſionē peccati mortalis, & pœnæ æternæ.
Iſai. 63.
Ioan. 11.
D. Cyrill.
1. Corinth. 11.

1. Thim. 2. *Zati eſtis?* & prima ad Thimotheum 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus IESVS, qui dedit in redemptionem ſemetipſum pro omnibus nobis*, ad Hæbr. 8. & ad Hæbræos 8. *Solus Chriſtus melioris teſtamenti repromiſſor, & mediator eſt*. Dicitur autem Chriſtus mediator Dei, & hominum; non ſolùm quia eſt medium ſubſtantiale, quod participat vtriuſque extremi naturam, ut quidam Patres innuunt; Nimirum, ut alios ommittam, D. Chryſoſtomus Homil. 7. in primam ad Thimotheum 2., Theophylactus ad Galat. 3. D. Auguſt. lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 15. & Epiſtol. 120. & lib. 10. Confeſſ. cap. 42., & Leo Papa ſermon. 5. 12. & 24. de Paſſione; ſed etiam quia Chriſtus, ut homo, habet officium coniungendi homines Deo; præcepta, & dona Dei hominibus exhibendo, & pro hominibus Deo ſatisfaciendo, & interpellando, quod ſoli Chriſto ſimpliciter, ac perfectè conuenit, ut rectè expoſuit D. Tho. 3. par. quæſt. 22. art. 1. & 2.

(Chryſoſt. Theophyl. Auguſt. Leo Pap. D. Thom.)

VNDE Chriſtus, ut homo, eſt præcipuus interceſſor, interpellator, & aduocatus noſter. Sancti verò non concurrunt ad ſalutem noſtram, niſi per modum exempli, exhortationis, & deprecationis, ut effectus Sacramenti ſit in nobis efficax abſque impedimento, iuxtà illud ſecundæ Corinth. primo, *Siuè tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute, ſiuè conſolamur, &c.* (2. Cor. 1.)

ITAQVE egregiè concluſit D. Tho. 3. part. quæſt. 48. artic. 5. ad tertium, Paſſiones Sanctorum proficere Eccleſiæ, non quidem per modum redemptionis, ſed per modum exempli, & exhortationis; cui doctrinę addendum eſt etiam per modum ſatisfactionis, uel quia unus propria uoluntate pro alio ſatisfacit; uel quia ſatisfactiones Sanctorum in Theſauro Eccleſię repoſitę, poſſunt per Claues Eccleſię alijs ad Indulgentiam, & pœnarum remiſſionem applicari, iuxtà illud Apoſtoli ad Coloſſ. primo; *Adimpleo ea, quæ Paſſionum Chriſti deſunt, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*, quod D. Tho. alibi dixit, videlicet in quarto diſt. 20. vbi Theſaurus Eccleſię, ex quo Indulgentiæ efficaciam habent, Paſſiones Sanctorum continere dicit. Rectè autem abſolutè negat, opera Sanctorum per modum redemptionis concurrere ad ſalutem noſtram, cùm tantùm ſecundum quid, ut expoſitum eſt, ad illam concurrant, nempè, vel in ratione ſatisfactionis, vel in ratione exempli, & impetrationis, non autem ſimpliciter in ratione cauſę efficientis. Adde, quod redemptio propriè, ac principaliter, eſt quoad culpę remiſſionem, quam nullus purus homo de condigno, nec ſibi, nec alteri efficienter efficere poteſt, niſi mediante Sacramento, uel in re, vel in uoto. (D. Thom. ad Coloſſ. 1.)

Pręterea, nemo ex perfecta iuſtitia, quam nomen redemptionis ſignificat, alteri ſuam ſatisfactionem applicare poteſt, cùm omnes aliorum ſatisfactiones eatenus ſint Eccleſię proficuę, quatenus ſunt fundatę in ſatisfactionibus, & meritis Chriſti, ex quibus prouenit, ut inter membra eius communicatio ſatisfactionis eſſe poſſit.

Suarez. Lege Caietanum, & Suarez ſuper eumdem articulum Sancti Thomę, qui rectè concludit, etiam conceſſo, quòd unus pro alio de condigno poſſit ſatisfacere, non debere concedi, hominem ob id poſſe ſe ipſum, uel alium redimere, licèt Bellarm. lib. 1. de Purgatorio cap. 10. ex phraſi Scripturæ concedat, hominem ſui Redemptorem, & Saluatorem appellari poſſe iuxtà illud Danielis quarto, *Peccata tua eleemoſinis redime*, & ad Philippenſes ſecundo, *Cùm metu, & tremore ſalutem veſtram operemini*; quod tamen abſolutè non eſt concedendum. (Bellarm. Danielis 4. ad Philip. 2.)

IMMO nec ipſamet Beatiſſima Virgo per modum cauſę efficientis, uel per modum meriti, & redemptionis fuit cauſſa propria, uel principalis noſtrę ſalutis, nec virtutem habuit iuſtificandi, aut dandi gratiam, uel gloriam de condigno; cùm hęc omnia ſint propria ipſius Dei, & humanitatis Chriſti, tamquàm inſtrumenti Deo coniuncti, quamuis de congruò impetrauerit, & meruerit Eccleſię multa, & ad incarnationem Chriſti ſuo modo cooperando, ad noſtram ſalutem aliquo modo cooperata ſit, cùm Chriſtum nobis genuerit, & aliquo modo ipſum promeruerit, & obtinuerit, vt doctè exponit Suarez 3. par. tom. 2. quęſt. 37. art. 4. diſputatione 23. ſectio. 1. (Suarez.)

Ex quo

Ex QVO ſit, ut multa tribuantur Virgini, tùm ob dignitatem perſonæ, qua Mater Dei eſt, tùm ratione officij, quia Mater Eccleſiæ eſt, etenim ſic dicitur Mater noſtra ab Epiphanio Hæreſi 70. ab Origene in Homil. 1. in Ioannem, à Chryſologo ſerm. 140. & Ruperto lib. 14. in Ioannem.

Multa Virginis Mariæ hic inſignia attributa explicantur.

Item dicitur Vniuerſalis mediatrix, à nobis in omnibus præ cæteris Sanctis oranda, ſic habet Septima Synodus actio. 6. ad quintum, Nazianzenus Oratione in Cyprianum, Nyſſenus Oratione in Gregorium Taumathurgum, Athanaſius ſermone de Sanctiſſima Deipara, Fulgentius ſerm. de Laudibus Virginis.

Epiphan. Orig. Chryſolog. Ruper. Septima Syn. Nazian. Cyprian. Nyſſen. Athan. Fulgent.

Item dicitur ingens collum corporis myſtici ſub Chriſto capite. Bernardus, in ſermone de Natiuitate MARIAE. Item dicitur Canalis, per quem deriuantur riuuli, & gratiæ aliorum Sanctorum ad irrigandam Eccleſiam. Bonauentura in ſpeculo cap. 10. German. ſerm. de Zona, & de Aſſumptione, Auguſt. ſermo. 2. Natiuit.

Bernard. Bonauent. German. Auguſt.

Item dicitur, quòd per illam ſalus omnibus facta eſt, ut per Iudith, & Eſther; ac ſubindè, mediatrix Vniuerſalis, & aduocata noſtra, ut Irenæus lib. 5. cap. 19. Baſil. Homil. in Manentem Martyrem, Auguſt. ſerm. 2. Annunciationis, & Bernardus ſerm. 1. Aſſumptionis. Et nihilominus à nemine dicitur propriè redemptrix; Voluit enim Chriſtus in quibuſdam ſociam habere matrem ſuam, minimè tamē in his, quæ ſibi ſunt propria; ſicut enim Chriſtus ad dexteram Patris ſedet, ſic adſtat Regina à dextris filij, vt docet Athanaſius in ſermone de Sanctiſſima Deipara ex Pſal. 44. & lib. 3. Reg. cap. 2. Mater Salomonis habet thronum iuxtà filium. Item ſicut humanitas eſt ſedes Verbi, ſic B. Mater eſt ut Cœlum, & ſedes Chriſti. Ità D. Hieronym. in ſermone de Aſſumptione; ſicut autem inter res creatas nulla eſt præcioſior humanitate Chriſti, ſic in mundo non eſt dignior locus utero Virginali; Et ſicut Empyreū, quod eſt ſedes Chriſti, magnitudine ſuperat omnia corpora ſimul, ſic B. Virgo multitudine, & amplitudine meritorum omnes alias puras creaturas excedit; Item ſicut Chriſtus dicitur ſol, ſic etiam Virgo, *Electa, ut ſol* Canticorum 6. vt Rupertus ibidem exponit, & Damaſcen. lib. 4. cap. 15. citans illud Pſalmi 48. *Thronus tuus, Deus, vt ſol*, ſicut enim ſydera coràm ſole occultātur, ac ſi non eſſent, ſic cæteri Sancti in comparatione MARIAE, vt ait Petrus Damia. in ſerm. de Aſſumptione, & Bonauentura, in Speculo cap. 10. Item ſicut Chriſtus dicitur Mare, ſic B. Virgo, vt ait Bonauentura, in Speculo cap. 5. 6. & 7. & ſicut Chriſtus dicitur *radix Ieſſe*. Eſaiæ 11. ſic B. Virgo, vt ait D. Thom. ad Rom. 11. & 3. par. quæſt. 27. ar. 2. in argumento 4. Item ſicut corpus Chriſti nullam paſſum eſt in ſepulchro corruptionem, ſic nec Virginis, ut ait Auguſt. lib. de Aſſumptione ex Pſalm. 15. & ſicut Deus circulo comparatur, qui principio, & fine caret, ſic etiam Virgo, ut ait Petrus Damian. ſerm. Natiuit. hæc, & multa alia, ſeruata proportione, Chriſto, & matri tribuuntur.

Irenæus. Baſil. Auguſt. Bernard. Athanaſ. Pſal. 44. 3. Reg. 2. D. Hieron. Simile. Cantic. 6. Ruper. Damaſc. Simile. Pet. Damian. Bonauent. Iſai. 11. D. Thomas. Auguſt.

MVLTA tamen propria habet Chriſtus, quæ nulli communicari poſſunt: nemini enim conceſſit, ut vnus alteri de Iuſtitia primam gratiam mereri poſſit, quā nec B. Virgo alijs meruit de condigno, ut docuit D. Thom. prima ſecundæ quæſt. 114. art. 6. immò nec eis augumentum gratiæ, vel vitam æternam de condigno. Similiter dicimus hoc nomen Redemptoris proprium eſſe Chriſti; & quamuis D. Anſelmus, de Laudibus Virginis c. 9. dicat, quòd incomparabili ſublimitate promeruit fieri Reparatrix Orbis; id tamen interpretandum eſt, quia filium Mundo genuit, qui ſiuè, quæ in Cœlis, ſiuè quæ in terris reſtaurauit, ſicut enim, inquit Anſelmus, Deus creando omnia, Pater eſt, & Dominus omnium; Ità B. Virgo ſuis meritis cuncta reparando Mater eſt, & Domina rerum.

Quædam hic ponuntur inſignia ſolius Chriſti propria. D. Thom. D. Anſelm.

DICO Secundò, per ſolùm Chriſti meritum, etiam culpam Venialem remitti de condigno, vt D. Thom. 3. par. quæſt. 87. art. 2. & 4. Nemo enim ab vlla miſeria liberatur, niſi per Chriſtum iuxtà illud; *dimitte nobis debita noſtra*; quę uox, & verax, & humilis confeſſio eſt iuſtorum, circà leuia ſaltem, & quotidiana peccata, vt exponit Concilium Tridentinum ſeſſione 6. cap. 11. & D. Auguſt. Epiſt. 108. & in Enchiyridion, cap. 71. & lib. quinquaginta homiliarum, circà finem, & tractatu primo, in primam Ioannis capite 2. ubi etiam de Venialibus, exponit illud, *Si*

Venialia de condigno per ſolum Chriſti meritum remittuntur. ex D. Thoma. Conc. Trid. D. Auguſt.

Conc. Mileui. Conc. Arauſi. 1.Ioan. 1. Apoc. 7. Vega. D.Bernar. Pet. Soto. Io. Methina. Gloſſ. interl.

quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesvm Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: Facit Concilium Mileuitanum cap. 6. 7. 8. & 9. & Arauſic. 2. cap. 14. & 22. Certè D. Ioannes in Epiſt. 1. cap. 1. cùm dixiſſet, *Sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato*, veniale incluſit; ſubdit enim, *ſi dixerimus, quoniam peccata non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* & Apocalypſ. 7. dicuntur Sancti, lauiſſe, & dealbauiſſe, *ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* Vide Vegam lib. 4. cap. 6. & lib. 15. ca. 4. Atque etiam D. Bernardus in ſermone de Cæna Domini inquit. *Nemo leuia peccata contemnat. Impoßibile eſt enim cum eis ſaluari, impoßibile eſt ea dilui, niſi per Chriſtum Iesvm, & à Chriſto.* Vide de hac re Pet. Sot. De pœnit. Lectione 18. & Ioannem Methinam tractatu 3. quęſt. de ſatisſactione, & Gloſſ. interlinearem, in illud Pſalmi 31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*; quod etiam de Venialibus intelligit.

Satisfactiones Sanctorũ concurrunt ad remiſsionẽ pœnæ temporalis. Henriquez. Quomodo hoc fiat, ſecundum aliquos.

Dico Tertio; ad pœnę temporalis remiſſionem, & ſatisfactionem, etiam Sanctorum ſatisfactiones concurrunt, ità vt verè, ac de Iuſtitia pro alterius pęna temporali ſatisſaciant, in virtute tamen Chriſti. Pro explicatione huius dicti ſciendũ eſt, aliquos Doctores cenſuiſſe, vt refert Henriquez lib. 7. cap. 5. §. 1. Chriſtum in Indulgentijs per Claues applicare limitatum gradum ſuarum ſatisfactionum ei, qui Indulgentias ſuſcepit, ità ut dimidia, vel maior pars pœnarum, pro ut Dei ſapientia diſtribuit, ei remittatur; ſicut enim Chriſtus per Sacramenta, uel ſacrificiũ Miſſę applicat limitatum gradum ſatisfactionis ex opere operato, ut Doctores cõmuniter tradunt, pręter illum, qui reſpondet contritioni, & diſpoſitioni recipientis; ità in Indulgentijs determinatus gradus ſatisfactionum Chriſti applicatur, nõ tantùm ex uoluntate Chriſti, pro quantitate diſpoſitionis, & ſeruata proportione operum recipientis, ſed etiam ex intentione Papę offerentis, & ex cauſa motiua: Alteram verò partem reſiduam, ſiuè dimidia, ſiuè minor ſit, ex applicatione ſatiſfactionum Sanctorum remitti; licèt hęc quoque pars in Chriſtum tamquàm in primam cauſſam reducatur. Addunt hi, quòd ſi in theſauro nulla eſſet ſatisfactio Sanctorum, tota quantitas applicaretur ex ſolo Chriſto: de facto autem Chriſtus inſtituit applicari partem ex Sanctorum ſatisfactionibus, ut Sancti tamquàm Dei adiutores honorentur.

Refellitur modus ille explicatus.

Verùm hęc ſententia in bona Theologia ſuſtineri non poteſt, tùm quia hęc diuiſio ſatisſactionum, quarum altera pars ex Chriſti, altera ex Sanctorum ſatisſactionibus deptomatur, gratis affertur, nec efficaci ratione, aut certa auctoritate probatur; tùm etiam, quoniam totus effectus ſatisſactionis non attingeretur à Chriſto immediatè, & tamquàm à cauſa particulari, quod uidetur abſurdum.

Aliorum ſententia circà eandem applicationem ſatisfactionum.

Alii exiſtimant, in hoc concurſu ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum, quantum ad efficaciam, maiorem ſatisfactionem applicari nobis, quàm ſi ſola Chriſti ſatisſactio applicaretur ob duas cauſas. Primùm, quoniam multiplicata cauſa creſcit effectus. Secundò, quoniam, licèt Paſſiones Chriſti ſint infiniti valoris intenſiuè, quo ad ſufficientiam; operantur tamen, & concurrunt finitè, quoad efficaciam, & per opera Sanctorum iuuantur. Rem hanc declarant exemplo ipſius Chriſti, qui licèt uno merito, & vno actu in inſtanti ſuæ Conceptionis meruerit nobis uitam æternam, & abundè potuerit ſatisfacere, tamen multiplicatis per totam uitam meritis, per omnes ſuas Paſſiones, & tamdem per mortem Crucis, uoluit de facto decenter, & ſapienter efficacior cauſa fieri noſtræ redemptionis, & quod poterat efficere vnius meriti titulo, uoluit uarijs titulis efficere; ſcilicèt, per modum meriti, ſatisſactionis, redemptionis, ſacrificij, & impetrationis, ut de facto efficaciorem uberioremque effectum conferret.

D.Thomas.

Sic expreſsè docet D. Thom. 3. part. quæſt. 48. artic. 1. ad tertium, ubi inquit, quòd Paſſio Chriſti habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita, non propter maiorem charitatem, ſed propter genus operis, quod erat conueniens tali effectui, & quodlib. 2. artic. 2. nihil enim prohibet, idem ex diuerſis cauſis alicui competere, uel deberi ſicut etiam idem mereri poteſt; pluribus actibus, uel meritis, ut docet D. Thom. 3. part. quæſt. 34. artic. 3. ad tertium, & q. 48. art. 1.

48.artic.1.ad ſecundum, lege Sotum in 4.diſt.1.quæſt.3.artic.5.& diſt.21.quæſt. 1.artic.2. Ledeſm.quæſt.27.artic.1. Suarez tom.1.diſputat.39.ſectio.2. & diſputatione 41. ſectio.1. & diſputatione 4. ſectio.4. in 2. obiectio. & alios, quos citat Henriquez loco citato.

Sotus. Ledeſ. Suarez. Henriq.

At verò hic modus dicendi aliquas patitur difficultates. Primùm non uidetur uerum, maiorem ſatisfactionem applicari nobis per Chriſti, & Sanctorum Paſſiones, quàm per Chriſti ſolùm; ei enim, quod eſt infinitum intenſiuè quantum ad uirtutem, nihil addi poteſt. Item effectus totus remiſſionis pœnæ à Chriſto procedit, & nullum gradum pœnæ remittunt Sancti, quem etiam non remittat Chriſtus ſolus.

Multas habet hæc ſecunda ſententia difficultates.

Præterea, quod dicunt, aucta cauſa, creſcere effectum; uerum eſt in cauſis finitis, & limitatis. At Paſſio Chriſti, etiam ſi quoad efficaciam, ideſt in actu, finitè applicetur, ſemper tamen pars applicata intenſiuè, & quoad ualorem infinita eſt. Deindè Pontifex dum Indulgentias plenarias concedit, non intendit applicare hos, uel tantos gradus pœnarum Chriſti, & non alios determinatè, ſed quantum cuique opus eſt, iuxtà menſuram pœnarum debitarum. Vndè quòd finitè applicentur ſatisfactiones Chriſti, non impedit ullo pacto, quin efficaciam, & ualorem actualem infinitum habeant. Quod autem dicunt de morte Chriſti, ſeù de merito Chriſti, per mortē ſuperaddito alijs meritis, & actionibus eius uitæ, nihil obſtat. Reſpondet enim egregiè D. Thom. in dicto quodlib. 2. ex Dei ordinatione, & Chriſti intentione id factum eſſe, ut quamuis minor paſſio, tamquàm præcium ſufficiens ad redemptionem humani generis, ſatis eſſet; tamen mors Chriſti, ad hoc à Deo fuit ſpecialiter deputata; tùm, ut eſſet præcium eiuſdem generis, mortem per mortem vincendò, & deſtruendo; tùm ut Chriſtus eſſet exemplum virtutis, non enim fuit tantùm pręcium, ſed inſuper exemplum; tùm etiam, quia mors Chriſti fuit ſignum, & Sacramentum ſalutis. *Vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu.*

D.Thom.

Poſtremò, ut ſatisfactio eſſet æqualis, non ſolùm ex dignitate perſonæ, ſed etiam ex magnitudine operum, & dolorum; quamuis Suarez hæc ratio non ualdè probetur; & ex mente D. Thom. id non in æqualitate dolorum, ſed in quadam proportione conſiſtat, ut idem D. Thom. docuit 3. par. quæſt. 46. artic. 6. in corpore circà finem. *Quantitatem*, inquit, *doloris aſſumpſit, quæ eſſet proportionata magnitudini fructus, qui indè ſequebatur.*

D.Thom.

Svnt aliqui, ut Marſil. in 3. q. 18. art. 1. & alij in diſt. 18. qui aſſerunt, Chriſtum poſterioribus meritis, & morte, ac varijs titulis non obtinuiſſe, nobis dari maiorem effectum gratię, quàm daretur ob ſolum eius primum meritum, quod fuit infinitum: atq; id etiam colligitur ex D. Thom. 3. par. q. 34. art. 3. ad tertium.

Marſil. Aliorum opinio circa id, quod nobis applicatur per merita Chriſti.

Equidem, quòd Chriſtus in inſtanti ſuæ conceptionis meruerit nobis ſanctificationem, habetur ex D. Paulo ad Hæbræos 10. vbi Apoſtolus introducens Chriſtum, ingredientem mundum, teſtatur, primam eius volitionem fuiſſe, ut Patris uoluntatem faceret, circà opus redemptionis, citatque illud Pſalmi 39. *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*, vſque ad illud, *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Atqui in eo actu Chriſtus Deū Patrem ex Charitate liberè diligens, eique gratias agens, & ſimiliter Patris uoluntatem perſpiciens, qua uolebat, ut ſe in mortem offerret, pro redemptione humani generis, illicò ei obediendo acceptauit mortem, ac voluntariè pro hominibus ſe obtulit, ut ſuo tempore opus redemptionis conſumaret. Neque id fecit Chriſtus poſt primum inſtans ſuæ conceptionis, ut cenſuit Alexander de Ales 3. par. quæſt. 16. memb. 2. artic. 1. dicens, meritum Chriſti extrinſecè tantum in illo primo inſtanti cæpiſſe; quia non in illo meruit, ſed immediatè poſt illud: quod profectò improbabile eſt, cùm hæc operatio momentanea, ſimul tempore, uel duratione cum ſua cauſa eſſe poſſit; & ſicut in primo inſtanti habuit Chriſtus actum uiſionis beatificæ, quod negare eſſet hæreticum; ità quoque in eodem inſtanti potuit habere actum ſcientię infuſæ, cuius uſus nequàquàm a corpore uel à phantaſ-

D.Thom. ad Hæbr. 10. Pſalm. 39. Alenſis.

phantaſmatibus dependebat; & ex conſequenti, in eodem inſtanti potuit habere actum liberę uoluntatis, & elicere, circà obiecta per illam ſcientiam repręſentata, actum obedientiæ acceptando mortem, & voluntariè offerendo ſe pro hominibus; quicquid Durand. in 3. diſtin. 18. quæſt. 2. in hoc puncto hæſitando dixerit.

Durand.

Quid ſit dicẽdũ pro huius dubij reſolutione.
Magiſt.
Bonau.
Riccard.
Alen.
Bonauent.
Caiet.

VNDE concludendum eſt, Chriſtum ab inſtanti ſuæ cõceptionis intrinſecè perfectum meritum habuiſſe, vt Magiſter, & Theologi in 3. diſtin. 18. vt Bonauentura art. 1. quæſt. 1. Riccardus art. 1. quæſt. 2. Scotus, Gabriel, Marſil. & alij, ac deindè continuatè, ac ſine vlla intermiſſione ab eo inſtanti vſq; ad inſtans mortis meruiſſe, vt ibidem Theologi citati inſinuãt, & Ale. de Ales 3. par. quæſt. 16. memb. 2. art. 1. Bonauen. in Breuiloquio par. 4. cap. 7. & Caiet. 3. par. quæſt. 34. art. 2. Ad perfectionem enim Chriſti ſpectabat, vt virtutes eius numquàm fuerint ocioſæ, vel in actu primo tantùm, & licèt non ſemper in eodem numero actu perſeuerauerit, (cum id non ſit veriſimile) ſemper tamen ab vno actu ad alium tranſibat, & numquàm ab actu ad non actum quemadmodum etiam Angeli operantur: per hanc tamen continuationem, ſeù multiplicationem actuum non ſequitur, merita Chriſti aucta fuiſſe intenſiuè, ſed tantùm extenſiuè; ità quidem vt plura opera Chriſti; non vnum, ſed plura merita eſſent, non tamen eſſet plus ualoris in multis, quàm in uno; opera enim Chriſti ſicut quantum ad bonitatem propriam, intrinſecam, & eſſentialem, quæ ex obiecto, & alijs circumſtantijs prouenit, inæqualia erant, ſic ex parte perſonæ operantis, quodlibet opus Chriſti æqualem ualorem habebat, nempè infinitum; Vndè ſicut per plures actus, quos Chriſtus in uita geſſit, non acquiſita nobis fuit maior gratia, quàm per primum actum, ſed eadem uarijs titulis, diuerſiſque modis; ſic etiam cumulus ſatisfactionum uidetur augeri; ſi cùm Chriſto Sancti quoque concurrant, ut hic ſecundus modus dicendi aſſerebat.

Quomodo actus Chriſti fuerint inęquales inter ſe, quoad meritum, ex Suarez.

SVAREZ 3. par. tom. 1. quæſtio. 1. art. 2. diſputatione 4. ſectione 4. uerſiculo, *addo quarto*, non abs re putat, aliqua ratione in Chriſti actibus inæqualitatem meriti fuiſſe, dicit enim, quòd ſi conſiderentur opera Chriſti, ut erant ſub diuina ordinatione, & ſub relatione ipſius operantis, ſic inæqualia erant, ut plus meruerit Chriſtus, & plus ſatisfecerit toto uitæ ſuo tempore, quàm ſingulis operibus, & aliquid obtinuit, & effecit uno opere, & non alio, licèt enim eius opera ex ſe ipſis infiniti eſſent ualoris; attamen eo ordine, & modo uoluit Chriſtus ea facere, ut non per ſingula omnium culparum, & pœnarum remiſſio acquireretur, nec omnes gradus gratiæ, & auxilia ſupernaturalia, nec totum præmium, nec ius ad totum illud obtineret de facto, citatque in hanc ſententiam Sotum in 4. diſtin. 21. quæſt. 1. artic. 2. & diſtin. 1. quæſt. 3. art. 5. & D. Thomam quodlib. 2. art. 2. & 3. par. quæſt. 48. articulo 1. Quamobrem morti; & Paſſioni Chriſti conſumata noſtra redemptio tribuitur.

Sotus.
D. Tho.

Alius dicendi modus pro quæſtionis ſolutione.

VNDE eſt tertius modus dicendi, quòd Chriſti ſatisfactio totam pœnam temporalem in Indulgentia plenaria remittit, & ſimiliter cumulus pęnarum Sanctorum pro eadem tota pœna remittenda alio titulo applicatur. Vndè quælibet cauſa de facto totum effectum attingit; licèt non totaliter, quemadmodum quando multi unum baptizant, aut multi ſacerdotes in ordinatione conſecrant eum Epiſcopo eamdem hoſtiam, quilibet facit totum effectum, non tamen totaliter, ſed partialiter, quia nemo excludit alteram cauſam eiuſdem ordinis: cauſa enim de ſe ſufficiens non impedit, quin aliæ cauſæ in eodem genere, ſimul idem perficere poſſint, & erit una ſatisfactio, à duabus cauſis particularibus, tamquàm ab una cauſa totali, effecta; ſicut unus erit Baptiſmus, etiam ſi plures concurrant miniſtri ad baptizandum; eadem enim illuminatio paſſiua aeris fit à multis ſimul luminoſis, ità Sotus in 4. diſtin. 4. quæſt. unica art. 4. & diſtin. 6. art. 2. & Gabriel diſtin. 6. quæſt. 1. art. 3. dub. 4. circà finem, & Caietanus 3. par. quęſt. 67. art. 6. & Henriquez lib. 2. cap. 30. & lib. 7. cap. 5.

Simile.
Sotus.
Gabr.
Caiet.
Henriq.

IN Hoc modo dicendi ſolùm illud aliquam difficultatem continet, quod Chriſtus concurrat, ut cauſa particularis, quod ſequenti quæſtione à nobis examinabitur; licèt

tur, licèt Henriquez affirmet in dicto cap. 5. numero 3. in fine, has tres opiniones nil improbabile continere.

Vndè ſtatuendum eſt, vniuerſam pœnam temporalem, quæ alicui in Indulgentia remittitur, & per Chriſti, & per Sanctorum ſatisfactiones, tamquàm per duas cauſas, totam remitti, ità ut quælibet cauſa, aliàs de ſe ſufficiens totum effectum, licèt non totaliter, de facto peragat: Quod tamen in ſequenti quæſtione uberius explicabitur.

CAPVT XXXVI.

Exponitur Quarta Quæſtio. Quo ordine concurrant ſatisfactiones Sanctorum cum Chriſti ſatisfactionibus in Indulgentijs.

POSVIMVS, ſatisfactiones Sanctorum cum Chriſti ſatisfactionibus ad totum effectum remiſſionis pœnarum in Indulgentia concurrere; quamuis de facto poſſit Pontifex immediatè per Indulgentias ſolùm Chriſti ſatisfactiones applicare, abſque concurſu alterius ſatisfactionis, ut benè Henriquez in ultima gloſſa dicti Capituli quinti notauit. Nunc quærimus, quomodo, ſeù quo ordine, quandò ſatisfactiones Sanctorum applicantur, concurrant cum Chriſti ſatisfactionibus. Atque in primis, in omni ſententia certum eſt, Sanctos concurrere, ut cauſſas particulares, ſiuè totum effectum, ſiuè partem eius attingant: ſolùm de Chriſto dubitatio eſt.

Henriq.

Sanctorum ſatisfactiones ad effectũ Indulgentię cõcurrunt, ut cauſſæ particulares, & quomodo cõcurrant ſatisfactiones Chriſti.

PVTARVNT aliqui, Chriſtum, ut cauſam particularem concurrere, quatenus attingit, & cauſat effectum remiſſionis, ſiuè totalem, ſiuè partialem; Quatenus autem ſatisfactiones Sanctorum, quæ etiam talem effectum, ut diximus, attingunt, & ex Chriſti virtute hanc uim ſatisfactiuam habent, reducuntur in Chriſtum, tamquàm in primam cauſam; affirmant, Chriſtum tamquam cauſam uniuerſalem concurrere.

VERVM dicendum eſt, tamquàm magis ueritati conſentaneum, Chriſti ſatisfactiones concurrere, ut cauſam vniuerſalem, ſic enim etiam applicantur homini per propriam contritionem, aut ſatisfactionem: Sanctorum verò ſatisfactio ex Theſauro, ut cauſa particularis, quæ à Chriſto mota, & directa, atque in eius uirtute cauſat efficaciter, & immediatè totum etiam effectum Indulgentiæ, ut rectè Henriquez loco citato, §. 4.

Vera opinio circà hoc.

Henriq.

SVNT autem hic aliqua notanda. Primùm eſt, quòd per Claues Eccleſiæ, non ſolùm de iuſtitia, & infallibili lege applicatur ſatisfactio Chriſti, ità ut certò pro membris, quibus applicatur, à Deo acceptetur; ſed etiam Sanctorum ſatisfactio; hæc enim ſimiliter infallibili lege à Deo acceptatur; licèt recentiores quidam contrarium docuerint ſinè efficaci ratione, aut certa auctoritate, ut Henriquez benè dixit.

Etiam Sanctorum ſatisfactio ex iuſtitia, & infallibiliter prodeſt hominibus.

SECVNDO, quòd ſatisfactiones Sanctorum ſemel applicatæ conſumuntur in eadem applicatione, nec amplius applicari debent, cùm ſuum effectum ſortitæ fuerint. Chriſti autem ſatisfactio, ut infinita numquàm exhauritur; Vndè ſi quandò tota Sanctorum ſatisfactio conſumeretur, ſola illa Chriſti ſufficeret; manet autem in Theſauro ſatisfactio Chriſti, non ſolùm, ut cauſa uniuerſalis, ſed etiam ut particularis, cùm interdùm ut dictum eſt, immediatè ipſa ſola per Indulgentias applicetur, & tunc concurrit, ut cauſſa particularis, ſicut etiam in Baptiſmo ad remiſſionem totius culpæ, & pœnæ.

Satisfactiones Sanctorũ ſemel applicatę conſumuntur, non autẽ ſatisfactiones Chriſti.

TERTIO, quòd ſatisfactio Sanctorum, quandò applicatur, non ſuperfluit, ſed ſuperabundat ad gloriam Chriſti, & honorem Sanctorum, ſicut enim dicũt Theologi, de diuerſis Chriſti operibus, quòd illorum ſatisfactio ſuperabundans fuit ad honorem Chriſti, & Theſauri infiniti, ſic dicendum eſt de ſatisfactionibus

Sanctorum ſatisfactio nõ ſuperflua, ſed ſupabundãs.

Sancto-

Sanctorum in Theſauro; gloria eſt enim Chriſto, inferioribus communicare eam uirtutem, qua cæteris Eccleſiæ membris adiumento eſſe poſſint, à Chriſto enim habent gratiam, quæ eſt cauſa radicalis ſatisfactionis, atque ità tota ſatisfactio in Chriſti gloriam redundat, vt habetur in Concilio Tridentino ſeſſione 6. cap. 7. & 16. Canone vltimo, & ſeſſione 14. cap. 8. & Canone 14. Sic quoq; Chriſtus inſtituit, ſatisfactiones Sanctorum in Indulgentia addi, vt tamquàm adiutores Dei honorentur: & tamquàm amici, ipſius bonorum ſint participes, & tamquàm fratres ſibi ſubſidium ferant, iuxtà illud; *Alter alterius onera portate*; & tamquam membra, Chriſto capiti aſſimilentur, iuxtà illud Pauli; *Adimpleo ea, quæ deſunt, &c.* Ad confuſionem item impiorum, qui legem Chriſti calumniantur, eſſe onus graue, cùm tamen multi Sancti plures fecerint ſatisfactiones, quàm pro ſuis peccatis deberent. Vndè concurſus iſte Sanctorum non derogat potentiæ, vel Paſſioni Chriſti, ſed tamquàm eius effectus potius illam manifeſtat, & illuſtrat, ut docet Concilium Tridentinum ſeſſione 14. Canone 8. Suarez in tertiam partem Diui Thomæ, tom. 1. quæſt. 19. art. 4. diſput. 41. ſection. 3. inquit, meritum Chriſti ſimul concurrere cum noſtra ſatisfactione ad eumdem effectum, vt cauſas diuerſorum generum, videlicèt vniuerſalem, & proximam, & vtramque in ſuo ordine perfectam eſſe, & bene dicit.

Conc. Trid.

Conc. Trid. Suarez.

Quomodo ex hac coniunctione ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum augeatur efficacia Indulgẽtiarum.

VLTIMO notandum eſt, quòd hæc ratio cauſæ vniuerſalis cum particulari coniuncta, auget aliquo modo efficaciam ipſius remiſſionis, & Indulgentiæ; quemadmodum valor noſtræ ſatisfactionis, dum coniungitur Sacramento Pœnitentiæ, creſcit ex ſatisfactione Chriſti; ſic valor ſatisfactionis Sanctorum creſcit, & augetur, fitque fortior, & efficacior, dùm per Claues, & Indulgentias connectitur ſatisfactionibus Chriſti: At verò non è contra accidit: Chriſti enim ſatisfactio nequaquam auctior, & efficacior in ſe fit, ſi ſatisfactionibus Sanctorum adiungatur, cùm ſit per ſe ſufficiens, licèt ratione effectus ob concurſum duarum cauſarum ſimul remiſſio illa efficacior dici poſſit: ſufficientia autem, & perfectio ſatisfactionis Chriſti in hoc maximè relucet, quòd cùm ex vi propria ſuum effectum plenè habeat, nõ tamen excludit Sanctorum ſatisfactiones: ſed illis potius tribuit uim, & efficaciam, tamquàm cauſa effectui. & conſequenter ſatisfactiones Sanctorum illuſtrant, & oſtendunt potentiam meritorum Chriſti, ſicut effectus ſuę cauſæ uirtutem declarat. Ad hoc igitur leuius redemptionis genus, nempè remiſſionis pœnæ temporalis, Sancti, ut cooperatores Chriſti, admittuntur ex Dei inſtitutione, & beneficio, qui iure optimo cauſſas creatas facit ſibi cooperantes, non quia illis indigeat, ſed ut in eis ſumma eius potentia, & ſapientia reſplendeat.

CAPVT XXXVII.

Quæſtio Quinta tractatur; An noſtræ ſatisfactiones poſt Chriſti Paſſionem, maiorem gradum ſatisfactionis obtinuerint, quàm anteà, vel ſine illa haberent.

CAIETANVS 3. par. quæſt. 1. art. 2. dub. 4. inquit, poſt Chriſti Paſſionem, gradum ſatisfactionis noſtris operibus augeri, ut plus ualeant ad ſatiſfaciendum, quàm antè illam ualerent, dicit enim dupliciter noſtram ſatisfactionem, poſt Chriſti mortem, valorem, & efficaciam ſumere.

Duplex ualor, & efficacia noſtrarũ ſatisfactionũ poſt mortem Chriſti ſecundum Caietanum.

Primò, ex charitate, ſeù gratia, quam Chriſtus in nobis cauſat, per quam noſtra ſatisfactio à Deo acceptatur, atque hæc dicitur prima, & uniuerſalis radix ſatiſfactionis.

Secundò ex eo, quòd innititur ſuper ſatisfactione Chriſti, ex hoc enim, quòd quis eſt membrum viuum Chriſti, fit, ut illum gradum in ſuis ſatisfactionibus acquirat, quem Chriſtus, ut caput, habuit.

Ex Qvo

Duo corollaria ex hac doctrina Caiet.

Ex Qvo duo infert, Primùm, quòd ſicut Chriſtus de iuſtitia condignè ſatisfecit pro nobis, eo ipſo, quòd eius membra efficimur, nos quoque de iuſtitia condignè per noſtras ſatisfactiones ſatisfacimus, cùm Chriſtus, & eius membra una perſona myſtica cenſeatur, & ideò ſatisfactio noſtra coniuncta ſatisfactioni Chriſti, ut eſt ſatisfactio myſticæ perſonæ, non ſolùm eſt æqualis ſimpliciter, ſed etiam quandoque ſuperexcedit, iuxtà illud Pauli. *Adimpleo ea, quæ deſunt, &c.*

Infert ſecundò, quod ſi Deus quacumque alia uia abſque Chriſto mediatore contuliſſet nobis gratiam, tunc ſecundùm acceptationem diuinam ex eius miſericordia ſatisfactiones noſtræ apud Deum efficaciam haberent, non autem ex iuſtitia, uel ex Chriſti ſatisfactione, quocircà ille modus imperfectior longè eſſet, nec ſimpliciter ex ſe ſufficiens. Hanc eamdem doctrinam idem Caietanus tradit tom.3. Opuſcul. tract.11. cap.9., cui etiam ſubſcripſit Sotus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. artic. 2. concluſ.3. Vega lib.15. in Concilium Tridentinum cap.4. & ſequentibus vſque ad 19. & Bartholomæus Medina in tertiam partem Diui Thomæ, quæſt. 1. artic. 2. dub. vltimo, multiſque argumentis Caietani ſententiam confirmat, & Cardinalis Hoſius in Confeſſione Polonica cap.73. vbi dicit, Albertum Magnum, Bonauenturam, Gabrielem, & alios idem ſentire. Et huic ſententiæ uidetur fauere D. Thom. 3. part. quæſt. 48. artic. 1. vbi dicit, opera Chriſti, qua ratione caput eſt Eccleſiæ, ſeſe habere, tam ad ſe, quàm ad ſua membra, ſicut ſe habent opera alterius hominis in gratia conſtituti ad ipſum, & in artic. 2. ad primum, dicit, quòd caput, & membra ſunt quaſi una perſona myſtica, & ideò ſatisfactio Chriſti ad omnes fideles pertinet, ſicut ad ſua membra, quod idem ferè dicit, in quæſt. 49. art. 1. atque hanc ſententiam ſequitur Henriquez lib.7. cap.5. in gloſſa.

Sotus. Vega. Bart. Med. Hoſius. D. Thom. Henriquez.

Opinio Ioh. Methinæ.

In alio extremo eſt Ioannes Methinæ in codice de Pœnitentia tractatu. 3. q. 1. qui quemadmodum negauit, Chriſtum Deo ex pura iuſtitia ſatisfeciſſe, ſecluſa Dei libera acceptatione, ſic conſequenter negat, hominem iuſtum poſſe Deo, etiam in uirtute paſſionis Chriſti ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere.

Suarez concludit hanc quæſtionem contra Caiet.

Suarez in tertiam partem, tom. 1. quæſt. 1. diſput. 4. ſectio. 10. ex profeſſo hanc rem pertractat, concluditque contra Caietanum, hominem etiam, ut membrum Chriſti, actiuè numquàm verè, & propriè poſſe ſatisfacere pro peccato ſuo ex rigore iuſtitiæ; nec vult, Chriſtum, ut caput, influere in ſua membra perfectiſſimum illum modum, quo ipſe ſatisfecit, nempè ex rigore iuſtitiæ, uel ex perfecta iuſtitia: Additque, quòd, ſi id concedamus, ſimiliter concedendum eſſet, membrum Chriſti infinitè ſatisfacere, & unam guttam ſanguinis unius Martyris, ut membri Chriſti, poſſe dici infiniti ualoris, ſicut eſt vna gutta ſanguinis Chriſti, quod tamen concedere abſurdiſſimum eſt. Et concludit, huiuſmodi ſatisfactiones ab homine iuſto procedentes, neque in ſe ipſis, neque per relationem ad Chriſtum, vel imputationem extrinſecam, habere hunc ualorem de rigore iuſtitiæ.

Taper.

Taper. artic.6. putat, ſatisfactionem Chriſti non communicari nobis, niſi radicaliter, ideſt, ut eſt prima, & vniuerſalis cauſa noſtræ iuſtificationis. At plura alia habet, ut mox explicabimus.

In hac quæſtione uidendum eſt, ut radicem difficultatis tangamus, quid meritum, & ſatisfactiones Chriſti influant operibus iuſtorum, & è conuerſò, quam proportionem opera iuſtorum obtineant ad ſatisfaciendum Deo, & per aliqua dicta uniuerſam hanc materiam dilucidabimus.

Sentẽtia Auctoris hoc loco explicatur, & primò de eo, quod datur homini in ſua prima iuſtificatione. Conc. Trid.

Dico igitur primò, certam fidem eſſe, in prima hominis iuſtificatione ex meritis Chriſti, non ſolùm homini dari primam gratiam, ſed etiam omnes habitus infuſos uirtutum Theologicarum, & moralium, quæ ipſam gratiam iuſtificantem concomitantur, in illa enim fides, ſpes, & Charitas, cæteraque dona Spiritus ſancti homini per Iesvm Chriſtum, cui inſeritur, infunduntur, ut definitum eſt, in Concilio Tridentino ſeſſione 6. cap.7. Vndè impij iuſtificatio non eſt ſolùm peccatorum remiſſio, ſed etiam ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.

Ex Chriſti meritis prima

Dico Secundò, ex meritis eiuſdem Chriſti, non ſolùm primam gratiam, ut

gratia, & diſpoſitio ad illam datur homini.
Conc. Trid.
Conc. Arauſ.

dictum eſt, ſed etiam præparationem ad illam dari. Ita expreſſe docetur in eadem ſeſſione 6. cap. 5. & 6. & Canone 3. & in Concilio Arauſicano ſecundo, omnia enim adiutoria ex præuenienti Spiritus Sancti inſpiratione per Chriſtum homini communicantur.

Adam.
Driedon.

Ex quo ſequitur, Chriſtum meruiſſe nobis etiam omnes diſpoſitiones ad gratiam, contra Ruardum Taper, & Adamum in commentarijs ſuper Epiſtolam ad Rom. cap. 9. & ad Epheſios cap. 1. & Driedonem lib. de Redemptione generis humani tract. 2. art. 4.

Per Chriſtū eſt prędeſtinatio electorum ad gloriam.
Conc. Trid.
Ad Epheſ. 1.
Ad Rom. 8.

Dico Tertio, prædeſtinationem, vocationem, & efficacem ad diuinam gloriā electionem, Chriſtum iuſtis meruiſſe, & per Chriſtum eſſe: ita colligitur apertè ex eadem ſeſſione ca. 3. 4. 5. & 6. & docet D. Paulus ad Epheſios primo; *Elegit nos in ipſo* (id eſt Chriſto) *ante Mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate*, & iterum; *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*, & iterum, *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo*. Et paulò poſt, *Propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo*. Et ad Rom. 8. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri Imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, & hæc eſt tutior, & communior Theologorum opinio, ſcilicet Diui Thomæ, ſuper illa verba ad Epheſios primo, & 3. par. quæſt. 24. art. 4. & in 3. diſtin. 10. quæſtio. 3. Durandi eadem diſtinctione, & quæſtione, Alexandri de Ales 3. par. quæſtione 5. membr. 3. Andreæ de Vega lib. 4. in Concilium Tridentinum cap. 5. Catharini in Opuſculo, De eximia Chriſti prædeſtinatione.

D. Thom.
Durand.
Alenſ.
Vega.
Cathar.

Dilectio Dei abſoluta erga iuſtos eſt ex meritis Chriſti, & quomodo.
Ad Epheſ. 1.
D. Auguſt.

Dico Quarto, etiam dilectionem Dei, qua voluntate ſua generali ante Mundi conſtitutionem dilexit iuſtos, fundamentū habere in Chriſti merito, & probatur; quoniam meritum Chriſti fuit ratio, propter quam Deus ſimpliciter dilexit prædeſtinatos, vt patet ex verbis Apoſtoli, ad Epheſios primo, *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem vt eſſemus Sancti, & immaculati, &c.* Dilectio autem Dei, qua prædeſtinatos diligit, nil aliud eſt intrinſecè, & abſolutè, quàm velle efficaciter illis beatitudinem, & media ad illam; Hoc autem totum per Ieſum Chriſtum factum eſt, vt interpretantur Hieronymus, Ambroſius, Anſelmus, & D. Thom. in eumdem locum Pauli. Quod etiam docuit, D. Auguſt. lib. De prædeſtinatione Sanctorum ca. 17. & 18. & in lib. De correctione, & gratia cap. 7. Quid enim aliud ſibi vult *in ipſo*, id eſt, in Chriſto, nos electos eſſe, & nos in ipſum prædeſtinatos eſſe, & in eo nos ſorte vocatos eſſe; niſi Chriſtum eſſe cauſam meritoriam, non ſolum noſtræ vocationis, & prædeſtinationis: ſed etiam dilectionis, & electionis? ſic Paulus ſecunda ad Thimotheum primo, teſtatur, dicens; *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæcularia*; quo in loco, D. Thom. interpretatur; propoſitum, & gratiam Dei nil aliud eſſe, quàm ipſam dilectionem, qua ab æterno Deus prædeſtinatos dilexit. Vnde Ioannis 17. loquens Chriſtus de prædeſtinatis dixit, *Dilexiſti eos, ſicut* (pro quia, vt D. Auguſt. notauit) *me dilexiſti*; in quo etiam ſenſu D. Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum dixit; *Ideò nos diligit Pater, quia dilexit Filium*.

2. Thim. 1.
Iohan. 17.
D. Auguſt.
D. Hieron.

Ad Epheſ. 1.
D. Chryſoſt.

Hæc dilectio prædeſtinatorum alio nomine, benedictio appellatur, iuxta illud Pauli ad Epheſios primo; *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Cæleſtibus in Chriſto ſicut elegit nos in ipſo, &c.* Super quam Epiſtolam, D. Chryſoſtomus Homilia 1. dixit; *Per quem nos benedixit, per eumdem nos elegit*.

Concludendum eſt igitur; merita Chriſti antè cæterorum prædeſtinatorum electionem præuiſa, fuiſſe rationem, & fontem omnis diuinæ dilectionis, & ſpiritualis benedictionis in cæteros prædeſtinatos deriuatæ; cùm enim, *ipſe ſit primogenitus in multis fratribus*, & caput omnium prædeſtinatorum, aliquo modo fatendum eſt, Chriſti dilectionem, & electionem anteceſſiſſe aliorum dilectionem, & electionem, & illam Chriſti ſaltem ſecundum rationem, non ſimul, ſed prius fuiſſe; & quamuis vno, & eodem actu Deus prædeſtinauerit ipſum, & nos, vt inquit

D. Thom.

D.Thom.

Ad Epheſ. 1.

D.Thom.3.par.quæſt.24.art.4.in corpore;tamen ex parte obiecti dicendum eſt, electionem, & dilectionem Chriſti cauſſam fuiſſe, non ſolùm finalem, ſed etiam meritoriam omnis diuinæ electionis,& dilectionis noſtræ; cùm illa ſit cauſa, cur nos à Deo dilecti ſimus iuxtà illud Pauli ad Epheſios primo;*Gratificauit nos in dilecto filio ſuo*,ideſt gratos,& charos nos reddidit ob meritum filij ſui, quem ab æterno in primis dilexit;& illud Euangelij ; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Et quamuis prædeſtinatio Chriſti ad ſimplicem Dei voluntatem,& beneplacitum referenda ſit;*ſic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*;tamen,ſi conſideretur noſtra prædeſtinatio præcisè ſecundum propriam rationem,prout diſtinguitur à prædeſtinatione Chriſti,ſic certò aſſerendum eſt,hãc illius eſſe cauſam, vt probatum eſt, vti rectè concludit Medina ſuper eumdem articulum Sancti Thomæ; quicquid commententur Franciſcus Sonnius lib.2.demonſtrationum Chriſtianæ Religionis,tract.3.cap.19.& nonnulli alij. Chriſtus enim ipſe ſicut etiam Deus,quamuis ſint res quædam neceſſarię ad noſtram ſalutem,non ſunt tamen id,per quod formaliter dilecti,iuſtificati,& ſalui facti ſumus vt ſeſ.6.c.7.in Concilio Tridentino definitur. Vndè ipſum Chriſtum,ſicut etiam Deum,iuſtificationem, & ſalutem noſtram antecedere, neceſſe eſt intelligere; vt Gregorius de Valentia.lib.de Chriſto Redemptore cap.7.notauit.

Medina.

Franc. Sonnius.

Conc. Trid.

Greg de Valentia.

Hæc verò Dei dilectio, vt eſt actus diuinæ voluntatis, cauſam quidem habere non poteſt, ſi ex parte ſui conſideretur, cum hic actus ſit ipſemet Deus: tamen, ſi ad obiecta,vel effectus referatur;poteſt vtique ratio aſſignari,ob quam diuina voluntas moueatur liberè ad hunc, vel illum effectum, quem nequaquam efficeret, niſi ea ratione moueretur, ut docet D.Thom. lib.1.contra gentes cap.86.ſicut enim meritum Chriſti præuiſum fuit ratio,propter quàm Deus Patribus ueteris teſtamenti gratiam dare uoluit,ſic ratio,cur Deus diligat prædeſtinatos,eſt,quia diligit Chriſtum,& diligendo Chriſtum iſtos diligit. Vndè rectè concludit Gaſpar Caſalius li.1.de Quadripartita Iuſtitia,cap.4. etiam ipſam gratiam increatam, id eſt actum voluntatis Dei,quo prædeſtinatos diligit,cecidiſſe ſub meritis Chriſti, quod etiam concedit Suarez tom.1.quæſt.19. art.4.diſput.41.ſectio.4.& Gregorius de Valentia lib.de Chriſto Redemptore cap.8.

D.Thom.

Gaſpar Caſalius.

Suarez.

Valentia.

Quòd Chriſt° nobis meruerit Sacramenta,& multa alia inſignia dona.

Conc. Trid.

D. Athanaſ.

Dico quintò; Chriſtus meruit nobis omnia Sacramenta, eorumque effectus, putà augumentum gratiæ, peccatorum venialium remiſſionem, pœnarum temporalium veniam, gratias Sacramentales, Characteres. Item Sacramentalia,cæteraſque poteſtates ſpirituales, ac denique perſeuerantiam in bono uſque ad finem vitæ. Hæc enim omnia per meritum Paſſionis Chriſti, nobis applicari, conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſione 7. & ex his, quæ ſuperius diximus, hæc doctrina certiſſima eſt. Vndè D.Athanaſius in expoſitione fidei, quæ habetur tom. 1.poſt Epiſtolam ad Epitectum præclarè dixit, *Dominicus homo conditus eſt,ut eſſet initium viarum: per hunc enim ad Patrem acceſſum habemus, quoniam ipſe eſt uia, quæ ad Patrem nos ducit.* Hinc emanauit commune illud, ac receptiſſimum axioma Theologorum, Sacramenta ex latere Chriſti dormientis in Cruce effoſſo emanaſſe; & Eccleſiam tunc formatam eſſe. Ità Chryſoſt.Cyrillus, & Theophylactus,in caput,19.Ioannis,& D.Auguſt.lib.2. De ſymbolo,cap.6. & tractat.9. in Ioannem,& Damaſcenus lib.4.de fide,cap.10, & alij,quos nos in lib. primo noſtro de Fuga diſput.2.quæſt.3.citauimus; Qui omnes per ſanguinem, & aquam, Euchariſtiam,& Baptiſmum interpretantur,tamquàm magis communia,& magis principalia Sacramenta;licèt D.Ambroſ.lib.10. in Lucam cap.105. de commendatione MARIAE, Leo Papa Epiſtola 4. cap.6. D. Auguſt. & Beda in caput 19. Ioannis, per ſanguinem redemptionis præcium, per aquam Baptiſmum, in quo præcium applicatur,intelligant. Chriſtus enim uiuens liberè acceptauit, & obtulit Patri in præcium noſtræ redemptionis, etiam ſanguinem illum, qui poſt mortem ex ſuo corpore fundendus erat,in quo actu acceptationis,fuit abſque dubio cauſſa meritoria noſtræ ſalutis.

Sacramenta ex latere Chriſti fluxiſſe, & cur.

Chryſoſt.

Cyrill.

Theophyl.

Damaſc.

Lib. Auctoris de Fuga.

Ambroſ.

Leo.

Auguſt.

Beda.

Ex dictis ſequitur, Paludanum in quarto,diſtin.20.quæſt.4.artic.1.& 2.& An

Quod nunquam remit-

toninum prima part.tit.10.cap.3.§.1. numero 22. erraſſe, dùm concedunt, pœnas temporales remitti poſſe interdùm abſque merito Christi, ex mera liberali Dei remiſſione, quia, inquit, coarctare omnem remiſſionem pœnæ temporalis ad Sacramenta, uel Indulgentias, eſt facere Deum minùs liberalem, cùm nihil de ſuo nobis donaret; immò addit Paludanus, quòd in Sacramentis fit liberatio à pœna tota, uel partiali, non ex ſolutione Chriſti, ſicut in Indulgentijs; ſed ex liberali Dei remiſſione. Quod dictum, cùm Suarez tom. 1. quæſt. 19. diſput. 41. ſectione tertia, non probo; maior enim liberalitas Dei declaratur in dando nobis Chriſtum, eiuſque merita, & ſatisfactionem, per quam nobis pœna remittatur, quam ſi liberaliſſimè, ac gratis nobis eamdem pœnam condonaret. Adde, quòd negare, omnem effectum Sacramentorum eſſe ex Chriſti meritis, erroneum eſt.

[Margin: tantùr pœnę, etiam temporales, ſine merito Chriſti contra Palud. & Antonin. — Suarez.]

Dico Sextò, per Chriſti meritum datas eſſe Eccleſiæ omnes gratias gratis datas, quatenus ad illius ædificationem, & hominum ſalutem ſpectant, iuxtà illud Pauli ad Epheſios 4. *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*

[Margin: Gratiæ gratis datæ Eccleſię ſunt ex meritis Chriſti, & quomodo.]

Dico Septimò, iuſtorum opera, etiam quantum ad primum gradum gloriæ, valorem habent ex merito Chriſti, ità habetur in Concilio Tridentino cap. 16. & hoc de fide eſt, quoniam. *Nullum eſt aliud nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi nomen Domini Noſtri Iesv Chriſti.*

[Margin: Opera iuſtorum ex merito Chriſti valorem habẽt, & quomodo. Conc. Trid.]

Dico Octauò, bona opera iuſtorum, qui ſunt uiua membra Chriſti, ut ſic, id eſt, ut ex gratia Chriſti procedunt, habere intrinſecè, & ex natura ſua, quaſi connaturalem quandam proportionem, & condignitatem ad gloriam, ità ut de condigno, & iuſtitia, qualis tamen in puro homine eſſe poteſt, illis debeatur gloria: Explico; bona opera, ità Dei ſunt dona, ut etiam ſint ipſius iuſtificati merita, ità ut uerè mereantur, & ſufficientem ualorem habeant ad augumentum gratiæ, & uitam æternam, tùm ex promiſſione Chriſti bonis operibus facta, tùm quia meritis ex iuſtitia corona gloriæ à iuſto iudice reddenda eſt, tùm etiam, quia non ſolùm per extrinſecam imputationem, uel denominationem meritorum Chriſti, ſed etiam per intrinſecum, & proprium ualorem, precium, & æſtimationem, quam apud Deum huiuſmodi opera habent; quamuis id totum ſit effectus meritorum Chriſti; qui nobis meruit, ut illa mereremur; hæc eſt doctrina Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. & Cano. 32. & Cœleſtini Papæ Epiſt. 1. cap. 12. & Diui Auguſtini lib. 13. de Trinit. cap. 10. dum tractat illud ad Epheſios quarto. *Aſcendit in altum dedit dona hominibus*; dicens, hæc dona eſſe noſtra merita, per quæ ad cæleſtem gloriam peruenimus. Atque id ea ſolita ratione probatur; quia noſtra merita aliàs non eſſent uera merita, ſed tantùm, ut talia propter Chriſtum acceptarentur, & ſola extrinſeca denominatione merita eſſent, & appellarentur propter extrinſecam habitudinem ad merita Chriſti.

[Margin: Meritum de condigno in operibus iuſtorum, & quomodo. — Conc. Trid. Cœleſtin. Auguſtin. ad Epheſ. 4.]

Secundò probari poteſt, ex uerbis Pauli ad Epheſios 4. vbi augumentum ſpirituale uirtutum iuſti, comparat augumento membrorum in corpore, quod intrinſecum eſt, licèt ex influxu capitis uirtutem habeat. *Veritatem autem facientes in Charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſq; membri augumentum corporis facit, in ædificationem ſui in Charitate.* Et in cap. 2. exemplum ponit, de augumento ſtructuræ templi; *Superædificati*, inquit, *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Iesv, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum Sanctum in Domino.* Hinc fit, ut rectè Chriſtus iuſtos palmitibus comparauerit, qui niſi manſerint in uite, fructum ferre non poſſint, Ioannis 15. attamen proprium fructum à uite tamen dependentem proferunt.

[Margin: ad Epheſ. 4. — Ioan. 15.]

Dico Nonò, Chriſtum, ultrà hunc influxum, quem ipſe habet in noſtra merita, uidelicèt gratiæ, auxiliorum, & donorum ſupernaturalium, ut expoſitum eſt, alium influxum habere ex coniunctione meritorum noſtrorum, cum ſuis meritis, qui eſt peculiaris effectus eius paſſionis. Explico, non tantum Chriſtus influit radicem

[Margin: Chriſtus præterea dat operibus iuſtorũ, ut ſint digna merito, & præmio, &c.]

dicem meriti operibus iuſtorum; putà, gratiam, & eius dona, ſed etiam ualorem, & prĕcium, ut ſint apta opera ad gratiæ, & gloriæ augumentum de condigno, adeò; quòd non ſolùm à Chriſto ſit auxilium, ad opus meritorium efficiendum; ſed etiam operis dignitas, & ualor; propter quem acceptetur, ut condignum meritum, & ob quem, præmium ex iuſtitia ei debeatur.

Suarez.

SVAREZ tom. 1. quæſt. 19. diſputat. 41. ſectio. 3. tenet hoc, ut probabile, & ut pium, & conſentaneum locutionibus Scripturæ, & Sanctorum, quæ de merito Chriſti afferuntur; quamuis non multùm correſpondeat his, quæ contra Caiet. ſcripſit, quæſt. 1. diſput. 4. ſectio. 10. Declarat autem id tripliciter. Primò quia bonum opus, etiam ex gratia procedens, poteſt proportionem, & dignitatem habere cùm præmio, ſine meritis Chriſti, ut multi opinantur de gratia Adæ, & Euæ, in ſtatu innocentiæ, & de gratia, & gloria Angelorum, ergò ſi meritis Chriſti coniungatur, aliquid plus habebit. Secundò, quia hæc opera iuſtorum, quantumuis digna, & proportionata præmio, poſſet Deus de potentia abſoluta, non ordinare ad meritum, nec acceptare ad præmium, & conſequenter efficere, non eſſe meritoria gratiæ, uel gloriæ, cùm infinitis alijs titulis illi debeantur. Quòd autem de facto uoluerit eſſe ſic meritoria, gratiæ Dei tribui debet; qui benignè uoluit, per merita Chriſti, quibus illa connectuntur, ut non ſolùm ſint dona ſua, ſed etiam noſtra merita, ut Cœleſtinus, & Concilium Tridentinum locis citatis dicunt. Tertiò, quia adhoc, ut opus condignè habeat meritum augumenti gratiæ, & glorię, non ſolùm requiritur, ut ex gratia procedat, & bonitatem ſupernaturalem habeat, uel, ut dicũt, proportionem ex parte operis, ſed etiam diuina promiſſio, ob quam homini ſic operanti pręmium debitum concedatur, ut Doctores, & præcipuè Suarez quęſt. 1. art. 2. & quęſt. 2. diſput. 10. & quęſt. 19. diſput. 41. docet; Atqui talis promiſſio ſolùm per merita Chriſti noſtris operibus facta eſt, ut ex Diuo Paulo 2. ad Thimotheum, primo, habetur. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus* IESV *Chriſti, per uoluntatem Dei, ſecundum promiſſionem uitæ, quæ eſt in Chriſto* IESV, & in Concilio Tridentino ſeſſione 6. cap. 16. *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt uita æterna, & tamquàm gratia filijs Dei, per Chriſtum* IESVM *miſericorditer promiſſa, & tamquàm merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, & infrà; *Qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittit Chriſtus, eum non ſua mercede cariturum.* Igitur, quòd iuſti opera, ius, & efficaciam merendi habeant, prouenit non tantùm ex influxu gratiæ, præcisè, & abſolutè loquendo; ſed ex alio influxu, quem Chriſtus per ſuam Paſſionem in ſua membra immittit: ex coniunctione enim, quam habent ad meritum Chriſti, uim, & efficaciam condignam habent, ad exigendum pręmium, ex perfecta iuſtitia. Ex quo ſequitur, ut quicquid iuſti merentur, non ſolùm detur illis, propter eorum meritum; ſed etiam, propter meritum Chriſti, cui hac particulari ratione innituntur; atque huic modo dicendi maximè fauent uerba Concilij Tridentini ſuperius citati, & proximè citanda.

Tribus modis explicatur cõcluſio poſita ex doctrina Suarez.

Suarez.

2. Thim. 1.

Conc. Trid.

DICO Decimò; opera iuſtorum, quatenus ij ſunt membra Chriſti, atque illi, ut capiti coniunguntur, maius, & abundantius pręmium obtinent, quàm ex ſe haberent. Explico, opera etiam, ut ex gratia profluunt, habent quaſi connaturalem quandam proportionem cum gloria, ità ut tanto operi, tanta gloria correſpondeat. Dicimus nunc quòd iuſti opera ea ratione; quà eſt membrum uiuum Chriſti, acquirunt excellentiorem quemdam gradum dignitatis, et ęſtimationis moralis apud Deum, quæ dùm in iuſti opera redundat; addit illis maiorem quemdam valorem, uberius præmium exigentem. Propter Chriſti, enim meritum, maius præmium eſt illis promiſſum, ut Ioannis 10. innuitur; *Ego ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant*, ut Suarez, & alij exponunt. Hinc ſequitur, maiorem gradum gloriæ concedi iuſto, cæteris paribus, in ſtatu legis Euangelicæ, per Chriſti Paſſionem, quàm in ſtatu innocentiæ, ſi Chriſtus incarnatus non fuiſſet; lege D. Auguſt. tract. 45. & Chryſoſt. Homil. 58. in Ioannem.

Quòd plus valeant opera iuſtorum, quatenus ipſi ſunt membra Chriſti, cõſiderata.

Ioan. 1.

Suarez.

D. Auguſt.

D. Chryſoſt.

DICO Vndecimo; ſatisfactiones iuſtorum, quoad remiſſionem pœnæ tempo-

Quomodo ſatisfactiones in

ſtorum de cõdigno, & ex iuſtitia, ualeãt ad ſatisfaciendum pro pœna tẽporaria.

tiſs de condigno, & ex iuſtitia, actiuè concurrere; ità ut uerè hæc opera, ex Chriſti tamen gratia, cui innituntur, æqualitatem ad ſatisfaciendum habeant. Hoc dictum apud omnes nullam habet difficultatem, ſed declaratur. Noſtra ſatisfactio tripliciter in Chriſti meritis, & ſatisfactione fundatur. Primò, ob gratiam habitualem, quæ per Chriſti merita homini datur, & hæc dicitur radix, ſeu radicalis cauſa omnis noſtræ ſatisfactionis, ſicut etiam meriti. Secundò, ob diuina auxilia actualia, quæ propter Chriſtum, & à Chriſto dantur, ad promptè, & ritè ſatisfaciendum; non ſolùm enim iuſti habent à Chriſto gratiam, ad ſatisfaciendum, ſed etiam quædam particularia adiumenta, quibus cooperante ipſo nobiſcum, nos confortat, & potentes facit, ut ſatisfactionem exſoluamus. Tertiò, quoniam bona opera noſtra à Chriſto offeruntur Patri, & per eius iuſtitiam acceptantur à Patre.

Conc. Trid.

Quæ omnia colliguntur ex Concilio Tridentino ſeſſione 14. cap. 8. vbi docetur, nos per Chriſtum, & in Chriſto ſatisfacere, ſic enim ibi dicitur. *Neque uerò ità eſt noſtra ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſoluimus, ut non ſit per Chriſtum Ieſum; nam qui ex nobis, tamquàm ex nobis, nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, ità non habet homo undè glorietur; ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo uiuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo uim habent; ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Hæc ibi; ex quibus uerbis ſatis apertè habetur, iuſtorum ſatisfactiones, dignum eſſe fructum Pœnitentiæ, & à Deo acceptari, tamquam condignam ſatisfactionem.

Quòd noſtra ſatisfactio, ex coniunctione cum ſatisfactionib⁹ Chriſti, maiorem gradum habeat.

Dico Duodecimò, ex coniunctione ſatisfactionis noſtræ cùm ſatisfactionibus Chriſti, tamquàm membrorum cùm capite, maiorem gradum ſatisfactionis obtinere, quàm ſine illa haberent. Explico, ſi gratia aliundè daretur, quàm ex meritis Chriſti, ut Adæ, & Euæ in ſtatu innocentiæ, & Angelis accidit, ſecundùm plurimorum ſententiam, utique ſatisfactio, quæ ex illa gratia procederet, ſoli gratiæ inniteretur, nunc autem, quia per Chriſtum hæc ſuis membris datur, iuſtitię Chriſti omnis noſtra ſatisfactio innititur, atque adeò Chriſtus, ut ſuam, noſtram facit ſatisfactionem, illamque Patri offert, ut propriam, quatenus fideles iuſti vnam perſonam myſticam conſtituunt cùm ipſo, qui eſt caput, ſic etiam illa induit perfectam rationem iuſtitię, ut rectè dixit Caietanus 3. par. quęſt. 1. artic. 2. dub. vltimò, non quidem ſimpliciter, ſed participatiuè, ſicut ignita ab igne efficaciam habent, & imperfecta à perfectis eſſe, & poſſe. Vndè 2. ad Corinthios 5. dixit Apoſtolus. *Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iuſtitia Dei in illo.* Quem locum tractans D. Auguſtinus in Enchyridion cap. 41. ait, *Ipſe ergò peccatum, vt nos iuſtitia; nec noſtra, ſed Dei ſimus; neq; in nobis, ſed in ipſo. Sicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum, neq; in ſe, ſed in nobis conſtitutum ſimilitudine carnis peccati, in qua crucifixus eſt, demonſtrauit*, atque hæc uerba Diui Auguſtini, Medina in 3. part. quæſt. 1. artic. 2. intelligit, non quidem, ut excludant in nobis iuſtitiam formaliter inhęrentẽ, qualitercũq; imperfectã, tunc enim falſa eſſent; ſed de iuſtitia perfecta ex toto rigore, & ad æqualitatem; quæ inſtitia non ità in nobis, tãquàm in nobis, ſed ut in Chriſto capite noſtro, extitit. Caietanus ſuperaddit, quòd aliquando ſatisfactio noſtra coniuncta cum ſatisfactione Chriſti, non ſolùm eſt æqualis ſimpliciter, ut eſt ſatisfactio myſticæ perſonæ, ſed quandoque ſuperexcedit; iuxtà illud Pauli ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti.* Addit Medina, quòd ſtando in hac conſideratione myſticæ perſonæ; huiuſmodi iuſtitia, non ſolùm eſt Chriſti perſonaliter; ſed etiam noſtra perſonaliter; ſicut enim peccata, & delicta humana dicuntur delicta Chriſti, iuxtà illud Pſalmi 21. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, & Paulus dixit, Chriſtum Dominum factum eſſe peccatum; ſic etiam iuſtitia Chriſti ſuis membris tribuitur, iuxtà celeberrimam regulam Tychonij à D. Auguſtino approbatam in 3. de doctrina Chriſtiana cap. 30. & 31. nempè, quòd quædam, quæ dicuntur de capite in ſacris litteris, uerificantur etiam de membris, & è contra.

Caiet.

2. Cor. 5.

D. Auguſt.

Medin.

Caietan.

ad Coloſſ. 1.

Pſalm. 21.

Tychonius apud D. Auguſt.

Quò noſtra ſatisfactio &c.

Dico Decimòtertiò, noſtra ſatisfactio, etiam ut coniuncta, tamquàm membri

viui,

ulur, cùm ſatisfactionibus capitis, quod eſt Chriſtus, non ſortitur propriè, & intrinſecè perfectam rationem Iuſtitiæ, itá ut ſit apud Patrem accepta in illo gradu de rigore Iuſtitiæ, ſicut acceptæ fuerunt ſatisfactiones Chriſti; Hoc teneo contra Caietanum, & Medinam. Explico, Chriſtus ità ex rigore Iuſtitiæ Patri ſatisfecit, vt eius opera à Patre in noſtram ſatisfactionem acceptata fuerint, non ſolùm ex liberalitate, ut Scotus, Ioannes Methinæ, & alij, nec ſolùm ex diuina promiſſione, ſeu pacto, inter Deum, & Chriſtum, ut Suarez cenſuit, tom. 1. quæſt. 1. art. 2. diſput. 4. ſectio 5. ſed etiam, ex obligatione, & debito Patris ad Chriſtum, ut ait Soto, in 4. diſtin. 19. quæſt. 1. art. 2. & Ledeſm. 2. par. quarti, quæſt. 11. art. 2. dub. primo: nec enim Deus poterat non acceptare hanc Chriſti ſatisfactionem, cùm de ſuo, & ex proprijs, atque de alias non debitis, Deo ſatisfecerit. Vnde vera, & propria iuſtitia, tàm Chriſti ad Deum, quàm Dei ad Chriſtum in hac ſatisfactione intercessit; Neque hæc neceſſitas aliquam imperfectionem in Deo ponit, cùm ab extrinſeco non oriatur, ſed potius perfectionem, cùm ex intrinſeca rectitudine ipſius diuinæ voluntatis, & ex eius iuſtitia proficiſcatur. Noſtra autem ſatisfactio, etiam coniuncta cùm ſatisfactione Chriſti, ut capitis, nequaquam perfectam huius iuſtitiæ rationem habet; cùm clarum ſit, omnem eius ualorem, & efficaciam in Chriſti gratia fundari, & per illam participatiuè, ad noſtram deriuari: nec iſta gratia, uel communicatio ſatisfactionis Chriſti ad hominem, tenet ſe ex parte ſatisfacientis, ſed ex parte Chriſti, qui eam gratis communicat, & ex parte promiſſionis factæ Chriſto, & in Chriſto, & per Chriſtum nobis, quæ omnia gratiam includunt, & ſupponunt, & perfectam, uel abſolutam rationem iuſtitiæ excludunt; Et quis non fatetur opera noſtra, imperfectiorem, & minorem gradum iuſtitiæ habere, quàm Chriſti? cùm hæc ſint opera Dei, illa verò puri hominis; hæc ab eo ſatisfaciente, quod à nullo alio principaliori dependet, illa uerò participationem, & dependentiam ab eo omninò habeant; hæc per modum primæ cauſæ; illa autem per modum cauſæ ſecundæ concurrant: Igitur, ut concedendum eſt, Chriſtum influere effectum ſuæ infinitæ ſatisfactionis in opera noſtra, ſic negandum eſt, influere uirtutem, ad ità ſatisfaciendum; nempè perfectiſſimo illo modo, & ſibi proprio, de rigore iuſtitiæ, ſi propriè loquendum ſit, non autem impropriè, uel metaphoricè, quales ſunt locutiones illæ, quibus actiones capitis communicantur membris, uel è contra.

Margin: coniuncta cũ Christi ſatisfa ctionibus habeat vim ex rigore Iuſtitiæ. — Suarez. — Soto. Ledeſm.

MEDINA illo argumento putat, ſe huius rei contrarium demonſtraſſe, quoniam totum genus humanum Deo ſatisfecit de rigore Iuſtitiæ, ergo etiam quilibet homo, vt eſt membrum Chriſti; probatque conſequentiam à duobus ſimilibus; nam quando vnus ſocius perſoluit debitum nomine totius ſocietatis, licèt alij ſocij nō ſint ſoluendo, quilibet ex ſocietate rectè, ac propriè dicitur ſatisfeciſſe de rigore Iuſtitiæ; ſimiliter vniuerſo exercitui, immò cuilibet in eo militanti victoria tribuitur, licèt Ducis diligentia, & fortitudo fuerit cauſa victoriæ.

Margin: Argumẽtum contra prædicta ex Medina.

SED huic argumento rectè Suarez reſpondet, nàm ſi in toto genere humano includatur Chriſtus, verùm eſt, quòd per illũ, tamquàm per caput ſatisfecit Deo de rigore Iuſtitiæ; ſi verò humanum genus à Chriſto condiſtinguatur, ſic nō propriè ſatisfecit actiuè de rigore Iuſtitiæ, ſed potiùs à Chriſto de rigore Iuſtitiæ pro eo ſatisfactum eſt, & ſic intellectus huius quæſtionis accipi debet de ſingulis mẽbris, ex perfecta Iuſtitia, prout à capite condiſtinguuntur, etiam ſi à capite influxũ habere ſupponatur. Aliud eſt enim loqui de ſatisfactione membri, & aliud de ſatisfactione membri, & capitis ſimul coniunctis. Quocircà concludendum eſt, ſatisfactionem noſtram à Deo acceptari, ex perfecta, & rigoroſa Iuſtitia: Chriſto tamen, non nobis debita; at nequaquàm nos ſatisfacere verè, & propriè de rigore Iuſtitiæ, vt optimè concludit Suarez loco citato.

Margin: Solutio argumẽti ex Suarez.

DECIMOQVARTO Dico, remiſſio pœnæ, quæ fit in Purgatorio, eſt effectus meritorum Chriſti. Explico, quando per Indulgentias, vel ſatisfactiones viuorum, & ſuffragia Eccleſiæ, Purgatorij pœnæ remittuntur, vtique per merita Chriſti id fit; quando verò animæ condignam patiuntur pœnam in eo, quoniam ibi nulla inter-

Margin: Pœnæ remiſſio in Purgatorio eſt ex meritis Chriſti.

cedit gratia, vel miſericordia; uel remiſſio, non eſt id referendum ad merita Chriſti; cùm ſoluant id, quod debent; licèt Chriſti etiam aliqua miſericordia, dùm ad illum locum mittuntur, intercedat, vt citrà condignum puniantur, & mitiùs cum illis agatur; quod ſine dubio meritis Chriſti adſcribendum eſt. Attamen rectè notat Suarez loco citato, numquàm remitti pœnam in Purgatorio propter merita Chriſti immediatè ex Dei uoluntate applicata, abſq; alio medio, ut inſinuat Vega in Concilium Tridentinum lib. 15. cap. 10. Si enim Deus hoc uellet facere, utique id faceret per illos actus, per quos culpam aufert. Quod autem communiter à Theologis dicitur, animas propter meritum Chriſti mitiùs, & citrà condignum puniri; non eſt intelligendum, quaſi aliqua remiſſio ibi fiat, ſecluſis, ut dictum eſt, Eccleſiæ ſuffragijs, & Indulgentijs: ſed quoniam in remiſſione culpæ, quæ in hac uita facta eſt, reatus pœnæ æternæ, propter Chriſti merita, mutatus eſt in pœnam temporalem; Vel quoniam hæc pœna temporalis, (in quam æterna commutata eſt,) fundata in meritis Chriſti, minor eſt, cæteris paribus, quàm ſi in illis fundata non eſſet; Vel quoniam, ut dictum eſt, ſententia, dùm anima diſcedit ex hac uita, de mitiori pœna, & citrà condignum lata fuit; nihilominus Bellarm. lib. 2. de Purgatorio, cap. 14. & nos ſupra docuimus, etiam pœnas Purgatorij paulatim minui, donec finem recipiant; quæ remiſſio non ità in Chriſti merita referenda eſt, ut per illa ibi tunc fiat aliqua ſolutio, vel commutatio; ſed in diuinam Iuſtitiam, quæ in illo ſtatu huiuſmodi gradus obtinet, ut primò intenſiſſimæ pœnæ ibi ſint, deindè uerſus finem paulatim mitiores.

Vega.

Bellarm.

CAPVT XXXVIII.

Ponitur Quæſtio Sexta. An quando Chriſti ſatisfactio applicatur nobis per opera noſtra, ſit una, vel duæ ſatisfactiones, una Chriſti, altera noſtra.

Tres ſententiæ ex Bellar. prima Mich. Baij, vt etiam refert Henriquez.

BELLARMINVS lib. 1. de Purgatorio, cap. 10. proponit hoc dubiũ; & reſpondet, tres eſſe modos dicendi circà hanc rem. Primus eſt Michaelis Baij, lib. De Indulgentijs, cap. ultimo, ut etiam refert Henriquez lib. 5. cap. 18. §. 2. in gloſſ. qui negat, nos Deo propriè ſatisfacere poſſe: ſed ait, ſolùm aliquod opus nos facere, ad cuius præſentiã, Deus applicat nobis Chriſti ſatisfactionem. Vndè cõcludit, unam tantùm eſſe ſatisfactionem, nempè Chriſti. Quę ſententia omninò, ut erronea, explodenda eſt; Tùm quia in Scripturis, & Patribus, ſatis apertè habetur, noſtra opera uerè habere uim ſatisfaciendi, & per illa nos Deo re ipſa ſatisfacere. Item per ea iniquitates, & peccata nos redimere, ut Prouerb. 16. Danielis quarto, & illa eſſe dignos fructus Pœnitentię, Lucę 3. eſſeque illa, uerè pretium, quo peccata redimantur, ut Origenes Homil. 15. in Leuit. ſcripſit: Item, noſtra ſatisfactione Deum placari, & non ſolùm veniam nos mereri, ſed coronam; ut dixit Cyprianus in ſerm. de lapſis: Sed nè in re clara prolixiores ſimus; illo unico argumento res conuincitur; Si enim homo iuſtus poteſt ſibi de condigno augumentum gratię, & uitam ęternam mereri; cur non poterit id, quod minus eſt, nempè, ſatisfacere pro pœna temporali? Adde, quòd Baptiſmi priuilegium eſt, ut ſola Chriſti ſatisfactio in eo applicetur: ibi enim omnis culpa, & omnis pœna, tàm temporaria, quam ęterna, per ſolùm Chriſti ſanguinem remittitur; & nullus noſtrę ſatisfactioni locus relinquitur, licèt in Adultis opera etiam propria cooperentur, per modum diſpoſitionis, & impetrationis, iuxtà illud Petri Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum.* Denique hac in opinione, noſtrum opus ex gratia procedens, non eſſet niſi conditio, ſine qua non; vel ad ſummum diſpoſitio, qua poſita, Chriſti ſatisfactio applicaretur nobis: Atqui plus habet; aliàs, quantum ad hoc, non differret

Refellitur hęc opinio tã quàm erronea.

Prouerb. 16. Daniel 4. Luc. 3. Orig. Cyprian.

Acto. 2.

opus

opus hominis iuſtificati, ab opere hominis nondùm iuſtificati.

Secvndvs modus ponit,quòd vna tantùm ſit actualis ſatisfactio,& hæc ſit noſtra: Chriſti autem ſatisfactio in tantùm dicitur includi,vel coniungi, & applicari nobis, in quantum per eius ſatisfactionem habemus gratiam,per quàm ſatisfaciamus. Vndè Auctores huius ſententiæ concludunt, quod Chriſtus non immediatè aufert pœnam temporalem nobis debitam, ſed mediatè, quatenus ab eo gratiam habemus, ſinè quâ noſtra ſatisfactio nullius eſſet valoris; atque hic modus dicendi, tamquàm probabilior, placet Bellarmino; nobis verò nequaquàm. Primùm, quia tolleretur omnis ſatisfactio ex opere operato, ſiuè in Sacramentis,ſiuè in Indulgentijs; quamuis enim Paſſiones Chriſti actu non ſint, ſed prætèrierint,manent tamen in mente Dei obiectiuè, & vult Deus per illas Chriſti pœnas,noſtram pœnam temporalem per Indulgentias expungere,facta applicatione per Miniſtros Eccleſiæ abſque proprio merito,& ſatisfactione illius,qui ſuſcipit. Secundò,quia ſi infantes baptizati decedant,vtique ſola Chriſti ſatisfactione muniti, Cælum ingrediuntur.

Secunda ſententia, unam tantum eſſe ſatisfactionē.

Impugnatio huius opinionis.

Tertivs modus eſt,quòd ſint duæ, & vna ab altera dependens, vt ſuperius quæſtio.5.dictum eſt; prima Chriſti, ſeù Dei intuitu meritorum Chriſti, tamquàm cauſæ vniuerſalis;altera noſtra;& quamuis vna ſufficeret,tamen ad maiorem Dei gloriam,& hominis honorem inſtituit Chriſtus,vt noſtræ ſatisfactiones ſuis coniungerentur,ut duplici titulo homo ad gloriam ius haberet; tùm ex Chriſti meritis ſibi per gratiam communicatis;tùm ex meritis proprijs. Vndè fit,ut Indulgentiæ abſolutio,non ſolùm ad gratiam,ſed ad Iuſtitiam pertineat; & reſpectu quidē hominis Indulgentiam conſequentis,omninò gratuita ſit; reſpectu autem Chriſti,& Sanctorum iuſta. Et hic modus dicendi,propter Hæreticos noſtri temporis,qui dicunt, meritum Chriſti noſtrum excludere; uel ſi noſtrum ponatur, illud Chriſti obſcurari; ualdè Catholicus, & conuenientiſſimus eſt; cùm potiùs meritum Chriſti inferat noſtrum,tamquàm cauſſa effectum;& noſtrum, Dei efficacitatem,& potentiam demonſtret;ſic enim cognoſcitur, Deum non ſolùm operari poſſe;ſed etiam alijs uim operandi tribuere. Vide Caietanum tom.3. Opuſculorum tract.11.cap.11.& 12.

Tertia ſententia, duas eſſe ſatisfactiones unā tamē ab altera dependentem: quā Auctor probat.

Caiet.

CAPVT XXXIX.

Explicatur Quæſtio Septima. In quo differant ſatisfactiones per Indulgentias à ſatisfactionibus ſacramentalibus, vel priuatis.

Henriqvez libro 7.cap.1.§.2.& 3.nonnullas colligit differentias, inter ſatisfactionem,quæ fit extra Sacramentum per Indulgentias; & inter illam,quæ fit per Sacramentum,uel priuatim.

Ex Hēriquez numerantur hic multa diſcrimina inter ſatisfactiones Sacramētales, & eas, quæ fiunt per Indulgentias.

Prima eſt, quia Sacramentum directè, & immediatè remittit culpam: Indulgentia uerò per ſe remittit pœnas.

Secvnda,quia illa principaliter fit per poteſtatem ordinis,adiuncta tamen iuriſdictione;hæc uerò ſimpliciter per poteſtatem iuriſdictionis.

Tertia,illa fit ex ſolo merito Chriſti:hęc autem ex ſatisfactione,non tantùm Chriſti;ſed etiam Sanctorum.

Qvarta, quia illa fit à confeſſario in Sacramento; hæc autem nequaquàm;licèt aliqui falſo concedant,confeſſarium dare Indulgentias, ut Cardinalis, Innocentius, Archidiaconus, Panormitanus in Capitulo. *Quod autem*, De pœnit.& remiſſio.& Marſilius,inter Theologos,quæſt.12.art.2.par.2.dub.2.concluſione 3. Angelus uerbo,Indulgentia §.5.Roſella,& Tabiena §.7.cuius contrarium, tamquàm uerius, aſſerit Abulenſis in caput 16.Matthæi, quæſt.80. & Syluester uerbo,In-

Canoniſtæ. Marſil. Angel. Roſel. Tabiena. Abulen. Silueſt.

Nauar. bo, Indulgentia §.5.& inter Canoniſtas, Nauarrus not.9.num.4.& not.14.num.
Cordub. 1. Cordubenſis lib.5. quæſtione 12. in ſeptima propoſitione, & Alij, quos ſuprà citauimus.

Qvinta, quia illa fit cùm quadam determinata uerborum forma, hæc autem nequaquàm, ſed ſufficit exterius quoddam ſignum, quo intentio concedentis explicetur, nec ſatis eſt interior actus; cum Indulgentia pertineat ad forum externũ,
Gerſon. extrà Sacramentum, & eſt hæc communis doctrina Doctorum; Gerſonis Alpha
Antonin. beto 33. littera k, Antonini prima par.tit.10.cap.3.§.5., Sylueſtri uerbo, Indulgen
Silueſt. Roſel. tia §.10.uerſ.5.num.28. Roſellæ, §.24. Tabienæ §.23. Nauar.cap.26.num.30. in
Tablem. Manuali, & de Indulgentijs not.trigeſimo, numero octauo, Cordubenſis lib.5.
Nauar. quæſt.38.& Henriquez lib.7.cap.6.§.1.

Cordub. Henriq. Sexta, ſatisfactionem Sacramentalem, nõ poteſt quis ſibi ipſi miniſtrare, ſed alteri, per modum ſententię, in Iudicio pœnitentiali: At Indulgentiam poteſt Papa, & Epiſcopus ſibi applicare, non per modum abſolutionis, ſed applicando ſibi
D.Thom. ex theſauro abſolutionem, ſicut & alijs, ut ait D.Thom. in Additionibus ad tertiam partem, quæſt.27.art.4. Quamuis inter Papam, & Epiſcopum illa ab aliquibus ponatur differentia; quòd Papa poſſit ſibi immediatè, ex cauſa concedere Indulgentias, & abſoluere ſe ab iniunctis, cùm ſit caput Eccleſiæ, & ſupremus Iudex; & hæc fauorabilis Iuſtitia in ſe ipſum, nullam uim coactiuam requirat in ſe,
Henriq. ut requiritur in abſolutione à peccatis; ut benè Henriquez ſcripſit poſt alios, lib.
Ledeſm. 7.cap.32.§.3.& idem ſenſit Ledeſm.2.par.quæſt.29. art.4. Riccardus in 4.diſtin.
Riccard. Palud. 20.art.4.quæſt.3.& Palud.diſtin.20.quæſt.4.& diſtin.38.quęſt.4.art.4. Soto diſt.
Soto. 21.quæſt.1.art.4. Epiſcopus uerò, uel alij à Papa inferiores, nec ſibi ſoli Indulgentias concedere poſſunt, nec ab iniunctis ſe abſoluere, nec in ieiunio, uel in uotis ſe
Palud. cum diſpenſare; ſed id committere debent confeſſario, per ipſos electo; ut Palud.
Silueſt. Panor. in 4.diſtin.38.quæſt.4.art.4. Sylueſter, uerbo Votum 4.§.3.uerſ.11. Panormit. Ca
Angel. pitulo *Magna*, de Voto, Angelus uerbo, Votum 4.§.7. Roſella uerbo, Votum 5.
Roſel. num.2. Henriq.lib.7.cap.1.§.3.& cap.28.§.1.& cap.32.§.3.

Henriq. Septima, quia abſolutio non datur, niſi adulto preſenti, & petenti, qui intentio
Lib. de Fuga nem habeat recipiendi, ut nos docuimus abundè in lib.1.de Fuga quæſtio.5. At
Auctoris. Indulgentia poteſt concedi ęt abſenti, & nil cogitanti, ut dicit Henriq.lib.7.cap.1.
Henriq. §.3. Et quamuis in 6. concluſione dictæ noſtræ quæſtionis quintæ dixerimus, Alexandri de Ales doctrinam ſequentes; quòd Pœnitentia, ſeù ſatisfactio poſſit ſcripto iniungi, etiam abſenti; Attamen hoc intelligendum eſt, ſi præcedat confeſſio, per ſuſcipientem in præſentia facta; ex qua iudicium, & ſententia ferri poſſit de ſatisfactione iniungenda; quæ, cùm non ſit eſſentialis, ſed integralis pars Sacramenti, poſſet utique per Scripturam mitti ad Pœnitentem, qui iam diſceſſit, & uoluntatem expoſuit, ſe habere obtemperandi Sacerdoti.

Octava, In Sacramento Pœnitentiæ non taxatur quantitas pœnæ, quæ remittitur, id enim pendet ex neceſſaria diſpoſitione pœnitentis. At in Indulgentia, Papa certos Annos indulget, aut plenariam gratis concedit: nec ſecundum diſpoſitionem recipientis commenſuranda eſt Indulg. nam aliquandò ex cauſa, pro paruo opere, & leui diſpoſitione magna Indulgentia; interdùm verò habenti magnam diſpoſitionem parua Indulgentia cõceditur. Vndè uſus Summorum Pontificum, qui frequentiſſimè, pro facili cauſſa, ut prima facie apparet, concedunt magnam Indulgentiam; nempè, habenti calculos à Papa benedictos, & recitantibus breuem orationem plenariam, uel etiam liberationem animæ à pœ-
Soto. nis Purgatorij; non eſt carpendus, ut fecit Soto quæſt.2.artic.2.& audaciùs Le
Ledeſm. deſm.quæſt.27.artic.2.concluſ.2. Caietanus de Indulg.tract.9., Nauar. not. 15.
Caiet. Nauar. numero 6., & in lib. de Oratione, 2.part.Miſcel.36., numero 56.& Petrus de So-
Pet. Soto. to, de Indulgentia, Lectione 2.; ſicut enim attritio, etiam parua, adiuncta Sacramento, eſt idonea diſpoſitio ut homini prauo, uirtute Chriſti, & Clauium remittatur pœna ęterna, & ſimul omnia peccata mortalia: ſic breuis oratio, cum globulo benedicto, poteſt eſſe homini iuſto digna diſpoſitio, ob quam Papa per Cla

ues Indulgentię, ex cauſa remittat pœnam temporalem, etiam ingentem, ut optimè concludit, & probat Henriquez lib. 7. cap. 14. Henriq.

Nona, ſatisfactio, quæ fit per Indulgentiam, in eo differt à priuata ſatisfactione, quòd hæc abſque iuriſdictione applicatur; Item, quia unus iuſtus poteſt applicare abſque præcedenti Theſauro opus futurum alteri, ut pro eo de Iuſtitia ſatisfaciat;

Decima, quia priuata ſatisfactio non liberat ab iniunctis Poenitentijs, ſicut faciunt Indulgentię.

Vndecima, priuatus homo poteſt ſuam ſatisfactionem, qua etiam indigeat, alteri gratis conferre, ut Soto ait, diſt. 21. quęſt. 1. Item duo inuicem conuenire poſſunt, ut quod uni ipſorum ſuperfuerit, alteri cedat, vt Henriquez ait, lib. 7. cap. 21. §. 1. at ſecus in Indulgentia. Soto. Henriquez.

Duodecima, non poteſt fieri ab homine priuato anticipata ſolutio pro peccatis futuris ſuis, aut aliorum, quamuis etiam tunc homo habeat ſatisfactionem ſibi ſuperſtitam; alias tunc impunè homo peccaret, ſine reatu poenę, & decedens in peccato veniali, & eius affectu, ſtatim euolaret ad Cœlum, ob pręteritas ſatisfactiones, quas homo ſibi reſeruaſſet; quod neque Baptiſmo, neque Martyrio conceditur, ut rectè Henriquez lib. 5. cap. 18. §. 4. & lib. 7. cap. 2. §. 1. in gloſſa. Henriquez.

Decimatertia: Nemo priuatus poteſt conſeruare in Theſauro ſatisfactiones, quę iuſtis uiuis, vel defunctis ſuperfluę fuerunt, etiamſi ab illis applicatę non fuerint, ut in futurum ſolutio fiat pro ſuis, aut aliorum peccatis. Hoc enim proprium eſt Papę, qui ut caput Eccleſię, conſeruat Theſaurum; & tamquàm Chriſti diſpenſator, habet uniuerſalem Clauem, & poteſtatem, qua uarijs modis, Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones applicet, nimirum, tàm per Sacramentum abſolutionis, quàm extrà Sacramentum, per Indulgentias; ſicut etiam Sacerdos non poteſt conſeruare partem aliquam ſatisfactionum Miſſarum, quas dixit, ut applicet his, qui in futuro dabunt eleemoſinas, ut benè dixit Soto in quarto, diſtin. 21. quęſt. 1. artic. 4. Ledeſm. 2. part. quęſt. 28. artic. 3. in fine, Cordubenſis lib. 1. quęſt. 4. dub. 6. & Henriquez lib. 7. cap. 21. §. 1. Multę quoque alię differentię aſſignari poſſent, ſed hę ad rem noſtram ſatis ſint. Soto. Ledeſ. Cordub. Henriquez.

CAPVT XL.

Explicatur Vltima Quæſtio. Quomodo Indulgentiæ proſint nobis ex opere operato.

Qvadrvpliciter accipi poteſt, Indulgentias continere opus operatum, uel ex opere operato ualorem habere, & prodeſſe.

Primvm, vt contineut opus operatum Chriſti, & Sanctorum, & ex eo verè, tamquàm ex opere operato, valeant, & proſint. Fundatur enim Indulgentia, ut ſępè dictum eſt, in Paſſionibus Chriſti, & Sanctorum, quas in hac uita perpeſſi ſunt; atque hę applicatę in Indulgentijs, dicuntur opus operatum in illis, ſeù opus Chriſti, & Sanctorum, ex quo omnis ualor, & utilitas Indulgentiarum pendet. Hinc eſt, quòd ad omnem pœnam temporalem delendam, etiam Purgatorij, Indulgentia ualeat: non eſt enim opus hominis ſuſcipientis, ſed Chriſti, qui ſufficientiſſimum ſoluit precium pro omnium peccatorum pœna; lege Henriquez lib. 7. cap. 9. §. 3. & alibi. Nec Chriſtus hodie actu ſatisfacit, ſeù reipſa patitur, abſit, ſemel enim pro peccatis noſtris mortuus eſt; nec mors illi ultra dominabitur; ſed reſpiciens Deus ad Paſſionem Chriſti pręteritam, quę hodie obiectiuè in diuina mente permanet, eiuſque ualorem, & efficaciam attēdens, per poteſtatem Clauium à Chriſto in terris relictam, tamquàm per inſtrumentum, effectiuè remittit pœnas per Indulgentias. Quatuor modis Indulgentiæ valent ex opere operato. Primò ex operibus Christ., & Sanctorum. Henriquez.

Miniſter Indulgentię per Claues phyſicè remittit pęnas ex Chriſti inſtitutione.

SECVNDO dicitur, Indulgentiam habere, ex opere operato ſuum effectum; quoniam Miniſter, ſeù Clauis Indulgentię phyſicè, & effectiuè ex Chriſti inſtitutione, ut eius inſtrumentum, concurrit ad productionem remiſſionis pœnę, ſeù ad abſolutionem à pęnis; ſicut enim in ipſis Sacramentis, non ſolùm ipſum Sacramentum, ſed etiam miniſter concurrit actiuè ad gratiam, etiam ſi ſit iniquus, illã inſtrumentaliter cauſando, & conferendo; ut colligitur ex D. Thoma 3. par. quęſ. 64. art. 1. ad tertium, & art. 3. & quęſt 84. art. 3. & 5. Soto diſtin. 1. quęſtio. 5. art. 1. Ledeſm. quęſt. 5. art. 1. ex D. Auguſtino quęſt. 84. in Leuit. & tract. 1. in Ioann. etc D. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, & pręcipuè ex Henriq. lib. 1. cap. 28. ità quoque Claues in collatione Indulgentiarum, actiuè ex Chriſti uirtute, abſolutionem à pœnis efficiunt, & Chriſtus principaliter operatur hunc effectum per Claues Indulgentiæ, ſicut alibi operatur per Sacramenta, et eorum miniſtros, etiam ſi mali ſint. Hic eſt enim, qui principaliter baptizat, Ioannis primo, & qui principaliter abſoluit à culpis, & principaliter remittit pœnas in Indulgentijs; hoc ipſo enim, quod Clauem, ſeu poteſtatem pro Indulgentijs, Eccleſiæ reliquit; per illàs etiam hodie, dùm Indulgentiæ conferuntur, operatur: Nec enim Eccleſia à ſe ipſa, nec ab ipſis Sanctis; ſed immediatè à Chriſto, qui ſemper interpellat pro nobis, huiuſmodi Claues accepit. Hinc ſequitur, quòd licèt applicatio fiat ex Theſauro, ſimul de Chriſti, & Sanctorum ſatisfactionibus per Indulgentias; abſolutio tamen, & liberatio efficax à pœnis debitis fit virtute ſolius Chriſti, per Eccleſiæ Prælatos, quibus huiuſmodi poteſtatem reliquit, nec enim Sanctis hanc conceſſit poteſtatem, ſed Epiſcopis, & Papæ, vt Henriquez lib. 7. cap. 5. §. 1. Hinc etiam ſequitur, limitatum gradum Paſſionum Chriſti Indulgentijs applicari, ex hoc enim, quòd per Claues huiuſmodi effectus producitur, limitatus gradus ſatisfactionis pro pœna temporali applicatur. Sicut enim Miſſa, quamuis res oblata ſit infiniti ualoris, & illimitatæ uirtutis, quoad ſufficientiam; tamen in ratione ſacrificij, ſeù Sacramenti, & ut à Sacerdote tamquàm à cauſa proxima procedit, effectum finitum, & efficaciam limitatam habet, ut rectè poſt alios concluſit Henriquez lib. 9. cap. 19. §. 5. Deus enim inſtituit, ut corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis aſſumatur, ut phyſicum inſtrumentum, ad effectum finitum Sacramenti; & oblatio Sacerdotis eiuſdem corporis uirtutem limitatam habeat ad effectum ſatisfactionis finitæ, ſic etiam per Claues Indulgentiæ limitatus gradus ſatisfactionis pro pœna temporali applicatur. Vndè res, quę offertur, licèt in ſe infinita ſit, ſub hoc tamen modo oblata, uel applicata finitum effectum cauſat. Hinc etiam ſequitur, quòd Mulier Indulgentias conferre non poteſt, cùm non ſit ſubiectum capax Clauium, ut dicunt communiter Doctores, & notauit Henriquez libro 6. cap. 2. §. 3.

D.Thom. Soto. Ledeſm. D. Auguſt. D.Chryſoſt. Henriquez. Ioan. 1. Henriq. Henriq. Henriq.

Indulgentia infallibiliter, ex opere operato, prodeſt uiuis, & mortuis, & quo.

TERTIO, Dicitur, Indulgẽtiam, ex opere operato, prodeſſe nobis; quia infallibiliter ex certa lege, & promiſſione Dei operatur ſuum effectum, tàm quoad uiuos, quàm quoad defunctos, ut inferiùs probabimus contra Caiet. & Henriq. Chriſti enim ſatisfactio, quæ per Indulgentiam offertur, non eſt minoris ualoris, quàm pœna in Purgatorio debita; aliàs Chriſtus ex iuſtitia non redemiſſet ab omni pœna, etiã Purgatorij; & infallibili promiſſionis pacto Petro dictum fuit, quodcumque tu ſolueris in terra, ego ſoluam in Cœlis; Hoc modo aſſerunt Theologi, Sacramentalia, ex opere operato, remittere culpas ueniales, ut deindè exponemus, ideſt infallibiliter talem effectum ſpiritualem habere. Quo etiam modo Doctores dicunt, Miſſam ex opere operato ualere, non quòd cauſſa proxima, uel inſtrumentum iuſtificationis ſit, ſed impetratoriè, quoniam independenter à bonitate miniſtri mouet Deum infallibiliter, ac certò ad effectum talem producendum, nempè ad ingentia peccata dimittenda: ad uitam nobis præſtandam, & mortem effugandam, ut inquit Beatus Martialis in Epiſt. ad Burdegalenſes, Canone 3. per ſacrificium enim Chriſtus, meritorum ſuorum oblatione, à Patre efficaciter, ac certò impetrat nobis quantum eſt ex ſe, donum contritionis, & Pœnitentiæ, quo homo accedens ad Sacramentum, per illud iuſtificetur, vt definit Conci-

Quomodo Miſſæ ſacrificium ualeat ex opere operato; & quid obtineat.

B. Martialis.

lium

lium Tridentinum ſeſſione 22. cap. 2. & Cano. 3. & anteà dixerat D. Thom. in 4. diſtin. 12. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 2. ad quartum, & eſt communis doctrina Theologorum Durandi in 4. diſtin. 12. quæſt. 4. Maioris, ibidem quæſt. 1. Soti, diſtin. 13. quæſt. 2. art. 1. Gabrielis Lect. 26. 27. & 85. in Canonem. Alberti Pighij, controuerſia 5. Gaſp. Caſal. lib. 2. de ſacrificio Miſſæ, Caniſij in Catechiſmo, cap. de Euchariſt. quæſt. 6. & Turriani li. 1. pro Canonibus Apoſtolicis, Canone 24. qui omnes affirmant, per hoc ſacrificium auxilia ſupernaturalia, & ſufficientem diſpoſitionem nobis impetrari, ad remiſſionem peccatorum. Dicitur autem ſacrificium Miſſæ propitiatorium, meritorium, & ſatisfactorium, ratione rei, quæ cæteris paribus, ex opere operato impetratur per Miniſtrum ſacrificantem. Impetratur autem remiſſio culpæ, quo nomine, dicitur propitiatorium; Item gratiæ, & meritorum augumentum; quo nomine, dicitur meritorium; ac denique remiſſio pœnæ; qua ratione, dicitur ſatisfactorium; licèt etiam ex vi ſacrificij non ſolùm impetretur pœnæ remiſſio, ſed etiam ex Chriſti inſtitutione, per illud eius paſſio ad pœnas, ſiuè viuorum, ſiuè mortuorum, vel in hac vita, vel in Purgatorio delendas, applicetur. Lege Patres apud Henriquez lib. 9. cap. 15. 18. 19. & 20. & Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 4. Durandus loco citato, Cano lib. 12. de locis Theologicis, Capitulo 23. ad nonum, & Cordubenſis lib. 2. quæſt. 3. not. 4. exiſtimant, hanc impetrationem ſacrificij Miſſæ fallibilem, & incertam eſſe. Suarez verò 3. tom. ſuper tertiam partem quæſt. 83. art. 1. diſput. 79. ſectio. 3. dicit, id obſcurum, & incertum eſſe, & affirmat tandem, per illud impetrari interdum etiam auxilium efficax; multa autem ſatis curioſè, & doctè circà hanc rem diſputat, quem, ſi placet, legito. Hinc ſequitur, ſatisfactionem, quæ ex Miſſa defunctis applicatur, æquè certam eſſe, ac illam, quæ ex theſauro per Indulgentias, quoniam vtraque infallibili lege, promiſſione, & inſtitutione Chriſti fit; quicquid dixerit Henriquez lib. 9. cap. 18. Hæc enim poteſtas data Petro affixa eſt illis tantùm, qui ſunt ſuper terram, quamuis actus ſolutionis, quem exercet, ſuper terram exerceat, ut inferius latius declarabimus. Aduertendum autem hic, quòd Indulgentiæ theſaurus, licèt habeat ordinē ad ſacrificium cruentum Crucis, per quod omne bonum noſtræ ſalutis, atque omnium, qui à principio Mundi vſque ad finem ſaluantur, prouenit; non tamen habet ordinem ad ſacrificium incruentum; ſeu ad Miſſam, ut benè dixit Henriquez lib. 9. cap. 30. §. 8. Attamen illud veriſſimum eſt, quòd quandò ſatisfactiones ex Miſſa, vel ob peccatum Sacerdotis, vel impedimentum, & incapacitatem eorum, quibus applicantur, ſuum non ſortiuntur effectum; tunc in theſauro reponuntur; ut benè docuit Cordubenſis lib. 2. quæſt. 3. & Henriquez lib. 9. cap. 18. in fine.

Conc. Trid. D. Thomas. Durand. Maior. Sotus. Gabriel. Pighius. Caſal. Caniſ. Turrian. Henriq. Bellarm. Durand. Cano. Corduben. Suarez. Henriq. Henriq. Cordub. Henriq.

Postremo, opus operatum in Indulgentia dicitur ipſemet effectus Indulgentiæ, ſcilicèt remiſſio pœnæ, vt loquitur Henriquez lib. 7. cap. 9. §. 5. Animaduertendum autem eſt, quòd ſicut ſacrificium Miſſæ, reſpectu Chriſti, qui illud offert, dicitur uim habere ex opere operantis, ſed infallibiliter, cum Deo placeat ex bonitate Chriſti offerentis, quæ ſemper eſt eadem, abſque vlla diminutione, ac mutatione; reſpectu uerò miniſtri offerentis, vim dicitur habere ex opere operato; cùm Deo placeat, etiam ſi Miniſter Deo diſpliceat; ità de Indulgentia dicendum eſt: reſpectu enim Chriſti, qui principaliter pœnas remittit, valor ille eſt ex opere operantis: reſpectu verò Miniſtri, uel quoad rationem effectus ipſius Indulgentiæ, dici poteſt opus operatum, cùm non dependeat à qualitate concedentis, & ex parte ſuſcipientis ſufficienter diſpoſiti, ſemper efficaciam; & effectum habet, quòd ſi obex ponatur, eo ſublato, huiuſmodi effectus reuiuiſcere poteſt, ut Paludanus in 4. diſtin. 20. quæſt. 4. Syluester uerbo Indulgentia §. 7. uerſ. 3. num. 32. Nauarrus, de Indulgentijs not. 17. num. 2. & not. 31. num. 29. & Henriquez lib. 7. cap. 19. §. 3. effectus enim ille dependet ex opere operato Chriſti, & Sanctorum, applicato per Indulgentiā, quod ſemper remoto impedimēto, efficacitatem hēt; licèt certius reuiuiſceret, ſi Papa id exprimeret ſub hac forma, ut adimpletis talibus operibus, Indulgentia effectum ſuū ſortiatur, cùm primùm per gratiam obex peccati ſublatus fuerit, quod certè neceſſarium mihi uidetur, ut eo tempore effectus Indulgentiæ par-

Ipſe effectus Indulgentiæ dicitur opus operatum ex Henriquez. Palud. Silueſt. Nauar. Henriq.

tiæ participetur; quod etiam ipſe Paludanus, Henriquez, & Syluest. innuere uidentur; atque hæc de hac quæſtione, & tota hac diſputatione dicta ſufficiant.

Expoſuimus hactenus neceſſitatem Iubilæi, reſpectu Vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, tàm ex parte cauſſæ efficientis, quàm ex parte cauſſæ materialis: nunc ad neceſſitatem eiuſdem Sancti Iubilæi, quatenus ad unumquemque Chriſtianum ſpectat, declarandam accedamus.

CAPVT XLI.

De neceſſitate Sacri Iubilæi ex parte cuiuſcumque Chriſtiani.

Quòd, remiſſa culpa, remaneat in homine reatus pœnæ.

PROBANDVM eſt nobis in hoc Capite, frequenter poſt remiſſionem Culpæ remanere in homine reatum pœnæ, quàm, ut ſatisfaciat diuinæ Iuſtitiæ, ſoluere debet. Quod, quamuis à nobis in ſuperioribus ſuppoſitũ ſit, & ſæpius repetitum; (eſt enim quaſi materia circà quam Indulgentiarum) hoc tamen loco eſt à nobis fuſiùs declarandum, & probandum. Nec in hac tractatione comprehendendi ſunt, uel Beata Virgo, quæ ab omni reatu pœnę immunis fuit, uel Sancti Viri illi, qui, ut leuiſſimas culpas contraxerunt, ità uel nullis, uel tenuiſſimis pœnis fuerunt obnoxij, ut in præcedentibus indicauimus.

Eſt autem prænotandum, ad huius rei perfectam cognitionem, ſeptem reperiri genera Pœnarum.

Pœnarũ genera ſunt ſeptem, primũ eſt æternarũ pœnarum, & quid contineat.

Caiet.

In mortali peccatu tria ſunt conſideranda.

Cur pro peccato mortali ſoluenda ſit pœna ęterna; multæ congruentiæ afferuntur.

PRIMVM eſt ęternarum, quas damnati, qui ex hac uita in peccato mortali, & inimicitia Dei diſcedunt, conſequuntur; Hæc autem pœna æterna tria continet, pœnam damni, pęnam ſenſus, & utriuſque pęnę ęternitatem, ut doctè adnotauit Cardinalis Caietanus tomo 1. tract. 4. quæſt. 4. de Contritione. In culpa enim mortali tria reperiuntur. Primùm, auerſio ab incommutabili bono, & huic reſpondet pœna damni, per quam anima à uiſione Dei ſeparatur. Secundum, conuerſio inordinata ad creaturas, & huic reſpondet pęna ſenſus, per quam, & anima, & corpus ſenſibiliter puniuntur. Tertium, inimicitia Dei, per quam quis rebellis, & Dei hoſtis conſtituitur, & huic reſpondet ęternitas utriuſque pęnæ. Inimicus enim, cùm ſit hoſtiliter exterminandus; eſt quoque pęna ęterna puniendus; Vndè cum in damnatis remaneat culpa in perpetuum, pœnam quoque in Inferno æternam eos habere dicendum eſt; Quibus nec Sacramenta, nec Chriſti paſſio, nec Indulgentiæ ad remiſſionem culpæ, & pęnę, proficuæ ſunt; tùm quia extrà ſtatum gratiæ; tùm, quia extrà unionem Eccleſiaſtici corporis; tùm etiam, quia extrà uiã in ultimo termino conſtituti ſunt; *In Inferno enim nulla eſt Redemptio, &, vbi ceciderit lignum, ibi manebit*, Eccleſiaſtes 11.

Eccl. 11.

D. Gregor.

D. Auguſt.

D. Chryſoſt.

Matth. 15.
Iſai. 65.
D. Thom.

Aſſignantur quoque alię congruentię circà ęternitatem pœnarum Inferni. Prima eſt Sancti Gregorij 4. Dialog. cap. 44. nempè quòd, quia uoluntas peccandi non ceſſauit in moriente in peccato; nec eius pęna umquam ceſſare debet, ità diuinã Iuſtitia exigente. Secunda eſt Sancti Auguſtini lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. vbi inquit, *Factus eſt homo malo dignus æterno, qui in ſe peremit bonum, quod poſſet eſſe æternum, ideſt, gratiam, charitatem, vel Beatitudinem.* Tertia eſt D. Io. Chryſoſtomi, Homil. 2. de Lazaro, quòd ſicut Virtuti pręmium debetur ęternum; ità quoque uitio ſupplicium ęternum; Cõtrariorum enim contrarię ſunt qualitates, & Matth. 15. dicitur. *Ibunt hi in ſupplicium æternum; Iuſti autem in vitam æternam.* & Eſaiæ 65. *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis.* Quarta eſt Sancti Thomæ prima ſecundę queſt. 87. art. 3. & eſt ratio à Philoſophia naturali excerpta; quòd quandò res ad finem aliquem ordinata, impeditur ab aliquo, nè ad huiuſmodi finem perueniat; numquam illum attinget, niſi tali priùs ſublato impedimento; ſic peccatum impedit animam à uiſione Dei, à qua remanet in perpetuum ſeparata, & diuiſa;

cùm

cùm peccati impedimentum perpetuò in illa perſeueret, iuxtà illud Eſaiæ 59. *Iniquitates neſtræ diuiſerunt inter me, & uos.* Michael Baijus lib. 2. de mer. operum, exiſtimat, Peccatum ueniale ex natura ſua mortem æternam mereri: Sed errat, quoniam non ſtaret cùm gratia, & amicitia Dei.

Iſai. 59.

Secvndvm genus Pœnarum illarum eſt, quas Iudices, ſiuè Eccleſiaſtici, ſiuè ſeculares, iuxtà Conciliorum, & Principum ſtatuta, & conſtitutiones, in reos ferunt; huius generis ſunt pœnæ illę, quę Exodi 22. ſcribuntur, & quę in Digeſtis, in Decretalibus, & Pontificijs Conſtitutionibus continentur; & hę per Indulgentias non remittuntur; tùm quia Pontifex cęterique Pręlati, id non intendunt, dum eas concedunt; tùm etiam, quia cùm hę pœnę ob bonum commune totius Reipublicę, & iuſtitiæ conſeruationem à Iudicibus ferantur; expedit, ut illæ ad aliorum exemplum omninò perſoluantur. Immò nec ipſi inferiores Iudices, qui eas tulerunt, remittere poſſunt; ſed earum moderamen ad ſupremum illius Reipublicæ Principem reſeruatur. Ad hoc pœnarum genus reducenda eſt pœna mortis, quam Deus pręſcripſit Adę, ſi de fructu ligni ſcientię boni, & mali, quod erat in medio Paradiſi, comediſſet; *In quocumque enim Die comederis ex eo, morte morieris*. Geneſis 2. Vndè nec ad hanc pœnam mortis tollendam Indulgentię diriguntur.

Pœnæ ſecundum leges, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue ſæculares.

Exod. 22.

Geneſ. 2.

Aptissime ad rem propoſitam Caietanus tom. 1. tract. 16. q. 1. in ſolutione octaui argumenti, quęrit; Cur Theſaurus Indulgentiarum, qui ob meritum Chriſti eſt infinitus, non remittat mortem, eiuſque pœnas; imbecillus enim, ac tenuis eſſe videtur; Immò cùm meritum Chriſti ualeat remittere pœnam æternam, à fortiori dicendum eſt, poſſe remittere mortem naturalem.

Cur ex Theſauro Indulgentiarum nō tollatur pœna mortis corporalis, ex Caietano.

Reſpondet autem, pœnas, quas nos contrahimus, aliàs eſſe naturales, aliàs perſonales; naturales appellat, quæ conſequuntur nos propter peccatum naturæ, hoc eſt originale, qualia ſunt mors, ſudor, fames, ſitis, &c. & hæ quoque meritò paſſionis Chriſti tolluntur, non in hoc ſtatu; ſed in ſtatu renouationis naturæ, quæ in Reſurrectione fiet. Reſurrectionem enim noſtram, Immortalitatem, & cætera, quæ ad eam ſequuntur, ex merito paſſionis Chriſti fieri perſpicuum eſt. Ipſe enim vtramque mortem noſtram, animæ ſcilicèt, & corporis, moriendo deſtruxit; Vndè hæ per Indulgentias non tolluntur, cùm id repugnet naturæ illarum pœnarum, & ſtatui præſentis vitæ: Perſonales verò pœnas dicit, eas eſſe, quæ propter peccata propria actualia debent à nobis ſolui, & ad has remittendas in hac uita, & in toto tempore purgationis, Indulgentiæ diriguntur; Vndè quòd pœna mortis non remittatur per Indulgentias, non naſcitur ex debilitate meritorum Chriſti; ſed quia hoc repugnat ſtatui præſentis vitæ. Adde, quòd Indulgentiæ remittunt pœnas ſpirituales, non corporales, qualis eſt mors. Remiſſio autem pœnæ ęternæ eſt propria Sacramentorum, quæ (ſi cętera neceſſaria concurrant) in re, uel in uoto ſuſcepta, potius per viam concomitantiæ, quàm ſatisfactionis illam remittunt. Hæc ex Caietano.

Tertivm genus pœnarum eſt illarum, quas Confeſſores iniungunt pœnitentibus in Sacramento Confeſſionis, quæ alio modo dicuntur ſatisfactiones, & tertia pars Pœnitentiæ, de quibus loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. & 9., & Can. 4. 12. 13. & 14., Doctores in 4. ſent. & Canoniſtæ de Pœnit. diſt. 3., & hæ ſi vel per obliuionem, uel etiam per aliquam negligentiam prætermittantur, per conſequutionem Indulgentiæ recompenſantur.

Pœnæ fori pœnitētialis.

Conc. Trid.

Dvbivm eſt, an pœnitens teneatur acceptare Pœnitentiam iniunctam à Confeſſore; & quamuis hæreticum ſit, negare, Sacerdotem poteſtate Clauium poſſe ſubditum ligare ad iuſtam Pœnitentiam peragendam, ut ex Concilio Florentino de Sacram. & ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. §. *Ad abolendum*, & Tridentino, locis citatis, habetur; tamen hæreticum non eſt ſentire, Pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam iniunctam, etiam iuſtam, (ut uoluit Ledeſma quæſt. 20. ad tertium, & Victoria in ſumma Sacramentorum nume. 209.) Id enim multi Catholici Doctores, etiam poſt Concilium Tridentinum, ſenſe-

Vtrum pœnitens poſſit recuſare Pœnitentiam à Cōfeſſario iniunctam.

Conc. Floren.
Conc. Later.
Conc. Trid.
Ledeſm.
Victoria.

Scotus. runt,& ſcripſerunt; Scotus in 4. diſt. 17. & 19., Gabriel diſt. 16. quæſt. 2. Silueſter
Gabr. verbo, Confeſſio 1. §. 25. & 26. Caietanus q. 2. de ſatisfactione, & in ſumma Ver-
Silueſt. bo, Satisfactio, Ioannes Medina in Codice de Pœnit. in tract. de ſatisfactione,
Caiet. quæſt. 6. Armilla uerbo, Confeſſio num. 29., Hoſtienſis, & Panormitanus in cap.
Io. Medin. *Significauit* de Pœnit. & Remiſſ. Cordubenſis lib. 5. de Indulgent. quæſt. 1., Na-
Armill. uarrus nouiſſimè cap. 26. num. 20. vbi teſtatur, hanc ſententiam ſeruari, & practi
Hoſtien. cari Romæ, & in toto Orbe; *Video enim, inquit, in Vrbe, & in Orbe receptum; ne cui-*
Panor. *quam denegetur abſolutio, eo ſolo, quòd nolit acceptare Pœnitentiam ſibi iniunctam, ma-*
Cordub. *do habeat propoſitum uerum plenè ſatisfaciendi Deo, uiuens per bona opera, & Indulgen-*
Nauar. *tias, uel mortuus in Purgatorio*; Qui omnes profectò de Hæreſi non ſunt condem-
Viualdus. nandi. Vndè Viualdus in ſuo Candelabro in tract. de ſatisfactione nu. 25. exiſti-
mat in hac re, cùm diſtinctione procedendum eſſe, & benè; ſunt enim multi gra-
uiſſimi Doctores, qui exiſtimarunt, contrariam ſententiam eſſe veriſſimam, uide-
licèt, teneri pœnitentem ſub peccato mortali iniunctam Pœnitentiam accepta-
re, niſi ſit indiſcreta, intolerabilis, & improportionata peccatori, uel peccato; Ità
Magiſt. Magiſter in quarto diſt. 16. & 18. Sanctus Thomas ibidem, Maior, diſt. 17., Du-
D. Thom. randus ibidem, quæſt. 3., Paludanus diſt. 17. quæſt. 2. artic. 1., & diſt. 20. quæſt. 2.,
Maior. Riccardus diſtin. 18. artic. 1. quæſt. 5. Sotus diſt. 20. quæſt. 2. artic. 2., Ledeſmus lo-
Durand. co citato, Cano de Pœnit. par. 5. in fine, Petrus à Soto de Inſtitut. Sacerdotis, de
Palud. ſatisfactione, lect. 2., Victoria loco citato. Affert autem diſtinctionem huiuſmo-
Riccar. di Viualdus, quam ex Silueſtro, & Riccardo, locis citatis, mutuatus eſt; uidelicèt,
Sotus. opinionem Magiſtri, Dominici de Soto, Victoriæ, & aliorum, procedere de Pœ-
Ledeſ. nitentia reſtitutoria, uel medicinali, per quam, uel reſtitutio aliqua iniungitur, uel
Cano. opus aliquod prohibendo, aut pręcipiendo in remedium, ad euitandum recidi-
Pet. Soto. uum peccati imponitur, quam ſine dubio pœnitens ſub peccato mortali accepta
Victoria. re, & exequi tenetur. Addunt aliqui, ut Ioannes Medina, loco citato, aliam ſatiſ-
factionem, quam reconciliatiuam appellant, quę ipſam culpam reſpicit; quę ne-
ceſſariò debet fieri per opera pęnalia, & ad illam ad minus ſunt neceſſaria, Con-
tritio, Pœnitentia cordis, & oris Confeſſio; quę profectò opera pœnalia ſunt; Ve
rùm de hac non eſt ſermo, cùm ſit idem, quod remiſſio culpę, ut optimè Soto no-
tauit, ad quam utique peccator tenetur ſub pœna noui peccati mortalis; ſed de ſa-
tisfactione pœnę dicendum eſt, quòd quando pęnitens acceptat Pœnitentiam,
vel ſatisfactionem iniunctam à Sacerdote, tunc abſque dubio tenetur eam im-
plere, ſub pœna noui peccati mortalis; nec licitum eſt illi, eam negligere, uel con-
temnere, cùm Sacerdos non ſit Arbiter, qui poteſtatem à Pœnitente acceperit;
ſed Iudex ordinarius, à Chriſto inſtitutus, non ſolùm quãtum ad remiſſionem cul
Sotus. pę; ſed etiam pœnę: quicquid dixerit Gabriel. Sotus hic addit, quòd tam pauca
poſſet eſſe Pœnitentia, ut parui referret, uel non acceptare; uel acceptatam non
adimplere, & tunc eſſet tantùm peccatum ueniale; ſed quicquid ſit de his opinio-
nibus, puto veriorem eſſe opinionem Soti, qui tandem concludit, pœnitentem
non quocumque modo ſubmittere ſe Sacerdoti; ſed tamquam Chriſti Vicario,
& Ordinario in foro Pœnitentię, & ſi paratus ſit non acceptare iuſtam Pœniten-
tiam, neganda eſt ei abſolutio, cùm non ſit in ſtatu gratię, & ità praxis habet, non
ſolùm in noſtra Pœnitentiaria Lauretana, ſed etiam in alijs; Huius rei euidens ar
gumentum eſt, quòd ipſimet pœnitentes nolunt recedere à pedibus Confeſſa-
riorum, niſi iniuncta aliqua ſatisfactione, à qua ſententia nec ipſe Nauarrus di-
Nauar. ſcrepat, ut in principio illius, §. 15. videre eſt; Adijcit Nauarrus in eodem cap. 26.
nu. 21. & 33. quòd ipſis iam iam morientibus, uel confitentibus in articulo mor-
tis, uel nulla expreſſa Pœnitentia eſt imponenda, uel certè parua, & pręſertim ſta
tim exequenda. Debet autem Sacerdos in eius impoſitione ſemper in mitiorem
Ledeſma. partem inclinare, cùm eiuſmodi Pœnitentia ſit arbitraria, ut ait Ledeſma 2. par.
q. 20. art. 3. & Nauarrus locis citatis, quod pręcipuè uerum eſt, tempore anni San
cti, uel Sacri Iubilęi, & aliarum Indulgentiarum, ut ait Nauar. ibidem num. 21.
per textum in Cap. *Cùm ex eo*, de Pœnit. & Remiſſ. & Extrauag. 1. & 2. eodem tt.

VERVM ſeu hęc opinio, ſiuè illa Scoti, & Gabrielis magis placeat; utraque enim, (vt inquit Sòtus) probabilitate non caret. Certum illud eſt, (quod ad rem noſtram facit) pœnitentias illas iniunctas, exceptis pręſeruatiuis, (quas Nauarrus loco citato, & Bartholomæus Medina in ſua ſumma lib.2.cap.6.enumerant) per Indulgentias, & pręſertim per Sacrum Iubilęum, commutari, abſolui, & tolli poſſe: vt rectè determinauit Cordubenſis in 2. dicto, quæſt.1.de Indulgentijs; & Viualdus de ſatisfactione num.34. Verum tamen eſt, quòd ſi homo renunciaret Indulgentiarum ſubſidio, (quod quis facere poteſt, cùm in fauorem cuiuſcumque introductę ſint;) tunc teneretur, & acceptare, & exequi Pœnitentiam impoſitam; Claues enim Sacerdotibus datę, non ſolùm ſe extendunt ad remiſſionem culpę, ut dictum eſt; ſed ad alligandos etiam pœnitentes ad certa Pœnitentię opera exequenda: atque hoc non ad humanas traditiones; ſed ad ius diuinum reducendum eſſe, non obſcurè indicat Sanctus Cyprianus, locis ſuperiùs citatis, in quibus de ſatisſactione agit, & in ſerm.de lapſis, & D.Gregorius lib.3.in 1. Reg. cap.7.dum ſcribit, quòd *afflictio Pœnitentia ad delenda peccata idonea eſt, cùm Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cùm ab eo Confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis*; & alibi, *Iuſtum eſt, ut peccator tanto maiora ſibi inferat lamenta per Pœnitentiam; quanto maiora intulit damna per culpam*. Et Rabanus in collatione Synodorum dicit, *Pœnitens illud, quod ei inſtitutum fuerit, ità cautè obſernet, ac ſi ex ore Dei fuerit prolatum*; & Denique D. Leo in Epiſtola 91. ad Theodorum Foroliuienſem Epiſcopum; ut habetur de Pœnit. diſtinct.1. Can. *Multiplex*, inquit, *Mediator enim Dei, & Hominum, homo Dominus IESVS Chriſtus, hanc Prapoſitis Eccleſia tradidit poteſtatem, ut confitentibus Pœnitentia ſatisfactionem darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent*.

[Margin: Bart.Med. — Cordub. Viualdus. — D Cyprian. D.Gregor. — Rabanus. — D.Leo.]

HINC ſequitur, non eſſe admodum laudandos, qui ſcribunt, (ut Iſidorus Valſeranus in tractatu ſuo de Indulgentijs, & nonnulli alij recentiores) tempore Sacri Iubilęi, vel alio, quo Indulgentię plenarię conceduntur; non eſſe à Sacerdote pœnitentibus iniungendas Sacramentales ſatisfactiones; Quod dictum pręterquam quòd minus pium ſit; uſui etiam Eccleſiaſtico aduerſatur; In ipſis enim Bullis, in quibus ſummus Pontifex Sacros Iubilęos pœnitentibus, & re ipſa confeſſis concedit; admonet Confeſſarios, ut etiam alia opera ſatisfactionis imponant, & ſaltem illa opera imponenda ſunt in Sacramentalem ſatisfactionem, quę ad conſequutionem Iubilęi pręſcribuntur.

[Margin: Iſidorus Valſeranus.]

QVARTVM genus pœnarum eſt earum, quę in Sacris Canonibus pro unoquoque peccato mortali iniunctę reperiuntur, ut ſuperius retulimus ex Burcardo, Iuone, & pęnitentiario Romano, & alijs, qui ea de re ſcripſerunt.

[Margin: Pœnæ Sacrorum Canonũ.]

SANCTVS Antoninus 3.part.tit.17.cap.10., Paludanus in quarto diſt.2.& Hoſtienſis, in ſumma de Pœnit. & Remiſſ. §. *Quapœna*, exiſtimarunt, pro vnoquoque peccato mortali, Pœnitentiam ſeptem Annorum imponendam eſſe, quòd Canones pœnitentiales id decernant, ut uidere eſt, apud Gratianum Cap. *Hoc ipſum*, §. 1.33. quęſt.2., & in Gloſſ.cap. *Admonere*.33. quęſt.2. & in cap. *Pradicandum*.22.quęſt.1.& in cap. *Sunt plures*, de Pœnit. diſt.3., ſed Nauarrus in Manuali cap.26.num.17.& in cap. *Falſas*, de Pœnit.diſt.5. num.14. & Viualdus de ſatiſfactione num.22. dicunt, hos Canones pœnitentiales intelligendos eſſe de pęnis Eccleſiaſticis publicis, & pro foro Eccleſię exteriori, non autem Sacramentali, in quo ſemper in Eccleſia Pęnitentiæ fuerunt arbitrarię. Quod uidetur aſſerere D.Thom.in quarto diſt.20.quęſt.1.arti.2. ad ſecundum ubi ait, *Non eſt uniuerſaliter uerum, pro quolibet peccato, ſeptennem Pœnitentiam exigi*. Cum igitur aliqui recentiores aſſerant, per Indulgentias, & Sacrum Iubilęum, remitti illas Canonicas pęnas, quę in Canonibus taxatę ſunt, pro quolibet mortali, putà, ſeptem, uel quinque annos; errare uidentur; tùm quia, ut Nauarrus ait, non reperitur uerè textus, qui id dicat, quamuis Gloſſę id aſſerant; ſolùm enim in cap. *Hoc ipſum*, dicitur, Eccleſiam pro grauiſſimis peccatis, ſeptennem illam Pęnitentiam, con-

[Margin: Quænam Pęnitentia imponenda ſit pro peccatis à Confeſſario ſecũdum Canones. — D.Anton. Palud. Hoſtien. Gratian. Nauar. Viuald. D.Thom.]

ſueniſſe,iniungere;tùm etiam,quia ex ipſomet textu apparet,quòd pęna illa pertinebat ad forum exterius;non autem ad ſorum remiſſionis peccatorum. Atqui pęna Canonica exterior per Indulgentias non remittitur; ſed quæ in foro Dei, uel in hoc Mundo, uel in Purgatorio debet ſolui. Vndè concludunt Aliqui cum Nauatro,Canones pęnitentiales,quos Hoſtienſis in dicto §. *Quæ pœna*,& Alij in ſuis libris pęnitentialibus colligunt, ad forum exterius pertinete, pręterquam quòd,eſſe iam abolitos,& per non uſum abrogatos, ac propterea neminem obligare,omnes Doctores aſſerunt.

Septénis pęnitentia ꝑ mortali peccato habetur ex Sacris litteris,cõtra Lutherũ.

LVTHERVS in aſſertione omnium articulorum ſuorum,in art.5.deridet hanc ſeptennem pœnitentiam pro vno mortali, dicens,hoc non à Chriſto,neque ab Apoſtolis,ſed ab Epiſcopis inuentum eſſe.Sed fallitur,nam non ſolùm apicem,vel iota vnum,vt ipſe loquitur,ſed apertam,perſpicuamque ſententiam in diuinis literis habemus, vbi mulcta ſeptem annorum pro vno peccato iniungitur.

2.Reg.24.

In lib.enim ſecundo Regum cap.24.peccanti Dauidi indixit Deus,aut ſeptem Annorum pœnam,famis ſcilicèt,aut ſi mallet breuiorem, ſed acerbiorem, trium menſium fugæ,& perſecutionis; aut denique aliam breuiſſimam, trium dierum, ſed grauiſſimam,nempè peſtis. Et Danielis 4.legimus,Nabuchodonoſor Regem pro peccato ſuperbiæ, ſeptem temporibus, ideſt ſeptem Annis acerbiſſima pœna à Deo flagellatum fuiſſe.

Daniel 4.

Conc. Nicen. Conc.Eliber.

Item in Concilio Nicæno primo Can.11.& Elibertino (quod in Hiſpania circà Syluestri primi, & Nicæni Concilij tempora celebratum fuit) Can.5. ſeptennis pœnitentiæ mentio fit;Ex quibus omninò aſſerendum eſt;huiuſmodi pœnas, etiam ad forum interius aliquo modo pertinere. Vide Concilium Laodicenum cap.2.Tertium Carthaginenſe Cano.31.Mileuit.Canon.23. Cabilonenſe octauum cap.1.

Conc.Laod. Carthag.3. Mileuitan. Cabilon.8.

Sotus. Triplex pęnitẽtia Canonica ponitur. Vgo.

SOTVS in 4.diſtinct.19.quæſt.2.art.5.præter publicam,& ſolemnem pœnitentiam,quæ in Canone,*In capite*,diſtin.50.deſcribitur,quæque à ſolo Epiſcopo imponebatur; quæ tamen hodie receſſit ab aula, nec illius veſtigium aliud relictum eſt, præterquam quod in exordio Quadrageſimæ, cinere capita Chriſtianorum conſperguntur,vt inquit Hugo lib.2.de Sacramen.par.9.cap.3.& in Ferijs ſextis eiuſdem, genibus flexis recitantur in chòro Pſalmi pęnitentiales; Sotus inquam prætereà alium gradum pęnitentiæ publicæ commemorat, quæ remiſſior erat,& ſine ſolemnitate,quę à Presbiteris imponebatur pro delicto graui,& publico,ſed non ſcandaloſo,quod requirebatur ad pęnitentiam ſolemnem:eiuſmodi erant Peregrinationes,retruſiones in monaſteria,& ſimilia, & hæ quoque pęnitentiæ raró hodie ſunt in vſu,nec à confeſſarijs, niſi rariſſimè, & adhibita magna prudentia,imponi debent. Tertium genus dicit,eſſe pęnitentiarum,quæ priuatæ,& ſecretæ ſunt,& de his aſſerit,loqui Canones pęnitentiales, iuxtà quorum præſcriptũ, & menſuram debebant Sacerdotes iniungere pęnitentias in foro Sacramentali Pęnitentię;huiuſmodi dicit,eſſe pęnitentiam ſeptennem, cuilibet criminali vitio imponendam,& illam,qua tres quadrageſimæ iniungebantur,Cap. *Accuſaſti*,extrà de accuſatione, & illam, qua quadragena dierum ad pęnitentiam imponebatur,ut in Cap.1.de ſortilegijs;& putat,his pęnitentijs Indulgẽtias, quæ relaxationes appellantur,ſucceſſiſſe: Cùm enim præ nimio languore,tepiditate,& accidia Chriſtiani huiuſmodi pęnitentias, etiam ſecretas, ægrè ferrent, patefacta eſt uia Indulgentijs,per quas huiuſmodi pęnę iniunctæ relaxabantur, & indè aſſerit,varias formas concedendi Indulgentias profectas eſſe, tot dies, tot Annos, tot quadragenas de iniunctis pęnitentijs relaxando.

Nauar.

VERVM Nauarrus in dicto Cap.*Falſas*,de pęnit. diſt.5.nu.18.negat,ex illis Indulgentiarum formis cõcludi,pęnitentias, in illis Canonibus pęnitentialibus deſcriptas, in Sacramento Confeſſionis imponi ſolitas fuiſſe, vt videre eſt, in Cap. *Presbiter* 82.diſtinctione, qui eſt primus Canon pęnitentialis; quem loqui de pęna fori exterioris,ſatis ibi innuit Alexandrinus,uel ſaltem intelligendę ſunt de foro miſto,& partim exteriori,propter ſcandalum peccati publici. Vide D.Thom.

D.Thom.

3.par.

Ledeſm. Durand. Conc. Trid.

3.par.quæſt.84.art.10.ad ſecundum, & queſt.89.art.3. Ledeſm.prima par.queſt. 25.art.10. Durand.in 4.diſtin.14.queſt.quarta, & Concilium Tridentinum ſeſſione 24.cap.8. iubet, antiquum hunc morem imponendi publicas pœnitentias renouari. Vndè concludit Nauar.pœnitentias fori interioris, & hodie, & ſemper fuiſſe arbitrarias; ſic ex Concilio Florentino, & Tridentino ſeſſione 14.cap.8.& ex Cap.*Omnis vtriuſque*, colligitur; ſed antiquis illis temporibus grauiores, & ſeueriores, nunc autem leuiores; Vnum conſtat apud omnes Doctores, hodie huiuſmodi Canones pœnitentiales in vſu non eſſe, nec obligare, ut ipſemet Sotus fatetur loco citato, concluſ.2. Quo circà ſequitur, illarum pœnas non relaxari per Indulgentias, cùm hodie non obligent, nec exiſtant; quamquam olim etiam in foro conſcientiæ ex ui Canonicæ legis obligabant, ità ut per illas etiam Deum placarent, & eius Iuſtitiæ ſatisfacerent.

Pęnitentiæ in foro interiori ſunt arbitrarię ex Nauar. Conc. Trid & Florent.

Pœnitentiæ voluntarię.

In quinta Claſſe collocandæ ſunt illę pœnę, & corporis afflictiones, & labores, quos pęnitens, poſt iuſtificationem adeptam, ad uindictam ſuorum peccatorum, ſua ſpontè, & ex mera electione in propria perſona aſſumit. Multi enim uiri iuſti, ut diximus, poſt remiſſionem peccatorum aſperrimum uitæ genus, in orationibus, ieiunijs, ſolitudinibus, alijſque operibus pęnalibus agunt; ſicut, & Dauid poſt reconciliationem, proprio uoluntatis arbitrio, multas in ſe ſuſcepit penitentias. Huiuſmodi pęnas Indulgentia plenaria, & eò magis ſacer Iubilæus, ſi dignè ſuſcipiatur, quaſi indirectè tollit, uel impedit, hoc eſt, facit, ut ſuſcipiens illis pro tunc non indigeat; per conſequutionem enim dignam Sancti Iubilęi uniuerſæ pęnæ diluuntur, nec tunc homo alijs ſatisfactorijs operibus, ut diuinæ Iuſtitiæ ſatisfaciat, eſt obnoxius; cum omnis pęna deleta ſit; ſummoperè tamen laudabile eſt, & maxima commendatione dignum, exercitium huiuſmodi bonorum operum, etiam poſt Iubilæum ſuſceptum, proſequi; Operanti enim ſunt fructuoſa, & meritoria ulterioris gradus gratiæ, & gloriæ, alijs uerò membris Eccleſiæ ratione ſuperabundantis ſatisfactionis, ualdè proficiunt.

Pœnę ab ipſo Deo propter peccata hominibus inflictę in hac vita. Conc. Trid.

In ſexto ordine ponendæ ſunt illæ pęnæ, quæ à Deo iuſtiſſimo Iudice hominibus immittuntur, quaſi præter ordinem naturalem rerum, ad peccata communia, ſeu propria, publica, uel etiam occulta grauiſſima caſtiganda; ſæpè enim, ut dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ.14.cap.9.& Can.13.& in Cap. *Sunt plures*, in fine, de Pęnit.diſtinct.3. temporalia flagella hominibus à Deo infliguntur, (quòd maximum amoris Dei ergà nos argumentum eſt,) per quæ, ſi patienter à nobis tolerentur, apud Deum Patrem, per Iesvm Chriſtum, ſatisfacere ualeamus. Huiuſmodi ſunt infirmitates corporales graues, illæ præſertim, quarum Medici cauſam naturalem non cognoſcunt, amiſſiones honoris, Parentum, bonorum, mortes uiolentæ, uel etiam naturales immaturæ, peſtilentiæ, Bella, penuriæ, fulgura, grando, bruchus, & ſimilia. Quæ calamitates à naturalibus calamitatibus in eo differunt; ut optimè annotauit Sotus in 4.diſtin.19.quæſt.2.art.2. quòd iſtæ non principaliter immittuntur à Deo in uindictam peccatorum actualium; ſed naturali ordine ex cauſis naturalibus accidunt, ob peccatum originale; Illæ uerò per particularem prouidentiam à Deo infliguntur; & cū ſint præter ordinem naturæ, propriè Dei flagella nuncupantur; Per illa enim Deus uindicat, & ulciſcitur horrenda hominum peccata, atque per has pœnas, ſi patienter tolerentur, homo Deo ſatisfacere poteſt: Sic fuerunt flagella Iob, & Mors Filij Dauidis, quæ ambo fuerunt ſatisfactoria. Lege D. Thomam in 4.diſtin.15.quæſt.1.art.4. Victoria in Summa num. 207.& Nauarrum cap.3.num.4.& cap.26. num.22. Et quòd per huiuſmodi pœnas à Deo inflictas, & patienter, ut dictum eſt, toleratas pro peccatis, quoad pænam temporalem Deo per Chriſti merita homo ſatisfaciat; ſicut etiam per iniunctas à Sacerdote, uel ſpontè ſuſceptas, definitum eſt in Concilio Tridentino loco citato. Vndè fit, quòd illi, qui has calamitates patiuntur, ab illis per Indulgentiarum, & Sacri Iubilæi acquiſitionem, ſi cùm debita præparatione illum ſuſcipiāt, liberentur; Cùm enim illæ eo nomine immittantur, ut homines purgationem ſatisfactiuam peccatorum faciant, utique ſi per aliam uiam, Sancti Iubilæi uidelicèt, ſa-

Quomodo flagella à Deo miſſa differāt à naturalibus calamitatibus ex Soto.

D. Thom. Victoria. Nauar.

Quòd homo ab his pœnis per Indulgentias liberari poſſit.

cèt,ſa-

cèt, ſatisfaciant, ab illis calamitatibus, ex hac parte, immunes reddentur, Deique iuſtitiam ità pacatam efficient, quod flagellum ſuum retardabit, iramque ſuam temperando, in pietatem commutabit; propter peccata enim ueniunt aduerſa; & peccatis dimiſſis, quantum ad culpam per Pęnitentiam, & per Contritionem, quantum uero ad pęnam, per participationem Indulgentiarum; vtique omninò Dei flagella ceſſare, credendum eſt, iuxtà illud Ieremię 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego Pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui facere ei*; ſic etiam Eſaię 38. Ezechię eò quòd Pęnitentiam egerit, quindecim anni vitæ adiecti ſunt; & 2. Paral. 7. Dominus ait, *Si clauſero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locuſtæ, ut deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum; conuerſus autem Populus meus, ſuper quo inuocatum eſt nomen meum, deprecatus fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit Pœnitentiam à uijs ſuis peßimis, & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum*; & ex Scripturis ſanctis copioſa huius rei exempla petantur.

Ierem. 18.
Iſai. 38.
2. Paralip. 7.

Sæpè flagella à Deo miſſa hominibus, redimi nō poſſunt, ſed neceſſariò ſuſtinenda ſunt.
2. Reg. 12.

EST autem hic aduertendum, has pœnas temporales, quæ in hac uita homini ex particulari Dei prouidentia, immittuntur, non ſemper poſſe redimi, uel impediri; ſed neceſſariò interdum perpetiendas eſſe, Deo ſic uolente, & decernente. Huiuſmodi fuit pœna illa Dauidis, 2. Reg. 12. *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter Verbum hoc; filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*. Quamquam enim Dauid humi proſtratus orauerit, & ieiunauerit; tamen mortē illam filij ſui impedire non potuit: Talis etiam fuit pœna illa Moſis, nè intraret in terram promiſſionis ob peccatum, quod ad aquas contradictionis commiſerat, quam ſuis precibus, (ut habetur Deuteron. 3.) nequaquam redimere, uel impedire potuit, lege D. Gregorium lib. 9. Moralium cap. 30. ſuper illa uerba, *Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt*. Vndè quod diximus, per Sacrum Iubilæum has quoque pœnas redimi, uel impediri poſſe, accipiendum eſt, ut plurimum, non autem ſemper.

Deut. 3.
D. Greg.

Pœnæ temporales, remiſſa iam culpa, remanentes.

SEPTIMVM Genus pœnæ eſt illius, quæ poſt culpæ remiſſionem, & pœnę ęternæ commutationem, remanet in homine iuſtificato exoluenda, vel in hoc mundo, uel in Purgatorio, & de hac nobis ſermo principalis eſt, cùm circà hanc propriè Indulgentia verſetur.

Caiet.

EST autem aduertendum cùm Caietano tomo 1. tract. 4. quæſt. 3. de Contritione, quòd pęna hæc temporalis, quæ luenda relinquitur contrito, poſt culpæ remiſſionem; eſt illamet pęna ſenſus, quam in Inferno pati debuiſſet, ſi incontritus remanſiſſet, remota ſolùm æternitate; Peccator enim, cùm conteritur, ex Charitate; qua Deo copulatur, remouet pęnam damni, quæ ſeparationem à Deo cauſabat; & cùm per eamdem Charitatem Dei amicus conſtituatur, æternitas pęnæ ſenſus tollitur; nec enim decet, æternas pęnas ab amico exigere; remanet autem obligatus ad eamdem pęnam ſenſus ſuſtinendam, quam in Inferno pati debuiſſet: Vndè modus loquendi communis, ſecundum quem dicitur, quòd per Contritionem, ſeù per Sacramentum fiat commutatio pęnæ æternæ in temporalem, non eſt proprius; non enim fit uera commutatio pęnæ in pęnam; ſed eadem pęna ſenſus remanet exoluenda; exuta tamen circumſtantia æternitatis. Vndè rectiùs diceretur expoliatio eiuſdem pęnæ ab æternitate, quàm commutatio, quam doctrinam etiam tradit Ruardus Taper. in artic. 6. Louanienſi. Gregorius de Valentia in lib. de ſatisfactione, cap. 1. & Bellarminus in libro de Purgatorio, & alij.

Taper.
Valentia.
Bellarm.

CAPVT

CAPVT XLII.

Quòd poſt culpam remiſſam remaneat ſæpè reatus pœnæ temporalis.

VERVM, quòd remiſſa culpa, ſępè remaneat debitum luendę pęnę temporalis, iuxtà menſuram, & pęnę, & temporis, à Deo decretam; quod in principio pręcedentis Capitis promiſimus, probandum eſt.

Lutheri hęreſis negantis, pœnas remanere ſoluendas poſt peccatum.

Castro.

LVTHERVS, cùm ſatisfactionem, quę eſt tertia pars Pœnitentię, fortè primus ex ſuo cerebro negaſſet (ipſe enim, ut inquit Caſtro aduerſus Hæreſes lib. 12. in tit. de Pœnit. auctor fuit huius erroris,) negauit quoque poſt remiſſam culpam, ullam pęnam remanere ſoluendam, uel in hac uita, uel in futura; quem errorem, ut reperi, ante illum aſſeruerunt Vuitclephus, & Vualdenſes, ex illo colligentes, nec Purgatorium, nec Indulgentias eſſe, & poſt illum Caluinus, addens Deum immittere iuſtis, dùm uiuunt, pęnas non in uindictam peccati pręteriti; ſed ad eorum profectum, & emendationem in futurum.

Confutatio Lutheri.

SED hanc aſſertionem minimè tolerabilem, pernicioſiſſimumque eſſe errorem, blaſphemiamque execrandam, (quam adinuenit Lutherus, ut Sacras Indulgentias infirmaret) ex multis locis Scripturę à Caſtro, Ekio, Bellarmino, cęteriſque, qui aduerſus hunc errorem ſcripſerunt, demonſtratur; Nos etiam nonnulla ex illis repetamus, non ea quidem, quę propriè Purgatorias pęnas temporales oſtendunt, quod in ſequenti capite pręſtabitur; ſed quę in uniuerſum probant, huiuſmodi pęnam, uel in pręſenti, uel in alia uita exoluendam eſſe. Quibus etiam, & Patrum teſtimonia, & rationes aliquas adijciemus.

Adami pœnitentia.

Sap. 10.

Rupert.

Liber Sapientię eſt Canonicus.

Ireneus.

Epiphan.

Euſeb.

Auguſt.

ATQVE ut ab initio humani generis exordiamur; Adam ob ſui peccati Pęnitentiam, & dolorem, in Dei gratiam, & amicitiam reſtitutum fuiſſe, apertè Sacra Scriptura demonſtrat, Sapientię 10. illis uerbis, *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo, Pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit ei uirtutem continendi omnia*. Profectò nemo à delicto, Deo iuuante, & operante educitur, niſi qui à culpa peccati, per eius remiſſionem eruitur. Rupertus lib. 3. Comment. in Geneſim cap. 31. exiſtimans, Adam ſaluum non eſſe, reijcit hoc teſtimonium ex libro Sapientiæ, quòd hic liber Canonicus non ſit: ſed in utroque peccat; librum enim Sapientię eſſe Canonicum, multis annis ante ætatem Ruperti, in Eccleſia definitum eſt, tùm in Concilijs Carthaginenſi, & Laodicenſi, tùm à nonnullis Summis Pontificibus: Adam uerò non perijſſe, communis Patrum conſenſus atteſtatur. Sic docent Irenæus lib. 3. cap. 34., 35., & reliquis, vſque ad 40., Epiphanius aduerſus Hæreſes, Hæreſi 46., Euſebius Cæſarienſis lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 27., & Deniquę D. Auguſtinus Epiſtola 99. ad Euodium, vbi ad hanc rem confirmandam, præcitatum teſtimonium ex lib. Sapientiæ adducit ſic ſcribens, *De illo, quidem primo homine Patre generis humani, quòd Chriſtus cùm deſcendit ad Inferos, indè eum liberauerit, Eccleſia ferè tota conſentit, quod eam non inaniter credidiſſe, credendum eſt, undecumque hoc traditum ſit, etiam ſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in libro Sapientiæ ca. 10. ſcriptum eſt, Hæc illum, &c. hoc, inquam, quod ibi ſcriptum eſt, magis pro hac ſententia, quàm pro ullo alio intellectu facere uideatur*; Hæc Auguſtinus. Quod etiam teſtimonium adduxit Caſtro lib. 2. aduerſus Hæreſes in uoce Adam, & Eua, in confutatione primi erroris. Tacianus huius falſitatis, uidelicèt Adam fuiſſe æternis ſupplicijs damnatum, Auctor fuit, ut ſcribunt Irenæus libro 1. aduerſus Hæreſes cap. 31., Auguſtinus libro de Hæreſibus, ad Quodvult Deum, cap. 25., & Euſebius loco citato. Contrarium autem uerum eſſe, ea efficaci ratione perſuadetur, quod multi veteres Patres in ea fuerunt ſententia, quod Adam in Monte Caluariæ, in quo Chriſtus, poſt ter mille annos, crucifixus

Caſtro.

Irenæus.

Auguſt.

Euſeb.

Adam ſaluatus eſt.

cifixus eſt, ſepultus ſit, ut primus ſanguinis Chriſti uirtutem ſentiret, qui peccati auctor primus fuit; ità Origenes tract. in Matth. 37. Athanaſius in lib. de Paſſione Domini, Euthymius in cap. 27. Matthæi, Cyprianus in ſermone de Reſurrectione, Ambroſius lib. 5. Epiſtola 19. & alij, quos citat Pererius lib. 7. in Geneſim in diſputatione de hac ipſa re, qui etiam reſpondet D. Hieronymo aſſerenti, Adam in Ciuitate Hebron ſepultum eſſe.

Orig. Athan. Euthym. Cyprian. Ambroſ. Pererius.

Pœnæ multorum numerãtur ex Sacris litteris, poſt remiſſam culpam.

Pœnæ Adami, & Euæ. Geneſ. 3.

Igitur Adamo, quod etiam de Eua dicendum eſt, fuiſſe remiſſam culpã, reconciliatumque Deo obijſſe, pro certo ponẽdum eſt. Atqui Primum Parentem, poſt culpam remiſſam, multas, grauesque pœnas ſuſtinuiſſe, atroceſque peccati punitiones à Deo inflictas pertuliſſe, Caput Tertium Geneſis abundè docet: *Maledicta* (dictum eſt illi à Domino) *Terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cũctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et Euæ in pęnam peccati dictum eſt, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub Viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Deindè eiecti ambo de Paradiſo voluptatis, filiorum diſſidio, & in altero eorum, fratricidio puniti ſunt.

Numer. 20. Deuter. 32. Pœna Moſis, & Aaronis.

Sed agè, ad alias auctoritates pergamus. Moyſes, vt legitur Numerorum 20. & Deuteron. 32. cùm fratre ſuo Aarone ad aquas contradictionis peccatum diffidentiæ, & incredulitatis commiſit; cuius & ſi ſtatim eos pęnituit; pęna tamen à Deo illis ob tale crimen definita, condonata non fuit, cùm nunquàm terram promiſſionis ingreſſi fuerint, prout Dominus illis comminatus fuerat, immò ambo pœna mortis in deſerto plexi ſunt. *Pergat*, inquit, *Aarõn ad Populos ſuos; non enim intrabit terram, quam dedi filijs Iſrael, eò quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis; tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in Montem Hor. Cumque nudaueris Patrem veſte ſua, indues eâ Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi:* De Moyſis autem morte in Monte, locutus eſt Dominus, Deuteron. loco citato, Num. 14. filijs Iſrael, qui murmurati fuerant contrà Dominum, ad preces Moyſis, Deus pepercit; pœnam tamen illius peccati non relaxauit; *Dimitte, obſecro*, inquit Moyſes, *peccatum Populi tui huius, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Aegypto, vſque ad locum iſtum*, dixitque Dominus, *Dimiſi iuxtà verbum tuum, viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra, attamen omnes homines, qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Aegypto, & in ſolitudine, & tentauerunt me, iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum; nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.*

Supplicium Mariæ ſororis Moſis ex Numer. 12.

Numerorum 12. Maria ſoror Moyſis, obtenta venia de peccato, quo in Moyſem murmurauerat, lepræ pæna plectitur, & per ſeptem dies, iubente Domino, extrà Caſtra ſeparata permanſit.

Oziæ flagellũ ex 2. Paral. 26

Secundo Paralip. 26. Ozias Rex Sacerdotis officium, contra diuinum præceptum, vſurpauit; *Non eſt tui officij Ozia*, (dixit ei Azias Sacerdos) *vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum*; & poſt actam pænitentiam, illicò ſenſit plagam Domini, fuitque leproſus vſque ad diem mortis ſuæ.

Pœnitentia Dauidis 2. Regum 13.

Secundo Regum 13. Dauid Rex, grauitatem criminum, adulterij ſcilicèt, & homicidij, quæ commiſerat, agnoſcens, culpæ à Deo remiſſionem obtinuit; *Tranſtulit* (inquit ei Nathan Propheta) *Dominus peccatum tuum*; Verùmtamen, remiſſa culpa, multas pænas, & calamitates, propter ſcelera perpetrata, illi reſiduas eſſe, ſignificauit. Vndè & morte filij punitus fuit.

2. Reg. 24.

Secundo Regum 24. Dauid egit pænitẽtiam de peccato, quo Populum, ex Dei diffidentia, numerari fecit, & veniam conſequutus, ulterius ad ſatisfactionem, per pænam, cuius tamen electionem Dominus ei reliquit, conſtringitur, unde peſtilẽtia grauiſſima graſſans in Populum, illi pro pæna fuit. Neque his pęnis Dauid affectus fuit, quò paternis correctionibus admonitus, caueret futurum peccatum, ut Caluinus commentatur; Nam verba ipſa ſcripturæ, cauſam mortis filij præteritum

ritum peccatum aſſignant. *Quia,* inquit textus, *blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter Verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quod clarius Sanctus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 27. explicauit dicens, id factum eſſe, quia *Dominus delictum ſine vltione non deſerit.*

D.Gregor.

Danielis 4. Propheta Daniel admonet Regem Babylonis, ut peccata ſua eleemoſinis redimat, *Rex,* inquit, *conſilium meum tibi placeat, peccata tua eleemoſinis redime, & iniquitates tuas, miſericordijs Pauperum; forſan ignoſcet Deus delictis tuis.* Si ſola fide, vt Hæretici iactant (licèt enim aliquandò aduerſarium ſuomet gladio perimere) peccata diluuntur, profectò hæc uerba Danielis, non ad culpæ, ſed pœnæ remiſsionem referenda ſunt, & potiùs Propheta adhortatus fuiſſet illum ad fidē, ſi de purgatione culpę conſilium dediſſet, quàm ad eleemoſinarum erogationem. Verba igitur Prophetæ de redemptione pęnæ accipienda ſunt, (reatus enim culpæ propriè per eleemoſinas non remittitur; cùm quis poſsit illas facere, & eſſe in peccato) quæ peccati Redemptio per eleemoſinas, inter cætera ſatisfactionis opera enumeratur; ſic etiam intelligenda ſunt uerba Chriſti, Lucæ 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſinam, & ecce omnia munda ſunt Vobis.*

De remiſſione pœnæ pro peccato Regis debitæ, exponuntur uerba Danielis 4.

Lucæ 11.

Mvlta alia Scripturæ teſtimonia afferri poſſent; ſed apud Caſtrum, & Medinam legantur; eſt enim res clariſsima in Scripturis. Certè D. Paulus prima Corinth. 11. pœnam, propter peccatum indignæ aſſumptionis Euchariſtiæ, illā pronunciat, quod multi in illa Corinthiorum Eccleſia corporali ęgritudine, immò etiam morte, plexi ſint, licèt plèrique eius culpæ remiſsionem accepiſſent, ut ueriſimilè eſt in tanta multitudine accidiſſe.

1. Corint. 11.

Medina de Indulg. diſput. 1. cap. 1. annectit quoque exemplum Cain, quòd hic ſui peccati pœnitentiam egerit, multiſque pęnis mulctatus, tandem ſaluus factus fuerit; adducitque D. Hieronymum in Epiſtola 125. ad Damaſum, id ſentiētem. At nec uerùm eſt, Cain fructuoſam pęnitentiam egiſſe; neque D. Hieronymum id affirmaſſe. Aperta ſunt uerba illa Geneſis 4. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear;* Quæ eſſe omninò deſperantis uerba, non pęnitentiam agentis, omnes Patres, tàm Græci, quàm Latini, interpretantur; excepto uno Chryſoſtomo, qui in Homil. 19. in Geneſim, dixit, Cain ſic locutum fuiſſe, non per deſperationem diuinæ miſericordiæ, ſed ut ſceleris à ſe commiſsi, plenam Deo confeſſionem faceret, quamuis, ut intempeſtiuam, & minus opportunam, eam pęnitentiam, infructuoſam quoque fuiſse aſserat; *Sufficiens,* inquit, *fuit confeſsio, ſed intempeſtiua.*

Vtrum Cain veram, & bonā egerit pœnitētiam. Medina.

Geneſ. 4.

D. Chryſoſt.

Caietanvs ſuper Geneſim, potiùs putat, grauitatem ſui delicti, Cain per illam orationem propalaſse, quàm deſperationem; dubitaſse tamen, an cuique liceret, illum occidere, ut indicare uidentur uerba ſequentia. *Ecce eijcis me hodie à facie terrae, &c.* Medina, ea uerba Cain hunc ſenſum habere credit, etiam ſecundum lectionem ſeptuaginta Interpretum. *Maior eſt cauſſa mea, quàm vt remittenda mihi ſit,* quibus profectò verbis, de ſuis meritis, de cauſæque grauitate, non item de Dei bonitate, aut potentia diffidit, quæ diffidentia tantum abeſt, vt peccatum in Caino fuerit, vt potius ad veram pœnitentiam, neceſſaria videatur fuiſſe.* Sic Medina. Pagninus, Hæbraicam Lectionem ſequutus, ſic uertit, *Maior eſt Punitio mea, quàm vt feram,* ideſt, iniquitatis meæ punitio maior eſt, quàm ut poſsim eam uiuus ferre, quæ uerba ſolam ſui peccati atrocitatem arguunt, impotentiamque ad ſententiam, quàm Dei Iuſtitia in illum tulerat, declarant. Sed hæ interpretationes alienæ ſunt à germano ſenſu Scripturæ, qui ab Interpretationibus Patrum petitus, ad grauitatemque non pœnę, ſed culpę relatus; ſignificat, quòd putauerit Cain, peccatum ſuum prorſus fuiſſe irremiſsibile; in quo grauiùs peccauit, quàm in fratricidio.

Medina.

Pagninus.

Vervm ex alijs locis Scripturæ, Cain ſceleratiſſimum hominem, perditiſſimumque, ac reprobatum ſine ulla dubitatione cognoſcimus: ex Epiſtola Iudæ cap. 1. non ne apertum habemus teſtimonium? *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam, mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core abierunt;* Quos deindè, *Nubes ſine aqua, quæ à uentis circumferuntur, Arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas,*

Improbitas Cain.

Epiſtola Iudę cap. 1.

mortuas, eradicatas, fluctus feri Maris, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum, appellat; Vides Cain animæ punitionem? atque eius, & aliorum impiorum extremum interitum? Deindè ex prima Ioannis 3. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum, & propter quid occidit eum? Quoniam opera ipſius maligna erant; fratris autem iuſta*; Quem locum de ultima eius reprobatione, omnes interpretes accipiunt. Nec longa mortis dilatio, miſericordiam Dei erga Cainum oſtendebat, ſed potiùs ſeueriorem iuſtitiam, ut diuturnior eſſet, acerbiorque eius cruciatus; Cùm enim ſeptem peccata commiſerit, ut enumerat Hieronymus loco citato (Malè enim ſacrificauit, fratri ſuo inuidit: Dei admonitionem contempſit: per fraudem, & dolum fratri locutus eſt: crudeliter eum interemit: procaciter Deo cædem eius negauit: denique ſceleris admiſſi ueniam deſperando, ſeipſum damnauit;) ſeptem quoque uindictas exoluere debebat, ut hoc exemplo poſteri diſcerent, uti benè Pererius annotat, quàm ſit formidandum, Dei monita, & documenta contemnere; quàm ſceleratum, alijs diuinam gratiam inuidere; quàm execrandum per dolum, & fraudem nocere alijs; denique quàm horrendum, hominum, præſertim autem ſuorum neceſſariorum, ſanguine animum, manuſque imbuere, atque contaminare. Neque his, quæ dicta ſunt, contrarius eſt Hieronymus, quum ex aliorum ſententia dicat, *Tradunt illum à Clementiſſimo Deo ideò uſque ad ſeptem generationes fuiſſe dilatum, ut ſaltem malis ipſis, & longanimitate maroris compulſus, Pœnitentiam ageret, ut mereretur abſolui*.

Sed ad rem noſtram, Sanctorum Auctoritatibus, pœnam interdum, remiſſa culpa, luendam quoque eſſe, & ſatisfactionibus expungendam, confirmemus:

D. Chrysostomvs, Homil. 10. in Matthæum, verſus finem, tractans illa uerba Matthæi 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, ſic ſcribit. *Quo autem modo fructificare poterimus? ſi utique peccatis aduerſa faciamus, aliena rapuiſti, & incipe donare iam propria; longo es tempore fornicatus, à legitimo quoq; uſu ſuſpendere coniugij, ac perpetuam continentiam ſæpiùs paucorum dierum caſtitate meditare; iniuriam uel opere cuiquam, uel ſermone feciſti, refer benedictionis uerba conuicijs, & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende: neq; enim uulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore euellere; ſed etiam remedia adhibere uulneribus. Delicijs ante, & temulentia diffluebas, ieiunio, & aquæ potu utrumq; compenſa, ut ſummam ſuperes imminentem. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis; fœminam iam omninò non uideas, maiore tactus cautione poſt uulnera.*

D. Gregorivs, Homil. 20. in Euangelia, eodem ferè modo pertractat illa verba Ioannis, *Facite fructus, &c.*

D. Avgvstinvs in ſermone de Monte, circà eumdem locum inquit. *Satisfactio à Ioanne præcipitur, ubi ait, facite fructus dignos Pœnitentiæ, ſcilicèt ut ſecundum qualitatem culpæ, ſit qualitas, & quantitas pœnæ; Non enim par debet eſſe fructus boni operis eius, qui minus peccauit, & eius, qui grauiùs cecidit.*

Isychivs lib. 4. ſuper Leuiticum cap. 14. ſimiliter de ſatisfactione pœnæ peccati, verba Ioannis interpretatur, *Opus*, inquit, *habet Pœnitentia, orationem intentam, eleemoſinam, vigilias, ſaccum, ieiunium, poſtremò etiam illa, quæ Dauid dicit; facta ſunt mihi lachrimæ meæ panes die, ac nocte; & lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrimis meis ſtratum meum rigabo. Sed & cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Sic Iſychius.

D. Fvlgentivs, in Epiſtola ad Venantium de recta Pœnitentia, preſſuras, tribulationeſque præſentis temporis, longanimiter tolerandas eſſe, ad euitandam futuri Iudicij pœnam, ex teſtimonio Pauli docet, prima Corinth. 11. *Cùm iudicamur autem, à Domino corripimur, ut non cùm hoc mundo damnemur.*

D. Hieronymvs in Ezechielem 8. libro circà finem, ſuper illa uerba, *Accingetur Cilicijs*, ſcribit, *Vetus lumborum libido damnatur, ut qui uixerant in delicijs, poſtea pœnitentes uiuant in auſteritate, & duritia.* Et ſuper Malachiam ait, *Peccator dormiat in ſacco, & præteritas delicias vitæ auſteritate compenſet.* Et ſuper cap. 1. Ioëlis, explicans illa verba, *Accingite vos, & plangite*, inquit, *Qui peccator eſt, & quem remordet*

propria

Marginal notes: 1 Ioan. 3. — Septem peccata Caini ex D. Hier. — Pererius. — Auctoritates Patrum, aſſerentium, remanere pœnam ſoluendam, remiſſa culpa. — D. Chryſoſt. — D. Greg. — D. Auguſt. — Iſychius. — D. Fulgent. — 1. Corint. 11. — D. Hieron.

propria conſcientia, Cilicio accingatur, & plangat, uel propria delicta, uel Populi, & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus, & cubet, uel dormiat in ſacco; ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum, uitæ auſteritate compenſet. Et in Epiſtola ad Euſtochium, de obitu Paulæ matris, ſic Paulam loquentem introducit, *Turpanda eſt facies, quam contrà Dei præceptum, Purpuriſſo, & Ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi: affligendum corpus, quod multis uacauit delicijs: longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu; mollia linteamina; & ſerica præcioſiſſima, aſperitate Cilicij commutanda.* Sic Hieronymus.

Petrus Damianus.

Omissis tamen aliorum Sanctorum Patrum pulcherrimis auctoritatibus, quę hac in re frequentiſſimæ ſunt; vno Petri Damiani, qui ante annos 500. ſcripſit, teſtimonio rem comprobemus. Hic in ſermone 2. de Sancto Andrea ſic ait, *In Purgatorijs ignibus, perficiendum eſt, quicquid hic minus* (de Pœnitentia loquitur) *feceris; quia dignos Pœnitentiæ fructus quærit Altiſſimus.*

Argumenta ad probandũ reatum pœnę temporalis, poſt peccatorum remiſſioné. D Tho. Deut. 25.

Nec deſunt rationes, pro hac ueritate.

Prima eſt Sancti Thomæ 3. part. quæſtio. 86. artic. 4. Quoniam miſericordia Dei, eius Iuſtitiæ præiudicare non debet; quamuis igitur per remiſſionem culpę, amicitiam, & benignitatem Dei homo conſequatur; reliquum tamen eſt, ut Iuſtitiæ eius ſatisfaciat, uel in hoc ſæculo per expiationem ſatisfactionis, uel in futuro per ignem Purgatorij. *Pro menſura enim delicti, & plagarum modus erit*, Deutero. 25. *& quantum Peccator glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum tormentorum, & luctus*, dandum eſt illi, ut dicitur Apocalypſis 18. Nec enim more Baptiſmali, ut finxit Lutherus, datur gratia per Pœnitentiam: ſed in ea diuinæ iuſtitiæ ſatisfieri debet.

Apoc. 18.

Secvnda, quia ſi nulla pœna relinqueretur per ſatisfactionem expianda; ſed ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, homines iuſti, & purgati à ſordibus euaderent; tunc omnes eſſent æquè Sancti, & æquè iuſti apud Deum, quod tamen impudenter concedit Lutherus; Immò in ſermone de Natiuitate Virginis, illam inſignem protulit Blaſphemiam, quòd omnes Chriſtiani æquè magni ſunt, ſicut Mater Dei, & æquè Sancti, ſicut ipſa.

Blaſphemia Lutheri.

Tertia, quia ſi non relinquitur pœna poſt culpam, fruſtrà eſt Purgatorium; quod dicere, magna eſt Hæreſis, & contra expreſſa loca Scripturæ, ut inferiùs demonſtrabimus.

Qvarta, & Vltima, quia omnis Diſciplina Eccleſiaſtica eneruaretur, ſtudium virtutum langueſceret, ac denique mutua ſuffragia, Ieiunia, Eleemoſinæ, Orationes, & ſatisfactiones è medio tollerentur, vitiorum titillationes excreſcerent, omnibuſque flagitijs, & ſceleribus uia ampla pateſieret. Adde quòd in omni humana Republica rectè inſtituta, in criminibus præcipuis, & maximè læſæ Maieſtatis hic ordo cernitur, ut remiſſa culpa, nequaquàm pęnæ parcatur. Cur ergò in foro Dei id fieri iniuſtum erit? Atque, ut huic tractationi extremam manum imponamus, Chryſoſtomi verba in Homil. 41. de Pęnitentia, ad Populum Antiochenum, adijcere oportet. *Pęnitentiam exhibuit*, (ait) *Beatus Dauid ità dicens, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrimis meis, ſtratum meum rigabo; & olim patratum peccatum, poſt tot generationes, quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Pœnitentem iraſci non oportet, neq; ſæuire; ſed ſentire tanquam condemnatum, tamquam non habentem fiduciam, tamquam iudicatum reum, tamquam ex ſola ſaluari miſericordia debentem, tamquam ingratum erga benefactorem redargutum, tamquam iniucundum, & reprobum, tamquam innumeris dignum ſupplicijs, ſi hæc cogitet, non iraſcetur, non indignabitur, ſe ſe lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem, & diem: Pœnitentem numquam oportet obliuioni peccatum tradere; ſed Deum quidem rogare, nè eius meminerit, ipſum uerò numquàm ipſius obliuiſci; ſi nos eius non recordemur, Deus ipſius non obliuiſcetur: ſi nos eius meminerimus, Deus obliuiſcetur; à nobis ipſis ultionem ſumamus; nos ipſos accuſemus, & ità placabimus Iudicem.* Sic Chryſoſtomus.

D. Chryſoſt.

Pœnitentiæ publicæ forma apud ueteres Chriſtianos.

Quòd ſi etiam publicę Pęnitentiæ ritus non ſunt damnandi, præſertim illis tẽporibus, quibus vſu receptæ erant, quas nec, niſi demens, damnare poteſt; cum

Tertull. Tertullianus illarum formulas egregiè ſcribat in lib. de Pęnit. atque etiam in lib. de Pudicitia, & Cyprianus ſermo. 5. de lapſis, ambo vetuſtiſſimi Scriptores, quomodo in illis ſatisfactionem pœnarum non perſpiciemus? Sotus diſtin. 2 1. quæſt. 1. art. 3. ſcribit, relaxationes publicarum Pœnitentiarum, figuram fuiſſe noſtrarū Indulgentiarum. Remittebatur enim crebrò in primitiua Eccleſia publicæ Pęnitentiæ, & ſecundum Penitentis diligentiam in afflictionibus, & ſatisfactionibus præſtandis, condonabatur pars iniunctæ Pęnitentiæ, vt videre eſt in Concilio Carthaginenſi Quarto cap. 76. ſed dolendum eſt, quòd res his noſtris temporibus è contrario accidat. In priori enim ſæculo negligentibus pęnitentias peragere, tardiùs remiſſio, ſeù reconciliatio donabatur; diligentibus verò citiùs, vt videre eſt apud Gratianum 26. quæſt. 6. & 7. At verò in hoc poſteriori, in quo Pęnitentes, nedum ergà publicas pęnitentias; ſed etiam ergà ſecretas, & priuatas, vel minimas ſegniores, ac negligentiſſimos ſe prębent, remiſſionibus, & Indulgentijs abundant: ea eſt horum temporum calamitas, & miſeria. vt cùm friguerit charitas, & abundet iniquitas, bonorum operum frequentia abierit; malorum verò cumulus in dies augeatur, & creſcat; ob hominum torporem, & ignauiam effectum eſt, ut non ſolùm vſus ille ſatisfaciendi, æternis illis maximis ſupplicijs pro peccatis admiſſis, euanuerit; ſed ea quoque conſuetudo imponendi peccatoribus ponderoſas pęnitentias effluxerit, atque è medio ferè ſublata fuerit. Quamobrem, cū delictorum pęnæ peractę minimè remanerent, operæ præcium fuit, per frequentes Indulgentias fidelibus ſuccurrere, & cum uiam Iuſtitię illi quaſi declinarent, ad ſemitas Miſericordiæ ſæpiùs recurrere. Hinc crebra Theſauri Spiritualis diſpēſatio. Hinc duplicatæ illæ mille, & mille Annorum Indulgentiæ, additis etiam quinquequadragenis, & ſimilibus. Magna enim Miſericordia Dei effectum eſt, ſummaque Spiritus Sancti benignitate, ut cùm uitia creſcant, vita autem hominis in dies magis breuietur, Summi Pontifices in Indulgentijs concedendis, pia liberalitate utantur; Adde, quòd cùm ora Hæreticorum, contrà hanc Papæ poteſtatem etiam, atque etiam oblatrando clament, expedit, Deo ſic uolente, ut Summus Eccleſię Prępoſitus ea frequentiùs utatur, ad Hæreticorum confuſionem, & ad Catholicorum commodum, & conſolationem.

Cyprian.

Sotus.

Conc. Cart. 4.

Gratianus.

Quænam pœnarum genera per Indulgentias remittantur.

Ex his, quę in hoc Capite dicta ſunt, colligimus, quinque genera pęnarum per Indulgentias remitti, eas uidelicèt pęnas, quas confeſſarius imponit, & quę ſtatutæ, & determinatæ ſunt in Sacris Canonibus; ſi quæ hodie uigent; deindè, quas Pœnitens à ſe ipſo ſuſcipit ad uindictam peccati, licèt per accidens; eas item, quas Deus ſæpiùs in communi, uel ſigillatim cuique immittit, licèt indirectè; Poſtremò pœnas à Deo determinatas, & quoad quantitatem, & quoad durationem, quæ poſt culpam remiſſam, ab homine iuſtificato ſolui debent. Atque ità neceſſitas Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum reſpectu cuiuſcumque Chriſtiani ſufficienter, ſicut promiſſum fuit, declarata ſit.

CAPVT XLIII.

De neceſsitate Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum, reſpectu eorum, qui ſunt in Purgatorio.

NON ME fugit, in hoc Capite, & proximè ſequentibus, id mihi reuoluendum eſſe, quod à quàm plurimis alijs Scriptoribus iam factitatum eſt; Verùm, quia perfectę doctrinæ ratio id exigit, nè hęc noſtra tractatio ex parte aliqua mutila videatur, nonnulla quàm breuiſſimè, de Purgatorio, atque etiam de ſuffragio Indulgentiarum ergà commorantes in eo dicenda ſunt.

Receptacula Animarum.

Animarum, quæ ex hoc mundo diſcedunt, quinque receptacula, in Sacris litteris re-

ris reperiri, facilè eſt oſtendere, duo ſcilicèt extrema, reliqua intermedia, ſed in hoc capite nonnulla de primo receptaculo dicemus:

Cœlum empireum, ſeu Paradiſus.

Sanctorũ pro nobis interceſſio.

2. Petri 1.

Igitvr Primùm eſt Cœlum, ſeu Paradiſus æternæ gloriæ, in quo animæ, ab omni ſorde pœnæ, & culpæ purgatæ, perpetuà Dei viſione fruuntur. Hæ pro nobis intercedunt, quod ſexcentis locis Scripturæ, & præcipuè ex Epiſtola 2. D. Petri cap. 1. habetur illis in Verbis. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos, poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*; ideſt, nè ſit uobis graue, & moleſtum, quòd ego deponam tabernaculum meum (ideſt moriar) quia etſi nõ amplius uos commonefaciam, quemadmodum dum viuerem faciebam; at poſt mortem curabo, vt commonefactionis meę anteactę memores eſſe poſſitis. Eſt enim hyperbaton. Sed dabo operam ſine intermiſſione, poſt obitum meum habere vos, ideſt, poſſe uos, quod eſt, ut uos poſſitis facere, ſiuè habere memoriam horum omniũ. Attamen nullo noſtro ſuffragio, vel auxilio indigent, cùm ſint in ſtatu omnium rerum aggregatione perfecto. Quamquam, ſicut ex bonis operibus in eorum honorem, & memoriam factis; ſic etiam ex Indulgentijs, quas fideles in hoc ſęculo, Eccleſias Beatis dedicatas uiſitando acquirunt, accidentalis gloria illis accreſcit; At uerò priuſquam de alijs receptaculis uerba faciamus, obiter hic uidendum eſt, an animę, quę purgatę ex hoc mundo diſcedunt, ſtatim Cœlum ingrediantur; quod etiam magnoperè conducit ad Sacrum Iubilęum citiùs, & deuotiùs conſequendum.

DIGRESSIO MAGNA.

An Animæ iuſtorum antè diem iudicij Cælum ingrediantur, vel Deum videant.

Opinio Tertulliani.

Tertvllianvs lib. 4. in Marcionem, & in lib. de Animà cap. 32. & 33. & 34. exiſtimauit, Animas iuſtorum ante diem Iudicij Cœlum non ingredi, nec Deum uidere, ſed in quibuſdam receptaculis abditis, aut in regione, quam Sinum Abrahę dicit, etſi non cœleſti, ſublimiore tamen Inferis, recipi, & ibi refrigerium accipere. Vigilantius, ut uidere eſt, apud Hieronymum in libro, quem aduerſus ipſum conſcripſit, circà medium, eundem errorem ſecutus eſt; atque etiam Armeni, teſte Guidone Carmelita, in Summa de Hęreticis, & Caſtro lib. 3. contra Hęreſes, uerbo Beatitudo, Hęreſi ſexta. Gręci item, ut eſt uidere apud Cõcilium Florentinum, ſeſſione prima, D. Thomam in Opuſculo ſexto cap. 9. & Gennadium Scholarium Patriarcham Conſtantinopolitanum in ſuo libello defenſorio cap. 4. Lactantius Firmianus lib. 7. diuinarum Inſtitutionum cap. 11. & Victorinus Martyr in caput ſextum Apocalypſis, ſub ara, ideſt, ſub terra, in una, communique cuſtodia animas Sanctorum detineri ſcribunt, ſicut etiam Euthymius in caput Lucę 16. & 23. Quem deindè errorem ſuſcitarunt Moderni Hęretici, ut Lutherus in ſuis pręlectionibus in Geneſim, ut refert Staphylo in Epitome trimembri Theologię Lutheri, parte ſecunda, & Caluinus libro 3. Inſtitutionum capite 25. §. ſexto.

Vigilantius apud D. Hier.

Armeni ex Guido Carmelita. & Caſtro.

Græci ex Cõcil Floren.

D Thom.

Gennadius.

Opinio Lactãtij Victorini, & Euthymij.

Hæretici.

Staphylo.

Animas iuſtorum ſtatim à corpore ſolutas in Cęlum euolare.

Sed, id eſſe manifeſtiſſimum errorem in fide, nemo dubitare debet, cùm, & ex Scripturis Sacris, ex ritu Eccleſię, Pontificum, & Conciliorum definitionibus; ex doctrinis item Patrum Gręcorum, & Latinorum, atque etiam ex ipſa ratione contrarium, uerum eſſe, conſtantiſſimè probetur:

Et quamuis non ſit hic nobis animus hanc controuerſiam latiùs pertractare; tamen ad dilucidationem aliquorum locorum Patrum, & præſertim Auguſtini, qui aliquibus in locis de hac re hæſitare uidetur, nonnulla currenti calamo attingenda eſſe duximus. Qui verò longam, & articulatam huius rei tractationem deſiderat; legat Gregorium de Valentia tomo 2. Commentariorum Theologicorum diſput. 1. quæſt. 4. puncto 2. & Bellarminum libro primo de Sanctorum Beatitudine à cap. 1. vſque ad 7.

Greg. de Val.

Bellarm.

Primò igitur ex teſtimonijs Scripturæ, veritas Catholica demonſtratur, quæ duodecim in locis hujus rei atteſtationem facit, & ex nono teſtamento, in quo

ſtatim, poſtquàm anima in gratia diſcedit, ſi purgata ſit, Beatitudo eſſentialis præſtatur, loca proferamus.

Loca Sacræ ſcripturę pró hac uera ſententia afferũtur, & explicantur.

Luc. 23.

PRIMVS locus eſt Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, Qui locus, quamuis non probet, Latronem ſtatim poſt obitum, ingreſſum eſſe Cęlum corporeum, uel locum Empyrei, qui ante Chriſti Aſcenſionem apertus nemini fuit; probat tamen euidenter, Beatitudinem, & uiſionem Dei ſtatim aſſequutum fuiſſe. Id enim nomine Paradiſi intelligendum eſt, ut ibidem Theophylactus, Ambroſius, Beda, Caietanus, Ianſenius, atque etiam Cyrillus Hieroſolymitanus, Cathecheſi 13. circà finem exponunt, nempè ſalus æterna, diuinæque eſſentiæ fruitio, & uiſio. Quocircà repudianda omninò eſt expoſitio Euthymij in dictum locum Lucæ, Iuſtini Martyris, quæſt. 75. 76. & 85. ad Orthodoxos, & Irenæi, dicentium nomine Paradiſi terreſtrem Paradiſum, ex quo eiectus fuit Adam, promiſſum fuiſſe Latroni; Vndè ponderant, Chriſtum nõ reſpondiſſe, hodie mecum eris in Regno meo, ſed in Paradiſo; vt indicaret, aliud eſſe Regnum, aliud Paradiſum; & quamuis Chriſtus, ut homo, numquàm fuerit in terreſtri Paradiſo; nihilominus, vt Deus, ubique erat; licèt Origenes tomo 2. in Ioannem, concedat, Chriſtum priùs iuiſſe ad Paradiſum, ut adimpleret promiſſum, deindè deſcendiſſe ad Infernum: E contrà uerò Nicephorus libro primo Hiſtoriæ cap. 31. prius dicat, ad Inferos Chriſtum deſcendiſſe, & deindè eadem tamen die, & hora, ducens ſecùm Latronis, ac cæterorum Sanctorum animas, ad Paradiſum terreſtrem tranſiuiſſe: ſic iſti errorem configurantes, animas vſque ad reſurrectionem corporum in terreſtri illo Paradiſo detineri contendunt, ac proinde illi Latroni terreſtris illius loci promiſſionem factam fuiſſe.

An latro ſtatum poſt obitum fuerit beatus, & de vera intelligentia promiſſionis Chriſti eidem latroni factæ.

Euthym. Iuſtin. Irenęus. Origen. Nicephor.

SED uana, & fictitia hæc ſunt; Primùm; quia reſponſio Chriſti habet relationem ad petitionem Latronis; atqui ille non petijt terrenum illum Paradiſum, ſed conſortium Regni Cęleſtis, fierique participem ſocietatis Chriſti in Regno eius. Quid enim prodeſt animæ, quæ poſt ſeparationem à corpore cupit eſſe cum Chriſto, locus voluptatis pomis, fructibus, herbis, aquis, cæteriſque delicijs corporalibus refertiſſimus? Corporum, non animarum hæ deliciæ, delectationes, & refrigeria ſunt. Quidquòd, Paradiſum terreſtrem hodie non extare, ſed aquis diluuij deſtructum eſſe, multis doctis viris improbabile non eſt, ut Ianſenio in ſua concordantia Euangelica cap. 143., Genebrar. lib. 1. Chronographiæ in prima ætate, Oleaſtro, & Eugubino in 2. cap. Gen. & Pererio in Commentarijs ſuper Geneſim libro 3. diſp. 1. quæſt. 5., & libro 7. quæſt. 7., vbi etiam, ex locis Scripturæ, præſertim ex Gen. cap. 7. id probat; Nec obſtat, Henoc Eccleſiaſt. 44. dici, tranſlatus fuiſſe in Paradiſum; tùm quia id fuit ſexcentis annis, & amplius ante diluuium; vndè eo deſtructo, aliò à Deo transferri poterat; tùm quia lectio græca non habet vocabulũ illud, *Paradiſum*; legit enim ſic, *Henoc placuit Deo, & translatus eſt in exemplum Pænitentiæ generationibus*, ut notauit Ianſenius in concordantia Euangelica cap. 43. tùm etiam (lectione latina ſecundum vulgatam translationem ſeruata, quam parui pendere fas non eſt) Paradiſus ille, in quẽ Henoc ductus fuit, accipiendus eſt, non terrenus ille Adami; ſed ſecreta aliqua terræ regio; vbi magna carnis, & ſpiritus tranquillitate uiuat vſque ad conſumationem ſæculi, cùm Eliæ conſortio. Ità D. Gregorius loquens de Elia ſcribit, Homil. 29. in Euangelia, Rupertus lib. 3. de Trinitate, & operibus eius, cap. 33., Theodoretus in quæſt. in Geneſim num. 45. Nomen enim Paradiſi multas in Scripturis habere ſignificationes, & ex primæua eius ſignificatione, quemlibet locum terræ amenißimum, ſecretum, amplum, & iucundiſſimum deſignare, omnes Interpretes in explanatione ſecundi capitis in Genes. tradunt; neque enim nobis arridet expoſitio illa Hieronymi in Amos 9., Ambroſij libro de paradiſo cap. 3., Dorothei in Synopſi, & Alchimi Auiti lib. 4. de diluuio cap. 6. indicantium, Henoc, & Eliam in regionem aliquam cæleſtem, ab omni terræ loco ſeparatam, tranſuectos eſſe. Hi etenim ambo adhuc in corporibus ſuis mortalibus uiuunt, per fidemque, & abſtractiuam cognitionem, diuina contemplatione fruuntur; nec corpora glorioſa habent,

Ianſen. Genebrard. Oleaſter. Eugub. Pererius. Eccleſ. 44. Ianſen. D. Gregor. Ruper. Theodoret.

Multa nomine Paradiſi ſignificantur in Scriptura.

Hieron. Ambro. Dorotheus. Alchim.

Vbi habitent Henoc, & Elias, & quò fuerint tranſlati.

habent; nec diuinam eſſentiam uidentes cùm Chriſto regnant, ut malè cenſuere Catharinus in Opuſculo de conſumata Chriſti gloria, Procopius Gaza, & Eugubinus in Geneſ. Aduerſus quos eſt expreſſa doctrina D. Gregorij Nazianzeni Oratione 34. vbi de Henoc loquens dicit, *Licèt tranſlatus ſit, non tamen conſtat, quòd Deum comprehenderit*; lege Auguſtinum lib. 9. Geneſis ad literam cap. 6., & libro primo de peccatorum meritis cap. 3., Bernardum ſermone 6. de Aſcenſione Domini, & Hieronymum in Epiſtola ad Pammachium, & alios, quos conſultò relinquo: Ex quo ſequitur, valdè reprehendendum eſſe Sixtum Senenſem, qui in libro 5. Bibliothecæ, annotatione 36. affirmauit, eſſe contra diuinam Scripturam, & contra rectã fidei regulam, negare, Eliam, & Henoc in Paradiſum terreſtrem translatos eſſe, ibique uitam agere: Certè D. Auguſtinus lib. 2. de gratia Chriſti contrà Pelagium, & Cęleſtium cap. 23. expreſſis uerbis dicit, hanc diſputationẽ; An Elias, & Henoc ſint in Paradiſo terreſtri, uel alibi, eſſe de numero earum diſputationum, quæ in utramque partem, ſalua fide Chriſtiana, pertractari poſſunt; ut etiam illæ, quot ſint Cęli, in quorum tertium Paulus ſe raptum eſſe dicit; ſint nè quatuor, uel plura mundi elementa; & ſimilia. D. Chryſoſtomus homil. 21. in Geneſim ſcribit, non eſſe curioſè ſcrutandum, & quærendum, quem in locum Deus tranſtulerit Henoc, cùm enim Scriptura hoc nõ dicat, nimis curioſum eſſe id ſcrutari; ſed quicquid ſit de loco, vbinam terrarum uerſentur Elias, & Henoc; Illud unũ certum eſt, ac, ut de fide, tenendum, eos non adhuc obijſſe mortem, ſed corpore, & anima uiuere, in gratia confirmatos; morituros tandem, cùm contrà Antichriſtum, ante diem iudicij ſuum expleuerint officium. Interim ſpe Martyrij pro Chriſto ſuſtinendi recreari, ac refocillari, diuinaque uirtute, ciboque ſpiritali, abſque ulla corporis immutatione, conſeruari. Lege caput 5. Geneſis, in illis uerbis, *Ambulauitq; cùm Deo* (de Henoc eſt ſermo) *& nõ apparuit, quia tulit eum Dominus*, & cap. 11. Epiſtolæ D. Pauli ad Hæbræos *Henoc tranſlatus eſt, nè uideret mortem*; De Elia lege caput 4. Reg. 2., & 47. 48. Eccleſiaſtici, D. Clemen. Papam lib. 5. Conſtitutionum cap. 6., D. Auguſtinum lib. 2. de peccato Originali cap. 23., & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 3., D. Ambroſium lib. 2. in Lucam, verſus finem, & lib. 4. de fide cap. primo, Cyprianum libro de Montibus Synai, & Syon, Tertullianum libro de anima, cap. 35., & 50., Irenæum lib. 4. contra Hęreſes cap. 3., Athanaſium in Epiſtola contra hæreſim Arrianam ex Decretis Concilij Nicæni, Baſilium homil. 11. Exameron, Chryſoſtomum homil. 21. in Gen. & in homil. 22. Epiſtolæ ad Hębręos, Epiphanium, in Ancorato, ultrà medium, & D. Gregorium lib. 9. Moral. cap. 4. & lib. 21. cap. 36.

Catharin. Procopius. Eugub. Nazianz. Auguſtin. Bernar. Hieron. Sixtus Senẽ. redarguitur. D. Auguſt. D. Chryſoſt. Geneſ. 5. ad Hæbr. 11. 4. Reg. 2. Eccleſ. 47. & 48. D. Clemen. D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Cyprian. Tertull. D. Irenæus. D. Athan. D. Baſil. D. Chryſoſt. D. Epiphan. D. Gregor.

Sed ad Paradiſum ſpiritualem Latroni conceſſum reuertatur oratio noſtra; atque illud hic animaduerſione dignum eſt, quòd quemadmodum in veteri teſtamento, nox iſta Paradiſus, ſępius pro terreno loco uoluptuoſo, & ameno, iuxtà illud Canticorum 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus*; ità in nouo teſtamento, pro re ſpirituali accipitur, id eſt, pro gloria Beatorum; ſic Paulus 2. Corinth. 12. dicens, ſe raptum fuiſſe in Paradiſum, explicat ſe raptum fuiſſe ſupra tertium Cęlum, & Apocalip. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*; qua etiam ſignificatione, cùm Latro ad teſtamentum nouum ſpectet, in eo textu Lucæ 23. nomen huiuſmodi Paradiſi accipiendum erit, uidelicèt pro beata viſione, ſicut etiam exponit Auguſtinus in Epiſtola 57. ad Dardanum, ubi tractans fuſiſſimè hunc Lucę locum, licèt per Paradiſum, corporeum locum intelligere uideatur; concludit tandem, eſſe locum illum, in quo Beati fruuntur, ubicumque ille ſit.

Qua ratione ſumatur in nouo teſtamẽto nomen Paradiſi. Cantic. 4. 2. Cor. 12. Apoc. 2. Luc. 23. D. Auguſt.

Nec duę illę obiectiones, quas refert Theophylactus ex aliorum ſententia, nobis officiũt. Dicebant aliqui, Latroni Paradiſum cęleſtem promiſſum quidem fuiſſe à Chriſto, ſed exhibendum poſt reſurrectionem; ob cuius rei certitudinem, per uerbum temporis pręſentis dictum ei ſit, *Hodie mecum eris, &c.* Alij verbum illud, *Hodie*, coniungebant cùm, *dico*, non cùm, *eris*, ità ut eſſet ſenſus; Amen, hodie dico tibi, mecum eris in Paradiſo.

Duę obiectiones ex Theophylacto, ſoluuntur. Quo intelligenda ſint illa Chriſti verba ad latronẽ hodie mecum eris, &c.

Verum omnes iſti uidentur, ridiculas uerborum Chriſti ſignificationes affer-

re. Primi quidem, quoniam figuratiuè uerba illa intelligentes, propriam uerborũ ſignificationem relinquunt, quod non licèt in Sacrarum Scripturarum expoſitione; niſi abſurdum aliquod ſequatur. Nec enim Chriſtus prophetauit aliquid futurum latroni; ſed ſimpliciter promiſit, ſe illi eodem die Paradiſum exhibiturum, quod niſi impletum fuiſſet, ueritas Scripturæ non ſtaret. Poſteriores autem Scripturam uanam, & eluſione dignam reddunt: ad quid enim illam temporis determinationem Chriſtus addidiſſet, ſi ea die Regnum Coelorum Latroni traditurus non fuiſſet? Præterea illa dictio, *Hodie*, reſpondet alteri dictioni, *quando*, quam Latro dixerat: petierat Latro, ut Chriſtus meminiſſet ſui, quando ueniſſet in Regnũ ſuum: hoc quãdo, Chriſtus in ſua reſponſione dixit, eſſe hodie, in quo hodie adimplenda erat petitio illius; Vndè ad eamdem diem referẽda eſt, in qua illi dixit, *hodie mecum eris in Regno, ſeu in Paradiſo meo*; Hoc quidem fuit Priuilegium beati huius Latronis, ut poſt obitum ſuum ſtatim abſque ulla mora, Deum uideret; quod neque Abrahæ, neque Moyſi, neque Dauidi, neque ulli antiquorum Patriarcharum conceſſum fuit; in quo ſenſu accipienda ſunt uerba Cyrilli Hieroſolimitani in citata Cathecheſi 13. dum dicit, hunc Latronem antè omnes Patres Paradiſũ ingreſſum fuiſſe, & poſt Chriſtum inter homines primum diuinam eſſentiam clarè uidiſſe: Nemini enim dubium eſſe poteſt, multos antè Latronem Paradiſum ingreſſos fuiſſe, cùm Chriſtum mortuum eſſe ante Latronem, in Euangelio conſtet; Ianuam autem Cęli, id eſt uiſionis beatificæ his, qui digni erant, nec ullo alio impedimento detinebantur, ſtatim poſt Chriſti paſſionem, & mortem, apertam fuiſſe docet Sanctus Thomas 3. part. quęſt. 49. artic. 5., & quæſt. 52. artic. 5., & in 3. diſtinct. 18., & in 4. diſ. 2., Scotus 4. diſ. 2. quæſt. 2. Alexander de Ales 3. part. quęſt. 18. memb. 4. & Innocentius, in Cap. *Maiores* de Baptiſmo. In eodem enim inſtanti, in quo Chriſtus mortuus eſt, per diſcretam mutationem ad Inferos deſcendit, ibique per realem præſentiam Patres illuminauit, & beauit; quamquàm hoc Durandus in 3. diſ. 27. quęſt. 3. percipere non ualeat. Fuit autem Latro primus, ut dictũ eſt, qui ſtatim poſt ſuam mortem beatitudine ęterna frueretur; ut notauit etiam Suarez ſuper tertiam part. quęſt. 46. artic. 11. in calce ſui Commentarij: Vnum tamen addit, quòd qui diceret, Latronem per aliquas horas fuiſſe in Purgatorio, nil contra Scripturam diceret, dummodo intrà illum diem naturalem, in quo Chriſtus mortuus eſt, Paradiſum ingreſſum fuiſſe aſſereret; quamuis probabilius aſſerat, illum pœnę, & culpę integra remiſſione accepta, ſine mora beatum fuiſſe; in quo ſenſu Cyprianus in ſermone de Cęna Domini, & in Epiſtola ad Iubaianum, & Auguſtinus ſerm. 130. de tempore, & libro primo de anima, & eius Origine cap. 9., & lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas ca. 22. dicentes, hunc latronem Martyrem, & baptizatum fuiſſe, intelligendi ſunt; nempè, aſſequutum illum fuiſſe plenam remiſſionem, quę per Martyrium, & Baptiſmum conferri ſolet. Sed de hoc felici Latrone ſatis dictum eſt.

Cyril. Hiero.

Quomodo Latro dicatur primus poſt Christi mortem fuiſſe beatus.

D. Thom.

Scotus.

Alen.

Innoc.

Durand.

Suarez.

Cyprian.

Auguſt.

SECVNDVS Scripturæ locus eſt Actorum 7. vbi Stephanus aſpiciens Cœlum in hora Imminentis mortis, dixit; *Video Cælos apertos*; & *Domine IESV ſuſcipe Spiritum meum*, quaſi tunc moriturus, ſpem certam haberet, æternam beatitudinem illicò poſt obitum poſſidendi. Ad quid apertum Cœlum videret, ſi ingredi illud non liceret ante carnis reſurrectionem? potiùs hæc uiſio in pœnam, quàm in pręmium uertenda eſſet.

Adducitur, & explicatur locus Actor. 7.

TERTIVS locus eſt. D. Pauli 2. Corinth. 5. *Scimus*, inquit, *quia ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis: nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de Cælo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur. Etenim, & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* His uerbis per antytheſin egregiè oſtendit Apoſtolus, habitationi terreſtri corporis noſtri, cùm primùm diſſoluetur, ſuccedere gloriam æternam animæ, quæ dicitur domus non manufacta, propter excellentiam ſuam ad animæ capacitatem; Quę uerba interpretans D. Anſelmus in

Exponitur locus 2. Cor. 5.

D. Anſelm.

Com-

Comment.ſuper eumdem locum, ſic ait, *Prædicatores Eccleſiæ poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per mortuorum ſpacia (ſicut Antiqui Patres) Cœleſtis patriæ perceptione differuntur; ſed mox, vt à carnis colligatione exeunt, in Cœleſti ſede requieſcunt, ſicut in hac ſententia demonſtratur. Non enim dicitur, habebimus domum æternam in Cœlis; ſed habemus, quia videlicèt protinus habetur illa domus, ex quo iſta diſſoluitur. Prius autem, quam Redemptor noſter morte ſua, humani generis pœnam ſolueret, eos etiam, qui Cœleſtis patriæ vias ſectati ſunt, poſt egreſſum carnis, Inferni clauſtra tenuerunt, non vt pœna, quaſi peccatores plecteret; ſed vt eos in locis remotioribus quieſcentes, quia nec dum interceſſio mediatoris aduenerat, ab ingreſſu Regni reatus primæ culpæ prohiberet; Nunc autem perfecti quique mox in Regnum ſuſcipiuntur.* Hactenus Anſelmus. Dionyſius Carthuſianus in Elucidatione huius loci D. Pauli, refert tres interpretationes prędictorum uerborum: Alij (inquit) per terreſtrem domum, carnem noſtram paſſibilem, & mortalem; per ædificationem uerò non manufactam, carnem impaſſibilem, glorificatam, in Cœlo perpetuò duraturam intelligunt: ſed hæc interpretatio, quam ſequitur Chryſoſtomus Homil. 10. ſuper eumdem locum, Theophylactus, Theodoretus, & Ambroſius, non eſt ad litteram. Hanc enim domum, ideſt, corpus immortale, antè diem Iudicij non habebimus, cùm tamen Apoſtolus loquatur de eo, quod ſtatim, poſt diſſolutionem corporis animæ perfectorum conſequuntur. Alij uerò per domum iſtam non manufactam, intelligunt Cœlum Empyreum, quod eſt locus, atque Palatium Beatorum; Terrenum uerò domicilium, ut etiam refert Chryſoſtomus ibidem in principio, Mundum hunc ſenſibilem, & ſublunarem. Verùm hæc expoſitio nõ eſt cohærens, neque ſententiæ Pauli correſpondet, cùm in calce capitis antecedentis dixerit, *Si exterior homo noſter corrumpitur, interior renouatur, de die in diem:* & quod ibi appellauit hominem exteriorem, hic appellat terreſtrem domum; Immò ex ſequentibus uerbis, quæ adijcit in 5. cap. uidelicèt; *Dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino*, perſpicuè deprehenditur, quod hic uocat corpus, appellaſſe anteà domum terreſtrem, Tabernaculum, & exteriorem hominem. Alij denique uerius expoſuerunt, ut D. Anſelmus, & Photius apud Oecumenium, & D. Thomas in dictum locum Pauli, & prima ſecundæ quæſtione 4. art. 5. per domum terreſtrem, intelligi hoc corpus noſtrum mortale; per domum uerò æternam, non manufactam, Dei uiſionem, & æternam gloriam; quòd ſanè poſtremis uerbis ſuperioris capitis correſpondet; cũ dicit Apoſtolus. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in Cœlis:* Vbi per põdus æternæ gloriæ, uiſionem Dei intelligi, omnes interpretantur. Nec obſtat, beatitudini nomen, & rationem domus tribui non poſſe, cùm congruentiam ad illam non habeat; Corpus autem rectè poſſe dici domum animæ, cum re uera eius templum ſit: namque beatitudinem uerè, ac propriè poſſe dici domum, docuit Chriſtus Ioann. 14. dicens, *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; ideſt diſtincti gradus pręmiorum in beatitudine, ut omnes exponunt. Eſt autem domus hæc magna, de qua dixit Propheta, *O Iſrael quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius*; de hac Dauid dixit Pſal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine*, & alibi, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in Monte Sancto tuo, &c.* lege Hilarium ſuper Matth. Can. 8. & ſuper Pſal. 65. & 131. & Chryſoſtomum ſuper Pſal. 22.

Huius loci D. Pauli Dio. Carthuſ. tres refert expoſitiones.

D. Chryſoſt.

D. Anſel. Photius. D. Thom.

Ioan. 14.

Pſalm. 83.

Hilar. Chryſoſt.

Pulchram autem Antytheſin, & oppoſitionem facit Apoſtolus, inter uitam corporalem, ſiuè corpus noſtrum mortale, & ęternam beatitudinem. Vocat illam, domum terreſtrem, cùm ex terra, cæteriſque elementis corpus conflatum ſit; hanc uerò domum cæleſtem, quòd pro obiecto habeat Deum clarè uiſum, cuius ſedes cęlum eſt, in quo tamquam in ſuo throno, & ſolio Beatis ſe oſtendit. Pręterea, corpus dicit eſſe domum, quæ diſſoluitur, cùm quotidie ad nõ eſſe tendat; Illam uerò æternam uocat, cùm perpetua ſtabilitate firmetur. Poſtremò uocat iſtam non manufactam, ſignificans, illam eſſe manufactam: corpus enim noſtrum ex generatione ſuſceptum eſt, uitaque noſtra cibo, potuque ſuſtentatur;

Antytheſis inter uitã corpoream, & æternam ex D. Paulo.

Domus

Domus verò cæleſtis ex ſola Dei virtute formatur, cùm in ſolo Deo manifeſtante ſe ipſum nobis, conſiſtat.

Alter locus D. Pauli explicatur.

QVARTVS locus eſt in eodem cap. 5. paulò infrà, *Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Audentes igitur, & ſcientes, quia dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, audemus, & bonam uoluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum; & ideò contendimus, ſiuè præſentes, ſiuè abſentes placere illi:*

Duo hominis deſideria.

In quibus uerbis duo deſideria eſſe in homine inſinuat Apoſtolus, vnum naturæ ad fruendum hac luce corporali; Alterum gratiæ ad uidendam diuinam eſſentiam: iniquorum autem uoluntatem omnia ad deſiderium naturæ, & corporis corruptibilis commoditatem referre. At iuſtorum uoluntatem è contrario ſe habere; cum enim nequeant in corpore mortali Deum uidere, magis appetunt corporis mortem, ut ualeant cum Deo eſſe, eiuſque uiſione frui. Hæc eſt in citatis uerbis Pauli ſententia, ex qua colligitur, dari aliquem ſtatum animæ, in quo à corpore peregrinemur, non autem à Domino, qui ſtatus ſanè nuſquam reperiretur, niſi antè uniuerſalem carnis reſurrectionem Deus clarè uideretur:

Diuerſi ſtatus peregrinationis huius uitæ.

A ſufficienti enim ſtatuum diuiſione uim argumentum ſumet: Datur namque ſtatus, in quo peregrinamur à Domino; ſed non à corpore. *Dum enim*, inquit Paulus, *ſumus in corpore*, id eſt, in hac uita, *peregrinamur à Domino*. Item poſt reſurrectionem dabitur ſtatus, in quo nec à corpore, nec à Domino peregrinabimur; præterea ante reſurrectionem datur ſtatus, in quo & à corpore, & à Domino peregrinamur, putà in Purgatorio, ergò dabitur ſtatus, in quo peregrinandum eſt à corpore, ſed non à Deo, de quo loquitur Paulus; Vndè neceſſariò infertur, ante reſurrectionem animas iuſtorum peregrinantes à corpore, & ab eo ſeparatas, Deum uidere, quod Paulus appellat, præſentes eſſe ad Dominum.

Expoſitio egregia uerborum Pauli ad Epheſ. 4. Pſal. 67.

QVINTVS locus eſt, Epheſ. 4. *Propter quod dicit, aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*. Quod deſumptum eſt ex Pſalmo 67. *Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem*, ubi nomine Captiuitatis, & Paulus, & Dauid intelligunt ueteres Sanctos, qui ante Chriſti mortem, quaſi in carcere, captiui detinebantur; Chriſtus autem aſcendens in altum, hoc eſt in cælum, eos liberauit, & ex captiuitate

D. Hieron.

Infernali ad fœlicem, & optabilem æternæ gloriæ libertatem tranſtulit; ſic Hieronymus in Commentarijs ſuper Pſalmos, exponens citatum uerſiculum, *Cælorum*, ait, *conſcendens excelſa, eos, qui in captiuitate Diaboli tenebantur, abſoluit, ac poſt ſe tamquàm captiuos deductos, æternæ uitæ reſtituit*, Hæc Hieronymus. *Captiuaſti captiuitatem*, ità legunt Euthymius, & Caietanus. ſed quò aſcendit? Vtique in altum, ideſt in excelſum, ut lectio Hæbraica habet, in excelſum quidem, ideſt, in

Ambro.

ſummum cælum, ut Ambroſius ibidem exponit. Nec Euthymij prior interpretatio admittenda eſt, exponens; *In altum, hoc eſt, in Crucem, in qua exaltatus à terra, omnia ad ſe traxit*. Aſcendit ſanè Chriſtus in Crucem, iuxtà illud Canticorum

Cantic. 7. Geneſ. 49. Cyprian. D. Gregor.

7. *Aſcendam in palmam, &c.* & Geneſis 49. *Ad prædam, fili mi aſcendiſti*, de qua Aſcẽſione loquitur Cyprianus, in ſermone de paſſione Domini, dicens, *Aſcendiſti, Domine palmam; quia illud Crucis tuæ lignum portendebat triumphum de Diabolo*, Gregorius in illud Cantic. ait, *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius; quia in Cruce ſuſpenſus, fructum uitæ apprehendit*. Sed verba Dauidis, & Apoſtoli de altera Aſcenſione in cęlum, intelligenda eſſe demonſtrat ipſemet Paulus, poſt pauca ſe explicans, dum ait, *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cælos*. Duxit autem eò animas, quæ in limbo erant, & alias iam purgatas, ut uiſione diuinæ eſ-

Matth. 18.

ſentiæ fruerentur; hoc enim nomine Cęli Scripturæ intelligunt, iuxtà illud Matthæi 18. *Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt*: quam

Qua ratione Cælum, Dei locus eſſe, dicatur. Iſai. 66. Matth. 5.

uis enim Deus ubique ſit, in Cælo tamen eſſe dicitur, quoniam in eo, tamquam in ſede, ut dictum eſt, & aula regia Dei, ſemper eſſentia ipſius ab his, qui digni ſunt, conſpicitur. Eſt Cælum ſedes Dei, Iſaiæ 66. *Cælum mihi ſedes eſt*, eſt Thronus Dei, Matth. 5. *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei eſt*; Eſt locus, ubi per manifeſtationem ſuæ eſſentiæ præſentem ſe oſtendit his, qui cęleſti illa ſede digni ſunt; Eſt

deniq;ue

denique

denique Cœlum, uelum diuinitatis, vt benè Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi.9. quo Deus à mortalibus, qui in Cœlo non ſunt, abſconditur, & cælatur, quemadmodum, & nubes, quæ ſuſcepit IESVM aſcendentem in Cœlum ab oculis Apoſtolorum: Vndè eleganter Paulus ad Hæbræos 9. confert ingreſſum Chriſti in Cœleſte Regnum ingreſſui Sacerdotis intrà velum in Sancta Sanctorum, ſignificans idem eſſe Cœlum, reſpectu diuinæ eſſentiæ, quod erat velamentum illud, reſpectu arcæ Teſtamenti.

Cyril. Hiero

Ad Hæbr 9.
Comparatio.

SEXTVS locus eſt ad Philippen. 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*; vel ut legit Chryſoſtomus, *Mihi vita Chriſtus eſt, & mors lucrum*. Quærit Chryſoſtomus, quam ob rem mors Paulò ſit lucrum? reſpondet, quoniam clariùs, & manifeſtiùs, poſt mortem cùm Deo futurus erat. *Mori igitur*, inquit, *præſtaret potius, quàm viuere, nihil moleſtiæ inferens, qui me occiderent, eò quòd, & ad vitam meam me duxiſſent, & promouebunt; & ab iſta non admodum commoda liberabunt*; ſic Chryſoſtomus Homil. 3. ad Philippen. verſus finem; Itaque mortem homini iuſto lucrum æternæ felicitatis eſſe, patet; quæ ni ſtatim poſt mortem acquireretur, profectò iuſto minimè lucrum eſſet; propter quòd oſtendit Paulus vitæ, in qua fide viuebat, ſe deſideriū abieciſſe; & quidem in hac vita conſtituti lucri quicquam adipiſcimur, dum fructus boni operis afferimus: at lucrum magnum poſt mortem in Dei viſione acquirimus. Vndè inquit, Mors lucrum eſt, reſpectu vitæ præſentis, in carne mortali.

Vera intelligentia verborum D. Pauli ad Philip. 1.
D. Chryſoſt.

Sed ſequentia verba in eodem capite rem hanc manifeſtiùs oſtendunt, ſubdit Paulus, *& quid eligam, ignoro. Coarctor autem ex his duobus, deſiderium habens: diſſolui, & eſſe cùm Chriſto multò magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium magis propter Vos*: præmebatur Paulus anguſtia duorum horum deſideriorum, & quid eligeret, ignorabat; bonum erat mori, & eſſe cum Chriſto, bonum quoque uiuere, propter fratres, illud magis bonum, hoc magis neceſſarium. In qua ſententia, illud ad rem noſtram notandum eſt, cùm D. Chryſoſtomo, loco citato, non eſſe bonum diſſolui, ſeu mori; eſt enim mors, ſecundum ſe ex indifferentibus; ſed diſſolui, & eſſe cùm Chriſto; *neque bonum*, inquit, *eſt, mori; ſed poſtquàm mortuus fueris, apud Chriſtum eſſe: iſthuc bonum eſt*. Supponit igitur Paulus, ut etiam D. Ambroſius in eodem loco annotat, ſe ſtatim poſt mortem potuiſſe eſſe cùm Chriſto, ac proindè in Cœlo, in quo conſtat, Chriſtum eſſe; allàs fruſtrà id Paulus, tamquam melius, deſideraſſet: *Habet enim deſiderium*, inquit Ambroſius, *excedere, & cum Chriſto eſſe, exiſtimans multò melius, vt iam præſens, ſit apud Deum, ut exoptatis, ac promiſſis fruatur*. D. Chryſoſtomus Homil. 4. in Epiſtolam ad Philippen. in principio, ſic ſcribit, *Quid dicis Paule? cùm hinc abiens, in Cœlum ipſum migraturus ſis? atque cum Chriſto futurus ſis? ignoras quid eligere debeas?* Et multa proſequitur in hanc ſententiam: ex quibus colligitur, iuſtos ſtatim poſt mortem diuinitate, ac Chriſti præſentia frui, &c.

Quomodo bonum ſit diſſolui, ſeu mori.
D. Chryſoſt.
D. Ambroſ.
D. Chryſoſt.

SEPTIMVS locus habetur ad Hæbræos 9. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*, quæ uerba Primaſius, Theophylactus, Anſelmus, Oecumenius, Carthuſianus, Caietanus, & alij in hunc modum exponunt; quòd toto tempore Veteris Teſtamenti, dum durauit ſtatus cæremoniarum legalium, uia Sanctorum ad Cœleſtem patriam aperta nō erat; ſicut cortina illa Tabernaculi populum, & Sacerdotes detinebat, nè in Sancta Sanctorum ingrederentur: Vndè animæ etiam iuſtiſſimæ tunc ad Inferos deſcendebant; At per mortem Chriſti, uelo Tabernaculi remoto, immò à ſummo uſque deorſum conſciſſo; ceſſantibus figuris; iam uia ad Sancta Sanctorum Regni Cœleſtis patefacta eſt, iuxtà illud Pſalmi 15. *Notas mihi feciſti vias vitæ, & adimplebis me lætitia cùm vultu tuo, &c.*

Locus ad idē probandū adducitur, & explicatur, ex Epiſtola ad Hæbr. 9.
Pſalm. 15.

OCTAVVS locus eſt, ad Hæbræos 12. *Sed acceſſiſtis ad Syon montem, & Hieruſalem Cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam Primitiuorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, & Spiritus iuſtorum perfectorum, &c.* Vbi Paulus deſcriptionem faciens Cœleſtis Ciuitatis Hieruſalem triumphantis, primos illius habitatores enumerat Angelos, deindè animas Primitiuorum, ideſt, Apoſtolorum,

Ad Hæbr. 12. quid doceat Paul.

item

item Spiritus Iuſtorum perfectorum, qui iam de hoc ſæculo tranſierunt, & poſt Apoſtolos ad Regnum Cœleſte peruenerunt; quorum omnium illos ſocios futuros eſſe in Cœlis dicit. En apertè dicit Paulus, animas Sanctorum iam nunc conſcriptas eſſe cùm his, qui ſunt in Cœlis, ideſt, in ordine, & ſorte Angelorum deputati; ſic habet Anſelmus eo in loco, dicens, *Omnes iuſti quicumque in factis, & dictis & cogitationibus perfecti ſunt, mox vt animas de corporibus emittunt, Cœleſtibus habitaculis inferuntur.*

D. Anſel.

Locus Apoc. 6. exponitur. Anſel. Riccar. Greg. Auguſt. Beda. Aymo. Iſai. 65. D. Auguſt.

Nonvs locus habetur Apocalypſis 6. vbi Martyrum animæ ſingulæ albas ſtolas recipiunt, ideſt, gloriam Beatitudinis eſſentialis, ut exponunt Anſelmus in illum locum, Riccardus de Sancto Victore libro 2. in Apocalypſim cap. 8. nec nõ Gregorius in quartum Pſalmum pœnitentialem, & Auguſtinus ſerm. 40. de Feſto Innocentium. Interim expectare iubentur, donec alteram ſtolam, ideſt, gloriã corporis, poſt reſurrectionem recipiant, ut Beda, & Haymo ibidem: Tunc enim, ut Eſaiæ 61. dicitur, *In terra ſua duplicia poßidebunt*; Auguſtinus Homil. 6. ſuper Apocalypſim, Ambroſius, & Ansbertus egregiè hunc locum Apocalypſis explanant, quos legito.

Apocal. 7. locus explicatur.

Decimvs locus habetur Apocalypſis 7. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt ante Thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in templo eius.* Quis igitur negabit, animas iuſtorum, nec ante Thronum Dei iam eſſe, nec in templo eius, ideſt, in Cœlo ei inſeruire? Neque enim Angeli hi cenſendi ſunt, qui amicti ſtolis albis ante conſpectum Dei ſunt; cùm Ioannes apertè dicat, *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, ideſt, in Sacro Baptiſmate, ut D. Bernardus, in ſermone primò de Paſchate, exponit.

D. Bernar.

Locus ad Hebræos 11. ad idem exponitur. D. Anſel.

Vndecimvs locus ad Hæbræos 11. *Per fidem Sancti vicerunt regna; adepti ſunt repromißiones:* quem locum D. Anſelmus intelligit de retributione ęternę beatitudinis, Animę enim eorum, quos ibi enumerat Paulus, Dauidis ſcilicèt, Samuelis, Samſonis, & reliquorum, eo tempore, quo Paulus hęc ſcripſit, iam habebant repromiſſiones ſecundùm animam in Cœlis. Nec obſtant ea, quę in fine eiuſdem capitis Apoſtolus dicit, *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromißionem*; nam, vt idem Anſelmus ibidem rectè ponderat, cùm hic vtatur Apoſtolus uerbo repromiſſionis in ſingulari, utique eam repromiſſionem illos non accepiſſe intelligit, quæ ad corporis reſurrectionem pertinet: ac proindè ſubiungitur, *ut non ſine nobis conſumentur*, hoc eſt, ut non percipiant beatitudinem animę, & corporis ſine nobis; quam conſumatam, ut communem, omnes in die reſurrectionis habituri ſumus.

Eccleſ. 11.

Vltimvs locus eſt ex ueteri teſtamento Eccleſiaſtici 11. *Facile eſt, coràm Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias eius:* Diuina ergò retributio ſemper cuique datur, ſecundùm eius meritum, prout ſtatus eius requirit in die mortis. Quocircà non eſt uis facienda, quòd cùm hæc ſcripſit ſapiens, non eſſet uerum, dari animabus remunerationem beatitudinis eſſentialis in die mortis; cùm Cœlum in die mortis apertum non eſſet. Nam uerba ſapientis intelligenda ſunt de retributione, quę diuerſis ſtatibus, pro temporum diuerſitate, competere poterat: & quemadmodum Sinus Abrahæ tunc ſtatim poſt obitum dabatur, iuxtà illud Lucæ 16. *Nunc verò hic conſolatur; tu verò cruciaris:* ſic poſt Chriſtum his, qui digni ſunt, beatitudinis æternę, poſt diem obitus, retributionem concedi, fatendum eſt. Id enim Deo non difficilè; ſed facilè, & conſuetum eſt; ſicut etiam. *Facilè eſt in oculis eius*, ideſt, ſolet Deus, *ſubitò honeſtare pauperem*, ut eodem loco Sapiens aſſerit.

Luc. 16.

Conſuetudo Eccleſiæ ad præſentẽ beatitudinem iuſtorum comprobandam. Oro D. Gregorij, & aliæ.

Secvndo principaliter probatur ueritas illa Catholica ex ritu Eccleſię; hęc enim in publicis Collectis, & orationibus, quas in Miſsæ ſacrificio recitat, animas Sanctorum in ęterna beatitudine collocatas eſſe teſtatur. Sic habet in oratione D. Gregorij, *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti*; & in collectis Defunctorum, pręcipuè in illa; *Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, Beata Maria ſemper Virgine intercedẽte, cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ*

beatitudinis

beatitudinis conſortium, peruenire concedas, &c. atque etiam in omnibus precibus, quę pro commendatione animę, quando è corpore egreditur, funduntur, perſpicuè uidere eſt. Adde quòd ex ritu pſallendi gręcorum, & carmina in honorem Sanctorum cantandi, ut ex Damaſceno in ſecundo tono octaui toni, & ex Theophane, apud Gennadium, de fruitione Sanctorum ſectione quinta habetur, hęc ueritas eleganter probatur.

Damaſc. Gennad. Theophanes.

TERTIO ex Conciliorum, & Pontificum Decretis habetur hæc ueritas. In Cõcilio Florentino, ſeſſione vltima, ſub Eugenio IIII. in Decreto unionis Græcorum, & latinorum, & in Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. in Can. de Inuocat. & ueneratione Sanctorum. Eamdem ueritatem expreſſis uerbis definit Innocentius III. in Cap. *Maiores*, extrà de Baptiſmo, & eius effectu, & in Cap. *Apoſtolicam*, extrà de Preſbytero non baptizat. & Benedictus XII. in extrauaganti, quæ incipit, *Benedictus Deus*, vbi poſt multas diſceptationes, id tandem definiuit. Tenor illius extrauagantis refertur à Caſtro, lib. 3. contra hæreſes, uerbo Beatitudo, hereſi 6. Nec obſtat, Ioannem XXII. aliter definiſſe, & declaraſſe; immò etiã iuſsiſſe Pariſienſibus, ut refert Gerſon in ſermone de Paſchate, Ocham in opere nonaginta trium dierum, Marſilius in 4. quæſt. 13. artic. 3. & Adrianus in 4. in diſputatione de Sacramento Confirmationis; nam, ut narrat præfatus Benedictus, qui immediatè ſucceſſit Ioanni XXII. dũ hic in Conſiſtorio publico ſe accingeret ad id definiendum, præſentibus Cardinalibus, multiſque Prælatis, ac Magiſtris in Theologia, morte præuentus, ſicut Domino placuit, huiuſmodi quæſtionem non terminauit; quinimmò Ioannes Villanus illius temporis hiſtoriographus lib. 11. hiſtoriæ de rebus Florentinorum cap. 19. ſcribit, præfatum Papam Ioannem retractaſſe ante mortem ſuam ſententiam, declarando ſe in omnibus ſuis locutionibus, & Scripturis de hac re, non per modum definitionis; ſed ad inquirendam dumtaxat ueritatem, per modum diſputationis proceſſiſſe; immò etiam primam ſuam ſententiam, tùm Philippi Regis Galliæ monitu, tùm Cardinalium ferè omnium oppoſitione, ut cap. vltimo lib. 10. Villanus refert, condemnauit; amplectens eam, quæ dicit, Sanctorum animas, antè corporum reſurrectionem Deum videre; in omnibus ſuis opinionibus ſe Eccleſiæ Catholicæ ſubdens. Plura de iſto Ioanne XXII. legenda ſunt apud Bellarminum lib. 4. de Pontifice ca. 14. & li. 1. de beatitudine Sanctorum, cap. 2. vbi callida Caluini mendacia de hac re, ſapienter aperit.

Idem probatur auctoritate Pontificũ, & Conciliorum. Conc. Flor. Conc. Trid. Innoc. III. Bened. XII. Caſtro. Obiectionis diſſolutio. Gerſon. Ochan. Marſil. Adrian. Io. Villanus. Bellarm.

QVARTO, probatur idem teſtimonijs ueterum Patrum tam ex Græcis, quàm ex latinis: Omnes quippè hanc ueritatem expreſsè, & luculenter expoſuerunt, ac docuerunt.

D. IGNATIVS in Epiſtola ad Romanos ſæpiùs repetit, per Martyrium ſe ad Dei viſionem peruenire, Chriſtum inuenire, eoque frui: *Sinite*, inquit, *me puram lucem aſpicere, illuc perueniens, homo Dei ero*; & iterum, *miſerabilis ſum nunc donec Deum merear adipiſci*; & rurſus, *Aqua uiua manens in me, intrinſecùs mihi dicit, veni ad patrem*; Ex quibus uerbis, error Græcorum, & Caluini conuincitur: dum Ignatius dicit, ſe poſt obitum illicò cum Deo futurum, illicò puram lucem, id eſt, diuinam eſſentiam conſpecturum, illicò Chriſtum adepturum; quòd ſi apud Inferos erat migraturus, quomodo cùm Chriſto, qui in cælo eſt, futurus erat? quomodo ad Patrem ibat, ſi ad receptacula abdita Inferorum deſcenſurus erat?

Ad idem demonſtrãdum adducuntur Sancti Patres tam græci, quam latini. D. Ignatius.

B. DIONYSIVS Areopagita in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, par. 1. cap. 7. dum loquitur de Sanctis, cùm ultimum diem agunt; *Norunt*, inquit, *profectò ſe totos percepturos exactiſſimam ad Chriſti ſpeciem, requiem, cùm ad præſentis vitæ finem peruenerint, uiamq; ad immortalitatem ſuam è uicino iam clariùs intuentes, diuinitatis laudant munera, diuinaq; lætitia geſtiunt, non iam ad deteriora conuerſionem metuentes; ſed parata bona ſe firmiter, perpetuoq; habituros, probè noſcentes, &c.* Quæ uerba rectè exponi debent, ibi enim nomine immortalitatis, non animæ, uel carnis immortalitatem intelligit, cùm illam iam poſſiderent; hanc verò non è uicino, ſed vſque ad ultimum diem iudicij, adepturi non eſſent; ſed uitam æternam, de qua

D. Dionyſius.

Chriſtus

Chriſtus ait, *Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant, &c.* Illa enim eſt uera immortalitas, quæ coniungit nos Deo, qui ſolus habet immortalitatem, & *Lucem inhabitat inacceſſibilem*, ut inquit Paulus prima ad Thimoth. 6.

1. Thim. 6.

Idem Dionyſius in par. 3. eiuſdem libri, & capitis, multis uerbis agens de ritu ſepulturæ fidelium, inter cætera ſic ſcribit: *Porrò diuinarum promiſſionum cantica, & lectiones explicant beatiſſimam requiem, ad quam ſubuehuntur ſempiternè, qui ſanctè conſumati ſunt*. Nil certè clarius dici potuiſſet. ſed & alia uerba, quæ inferius profert, nulla obſcuritate laborant: *Iſta, ut reor*, inquit, *perſpicuè ſunt beatiſſima Sanctorum præmia, quid enim immortalitati perfectâ, omniq́; triſtitia uacua, ac plenæ perpetui luminis conferri poteſt? licèt multum ſanè promiſſiones illæ ſublimiores noſtra mente ſint, quæ vocabulis nobis congruis deſignantur; longè tamen inferiores earum re, & ueritate appellationes habent, illud enim eloquium uerum profectò exiſtimandum eſt, quod oculus non uidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, &c.* certè hæc omnia ſolùm de æterna gloria uerificantur.

S. Irenæus.

S. Irenaevs libro primo cap. 2. oſtendens, non omnibus animabus iuſtis ſtatim uiſionem Dei concedi; ſed quibuſdam tantùm, ut eis, quę ſtatim, poſt Baptiſmum à corpore ſeparantur, uel, quæ cùm merito Martyrij, aut ſummo meritorum cumulo diſcedunt ex hac vita; cæteris verò non niſi peracta Pœnitentia, hoc eſt, ſatisfactione in Purgatorio: ſic ſcribit; *Iuſtis, & æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex Pœnitentia, uitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat*. Hæc ille. Vnum certum eſt, ante diem Iudicij, æternam claritatem, id eſt, beatitudinem eſſentialem animabus concedi. Quod expreſſis uerbis idem Irenęus lib. 2. cap. 63. ſcripſit; *Per hæc*, inquit, *manifeſtiſſimè declaratum eſt, & perſeuerare animas, &c. & dignam habitationem, unamquamq́; gentem percipere, etiam ante diem Iudicij*; Cælum autem dignam habitationem Animabus iuſtis eſſe, ex Scripturis Sacris ſuperiùs oſtenſum eſt. Quod autem idem Irenæus in calce capituli 13. 5. libro habet, uidelicèt, animas Sanctorum poſt obitum in inuiſibilem locum à Deo eis definitum abire, & ibi uſque ad reſurrectionem commorari, & poſt reſurrectionem recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt corporaliter, ſic uenire ad conſpectum Dei; nos mouere non debet, cùm ſolùm ſignificet, animas beatas ſine corpore adhuc non eſſe in illa perfecta beatitudine, in qua Chriſtus eſt, qui anima, & corpore beatus eſt. Vocat autem inuiſibilem locum, ipſum Cælum, quod mortali naturæ inacceſſibile eſt: nam ſi ex Irenæi ſententia in eodem loco, Diſcipuli Chriſti ipſum imitari debent, in morte, requie, & reſurrectione, & cùm Chriſtus non niſi poſt triduum ſepulchri, quantum ad corpus, beatus fuerit; quamquamuiam anima eius beata erat, & in Paradiſo, iuxtà illud, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, argumento eſt, Sanctos quoque, dum eorum corpora in ſepulchris quieſcunt, quantum ad animas in Cęlo beatos eſſe.

Origenes.

Origenes lib. 2. Periarchon cap. 12., quamuis in eo fuerit errore, animas ſcilicèt Sanctorum ſeparatas à corpore, per uaria loca, & uirtutum progreſſus gradatim proficere, concludit tamen, ante Iudicium pleraſque earum tandem deduci ad Cælum, Deumque uidere. Exiſtimauit enim, eas primùm deduci ad locum aliquem terreſtrem, ut ſordes eluerentur, deinde ad aereum locum, in quo quædam ſublimiora ediſcerent, denique ad Dei uiſionem in Cęlis; Verba eius ſunt hæc, *Si quis mundus corde, & purior mente, & exercitatior ſenſu fuerit, citò ad aeris locum aſcendet, & ad cælorum regna perueniet*. Et in homil. 7. in Leuiticum, negat tantùm Sanctos, etiam Apoſtolos, adhuc recepiſſe perfectam lætitiam, ideſt, cùm corporis conſortio; quòd utique erit, cùm nos etiam erimus, ubi nunc ipſi ſunt: addit quoque, non dum Chriſtum habere perfectam lætitiam, ſcilicèt accidentalem, quia non dum in Cælo habet omnia membra ſua, ideſt iuſtos in corpore glorioſos.

D. Athanaſ.

D. Athanasivs in vita D. Antonij ſcribit, Beatum Antonium, animam Ammonis, Angelis aſſociatam, aſcendere Cælum conſpexiſſe.

D. Basilivs

D.Baſil.

D.Basilivs Homil.in Quadraginta Martyres,ſic ait,*Vos non terra occuluit,ſed Cœlum ſuſcepit,aperta ſunt Vobis Paradiſi porta:* & in oratione in Gordium Martyrem, inquit, *Affectus eius erit, non vt qui in lictoris manus deuenturus eſſet, ſed velut Angelorum manibus ſe ipſum commiſſurus, qui ſtatim ipſum recens mactatum, aſſumptum ad beatam vitam translaturi eſſent.*

Nyſſenus.

D.Gregorivs Nyſſenus in Diſputatione de anima, & reſurrectione cũ Sorore Macrina,in principio, dicit *Cùm ingens ille vir inter Sanctos Baſilius, ex humana vita ad Deum migraſſet.* & in oratione in Sanctum Ephræn, pulchrum teſtimoniũ huius ueritatis ſcriptum reliquit: *In Cœleſtibus Tabernaculis,*inquit,*animus illius cõſedit,vbi ſunt ordines Angelorum,vbi Patriarcharum populi,vbi chori Prophetarum,vbi ſedes Apoſtolorum,vbi gaudium Martyrum, vbi Piorum lætitia, vbi Doctorum ſplendor,vbi celebres Primogenitorum cætus, vbi pura lætantium voces,* & infrà ait, *Tu verò diuino aßiſtens altari, vitaque Principi, & Sacroſancta vnà cùm Angelis ſacrificans Trinitati,omnium noſtrum recordare,nobiſque peccatorum veniam impetra.*

Idem in oratione de Dormientibus plura in hanc ſententiam dicit, & paulò poſt principium. *Eximitur enim ab omnium harum,& talium rerum neceßitate vita illa immaterialis,& incorporea,qua nulla re amplius opus habet:in qua id, quod continet, atque conſeruat animæ ſubſtantiam,non humidi,& ſicci nutrimenti vſus; ſed diuina natura contemplatio eſt.Pro eo autem, quem ex aere haurimus, & ducimus ſpiritum, veri, & Sancti Spiritus eſſe communionem,non ambigimus: Quarum rerum fruitio,ac delectatio non ad ſimilitudinem huius vita,vicißitudine variata per habitum, & priuationem, tùm ingrediendo,tùm exercendo; ſed ſemper implendo,ac numquam ſatietate impletionẽ circumſcribendo,atque definiendo fit. Non enim graues,ſed inexplebiles ſunt intellectuales deliciæ,omni tempore participãntium cupiditatibus inſatiabiliter affluentes,& abundantes. Idcircò beata quædam, integra, ac immortalis eſt illa vita, qua iam non amplius errore inducta in voluptatibus,quas ſenſuum vaſis, & inſtrumentis percipimus, bonum ineſſe iudicet.*

Idem in Oratione habita in funere magni Meletij Epiſcopi Antiochiæ in principio ſic dicens, *Auxit nobis numerum Apoſtolorum nouus Apoſtolus, qui cooptatus eſt in ordinem Apoſtolorum. Traxerunt enim Sancti ad ſe moribus conſimilem, Athletam Athletæ:coronatum coronati:animo caſtum,corde puri; præconem ſermonis,miniſtri ſermonis.Verùm pater quidem noſter Apoſtolici contubernij, & ad Christum reſolutionis nomine beatus habendus eſt, nos verò miſerabiles.*

Præterea in calce eiuſdem Orationis ſic ſcribit,*Non ablatus eſt à nobis ſponſus,in medio noſtrum ſtat,etiamſi nos non videamus. In adytis, ac penetralibus Sacerdos eſt,in interioribus veli,quò præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Christus,reliquit carnis tegumentum,non amplius ſigno,& vmbra Cœleſtium ſeruit, ſed in ipſam rerum imaginem intuetur:non amplius per ſpeculum,atque per trãſennam, & ænigma: ſed ipſe facie cum facie colluta intercedit apud Deum. Intercedit autem pro nobis,& populi erratis.Depoſuit tunicas pelliceas;neque enim talibus tunicis opus habent,qui in Paradiſo degunt;ſed habet indumenta,quæ puritate vitæ ſuo contexuit,ijſque ſeſe exornauit.Honorata,ac præcioſa coràm Domino talis Viri mors eſt. Immò verò non mors, ſed ruptura membrorum eſt. Dirupiſti enim, inquit,uincula mea. dimiſſus eſt Simeon,liberatus eſt à vinculis corporis. Laqueus contritus eſt,& auicula auolauit. Reliquit Aegyptum, materialem,& craſſam vitæ rationem tranſiuit,non rubrum hoc,ſed nigrum illud,& caliginoſum vitæ mare. Ingreſſus eſt terram promißionis; In monte cum Deo philoſophatur;ſoluit animæ calciamentum,vt pura planta mentis terram ſanctam, vbi conſpicitur Deus,conſcenderet.* ſic Nyſſenus.

Nazian.

D.Gregorivs Nazianz.in Oratione in Laudem Baſilij in fine ita habet.*Tu verò ſacrum, & diuinum caput nos cœlitus inſpicias, carniſque ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam datum, aut precibus tuis ſiſtas, aut perſuadeas, vt forti animo perferamus, noſque poſtquàm ex hac vita migrauerimus, tabernaculis tuis excipias,ut ſimul viuentes Sanctam,ac beatam Trinitatem, cuius nunc exiguam ſpeciem, & imaginem accipimus, puriùs,perfectiuſque conſpicientes,deſiderijs noſtris finem imponamus.*

Et in eadem.*Tu,*inquit,*obiter è Cœlo nos reſpice, & datam mihi renum debilitatem,*

cifixus eſt, ſepultus ſit, ut primus ſanguinis Chriſti uirtutem ſentiret, qui peccati auctor primus fuit; ità Origenes tract. in Matth. 37. Athanaſius in lib. de Paſſione Domini, Euthymius in cap. 27. Matthæi, Cyprianus in ſermone de Reſurrectione, Ambroſius lib. 5. Epiſtola 19. & alij, quos citat Pererius lib. 7. in Geneſim in diſputatione de hac ipſa re, qui etiam reſpondet D. Hieronymo aſſerenti, Adam in Ciuitate Hebron ſepultum eſſe.

Orig. Athan. Euthym. Cyprian. Ambroſ. Pererius.

Pœnæ multorum numerãtur ex Sacris literis, poſt remiſſam culpam.

Pœnæ Adami, & Euæ. Geneſ. 3.

IGITVR Adamo, quod etiam de Eua dicendum eſt, fuiſſe remiſſam culpã, reconciliatumque Deo obijſſe, pro certo ponẽdum eſt. Atqui Primum Parentem, poſt culpam remiſſam, multas, grauesque pœnas ſuſtinuiſſe, atroceſque peccati punitiones à Deo inflictas pertuliſſe, Caput Tertium Geneſis abundè docet: *Maledicta* (dictum eſt illi à Domino) *Terra in opere tuo, in laboribus comedes ex eacũctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Et Euæ in pęnam peccati dictum eſt, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub Viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Deindè eiecti ambo de Paradiſo voluptatis, filiorum diſſidio, & in altero eorum, fratricidio puniti ſunt.

Numer. 20. Deuter. 32. Pœna Moſis, & Aaronis.

SED agè, ad alias auctoritates pergamus. Moyſes, vt legitur Numerorum 20. & Deuteron. 32. cum fratre ſuo Aarone ad aquas contradictionis peccatum diffidentiæ, & incredulitatis commiſit; cuius & ſi ſtatim eos pęnituit; pęna tamen à Deo illis ob tale crimen definita, condonata non fuit, cùm nunquàm terram promiſſionis ingreſſi fuerint, prout Dominus illis comminatus fuerat, immò ambo pœna mortis in deſerto plexi ſunt. *Pergat*, inquit, *Aarõn ad Populos ſuos; non enim intrabit terram, quam dedi filijs Iſrael, eò quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis; tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in Montem Hor. Cumque nudaueris Patrem veſte ſua, indues eã Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi.* De Moyſis autem morte in Monte, locutus eſt Dominus, Deuteron. loco citato, Num. 14. filijs Iſrael, qui murmurati fuerant contrà Dominum, ad preces Moyſis, Deus pepercit; pœnam tamen illius peccati non relaxauit; *Dimitte, obſecro*, inquit Moyſes, *peccatum Populi tui huius, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Aegypto, vſque ad locum iſtum*, dixitque Dominus, *Dimiſi iuxtà verbum tuum, viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra, attamen omnes homines, qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Aegypto, & in ſolitudine, & tentauerunt me, iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum, nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam*.

Supplicium Mariæ ſororis Moſis ex Numer. 12.

Numerorum 12. Maria ſoror Moyſis, obtenta venia de peccato, quo in Moyſem murmurauerat, lepræ pæna plectitur, & per ſeptem dies, iubente Domino, extrà Caſtra ſeparata permanſit.

Oziæ flagellũ ex 2. Paral. 26

Secundo Paralip. 26. Ozias Rex Sacerdotis officium, contra diuinum præceptum, vſurpauit; *Non eſt tui officij Ozia*, (dixit ei Azias Sacerdos) *vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum*; & poſt actam pænitentiam, illicò ſenſit plagam Domini, fuitque leproſus vſque ad diem mortis ſuæ.

Pœnitentia Dauidis 2. Regum 13.

Secundo Regum 13. Dauid Rex, grauitatem criminum, adulterij ſcilicèt, & homicidij, quæ commiſerat, agnoſcens, culpæ à Deo remiſſionem obtinuit; *Tranſtulit* (inquit ei Nathan Propheta) *Dominus peccatum tuum*; Verùmtamen, remiſſa culpa, multas pænas, & calamitates, propter ſcelera perpetrata, illi reſiduas eſſe, ſignificauit. Vndè & morte filij punitus fuit.

2. Reg. 24.

Secundo Regum 24. Dauid egit pænitẽtiam de peccato, quo Populum, ex Dei diffidentia, numerari fecit, & veniam conſecutus, ulterius ad ſatisfactionem, per pænam, cuius tamen electionem Dominus ei reliquit, conſtringitur, unde peſtilẽtia grauiſſima graſſans in Populum, illi pro pæna fuit. Neque his pęnis Dauid affectus fuit, quò paternis correctionibus admonitus, caueret futurum peccatum, ut Caluinus commentatur; Nam verba ipſa ſcripturæ, cauſam mortis filij præte-

ritum

ritum peccatum aſſignant. *Quia,* inquit textus, *blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini,propter Verbum hoc,filius,qui natus eſt tibi,morte morietur.* Quod clarius Sanctus Gregorius lib.9.Moral.cap.27.explicauit dicens, id factum eſſe, quia *Dominus delictum ſine vltione non deſerit.*

D.Gregor.

Danielis 4. Propheta Daniel admonet Regem Babylonis,ut peccata ſua eleemoſinis redimat, *Rex,* inquit, *conſilium meum tibi placeat,peccata tua eleemoſinis redime,& iniquitates tuas,miſericordijs Pauperum;forſan ignoſcet Deus delictis tuis.* Si ſola fide, vt Hæretici iactant (licèt enim aliquandò aduerſarium ſuomet gladio perimere)peccata diluuntur,profectò hæc uerba Danielis,non ad culpæ, ſed pœnæ remiſsionem referenda ſunt,& potiùs Propheta adhortatus fuiſſet illum ad fidē, ſi de purgatione culpę conſilium dediſſet,quàm ad eleemoſinarum erogationem. Verba igitur Prophetæ de redemptione pęnæ accipienda ſunt, (reatus enim culpæ propriè per eleemoſinas non remittitur, cùm quis poſsit illas facere, & eſſe in peccato) quæ peccati Redemptio per eleemoſinas, inter cætera ſatisfactionis opera enumeratur;ſic etiam intelligenda ſunt uerba Chriſti, Lucæ 11. *Quod ſupereſt,date eleemoſinam,& ecce omnia munda ſunt Vobis.*

De remiſſione pœnæ pro peccato Regis debitæ, ex ponuntur uerba Danielis 4

Lucæ 11.

Mvlta alia Scripturæ teſtimonia afferri poſſent; ſed apud Caſtrum, & Medinam legantur;eſt enim res clariſsima in Scripturis. Certè D. Paulus prima Corinth.11.pœnam,propter peccatum indignæ aſſumptionis Euchariſtiæ,illā pronunciat,quod multi in illa Corinthiorum Eccleſia corporali ęgritudine,immò etiam morte,plexi ſint,licèt plérique eius culpæ remiſsionem accepiſſent,ut uerisimilè eſt in tanta multitudine accidiſſe.

1.Corint.11.

Medina de Indulg. diſput.1.cap.1.annectit quoque exemplum Cain, quòd hic ſui peccati pœnitentiam egerit,multiſque pęnis mulctatus,tandem ſaluus factus fuerit;adducitque D.Hieronymum in Epiſtola 125.ad Damaſum,id ſentiētem. At nec uerùm eſt, Cain fructuoſam pęnitentiam egiſſe;neque D.Hieronymum id affirmaſſe. Aperta ſunt uerba illa Geneſis 4. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear;* Quæ eſſe omninò deſperantis uerba, non pęnitentiam agentis,omnes Patres,tàm Græci,quàm Latini,interpretantur; excepto uno Chryſoſtomo,qui in Homil.19.in Geneſim,dixit,Cain ſic locutum fuiſſe,non per deſperationem diuinæ miſericordiæ,ſed ut ſceleris à ſe commiſsi, plenam Deo confeſſionem faceret,quamuis,ut intempeſtiuam, & minus opportunam,eam pęnitentiam,infructuoſam quoque fuiſſe aſſerat; *Sufficiens,* inquit, *fuit confeßio, ſed intempeſtiua.*

Vtrum Cain veram, & bonā egerit pœnitētiam. Medina.

Geneſ.4.

D.Chryſoſt.

Caietanvs ſuper Geneſim,potiùs putat,grauitatem ſui delicti, Cain per illam orationem propalaſſe,quàm deſperationem;dubitaſſe tamen, an cuique liceret, illum occidere,ut indicare uidentur uerba ſequentia. *Ecce eijcis me hodie à facie terra,&c.* Medina,ea uerba Cain hunc ſenſum habere credit,etiam ſecundum lectionem ſeptuaginta Interpretum. *Maior eſt cauſſa mea,quàm vt remittenda mihi ſit,quibus profectò verbis, de ſuis meritis, de cauſæque grauitate, non item de Dei bonitate, aut potentia diffidit, qua diffidentia tantum abeſt, vt peccatum in Caino fuerit, vt potius ad veram pœnitentiam,neceſſaria videatur fuiſſe.* Sic Medina. Pagninus, Hæbraicam Lectionem ſequutus,ſic uertit, *Maior eſt Punitio mea,quàm vt feram,* ideſt,iniquitatis meæ punitio maior eſt, quàm ut poſsim eam uinus ferre, quæ uerba ſolam ſui peccati atrocitatem arguunt, impotentiamque ad ſententiam, quàm Dei Iuſtitia in illum tulerat,declarant. Sed hæ interpretationes alienæ ſunt à germano ſenſu Scripturæ,qui ab Interpretationibus Patrum petitus,ad grauitatemque non pœnę,ſed culpę relatus; ſignificat,quòd putauerit Cain,peccatum ſuum prorſus fuiſſe irremiſsibile; in quo grauiùs peccauit, quàm in fratricidio.

Medina.

Pagninus.

Vervm ex alijs locis Scripturæ, Cain ſceleratiſſimum hominem, perditiſſimumque, ac reprobatum ſine ulla dubitatione cognoſcimus; ex Epiſtola Iudæ cap.1. non ne apertum habemus teſtimonium? *Væ illis, qui in via Cain abierunt, errore Balaam, mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core abierunt;* Quos deindè, *Nubes ſine aqua, quæ à uentis circumferuntur, Arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas,*

Improbitas Cain.

Epiſtola Iudę cap.1.

mortuas, eradicatas, fluctus feri Maris, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum, appellat; Vides Cain animæ punitionem? atque eius, & aliorum impiorum extremum interitum? Deindè ex prima Ioannis 3. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum, & propter quid occidit eum? Quoniam opera ipſius maligna erant; fratris autem iuſta*; Quem locum de ultima eius reprobatione, omnes interpretes accipiunt. Nec longa mortis dilatio, miſericordiam Dei erga Cainum oſtendebat, ſed potiùs ſeueriorem iuſtitiam, ut diuturnior eſſet, acerbiorque eius cruciatus; Cùm enim ſeptem peccata commiſerit, ut enumerat Hieronymus loco citato (Malè enim ſacrificauit, fratri ſuo inuidit: Dei admonitionem contempſit: per fraudem, & dolum fratri locutus eſt: crudeliter eum interemit: procaciter Deo cædem eius negauit: denique ſceleris admiſſi ueniam deſperando, ſe ipſum damnauit;) ſeptem quoque uindictas exoluere debebat, ut hoc exemplo poſteri diſcerent, uti benè Pererius annotat, quàm ſit formidandum, Dei monita, & documenta contemnere; quàm ſceleratum, alijs diuinam gratiam inuidere; quàm execrandum per dolum, & fraudem nocere alijs; denique quàm horrendum, hominum, præſertim autem ſuorum neceſſariorum, ſanguine animum, manuſque imbuere, atque contaminare. Neque his, quæ dicta ſunt, contrarius eſt Hieronymus, cùm ex aliorum ſententia dicat, *Tradunt illum à Clementiſſimo Deo ideò uſque ad ſeptem generationes fuiſſe dilatum, ut ſaltem malis ipſis, & longæuitate mæroris compulſus, Pœnitentiam ageret, ut mereretur abſolui.*

1 Ioan. 3.

Septem peccata Caini ex D. Hier.

Pererius.

Auctoritates Patrum, aſſerentium, remanere pœnam ſoluendam, remiſſa culpa.

SED ad rem noſtram, Sanctorum Auctoritatibus, pœnam interdum, remiſſa culpa, luendam quoque eſſe, & ſatisfactionibus expungendam, confirmemus:

D. Chryſoſt.

D. CHRYSOSTOMVS, Homil. 11. in Matthæum, verſus finem, tractans illa uerba Matthæi 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, ſic ſcribit. *Quo autem modo fructificare poterimus? ſi utique peccatis aduerſa faciamus; aliena rapuiſti, & tu cœpe donare iam propria; longo es tempore fornicatus, à legitimo quoq; uſu ſuſpendere coniugij, ac perpetuam continentiam ſæpiùs paucorum dierum caſtitate meditare; iniurias uel opere cuiquam, uel ſermone feciſti, refer benedictionis uerba conuicijs, & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende: neq; enim uulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore euellere, ſed etiam remedia adhibere uulneribus. Delicijs ante, & temulentia diffluebas, ieiunio, & aquæ potu utrunq; compenſa, ut famem ſuperes imminentem. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis; fœminam tam omninò non uideas, maiore tactus cautione poſt uulnera.*

D. Greg.

D. GREGORIVS, Homil. 20. in Euangelia, eodem ferè modo pertractat illa verba Ioannis, *Facite fructus, &c.*

D. Auguſt.

D. AVGVSTINVS in ſermone de Monte, circà eumdem locum inquit. *Satisfactio à Ioanne præcipitur, ubi ait, facite fructus dignos Pœnitentiæ, ſcilicèt ut ſecundum qualitatem culpæ, ſit qualitas, & quantitas pœnæ; Non enim par debet eſſe fructus boni operis eius, qui minus peccauit, & eius, qui grauiùs cecidit.*

Iſychius.

ISYCHIVS lib. 4. ſuper Leuiticum cap. 14. ſimiliter de ſatisfactione pœnæ peccati, verba Ioannis interpretatur, *Opus*, inquit, *habet Pœnitentia, orationem intentam, eleemoſinam, vigilias, ſaccum, ieiunium, poſtremò etiam illa, quæ Dauid dicit; facta ſunt mihi lachrimæ meæ panes die, ac noctè, & lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrimis meis ſtratum meum rigabo. Sed & cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Sic Iſychius.

D. Fulgent.

D. FVLGENTIVS, in Epiſtola ad Venantium de recta Pœnitentia, preſſuras, tribulationeſque præſentis temporis, longanimiter tolerandas eſſe, ad euitandam futuri Iudicij pœnam, ex teſtimonio Pauli docet, prima Corinth. 11. *Cùm iudicamur autem, à Domino corripimur, ut non cùm hoc mundo damnemur.*

1. Corint. 11.

D. Hieron.

D. HIERONYMVS in Ezechielem 8. libro circà finem, ſuper illa uerba, *Accingetur Cilicijs*, ſcribit, *Vetus lumborum libido damnatur, ut qui uixerant in delicijs, poſtea pœnitentes uiuant in auſteritate, & duritia.* Et ſuper Malachiam ait, *Peccator dormiat in ſacco, & præteritas delicias vitæ auſteritate compenſet.* Et ſuper cap. 1. Ioelis, explicans illa verba, *Accingite vos, & plangite*, inquit, *Qui peccator eſt, & quem remordet*

propria

propria conſcientia, Cilicio accingatur, & plangat, uel propria delicta, uel Populi, & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus, & cubet, uel dormiat in ſacco; ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum, uita auſteritate compenſet. Et in Epiſtola ad Euſtochium, de obitu Paulæ matris, ſic Paulam loquentem introducit, *Turpanda eſt facies, quam contrà Dei præceptum, Purpuriſſo, & Ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi: affligendum corpus, quod multis uacauit delicijs: longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu; mollia linteamina, & ſerica precioſiſſima, aſperitate Cilicij commutanda.* Sic Hieronymus.

OMISSIS tamen aliorum Sanctorum Patrum pulcherrimis auctoritatibus, quę hac in re frequentiſſimæ ſunt; vno Petri Damiani, qui ante annos 500. ſcripſit, teſtimonio rem comprobemus. Hic in ſermone 2. de Sancto Andrea ſic ait, *In Purgatorijs ignibus, perficiendum eſt, quicquid hic minus* (de Pœnitentia loquitur) *feceris; quia dignos Pœnitentiæ fructus quærit Altiſſimus.*

Petrus Damianus.

NEC deſunt rationes, pro hac ueritate.

PRIMA eſt Sancti Thomæ 3. part. quæſtio. 86. artic. 4. Quoniam miſericordia Dei, eius Iuſtitiæ præiudicare non debet; quamuis igitur per remiſſionem culpę, amicitiam, & benignitatem Dei homo conſequatur; reliquum tamen eſt, ut Iuſtitiæ eius ſatisfaciat, uel in hoc ſæculo per expiationem ſatisfactionis, uel in futuro per ignem Purgatorij. *Pro menſura enim delicti, & plagarum modus erit*, Deutero. 25. *& quantum Peccator glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum tormentorum, & luctus*, dandum eſt illi, ut dicitur Apocalypſis 18. Nec enim more Baptiſmali, ut finxit Lutherus, datur gratia per Pœnitentiam: ſed in ea diuinæ iuſtitiæ ſatisfieri debet.

Argumenta ad probandũ reatum pœnę temporalis, poſt peccatorum remiſſionẽ. D Tho. Deut. 25. Apoc. 18.

SECVNDA, quia ſi nulla pœna relinqueretur per ſatisfactionem expianda; ſed ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, homines iuſti, & purgati à ſordibus euaderent; tunc omnes eſſent æquè Sancti, & æquè iuſti apud Deum, quod tamen impudenter concedit Lutherus; Immò in ſermone de Natiuitate Virginis, illam inſignem protulit Blaſphemiam, quòd omnes Chriſtiani æquè magni ſunt, ſicut Mater Dei, & æquè Sancti, ſicut ipſa.

Blaſphemia Lutheri.

TERTIA, quia ſi non relinquitur pœna poſt culpam, fruſtrà eſt Purgatorium; quod dicere, magna eſt Hæreſis, & contra expreſſa loca Scripturæ, ut inferiùs demonſtrabimus.

QVARTA, & Vltima, quia omnis Diſciplina Eccleſiaſtica eneruaretur, ſtudium virtutum langueſceret, ac deniq́ue mutua ſuffragia, Ieiunia, Eleemoſinæ, Orationes, & ſatisfactiones è medio tollerentur, vitiorum titillationes excreſcerent, omnibuſque flagitijs, & ſceleribus uia ampla pateſieret. Adde quòd in omni humana Republica rectè inſtituta, in criminibus præcipuis, & maximè læſæ Maieſtatis hic ordo cernitur, ut remiſſa culpa, nequaquàm pęnæ parcatur. Cur ergò in foro Dei id fieri iniuſtum erit? Atque, ut huic tractationi extremam manum imponamus, Chryſoſtomi verba in Homil. 41. de Pęnitentia, ad Populum Antiochenum, adijcere oportet. *Pænitentiam exhibuit*, (ait) *Beatus Dauid ità dicens, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrimis meis, ſtratum meum rigabo; & olim patratum peccatum, poſt tot generationes, quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Pænitentem iraſci non oportet, neq; ſeuire; ſed conteri tamquam condemnatum, tamquam non habentem fiduciam, tamquam iudicatum reum, tamquam ex ſola ſaluari miſericordia debentem, tamquam ingratum erga benefactorem redargutum, tamquam iniucundum, & reprobum, tamquam innumeris dignum ſupplicijs, ſi hæc cogitet, non iraſcetur, non indignabitur, ſe ſe lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem, & diem: Pænitentem numquam oportet obliuioni peccatum tradere; ſed Deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipſum uerò numquàm ipſius obliuiſci; ſi nos eius non recordemur; Deus ipſius non obliuiſcetur; ſi nos eius meminerimus, Deus obliuiſcetur; à nobis ipſis ultionem ſumamus; nos ipſos accuſemus, & ità placabimus Iudicem.* Sic Chryſoſtomus.

D. Chryſoſt.

Quòd ſi etiam publicę Pęnitentiæ ritus non ſunt damnandi, præſertim illis tẽporibus, quibus vſu receptæ erant, quas nec, niſi demens, damnare poteſt; cum

Pœnitentiæ publicæ forma apud ueteres Chriſtianos.

Tertull. Cyprian. Sotus. Tertullianus illarum formulas egregiè ſcribat in lib. de Pęnit. atque etiam in lib. de Pudicitia, & Cyprianus ſermo. 5. de lapſis, ambo vetuſtiſſimi Scriptores, quomodo in illis ſatisfactionem pœnarum non perſpiciemus? Sotus diſtin. 2 1. quaſt. 1. art. 3. ſcribit, relaxationes publicarum Pœnitentiarum, figuram fuiſſe noſtrarũ Indulgentiarum. Remittebatur enim crebrò in primitiua Eccleſia publicæ Pęnitentiæ, & ſecundum Penitentis diligentiam in afflictionibus, & ſatisfactionibus præſtandis, condonabatur pars iniunctæ Penitentiæ, vt videre eſt in Concilio Carthaginenſi Quarto cap. 76. ſed dolendum eſt, quòd res his noſtris temporibus è contrario accidat. In priori enim ſæculo negligentibus pęnitentias peragere, tardiùs remiſſio, ſeu reconciliatio donabatur; diligentibus verò citiùs, vt videre eſt apud Gratianum 26. quæſt. 6. & 7. At verò in hoc poſteriori, in quo Penitentes, nedum ergà publicas pęnitentias; ſed etiam ergà ſecretas, & priuatas, vel minimas ſegniores, ac negligentiſſimos ſe præbent, remiſſionibus, & Indulgentijs abundant: ea eſt horum temporum calamitas, & miſeria, vt cùm friguerit charitas, & abundet iniquitas, bonorum operum frequentia abierit; malorum verò cumulus in dies augeatur, & creſcat; ob hominum torporem, & ignauiam effectum eſt, vt non ſolùm vſus ille ſatisfaciendi, æternis illis maximis ſupplicijs pro peccatis admiſſis, euanuerit; ſed ea quoque conſuetudo imponendi peccatoribus ponderoſas pęnitentias effluxerit, atque è medio ferè ſublata fuerit. Quamobrem, cũ delictorum pęnæ peractę minimè remanerent, operæ præcium fuit, per frequentes Indulgentias fidelibus ſuccurrere, & cum uiam Iuſtitię illi quaſi declinarent, ad ſemitas Miſericordiæ ſæpiùs recurrere. Hinc crebra Theſauri Spiritualis diſpẽſatio. Hinc duplicatæ illæ mille, & mille Annorum Indulgentiæ, additis etiam quinque quadragenis, & ſimilibus. Magna enim Miſericordia Dei effectum eſt, ſummaque Spiritus Sancti benignitate, ut cùm uitia creſcant, vita autem hominis in dies magis breuietur, Summi Pontifices in Indulgentijs concedendis, pia liberalitate utantur; Adde, quòd cùm ora Hæreticorum, contrà hanc Papæ poteſtatem etiam, atque etiam oblatrando clament, expedit, Deo ſic uolente, ut Summus Eccleſię Prępoſitus ea frequentiùs utatur, ad Hæreticorum confuſionem, & ad Catholicorum commodum, & conſolationem.

Conc. Cart. 4. Gratianus.

Quænam pœnarum genera per Indulgentias remittantur. Ex his, quę in hoc Capite dicta ſunt, colligimus, quinque genera pęnarum per Indulgentias remitti, eas uidelicèt pęnas, quas confeſſarius imponit, & quę ſtatutæ, & determinatæ ſunt in Sacris Canonibus; ſi quæ hodie uigent; deinde, quas Pænitens à ſe ipſo ſuſcipit ad uindictam peccati, licèt per accidens; eas item, quas Deus ſæpiùs in communi, uel ſigillatim cuique immittit, licèt indirectè; Poſtremò pœnas à Deo determinatas, & quoad quantitatem, & quoad durationem, quæ poſt culpam remiſſam, ab homine iuſtificato ſolui debent. Atque ità neceſſitas Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum reſpectu cuiuſcumque Chriſtiani ſufficienter, ſicut promiſſum fuit, declarata ſit.

CAPVT XLIII.

De neceſsitate Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum, reſpectu eorum, qui ſunt in Purgatorio.

Non me fugit, in hoc Capite, & proximè ſequentibus, id mihi reuoluendum eſſe, quod à quàm plurimis alijs Scriptoribus iam factitatum eſt; Verùm, quia perfectę doctrinæ ratio id exigit, nè hęc noſtra tractatio ex parte aliqua mutila videatur, nonnulla quàm breuiſſimè, de Purgatorio, atque etiam de ſuffragio Indulgentiarum ergà commorantes in eo dicenda ſunt.

Receptacula Animarum. Animarum, quæ ex hoc mundo diſcedunt, quinque receptacula, in Sacris litteris re-

ris reperiri, facilè eſt oſtendere, duo ſcilicèt extrema, reliqua intermedia, ſed in hoc capite nonnulla de primo receptaculo dicemus:

Coelum empireum, ſeu Paradiſus.

Igitur Primùm eſt Cœlum, ſeu Paradiſus æternæ gloriæ, in quo animæ, ab omni ſorde pœnæ, & culpæ purgatæ, perpetuâ Dei viſione fruuntur. Hæ pro nobis intercedunt, quod ſexcentis locis Scripturæ, & præcipuè ex Epiſtola 2. D. Petri cap. 1. habetur illis in Verbis. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos, poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*; ideſt, nè ſit uobis graue, & moleſtum, quòd ego deponam tabernaculum meum (ideſt moriar) quia etſi nõ amplius uos commonefaciam, quemadmodum dum viuerem faciebam; at poſt mortem curabo, vt commonefactionis meę anteactę memores eſſe poſſitis. Eſt enim hyperbaton. Sed dabo operam ſine intermiſſione, poſt obitum meum habere vos, ideſt, poſſe uos, quod eſt, ut uos poſſitis facere, ſiuè habere memoriam horum omniũ. Attamen nullo noſtro ſuffragio, vel auxilio indigent, cùm ſint in ſtatu omnium rerum aggregatione perfecto. Quamquam, ſicut ex bonis operibus in eorum honorem, & memoriam factis; ſic etiam ex Indulgentijs, quas fideles in hoc ſęculo, Eccleſias Beatis dedicatas uiſitando acquirunt, accidentalis gloria illis accreſcit: At uerò priuſquam de alijs receptaculis uerba faciamus, obiter hic uidendum eſt, an animę, quę purgatę ex hoc mundo diſcedunt, ſtatim Cœlum ingrediantur, quod etiam magnoperè conducit ad Sacrum Iubilęum citiùs, & deuotiùs conſequendum.

Sanctorũ pro nobis interceſſio.

2. Petri 1.

DIGRESSIO MAGNA.

An Animæ iuſtorum antè diem iudicij Cœlum ingrediantur, vel Deum videant.

Tertullianus lib. 4. in Marcionem, & in lib. de Animâ cap. 32. & 33. & 34. exiſtimauit, Animas iuſtorum ante diem Iudicij Cœlum non ingredi, nec Deum uidere; ſed in quibuſdam receptaculis abditis, aut in regione, quam Sinum Abrahę dicit, etſi non cœleſti, ſublimiore tamen Inferis, recipi, & ibi refrigerium accipere. Vigilantius, ut uidere eſt, apud Hieronymum in libro, quem aduerſus ipſum conſcripſit, circà medium, eundem errorem ſecutus eſt; atque etiam Armeni, teſte Guidone Carmelita, in Summa de Hęreticis, & Caſtro lib. 3. contra Hęreſes, uerbo Beatitudo, Hęreſi ſexta. Gręci item, ut eſt uidere apud Cõcilium Florentinum, ſeſſione prima, D. Thomam in Opuſculo ſexto cap. 9. & Gennadium Scholarium Patriarcham Conſtantinopolitanum in ſuo libello defenſorio cap. 4. Lactantius Firmianus lib. 7. diuinarum Inſtitutionum cap. 11. & Victorinus Martyr in caput ſextum Apocalypſis, ſub ara, ideſt, ſub terra, in una, communique cuſtodia animas Sanctorum detineri ſcribunt, ſicut etiam Euthymius in caput Lucę 16. & 23. Quem deindè errorem ſuſcitarunt Moderni Hęretici, ut Lutherus in ſuis pręlectionibus in Geneſim, ut refert Staphylo in Epitome trimembri Theologię Lutheri, parte ſecunda, & Caluinus libro 3. Inſtitutionum capite 25. §. ſexto.

Opinio Tertulliani.

Vigilantius apud D. Hier.

Armeni ex Guido Carmelita. & Caſtro.

Græci ex Cõcil Floren. D Thom. Gennadius.

Opinio Lactãtij Victorini, & Euthymij.

Hæretici. Staphylo.

Sed, id eſſe manifeſtiſſimum errorem in fide, nemo dubitare debet, cùm, & ex Scripturis Sacris, ex ritu Eccleſię, Pontificum, & Conciliorum definitionibus; ex doctrinis item Patrum Gręcorum, & Latinorum, atque etiam ex ipſa ratione contrarium, uerum eſſe, conſtantiſſimè probetur:

Animas iuſtorum ſtatim à corpore ſolutas in Cęlum euolare.

Et quamuis non ſit hic nobis animus hanc controuerſiam latiùs pertractare; tamen ad dilucidationem aliquorum locorum Patrum, & præſertim Auguſtini, qui aliquibus in locis de hac re hæſitare uidetur, nonnulla currenti calamo attingenda eſſe duximus. Qui verò longam, & articulatam huius rei tractationem deſiderat, legat Gregorium de Valentia tomo 2. Commentariorum Theologicorum diſput. 1. quæſt. 4. puncto 2. & Bellarminum libro primo de Sanctorum Beatitudine à cap. 1. vſque ad 7.

Greg. de Val. Bellarm.

Primò igitur ex teſtimonijs Scripturæ, veritas Catholica demonſtratur, quæ duodecim in locis hujus rei atteſtationem facit, & ex nouo teſtamento, in quo

ſtatim, poſtquàm anima in gratia diſcedit, ſi purgata ſit, Beatitudo eſſentialis preſtatur, loca proferamus.

Loca Sacræ ſcripturę pro hac uera ſententia afferũtur, & explicantur.
Luc. 23.

Primvs locus eſt Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, Qui locus, quamuis non probet, Latronem ſtatim poſt obitum, ingreſſum eſſe Cęlum corporeum, uel locum Empyrei, qui ante Chriſti Aſcenſionem apertus nemini fuit; probat tamen euidenter, Beatitudinem, & uiſionem Dei ſtatim aſſequutum fuiſſe. Id enim nomine Paradiſi intelligendum eſt, ut ibidem Theophylactus, Ambroſius, Beda, Caietanus, Ianſenius, atque etiam Cyrillus Hieroſolymitanus, Cathecheſi 13. circà finem exponunt, nempè ſalus æterna, diuinæque eſſentiæ fruitio, & uiſio. Quocircà repudianda omninò eſt expoſitio Euthymij in dictum locum Lucæ, Iuſtini Martyris, quæſt. 75. 76. & 85. ad Orthodoxos, & Irenæi, dicentium nomine Paradiſi terreſtrem Paradiſum, ex quo eiectus fuit Adam, promiſſum fuiſſe Latroni; Vndè ponderant, Chriſtum nō reſpondiſſe, hodie mecum eris in Regno meo, ſed in Paradiſo; vt indicaret, aliud eſſe Regnum, aliud Paradiſum; & quamuis Chriſtus, ut homo, numquàm fuerit in terreſtri Paradiſo; nihilominus, vt Deus, ubique erat; licèt Origenes tomo 2. in Ioannem, concedat, Chriſtum priùs iuiſſe ad Paradiſum, ut adimpleret promiſſum, deindè deſcendiſſe ad Infernum: E contrà uerò Nicephorus libro primo Hiſtoriæ cap. 31. prius dicat ad Inferos Chriſtum deſcendiſſe, & deindè eadem tamen die, & hora, ducens ſecùm Latronis, ac cæterorum Sanctorum animas, ad Paradiſum terreſtrem tranſiuiſſe: ſic iſti errorem configurantes, animas vſque ad reſurrectionem corporum in terreſtri illo Paradiſo detineri contendunt, ac proinde illi Latroni terreſtris illius loci promiſſionem factam fuiſſe.

An latro ſtatim poſt obitum fuerit beatus, & de vera intelligentia promiſſionis Chriſti eidem latroni factæ.
Euthym.
Iuſtin.
Irenęus.
Origen.
Nicephor.

Sed uana, & fictitia hæc ſunt; Primùm, quia reſponſio Chriſti habet relationem ad petitionem Latronis; atqui ille non petijt terrenum illum Paradiſum, ſed conſortium Regni Cęleſtis, fierique participem ſocietatis Chriſti in Regno eius. Quid enim prodeſt animæ, quæ poſt ſeparationem à corpore cupit eſſe cùm Chriſto, locus voluptatis pomis, fructibus, herbis, aquis, cæteriſque delicijs corporalibus refertiſſimus? Corporum, non animarum hæ deliciæ, delectationes, & refrigeria ſunt. Quidquòd, Paradiſum terreſtrem hodie non extare, ſed aquis diluuij deſtructum eſſe, multis doctis viris improbabile non eſt, ut Ianſenio in ſua concordantia Euangelica cap. 143. Genebrar. lib. 1. Chronographiæ in prima ætate, Oleaſtro, & Eugubino in 2. cap. Gen. & Pererio in Commentarijs ſuper Geneſim libro 3. diſp. 1. quæſt. 5. & libro 7. quæſt. 7. vbi etiam, ex locis Scripturæ, præſertim ex Gen. cap. 7. id probat; Nec obſtat, Henoc Eccleſiaſt. 44. dici, tranſlatus fuiſſe in Paradiſum; tùm quia id fuit ſexcentis annis, & amplius ante diluuium; vndè eo deſtructo, aliò à Deo transferri poterat; tùm quia lectio græca non habet vocabulũ illud, *Paradiſum*; legit enim ſic, *Henoc placuit Deo, & tranſlatus eſt in exemplum Pænitentiæ generationibus*, ut notauit Ianſenius in concordantia Euangelica cap. 43. tùm etiam (lectione latina ſecundum vulgatam tranſlationem ſeruata, quam parui pendere fas non eſt) Paradiſus ille, in quē Henoc ductus fuit, accipiendus eſt, non terrenus ille Adami; ſed ſecreta aliqua terræ regio; vbi magna carnis, & ſpiritus tranquillitate uiuat vſque ad conſumationem ſæculi, cùm Eliæ conſortio. Ità D. Gregorius loquens de Elia ſcribit, Homil. 29. in Euangelia, Rupertus lib. 3. de Trinitate, & operibus eius, cap. 33. Theodoretus in quæſt. in Geneſim num. 45. Nomen enim Paradiſi multas in Scripturis habere ſignificationes, & ex primæua eius ſignificatione, quemlibet locum terræ amenisſimum, ſecretum, amplum, & iucundiſſimum deſignare, omnes Interpretes in explanatione ſecundi capitis in Genes. tradunt; neque enim nobis arridet expoſitio illa Hieronymi in Amos 9. Ambroſij libro de paradiſo cap. 3. Dorothei in Synopſi, & Alchimi Auiti lib. 4. de diluuio cap. 6. indicantium, Henoc, & Eliam in regionem aliquam cæleſtem, ab omni terræ loco ſeparatam, tranſuectos eſſe. Hi etenim ambo adhuc in corporibus ſuis mortalibus uiuunt, per fidemque, & abſtractiuam cognitionem, diuina contemplatione fruuntur; nec corpora glorioſa

Ianſen.
Genebrard.
Oleaſter.
Eugub.
Pererius.
Eccleſ. 44.
Ianſen.
D. Gregor.
Ruper.
Theodoret.
Multa nomine Paradiſi ſignificantur in Scriptura.
Hieron.
Ambro.
Dorotheus.
Alchim.
Vbi habitent Henoc, & Elias, & quò fuerint tranſlati.

habent,

habent; nec diuinam eſſentiam uidentes cùm Chriſto regnant, ut malè cenſuere
Catharinus in Opuſculo de conſumata Chriſti gloria, Procopius Gaza, & Eu- Catharin.
gubinus in Geneſ. Aduerſus quos eſt expreſſa doctrina D. Gregorij Nazianze- Procopius. Eugub.
ni Oratione 34. vbi de Henoc loquens dicit, *Licèt tranſlatus ſit, non tamen conſtat,* Nazianz.
quòd Deum comprehenderit; lege Auguſtinum lib. 9. Geneſis ad literam cap. 6., & Auguſtin.
libro primo de peccatorum meritis cap. 3., Bernardum ſermone 6. de Aſcenſio- Bernar.
ne Domini, & Hieronymum in Epiſtola ad Pammachium, & alios, quos con- Hieron.
ſultò relinquo: Exquo ſequitur, vàldè reprehendendum eſſe Sixtum Senenſem, Sixtus Senē. redarguitur.
qui in libro 5. Bibliothecæ, annotatione 36. affirmauit, eſſe contra diuinam Scri-
pturam, & contra rectã fidei regulam, negare, Eliam, & Henoc in Paradiſum ter-
reſtrem translatos eſſe, ibique uitam agere: Certè D. Auguſtinus lib. 2. de gratia D. Auguſt.
Chriſti contrà Pelagium, & Cęleſtium cap. 23. expreſſis uerbis dicit, hanc diſpu-
tationē; An Elias, & Henoc ſint in Paradiſo terreſtri, uel alibi, eſſe de numero ea-
rum diſputationum, quæ in utramque partem, ſalua fide Chriſtiana, pertractari
poſſunt; ut etiam illæ, quot ſint Cęli, in quorum tertium Paulus ſe raptum eſſe di-
cit; ſint nè quatuor, uel plura mundi elementa; & ſimilia. D. Chryſoſtomus ho- D. Chryſoſt.
mil. 21. in Geneſim ſcribit, non eſſe curioſè ſcrutandum, & quærendum, quem in
locum Deus tranſtulerit Henoc, cùm enim Scriptura hoc nõ dicat, nimis curio-
ſum eſſe id ſcrutari; ſed quicquid ſit de loco, vbinam terrarum uerſentur Elias, &
Henoc; Illud unũ certum eſt, ac, ut de fide, tenendum, eos non adhuc obijſſe mor
tem, ſed corpore, & anima uiuere, in gratia confirmatos; morituros tandem, cùm
contrà Antichriſtum, ante diem iudicij ſuum expleuerint officium. Interim ſpe
Martyrij pro Chriſto ſuſtinendi recreari, ac refocillari, diuinaque uirtute, cibo-
que ſpiritali, abſque ulla corporis immutatione, conſeruari. Lege caput 5. Gene- Geneſ. 5.
ſis, in illis uerbis, *Ambulauitq; cùm Deo* (de Henoc eſt ſermo) *& nõ apparuit, quia tu-* ad Hæbr. 11.
lit eum Dominus, & cap. 11. Epiſtolæ D. Pauli ad Hæbræos *Henoc tranſlatus eſt,* 4. Reg. 2.
nè uideret mortem; De Elia lege caput 4. Reg. 2., & 47. 48. Eccleſiaſtici; D. Clemen. Ecclei. 47. & 48.
Papam lib. 5. Conſtitutionum cap. 6., D. Auguſtinum lib. 2. de peccato Origina- D. Clemen.
li cap. 23., & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 3., D. Ambroſium lib. 2. in Lucam, D. Auguſt.
verſus finem, & lib. 4. de fide cap. primo, Cyprianum libro de Montibus Synai, D. Ambroſ. D. Cyprian.
& Syon, Tertullianum libro de anima, cap. 35., & 50., Irenæum lib. 4. contra Hę- Tertull.
reſes cap. 3., Athanaſium in Epiſtola contra hæreſim Arrianam ex Decretis D. Irenæus. D. Athan.
Concilij Nicæni, Baſilium homil. 11. Examerọn, Chryſoſtomum homil. 21. in D. Baſil.
Gen. & in homil. 22. Epiſtolæ ad Hębręos, Epiphanium, in Ancorato, ultrà me- D. Chryſoſt.
dium, & D. Gregorium lib. 9. Moral. cap. 4. & lib. 21. cap. 36. D. Epiphan. D. Gregor.

Sed ad Paradiſum ſpiritualem Latroni conceſſum reuertatur oratio noſtra; at- Qua ratione
que illud hic animaduerſione dignum eſt, quòd quemadmodum in veteri teſta- ſumatur in
mento, uox iſta Paradiſus, ſępius pro terreno loco uoluptuoſo, & ameno, iuxtà il- nouo teſtamē
lud Canticorum 4. *Emiſſiones tua Paradiſus*; ità in nouo teſtamento, pro re ſpi- to nomen Pa radiſi.
rituali accipitur, id eſt, pro gloria Beatorum; ſic Paulus 2. Corinth. 12. dicens, ſe Cantic. 4.
raptum fuiſſe in Paradiſum, explicat ſe raptum fuiſſe ſupra tertium Cęlum, & 2. Cor. 12.
Apocalip. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vita, quod eſt in Paradiſo Dei mei*; qua etiam Apoc. 2.
ſignificatione, cùm Latro ad teſtamentum nouum ſpectet, in eo textu Lucæ 23. Luc. 23.
nomen huiuſmodi Paradiſi accipiendum erit, uidelicèt pro beata viſione, ſicut
etiam exponit Auguſtinus in Epiſtola 57. ad Dardanum, ubi tractans fuſiſſimè D. Auguſt.
hunc Lucę locum, licèt per Paradiſum, corporeum locum intelligere uideatur;
concludit tandem, eſſe locum illum, in quo Beati fruuntur, ubicumque ille ſit.

Nec duę illę obiectiones, quas refert Theophylactus ex aliorum ſententia, Duę obiectio
nobis officiũt. Dicebant aliqui, Latroni Paradiſum cęleſtem promiſſum quidem nes ex Theo
fuiſſe à Chriſto, ſed exhibendum poſt reſurrectionem; ob cuius rei certitudi- phylacto, ſol uuntur.
nem, per uerbum temporis pręſentis dictum ei ſit, *Hodie mecum eris, &c.* Alij ver- Qũo intelli
bum illud, *Hodie*, coniungebant cùm, *dico*, non cùm, *eris*, ità ut eſſet ſenſus; genda ſint il
Amen, hodie dico tibi, mecum eris in Paradiſo. la Chriſti ver ba ad latronē

Verum omnes iſti uidentur, ridiculas uerborum Chriſti ſignificationes affer- *hodie mecum eris, &c.*

Comment. ſuper eundem locum, ſic ait, *Prædicatores Eccleſiæ poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per morarum ſpacia (ſicut Antiqui Patres) Cæleſtis patriæ perceptione differuntur; ſed mox, ut à carnis colligatione exeunt, in Cæleſti ſede requieſcunt, ſicut in hac ſententia demonſtratur. Non enim dicitur, habebimus domum æternam in Cælis; ſed habemus, quia videlicèt protinus habetur illa domus, ex quo iſta diſſoluitur. Prius autem, quàm Redemptor noſter morte ſua, humani generis pœnam ſolueret, eos etiam, qui Cæleſtis patriæ vias ſectati ſunt, poſt egreſſum carnis, Inferni clauſtra tenuerunt, non vt pœna, quaſi peccatores plecteret; ſed vt eos in locis remotioribus quieſcentes, quia nec dum interceſſio mediatoris aduenerat, ab ingreſſu Regni reatus primæ culpæ prohiberet; Nunc autem perfecti quique mox in Regnum ſuſcipiuntur.* Hactenus Anſelmus. Dionyſius Carthuſianus in Elucidatione huius loci D. Pauli, refert tres interpretationes prędictorum uerborum: Alij (inquit) per terreſtrem domum, carnem noſtram paſſibilem, & mortalem; per ædificationem uerò non manufactam, carnem impaſſibilem, glorificatam, in Cœlo perpetuò duraturam intelligunt: ſed hæc interpretatio, quàm ſequitur Chryſoſtomus Homil. 10. ſuper eundem locum, Theophylactus, Theodoretus, & Ambroſius, non eſt ad litteram.

Huius loci D. Pauli Dio. Carthuſ. tres refert expoſitiones.

D. Chryſoſt.

Hanc enim domum, ideſt, corpus immortale, antè diem Iudicij non habebimus, cùm tamen Apoſtolus loquatur de eo, quod ſtatim, poſt diſſolutionem corporis animæ perfectorum conſequuntur. Alij uerò per domum iſtam non manufactam, intelligunt Cœlum Empyreum, quod eſt locus, atque Palatium Beatorum; Terrenum uerò domicilium, ut etiam refert Chryſoſtomus ibidem in principio, Mundum hunc ſenſibilem, & ſublunarem. Verùm hæc expoſitio nō eſt cohærens, neque ſententiæ Pauli correſpondet, cùm in calce capitis antecedentis dixerit, *Si exterior homo noſter corrumpitur, interior renouatur, de die in diem:* & quod ibi appellauit hominem exteriorem, hic appellat terreſtrem domum; Immò ex ſequentibus uerbis, quæ adijcit in 5. cap. uidelicèt; *Dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino*, perſpicuè deprehenditur, quod hic uocat corpus, appellaſſe anteà domum terreſtrem, Tabernaculum, & exteriorem hominem. Alij denique uerius expoſuerunt, ut D. Anſelmus, & Photius apud Oecumenium, & D. Thomas in dictum locum Pauli, & prima ſecundæ quæſtione 4. art. 5. per domum terreſtrem, intelligi hoc corpus noſtrum mortale; per domum uerò æternam, non manufactam, Dei uiſionem, & æternam gloriam; quòd ſanè poſtremis uerbis ſuperioris capitis correſpondet; cū dicit Apoſtolus. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in Cælis:* Vbi per pōdus æternæ gloriæ, uiſionem Dei intelligi, omnes interpretantur.

D. Anſel. Photius. D. Thom.

Nec obſtat, beatitudini nomen, & rationem domus tribui non poſſe, cùm congruentiam ad illam non habeat; Corpus autem rectè poſſe dici domum animæ, cum re uera eius templum ſit: namque beatitudinem uerè, ac propriè poſſe dici domum, docuit Chriſtus Ioann. 14. dicens, *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; ideſt diſtincti gradus prēmiorum in beatitudine, ut omnes exponunt. Eſt autem domus hæc magna, de qua dixit Propheta, *O Iſrael quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius*; de hac Dauid dixit Pſal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine*, & alibi, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in Monte Sancto tuo, &c.* lege Hilarium ſuper Matth. Can. 8. & ſuper Pſal. 65. & 131. & Chryſoſtomum ſuper Pſal. 22.

Ioan. 14.

Pſalm. 83.

Hilar. Chryſoſt.

Pulchram autem Antytheſin, & oppoſitionem facit Apoſtolus, inter uitam corporalem, ſiuè corpus noſtrum mortale, & ęternam beatitudinem. Vocat illam, domum terreſtrem, cùm ex terra, cæteriſque elementis corpus conflatum ſit; hanc uerò domum cæleſtem, quòd pro obiecto habeat Deum clarè uiſum, cuius ſedes cęlum eſt, in quo tamquam in ſuo throno, & ſolio Beatis ſe oſtendit. Prętereà, corpus dicit eſſe domum, quæ diſſoluitur, cùm quotidie ad nō eſſe tendat: Illam uerò æternam uocat, cùm perpetua ſtabilitate firmetur. Poſtremò uocat iſtam non manufactam, ſignificans, illam eſſe manufactam: corpus enim noſtrum ex generatione ſuſceptum eſt, uitaque noſtra cibo, potuque ſuſtentatur;

Antytheſis inter uitā corpoream, & æternam ex D. Paulo.

Domus

Domus verò cæleſtis ex ſola Dei virtute formatur,cùm in ſolo Deo manifeſtante ſe ipſum nobis,conſiſtar.

Alter locus D. Pauli explicatur.

QVARTVS locus eſt in eodem cap.5.paulò infrà, *Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus expoliari,ſed ſuperueſtiri. Audentes igitur,& ſcientes, quia dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulalamus,& non per ſpeciem,audemus,& bonam uoluntatem habemus,magis peregrinari à corpore,& præſentes eſſe ad Dominum;& ideò contendimus,ſiuè præſentes,ſiuè abſentes placere illi:* In quibus uerbis duo deſideria eſſe in homine inſinuat Apoſtolus, vnum naturæ ad fruendum hac luce corporali; Alterum gratiæ ad uidendam diuinam eſſentiam: iniquorum autem uoluntarem omnia ad deſiderium naturæ, & corporis corruptibilis commoditatem referre. At iuſtorum uoluntatem è contrario ſe habere;cum enim nequeant in corpore mortali Deum uidere, magis appetunt corporis mortem, ut ualeant cum Deo eſſe, eiuſque uiſione frui. Hæc eſt in citatis uerbis Pauli ſententia, ex qua colligitur, dari aliquem ſtatum animæ, in quo à corpore peregrinemur, non autem à Domino, qui ſtatus ſanè nuſquam reperiretur, niſi ante uniuerſalem carnis reſurrectionem Deus clarè uideretur:

Duo hominis deſideria.

Diuerſi ſtatus peregrinationis huius uitæ.

A ſufficienti enim ſtatuum diuiſione uim argumentum ſumet: Datur namque ſtatus, in quo peregrinamur à Domino; ſed non à corpore. *Dum enim*, inquit Paulus, *ſumus in corpore*, id eſt, in hac uita, *peregrinamur à Domino*. Item poſt reſurrectionem dabitur ſtatus, in quo nec à corpore, nec à Domino peregrinabimur;præterea ante reſurrectionem datur ſtatus, in quo & à corpore, & à Domino peregrinamur,putà in Purgatorio, ergò dabitur ſtatus, in quo peregrinandum eſt à corpore, ſed non à Deo, de quo loquitur Paulus; Vndè neceſſariò infertur, ante reſurrectionem animas iuſtorum peregrinantes à corpore, & ab eo ſeparatas, Deum uidere,quod Paulus appellat, præſentes eſſe ad Dominum.

Expoſitio egregia uerborum Pauli ad Epheſ.4. Pſal.67.

QVINTVS locus eſt,Epheſ.4.*Propter quod dicit,aſcendens in altum,captiuam duxit captiuitatem.* Quod deſumptum eſt ex Pſalmo 67.*Aſcendit in altum,captiuam duxit captiuitatem*, ubi nomine Captiuitatis, & Paulus, & Dauid intelligunt ueteres Sanctos, qui ante Chriſti mortem, quaſi in carcere,captiui detinebantur; Chriſtus autem aſcendens in altum, hoc eſt in cælum, eos liberauit, & ex captiuitate Infernali ad fœlicem, & optabilem æternæ gloriæ libertatem tranſtulit; ſic Hieronymus in Commentarijs ſuper Pſalmos, exponens citatum uerſiculum, *Calorum*, ait, *conſcendens excelſa,eos,qui in captiuitate Diaboli tenebantur,abſoluit,ac poſt ſe tamquàm captiuos deductos, æternæ uitæ reſtituit*, Hæc Hieronymus. *Captiuaſti captiuitatem*, ita legunt Euthymius, & Caietanus. ſed quò aſcendit? Vtique in altum, ideſt in excelſum, ut lectio Hæbraica habet, in excelſum quidem, ideſt, in ſummum cælum, ut Ambroſius ibidem exponit. Nec Euthymij prior interpretatio admittenda eſt, exponens, *In altum,hoc eſt, in Crucem,in qua exaltatus à terra,omnia ad ſe traxit*. Aſcendit ſanè Chriſtus in Crucem, iuxtà illud Canticorum 7. *Aſcendam in palmam,&c.*& Geneſis 49.*Ad prædam,fili mi aſcendiſti*, de qua Aſcēſione loquitur Cyprianus, in ſermone de paſſione Domini, dicens, *Aſcendiſti, Domine palmam;quia illud Crucis tua lignum portendebat triumphum de Diabolo*, Gregorius in illud Cantic. ait, *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius; quia in Cruce ſuſpenſus, fructum uitæ apprehendit.* Sed verba Dauidis, & Apoſtoli de altera Aſcenſione in cęlum, intelligenda eſſe demonſtrat ipſemet Paulus, poſt pauca ſe explicans, dum ait, *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Duxit autem eò animas, quæ in limbo erant, & alias iam purgatas, ut uiſione diuinæ eſſentiæ fruerentur; hoc enim nomine Cęli Scripturæ intelligunt, iuxtà illud Matthæi 18. *Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt:* quamuis enim Deus ubique ſit, in Cælo tamen eſſe dicitur, quoniam in eo, tamquam in ſede, ut dictum eſt, & aula regia Dei, ſemper eſſentia ipſius ab his, qui digni ſunt, conſpicitur. Eſt Cælum ſedes Dei, Iſaiæ 66. *Cælum mihi ſedes eſt*, eſt Thronus Dei, Matth.5. *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei eſt*; Eſt locus, ubi per manifeſtationem ſuæ eſſentiæ præſentem ſe oſtendit his, qui cęleſti illa ſede digni ſunt; Eſt denique

D.Hieron. Ambro. Cantic.7. Geneſ.49. Cyprian. D.Gregor. Matth.18.

Qua ratione Cælum, Dei locus eſſe, dicatur. Iſai.66. Matth.5.

Cyril. Hiero

deniq́ue Cœlum, uelum diuinitatis, vt benè Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi.9.quo Deus à mortalibus, qui in Cœlo non ſunt, abſconditur, & cælatur, quemadmodum, & nubes, quæ ſuſcepit IESVM aſcendentem in Cœlum ab oculis Apoſtolorum: Vndè eleganter Paulus ad Hæbræos 9. confert ingreſſum Chriſti in Cœleſte Regnum ingreſſui Sacerdotis intrà velum in Sancta Sanctorum, ſignificans idem eſſe Cœlum, reſpectu diuinæ eſſentiæ, quod erat velamentum illud, reſpectu arcæ Teſtamenti.

Ad Hæbr 9. Comparatio.

Vera intelligentia verborum D. Pauli ad Philip. 1. D. Chryſoſt.

SEXTVS locus eſt ad Philippen. 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*; vel ut legit Chryſoſtomus, *Mihi vita Chriſtus eſt; & mors lucrum*. Quærit Chryſoſtomus, quam ob rem mors Paulò ſit lucrum? reſpondet, quoniam clariùs, & manifeſtiùs, poſt mortem eùm Deo futurus erat. *Mori igitur*, inquit, *præſtaret potiùs, quàm viuere, nihil moleſtiæ inferent, qui me occidunt, eò quòd, & ad vitam meam me dimittent, & promouebunt; & ab iſta non admodum commoda liberabunt*; ſic Chryſoſtomus Homil. 3. ad Philippen. verſus finem; Itaque mortem homini iuſto lucrum æternæ felicitatis eſſe, patet; quæ ni ſtatim poſt mortem acquireretur, profectò iuſto minimè lucrum eſſet; propter quòd oſtendit Paulus vitæ, in qua fide viuebat, ſe deſideriū abieciſſe; & quidem in hac vita conſtituti lucri quicquam adipiſcimur, dum fructus boni operis afferimus: at lucrum magnum poſt mortem in Dei viſione acquirimus. Vndè inquit, Mors lucrum eſt, reſpectu vitæ præſentis, in carne mortali.

Sed ſequentia verba in eodem capite rem hanc manifeſtiùs oſtendunt, ſubdit Paulus, *& quid eligam, ignoro. Coarctor autem ex his duobus, deſiderium habens: diſſolui, & eſſe cùm Chriſto multò magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium magis propter Vos*: præmebatur Paulus anguſtia duorū horum deſideriorum, & quid eligeret, ignorabat; bonum erat mori, & eſſe cum Chriſto, bonum quoque uiuere, propter fratres, illud magis bonum, hoc magis neceſſarium. In qua ſententia, illud ad rem noſtram notandum eſt, cùm D. Chryſoſtomo, loco citato, non eſſe bonum diſſolui, ſeù mori; eſt enim mors, ſecundum ſe ex indifferentibus; ſed diſſolui, & eſſe cùm Chriſto; *neque bonum*, inquit, *eſt, mori; ſed poſtquàm mortuus fueris, apud Chriſtum eſſe: iſthuc bonum eſt*. Supponit igitur Paulus, ut etiam D. Ambroſius in eodem loco annotat, ſe ſtatim poſt mortem potuiſſe eſſe cùm Chriſto, ac proindè in Cœlo, in quo conſtat, Chriſtum eſſe, aliàs fruſtrà id Paulus, tamquam melius, deſideraſſet: *Habet enim deſiderium*, inquit Ambroſius, *excedere, & cum Chriſto eſſe, exiſtimans multò meliùs, vitam præſens; ſit apud Deum, ut exoptatis, ac promiſſis fruatur*. D. Chryſoſtomus Homil. 4. in Epiſtolam ad Philippen. in principio, ſic ſcribit, *Quid dicis Paule? cùm hinc abiens, in Cœlum ipſum migraturus ſis? atque cum Chriſto futurus? ignoras quid eligere debeas?* Et multa proſequuturum hanc ſententiam: ex quibus colligitur, iuſtos ſtatim poſt mortem diuinitate, ac Chriſti præſentia frui, &c.

Quomodo bonum ſit diſſolui, ſeu mori.

D. Chryſoſt.

D. Ambroſ.

D. Chryſoſt.

Locus ad idē probandū adducitur, & explicatur, ex Epiſtola ad Hæbr. 9.

SEPTIMVS locus habetur ad Hæbræos 9. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*, quæ uerba Primaſius, Theophylactus, Anſelmus, Oecumenius, Carthuſianus, Caietanus, & alij in hunc modum exponunt; quòd toto tempore Veteris Teſtamenti, dum durauit ſtatus cæremoniarum legalium, uia Sanctorum ad Cœleſtem patriam aperta nō erat; ſicut cortina illa Tabernaculi populum, & Sacerdotes detinebat, nè in Sancta Sanctorum ingrederentur: Vndè animæ etiam iuſtiſſimæ tunc ad Inferos deſcendebant; At per mortem Chriſti, uelo Tabernaculi remoto, immò à ſummo uſque deorſum conſciſſo; ceſſantibus figuris; iam uia ad Sancta Sanctorum Regni Cœleſtis patefacta eſt, iuxtà illud Pſalmi 15. *Notas mihi feciſti vias vitæ, & adimplebis me lætitia cùm vultu tuo, &c.*

Pſalm. 15.

Ad Hæbr. 12. quid doceat Paul.

OCTAVVS locus eſt, ad Hæbræos 12. *Sed acceſſiſtis ad Syon montem, & Hieruſalem Cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam Primitiuorum; qui conſcripti ſunt in Cœlis, & Spiritus iuſtorum perfectorum, &c.* Vbi Paulus deſcriptionem faciens Cœleſtis Ciuitatis Hieruſalem triumphantis, primos illius habitatores enumerat Angelos, deindè animas Primitiuorum, ideſt, Apoſtolorum,

item

item Spiritus Iuſtorum perfectorum, qui iam de hoc ſæculo tranſierunt, & poſt Apoſtolos ad Regnum Cœleſte peruenerunt; quorum omnium illos ſocios futuros eſſe in Cœlis dicit. En apertè dicit Paulus, animas Sanctorum iam nunc conſcriptas eſſe cùm his, qui ſunt in Cœlis, ideſt, in ordine, & ſorte Angelorum deputati; ſic habet Anſelmus eo in loco, dicens, *Omnes iuſti quicumque in factis, & dictis & cogitationibus perfecti ſunt, mox vt animas de corporibus emittunt, Cœleſtibus habitaculis inferuntur*.

D. Anſel.

Locus Apoc. 6. exponitur. Anſel. Riccar. Greg. Auguſt. Beda. Aymo. Iſai. 65. D. Auguſt.

Nonvs locus habetur Apocalypſis 6. vbi Martyrum animæ ſingulæ albas ſtolas recipiunt, ideſt, gloriam Beatitudinis eſſentialis, ut exponunt Anſelmus in illum locum, Riccardus de Sancto Victore libro 2. in Apocalypſim cap. 8. nec nõ Gregorius in quartum Pſalmum pœnitentialem, & Auguſtinus ſerm. 40. de Feſto Innocentium. Interim expectare iubentur, donec alteram ſtolam, ideſt, gloriã corporis, poſt reſurrectionem recipiant, ut Beda, & Haymo ibidem: Tunc enim, ut Eſaiæ 61. dicitur, *In terra ſua duplicia poßidebunt*; Auguſtinus Homil. 6. ſuper Apocalypſim, Ambroſius, & Ansbertus egregiè hunc locum Apocalypſis explanant, quos legito.

Apocal. 7. locus explicatur.

Decimvs locus habetur Apocalypſis 7. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt ante Thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in templo eius*. Quis igitur negabit, animas iuſtorum, nec ante Thronum Dei iam eſſe, nec in templo eius, ideſt, in Cœlo ei inſeruire? Neque enim Angeli hi cenſendi ſunt, qui amicti ſtolis albis ante conſpectum Dei ſunt; cùm Ioannes apertè dicat, *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, ideſt, in Sacro Baptiſmate, ut D. Bernardus, in ſermone primò de Paſchate, exponit.

D. Bernar.

Locus ad Hebræos 11. ad idem exponitur. D. Anſel.

Vndecimvs locus ad Hæbræos 11. *Per fidem Sancti vicerunt regna; adepti ſunt repromißiones:* quem locum D. Anſelmus intelligit de retributione ęternę beatitudinis, Animę enim eorum, quos ibi enumerat Paulus, Dauidis ſcilicèt, Samuelis, Samſonis, & reliquorum, eo tempore, quo Paulus hęc ſcripſit, iam habebant repromiſſiones ſecundùm animam in Cœlis. Nec obſtant ea, quę in fine eiuſdem capitis Apoſtolus dicit, *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromißionem*; nam, vt idem Anſelmus ibidem rectè ponderat, cùm hic vtatur Apoſtolus uerbo repromiſſionis in ſingulari, utique eam repromiſſionem illos non accepiſſe intelligit, quæ ad corporis reſurrectionem pertinet: ac proindè ſubiungitur, *ut non ſine nobis conſumentur*, hoc eſt, ut non percipiant beatitudinem animę, & corporis ſine nobis; quam conſũmatam, ut communem, omnes in die reſurrectionis habituri ſumus.

Eccleſ. 11.

Vltimvs locus eſt ex ueteri teſtamento Eccleſiaſtici 11. *Facile eſt, coràm Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias eius.*: Diuina ergò retributio ſemper cuique datur, ſecundùm eius meritum, prout ſtatus eius requirit in die mortis. Quocircà non eſt uis facienda, quòd cùm hæc ſcripſit ſapiens, non eſſet uerum, dari animabus remunerationem beatitudinis eſſentialis in die mortis; cùm Cœlum in die mortis apertum non eſſet. Nam uerba ſapientis intelligenda ſunt de retributione, quę diuerſis ſtatibus, pro temporum diuerſitate, competere poterat: & quemadmodum Sinus Abrahæ tunc ſtatim poſt obitum dabatur, iuxtà illud Lucæ 16. *Nunc verò hic conſolatur; tu verò cruciaris:* ſic poſt Chriſtum his, qui digni ſunt, beatitudinis æternę, poſt diem obitus, retributionem concedi, fatendum eſt. Id enim Deo non difficilè; ſed facilè, & conſuetum eſt; ſicut etiam, *Facilè eſt in oculis eius*, ideſt, ſolet Deus, *ſubitò honeſtare pauperem*, ut eodem loco Sapiens aſſerit.

Luc. 16.

Conſuetudo Eccleſiæ ad pręſentẽ beatitudinem iuſtorum comprobandam. Oro D. Gregorij, & aliæ.

Secvndo principaliter probatur ueritas illa Catholica ex ritu Eccleſię; hęc enim in publicis Collectis, & orationibus, quas in Miſsæ ſacrificio recitat, animas Sanctorum in ęterna beatitudine collocatas eſſe teſtatur. Sic habet in oratione D. Gregorij, *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti*; & in collectis Defunctorum, pręcipuè in illa; *Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, Beata Maria ſemper Virgine intercedẽte, cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ*

beatitudinis

beatitudinis conſortium, peruenire concedas, &c. atque etiam in omnibus precibus, quę pro commendatione animę, quando è corpore egreditur, funduntur, perſpicuè uidere eſt. Adde quòd ex ritu pſallendi gręcorum, & carmina in honorem Sanctorum cantandi, ut ex Damaſceno in ſecundo tono octaui toni, & ex Theophane, apud Gennadium, de fruitione Sanctorum ſectione quinta habetur, hęc ueritas eleganter probatur.

Damaſc. Gennad. Theophanes.

Tertio ex Conciliorum, & Pontificum Decretis habetur hæc veritas. In Cōcilio Florentino, ſeſſione vltima, ſub Eugenio IIII. in Decreto unionis Græcorum, & latinorum, & in Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. in Can. de Inuocat. & ueneratione Sanctorum. Eamdem ueritatem expreſſis uerbis definit Innocentius III. in Cap. *Maiores*, extrà de Baptiſmo, & eius effectu, & in Cap. *Apoſtolicam*, extrà de Presbytero non baptizat. & Benedictus XII. in extrauaganti, quæ incipit, *Benedictus Deus*, vbi poſt multas diſceptationes, id tandem definiuit. Tenor illius extrauagantis refertur à Caſtro, lib. 3. contra hæreſes, uerbo Beatitudo, hereſi 6. Nec obſtat, Ioannem XXII. aliter definiſſe, & declaraſſe; immò etiā iuſſiſſe Pariſienſibus, ut refert Gerſon in ſermone de Paſchate, Ocham in opere nonaginta trium dierum, Marſilius in 4. quæſt. 13. artic. 3. & Adrianus in 4. in diſputatione de Sacramento Confirmationis; nam, ut narrat præfatus Benedictus, qui immediatè ſucceſſit Ioanni XXII. dū hic in Conſiſtorio publico ſe accingeret ad id definiendum, præſentibus Cardinalibus, multiſque Prælatis, ac Magiſtris in Theologia, morte præuentus, ſicut Domino placuit, huiuſmodi quæſtionem non terminauit; quinimmò Ioannes Villanus illius temporis hiſtoriographus lib. 11. hiſtoriæ de rebus Florentinorum cap. 19. ſcribit, præfatum Papam Ioannem retractaſſe ante mortem ſuam ſententiam, declarando ſe in omnibus ſuis locutionibus, & Scripturis de hac re, non per modum definitionis; ſed ad inquirendam dumtaxat ueritatem, per modum diſputationis proceſſiſſe; immò etiam primam ſuam ſententiam, tùm Philippi Regis Galliæ monitu, tùm Cardinalium ferè omnium oppoſitione, ut cap. vltimo lib. 10. Villanus refert, condemnauit; amplectens eam, quæ dicit, Sanctorum animas, antè corporum reſurrectionem Deum uidere; in omnibus ſuis opinionibus ſe Eccleſiæ Catholicæ ſubdens. Plura de iſto Ioanne XXII. legenda ſunt apud Bellarminum lib. 4. de Pontifice ca. 14. & li. 1. de beatitudine Sanctorum, cap. 2. vbi callida Caluini mendacia de hac re, ſapienter aperit.

Idem probatur auctoritate Pontificū, & Conciliorum.
Conc. Flor.
Conc. Trid.
Innoc. III.
Bened. XII.
Caſtro.
Obiectionis diſſolutio.
Gerſon.
Ochan.
Marſil.
Adrian.
Io. Villanus.
Bellarm.

Qvarto, probatur idem teſtimonijs ueterum Patrum tam ex Græcis, quàm ex latinis: Omnes quippè hanc ueritatem expreſsè, & luculenter expoſuerunt, ac docuerunt.

D. Ignativs in Epiſtola ad Romanos ſæpiùs repetit, per Martyrium ſe ad Dei viſionem peruenire, Chriſtum inuenire, eoque frui: *Sinite*, inquit, *me puram lucem aſpicere, illuc perueniens; homo Dei ero*; & iterum, *miſerabilis ſum nunc donec Deum merear adipiſci*; & turſus, *Aqua uiua manens in me, intrinſecùs mihi dicit, veni ad patrem*; Ex quibus uerbis, error Græcorum, & Caluini conuincitur: dum Ignatius dicit, ſe poſt obitum illicò cum Deo futurum, illicò puram lucem, id eſt, diuinam eſſentiam conſpecturum, illicò Chriſtum adepturum; quòd ſi apud Inferos erat migraturus, quomodo cùm Chriſto, qui in cælo eſt, futurus erat? quomodo ad Patrem ibat, ſi ad receptacula abdita Inferorum deſcenſurus erat?

Ad idem demonſtrādum adducuntur Sancti Patres tam græci, quam latini.
D. Ignatius.

B. Dionysivs Areopagita in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, par. 1. cap. 7. dum loquitur de Sanctis, cùm ultimum diem agunt; *Norunt*, inquit, *profectò ſe totos percepturos exactiſſimam ad Chriſti ſpeciem, requiem, cùm ad præſentis vitæ finem peruenerint, uiamq; ad immortalitatem ſuam è uicino iam clariùs intuentes, diuinitatis laudant munera, diuinaq; lætitia geſtiunt, non iam ad deteriora conuerſionem metuentes; ſed parata bona ſe firmiter, perpetuoq; habituros, probè noſcentes, &c.* Quæ uerba rectè exponi debent, ibi enim nomine immortalitatis, non animæ, uel carnis immortalitatem intelligit, cùm illam iam poſſiderent; hanc verò non è uicino, ſed vſque ad ultimum diem iudicij, adepturi non eſſent; ſed uitam æternam, de qua

D. Dionyſius.

Chriſtus ait, *Hac eſt uita æterna, ut cognoſcant, &c.* Illa enim eſt uera immortalitas, quæ coniungit nos Deo, qui ſolus habet immortalitatem, & *Lucem inhabitat inacceſſibilem*, ut inquit Paulus prima ad Thimoth. 6.

1. Thim. 6.

Idem Dionyſius in par. 3. eiuſdem libri, & capitis, multis uerbis agens de ritu ſepulturæ fidelium, inter cætera ſic ſcribit: *Porrò diuinarum promiſſionum cantica, & lectiones explicant beatiſſimam requiem, ad quam ſubuehuntur ſempiternè, qui ſanctè conſumati ſunt.* Nil certè clarius dici potuiſſet. ſed & alia uerba, quæ inferius profert, nulla obſcuritate laborant: *Iſta, ut reor,* inquit, *perſpicuè ſunt beatiſſima Sanctorum præmia, quid enim immortalitati perfectæ, omniq; triſtitia uacua, ac plenæ perpetui luminis conferri poteſt? licèt multum ſanè promiſſiones illæ ſublimiores noſtra mente ſint, quæ uocabulis nobis congruis deſignantur; longè tamen inferiores earum re, & ueritate appellationes habent, illud enim eloquium uerum profectò exiſtimandum eſt, quod oculus non uidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, &c.* certè hæc omnia ſolùm de æterna gloria uerificantur.

S. Irenæus.

S. Irenævs libro primo cap. 2. oſtendens, non omnibus animabus iuſtis ſtatim uiſionem Dei concedi; ſed quibuſdam tantùm, ut eis, quę ſtatim, poſt Baptiſmum à corpore ſeparantur, uel, quæ cùm merito Martyrij, aut ſummo meritorum cumulo diſcedunt ex hac uita; cæteris verò non niſi peracta Pœnitentia, hoc eſt, ſatisfactione in Purgatorio: ſic ſcribit; *Iuſtis, & æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex Pœnitentia, uitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat.* Hæc ille. Vnum certum eſt, ante diem Iudicij, æternam claritatem, id eſt, beatitudinem eſſentialem animabus concedi. Quod expreſſis uerbis idem Irenęus lib. 2. cap. 63. ſcripſit; *Per hæc,* inquit, *manifeſtiſſimè declaratum eſt, & perſeuerare animas, &c. & dignam habitationem, unamquamq; gentem percipere, etiam ante diem Iudicij;* Cælum autem dignam habitationem Animabus iuſtis eſſe, ex Scripturis Sacris ſuperiùs oſtenſum eſt. Quod autem idem Irenæus in calce capituli 13. 5. libro habet, uidelicèt, animas Sanctorum poſt obitum in inuiſibilem locum à Deo eis definitum abire, & ibi uſque ad reſurrectionem commorari, & poſt reſurrectionem recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt corporaliter, ſic uenire ad conſpectum Dei; nos mouere non debet, cùm ſolùm ſignificet, animas beatas ſine corpore adhuc non eſſe in illa perfecta beatitudine, in qua Chriſtus eſt, qui anima, & corpore beatus eſt. Vocat autem inuiſibilem locum, ipſum Cælum, quod mortali naturæ inacceſſibile eſt: nam ſi ex Irenæi ſententia in eodem loco, Diſcipuli Chriſti ipſum imitari debent, in morte, requie, & reſurrectione, & cùm Chriſtus non niſi poſt triduum ſepulchri, quantum ad corpus, beatus fuerit; quamquam iam anima eius beata erat, & in Paradiſo, iuxtà illud, *Hodie mecum eris in Paradiſo,* argumento eſt, Sanctos quoque, dum eorum corpora in ſepulchris quieſcunt, quantum ad animas in Cęlo beatos eſſe.

Origenes.

Origenes lib. 2. Periarchon cap. 12., quamuis in eo fuerit errore, animas ſcilicèt Sanctorum ſeparatas à corpore, per uaria loca, & uirtutum progreſſus gradatim proficere, concludit tamen, ante Iudicium pleraſque earum tandem deduci ad Cælum, Deumque uidere. Exiſtimauit enim, eas primùm deduci ad locum aliquem terreſtrem, ut ſordes eluerentur, deinde ad aereum locum, in quo quædam ſublimiora ediſcerent, denique ad Dei uiſionem in Cęlis; Verba eius ſunt hæc, *Si quis mundus corde, & purior mente, & exercitatior ſenſu fuerit, citò ad aeris locum aſcendet, & ad cælorum regna perueniet.* Et in homil. 7. in Leuiticum, negat tantùm Sanctos, etiam Apoſtolos, adhuc recepiſſe perfectam lætitiam, id eſt, cùm corporis conſortio; quòd utique erit, cùm nos etiam erimus, ubi nunc ipſi ſunt: addit quoque, non dum Chriſtum habere perfectam lætitiam, ſcilicèt accidentalem, quia non dum in Cælo habet omnia membra ſua, id eſt iuſtos in corpore glorioſos.

D. Athanaſ.

D. Athanasivs in vita D. Antonij ſcribit, Beatum Antonium, animam Ammonis, Angelis aſſociatam, aſcendere Cælum conſpexiſſe.

D. Basilivs

D.Basilius Homil. in Quadraginta Martyres, ſic ait, *Vos non terra occuluit, ſed Cælum ſuſcepit, apertæ ſunt Vobis Paradiſi portæ:* & in oratione in Gordium Martyrem, inquit, *Affectus eius erit, non vt qui in lictoris manus deuenturus eſſet, ſed velut Angelorum manibus ſe ipſum commiſſurus, qui ſtatim ipſum recens mactatum, aſſumptum ad beatam vitam tranſlaturi eſſent.* D.Baſil.

D.Gregorius Nyſſenus in Diſputatione de anima, & reſurrectione cũ Sorore Macrina, in principio, dicit *Cùm ingens ille vir inter Sanctos Baſilius, ex humana vita ad Deum migraſſet.* & in oratione in Sanctum Ephræn, pulchrum teſtimoniũ huius ueritatis ſcriptum reliquit: *In Cæleſtibus Tabernaculis*, inquit, *animus illius cõſedit, vbi ſunt ordines Angelorum, vbi Patriarcharum populi, vbi chori Prophetarum, vbi ſedes Apoſtolorum, vbi gaudium Martyrum, vbi Piorum lætitia, vbi Doctorum ſplendor, vbi celebres Primogenitorum cætus, vbi pura lætantium voces*, & infrà ait, *Tu verò diuino aßiſtens altari, vitaque Principi, & Sacroſancta vnà cùm Angelis ſacrificans Trinitati, omnium noſtrum recordare, nobiſque peccatorum veniam impetra.* Nyſſenus.

Idem in oratione de Dormientibus plura in hanc ſententiam dicit, & paulò poſt principium. *Eximitur enim ab omnium harum, & talium rerum neceßitate vitali la immaterialis, & incorporea, quæ nulla re amplius opus habet: in qua id, quod continet, atque conſeruat animæ ſubſtantiam, non humidi, & ſicci nutrimenti vſus; ſed diuinæ naturæ contemplatio eſt. Pro eo autem, quem ex aere haurimus, & ducimus ſpiritum, veri, & Sancti Spiritus eſſe communionem, non ambigimus: Quarum rerum fruitio, ac delectatio non ad ſimilitudinem huius vitæ, viciſsitudine variata per habitum, & priuationem, tùm ingrediendo, tùm exercendo; ſed ſemper implendo, ac numquam ſatietate impletionẽ circumſcribendo, atque definiendo fit. Non enim graues, ſed inexplebiles ſunt intellectuales deliciæ, omni tempore participantium cupiditatibus inſatiabiliter affluentes, & abundantes. Idcircò beata quædam, integra, ac immortalis eſt illa vita, quæ iam non amplius errore inducta in voluptatibus, quas ſenſuum vaſis, & inſtrumentis percipimus, bonum ineſſe iudicet.*

Idem in Oratione habita in funere magni Meletij Epiſcopi Antiochiæ in principio ſic dicens, *Auxit nobis numerum Apoſtolorum nouus Apoſtolus, qui cooptatus eſt in ordinem Apoſtolorum. Traxerunt enim Sancti ad ſe moribus conſimilem, Athletam Athletæ: coronatum coronati: animo caſtum, corde puri; præconem ſermonis, miniſtri ſermonis. Verùm pater quidem noſter Apoſtolici contubernij, & ad Chriſtum reſolutionis nomine beatus habendus eſt, nos verò miſerabiles.*

Prætereà in calce eiuſdem Orationis ſic ſcribit, *Non ablatus eſt à nobis ſponſus, in medio noſtrum ſtat, etiamſi nos non videamus. In adytis, ac penetralibus Sacerdos eſt, in interioribus veli, quò præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Chriſtus, reliquit carnis tegumentum, non amplius ſigno, & umbra Cæleſtium ſeruit, ſed in ipſam rerum imaginem intuetur: non amplius per ſpeculum, atque per trãſennam, & ænigma: ſed ipſe facie cum facie collata intercedit apud Deum. Intercedit autem pro nobis, & populi erratis. Depoſuit tunicas pelliceas; neque enim talibus tunicis opus habent, qui in Paradiſo degunt; ſed habet indumenta, quæ puritate vitæ ſuæ contexuit, iiſque ſeſe exornauit. Honorata, ac præcioſa coràm Domino talis Viri mors eſt. Immò verò non mors, ſed ruptura membrorum eſt. Dirupiſti enim, inquit, vincula mea. dimiſſus eſt Simeon, liberatus eſt à vinculis corporis. Laqueus contritus eſt, & auicula auolauit. Reliquit Aegyptum, materialem, & craſſam vitæ rationem tranſiuit, non rubrum hoc, ſed atrum illud, & caliginoſum vitæ mare. Ingreſſus eſt terram promißionis; In monte cum Deo philoſophatur; ſoluit animæ calciamentum, vt pura planta mentis terram ſanctam, vbi conſpicitur Deus, conſcenderet.* ſic Nyſſenus.

D.Gregorius Nazianz. in Oratione in Laudem Baſilij in fine ita habet. *Tu verò ſacrum, & diuinum caput nos cælitus inſpicias, carniſque ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam datum, aut precibus tuis ſiſtas, aut perſuadeas, vt forti animo perferamus, noſque poſtquàm ex hac vita migrauerimus, tabernaculis tuis excipias, vt ſimul viuentes Sanctam, ac beatam Trinitatem, cuius nunc exiguam ſpeciem, & imaginem accipimus, puriùs, perfectiuſque conſpicientes, deſiderijs noſtris finem imponamus.* Nazian.

Et in eadem. *Tu*, inquit, *obiter è Cælo nos reſpice, & datam mihi renum debilitatem,*

& articulorum dolorem, vel iube diſcedere, vel adiuua, & hortare, ità me æquo animo ferre, vt hinc demum diſcedentem, me in æterna tabernacula recipias, & beatam Trinitatē eo, quo eſt modo, tecum pariter contemplari valeam. In fine quoque orationis in D. Cyprianum, inquit, *& Sanctæ Trinitatis ſplendorem, cui nunc aſſidet*. & etiam in Oratione in Gorgoniam, eam diuina Sanctiſſimæ Trinitatis contemplatione cùm Angelis frui aſſerit.

Metaphr. METAPHRASTES in Sancti Ioannicij vita, in fine orationis, ſic apertè dicit. *D. Iohannicius, Spiritu quidem ad eum, quem diligebat, demigrat, Angelorum choris comitatus; corpore verò vrna clauditur. Methodius, qui inter Patriarchas, dum viueret, magnū lumen effulſit, poſt octo menſes ab eius morte deceſſit, quartadecima die inſtante Iunij. Quæ ſunt igitur ea, quæ poſt obitum huius admirabilis Ioannicij contigerunt? Fractorum conſolidationes membrorum, quidam à prauis Dæmonibus liberati ſunt, cùm ad eius tantum monumentum acceſſiſſent, & quo pacto poſt obitum poterat Ioannicius hac gloria ſpoliari, cuius diſceſſum columna ignis apud montem Olympum ſignificauit? Quem Angeli præcedebant, Paradiſi iannas aperientes, & in Cæleſtem beatitudinem deducentes, vt purificatus in conſpectum Domini perueniret, & cùm Angelorum ordinibus verſaretur; à quibus Beata Trinitas glorificatur, & exaltatur nunc, & in ſempiterna ſæcula ſæculorum, Amen.*

D. Chryſoſt. D. CHRYSOSTOMVS in Epiſtola 2. ad Corinth. Homil. 10. circà finem, tractans de deſiderio beatitudinis. *Attingamus igitur illud, & exardeſcamus: nam ſi cogitatio illorum, quamuis obſcura ſit, tantam ſuppeditat voluptatem, cogita, quantam lætitiam nobis allatura ſit manifeſta ipſa comprehenſio; beati, & ter beati, qui illis bonis fruuntur, ſicut & miſerabiles, & miſerrimi, qui hiſce contraria ſuſtinent. Vt igitur non horum, ſed eorum ſocij fiamus, eligamus Virtutem; nam & ſic ventura bona aſſequemur.*

Item in Epiſtola ad Philippen. Homil. 3. in principio partis moralis. *Lugeamus peccatores non ſolùm mortuos, ſed viuentes; gaudeamus propter iuſtos, non ſolùm viuentes, ſed & mortuos. Nam illi quidem etiam viuentes, mortui ſunt; iſti verò mortui quoque viuunt. Illi etiam hic exiſtentes, omnibus deplorandi ſunt, eò quòd Deum offendunt; iſti in aliam quoque vitam tranſlati beati ſunt, eò quòd ad Chriſtum hinc abierunt. Peccatores vbi vbi fuerint, procul à Rege ſunt, atque ideò digni ſunt, qui defleantur. Iuſti verò ſiuè hic, ſiuè in futuro ſæculo fuerint, cum Rege ſunt, illic tamen magis, & proprius, non per aceſſum, ac fidem, ſed facie ad faciem.*

Idem ſcribit in Homil. 4. ſuper Epiſt. ad Philippen. in illis verbis, *Quis Athleta cupiet amplius certare, cum iam liceat coronari? quis pugilum eliget denuò certamen ingreſſus de ſuo ipſius capite periclitari, cum iam ſi vellet, coronam poſſet accipere? Quis eſt ille Miles, qui cum liceat iam cum celebritate; & tropheis à bello liberari, cumque Rege in ipſis quieſcere, ac refocillari regijs, ſuſtineat adhuc in bello, & ſudare, & in aciem collocari.* Quæ ſententia ſupponit ſtatim poſt mortem, iuſtum videre Deum. Quod etiam clarius Chryſoſtomus dixit Homil. 32. ſuper Epiſtolam ad Romanos, in principio partis moralis, vbi Paulum in Choro Sanctorum in Cœlis, vbi Cherubin Deum glorificant, vbi Seraphin uolant, Choriphæum exiſtentem, & præſidentem vocat. & in fine, inquit, *Quoniam multum dilectionis ergà Chriſtum oſtendit, Cælos ipſos tranſcendit cum Angelis conſtitutus;* ſimilem ſententiam profert in lib. 6. de Sacerdotio paulò poſt principium, *quòd qui de hac vita emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi,* (loquitur de Euchariſtia) *cùm pura, ac munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum afflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacrum, hinc rectà in Cælum adducuntur; vbi vides obſequium Angelorum non ſolum erga corpora, quod intelligendum eſt, dum ſepulturæ commendantur, ſed etiam ergà animas Sacerdotum, qui pura conſcientia corpus Dominicum tractauerunt, dum rectà in Cælum ab ipſis deducuntur, præſtari.*

Aduerſariorū argumēta ex Chryſoſt. deſumpta. SED obijciunt aduerſarij locum illum Chryſoſtomi in primam ad Corinth. Homil. 39. ferè circà medium, ſuper illa uerba, *Si in hac vita, ſpem tantum in Chriſtū habemus, mortalium omnium miſerrimi ſumus. Quid ais Paule? ſuppetit fiducia ſola, ſi corpus non excitetur? An non animus ſuperſtes erit? erit, & immortalis quidem; ſexcenties im-*

ties immortalis ſit licèt, ut eſt ſanè, carnē tamen citrà, mirabilibus illis bonis non fruetur, quemadmodum non punietur. Omnia enim coram tribunali Chriſti manifeſtabuntur, inquit, vt unuſquiſq; ferat, quæ per corpus, ſeu bona, ſeu mala fecit; nunc, ſi in hac uita ſpem tantum in Chriſtum habemus, mortalium omnium miſerrimi ſumus, inquit. Nam ſi corpus non reſurgat, anima noſtra incoronata iacebit, extrà cæleſtem Beatitudinem erit.

Obijciunt ſecundò alium locum eiuſdem, ex homil. 28. in Epiſtolam ad Hebræos ferè in principio, tractans illa uerba, *Nec dum receperunt mercedem. Sed adhuc permanent, & ità mortui, & tanta in tribulatione, nec dum receperunt, tantùm tempus habent, ex quo uicerunt, & nec dum receperunt: nos autem in certamine conſtituti, mœrore afficimini. Intelligite itaq; & nos quale, & quantum eſt Abraham ſedere, & Apoſtolum Paulum, expectantes quando, & tu conſumeris, ut poßint tunc mercedem recipere. Niſi enim etiam nos illuc uenerimus, tunc prædixit eis Saluator, non dare mercedem: ſicut pater bonus, amator filiorum, probis, & genuinis filijs, & opus perficientibus, dicit non ſe daturum prandium, niſi uenerint etiam alij fratres. Tu autem anxius es, quia nec dum mercedem accipis? Quid itaq; faciet Abel, qui ante omnes uicit, & adhuc ſinè corona ſedet? Quid Noe? Quid cæteri illorū temporū? Quia te, & alios, qui poſt te futuri ſunt, præſtolantur? Vides, quia nos in hoc ſuperſperamus eos? De nobis enim, inquit, melius aliquid prouidit Deus, nè aliquid præ nobis plus habere uiderentur, ſi primi ante nos coronarentur, unum definiuit tempus omnium coronarum; & qui ante tantos uicit annos, tecum accipiet coronam.*

Explicantur duo loca Chryſoſt. citata contra hæreticos.

At, Qvi fuerit verus ſenſus Chryſoſtomi in his duobus locis, facilè eſt oſtendere; neque enim voluit in illa Homil. 39. animam, ante carnis reſurrectionem, beatitudine non frui; ſed docuit, quòd hæ duæ Beatitudines, ſeu gloriæ, animæ ſcilicèt, & corporis, ſuis tamen temporibus debitis præſtandæ, adeò inuicem ſibi cōnexæ ſunt, & correſpondent, vt ſi una detur, alteram quoque dari neceſſe ſit. Si enim anima hodie beata eſt, & caro quoque reſurget, & è contra, ſi caro reſurget, anima & ſuam gloriam habebit; ſequitur iam animam immortalem æternis bonis frui: Vtraque enim pars hominis, corpus ſcilicèt, & anima, coronam iuxtà ſuum laborem recipient. Nec intentio fuit Chryſoſtomi dicere, ut Theophylactus eius Diſcipulus clariùs in eumdem locū Pauli explanauit, quòd quando anima eſt beata, carnem quoq; beatam eſſe, neceſsè ſit; ſed certū eſſe, quòd ſuo tempore coronabitur; Quod indicant verba illa, *Omnia enim coràm Tribunali Chriſti, &c.*

Theophyl.

Ad ſecundum locum dicimus, Chryſoſtomum, ſicut etiam Paulum, de gloria corporum ſermonem facere, vt ſuperiùs indicatum eſt: hæc enim, generaliter loquendo, dabitur in die reſurrectionis, qui eſt definitum tempus omnium coronarum, quæ carni debentur. Lege Oecumenium in illum locum Pauli.

Oecumen.

D. Cyrillvs Hieroſolymitanus in Catecheſi 13., quem locum ſuprà citauimus; non ſolùm dicit, Latronem de ligno in Paradiſum introductum fuiſſe; ſed etiam antè Abraham fidelem, illum ingreſſum eſſe: nec timendum illi eſſe à ſerpente, qui cùm è Cælo ceciderit, illum eijcere non ualet.

D. Cyrill. Hieroſol.

D. Cyrillvs Alexandrinus lib. 11. in Ioannem cap. 36., inquit, *Credere namq; debemus, cum à corporibus Sanctorum animæ abierint, tamquàm in manibus cariſsimi Patris, bonitati diuinæ commendari; nec, ut quidam infidelium crediderunt, in terris conuerſari, quouſq; ſepultura honoribus affecta ſint.*

D. Cyrill. Alexand.

S. Epiphanivs hæreſi 78. verſus finem, inquit, *Sancti ſunt in honore, quies ipſorum in gloria, profectio hinc in perfectione, ſors ipſorum in beatitudine, in manſionibus Sanctis, tripudium cum Angelis, diæta in Cælo, gloria in honore incomparabili, & perpetuo, brauia in Chriſto Iesv Domino noſtro.*

Epiphan.

Theodoretvs lib. 8. ad Græcos, ubi de Martyribus agens dicit, *Maiori ſorte meritò perfruuntur Martyres, quibus nunc, & à cunctis latè mortalibus honores ampliſsimos ferunt, & æternis ſunt inſigniti coronis.* Nec eā, quæ idem Theodoretus ſcribit in cap. 11. Epiſtolæ ad Hæbræos aduerſantur his, quæ in hoc libro de Martyribus dicit: nam hic de æterna animæ corona, ibi uerò de gloria corporis, & repromiſſione reſurrectionis ſermonem facit.

Theodoret.

Theophyl.

Theophylactvs in caput 23. Lucæ, reſutans eorum opinionem, qui aſtruebant, Latronem non ad regnum Cęlorum; ſed ad Paradiſum fuiſſe deductum, inquit, *Dicendum, idem eſſe Paradiſum, & Regnum Cælorum, nam Latro eſt in Paradiſo, ac regno, alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione.* Quæ autem idem Auctor prius dixerat in 16. ca. Lucæ, narrationem ſcilicèt de Lazaro; & diuite; parabolam, non hiſtoriam eſſe; quia non dum præmia vel pœnæ ſunt iuſtis, & iniuſtis diſtributæ; accipienda ſunt de pœnis, uel præmijs, quę ad corpus ſpectant; & quãuis hiſtorica uerè fuerit illa narratio; aliquid tamen, quod parabolicum ſermonẽ ſapit, putà de oculis, & lingua Diuitis in Inferno, de extremo digiti Lazari, & aqua refrigerante in flamma Infernali, complectitur. Atque ea etiam, quæ in 11. cap. ad Hæbræos ſcribit, ut Theodoretum, & alios expóſuimus, exponenda ſunt.

Damaſcen.

D. Damascenvs in libro de precibus in ſecundo tono octaui toni inquit, *Vitæ Chriſte dator, ſponte paſſionem propter homines ſuſtinuiſti. in Infernum verò deſcendẽs, ut potens eos qui ibi tuum aduentum præſtolabantur, tamquã ab forti abripiens fera, Paradiſum pro Inferno habitare conceſſiſti. ad medelam*, inquit, *noſtram hæc ſcripta ſunt.* Et infrà. *Admirabilis tua crucifixio, & in Infernum deſcenſus, à hominum amator: nam ſpolijs et detractis, & ijs, qui iampridem in uinculis detinebantur unà tecum glorioſe exuſcitatis, uti ſcilicèt Deus Paradiſum aperuiſti, & ut eum conſequerentur dignos illos effeciſti.* Idem in calce hiſtoriæ de Ioſaphat, & Barlaam; *Vultus*, inquit, *Domini nitidè, & nudè præſentatur, illiusq́; gloriæ tam ante promiſſa ſibi corona exornatur.*

Anaſtaſius. Gennadius.

Anastasivs diuinus Pater Græcus, à Monte Sancto Synai appellatus, ut refert Gennadius in interrogationibus, quas ad reſponſiones quaſdam piè ad eum factas facit, apertiſſimè hanc ueritatem demonſtrat. Interrogatio igitur, & reſponſio hęc eſt. Interrogatio. *Vbi omninò nunc animas eſſe dicemus? num in eodem loco omnes?* Reſpondeo, *Quamquam nemo de his clarè enunciarit, tamen ex Chriſti uerbis percipimus, iuſtorum animas, unà cum Latronis iuſti anima, in Paradiſo eſſe: quippè cùm D. Antonius animarum locum, & Sanctas animas uiderit eſſe in Paradiſo: ſimiliter & Diuus Pambo, & alij quidam ex Patribus.*

Iohan. Clim.

D. Iohannes Climacus ſic ſcribit. *Latro ille, ut tantùm ſui meminiſſet in regno ſuò poſtulauit, totumq́; Paradiſum in hæreditatem accepit, rurſus peccatorum animas, omne vetus, & Nouum teſtamentum in Inferni carcerem abligari, ueluti ad uincula, teſtatur; ut de Diuite illo dixit Dominus. Similiter & Dauid propheta dixit, Conuertantur peccatores in Infernum: nam cùm dicat, conuertantur, deſignat eo loci nunc eſſe animas, poſtea diſcedunt, & earum recipiunt corpora, ſicum ſingulis, ità poſtea à Iudice aduerſus eos ſententia fertur, dicens, conuertantur peccatores in Infernum; quo autem reuertitur, apertum eſt eò, unde uenerat, eum reuerti.*

Andreas Cretæ. Archiepiſcopus.

Andreas Archiepiſcopus Cretæ in Oratione de dormitione immaculatæ Virginis, in principio ſic habet. *Cæterum & Sanctorum animæ tenebroſum quedam lacũ illum pertranſeunt; at non ibi detinentur, præter eas, quæ uitæ delicijs delinitæ, peccatorum mortem attraxerunt: nam quæcumq́; ſe diuinis legibus ſubijcientes, eam, quæ uitæ talis degitur, uitam ſpiritu per carnem demonſtrauerunt; ad loca proculdubiò reſplendentia hinc Sanctorum ſacro ſtatui conſentanea ablegantur: quæ Dominus cuſtodit, & oculi eius, qui ut Scripturæ tradunt, omnia conſpiciunt; quorum pulchritudinẽ, et magnitudinem addã etiam, & ſupra captum hominis decorem iure apertius, & excelſius noſcent, qui Deo proximè accedunt, ibiq́; rurſum ſiſtentes, uocationem receperunt, quibus præcipuè parata eſt à prouidentia, quæ cuncta ſapienter adminiſtrat.* Sic Andreas; ubi uides, iuſtorum animas curſu uitæ perfecto, uocationem, id eſt, promiſſam à Deo beatitudinem recipere, ad locaque refulgentia tranſmitti.

Oecumen.

Oecvmenivs in cap. 9. Epiſtolę ad Hębræos inquit, Chriſtum, dum Cęlum ingrederetur, ſecùm duxiſſe humanũ genus, hoc eſt, Sanctos Patriarchas, & Prophetas, cæteroſque Sanctos Patres; qui ſi in Cælo ſunt, utiq; beatitudine per fruuntur. Ad quid .n. prodeſſet in Empyreo eſſe, ſi Deũ non uiderent? profectò par eſſet ac in terreno aliquo habitaculo, uel in abditis terrę quibuſuis recepticulis reſidere.

Ex horum Gręcorum Patrum ſerie abundè ueritas illa Catholica confirmata

eſt, animas iuſtorum purgatas ante diem Iudicij clarè Deum cernere: ſolus Euthymius,qui circà annum Domini M.C. LXXX. quo tempore Grecorum ſchiſma,hereſeſque inualuere,in caput 16. & 23. Luce,contrarium manifeſtiſſimè aſſerit;ſed ut eſt omnium Scriptorum Grecorum recentiſſimus,ſic nec in hac re magnifaciendus,uel omnibus ſuprà citatis Patribus anteponendus.

Euthymius reijcitur.

Ex Latinis Patribus eadem ueritas probatur.

Patres latini.

D.Cyprian.

D. CYPRIANVS li.4. Epiſ.2. ad Antonianũ, *Aliud eſt*, inquit, *miſſum in carcerẽ non exire inde,donec ſoluas ultimũ quadrantẽ; aliud ſtatim fidei,et uirtutis mercedẽ accipere.* Idem in libro de exhortatione Martyrij capite ultimo. *Quis*, inquit, *non omnibus uiribus elaboret,ut cum Chriſto ſtatim gaudeat? Vt poſt tormẽta,& ſupplicia terrena, ad præmia diuina perueniat?* Et infrà. *Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet Cœlũ; minatur Antichriſtus, ſed Dominus Chriſtus tuetur; mors infertur, ſed immortalitas ſequitur; occiſo mũdus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur; uita tẽporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta eſt dignitas,et quanta ſecuritas, exire hinc lætũ, exire inter preſſuras, & anguſtias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines uidebantur, & mundus: & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus uideatur, & Chriſtus: tam ueIociter migrandi quanta felicitas, ut terris repentè ſubtrahaeris, & in regnis cæleſtibus reponaris?* Idem etiã docuit in ſermone de mortalitate, & alijs locis talia ſepè repetit.

D. Hylarius.

D. HYLARIVS in Pſalmum 64. & in Pſalmum 60. & in Pſalm. 124. idem aſſerit dicens, Sanctos iam eſſe in tabernaculis, id eſt, celeſtibus manſionibus; de quibus Chriſtus dixit, *In Domo Patris mei, manſiones multæ ſunt*; eoſque eſſe Reges, & cùm Deo in eternum habitare; Apoſtoloſque ſignificari per montes, qui ſuper terrenam naturam, glorioſi iam in Dei rebus exultant. Quod autem hic Auctor ſuper Pſalmum 138. ſcribit, legem humane neceſſitatis eſſe, ut anime ad Inferos deſcendant; abſque dubio intelligi debet, pro tempore quo Celum clauſum erat, ideſt, ante Chriſti mortem, & paſſionem.

D.Amb.

D. AMBROSIVS lib.3. Epiſtola 22., ſecundum impreſſionem nouiſſimè Romæ factam; quam ſcripſit Sacerdotibus, & vniuerſo Clero Eccleſie Theſſalonicenſis, de vita, conuerſatione, & obitu Sancti Acholij eorum Epiſcopi, in principio ſic habet, *Cognoui cæleſtibus iam requieſcere virum Sanctum Acholium, quem in terris requirebamus*, & poſt pauca: *Ipſe Sanctus annunciauit ſe nobis, eò quòd iã perpetuò labo ris ſui potiretur ſtipendio, & ſolutis uinculis corporis, inter Angelorum miniſteria Chriſto adhæreret*; & paulò poſt, *Abijt ergò, non obijt, & emigrauit à nobis ueteranus Chriſti IESV, Cælo terra iſtius ſolum mutans*; Et infrà. *Eſt igitur ſuperiorum incola poſſeſſor Ciuitatis æternæ, illius Hieruſalem, quæ in Cælo eſt, uidit illic vrbis eius menſuram immenſam, purum aurum, lapidem precioſum, lumen ſinè ſole perpetuum; & hæc omnia iamdudum ſibi comperta, ſed nunc facie ad faciem.* Et li.7. Epiſt.54. circà medium, *Deus reliquias Sanctorum Eccleſiæ reuelaſſe dicitur; quorum animæ in Cælo, corpus in terra.* Et in caput primum Epiſtole ad Philippen. & alibi eamdem ſententiam repetit. Quando ergò in libro de bono mortis, cap.10. inquit idem Ambroſius, diẽ Iudicij eſſe ſimilẽ corone: *Sicut enim dies coronæ ab omnibus expectatur, ut intrà eum diem, & uicti erubeſcant, & victores uictoriæ palmam adipiſcantur: ſic ex die Iudicij omniũ bonorũ, et malorum retributio pendet*; Et infrà. *Dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam; alias manet pœna; alias gloria, & tamen nec illæ interim ſine iniuria, nec iſtæ ſine fructu ſunt.*

Explicatur quoddam D. Ambroſij dictum.

Hec, inquam, uerba Ambroſij procul dubio intelligenda ſunt de premio, & remuneratione publica, que uniuerſo homini, ideſt, anime, & corpori, in illa plenitudine temporis diei nouiſſimi tribuenda eſt. Eo enim die cùm ſolemnitate, & publicè Victores coronandi ſunt. Interim indè non ſequitur, animas iuſtorum ante diem Iudicij partem ſue mercedis non recipere, immò contrarium expreſſit Ambroſius, dũ dixit, nec illas interim ſine iniuria, nec iſtas ſine fructu eſſe; quòd expreſſius in capite vndecimo, & duodecimo eiuſdem libri exarauit. Verùm ſecũdò dici poſſet, oĩa illa teſtimonia Scripture, que in eo decimo capite adducit Ambroſius, ex 4. lib. Eſdre deſumpta eſſe; qui tamẽ liber cùm tertio eiuſdem, inter Ca-

Quart. liber

 nonicos

Eſdræ nõ eſt Canonicus ex Conc. Trid.

nonicos nõ numeratur apud Conc. Trid. ſeſ. 4. decreto de Canonicis Scripturis.

Alterum Ambroſij dictum explicatur.

Quod aũt idem Ambroſius in li. 2. de Abel, & Cain ca. 2. in fine dicit, *Soluitur corpore anima, & poſt finem vita huius, adhuc tamen futuri ambigua, ſuſpenditur*, ad cognitionem tẽporis futuri Iudicij uniuerſalis referendũ eſt, non aũt ad ſupernę cognitionis remunerationem; & ità ueritatem habet, quod ſubiungit. *Ità finis nullus vbi finis putatur*; quod ad ſtatũ animę poſt diem extremum referri minimè põt. Vndè ſubdit. *Votis, & pura conſcientia, et ſpiritu Charitatis, adhæreamus Deo noſtro, & diuinum nobis conciliemus fauorem, precantes, ut ſecularibus curis, tamquam ab immitibus, & agreſtibus Dominis poſſimus abſolui, atq; exui, mundanoq; exire ſeruitio, in libertatem ſuperna cognitionis; quæ uera, & ſola eſt libertas, vocati.*

Prudentius.

PRVDENTIVS in carmine de Beata Agnete ſic ait.

O Virgo felix, ò noua gloria.
Cæleſtis arcis nobilis incola,
Intende noſtris colluuionibus.

Et in carmine de paſſione Cypriani Martyris in fine, ſic cecinit.

Denìq; Doctor humi eſt. Idem quoq; Martyr in ſupernis
Inſtruit hic homines. Illic pia dona dat patronus.

Et in Ode in laudem Sancti Vincentij Martyris ſic cecinit.

Beate Martyr proſpera,
Diem Triumphalem tuam,
Quo ſanguinis merces
Tibi
Corona Vincenti datur,
Hic te ex tenebris
Seculi
Tortore victo, &
Iudice
Euexit ad Cælum dies,
Chriſtoq; ouantem
Reddidit.
Nunc Angelorum
Particeps
Colluces inſigni ſtola,
Quam teſtis indomabilis
Riuis cruoris laueras.

Quando ergò in hymno de exequijs Defunctorum cecinit, Sanctorum animas in gremio ſancti ſenis, ideſt Abrahę recipi, & in Paradiſo terreſtri recubare, dum ex hac uita diſcedunt, figuratiuè locutus eſt, quemadmodum Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam 24. quam inferius citabimus; quandoquidem, & terreſtris Paradiſus, & ſinus Abrahæ typi ſunt æternæ beatitudinis; Dicit enim ſimul animas in ſinu Abrahæ, & in Paradiſo eſſe, quod niſi per figuram accipiatur, uerum non eſt, cùm ſecundum proprietatem diuerſa iſta fuiſſe loca, ſatis conſtet.

Exponitur Prudẽtius, & D. Hieron.

B. Paulinus.

BEATVS Paulinus in Natali tertio de Sancto Felice ſic cecinit.

Occidit, & Chriſto ſuperis eſt natus in Aſtris,
Cæleſtem nactus, ſinè ſanguine, Martyr honorem; Item:
Aſt illum ſuperi ſacra gloria luminis ambit,
Florentem, gemina belli, pacisq; corona.

Elpis uxor Boetij.

ELPIS uxor Boetij in hymno Apoſtolorum Petri, & Pauli ſic ſcripſit.

Per Crucem alter, alter enſe triumphans,
Vitæ ſenatum Laureati poſſident.

D. Hieron.

DIVVS Hieronymus in Epiſtola ad Marcellã de exitu Leę tomo primo; inquit, *Quòd uniuerſorum gaudijs proſequẽda ſit, quæ calcato Diabolo, coronam iam ſecuritatis accepit*: & infrà. *Nunc igitur pro breui labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum Choris, Abrahæ ſinibus confouetur, &c.* Et paulò poſt, *Chriſtum ſequitur, & di-*

& dicit, Quacumq́ audiuimus, ità & uidimus in Ciuitate Dei Noſtri.

Idem in Epiſt.25. de obitu Bleſillæ filiæ eamdem ueritatem ſæpè repetit: *Poſtquam autem, ſarcina carnis abiecta, ad ſuum anima reuolauit Auctorem;* Et ſtatim ſubdit, *Videbatur mihi nunc clamare de Cælo; non agnoſco veſtes, &c.* & poſt pauca: *Teſtor, mi Paula, IESVM, quem Bleſilla nunc ſequitur, teſtor Sanctos Angelos, quorum conſortio fruitur;* & in fine eiuſdem Epiſtolæ: *Qua cùm Chriſto uiuit in Cælis, in hominum quoq́ ore uictura eſt.* Hæc & multa alia ſimilia Diuus Hieronymus habet, in Epitaphio Nepotiani, Paulæ, & aliorum.

DIVVS Auguſtinus lib.12. in Geneſim cap.34. hanc ueritatem aſſeruit, inquiẽs Paulum raptum eſſe ad illud Cęlum, ubi ſunt animę Beatorum. *Siuè,* inquit, *in tertio Cælo, ſiuè ubicumq́ alibi, quò, poſt tertium Cælum, eſt raptus Apoſtolus: ſi tamen non aliquid unum eſt diuerſis nominibus appellatum, ubi ſunt Anima Beatorum,* & explicans quid ſit hoc tertium Cęlum, ſic habet: *Tertium eſt Cælum, quod mente conſpicitur ita ſecreta, & remota, & omnino abrepta à ſenſibus carnis, atq́ mundata; ut ea, qua in illo Cælo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam, Verbumq́ Deum, per quod facta ſunt omnia, in Charitate Spiritus ſancti ineffabiliter ualeat uidere, & audire.* D. Auguſt.

Et in lib.20. de Ciuitate Dei ca.13. uerſus finem, *Anima uictrices,* inquit, *glorioſorum Martyrum, omnibus doloribus, ac laboribus ſuperatis, atq́ finitis, poſteaquam mortalia membra poſuerunt, cùm Chriſto utiq́ regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, ut poſtea etiã corporibus receptis, iam immortalibus regnent. Proindè illis tribus annis, atq́ dimidio: Anima occiſorum, pro eius Martyrio, & qua tunc antea de corporibus exierunt, & qua ipſa nouiſſima perſecutione ſunt exitura, regnabunt cùm eo, donec finiatur mortale ſaculum, & ad illud ſaculum, ubi mors non erit, transeatur.*

Idem Auguſtinus in Pſalmum 116. exponens uerſiculum illum, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt,* inquit. *Ibi omnes iuſti, & Sancti, qui fruuntur verbo Dei ſinè lectione, ſinè litteris; quod.n. nobis per paginam ſcriptũ eſt, per faciem Dei illi cernũt.*

Et in libro Meditationum cap.22. *Vtinam,* inquit, *conceſſa mihi peccatorum uenia* (locutus erat de felicitate uitæ æternæ) *moxq́ hac carnis ſarcina depoſita, in tua gaudia, veram requiem habiturus, intrarem, & tua ciuitatis praclara, atq́ ſpecioſa mœnia coronam vita de manu Domini accepturus ingrederer, vt illis Sanctiſſimis choris intereſſẽ, vt cùm beatiſſimis Spiritibus gloria conditoris aſſiſterem, vt praſentem Chriſti vultum cernerem, vt illud ſummum, & ineffabile, & incircumſcriptum lumen aſpicerem, ſicque nullo metu mortis affici, ſed de incorruptionis perpetua munere latari poſſẽ ſine fine.* At ſi ſtatim poſt obitũ, uitã ęternam conſequi non poſſet, fruſtrà tàm anxiè, & quantociùs id Auguſt. poſt præſentem uitã, deſideraſſet; ſed clariùs rem hanc in mox ſequẽtibus uerbis exponit; *Felix Anima, qua terreno reſoluto corpore, libera Cælũ petit, ſecura eſt, & tranquilla, non timet hoſtem, neq́ mortem: habet enim praſentem, cernitq́ indeſinenter pulcherrimum Dominum, cui ſeruiuit, quem dilexit, & ad quem tandem lata, & glorioſa peruenit. Hanc verò tanta beatitudinis gloriam, nulla dies minuet, nullus improbus poterit auferre.*

Et in capite 4. eiuſdem libri, loquendo ad Sanctos, ſic ait. *Felices Sancti Dei omnes, qui iam pertranſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis ad portã perpetua quietis, ſecuritatis, et pacis, ſecuri, & tranquilli, ſemperq́ feſtiui, atq́ gaudentes;* & infrà. *Per ipſum, vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini, de cuius immortalitate, iam immortales facti eſtis, de cuius beatiſſima viſione ſemper gaudetis.*

Idem Auguſtinus Epiſtola 111. aſſerit, Diuum Paulum in raptu, diuinam eſſentiam uidiſſe. Non igitur dubitandum eſt, idem ſentire de animabus iuſtorum. Quod in hymno de gloria Paradiſi apertè ſenſiſſe ſe indicauit, ſic ſcribens; *Felix ego, & verè in perpetuum felix, ſi poſt reſolutionem huius corpuſculi audire meruero cantica illa Cæleſtis melodia, qua cantantur in laudem Regis æterni ab illis ſuperna patria ciuibus, beatorumq́ ſpirituum agminibus.* Et paulò poſt inquit.

Felix Celi, qua praſentem
Regem cernis anima;

Et ſub

Et ſub ſede ſpectat alta,
Orbis uolui machinam,
Solem, Lunam, & globoſa
Cum planetis ſydera.
Chriſte palma bellatorum
Hoc in municipium
Introduc me poſt ſolutum
Militare cingulum.
Fac conſortem donatiui,
Beatorum Ciuium.
Prabe uires inexhauſto,
Laboranti pralio,
Vt quietem poſt praciuctum,
Debeas emerito.
Teque merear potiri,
Sine fine pramio. Amen.

D. Auguſt. in hac re dubius extitit.

VERVM de hac re, D. Auguſt. aliquando dubitaſſe, multa eius loca oſtēdunt, in quibus vr̃ aſſerere, poſt uitam Sanctos ante diem iudicij, Regnum Cęlorũ nō ingredi, vbi nunc SS. Angeli uident Deũ. Ità in expoſitione Pſal. 36. & in Enchyridio ca. 108. & lib. 12. de Geneſi, cap. 35. & Epiſt. 3. ad Fortunatianum, & li. 12. de Ciuit. Dei, cap. 9. & in lib. 1. Retractationũ cap. 14. & profectò de loco, ubinā .ſ. animæ Beatorũ Deo fruantur, aliqñ Auguſt. dubium fuiſſe, negari non pōt, ut ex dicto lib. 1. Retractationũ, ca. 14. & ex lib. 9. Confeſſionũ, cap. 3. perſpicuè cognoſcitur; Immò animas extrà Cęlum eſſe aliqñ opinatus fuit, ut in enarratione Pſal. 37. ſcribit; numquam tñ dubitauit Auguſt. animas iuſtorum nunc temporis Deũ videre: quinimmò ipſum ſinum Abrahæ, in quo ſępè dixerat animas Beatorum requieſcere, nil aliud eſſe, quàm id ipſum Regnum Cęlorum, ſeu ſecretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens Chriſtus aſſumptus fuit, diſertis uerbis docuit in lib. 2. Quæſt. Euangelicarum, cap. 38. quæ quidem quæſtiones, ut ex lib. 2. Retractationũ cognoſcitur, poſteriori loco ab ipſo ſcriptæ fuere. Eius uerba hæc ſunt. *Sinus Abraha requies eſt Beatorum Pauperum, quorum eſt Regnum Calorum, in quo poſt hanc uitā recipiuntur.* Et paulò poſt. *Sinus Abraha intelligitur ſecretũ Patris, quo, poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt, quò eum portatũ ab Angelis ideò dictũ puto, quia ipſā receptionem, qua in ſecretum Patris abſceſſit, Angeli annunciauerunt Diſcipulis intuentibus; Dicentes .n. Quid ſtatis intuentes in Calũ? Quid aliud dixerunt; niſi nullo modo poſſe oculos hominũ, uſq; in illud penetrare ſecretũ, quò ibat Dominus, cùm in conſpectu Diſcipulorũ ferretur in Calum? Iā catera ſecundùm ſuperiorem expoſitionē accipi poſſunt, quia ſecretum Patris benè intelligitur, ubi etiā ante Reſurrectionem, iuſtorum anima uiunt cũ Deo.* Sic Auguſ. clariſſimè ſuā mentem expoſuit. Atq; ità explicanda ſunt, quę dixit in Enchyridio cap. 108. & in lib. 12. de Ciuit. cap. 9. Quæ autem dixerat in Pſal. 36. correcta ab eodem uidentur per ea, quæ ſcripſit lib. 20. de Ciuit. ca. 25. *Si enim.* inquit, *non abſurdè credi uidetur, Antiquos etiam ſanctos, qui uenturi Chriſti tenuerunt fidē, locis quidem à tormentis impiorũ remotiſſimis; ſed apud Inferos fuiſſe, donec eos indè ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret: profectò deincepś boni fideles, effuſo illo pracio iā redēpti prorſus Inferos neſciunt: donec & receptis corporibus, bona recipiant, qua merentur.* Ità Auguſt. ubi uides, ſentire illũ Beatos nō eſſe apud Inferos, ubi prius erat Lazarus: Illud prætereà aīaduertendũ eſt, D. Auguſ. opinatũ fuiſſe, iuſtorum aīas in Cęlo Deũ quidē clarè cernere; ſed non ità perfectè, ac cōpletè, ut uidebunt poſt Reſurrectionē: *Non enim*, inqt, in li. 12. de Geneſi ca. 35. *poteſt anima ſinè carne ſic uidere Deũ, ut uident Angeli, cùm naturalis quidā appetitus ergà corpus inſit illi, ob quem appetitum quodāmodo retardatur, nè toto conatu, omniq; intenſione in Deũ feratur. Qua in re ab Angelis diſcrepant, qui cũ toti ſint uiui, & immortales, & nil ulterius expectent, tota mente circà Deum uerſantur;* lege ca. 14. lib. 1. Retractationũ, ubi ſe ipſũ optimè exponit, dicens, aīas quidem iuſtorũ in Dei poſſeſſione eſſe; ſed nō ità ut nihil ei ſ deſit, & ſic interpretādus eſt alius locus in Epiſt. ad Fortunatianũ.

ALIQVI

Aliqvi ex ſcholaſticis, ut Magiſt. in 4. diſt. 49., & ibidē D. Tho. q. 1. art. 4., D. Bonau. art. 1. q. 1., Riccar. ibidē art. 2. q. 7., & Marſil. ibidem q. 13. art. 3. con. 4. exiſtimant gloriā eſſentialem animę, reaſſumpto corpore, poſt reſurrectionē intenſiuè fore maiorē; Atq; ità Auguſt. intelligunt in locis citatis, Haym. in ca. 6. Apoc. Bernar. ſer. 3. de oībus ſanctis. Sed eſto, Auguſt. id ſenſiſſe, nempè creſcere uiſionē animę beatæ, reſuſcitato corpore; tñ contraria ſententia, nempè non eſſentialiter, uel intenſiuè, ſed extenſiuè tantùm creſcere Dei uiſionē animæ annexæ corpori, verior eſt, quemadmodum rectè D. Tho. in 1. 2. q. 4. art. 5. in ſolutione ad quintum Caiet. ibidem, Dur. in 4. diſ. 49. q. 7. Pal. ibidem, q. 6. Maior eadē diſt. q. 12. Med. in Cōmentarijs ſuper citatum art. 5. 1. 2., & de hoc augumēto extenſiuo, uolunt loqui D. Aug., hodie tamē res hęc videtur ut de fide definita per Benedictū XXII. in ſua extrauaganti, quam integra fide refert Marſi. in 4. dicta q. 13. artic. 3. Atque ēt Alphonſus de Caſt. vt ſuperius diximus. Ioan. Villan. lib. 11. Hiſtorię ca. 19. refert, Thelogos, qui interfuerunt definitioni à Papa Benedicto factę, ſibi dixiſſe, Pōtificē definiuiſſe, gloriā Beatorū poſt reſurrectionem non creſcere, niſi extenſiuè; ſed Auguſtini ſentētia iā ſatis nota eſt ex dictis; nunc alia loca Patrū annectamus.

De augumento gloriæ beatorum. Magiſt. D. Thom. D. Bonau. Riccar. Marſil. Auguſt. Aymo. Bernar. D. Tho. Durand. Palud. Caiet. Maior. Medin. Bene. XII. Marſil. Caſtro. Villanus.

Prosper li. 1. de vita contēplatiua, cap. 1. ità ſcribit; *Quia ēm Scriptura*, inquit, *ſacra ſermonē, tota humana uita tētatio eſt ſuper terram, tunc eſt tentatio finienda, quando finitur et pugna: et tunc eſt finienda pugna, quando poſt hanc uitam pugna ſuccedet ſecura uictoria, omnes ut milites Chriſti, qui uſq; in finem uitæ præſentis, diuinitùs adiuti ſuis hoſtibus infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam peregrinatione tranſacta, regnent fœlices in Patria, cuius hoc erit totum præmium, ut uita contemplatiuæ ſemel compos effecta, inexplebiliter auctorem beatitudinis ſuæ conſpiciat, de illo gaudeat, de illo, quod ſperauit, obtineat, & in eo, ad quod ſanctè uiuendo peruenerit, ſine fine permaneat.*

Prosper.

Sanctvs Maximus Taurinenſis Epiſcopus, homilia in S. Euſebiū Vercellenſem, *Dignè*, inqt, *in memoriā uertitur hoīum, quia ad gaudium tranſit Angelorū*, & Ho. de S. Agnete, *Ille nobis*, ait, *tribuat Indulgentiam peccatorum, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam*, & Hom. 1. in Natali S. Laurentij eamdē profert ſnīam.

D. Maximus.

Sanctvs Leo in ſer. de S. Laurētio, *Nil*, inqt, *obtines, nihil proficis ſæua crudelitas, ſubtrahitur tormētis tuis materia mortalis, et Laurētio ī cælos abeūte, tu deficis flāmis tuis.*

D. Leo.

Sanctvs Fulg. Epiſcopus in ſer. de S. Stephano, & cōuerſione S. Pauli, circà initium; *Hodie miles*, inquit, *de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum.* Et infrà; *Iſte, depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad Cæli palatium perenniter regnaturus aſcendit.* Item. *Angeli hodie Stephanum lætantes in ſuum conſortium ſuſceperunt.* Item *hodie immenſitas Cæli ſuſcepit Stephanum triumphantem.*

D. Fulg.

Divvs Greg. li. 4. Dialogorū, ca. 25. fuſiſſimè hanc veritatē oſtēdit; ponamus ēt eius uerba. *Petrus: placet, qđ dicis; ſed noſſe uellē, ſi nūc ante reſtitutionē corporis, in Cælo recipi ualeant animæ Iuſtorū. Hoc neq; de oībus iuſtis fateri poſſumus, neq; de oībus negare. Nā ſunt quorumdā iuſtorū aīæ, quæ à cæleſti regno, quibuſdā adhuc manſionibus differūt. In quo dilationis dāno, quid aliud innuitur, niſi q̄ de perfecta iuſtitia aliqd minùs habuerunt? & tamen luce clarius cōſtāt; quia perfectorum aīæ, mox ut huius carnis clauſtra exeunt, in cæleſtis Regni ſedibus recipiuntur. Quod et ipſa per ſe ueritas teſtatur dicens. Vbicumq; fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ, quia ubi ipſe Redemptor noſter eſt corpore, illic procul dubio colliguntur iuſtorum animæ. Et Paulus; Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Qui ergò Chriſtum eſſe in Cælo non dubitat, nec Pauli animam eſſe in Cælo negat. Qui etiam de diſſolutione ſui corporis, atq; inhabitatione cæleſtis patriæ dicit: Scimus quoniam ſi terreſtris Domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem habemus à Deo, Domum non manufactam, ſed æternam in Cælis.*

D. Gregor.

Et ibidem. Petri Interrogatio. *Si igitur nunc ſunt in Cælo aīæ iuſtorū; quid eſt, quod in die Iudicij, pro iuſtitia ſua retributione recipiēt?* Gregorij Rñſio: *Hoc eis nimirū creſcit in Iudicio; qđ nūc animarū tantummō, poſtmodū uerò ēt corporū beatitudine perfruūtur, ut in ipſa quoq; carne gaudeāt, in qua dolores pro Domino, cruciatuſq; pertulerūt. Pro hac quippe geminata eorū gloria ſcriptū eſt: in terra ſua duplicia poſſidebūt. Hinc ēt ante reſurrectionis diē, de Sāctorū aīabus ſcriptū eſt: Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ; & dictū eſt illis, ut requieſcerēt tēpus adhuc modicū, donec impleretur numerus cōſeruorū, &*

fratrum eorum, qui itaque nunc ſingulas acceperunt, binas in Iudicio ſtolas habituri ſunt, quia modò animarum tantummodo, tunc aũt animarũ ſimul, et corporũ gloria lætabuntur.

Alibi quoque idem Gregorius ſcribit, & præſertim ſuper Pſalmum quartum pœnitentialem, inquit, *Beatitudo, & animabus Sanctorum ante reſurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus poſt iudicium conferetur.* Lege eumdem Homilia 37. in Euangelia.

Ven. Beda. VEN. BEDA ſuper ca. 6. Apocalypſis, *Singulas*, inquit, *modò ſtolas habent animæ de ſua beata immortalitate gaudentes; Reſurgentibus autem corporibus, iuxta Iſaiam in terra ſua duplicia poßidebunt.* ſic Beda.

Haymo. HAYMO ſimilia verba profert in eumdem locum Apocalypſis.

Sulpitius. SVLPITIVS in Epiſtola ad Aurelium Diaconum, de obitu D. Martini ait; *Quãquam ſciam, virum illum non eſſe lugendum, cui poſt deuictum, triumphatumque ſæculum, nunc demum reddita eſt corona Iuſtitiæ.*

D. Bernard. Caſtro. Sixtus Senen. D. BERNARDI vltimum in hac quæſtione teſtimonium proferamus: & quamuis ab Alphonſo à Caſtro, verbo, Beatitudo, Hæreſi 6. & à Sixto Senenſe in Bibliotecha Sancta annotatione 345. dicatur, D. Bernardum in hunc peſtiferum errorem prolapſum fuiſſe; tamen multa loca illius adducemus, vbi germana, & explicita Bernardi ſententia eluceſcet.

In primo ſermone, de Aſſumptione Beatæ Virginis, in principio. *Virgo*, inquit, *hodie glorioſa Cælos aſcendens, ſupernorum gaudia Ciuium copioſis; ſinè dubio cumulauit augmentis, &c.* & in ſermone 4. *Tempus*, inquit, *loquendi eſt omni carni, cùm aſſumitur Incarnati Verbi mater in Cælum, &c.* & in ſermone 2. In Feſto omnium Sanctorum; *Operæpretium puto, de communi eorum felicitate, in qua, beata iam requie perfruuntur, &c.* & verſus finem, *Ad requiem enim, exutæ animæ ſanctæ à corporibus, protinus admittuntur, &c.*

Idem in ſermone quinto in eodem Feſto, in principio, *Sunt enim Sancti de Cælo, & ſunt Sancti de terra, Itemque eorum, qui de terra ſunt, quidam adhuc in terra, aliqui iam in Cælo.* & infrà. *Iuſti*, inquit, *epulentur in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia: Qui verò necdum iuſtus eſt; non niſi in Ieiunio, fletu, & planctu reperietur. Ità planè. Sed iuſtus, qui iam conſpectum meruit, non qui adhuc viuat ex fide.* Et in Epiſtola ad Fratres de Hibernia, quæ habetur tomo 1. loquens de B. Malachia iam defuncto, ſic ſcribit. *Itaque & pium eſt, Malachiam flere defunctum, & pium magis, Malachiæ congaudere viuenti. Numquid non viuit? Vtique, & beatè. Viſus eſt oculis inſipientium mori, ille autem eſt in pace. Dehinc etiam vtilitatis propriæ conſideratio exultandum nobis ſuggerit, & lætandum, quòd tàm potens ſuos Patronus ad Cæleſtem curiam, tàm fidelis præceſſerit aduocatus: cuius, & feruentiſſima charitas obliuiſci nequeat filiorum, & probata Sãctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam Sanctum, aut minus poſſe prodeſſe, aut minus ſuos diligere, audeat ſuſpicari? Profectò cùm diligeretur priùs, certiora nunc ſua dilectionis à Deo capit experimenta, & cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Abſit autem, vt tua nunc, ò anima Sancta, minus efficax æſtimetur oratio, quandò præſente validiùs ſupplicare eſt maieſtate, nec iam in fide ambulas; ſed in ſpecie regnas. Abſit, vt imminuta, nedùm exinanita tua illa tàm operoſa charitas reputetur, cum ad fontem ipſum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cuius & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas.* ſic Bernardus; & ſanè ſententiam ſuam clariùs explicare non poterat; ſed quæ in Epiſtola 266. ad Suggerium Abbatem Sancti Dionyſij in obitu eius, conſolatoria dicit, audiamus. *Quid tibi*, inquit, *& terrenis exuuijs, qui ad Cælum iturus, ſtola gloriæ mox indui habes? Præſto eſt, ſed veſtito non dabitur. Veſtire vult illa, non ſuperueſtire. Suſtine ergò patienter, immò libenter accipe, nudus, & non veſtitus inueniri, &c.* & paulò poſt. *Te expectat pax illa, quæ exuperat omnem ſenſum, te expectant iuſti, donec retribuatur tibi, te expectat gaudium Domini tui.*

Et in ſer. de obitu Hũberti Monachi, qui hẽtur in to. 1. dicit, *Tu autẽ, quid* (loquitur cũ morte) *profectò, (qđ in Hieremia ſcriptũ eſt) in nouißimo dierũ ſtulta remanebis, & Hũberto in æternũ viuente, tu in perpetuũ morieris.* & infrà, *Ecce*, inquit, *corã te eſt, Pater dulciſſime (Hũberte) fons ille puritatis, quẽ tãto ardore aĩ ſitiebas, ecce immerſus es*

in illum

in illum diuinæ pietatis abyſſum, cuius memoriam abundantia ſuauitatis tam deuotè eructare ſolebas. Hactenus Bernardus. Et licèt in eodē ſermone dicat, cōferens Humbertū cùm Chriſto; *Reſurrexit ille, iſte reſurget. Ille aſcēdit in cælū, Iſte creditur aſcenſurus, Aſcenſurus planè, cùm Rex gloriæ, propter nos deſcendet, ſicut prius deſcenderat, &c.* Intelligenda ſunt hæc uerba proculdubio de Aſcenſione in Cælum cùm corpore, poſt reſurrectionem, ſicut etiam, cùm dicit in præcitato ſermone 2. in ſolennitate omnium Sanctorum; *Et futura, quam præſtolantur conſumatione.* Intelligenda ſunt de conſumata, & perfecta beatitudine, quæ conſortium corporis glorioſi requirit; non autem de ſimplici Dei uiſione, ut uidere eſt in fine eiuſdem ſermonis. *Ad requiem*, inquit, *enim exutæ à corporibus animæ Sanctæ, protinus admittuntur; ad plenam autem gloriam Regni non ità. Me expectant iuſti (ait Propheta, cum adhuc detineretur in cuſtodia corporis huius) donec retribuas mihi. Et vox diuina ad animas Sanctas corporum ſuorum reſurrectionem flagitantes. Suſtinete modicum tempus, &c.* Quo etiam modo intelligenda ſunt, quæ dicit ſermone 3. & 4. in eadem celebritate; lege verba illa in ſermone 3. omnium Sanctorum, dum inquit. *Neque enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer, cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam.* Pondera, Bernardum loqui de integra, & perfecta, id eſt, undequaque conſumata beatitudine. Sed clarius infrà ſe exponit. *Acceperunt*, inquit, *iam ſingulas ſtolas, ſed non ueſtientur duplicibus, donec ueſtiantur, & nos.* Et paulò poſt. *Stola enim prima ipſa eſt, quam diximus, felicitas, & requies animarum; ſecunda uerò immortalitas, & gloria Corporum.*

D. Thomas Opuſculo 6. contra Græcos, Armenos, & Saracenos cap. 9. pluribus auctoritatibus, & rationibus hanc ueritatem confirmat. D. Thomas.

Sed nonnullis rationibus idem demonſtrandum eſt.

Prima deſumitur ex Iuſtitia Dei, & eſt Gennadij ſectione 2. de fruitione Sanctorum. *Semper enim Deus*, inquit, *iuſtus eſt, & nunc, & in Die Reſurrectionis.* Ergò Animabus, quæ ex hoc mundo non coinquinatę recedunt, dabit Deus, ità ſua iuſtitia exigente, ſtatim pręmium, & mercedem laborum ſuorum; iuxtà illud Leuitici 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui, uſque manè*; neque enim congruum eſt, homines, ex Dei pręcepto, non debere differre mercedem operis, ſi ipſemet Deus differat. Vndè Prouerbiorum 3. etiam ergà amicum id fieri debere dicitur; *Nè dicas*, inquit, *amico tuo, uade, & reuertere, & cras tibi dabo, cum ſtatim poſſis dare*; Ad quid enim huiuſmodi dilatio, uſque ad Reſurrectionem corporis concedenda eſt? Nec enim, ex parte Dei, neceſſaria eſt, cùm Apocalypſis 2. dicat ipſe, *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam Vitæ*, nec etiam ex parte animę, quoniam, ut inquit D. Thomas prima ſecundę quęſt. 4. artic. 5. Anima non indiget corporis conſortio, ad eam cognitionem, quę ex phantaſmatibus non dependet, qualis eſt uiſio beatifica, quę non per ſpeciem ab illis abſtractam, ſed per ipſam diuinam eſſentiam, uicem ſpeciei gerentem, ut Theologi docent, efficitur. Adde, quòd cùm anima ſeparata ſit abſque peccato, ob huiuſmodi mercedis dilationem, triſtitiam, & afflictionem ſentiret, iuxtà illud Prouerbiorum 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Addit Gennadius, quòd *animæ ſimiles tunc eſſent ſitientibus, & exuſtis*, (ſunt uerba eius) *cum iuxtà fontem aliquem aſſident, ſitique enecantur, aquam propè proſpiciendo, & repleri cupiendo, ad incendium, & æſtum compeſcendum, ex labore, & de fatigatione ſuſceptum; ſed ab aliqua inuiſibili re præpediti, potare non poſſunt, magiſque aquæ inſpectione inflammantur, ſitiſque augetur, & miſerè, ut par eſt, aduruntur. At hoc, uel lactentes infantes deridebunt, ſi potandi ſpe ſitiens oblectatur, quamuis aquam non attingat, ſed ut ego arbitror, non ſolum oblectari iuſtos, Oratio noſtra concludit, immò triſtari magis, & angi vehementer; An uerò ità ſe res habeat, conſideremus. Summum Bonum, ut Sancti, & Theologi ſentiunt, ſolus Deus eſt, eſt autem gaudium, exultatio, deſiderium, & appetentia. Qui igitur bono priuantur, gaudio, & exultatione abſque dubio priuantur. At Sancti, ſi priuantur, triſtantur; ſi triſtantur, anguntur, huicque nemo contradicet: ſequitur ergò, ſecundum nos, angi iuſtos; At id abſurdum planè eſt, ſi in præſentia angantur, cum in corpore, & hac tem-*

Afferuntur multæ rationes ad hoc probandum.

Gennadius.

Leuit. 19.

Prouerb. 3.

Apoc. 2.

D. Thomas.

Prouerb. 13.

poraria

poraria uita multum laborarint, ut ibi ſine moleſtia degant, & conquieſcant.

Secvnda ratio ſumitur ex parte miſericordiæ, Deum enim procliuiorem eſſe ad remunerandum, quàm ad puniendum, nemo negat; cùm illius *proprium ſit miſereri ſemper, & parcere*, & nunquam, etiam in puniendo, miſericordiam ſuam deponere valeat. Atqui impijs illicò poſt obitum, pœnas damnationis ęternę, & Infernalis gehennæ infligit; ergò iuſtis, & innocentibus ſtatim quoque à morte prę-

Hiſtoria Epulonis. Luc. 16. Ambroſ. Hieron. Auguſt. Gregor.

mia Cœleſtis Beatitudinis dabit; Nota eſt hiſtoria Diuitis Epulonis, qui ſtatim poſt mortem in Inferno ſepultus fuit, Lucæ 16. Nec Græcorum fallaciæ officiũt; eſt enim hæc non Parabola, ſed vera Hiſtoria, ut aſſerunt Ambroſius in Commẽtarijs ſuper citatum caput Lucæ, D. Hieronymus libro 2. aduerſus Iouinianum; B. Auguſtinus libro de Cura pro mortuis cap. 14. & D. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 29. licèt quoad aliquas circumſtantias, linguæ ſcilicèt, & oculorum; parabolicæ locutionis aliquid complectatur. At demus, Parabolam eſſe, (cùm tamen verè non ſit) vtique non ad ſignificandas res futuras poſt diem Iudicij, referenda erit; ſed ad rem antè diem Iudicij peractam, ſcilicèt eorum damnationem, qui nunc antè extremum Iudicij diem, in Infernum deſcendunt, neque enim poſt illum viuent in hoc mundo homines, ad quos Lazarus mitti deprecabatur, nec Moyſem, vel Prophetas audiendi, eorumque libros legendi tempus erit. Vndè illius narrationis, etiamſi ſymbolica ſit, ſignificatio ſupponit, etiam nunc animas in Inferno eſſe, alioquin nihil certi oſtenderet.

Basilius.

Tertia ratio; quoniam ſi animæ Sanctorum nunc in ſubterraneis receptaculis, vel in Sinu Abrahæ recluderentur, non vtique differrent à ſtatu animarum iuſtarum ueteris teſtamenti, nec inuocandę eſſent poſt Chriſti Incarnationem, ſicut nec ante illam, ueterũ Patrum animæ inuocabantur. Quid? quòd ut rectè *Baſilius* ſcribit in principio orationis in Sanctum Barlaam, non alia de cauſa, mors Sanctorum ante Chriſti aduentum deplorabatur, nunc autem poſt Chriſtum, iuſtorum mors, ut præcioſa cùm lætitia celebratur; niſi quia tunc temporis mori miſeria erat, nunc uerò exordium felicitatis.

D. Gregor. Beda.

Sed, qui ex experimentis uiſionum, & apparitionibus animarum, uel in Purgatorio, uel in Inferno, uel in Paradiſo exiſtentium, id cognoſcere uelit, legat D. Gregorium, quem Græci Dialogum appellant lib. 4. Dialogorum cap. 37. & Bedam lib. 5. Hiſtoriæ cap. 13.

Vervm aliquæ ſunt hic obiectiones ſoluendæ, ut Catholicæ ueritatis probatæ ueritas firma omninò remaneat.

Aduerſariorum argumẽta ponuntur. Math. 20. Ad Hæbr. 11. 1. Ioan. 3. Apocalip. 6.

Obijciunt Aduerſarij primò, locum Matthæi 20. ubi à Patrefamilias ad ueſperam, hoc eſt, tempore reſurrectionis, operarijs æternæ uitæ Denarius redditur.

Secundò, uerba Pauli ad Hæbræos 11. *Non acceperunt repromiſſiones, &c.*

Tertiò, locum ex prima Ioannis 3. ubi loquens de ſecundo Chriſto Aduentu. *Scimus*, inquit, *cum apparuerit, quòd ſimiles ei erimus, quia uidebimus eum, ſicuti eſt.*

Quartò, locum Apocalypſis 6. *Vidi ſubtus altare, animas Interfectorum, &c.*

Agunt quoque rationibus; Primò, quoniam in die magno iudicij, ubi diſcuſſio bonorum, & malorum operum fiet, retributio Cœli, uel Inferni datur; Decet enim, nec animam ſinè carne præmiari, nec puniri; cùm ambo ſimul bonum, uel malum operata ſint.

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. D. Auguſt.

Secvndo, quoniam Gręci Patres abſolutè negant, creaturã cernere poſse Deũ, nec Angelum quidem; ut uidere eſt apud Chryſoſtomum Homil. 23. in Geneſim & Homil. 14. in Ioannem, & Theophylactum, & Euthymium ſuper cap. 1. Ioannis, ergò multò minus concedent, ante diem Iudicij, creaturam Deum uidere. Auguſtinus Epiſtola 3. ad Fortunatianum, idem impingit D. Hieronymo. Nihilominus omnia hæc obiecta ſoluere perfacile eſt.

Diluuntur omnia obiecta ſuprapoſita.

Ad locum Matthæi dupliciter reſpondemus. Primò, ſermonem ibi Dominum facere de uniuerſali retributione, quę in ueſpere, ideſt, ultimo die Iudicij, operariis elargienda eſt, quæ tamen non excludit particularem retributionem, quæ ante illum diem, poſt mortem unicuique hominum contingit.

Secundò,

Secundò, accommodando illam Parabolam ad retributionem, quæ in particulari Iudicio, in die obitus ſingulis diſtribuitur; Reſpondemus, ex Doctrina Diui Chryſoſtomi in 20. cap. Matthæi, quod etiam nos annotauimus in lib. 1. noſtro de Fuga, diſput. 1. quæſt. 2. art. 2. In Parabolis conſiderandum eſſe ſcopum principalem, ad quem minimè neceſſe eſt, ſingula, quæ adhibentur in Parabola, pertinere; nec omnes circumſtantiæ ipſius Parabolæ debent vndequaque quadrare fini, ad quem aſſumitur Parabola; Multa enim in Parabolis enarrantur, quæ nihil ad propoſitum faciunt, nec aliquid ſignificant; ſed propter ea, quæ aliquid ſignificāt, annectuntur, vt egregiè dixit Auguſtinus 16. de Ciuit. Dei cap. 2. afferens exemplum de vomere, quo terra proſcinditur, cùm tamen, ut hoc fieri poſſit, multa aratri membra adhibeantur, quę nequaquàm ſecant. Sic murmur illud operariorum in hac parabola ponitur. Sic etiam dicitur, quòd oculus eius, qui portauerat pondus diei, & æſtus, nequam erat; Illud præcipuè in ea Chriſtus ſignificare voluit, quòd omnes electi eodem obiecto beatitudinis, ideſt Deo clarè viſo fruentur: quamuis inæqualiter laborauerint. Vnde & Patres vtriuſque teſtamenti, quamuis non æquali tempore laborauerint, idem tamen præmium aſſecuti ſunt. D. Chryſoſt. Auctor libro ſuo de Fuga. D. Auguſt.

Ad locum Pauli, iam ſuperiùs reſponſum eſt, & Gennadius in ſectione 8. egregiè reſpondit, de repromiſſione gloriæ, & coronæ corporis Paulum verba facere. *Hac eſt, inquit, promiſſio, quàm Patribus in Prophetis promiſit, ideſt, ſe eos ſuſcitaturum; nam ea pollicitatio, ſeu promiſſio dicitur; Ideò promiſit Dominus ſe humanam naturam ſuſcitaturum, quia corporum reſurrectioni diffidimus; nam ſi id Patribus euenıſſet, nos vtique non eſſemus; idque eſt, quod dicit Paulus, non acceperunt, qui fuerunt ante nos, corporum reſurrectionem, &c.* & alia in hanc ſententiam. Gennadius.

Ad locum Ioannis, Reſpondemus primò, Ioannem loqui de apparitione, ſecūdùm quam ſimiles erimus Chriſto, in conſpectu totius mundi, in die uniuerſalis Iudicij, in quo gloria animæ, & corporis Sanctorum vniuerſo mundo patefiet; Vndè uerba illa. *Quia cum apparuerit*, non ad Chriſtum, ſed ad id, quod erimus in nouiſſimo die referenda ſunt, ità ut ſit ſenſus, nondum apparuit, quid erimus, ſcilicèt quoad gloriā corporis, & ſubdit: *Scimus, quoniam cum apparuerit*, ſupple quid erimus, ideſt, gloria corporis, *tunc ſimiles ei erimus*, quoad externam gloriam corporis, quæ naſcitur ex eo, quod *videbimus eum, ſicuti eſt*, ideſt, ex animæ beatitudine; In his igitur uerbis, ſtatus reſurrectionis deſcribitur, in quo non latebit, ſed apparebit, quid erimus, ſicut modo latet, quid ſumus, & quid erimus. Ità egregiè Caietanus ſuper illum locum Ioannis. Similem ſententiam profert Paulus, ad Coloſſen. 3. ut Beda quoque annotauit in illis uerbis; *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcōdita eſt cùm Chriſto in Deo, cum autem apparuerit Chriſtus, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cùm ipſo in gloria.* Lege quoque Auguſtinum ſuper illum locum Ioannis. Caietan. Ad Coloſſ. 3. Beda. D. Auguſt.

Ad locum Apocalypſis, Reſpondemus, uarias eſſe huius loci Doctorum interpretationes, Prima eſt Anſelmi, qui intelligit per altare, Chriſtum, per quem dumtaxar ſacrificia Sanctorum, ideſt, laudes, & orationes gratæ ſunt Deo, & dicuntur ſub Chriſto eſſe, quoniam illo dignitate, & gloria inferiores ſunt, atque etiam, quia ſicut ſub Chriſti patrocinio uicerunt, ità in eius adiutorio, eiuſque protectione commorantur, quemadmodum in Apocalypſi legimus cap. 5. & alijs, Sanctos in Cœlis Chriſto Canticum nouum canere dicentes, *Dignus es Domine, &c.* & in cap. 4. *Procidebāt viginti quatuor Seniores ante ſedentem in Throno, & adorabāt viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante Thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Nec illa Diui Bernardi expoſitio probanda eſt, quòd ſub Altare Chriſti dicantur eſſe, quia Chriſtus, tamquam paries, illis præponatur adumbrans, & impediens, nè Deum ipſum cernant. Variæ Patrū expoſitiones circà locū Apocalypſis 6. D. Anſel. Apoc. 5. D. Bernard.

Secunda eſt Primaſij, & Haymonis, qui per altare, intellectuale ſecretum intelligunt, ex quo Thymiama diuinæ laudis pérpetuò procedit, leguntque eam ſententiam ità, ut illud, ſub altare, coniungatur, cum uidi; Dicunt enim, quòd in Cę- Primaſius. Haymo.

leſti tabernaculo,non manufacto,ante arcam humanitatis Chriſti,in qua diu ini-
tatis plenitudo inhabitat, altare aureum exiſtit, ex quo perenne Thymiama lau-
dum diuinarum emanat. Addit Haymo,ſciſſo iam,poſt mortem Chriſti, uelo il-
lo, quod interiacebat inter Arcam, & Altare aureum; arcam coniunctam proxi-
mè,& ſinè medio, Altari eſſe; uereque hodie dici, animas interfectorum, non ad
Altare,ſed ſub Altare eſse,ut ſecretum Cœleſte illud ſignificetur,quod nec in cor
hominis aſcendere poteſt, nec licet homini loqui; ſuperat ſanè humanum ca-
ptum, & intelligentiam, dicere, quomodo animæ ſint ante conſpectum Dei in
Cœlo,eique miniſtrent.

Ven.Beda. VLTIMA eſt Bedæ,qui coniungit illud, *Sub Altare*,cùm,*interfectorum*,ut ſit ſen-
ſus, uidi animas interfectorum ſub Altare, ideſt, ſub Chriſto, hoc eſt, ſub Chri-
ſtiani nominis teſtificatione; Quemadmodum in cap.7. ſecundi Machabæorum
dicuntur Machabæi occiſi ſub teſtamento Dei,ideſt, pro teſtamento Dei.

AD primam rationem, fatemur, in die iudicij publicam, & manifeſtam remu-
nerationem operum fieri prout quiſque geſſit,ſiuè bonum,ſiuè malum;ſed faten-
dum quoque eſt,ante illum diem præceſſiſſe in die obitus cuiuſcumque,particula-
ri Dei iudicio,remuneratione priuatam animæ,iuxtà illud Lucæ. *Stulte hac nocte,*
repetam animam tuam,& illud Iob 21. *In puncto ad Inferna deſcendunt*;meritò autē
Iob 21. vocatur dies ille nouiſſimus,dies retributionis,& repromiſſionis,tùm ob genera-
litatem omnium iudicandorum, iuxtà illud Pauli, *Omnes oportet, ante Tribunal*
Chriſti,&c. tùm etiam,quia corpora quoque præmium ſuum accipient: denique
quia illa dies adhoc tantùm definita eſt, vt homines iudicentur, & finalem retri-
butionem accipiant, ſic enim rurſus filius hominis clarificandus eſt, vt qui in pri-
mo Aduentu iniuſtè,tamquàm reus iudicatus, & cōdemnatus fuit,iterum in ma-
ieſtate,& poteſtate veniens, Iudex viuorum, & mortuorum glorioſus appareat;
iuxtà illud Iſaiæ 45. *Viuo ego,quia mihi curuabitur omne genu*, vt exponit D.Paulus
Iſai.45. Ad Rom.14. de Chriſto Iudice,ad Romanos 14.

D.Thom. AD ſecundam rationem Reſpondemus cùm D.Thoma,prima parte quæſt.12.
artic. 1. ad primum, eos Doctores intelligendos eſſe de viſione comprehenſionis
perfectæ,quæ non competit,niſi ipſimet Deo;Immò nec animę Chriſti, vt aſſerit
idem D.Thom.3.par.quæſt.10.art.1.& 4.Hoc enim eſt proprium ipſiuſmet Dei,
qui cùm ſit infinitus, ſe ipſum infinitum infinitè comprehendit; Vndè Chryſoſto
D. Chryſoſt. mus ibidem ſubdit. *Notionem hic dicit,certiſsimam Patris conſiderationem,& compre-*
henſionem tantam,quantam Pater habet dè filio.

Bellarm. Addit Bellarminus,tunc temporis viguiſſe errorem Anomœorum, qui aſſere-
bant,Deum à creatura videri,& comprehendi poſſe; Quocircà Patres à voce vi-
dendi Deum ſe abſtinebant, nè errorem illum diuinæ comprehenſionis compro
bare viderentur.

D.AVGVSTINVS dixit, D.Hieronymum voluiſſe dicere, Deum uiſione corpo-
rali à creatura etiam Angelica videri non poſſe,ſed mente ab illo cerni, & perſpi-
ci. At non de oculis corporeis;ſed de oculis mentis Hieronymum, & Græcos Pa
tres loqui,certiſſimum eſt;quamuis B.Auguſtinus,iuxtà ſuam ſententiam,ſecun-
dùm quàm opinatus fuit, Angelos corpora ignea,uel aerea naturaliter ſibi unita
habere,illos Patres interpretatus fuerit; Verùm omnis huiuſmodi opinatio à Ca
tholica Aula iam receſſit. Hęc digreſſionis gratia dicta eſſe uolumus,ad inflammā
dum corda fidelium,ut puritatem,quam Iubilæus ſacer præſtat,enixè ſtudeant a-
dipiſci, ut Cœlum, remotis cunctis impedimentis, quamtocius intrare ualeant.

CAPVT

CAPVT XLIIII.

De cæteris Receptaculis Animarum.

EGIMVS de Cælo, quod primum ratione dignitatis eſt animarum receptaculum. Iam ad exponenda alia loca inferna, & ſub terra poſita deſcendamus, de quibus legēdi ſunt, Dionyſius cap.7. Eccleſiaſt. Hierarchiæ; Ignatius in ſua Epiſtola, quam ſcripſit ad Romanos, Irenęus lib. 2.cap.62.& 63. Euſebius lib.2. præparationis Euangelicæ cap.18.& 20.& lib.12. cap.3.& lib.13.cap.7. D.Ambroſius lib.7.Epiſtola 59.& lib.10.Epiſtola ultima, D.Auguſt.in Enchyrid.cap.108.& 109.& lib.13.de Ciuitate Dei cap.10.& tractatu 49.in Ioannem, D.Gregorius lib.4.Dialog.cap.35.& Doctores cum Magiſter in quarto diſtin.44.& inter recentiores, Henriquez lib. Vltimo de fine hominis cap.25.

Doctores, q agunt de inferioribus animarum receptaculis.

IGITVR Secundum Receptaculum animarum eſt deterrimus ille, perpetuuſq; carcer Infernalis, in quo animæ, quæ ex hoc ſæculo abſque remiſſione peccati mortalis recedunt, cum Diabolo, & Angelis eius in ęternum patiuntur; uocaturque in Sacris litteris his nominibus.

Locus damnatorum quibus nominibꝰ appelletur.

GEHENNA, Matthæi 5.& 10. Ieremiæ 7.& 19.

BARATRVM, ſeù profundum, Pſalm.6. *Nequè abſorbeat me profundum.*

FOVEA Pſal. 15. *Non derelinques animam meam LISOL.* & Pſal.6. *in SEOL, quis confitebitur tibi*; vbi quamquam ſenſum ſequutus, rectiſſimè Latinus interpres dicit, in Inferno; tamen SEOL, quod infinitis locis apparet, fouea eſt, ità Pſalm.48. 88.89. Prouerb.9.27.30. Iob 9.10. Iſaiæ 5. Numerorum 16.

TARTARVS, ſic Eccleſia in reſponſorio; *Nè abſorbeat eas Tartarus.*

OBSCVRVM, ibidem; *Ne cadant in obſcurum.*

ABISSVS, Lucæ 8. *Rogabant illum, nè imperaret illis, vt in Abiſſum irent,* ad Romanos 10. *Quis deſcendit in Abiſſum?*

STAGNVM ignis, Apocalypſis 20. *Infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.*

LACVS, in eodem reſponſorio. *Et de profundo Lacu.* Item Iſaiæ 8.& 14.& Apocalypſ.14. *miſit in Lacum ire.*

PERDITIO Apocal.9. *Angelus Abiſſi, cui nomen Hebraicè ABADON. Græcè autem Appolyen, Latinè habens nomen exterminans, vaſtator, perditor, uel ipſum potius exitium, atque perditio.* Item Prouerb.15.& 27.& Ieremiæ 18.

PVTEVS, ſeù Lacus corruptionis Pſal.54. *Tu verò deduces eos in BORSACHAT.* Hoc eſt, in puteum corruptionis. Item Iob 33.

LVTVM cœni, ſeù Lutum fęcis Pſalm.39.& 64. *Educes me de Lacu miſeriæ, & de TITIAREN,* ideſt. Luto cœni.

SEPVLCHRVM, Pſalm.74.& Lucæ 16. *Sepultus eſt in Inferno.* quem locum Theophylactus non intelligit de ſepulchro, ſed de loco ſub terra, qui eſt Infernus.

TENEBRAE, Matthæi 22. *Proijcite illum in tenebras exteriores.*

VMBRA mortis, Pſalm.105.44.& Iob 19.

SILENTIVM, Pſalm.113. *Neque omnes qui deſcendunt in DVMAM*, ideſt, ſilentium.

PORTA Inferi, Iſaiæ 8.

Ac deniquè Infernus, in quo planè nulla eſt redemptio. Numer.16. Iob 13. Iſaiæ 54. Matthæi 11. Lucæ 16.

Math.5.& 10. Ierem.7.& 19. Pſal.68. Pſalm.15. Pſalm.6. Pſalmo 48. 88 89. Prouerb.9. 27.30. Iob 9.10. Iſ.5 Numer.16. Luc.8. Ad Rom.10. Apoc.20. Iſa.8.& 14. Apoc 14. Apoc.9. Prouerb.15. & 27. Ierem.18. Pſal.54. Iob 33. Pſal.39.& 64 Pſal.74. Luc 16. Theophyl. Math.22. Pſal.44.&105 Iob 19. Pſalm.113. Iſai.8. Num.16. Iob 13. Iſai.54. Math.11. Luc.16.

Ex traditione Hæbræorum, qui ante Chriſtum fuerunt, annotandum eſt, per huiuſmodi diuerſa Inferni nomina, varias in eo manſiones intelligi, quod etiam Galatinus, ex Doctorum Catholicorum doctrina, approbauit; & Alcuinus Caroli Magni præceptor ante Annos 900.

Quid ſignificēt hæc diuerſa nomina. Galatin. Alcuin.

D.ANTONINVS 4.par.tit.14.cap.10.in principio, ſeptem genera pœnarum enumerat, quibus in Inferno damnati affliguntur, & 3.parte titulo 10. capite quinto,

Septem genera pœnarum ex D.Antonino.

 §.7.alias

§.7. aliàs addit pœnas contentas octo literis in nomine Infernus.

Rabi Meir Bengaboi.

Rabi Meir Bengaboi, libro de Sacrorum cultu, parte ſecunda, capite 31. & Auctor libri, cui Titulus, *Ieſod Zoin*. Septem manſiones hominum tormentis poſt mortem deſtinatas ponit, in quibus animæ igne aduruntur, iuxtà illud. *Ignis comedit eos*.

Septem Inferni manſiones explicantur.

Primo manſio Puteus vocatur; ſitaque eſt in excelſo, & ſublimi loco Inferni ſimilis prorſus Puteo, omni aquarum genere deſtituto, & uacuo, in quo puniuntur à Dæmonibus homines, qui Dei creaturis maledicunt, ſapientes ſpernunt, lcuibuſque huiuſmodi peccatis inquinantur.

Secundo dicitur, Corruptio; eſtque ignis ſubuiridi colore nigrieans; neque enim ibi ulla lux, ſed caligo, & tenebræ. Hic ſuperbi, & elati homines, qui alijs hominibus contumelias, uiolentas manus, & probra iniecerunt, pœnas luunt.

Tertio dicitur ſilentium, ubi puniuntur, qui famam aliorum læſerunt, & hi, qui alios peccare uident, nec corripiunt, fraternæ correctionis præcepta omittentes.

Qvarto Lutum cœni appellatur, ubi crudeles, & inhumani homines, qui miſericordiæ opera non adimpleuerunt, cruciantur.

Qvinto eſt SEOL, ſiue fouea, & ſepulchrum, ubi Hæretici Epicurei legem diuinam, ac mortuorum reſurrectionem negantes, plectuntur.

Sexto manſio, Vmbra mortis uocatur, ubi Adulteri, qui alienum thorum maculàrunt, & huiuſmodi ſordium amatores puniuntur.

Septimo dicitur, Inferiora terræ, ubi cruciantur homicidæ, finaliter impœnitẽtes, Idolatræ, & ſimiles; ſic reſpondit Caluaria illius Ethnici à Machario Alexandrino interrogata. Lege Marolum lib. 6. de reuelationibus infernarum pœnarum; de quibus apud Malachiã, dicitur; *Erunt omnes alienigenæ, & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dies ſuccenſa, quaſi caminus*; quæ etiam adnotauit Bartholomæus Valuerdus Hiſpanus in libro ſuo de Igne purgatorio. D. Greg. ſimile quid innuit in Homil. in Euangelia explicans illum locum, *Summite Zizania, & alligate ea in faſciculos*, & ibi, faſciculos exponit, diuerſas manſiones damnatorum in Inferno, ubi Auari, Adulteri, raptores, & id genus Alij in faſciculum ſinguli cum ſui ſimilibus alligati ſunt.

Marolus. Malach. 3. Bart. Valuer. D. Greg.

Error Origeniſtarũ de ſaluatione dãnatorum ex D. Auguſt. & Epiph.

D. Avgvstinvs in lib. de Hæreſibus cap. 43. & Epiphanius contra Hæreſes, aſſerunt, Origeniſtas finxiſſe, ad tempus iniquorum animas in Inferno purgari, & iam poſt longiſſima temporum ſpatia purgatas, Beatitudinis participes fieri, & deinde poſt alia ſæcula in eaſdem Infernales miſerias reuerti, alterniſque vicibus, & miſeriæ, & beatitudinis ſtatum in æternum viciſſim commutare. Platonicum hunc errorem, ut uaniſſimum, & fabuloſum redarguit idem Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 13. & 17. Neque enim animæ in continua circulatione conſtituendæ ſunt; ſed extrà viam iam poſitæ vltimum terminum, vel Beatitudinis, uel miſeriæ in æternum obtinent.

Vbi ſit locus Inferni ex ſententia Patrũ. Chryſoſt.

Locvm autem Inferni in centro terræ ſitum eſſe docent hi Patres, Chryſoſtomum in Caput quartum, ad Epheſios, & Homilia de Diuite, in Lucam, quamuis in quodam ſermone 19. & Homil. 53. Imperfecti, & Homil. 31. ad Romanos uerſus finem aliter ſentire uideatur, ſcilicèt extrà Orbem Terrarum, aut in aere eſſe; quod tamen à nobis inferius examinabitur. D. Hieronymus in Epiſtola ad Epheſios 4. & in Eſai. 14. Ionæ 2. & Iob 32. Iren. lib. 5. contra Hæreſes, Hæreſi prima, & 31. Ambroſius ad Epheſios 4. D. Gregorius 4. Dialog. cap. 4. Tertullianus in Apologetico cap. 11. & 47. & lib. de Anima cap. 54. & 55. Theophylactus, Theodoretus, Anſelmus, & Ambroſius, ſuper 10. ad Romanos, Athanaſius ſermone 4. contra Arrianos, uerſus finem; Auguſtinus lib. 2. retractationum cap. 24. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. ultimo, & communiter Theologi in 4. ubi Soto diſtinctione 45. quæſtione 1. articulo 1. concluſione 3. affirmat, eſſe pluſquam temerarium id negare.

D. Hieron. D. Ambroſ. D. Gregor. Tertull. Theophyl. Theodoret. Anſelm. Athanaſ. Auguſt. Damaſc.

Quanta ſit Inferni latitudo.

De extenſione, & amplitudine loci Inferni lege Riber. in Apocalypſ. cap. 14. in fine,

in fine, ubi exponens verba illa, *Exiuit ſanguis de lacu vſq; ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta*; vult hunc numerum non figuratiuè accipiendum eſſe; ità ut eſſet ſenſus, locum ſuppliciorum Infernorum verſus omnes Mundi partes, latè, ampleque ſe extendit; ut Victorinus, Thyconius homil. 11., Primaſius, Beda, Ansbertus, Haymo, & Alij interpretantur, ſed propriè; ſtadium autem centumuigintiquinque paſſus habet, quod ſpacium uno ſpiritu Hercules percurriſſe dicitur; Octo item ſtadia milliarium conficiunt, quatuor autem milliaria leucam hiſpanicam reddunt: quò circà in mille ſexcentis ſtadijs, quinquaginta leucæ inueniuntur: dicit ergò Ribera, lacum illum, in quo Infernus intelligitur, ſecundum communem expoſitionem, in fine ſæculorum corporibus damnatorum, qui in die Iudicij reperientur uiui, implendum eſſe, eiuſque oram, ſeu locum circumiacentem per mille ſexcenta ſtadia, ideſt per ducenta milliaria, uel per quinquaginta leucas hiſpanicas, uerſus omnem ſui partem corporibus damnatorum extenſiuè implendum; & ſic ſanguinem ideſt ſupplicium damnatorũ redundare per illud ſpacium affirmat, licèt pro alijs, qui ante iudicium in Infernum coniecti erũt, longè amplior locus aſſignandus ſit; nec huiuſmodi ſpacium paruum, uel anguſtum iudicari debet, nam corpora damnatorum apud Inferos ità compoſita, confuſa, & conglomerata erunt, ut ſunt lapides in aceruo, arenæ in mari, uel ſardinæ in ciſto, ut Sotus in quarto diſt. 50. quæſt. vnica art. 4. docet: hæc autem Inferni pœna ſenſus, nec finiri, nec mitigari ullo modo poteſt, etiam ſi bona fide pro illis Miſſæ ſacrificium offeratur. Ità D. Thom. 3. par. quæſt. 52. art. 6. & in Addit. quæſt. 14. artic. 5. quæſt. 77. art. 5. Durandus diſt. 45. quæſt. 2. Antoninus 3. par. tit. 32. cap. 2. §. 2. Sotus eadem diſt. quæſt. 2. art. 2. licèt Præpoſitiuus in Compendio Theologiæ, Gilbertus Pictauienſis in quæſtionibus Theologicis, Altiſſiodoren. lib. 4. verſus finem, Auguſt. de Ancona in libro de poteſtate Eccleſiæ, & Aliqui alij falsò teneant, pœnas damnatis per orationes ſaltem ad tempus mitigari.

[Margin: & capacitas, ex Ribera. — An ſuffragia proſint damnatis. — Sotus. — D. Thom. — Durand. — Antonin. — Præpoſitiuus. — Gilb. Pictau. — Altiſſiod. — Aug. de Ancona.]

Scotvs item in quarto diſt. 15. quæſt. 1. art. 2., quem ſequuntur Riccardus, Gabriel, & Maior, affirmat, ſuffragia damnatis prodeſſe ad ſatisfactionem pœnæ remiſſi peccati, aut venialium: quæ tamen omnia falſa ſunt; cùm in Inferno nulla ſit redemptio. Quod autem Auguſt. inquit in Enchyr. cap. 109. per ſacrificia, & ſuffragia fieri defunctis tolerabiliorem damnationem; de animabus Purgatorij intelligendum eſt, vt Sebaſtianus Medices cap. 24. & Bellarm. 2. lib. de Purgatorio cap. 18. & lib. 2. de Miſſa cap. 6. exponunt.

[Margin: Scotus. — D. Auguſt. — Sebaſ. Medic. — Bellarm.]

Tertivm receptaculum eſt Limbus puerorum, qui ex hac uita cum peccato originali decedunt; in quo etiam, ſicut in cæteris, errauit Lutherus, exiſtimans, huiuſmodi pueris Inferni locum, & pœnas deputatas eſſe: immò nec per Baptiſmum peccatum originis omninò deleri, ut habetur in Bulla Leonis aduerſus Lutherum. Medin. 3. par. quæſt. 42. art. 2. aſſerit, locum horum puerorum non eſſe diſtinctum à loco aliorum Damnatorum, quod eſt contra communem ſententiam Theologorum in quarto diſt. 45. vbi Paludanus, Sotus, & Alij docent, magis diſtare hunc locum à Gehenna, quàm à Purgatorio, de qua re uide Speculum peregrinarum quæſtionum cap. 3. Decadis primæ, Sanctum Vincentium in ſuis ſermonibus, & Petrum à Soto Lect. 2. de Purgatorio, & nos paulò poſt diſtinctè dicemus, cùm hic tantùm ob commoditatem doctrinæ, proximè poſt Infernum à nobis ſit connumeratus. Nullo autem igne, aut pœna ſenſus Pueri hic cruciantur, ut docet D. Thom. in Addit. quæſt. 69. art. 6. ad tertium, & Soto diſt. 45. quæſt. 1. artic. 2. & diſt. 19. quæſt. 1. artic. 1. in fine, & ante illum Antoninus 4. par. tit. 14. cap. 10. §. 7. quamuis ſint hi inferiores dignitate animabus iuſtis Purgatorij, ut inquit D. Thom. in quarto, diſt. 22. quæſt. 2. artic. 1. & Riccard. diſt. 21. art. 1. quæſt. 2., Plerique autem exiſtimant, ſatis probabiliter, hunc locum non futurum perpetuum habitaculum puerorum huiuſmodi, ſed tantùm vſque ad diem iudicij.

[Margin: De limbo puerorũ, quid ſit, & quos retineat, &c. — Bulla Leonis X. — Medina. — Specul. pereg. quæſt. — D. Vincent. — Pet. à Soto. — D. Thom. — Sotus. — Anton. — Riccar.]

Qvartvm receptaculum, quod etiam ſub terra fuit, (poſt Chriſti enim reſurrectionem ceſſauit) erat ſinus Abrahæ, qui alio uocabulo Limbus Patrum dictus

[Margin: Sinus Abrahæ ſiue limbus Patrum.]

Ad Epheſ. 4. Actor. 2. Matth. 12.

eſt, ad quem Chriſtus deſcendens, animas Sanctorum Patrum, qui ibi eius aduentum expectabant, beatificando extraxit, & ſecum ad Cœlum deduxit, ad Epheſios 4. & Actor. 2. Sic dicitur Matthæi 12. filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus fuiſſe; quòd licèt Chryſoſtomus, & Euthymius de ſepulchro exponant, cùm Iudæorum ſepulchra in cauernis, & ſpeluncis inciſa, & ità quodammodo intrà profundum terræ eſſent, ſicut cor intrà corporis profundum eſt: Meliùs tamen Hieronymus, & Theophylactus, & Alij de Inferno exponunt, cùm in eo Chriſtus (vt Ionas fuit in ventre Piſcis) ceù in ventre Inferi, clamauerit ad Dominum, & exauditus fuit; quod non corpori mortuo iacenti in ſepulchro, ſed animæ Chriſti exiſtenti in Inferno rectè accommodatur, Lege Tertullianum lib. de Anima cap. 55. Irenæum lib. 5. contra Hæreſes cap. 31. & Hieronymum Ionæ 2. ſic etiam dicitur Chriſtus, ad Romanos 10. in Abyſſum deſcendiſſe, ideſt, in Infernum, vt exponunt Ambroſius, Anſelmus, Theodoretus, & Theophylactus. Deſcendit autem verè, & realiter ſecundum animam, quæ in Inferno relicta non fuit, ſed indè reuocata, vt ipſe Chriſtus reſurgeret. Ità Pſal. 15. ſuper quem locum lege Baſilium, Theodoretum, & Hieron. Bedam quoque Act. 2. Auguſtinum Epiſtola 57. & 99. Ambroſ. ſermone 74. & Scholaſticos in 3. diſt. 23. In quo peccauit Durandus, id negans in 3. diſtin. 22. quæſt. 3. cuius aſſertio erronea, & planè hæretica eſt, non autem probabilis, ut cenſuit Picus Mirandulanus in Apologetico quæſt. 1.

Tertull. Irenæus. Hieron. Ad Rom. 10. Pſalm. 15. D. Baſil. Hieron. Beda. Auguſt. Ambroſ. Durand. Mirandul.

An Patres in Limbo aliquã pœnam ſuſtinerent. Sotus. Henriq.

In hoc autem loco animæ illæ nullam pœnam ſenſus patiebantur, ſed tantùm damni, carentes diuina viſione, cùm ob peccatum primi parentis, antè Chriſti reſurrectionem, ianua Cœli aperta non eſſet; qui autem purgandi erant, id prius in loco Purgatorij per ignem præſtabant, vt benè Sotus dixit in artic. 1. loco citato. Hoc autem receptaculum iam habitatore vacuum eſt, ſicut poſt diem Iudicij locus Purgatorij vacuus erit, vt infrà dicemus, fortaſſe, vt locus Inferni circumquaque, pro infinito ſtultorum numero amplietur, ut Henriquez lib. ultimo cap. 15. notauit.

Purgatoriũ. D. Bernard.

Qvintvm, & ultimum receptaculum, quod ad noſtrum inſtitutum facit, eſt Purgatorium, in quo Animæ, quæ ex hac uita non ità plenè purgatæ, ut neceſſum eſt ad Beatitudinem conſequendam, egreſſæ ſunt; tamquam in carcere purgantur, & detinentur, ut deindè puræ Cœlum ingrediantur. De his quinque receptaculis non nulla D. Bernardus in tract. de quinque regionibus. Sed quæ diſcrimina inter hæc quinque receptacula ſint exponendum eſt, ut quibus animabus Indulgentiæ ſuffragia dirigere poſſimus, planè cognoſcatur; non enim, in quibuſuis receptaculis habitantibus applicanda ſunt.

CAPVT XLV.

Quæ ſint diſcrimina inter prædicta quinque Receptacula Animarum.

Quatuor tantum eſſe poſt Christi mortem animarũ receptacula.

Inter hæc animarum receptacula, áliquæ differentiæ conſiderandæ ſunt, ut ſuprà promiſimus; nam in multis differunt ab inuicem.

Prima quòd, ſicut antè Chriſti mortem quatuor tantùm erant loca, in quibus animæ, poſt ſeparationem à corpore, ſuſcipiebantur, cùm adhuc porta Cœli reſerata non eſſet; ſic poſt illam, Limbus Patrum uacuus remãſit, in cuius locum ipſummet Cœlum ſuffectum fuit. Vndè quatuor uſque ad finẽ mundi perſeuerant receptacula, poſt quem nec Purgatorium erit; ſed tria tantùm, uidelicet, Cœlum, Infernus, & Puerorum Limbus.

Purgatorium & Limbus Patrum num-

Amplivs, hominum corpora, nec in Purgatorio, nec in Limbo Patrum umquam recepta ſunt; alia uero receptacula, etiam corporum capacia ſunt, ſed hæc

Infernus,

Infernus, nec locus Puerorum illa recipient, niſi poſt uniuerſalem reſurrectionem; licèt de Inferno, certum uideatur, in eo aliqua corpora, etiam ante uniuerſalem reſurrectionem recepta fuiſſe.

quam recepit corpora, ſicut alia receptacula.

Secvnda Differentia, quòd à parte rei, ſolùm animæ, quæ ſunt in Purgatorio, capaces ſunt ſuffragiorum; quoniam adhuc non ſunt in Patria, cæteræ uel non indigent, ut quæ in Cælo ſunt; uel fructum illorum ſentite non poſſunt, quoniam ſunt extra unitatem Eccleſiaſticam, ut quæ in Inferno ſunt; de quibus dixit Paulus, *Qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria uirtutis eius.*

Solum animæ Purgatorij ſuffragiorum ſunt capaces.

D. Hieronymvs in Epiſt. ad Auitum, refert Origenem lib. 4. Periarchon, propè finem ſentientem, ſuffragijs poſſe liberari animas ab Inferno; Verùm hæc opinio abſolutè, & ſimpliciter eſt magnus error in fide, ut docet D. Gregorius libro 34. Moral. cap. 13. & D. Thomas 3. part. quæſt. 52. art. 6. & in quarto, diſt. 45. quæſ. 2. artic. 2. Vel poſtremo quia pœna ſenſus affligendæ non ſunt, ut animæ Puerorum in Limbo. Suffragium enim Indulgentiæ proximè, & directè ad expungendam pœnam ſenſus ordinatur, & qui hac carent, tali ſuffragio incapaces ſunt. Nec Chriſtus ad inferos deſcendens, liberationem, uel effectum aliquem commodi, uel conſolationis in damnatos, uel in pueros cauſauit; Ità Irenæus libro 1. contra hæreſes cap. 29. Epiphanius hæreſi 24. contra Marcionem, Auguſt. libro de hæreſ. in 79. D. Thomas 3. part. quæſt. 52. art. 2. Theologi communiter in tertio, diſt. 22. quicquid Clem. Alexan. lib. 6. Stro. Marcionem ſequutus, falsò dixerit; licèt Nazianz. Oratio. 42. De Paſchate dubitanter loquatur. Auguſtinus verò in Epiſt. 99. ad Euodium ubi inquit, propter locum Act. 2. *Solutis Inferni doloribus*, præter animas, quæ in ſinu Abrahæ erant, aliquas liberaſſe, quæ dolores Inferni patiebantur; de animabus Purgatorij intelligendus eſt, ut benè Suarez exponit 3. par. quæſt. 52. artic. 8. diſp. 43. ſectio. 3. quinimmò in eo deſcenſu damnatis nouo quodam effectu Iuſtitiæ dolorem, & afflictionem, accidentalem tamen, auxit, & accreuit. Pueris uerò effectu aliquo non pœnali, uel afflictiuo, ſe eorum Iudicem, & Dominum demonſtrauit. Ità Suarez contra Caietan. & benè.

Quod animæ à pœnis Inferni numquam liberari poſſunt, contra Origenem.
D. Gregor.
D. Thom.
Chriſti deſcẽſus ad inferos nihil profuit damnatis.
Iren.
Epiphan.
Auguſt.
D. Thom.
Clem. Alex.
Nazian.
Act. 2.
Suarez.

Qvare, quæ retulit Nicetas in Com. ad 2. Orationem Greg. Naz. de Paſchate, ex hiſtorijs Patrum, Platonem ſcilicèt in quiete cuidam Chriſtiano, qui eum, ut damnatum, maledictis inſectabatur, apparuiſſe, eique dixiſſe, ſe licèt peccatorem, cum Chriſtus tamen in Infernum deſcendit, ante omnes alios fidem ſuſcepiſſe; fabuloſa ſunt, ut benè etiam notauit Bellarm. lib. 4. de anima Chriſti cap. 16. Quicquid in hac re dicat Sotus libro 2. de Iuſt. & Iure quæſt. 1. artic. 3. ad finem, Abulen. Parad. 5. cap. 132., Sixtus lib. 5. ſuæ Bibliothecæ cap. 51. & Holcot in 3. quæſt. 1. artic. 3. diſt. 4. qui idem cenſent de Socrate, & Ariſtotele, licèt Dionyſ. 9. cap. cæleſt. hier. affirmet, multos gentiles per Angelum fuiſſe ad Deum cõuerſos:

Nicetas.
An Plato ſaluus ſit, & Ariſtoteles, & alij.
Bellarm.
Sotus.
Abulen.
Sixt. Senen.
Holcot.
D. Dionyſ.

Tertia Differentia eſt, quoniam hæc quatuor, Purgatorium, Infernus, ac Limbi Patrum, & Puerorum ſunt loca, non ſolùm corporalia, quod aliquando Auguſtinus negauit libro 12. de Geneſi ad litteram, cap. 33. licèt retractauerit in lib. 2. retractationum cap. 24. ſed etiam ſubterranea in uiſceribus terræ poſita; ut ex hiſtoria Epulonis, & Lazari Lucæ 16. colligitur, & ex 2. cap. ad Philippen. ibi, *& Infernorum*, & ex 4. cap. ad Epheſios. *Inferiores partes terræ*, & ex 5. cap. Apoc. *Subtus terram*, dicuntur eſſe. Paradiſus autem in Cælo empyreo exiſtit, quod eſt ſedes Beatorum. Improbanda enim ſunt illorum placita, qui dicunt, Infernum, & conſequenter Purgatorium, quod eſt illi uicinum, eſſe in Valle Ioſaphat, uel certè in ea parte eiuſdem uallis, quæ appellatur Gehenna, ut uidere eſt apud Chryſoſtomum, in ſermone de præmijs Sanctorum, & de Gehenna tom. 3., & Gregorium libro 4. Dialog. cap. 42. atque eorum, qui non terram, ſed aerem caliginoſum, Inferni locum dicunt eſſe, ut Niſſenus in libro de Anima, & reſurrectione, & Auctor operis imperfecti Homil. 53. in Matth. & uidetur D. Chryſoſtomus loco citato, & Homil. 53. in Matthæum, tractantis illa uerba Iob 18. *Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.* Et Bedæ lib. 3. hiſtoriæ Anglorum ca. 19. Atque etiam eorum, qui dixerunt, eſſe in ſuperficie terræ oppoſita nobis, uerſus

Paradiſi locus eſt in Cælo empyreo, ſed aliorũ receptaculorũ intra terram.
Auguſt.
Luc. 16.
ad Philip. 2.
ad Epheſ. 4.
Apoc. 5.
Chryſoſt.
Gregor.
Niſſen.
Auctor Imperfecti.
D. Chryſoſt.
Beda.
Iob 18.

Antipo-

Iſidorus. Irenæus. Matth. 25. Lucæ 16. Phylo. Origen. D. Hieron.

Antipodas, ſub Orbe triſti, & ideò reſpectiuè ad nos, Infernũ appellari, ut Iſidorus ſentit. Hęc inquam placita, aliena ſunt à Scriptura, ut indicatum eſt, ſicut etiam aſſertio illorum, quòd locus pœnalis animarum ſit hic Mundus, dum animę in corpore, tamquàm in carcere, detinentur; quos egregiè Irenęus lib. 5. in fine, confutat, cùm animę in Infernum deſcendant poſt hanc uitam, ut Matthęi 25. & Lucę 16. patet, uel etiam illorum, qui Infernum, & Purgatorium animarum, nil aliud eſſe aſſerunt, quàm uermem proprię conſcientię, qui ſemper peccatores accuſat, & punit, ut Phylo in libro de congreſſu quęrendę eruditionis gratia, & Origenes apud D. Hieronymum in Epiſtola ad Auitum, quandoquidem etiam homines uiuentes eſſent in Inferno, quod abſurdiſſimum eſt.

Ex Limbo Patrum, & ex Purgatorio animę ad alia receptacula transferri, nõ autẽ ex alijs, & quomodo. Matth. 25. Eccleſ. 11. Hiſtoria liberationis aïæ Traiani, & Falconillæ. Damaſc. Antonin. Auctor in libro ſuo de Fuga. Canus. Sotus. Aegid. Nauar. Alenſis. B. Brigitta. B. Methilda. Ciattonus. Bellarm. Suarez.

Qvarta Differentia eſt, quòd ex loco damnatorum, & puerorum animę non poſſunt transferri ad alia receptacula, numquàm ad propria rediturę. Ex Limbo autem Patrum, & Purgatorio benè poſſunt; Illę enim ad perpetuos carceres, ob culpam mortalem, damnatę ſunt, ut Matthęi 25. *Ignem æternum*, & rurſus, *ſupplicium æternum*. Eccleſiaſ. 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi manebit, ſiuè ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem*; Hę autem ad tempus in careeribus, ob pœnam temporalem deſtinantur; Animas uerò Patrum ad exilium temporale deſtinatas fuiſſe, nemo ignorat. Quod autem hoc locò tractari poſſet de anima Traiani orationibus D. Gregorij, & de anima Falconillę Paganę per Orationes Sanctę Theclę, ex Inferno liberatis, ut refert Ioannes Damaſcenus in Oratione de mortuis, & Antoninus in ſumma par. 2. Alibi à nobis in lib. noſtro de Fuga tractatum fuit. De hac hiſtoria vide Melchiorem Canum lib. 11. de locis Theologicis, cap. 2., Sotum lib. 4. ſententiarum diſt. 45. quęſt. 2. artic. 2., Ægidium Romanum, quodlib. 1., quęſt. 2., Nauarrum in Manuali, de Oratione, cap. 22., Alexandrum de Ales 4. part. quæſtio. 93. m. 2. artic. 7. Beatam Brigidam, & Melthildam in ſuis reuelationibus; Ciattonum in Opuſculo de hac re, Bellarmin. libro 2. de Purgatorio, cap. 8., & Suarez tom. 2. q. 42. art. 8. diſput. 43. ſectio. 3.

Io. Diaconus. Damaſc. Trithemius. Medina. Billius. Henriquez.

Ioannes Diaconus in uita D. Gregorij lib. 2. cap. 44. affirmat, Eccleſiam Romanam numquam hanc hiſtoriam recepiſse; nec credunt multi, illam orationem eſse Damaſceni, cùm in ea dicatur, Chriſtum damnatis in Inferno prædicaſse, quando deſcendit ad Inferos, quod aduerſatur doctrinæ eiuſdem Damaſceni; lib. 2. de fide cap. 4. Trithemius, quem ſequitur Medina 3. par. quæſt. 52. art. 6. putat, Damaſcenum antiquiorem fuiſse Gregorio. Sed errat, cum tempore Gregorij II. impetrante Leone Iſauro uixerit, ut Billius in uita Damaſceni: At huiuſmodi hiſtoriam non fabellam, ſed ueriſſimam putat; & probat Henriquez lib. 9. cap. 16. ſuæ Summæ: Quare dicendum eſt, illum non fuiſſe ſimpliciter, & finaliter damnatum ad Infernum, ſed ad uitam reuocatum, ut ageret pœnitentiam, & baptizaretur. Ità D. Thomas, Durandus, Riccardus, & Alij in 4. diſtin. 45.

Ex omnibus receptaculis animæ exeũt ad tempus, excepto Limbo Puerorum. Sotus.

Qvinta differentia eſt, ex omnibus receptaculis animæ exire poſsunt ad tempus, ut deindè ad ſuum locum reuertantur, præterquam ex Limbo Puerorum, ità Sòto in 4. diſtin. 45. quęſt. 1. art. 4. & quòd ex Cœlo (per diuinam tamen diſpenſationem, & legem extraordinariam) animæ beatę ad nos aliquando ueniant, manifeſtatur exemplis ueriſſimis ac probatiſſimis.

Exempla quã plurima afferũtur ad hoc probandum. Auguſt. D. Gregor. Theodoret. Hieron. Paulinus. Euſebius. Auguſt. Apparitio animæ Samuelis facta Sauli. Baſil.

D. Avgvstinvs in lib. de Cura pro mortuis gerendà, cap. 16. & in lib. 1. de Ciuitate Dei ca. 10. aſserit, D. Felicem Confeſsorem, cùm Nola à Barbaris obſideretur, uiſibiliter in eius Ciuitatis defenſionem apparuiſse. D. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 24. & 25. multis exemplis id confirmat, & Theodoretus lib. 5. hiſtorię capite 24. Neque huic rei obſtant ea, quę dicit Hieronymus contra Vigilantium, quòd Beati ſunt ſemper cum Domino ſuo; Nàm, & ſi permittantur aliquandò exire ab Empyreo; numquã tamen à Dei viſione diſtrahuntur. Lege Paulinum in uita D. Ambroſij, & Euſebium lib. 6. hiſtorię, cap. 5. Quòd autem ex Limbo Patrum Animę exierint, probat Auguſt. lib. citato, de cura pro mortuis gerenda ca. 16. exemplis ex lib. Regum de Anima Samuelis, quę Sauli apparuit; hanc enim vere fuiſse animam Samuelis, docent Baſilius, Epiſtola 80. ad Euſtachium, Hieronymus,

ronymus, in caput 7. Eſaię, & libro 4. in Ezechielem cap. 13. Ambroſ. in Lucam cap. 1. & Auguſt. ibidem ca. 15. Iuſtinus in Dialog. contra Triphonem, & Ioſeph. lib. 6. Antiquitatum cap. 15. Quicquid ſenſerit Tertullianus, in lib. de Anima propè finem, Iſidorus lib. 8. Originum cap. 9. & D. Hieron. qui in cap. 6. Matthęi in fine, *In Samuelis phantaſmate*, ait, *Pythoniſſa loquitur ad Saulem*, & Auctor quęſtionum apud Iuſtinum, q. 52. Et quamquam de hac re, magna inter Scholaſticos ſit controuerſia, vt uidere eſt apud Bagnem in primam partem D. Thomę, qui dubitanter de hac re locutus fuit prima parte quęſt. 89. art. 8. & ſecunda ſecundę quęſt. 95. art. 5. ad ſecundum, & quęſt. 174. art. 5. ad quartum, ſequutus nimirum D. Auguſtinum qui etiam in hac re uarius fuit; nihilominns, ut certum affirmandum eſt, fuiſſe illam, quę apparuit Sauli, uerè animam Samuelis. Quod eo ſolo firmo argumento perſuadetur, quod in lib. Eccleſiaſtici, cap. 46. perſpicuè ſcribitur, *Et poſt hac dormiuit Samuel, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem illius de terra in Prophetia, delere impietatem gentis*. Ex quo loco D. Auguſt. licèt in lib. 2. ad Simplicianum quęſt. 3. & in quęſtionibus ueteris teſtamenti quęſt. 27. (ſi tamen eius ſunt) & in lib. 2. de Admirabilibus Sacrę Scripturę cap. 11. & in lib: de octo Dulcitij quæſtionibus quęſt. 7. de hac re dubitaſset; immò in partem contrariam inclinaſset, mutauit ſententiam. Quod etiam D. Thomas uidetur feciſse, cùm dicat; *Si liber Eccleſiaſticus Canonicus ſit*, de cuius auctoritate hodie dubitate fas non eſt, *fuiſſe non ſpectrum aliquod magicum, ſed verè animam Samuelis*. Cur enim perpetuò in Scriptura, proprio uocabulo, Samuel uocatur? Cur in laudibus Samuelis ponitur, quòd etiam defunctus prophetauerit? Cur Sauli prædixit futura, quę Diabolus ſcire nō poteſt? Nec ea anima uenit per artē magicam Pythoniſſę, ſed imperio Dei ab Inferis excitata fuit, ut effectum Pythoniſſę impediret, Regiſque interitum pręnunciaret; recta enim figura aſcendit, non capite deorſum uerſo, ut umbris mortuorum, ui magię euocatis, ex Rabinorum ſententia, accidebat. Nec obſtat, Samuelem dixiſſe Sauli, *Cras tu, & filij tui mecum eritis*; nam hoc ut D. Auguſt. quęſt. 3. ad Simplicianum dicit, non ad ęqualitatem felicitatis, ſed ad ſimilem conditionem mortis referri debet: & quamuis in Decretis diſt. 26. q. 5. Cap. *Nec mirum*, ex ueteri ſententia Auguſtini ſcribatur, non Samueleni, ſed Dęmonem illum, qui apparuit, fuiſſe; tamen locus illę perſpicuus Scripturę, quem adduximus omnibus Sanctorum dictis anteponendus eſt; Atque in hac noſtra ſententia ſunt Lyranus, Toſtatus, Carthuſianus, Caietanus, Pererius, & Victoria in relectione de Magis q. 5. & Alij.

Hieron. Ambro. Auguſt. Iuſtio. Ioſephus. Tertull. Iſidor. Hieron. Bagnem. D. Auguſt. Eccleſ. 46. D. Auguſ. D. Thomas. D. Auguſt.

Probat item D. Auguſtinus ex Limbo animas exiſſe exemplo certiori ex Matthęi 17. de Moyſe, qui in Transfiguratione, in monte Tabor, cùm Elia apparuit: Hic enim uerè mortuus eſt, ut habetur Deuteronom. cap. vltimo, & Ioſuè primo. Quicquid Ambroſius lib. 1. de Cain cap. 2. & Hylarius in Matthęum, de hac re ſcribant.

D. Auguſt. Matth. 17. Deuter. vlt. Ioſoè 1. Ambroſ. Hylar.

Ex Purgatorio verò animas exire, quàmplurima profert exempla D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 40, & 55. Damnatos quoque ex Inferno apparere, docet multis exemplis Auctor libri, de proprietatibus Apum, quem citat quoque Bellarmin. in ſua controuerſia de Purgatorio; & licèt aliqui Patres, ut Auguſt. lib. 1. de cura pro mortuis cap. 13., Athanaſius quęſt. 19. ad Antiochum, Chryſoſtomus homil. 29. in Matthęum diſputent, non poſſe mortuos ad uiuos redire; concludendum eſt tamen cùm D. Auguſtino, id eos non poſſe ordinariè, ex ui ſuę naturę, & ad libitum, & non, niſi diuina diſpenſatione: quod etiam D. Hieronymus contra Vigilantium diſertè aſſeruit, qui negabat, Martyres ſuis tumulis aliquando intereſſe poſſe. Inter Sanctos autem, & damnatos, ea, ex D. Thoma, intercedit differentia, quod Sancti, quoties uolunt exire, & apparere uiuentibus, exeūt; cùm quicquid à Deo poſcant, obtineant: Damnati verò nequaquam, ut patet in Diuite Epulone, qui non permiſſus exire, rogabat Abraham, ut Lazarum mitteret ad ſuos. Permittuntur autem à Deo exite, ut aliquod occultum uiuentibus annuncient, &c.

D. Gregor. Bellarm. Auguſt. Athan. Chryſoſt. D. Hieron. Sancti quādo volunt, exire poſſunt, non aūt damnati.

Ex loco

Ex loco autem Puerorumnon eſt ratio, cur animæ egrediantur: Sancti autem uel ad conſolationem, & vtilitatem viuorũ, uel ut eorum reliquijs congrui honores deferãtur, apparent; Animæ verò quę purgantur, ad ſuffragia expoſcenda. Ex Inferno item, ut uiuentibus, uel grauitatem pœnarum Infernalium, uel ſuam damnationem denuncient; quemadmodum anima illius Doctoris Pariſienſis, poſt triduum à morte dixit, ſe in Inferno condemnatam, ex qua relatione D. Bruno arctiſſimam in ſolitudine egit Pœnitentiam.

Ex Cælo, & Inferno nemo põt ad uitam reuocari, & quare.
D. Auguſt.
D. Gregor.

Sexta Differentia eſt, quòd ex Cælo, & Inferno Damnatorum nullus ad uitam præſentem reuocari poteſt, ità ut corpori denuò anima uniatur, & rurſus moriatur. Beatitudo enim certitudinem includit, numquàm amittendæ felicitatis; aliàs non eſſet ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ut definit Auguſtinus de correctione, & gratia cap. 10. Vndè anima illius Marcelli Sanctiſſimi viri, de qua Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 9. poſt ſeparationem à corpore, non fuit beatitudine donata; ſed in optimo aliquo loco ab Angelis, uſque ad illius reſurrectionem à Sancto Fortunato factam, detenta; quod etiam ibidem Gregorius innuit. Impiorum autem condemnatio incerta fieret, ſi abſolutè damnati ad uitam reuocari poſſent, immò ut Auguſtinus dicit, lib. 21. De Ciuitate Dei cap. 24. *Nimiæ præſumptionis eſſet dicere, cuiquàm eorum æternum ſupplicium non futurum, quos Deus ituros in ſupplicium dixit æternum.* Vndè quæ idem Gregorius ſcribit eodem libro, cap. 12. de viro illo pernicioſiſſimo, à Dæmonibus in Infernum deducto, & deinde à Sancto Seuero excitato, quæque Alij ſcribunt, ut Ægeſippus lib. 3. cap. 2. ſcilicèt, Apoſtolos, aliquos Ethnicos reſuſcitaſſe, intelligenda ſunt, uel eos ſolùm Paganos ſuſcitatos eſſe, qui, ſeruata lege naturæ, ignorantia inuincibili Euangelij laborabant; & ſic in Purgatorio exiſtebant; atque ità Sotus in quarto, diſt. 45. quęſt. 2. artic. 2. Vel meliùs, illos excitatos, non fuiſſe finaliter damnatos; ſed ſuſpenſa definitiua ſententia, ſecundum præſentem eorum iniuſtitiam tunc punitos fuiſſe, & eſt ſolutio D. Thomæ in quarto, diſt. 45. quæſt. 2. articulo 2. Riccardi, Durandi, & Aliorum ibidem, ſecundùm quem ſenſum intelligendum eſt, quod dicit Ambroſius ſerm. 90. & Maximus ſermone, 2. Beatam Agnetem ſuſcitaſſe filium Præfecti, quem Diabolus occiderat, cùm is Sanctæ Virgini ſtuprum inferre tentaſſet, & quæ dicit Euodius lib. 2. de miraculis Sancti Stephani, de puerulo ante Baptiſmum mortuo, qui ad reliquias Sancti Stephani excitatus fuit.

D. Auguſt. — Aegeſippus. — Sotus. — D. Thomas. — Ricchar. — D. Ambroſ. — D. Maximus. — Euodius.

Soluitur obiectio Abulen.

Nec obiectio Abulenſis negocium facit, qui in quarto Reg. cap. 4. quæſt. 57. dicit, quòd, cùm per ſimplicem mortis reſuſcitationem, nec pœna, nec culpa excitato ab Inferis remittatur: fieri poſſe ut quis ad vitam ex Inferno reuocetur: quamuis enim nec culpa, nec pœna per talem excitationem auferretur, daretur tamen beneficium ęquiualens; cùm re ipſa, ratione ſtatus viæ, in quo de nouo reponeretur, & culpa, & pœna eſſet delebilis, quod repugnat rationi æternæ damnationis, certæque reprobationis, qua, ut ſupponitur, diuina illum iuſtitia mulctauit. Quocircà non ab re tandem concluſit præfatus Abulenſis, quem ſequitur Soto in quarto, diſtin. 45. quæſt. 1. artic. 4. in ſolut. ad primum, ſolos prædeſtinatos ad uitam reuocatos eſſe, illoſque ex Purgatorio, uel Limbo ueniſſe, & in gratia confirmatos, certoſuè de ſua ſalute fuiſſe, quamuis id non ſit omninò probabile, ut paulò poſt dicemus.

Abul. — Soto.

Sotus. — Henriquez. — D. Tho.

Addit Soto in quęſt. 1. artic. 4. ut refert Henriquez lib. 9. cap. 16. quòd ſi quis ab Inferno ſuſcitatus ſit, poſtea in Infernum iterum deſcenderit, ne uideatur mutata prædeſtinatio; quæ ratio non videtur firma, illam enim ſoluit D. Thomas in Addit. quæſtio. 71. artic. 5. ad quintum, ex cuius doctrina deducitur, etiam ab Inferno aliquos fuiſſe ſuſcitatos; cum conſtet plures illorum, qui miraculosè à mortuis ſuſcitati ſunt, idolatras, & damnatos fuiſſe: Nec ratio prædeſtinationis, aut reprobationis mutatur, cum huiuſmodi non eſſent in Inferno finaliter deputati; ſed ſecundùm præſentem propriorum meritorum iuſtitiam. Decretum enim erat in mente diuina, illos ad uitam reuocandos, & aliter de eis diſponendum.

nendum. Hæc D.Thomas. Certè Damaſcenus in illo ſermone de defunctis, hiſtoriam illam de liberatione Traiani, affirmat ſuo tempore per totum Orbem vulgatam fuiſſe; & ex Palladij hiſtoria refert, Macharium oraſſe pro anima alterius damnati, cuius cranium repererat; Aegeſippus loco citato ſcribit, D.Petrum reſuſcitaſſe Ethnicum quemdam, Cæſaris affinem; & qui uitas Apoſtolorum ſcribût, eos dicunt, ſuſcitaſſe multos gentiles ex ſtatu damnationis, quod idem ſcribit D. Thom. in quæſtionibus de ueritate quæſt.6. art.6. ad quartum, & Altiſiodor.lib. 4. in cap. de damnatis; neque hi immediatè à Deo ab Inferno tranſlati ſunt in gloriam, ut uoluit Ledeſm. ſecunda parte queſt.3. art.2. Sixtus Senenſis lib.6. & Bill. cap.47. nemini enim Deus peccatum remittit ſine pœnitentia; ſed ad hanc uitam reuocati, baptizati ſunt, & pœnitentiam egerunt, & rurſus mortui, conſequuti ſalutem fuere. Vndè præcisè reſpondendum eſt, quòd quamuis mererentur pœnas æternas, cùm primum mortui ſunt; non tamen fuerût damnati, uel in perpetuum in Infernales carceres deputati; ſed eorum ſententia tunc ſuſpenſa fuit, ſic Dei iudicio diſponente, & interim puniti in Inferno, ſecundùm præſentem eorum iniuſtitiam; prædeſtinati enim erant, per tale medium miraculoſum ſuprà legem, ut ait Henriquez lib.9. cap.16. Nec eſt neceſſe, aſſerere omnes taliter excitatos, poſtquàm reuocati ſunt in uitam, in gratia confirmatos fuiſſe, uel de ſuâ ſalute infallibiliter certos, ut Sotus cenſuit; hoc enim in his, qui uel ex Purgatorio, uel ex Limbo reuocati ſunt, locum habere poteſt, cùm ſemel huiuſmodi certitudinem, & confirmationem habuerint, nec beneficium reſurrectionis in ſempiternæ ſalutis detrimentum, uel peiorem ſtatum illis conuerti debeat; cæteros verò, qui ab Inferis reuocati ſunt, per efficacia Dei auxilia, lege communi, ſalutem conſecutos eſſe aſſerendum eſt, ut etiam ipſe Soto ſcripſit in 4. diſtin.45. quæſt.2. art.2. Nec laborandum eſt, in demonſtrando hiſtoriam Traiani non eſſe authenticam, & fide dignâ, ut plerique Auctores, quos congerit Henriquez loco citato; nam multos alios Ethnicos ſuſcitatos eſſe compertum eſt in hiſtorijs; & aſſerere omnes ſuſcitatos, uel ex Limbo Patrum, uel ex Purgatorio ueniſſe, gratis dicitur, & ſine auctoritate Scripturæ uel firma ratione.

Damaſc. Palladius. Aegeſip. D.Thom. Altiſiod. Ledeſm. Sixt. Senen. Billius. Henriq. Sotus. Henriq.

SEPTIMA differentia eſt, quòd quamuis hæc quatuor receptacula, loco, & ſitu conueniant, nempè ſub terra; Purgatorium enim in eodem loco eſſe cum Inferno, & eodem igne animas torqueri, omnes ferè Theologi docent; Patrum verò Limbum, in ipſo Inferno fuiſſe, docet Auguſtinus lib.20. de Ciuitate Dei cap.15. quãuis in Epiſtola 99. de hac re anceps fuerit, & Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & Theophylactus, in eorum Commentarijs ad Epheſios 4. ſuper illa verba. *Qui aſcendit, ipſe eſt, qui deſcendit in inferiores partes terræ*. Puerorum verò Limbum in Inferno eſſe, expreſsè habet Concilium Florentinum ſeſſione vltima, vbi definit tàm eos, qui in peccato mortali; quàm eos, qui cum ſolo peccato originali moriuntur; mox in Infernum deſcendere, licèt diuerſis pœnis puniendos, vndè B. Auguſtinus lib.1. de Baptiſmo paruulorum cap.28. & lib.5. Hypognoſticon dicit, fide Catholica, duo tantùm eſſe perpetua loca, vbi homines recipiendi ſunt; Cœlum Beatorum, & Infernum Damnatorum. Tamen talis ordo ex communi ſententia Doctorum inter illa conſtituitur, vt Infernus Damnatorum infimus ſit omnium; deindè illi contiguus Purgatorij locus, vt refert Beda lib.5. hiſtoriæ cap.13. huic eſt proximè ſuperior Limbus Puerorum, ad quem tamẽ ignis non peruenit, vt dixit Innocentius Tertius in Cap. *Maiores*, extrà de Baptiſmo. In ſuprema verò parte, Limbus Patrum. Hic autem ordo non ſolùm ſecundùm accidentariam differentiam; ſed etiam ſecundùm eſſentialem ponitur: accidentalis illa dicitur, quæ ſumitur à durationibus; eſſentialis verò quæ à genere, & qualitate pœnæ, videlicèt ſenſus, & damni; Qui enim illam patiuntur, inferiùs; qui verò hanc, ſuperiùs ſtare dicuntur; Atque etiam, qui perpetuò torquendi ſunt, infernè; qui verò temporaliter, ſupernè, vt benè annotauit Soto diſtin.45. quæſt.1. art.2. Vide D.Thomam in Addit. quæſt.69. art.6. ad 1. Anton.4. par. tit.14. cap.10. §.7. & prima parte tit.8. cap.1. §.4. Petrum de Soto tit. de Purgatorio Lectione 2.

Situs, & ordo inter animarum receptacula. D.Auguſt. Hieron. Ambr. Chryſoſt. Theophyl. Conc. Floren. D.Auguſt. Beda. Innoc.III. An ſint eſſentiales differẽtiæ inter hæc receptacula. D.Thom. D.Anton. Pet. Soto.

OCTAVA

Animę Inferni, & Limbi puerorũ, non proſunt uiuẽtibus ſicut reliquæ.

OCTAVA differentia eſt, quòd animæ ſeparatæ à corpore, quæ in Cęlo ſunt, & quæ in Limbo erant, atque etiam, quæ modo in Purgatorio exiſtunt, viuentibus proſunt; non autem quæ vel in Inferno, vel in Limbo Puerórum; & quòd animæ Sanctorum, quæ ſunt in Cęlo orent, & intercedant pro nobis viuentibus, certa fides eſt; nec in illius probatione eſt nobis hic immorandum. Quòd autem proſint, & orent pro animabus Purgatorij D. Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis cap. 4. non obſcurè indicat; & Petrus Cluniacenſis in Epiſtola contra Petrobruſianos: & Eccleſia in ſuis collectis pro defunctis, præſertim in illa, quæ incipit. *Deus veniæ largitor*, in qua per interceſſionem Beatæ MARIAE, & omnium Sanctorum perpetuum beatitudinis conſortium illis precatur. Quicquid ſine ſufficienti ratione dicat Soto in 4. diſtin. 45. quæſt. 3. art. 2. dub. vltimo: Quamuis enim Sancti, qui Deum uident, in ſtatu ſatisfaciendi non ſint; poſſunt tamen illis prodeſſe per preces impetrando, uel intercedendo: Nec enim uerùm eſt, ſuffragia exiſtentibus in Purgatorio non prodeſſe, niſi per modum ſatisfactionis; cùm per orationes, prout ſunt impetratoriæ, etiam à uiuis iuuari poſſint, ut dixit Caietanus tom. 1. tract. 16. quæſt. 5.

D Auguſt.
Pet. Cluniac.
Sotus.
Caietan.

QVOD autem animæ, quæ ſunt in Purgatorio uiuentibus proſint, pro illis orando; quamuis D. Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 83. artic. 11. ad tertium, id neget, quem ſequitur Caietanus ibidem, & Nauarrus, in tractatu de oratione capite 20. num. 11. Nihilominus, non eſt improbabile contrarium; uidelicèt, illas pro nobis orare, quod ſenſit Gabriel in Canone Miſſæ, Lect. 56. Doctor Medina Campi in 4. ſententiarum in tract. de Oratione, quęſt. 5. Bellarminus in Controſia de Purgatorio lib. 2. cap. 15. numero 20. & Quidam alius Doctor Neotericus, quem citat Nauarrus; ſi enim, qui ſunt in Limbo, ut ipſemet Caietanus fatetur, nos iuuare poſſunt ſuis precibus, ut patet de Hieremia, qui tunc in Limbo erat, orante pro Iudęis, qui uiuebant, & *Vniuerſa Sancta Ciuitate*, vt dicitur 2. Machabæorum vltimo; cur nõ etiam, qui ſunt in Purgatorio? Nonnè ambo ſunt in Charitate confirmati, & impeccabiles? Nonnè quoad hoc, ideſt propter impeccabilitatem, ſunt ambo nobis ſuperiores? Nonnè utrique æquè pœna damni ſunt affecti? nec pœna ſenſus, uel dolor, quem habet anima in Purgatorio, perturbat ullo pacto in ea iudicium rationis, uel affectum bonę uoluntatis retardat, quę duo nobis ob organa corporalia, quibus anima ſeparata caret, contingunt. Adde, quòd Epulo ille in Inferno rogabat pro fratribus ſuis, Lucę 16. cum eſſet tamen in maiori loco tormentorum, quàm Animę in Purgatorio.

D. Thom.
Caiet.
Nauar.
Gabr.
Med. Campi.
Bellarm.
2. Machab. ul.
Luc. 16.

Deindè ſi illę animę pro ſe ipſis orant, (quod negari non poteſt) cur non etiam pro Alijs orare poſſunt, & impetrare? Certè D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 40. & Petrus Damianus in Epiſtola de miraculis ſui temporis, ſcribunt, Animas Paſchaſij, & Sancti Seuerini multa operatas fuiſſe miracula, etiam dum eſſent in Purgatorio, quod etiam refert Gabriel Lect. 58. Addit etiam Bellarminus, ſuperfluum tamen eſſe ab illis petere, ut pro nobis orent; cùm quid uiuentes in particulari agant, regulariter non cognoſcant; ſed uniuerſaliter tantùm ſciant, nos in multis periculis uerſari; ſicut etiam nos in genere tantùm cognoſcimus, illas ualdè torqueri. Sed Henriquez lib. 7. cap. 8. in fine, melius dicit, nempè per Angelum cuſtodem innoteſcere illis neceſſitates, uel orationes uiuorum.

D. Gregor.
Pet. Damian.
Gabr.
Bellarm.
Henriquez.

At verò, quòd qui in Limbo erant, uiuentes iuuarent, factum Oniæ, & Hieremię, ut dictum eſt, perſpicuè oſtendit, & ſi Eliſeus mortuus, alium mortuum ſuſcitauit, ut quarto Regum 13. & Abraham mortuus, Lazarum in ſinum ſuum recepit, ut Lucæ 16. Cur non etiam orare poterant pro uiuis? Lege Sotum diſtin. 45. quęſt. 3. art. primo in fine.

4. Reg. 13.
Luc. 16.
Sotus.

QVOD autem hi, qui ſunt in Inferno non proſint uiuentibus, eo argumento notiſſimum fit, quòd extra Charitatem, quę radix eſt beneficentię Chriſtianę, exiſtunt. Nec negandum eſt, eos petere aliquid à Deo, ſicut Diues in Inferno pro fratribus ſuis orabat, ut uidere eſt, Lucę 16. & Dęmon petijt à Deo ut Diſcipuli Chriſti in eius paſſione cribrarentur, iuxtà illud Lucę, *Ecce Sathanas expetiuit, ut*

Luc. 16.

cribraret

cribraret uos;& vt Iob affligeret, atque etiam, vt in Porcos mitterentur; vt etiam multa mala hominibus,& creaturis, Deo permittente, inferant; tamen hæc petendo, nequaquam propriè orant, (eſt enim oratio actus religionis, & latriæ erga Deum, ut inquit D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.83.art.3.) ſed ſimpliciter à Deo petunt aliquid ad perniciem hominum, & humani generis iniuriam; de his uerò, qui ſunt in Limbo Puerorum, nulla eſt difficultas.

D.Thomas.

CAPVT XLVI.

Refellitur Græcorum, & Hæreticorum error, negantium Purgatorium.

VERVM ad Purgatorium reuertamur. Vnus ex celebratiſſimis erroribus Græcorum,& Armenorum, ut refert Guido Carmelita in Summa de Hæreticis,& Caſtro lib.12.aduerſus Hæreſes, & Gennadius Scholarius Patriarcha Cõſtantinopolitanus, in libro, quem edidit pro defenſione Concilij Florentini, fuit negare animarum poſt mortem purgationem, quæ apud Græcos *καθαρτήριον*, apud Latinos uerò Purgatorium dicitur; quem errorẽ poſteà Vualdẽſes apud Antoninum in 4.par.tit.11.cap.7.§.2. Deindè Apoſtolici apud D.Bernardum ſermone 66. in Cantica,& Albigenſes apud eumdem Antoninum eodem loco §.5. poſt hos Lutherus; Caluinus, cæteriq; aſſeclæ ſecuti ſunt, aduerſus quos, ne ſine defenſione Catholica ueritas in hoc noſtro opere remaneat, paucis agendum eſt.

Græci,& Armeni negãtes Purgatorium
Guido Carm.
Caſtro.
Gennad.
Alij Hęretici ex D.Anton. & D.Bernar.

DICIMVS igitur, neceſſariò aſſerendum eſſe, dari Purgatorium ad animas purgandas in alia uita. Probatur primò ex textu Pauli 1.Corinth.3. *Si quis*, inquit, *ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum ſtipulam unuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit; ſi cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, quaſi per ignem*; Quem locum de igne Purgatorij intelligendum eſſe, docent hi Patres, Origenes Homil.6.ſuper Exodum, & 8.in Leuit.& Homil. 12.in Hieremiam, tractans eumdem locum Pauli. Cyprianus libro 4.Epiſt.2.ad Antonianum, Auguſtinus in Enchyridion cap.69. & in ſermone 4. de Commemoratione animarum,& lib.21.de Ciuitate Dei,& lib.de fide,& operibus, & cõcio.3. in Pſalm.37. Cyrill. libro 14. in Leuiticum, Ambroſius in dictum locum Pauli, Hieronym. loco ſuperius citato lib.18. ſuper Eſaiam in poſtremis uerbis; & libro 2.aduerſus Iouinianum, & in quartum caput Amos, Gregorius libro 4. Dialog.cap.39.& D.Thomas prima ſecundæ quæſt.89.art.2.in Opuſculo primo contra Græcos, ubi adducit Theodoretum ità explicantem hunc locum Pauli: *Hunc credimus ignem Purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio*; quam etiam Theodoreti ſententiam Gagneius ex Græcorum Scholijs refert. Et quoniam citatus locus Pauli difficillimus eſt prę omnibus locis Scripturæ, ut teſtatur Auguſtinus lib.de fide,& operibus capite 15.& in Enchyrid.cap.68.& ab Hęreticis noſtri temporis ad alios ſenſus conuertitur; ideò Orthodoxum, & Catholicum ſenſum horum uerborum, hunc pręcipuè eſſe, quem prędicti Patres tradiderunt; pręſertim in illis uerbis. *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit*; ubi de aliquo igne, quo poſt mortem cruciantur ij, qui ſuper fundamentum, lignum, fœnum, ſtipulas, ędificauerunt, Apoſtolum locutum eſſe, oſtẽditur ex Concilio Florentino, ubi poſt longam,& accuratam diſputationem de hac re à Gręcis,& Latinis habitam, communi conſenſu utriuſque Eccleſię decretum fuit, uerba illa Pauli poſteriora, quę proximè recitauimus, de igne Purgatorij poſt pręſentem uitam omninò intelligenda eſſe.

Probatur hoc loco, dari Purgatorium ex Paulo. 1.Cor.3.
Origen.
Cyprian.
Auguſt.
Cyrill.
Ambroſ.
Hieron.
Greg.
D.Thom.
Theodoret.
Gagneius.
Difficultas maxima huiꝰ loci D. Pauli ex Diuo Auguſtino.
Conc. Flor.

Hæreticorũ obiecta ponũtur, & diluuntur.

Obiiciunt Hæretici. Primò, etiam poſtrema uerba Apoſtoli, ubi de igne loquitur, metaphoricè accipienda eſſe; ſicut etiam priora, nempè Aurum, Argentum, lapides præcioſi, lignum, fundamentum, ædificium; in eadem enim oratione conuenit, vt ſicut cætera metaphoricè accipiuntur, ita quoque ignis ille; quod inquiunt ſatis clarè Apoſtolus indicauit, dicens; *Saluus fiet quaſi per ignem*, vt per eam particulam, *Quaſi*, ſimilitudinem metaphoræ ſignificaret.

Sed Reſpondetur, certè ſi illorum obiectio ualeret, etiam uerba illa, *opus*, & *ſaluus*, metaphoricè accipienda eſſent, nec enim operę prçcium eſt, ut in oratione aliqua perpetua ſit metaphora. Quamuis igitur uocabula illa, fundamentum, ædificatio, Argentum, ſtipulam &c. metaphoricè accipiantur, & non obſtante metaphora, illa alia uocabula, opus, ſaluus, detrimentum, merces, & ſimilia, propriè in eadem oratione intelligenda ſunt; Cur non etiam uocabulum ignis? Placuit autem Apoſtolo in illis uerbis; fœno, ligno, ſtipula, uti metaphora, ut aptè ſignificaret, opera aliqua, expiatione per cruciatum illum ignis indigere; cùm hęc, fœnum, ſtipula, lignum, &c. idonea, aptiſſimaque materia ſint ad ignem. Nec dictio illa, *Quaſi* metaphoræ ſimilitudinem denotat, ſed potius per emphaſim quãdam, & cum quodam pondere rei ueritatem, & proprietatem; quemadmodum

Ioan. 1. D. Hieron. D. Chryſoſt.

etiam Ioannis primo, *Plenum gratia, & ueritatis, quaſi unigeniti à Patre*, ideſt uerè vnigeniti, habetur, vt D. Hieronymus eumdem locum explicans ad Epheſios 5. notauit, & D. Chryſoſt. Homil. 15. in Ioannem, uel etiam dici poteſt, illud, *quaſi*, ſimilitudinem ſignificare non ignis, quaſi ille ſit metaphoricus, & phantaſticus, non autem uerus ignis; ſed tranſeuntis per ignem, ità ut faciat hunc ſenſum, qui ædificauit ſtipulam, ad ſalutem perueniet ad eum modum, quo peruenit ad aliquem locum is, qui tranſit per ignem. Ità Bellarminus.

D. Auguſt.

Secundo obijciunt, ex Diuo Auguſtino in Enchyridion cap. 68. per huiuſmodi ignem non poſſe intelligi Purgatorium, quoniam per illum tranſire debent non modo hi, qui fœnum, & ſtipulam ſuperædificant, ſed etiam qui Aurum, Argentum, & lapides præcioſos; cùm dicat Apoſtolus, *Vniuſcuiuſq; opus, quale ſit ignis probabit.* At is, qui poſt mortem nihil habet, quod ſit expiandum, quomodò ignem Purgatorij pertranſibit?

Sed ſit reſponſio, quòd re vera verba Pauli de igne Purgatorij intelligenda ſunt, ut ex eodem Auguſtino, & Alijs Patribus, & ex uniuerſali Eccleſiæ ſententia oſtenſum eſt. Nec abſolutè unuſquiſque è uita decedens per illum tranſire debet; ſed hi tantùm, qui Purgatione eiuſdem ignis indigẽt, quamquã vniuſcuiuſq; opus, ſiuè bonum, ſiuè malum, Dies Domini, qui in igne extremi iudicij reuelabitur, manifeſtabit. Nec enim uocabulum ignis eodem modo accipit Apoſtolus, ſed diuerſimodè, & ſine uitio in ea oratione, cùm tranſitionem faciat ex una re ad alteram, quæ eodem nomine ſignificari poteſt, ut in Scripturis multa ſimilia

2. Cor. 5.

exempla habentur: ſic quoque D. Paulus 2. Corinthiorum 5. nomen peccati in eadem ſententia uariè accipit, *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, & ad Romanos 8. *De peccato damnauit peccatum.*

ad Rom. 8.

Variæ Patrũ expoſitiones in hunc locũ. D. Chryſoſt. Theophyl.

Tertio obijciunt varias huiuſmodi loci Patrum expoſitiones, quocircà nihil certi ad litteram pro Purgatorio ex eo probari poſſe affirmant. D. Chryſoſtomus in eundem locum Pauli, & Theophylactus interpretantur illum ignem, eſſe ignem Inferni, quo cruciantur Damnati; fœnum autem, & ſtipulam, & lignum, peccata mortalia; interpretanturque, illos ſaluos fieri per ignem, eo quod, dum in illo excruciantur, eorum tamen ſubſtantia non conſumitur, ſed perpetuò ſalua

Theoret. Occumen. Alcuin. Gloſſ. ordin.

erit. Theodoretus, & Occumenius in eumdem locum Pauli. Alcuinus libro 3. de Trinitate cap. 21, & Gloſſa ordinaria exponunt, illum ignem eſſe eumdem illum, quo mundus vltimò conflagrabitur, dicuntque, eos, qui ſupra fundamentum, lignum, fœnum, ideſt peccata leuia ædificauerint, eſſe in vltimo illo die purgandos, illis verò qui ædificauerint Aurum, & Argentum, per quem etiam tranſituri ſunt, futurum eſſe ignem illum potiùs refrigerio, & conſolationi, ſicut accidit tribus Pueris in fornace. D. Auguſtinus in Enchyridion cap. 68. & libro de fide, &

D. Auguſ.

operibus

operibus cap. 15. & de 8. quæſtio. ad Dulcit. quæſt. 1. atque etiam D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. eum locum exponunt de igne tribulationis, & cruciatus; dum enim aliquis nimis hæc temporalia diligens, illa amittit, quaſi per quemdam dolorem ignis ſaluus fit; Qui verò Aurum, & Argentum ſuperędificant huius vitæ commodis, ac rebus renunciantes, nulla rerum amiſſione temporalium excruciantur; ſed bonorum ſuorum cumulatam à Deo recipiunt mercedem. D.Gregor.

Respondetvr, quòd varietas interpretationum alicuius loci Scripturæ non obſtat, quin ex eo dogma aliquod fidei ſolidè probari poſſit, cùm eiuſdem loci Scripturæ plures poſſint eſſe ſenſus literales, dummodò inter ſe, atque etiam alijs locis Scripturæ, aut fidei dogmatibus nequaquàm aduerſentur, ut optimè D. Auguſtinus ſæpè docuit, uidelicèt lib. 1. de Trinit. cap. vltimo & lib. 12. Confeſſionum cap. 31. & nos in libro noſtro de Fuga diſput. 1. quæſt. 2. abundè demonſtrauimus. Adde, quòd vix locus unus Scripturę reperitur, qui uarias orthodoxorum Patrum interpretationes non admittat: quocircà nec idoneus eſſet ad res fidei confirmandas, quod eſt abſurdum: quinimmò, nec ipſimet Hæretici ſuas aſſertiones ex Scriptura aptè probare poſſent; cùm nemini dubium ſit, illiſque optimè ſit compertum, ſententias Scripturarum, quas adducunt, uarias orthodoxorum Patrum expoſitiones admittere. Cur igitur nobis obſtabit uarietas interpretationum uerborum Pauli, ne de igne Purgatorij illa intelligantur? præſertim cùm Patres ità alias interpretationes afferant, ut hanc non excludant. Huc accedit, quòd ſenſus literalis illius loci præcipuus, ex uerbis ipſis D. Pauli, eſt ille, quem de igne Purgatorij diximus. Quatuor enim conditiones ignis ille, per quem dicit Apoſtolus ſaluos fore, qui ſuperædificauerint lignum, fœnum, &c. habere debet. D.Auguſt. Auctor in libro de Fuga.

Prima eſt, quòd ex certiſſimo Dei decreto, omnes, qui huiuſmodi opera ſuperædificauerint, illo igne cruciabuntur, niſi alijs vijs, atque remedijs à Deo conſtitutis, huiuſmodi cruciatum redemerint. Quatuor conditiones ignis Purgatorij in hoc loco explicantur.

Altera eſt, quòd tunc temporis illum ignem ſentient, quo animæ fidelium, qui aurum, & argentum ſuperædificant, mercedem æternę ſalutis recipient. Quod profectò eſt totum huius ſęculi ſpacium, quod poſt mortem relinquitur, & tempus extremi Iudicij præcedit. Cùm enim dicat Apoſtolus, eos, qui ædificauerint aurum, & argentum, mercedem recipere, ſatis apertè ſignificat, eodem quoque tempore eos, qui ſuperædificauerint lignum, & ſtipulas, per illum ignem ſaluos fieri poſſe.

Tertia, quòd pœna illa, quam huiuſmodi homines in illo igne patientur, grauiſſima, acerbiſſima, ac atrociſſima erit. Illius enim pœnæ comminatione uoluit Apoſtolus deterrere homines, nè lignum, uel ſtipulas ſuperædificent, *Si cuius*, inquit, *opus arſerit, detrimentum patietur*, ideſt, non ſolum ignis cruciatu punietur, ſed etiam à beatitudine retardabitur.

Qvarta eſt, quòd pœna illa eſt futura, tamquam medium à diuina iuſtitia ordinatũ, quo fideles, qui indigent, expurgentur, & ſoluantur penitùs à peccatis. Opponit enim Apoſtolus, quaſi per Antitheſin, pœnam illam, ſeu detrimentum illius ignis, æternæ mercedi, quam illi conſecuturi ſunt, qui Aurum, & Argentum ſuperædificauerint, ut quemadmodum iſti ſuorum lapidum præcioſorum, ideſt bonorum operum remunerationem accipient; ſic etiam illi, qui lignum, & ſtipulam ſuper fundamentum poſuerunt, retributionem iuſtæ pœnæ, per quam tandem, uti per quoddam medium diuinæ iuſtitiæ, facta eorum peccatorum expiatione, ſalui fiant; recepturi ſint.

Ex his quatuor conditionibus, quæ ſenſum literalem uerborum D. Pauli planè declarant, deprehenditur quantopere Chryſoſtomi, & aliorum interpretationes à mente eiuſdem Apoſtoli ſint alienæ. Pœna enim Inferni nequaquàm eſt medium; quò Damnati ſalui fiant, & in eſſe conſeruentur; immò nec ut Damnatorum ſubſtantia in ſe ſalua conſiſtat, uel nè conſumatur, cùm diuina potiùs virtute id efficiatur; magis enim ille ignis ex ui ſuæ naturæ eſt aptus ad conſumen- Quædam expoſitiones huius loci non probantur.

da,& annihilanda corpora,quàm ad cõſeruanda. Adde,quòd ex antitheſi,qu am ibi facit Apoſtolus, intelligemus ſalutem, quam per ignem acquiſituri ſunt, eſſe vitam æternam,quam alij,qui aurum,& argentum ædificarunt, ſine detrimento, & cruciatu illius ignis adipiſcuntur; quare expoſitio iſta non probatur. Neque etiam expoſitio Theodoreti accommodari poteſt verbis Pauli; cum ante conflagrationem ignis,quæ erit in extremo Iudicij die,probandum ſit vniuſcuiuſque opus eorum,qui fœnum,& ſtipulam ſuperædificauerint. Sicut enim,qui ſuperædificant aurum ante extremi Iudicij tempus,mercedem eſſentialis Beatitudinis recipiunt,vt probauimus ſuperiùs; ſic & illi, qui ſtipulas, & lignum ſuperædificauerint, per ignem Purgatorij expiati, ſalutem ante illud tempus conſequentur: nec enim qui diſcedunt cum peccatis venialibus,expectare debent diem Iudicij,ut ad beatitudinem perueniant. Nec tertia expoſitio de igne tribulationis textui accommodari poteſt. Sępè enim res temporales ſine ullo dolore in hac uita amittuntur, ut Ioannes Echius notauit in lib. 1. de Purgatorio. Qui enim repentina morte extinguuntur, nullo cruciatu ex illarum amiſſione torquentur, cùm magis deferantur ab illis, quàm illi ipſas deſerant; deindè nec talis dolor ob iacturam bonorum eſt per ſe medium ad expianda peccata, niſi ſingulari uoluntate acceptetur, & ad illum finem referatur; nec tantus ex rerum temporalium amiſſione cruciatus haberi poteſt,quantum in illa ignis pœna futurum eſſe, Apoſtolus prędicat. Qui amipliorem huius loci defenſionem deſiderat,legat Bellarminum in lib. 1. de Purgatorio cap.4.qui accuratiſſimè hanc rem pertractat; Tractatum Henrici Vici de deſcenſu Chriſti ad Inferos; ubi hic locus Pauli eruditè explicatur, & Gregorium de Valentia in lib. de Purgatorio, cap.3.

Echius. Bellarm. Henric.Vicus Greg. de Val.

Refelluntur Hæretici.

Ex His ſequitur,expoſitionem Lutheri, Caluini, & aliorum de hoc igne, falſam eſſe; intelligunt enim per hunc ignem, Dei Iudicium, quo præcipuè in hora mortis,vel dum quis conuertitur, veram doctrinam approbat,falſam reijcit;ſicut ignis aurum probat,ſtipulam conſumit; atque hoc Iudicio inquiunt, multi in hora mortis illuſtrati reſipiſcunt, erroreſque ſuos damnant, vt B. Franciſcus, & B. Dominicus,& alij fecerunt. Sic prophanè,& ſceleratè loquitur Petrus Martyr. Sed ſomniãt,& allucinantur,nam ille ignis,de quo loquitur Paulus,detrimentũ, ac læſionem afferet, *ipſe*,inquit,*detrimentum patietur*,ideſt, dabit pęnas;at illa mẽtis illuſtratio, & veritatis agnitio, quàm illi, Dei Iudicium, & ignem appellant; potiùs lucrum,& conſolationem daret;quàm pœnam ullam,vel dolorem;immò potiùs lætitiam,& gaudiũm haberent, qui per illud Iudicium tranſirent; at Apoſtolus dicit, *detrimentum patietur*;deindè omnibus,qui ſaluãtur,id accideret, quod eſt contra Pauli mentem,qui diſtinguit eos,qui ædificant aurum,ab illis,qui ædificant ſtipulam,& hos poſteriores ſolùm vult ſaluari,per tranſitum ignis. Inſigniter autem mentitur in eo,quod de Beatis Dominico, & Franciſco Pſeudomartyr blaſphemat:nam B. Dominicus,dum ſe moriturum intelligeret, alumnos ſui Ordinis ad innocentiam,integritatem,humilitatem,paupertatem, & perſeuerantiã in monaſterio hortatus eſt; & vltrà hæc D.Franciſcus obedientiam.S.R. E.Fratribus ſuis mandauit,ſic apud Surium in Vitis eorum, & D.Bonauenturã ca.14. in vita D.Franciſci. Ex quo videat impius Hæreticus,quantum ſuis blaſphemijs venenum ſpargat,& quam impiè in tam Sanctos,ac planè Cœleſtes homines,linguam admoueat;quam tñ iuſtiùs longè atq; vtiliùs in eorum laudem adhibuiſſet.

Surius. D.Bonauent.

Alia Scripturæ loca pro Purgatorio. Ad Hæbr. 4.

Secvndo ex Scripturis habemus, Deum remittere peccata in futuro ſæculo, dum autem hoc facit, peccata purgare dicendum eſt, quemadmodum de Chriſto dicitur ad Hæbræos 4. *Purgationem*,ideſt,*remiſſionem peccatorum faciens*. Igitur neceſsè eſt concedere locum in alia uita,ubi Deus purget,& remittat peccata; At qui talis locus,nec Cœlum,ubi nihil coinquinatum ingreditur, ut Apocalip.21. nec Infernus damnatorum eſſe poteſt, cum ille, iuxtà ea, quæ dicit Iob 26.& 28. perditio ſit, & locus magnæ iræ Dei; ergò operæprçcium eſt, dare tertium alium locum in futuro ſæculo,in quo peccata purgentur; Antecedens huius argumenti eſt ipſius Chriſti in Euangelio Matthęi cap.12. dicit enim de peccato in Spiritum

Apocalip.21. Iob 26.& 28. Matth.12.

Sanctum,

Sanctum, neque remitti in hoc ſæculo, neque in futuro; Vndè cùm à Chriſto tripartita fiat diuiſio remiſſionis peccatorum, quorum alia in hoc ſæculo, alia in futuro, alia neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittãtur, ſequitur neceſſariò, quòd ſi ſpeciale aliquod peccatum, putà, blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, concedendum ſit, eſſe planè irremiſſibile; aliquod etiam peccatum alterius generis in futuro remitti poſſe; aliàs huiuſmodi partitio inepta, & falſa eſſet. Vndè Auguſtinus hæc uerba tractans in lib. 22. de Ciuitate Dei, ca. 24. dicit; *Non enim, de quibuſdam ueraciter diceretur, quod non eis remittantur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus & ſi non in iſto, tamen remitterentur in futuro.* Sic Auguſtinus; eadem uerba D. Gregorius lib. 4. Dialogorum, cap. 39. ſimiliter intelligit. *In qua,* inquit, *ſententia datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam uerò in futuro, poſſe laxari; Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur.* August. D.Greg.

D. BERNARDVS ſermone 66. in Cantica, & in ſermone de quinque regionibus, idem ex eodem loco Matthæi infert contrà Hæreticos ſui temporis his uerbis. *Quaram ab eo, qui dixit, quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſſio, purgatiouè peccati?* D.Bernard.

ISIDORVS lib. 1. de Diuinis officijs, cap. 18. hanc ſententiam, uerba illa Chriſti continere, ſic ſcribit. *Cùm Dominus dicit, qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, demonſtrat quibuſdam illic remittenda eſſe peccata, & quodam purgatorio igne purganda;* Hactenus Iſidorus. Nomine autẽ futuri ſæculi, non intelligitur extremus dies mundi, ut cauilloſè Caluinus excogitauit, in ſuis Commentarijs, ſuper illum locum Matthæi; Ille enim Dies, non purgationis, uel remiſſionis peccatorum eſt; ſed retributionis unicuique ſecundùm opera ſua; præterquàm quòd Chriſtus in illis uerbis, non comparat hoc ſæculum cùm fine mundi, ſed uitam cùm morte hominum peccantium, appellatque hoc ſæculum, ſpacium uitę hominis uſque ad mortem; futurum uerò, quod eſt poſt ipsã. Adde, quòd curſus temporis intermedij, uſque ad ultimum Iudicij diem, ſignificatur in Scripturis per futurum ſęculum, ut apud Paulum ad Epheſios 2. dum dicit; Chriſtum conſtitui ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro; nec uerba Chriſti de remiſſione culpæ tantummodo accipienda ſunt; cùm clarum ſit, interdum quoad pœnam ſolam, in alio ſæculo peccata poſſe remitti, ut mortalia. Hæc enim licèt quantum ad culpam, extrà hoc ſæculum remitti non poſſint, ut Scholaſticorum communis eſt ſententia; quantum ad pœnam tamen reſiduam poſt ipſam culpam remiſſam, remitti profectò poſſent; qua etiam ratione, ipſum peccatum remitti dicitur, nimirum ſecundùm unum quoddam malum, quod inferebat; hoc eſt, ſecundum illum reatum pœnę. Falluntur itaque Hæretici, perperàm Scholaſticos noſtros interpretantes, dum dicunt, illos negare, peccata ipſa in Purgatorio remitti, tantumque pœnam ibi remitti, & expiari. Etenim dum pœna peccati debita expiatur, peccatum ipſum ratione quadam remitti dicendum eſt. Adde, quòd Scholaſtici non negant, peccata ipſa uenialia, etiam quoad culpam in Purgatorio remitti. Iſidorus. Quomodo intelligãtur uerba Chriſti, de peccati in Spiritum Sanctũ remiſſione. Ad Epheſ. 2.

Quod autem huic loco alij reſpondent, illa uerba, *neque in hoc ſæculo, neque in futuro,* idem ſibi uelle, quod numquam; uel in æternum; ità ut ſit ſenſus, quòd numquam ei remittetur, ſeù quòd damnabitur in æternum, ſicut habet Marcus cap. 3. qui tamquam Matthæi Interpres inqt, *Nõ habet remiſſionem in æternum,* quo ſenſu etiam Petrus dixit apud Ioannem 13. *Non lauabis mihi pedes in æternum,* facilè inquam hoc dictum reijcitur; uerùm enim eſt, quod dicit Marcus; quod etiam Matthæus ſignificare uoluit, nimirum; ex Chriſti ſententia, remiſſionem peccati in Spiritum Sanctum à tota æternitate excluſam eſſe. Cęterùm inde non infertur, in futuro ſæculo nullum peccatum remitti, cùm Marcus, qui compendium eſt Matthæi; per ipſummet Matthæum, qui copioſiùs ſcripſit, exponendus ſit; ex partitione autem illa uerborum Matthæi, qui otioſè illam non appoſuit, *non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, neque in futuro,* rectè nos deducimus, Chriſtum indicare uoluiſſe, aliqua peccata in futuro ſæculo ſolere remitti; Petrus uerò in uerbis citatis non in Marc. 3. Ioan. 13.

eo ſenſu, quo Marcus, accepit uocem, *In æternum*, ſed minus propriè, pro tempore tantùm præſentis uitæ; neque enim pedes in alia uita lauandi ſunt.

Diluitur altera obiectio Hęreticorū. Hoc loco tandem conuicti Hæretici, obijciunt denique non illicò ſequi poſt hanc vitam eſſe Purgatorium ignem, etiamſi poſt hanc vitam quædam peccata poſſint remitti; ſed errant; ſi enim hic locus Scripturæ cùm alijs conferatur, ſatis intelligent, rationem remiſſionis peccati, quæ in altera vita fit. Etenim ex loco illo Pauli 1. Corinth. 3. ſatis clarè docemur, ignem Purgatorij ad aliam rem non eſſe, niſi ut illic peccata plenè expientur, & remittantur, nempè quæcumque ibi remitti poſſunt, & eo modo quo ſunt ibi remiſſibilia; porrò cùm in alio ſæculo non ſit alius locus, niſi iuſtitiæ in retribuendo, uel pręmium, uel poenam iuxtà merita, aut demerita pręſentis uitę; conſequens eſt, ut ea peccata, quę ibi remittuntur, eatenus remittantur, quatenus per ſolutionem poenę, diuinę Iuſtitię ſatisfiat, quod eſt ibi peccata purgari, & expiari, ſeu illic Purgatorium eſſe. (1. Cor. 3.)

Explicatur hic locus difficilis, ex 1. Ioan. 5. Roſenſ. TERTIO, idem probatur ex prima Ioannis 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, ut oret quis*. Roſenſis artic. 37. ex hoc loco, ad veritatem Purgatorij aſtruendam, ſic rectè argumentatur: cum nolit D. Iohannes, ut pro eo, qui in peccato deſperationis è uita decedit (hoc enim à Patribus dicitur peccatum ad mortem) oretur, uidetur certè ſignificare pro ijs, qui alijs peccatis admiſſis, ex hac uita diſcedunt in gratia, utiliter, ac fructuosè orandum eſſe, ut ab huiuſmodi peccatis per expiationem poenę ſi qua illis ſupereſt, omninò exoluantur. Plura alia loca, pręſertim ex ueteri teſtamento afferri poſſent, pręcipuè ex 2. Machabęorum 12. ad hanc ueritatem confirmandam; ſed horum aliqua in confutatione ſequentis erroris adducemus, reliqua apud citatos Doctores, qui cumulatiſſimè ſingula per ſequuntur, legantur. (2. Mach. 12.)

CAPVT XLVII.

Confutatur alius error Hæreticorum, negantium Indulgentias, & ſuffragia pro mortuis.

Epiphan. August. RECENSENDVS eſt igitur alius error Hęreticorum circà ſuffragia ergà animas, quę poſt mortem purgantur. Aerius enim Antiquiſſimus Hęreticus, ut refert Epiphanius, Hęreſi 75. & Auguſtinus Hęreſi 53. negauit pro Defunctis orandum, & illos noſtris precibus; & operibus iuuari; quem deindè omnes nouatores huius ętatis ſecuti ſunt: ſed facilè hęc hęreſis refellitur, ex loco 2. Machabęorum 12. niſi enim alius locus eſſet, hic unicus illius falſitatem aperit, & conuincit; ſed hic unus à nobis adducitur, quoniam alia loca veteris teſtamenti, ſolùm probabiliter, non neceſſariò, Catholicam veritatem probant, ut etiam Bellarminus notauit, lib. 1. de Purgatorio cap. 3. nu. 20. ibi autem ſic legimus. *Vir fortiſſimus Iudas duodecim millia Drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum, &c.* & ſubdit Textus, *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio, pro Defunctis exorare, ut à peccatis ſoluantur*. Plures veritates Catholicę in his uerbis inexpugnabiles demonſtrantur: Prima, poſſe mortuos poſt pręſentem uitam ſolui à peccatis; atque ideò locum Purgatorij eſſe. Secunda, in morte omnes peccatorum reliquias nequaquam ſemper tolli, ut Lutherus aſſeruit, exiſtimauit enim Iudas, (quamuis Machabęi mortui eſſent, morte uiolenta, in gratiā Religionis) nō tamen adhuc plenè eos purgatos fuiſſe. Tertia, poſſe hominem cùm pietate, & Sanctitate dormire, id eſt, mori; & tamen habere debitum aliquod ſoluendum, uel propter peccata uenialia in uita non remiſſa, uel ob ſatiſfactionem pro mortalibus remiſſis, non plenè completam. Quarta, (quę ad rem noſtram facit,) ſacrificia, & orationes, & ſuffragia viuorum prodeſſe Defunctis: (2. Mach. 12.) (Bellarmin.) (Plura fidei dogmata ex loco citato Machab. euidenter demō ſtrantur.)

Torquen-

Torquentur maximè Hęretici hoc teſtimonio Sacrę Scripturę, aduerſus quod tamquam contra ſtimulum recalcitrantes, negant, libros Machabęorum eſſe canonicos, uel ſaltem, locum citatum ſuperadditum Scripturę eſſe, & tamquam additionem aliquam marginalem inſertam. Addunt quoque, Iudam pro iis, qui in peccato mortali deceſſerunt, impiè, & ſuperſtitiosè ſacrificia obtuliſſe, cùm ſub tunicis interfectorum, quędam de Donariis Idolorum, quę illi rapuerant, inuenta fuerint, contra expreſſam legis prohibitionem, Deuteronomii 7. Non igitur orarunt, ut animas illa iuuarent; ſed ſolùm, vt ſe ipſos uiuos conſolarentur, cùm in peccato illo mortali, quod in accipiendis illis Donariis aduerſus legem commiſerāt, omninò obierint; uel certè pro illis obtulit ſacrificia, non ut luerent pœnas peccatorum, ſed ut effugerent in extremo iudicio, & in illa communi omnium reſurrectione, ſententiam æternæ damnationis; denique verba illa quæ ſub finem 2. libri Machabæorum habentur ſcilicèt, *Et ego etiam in his faciam finem ſermonis, & ſi quidem benè, & ut hiſtoria competit, hoc & ipſe uelim; ſi autem minùs dignè, concedendum eſt mihi*, ut Hæreticus putat, probant, librum illum non eſſe canonicum. Hæc & alia futilia Hæretici inculcant; ſed durum illis eſt contra ſtimulum calcitrare; Eccleſia enim vniuerſalis, ab hinc plùs 1000. annis, legit hanc partem libri Machabæorum in Miſſa, & in diuino officio, ut patet ex Epiſtola Petri Cluniacenſis contra Petrobruſianos, & tamen decreto Concilii 3. Carthaginenſis, Can. 47. nullus liber, ut diuinus, legitur in Eccleſia, niſi canonicus ſit; ſed quid? ſummet Concilium Carthaginenſe tertium celebratum anno Domini 380. nonnè libros Machabæorum refert inter canonicas Scripturas. Innocentius I. in Epiſtola ad Exuperium, cap. vltimo, & Auguſtinus ante annos 1200. lib. 18. dè Ciuitate Dei cap. 36. nonnè illa uerba profert, *Libros Machabæorum, non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet?* quod Idem docet in lib. 2. cap. 23. contrà Gaudentium Donatiſtam, & de Doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 8. & Hieronymus in Prologo 1. libri Machabæorum ait, quod licèt non habeantur in Canone Hæbręorum, tamen ab Eccleſia inter Diuinorum uoluminum adnotantur hiſtorias. Sed & Cyprianus Antiquiſſimus Scriptor in libro de exhortatione Martyrii cap. 11. & libro 1. Epiſtola 3. Gregorius Nazian. in Oratione de Machabæis, Sanctus Ambroſius lib. 2. de Iob cap. 10. 11. & 12. ex libris Machabęorum uerba citant, vt ex diuina Scriptura. Origenes item in cap. 5. ad Romanos, Iſidorus lib. 6. Ethymologiarum, cap. 1. & alii. Vndè in Concilio Florentino, & deindè in Tridentino hi libri Machabęorum, & omnes eorum partes inter Canonicas Scripturas recipiuntur; Neque huic veritati aduerſantur uerba Auguſtini in loco citato, contra Gaudentium, quòd hi libri non inutiliter ab Eccleſia recepti ſint, ſi ſobriè legantur, uel audiantur; hoc enim non ideò dicit tantus Pater, quaſi in illis ſint aliqui errores. Abſit. Sed quia exempla ibi narrantur eorum, qui ſe occidèrunt, quæ imitanda non ſunt; ſicut etiam Geneſis ſobriè legenda eſt propter inceſtum Iudę, quod factum non eſt imitandum; quo etiam ſenſu dici poſſet, Cantica Canticorum ſobriè eſſe legenda propter ea amoris iacula, quæ ibi narrantur.

Hæretici negant librorũ Machabæorum auctoritatem.

Deut. 7.

Refelluntur ſupradicta hęreticorũ mendacia.

Pet. Cluniac.

Cóc. Carth. 3.

Innoc. I.

Auguſtin.

D. Hierón.

D. Cyprian.

Nazian.

Ambro.

Origen.

Iſidor.

Conc Florẽt.

Conc. Trid.

Qvod autem ſcribit Auctor in calce 2. libri, ſibi condonari, ſi quid minùs dignè narrauerit; non referendum eſt ad ueritatem Hiſtoriæ, uel ad res ipſas, quas narrat; quaſi ueniam petat, ſi quid falſum, aut minus certum ſcripſerit; abſit hoc: ſed ad modum ſcribendi, atque narrandi, quod ex ultimis uerbis illius capitis, in quibus illius dicti ratio redditur, manifeſtum fit; ſubiungit enim, cur uelit ſibi modum illum dicendi condonari; *Sicut enim*, inquit, *vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt; alternis autem uti, delectabile: ità legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus*: ſimili quoque modo D. Paulus, quamuis ſemper uera, & certiſſima diceret; fatebatur, ſe non ſatis perito ſermone ſolere loqui.

Nec Donatia illa in Idolorum cultum milites illi acceperant, ſed ſolùm diteſcendi cupiditate, quod ueniale peccatum fuit; quòd ſi contendant, mortale fuiſſe; dicendum neceſſariò eſt, tempore mortis, quoad culpam, per Cõtritionem remiſſum fuiſſe, iuxtà illud Pſalmi 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur*; Pſal. 77.

bantur;ſic enim dicit Scriptura, *eos, qui cùm pietate dormitionem acceperant, optimam habere repoſitam gratiam*; Quòd ſi quoque concederemus, ſtatum illorum incertum fuiſſe, licuiſſet vtique pro illis orare, etiamſi inter Damnatos eſſent.

Sed certè dicendum eſt, Iudæ curæ non fuiſſe, ſacrificia illa offerri, niſi pro illis Defunctis, qui ex illo numero ab omni peccato mortali, per veram pœnitentiam, vel ante mortem, vel iam iam in ipſa morte reſipuiſſent: *conſiderauit enim*, inquit Scriptura, *quòd hi, qui cùm pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam*.

Nec Iudas eam cogitationem ſuſcepit, pro Defunctis exorare, vt in extremo Iudicio peccata mortalia illis Defunctis remitterentur, quæ, cùm in vita remiſſa non fuiſſent, & iam damnationi propter illa addicti eſſent; minimè ſancta, & ſalubris talis cogitatio fuiſſet; cùm perperàm id fieret, vtporè contra legem Dei ordinariam reprobationis; nec peccata in extremo Iudicio remittuntur, ſed publicè puniuntur. Igitur ex hoc luculentiſſimo teſtimonio, ſuffragia ergà animas in Purgatorio morantium neceſſariò conuinci, demonſtratum ſit.

Non deſunt prætereà antiqua teſtimonia Patrum, quæ huic Catholicæ veritati indubitatam fidem faciunt: aſſerunt enim vnanimi cõſenſu, pro Defunctis, qui in Dei gratia deceſſerunt, orandum eſſe; neque id tantùm ad eorum memoriam celebrandam, vel ad Deo gratias agendas pro ipſorum victoria, ut falsò Hæretici commentantur; ſed præcipuè, ut à peccatis ſoluantur, ideſt, vt plenam peccatorum conſequantur remiſſionem, ſi obſtricti aliquo reatu ab hac luce migrauerint.

Sanctorũ Patrum teſtimonia pro ſuffragijs defunctorum. Dion. Areop.

Dionysivs Areopagita in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. ità ſcribit. *Cùm diuinam bonitatem precamur, peccata Defuncto condonari petimus, quæ ob humanam imbecillitatem, admiſſa ſunt. In regioneque viuentium eum collocari, in Sinu Abraham, Iſaac, & Iacob, in quo loco abeſt mæror, triſtitia, & gemitus; cùm Diuina potentia ob ſuam bonitatem contemnat maculas, ab imbecillitate humana prouenientes, quoniam nemo, vt Sacræ litteræ docent, mundus à ſordibus*. ſic Dionyſius.

Tertull. Tertvllianvs in libro de Monogamia, monet mulierem viduam pro anima mariti Defuncti orare, *& refrigerium*, inquit, *poſtulare*. Sic ipſe loquitur; & in libro de corona Militis inter traditiones Apoſtolicas enumerat ſuffragia pro Defunctis; quam traditionem agnoſcit D. Chryſoſtomus Homil. *69*. ad Populum Antiochenum dicens; *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs, Defunctorum agatur commemoratio. Scimus enim, multùm inde illis poſſe contingere lucrum, vtilitatem multam*. Quod etiam repetit Homil. 32. in Matth. & 84. in Ioannem, & Homil. 3. in Epiſtola ad Philippen. & 21. in Acta.

D. Chryſoſt.

Cyrill. Hier. D. Cyrillvs Hieroſolimitanus Catecheſi 5. Myſtagogica, ſic ſcribit, *Deniq; pro omnibus oramus, qui inter nos, vita functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum iuuamen, pro quibus offertur obſecratio Sancti illius, & tremendi ſacrificij*.

D. Cyprian. S. Cyprianvs lib. 1. Epiſtola 9. ſic habet, *Epiſcopi anteceſſores noſtri cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret: ac, ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur*.

Theophyl. Theophylactvs in Lucam, cap. 12. ſic ſcribit, exponens illa verba, *Eum timete. Non ſemper*, ait, *qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, ſed ſunt in poteſtate Dei, vt dimitti poſſint. Hoc autem dico*, inquit, *propter oblationes, quæ fiunt pro Defunctis*.

Epiphan. D. Epiphanivs Hæreſi 75. multa contrà Aerium in defenſionem Eccleſiaſticę conſuetudinis orandi pro Defunctis, ſcribit. *Proſunt*, inquit, *preces pro Defunctis factæ, etiamſi totam culpam nõ abſcindant*, Quòd ideò dixit, quia peccata mortalia, quo ad culpam, poſt hanc uitã non expiantur, ſed remiſſionẽ illorum, quoad pęnã, per orationem Defunctis impetramus. Quocircà argumentũ Aerei, cõtrà huiuſmodi morem Eccleſiæ factum, omninò corruebat; dicebat enim, ſi preces eorum, qui hic ſunt, pro illis fiunt, qui illic ſunt: igitur nemo ſit pius, neque bonum faciat, ſed acquirat amicos quoſdam, vt poſt obitum orent pro ipſo, vt nè quid illic patiatur.

Reſpondet

Reſpondet tacitè huic argumento Epiphanius, doctè tamen; non licere eam conſequentiam ex more Eccleſiaſtico deducere; *Non enim*, ait, *orationes pro Defunctis totam culpam abſcindunt*; ac ſi diceret; non enim mortalis culpa in altera vita alicui remittetur, ſi cùm illa è uita diſceſſerit. Moderni Hæretici, ut Kemnicius, impudēter hunc locum Epiphanij deprauarunt; ſed Epiphanij defenſionem legat, qui uoluerit, apud Gregorium de Valentia in lib. de Purgatorio cap. 5. Greg. de Val.

S. Gregorivs Nyſſenus ità ait; *Nihil inconſultò, neque abſque emolumento, à Chriſti Præconibus, & Diſcipulis traditum eſt; ſed res plena vtilitatis eſt; Deoque accepta, commemoratio videlicèt, quæ habetur in Diuino, & admirabili ſacrificio, pro iis, qui in fide obdormierunt*. Nyſſenus.

D. Ioannes Damaſcenus, magnum Orientis lumen, quod à Damaſco illuxit, in Oratione, quam conſcripſit, de iis, qui in fide obdormierunt; multa in hanc ſententiam dicit, & ex Dionyſij, Gregorij Nazianzeni, & Chryſoſtomi teſtimonijs rem confirmat. Lege Gennadium de Purgatorio cap. 3. ſect. 3. Nec alii quàmplurimi Latini, uel Græci Patres à nobis referendi ſunt, cùm eorum libri, qui aduerſus Hæreticos ex profeſſo ſcripſerunt, illorum de hac re ſententiis pleni ſint. Lege Caniſium in ſuo opere Cathechiſtico, de ſacrificio Miſſæ, & Thomam Stapletonum in ſuo Promptuario Catholico, in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum. Damaſcen. Gennadius. Caniſius. Stapletonus.

Vervm non immeritò libet hanc defenſionem huius Catholicę ueritatis concludere ex ſententia D. Bernardi, qui in ſermone 66. in Cantica, ſic ſcribit, *Videte detractores, videte canes; Irrident nos, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum ſuffragia poſtulamus. In omni genere hominum, & in vtroque ſtatu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis, & paruulis, in viuis, & in mortuis; Hinc quidem infantibus, ex impoſſibilitate naturæ; inde verò adultis, ex difficultate continentiæ, proſcribentes. Porrò mortuos, viuentium fraudantes auxilijs, viuentes nihilominus Sanctorum, qui deceſſerunt, ſuffragijs ſpoliantes*. ſic Bernardus. D. Bernard.

Suſurrat Caluinus, hanc conſuetudinem orandi, & ſacrificandi pro mortuis ex Gentilicia ſuperſtitione, quam Patres, ut ſe Populo accommodarent, retinuerunt, irrepſiſſe; ità ſcribit lib. 3. Inſtitutionum cap. 5. num. 10. Sed Sancti Patres non minori zelo, & doctrinæ veritate Hæretica dogmata extinguere conati ſunt, quàm etiam ritus Gentilium.

Tertvllianvs in libro de Corona Militis, nonnè acerrimè inuehitur in Milites Chriſtianos; qui coronam geſtabant, more Militum Ethnicorum? & tamen iam audiuimus, illum adhortari nos ad orationem pro Defunctis. Sacrificia pro mortuis, non eſſe gentilicias ſuperſtitiones. contrà Caluinū.

Cyprianvs item in libro contrà Demetriadem, Gentiles ſuperſtitiones, ut Religionis veræ Diſſipatrices, condemnat, cùm tamen ſacrificium pro Defunctis maximè commendauerit. Denique D. Auguſtinus, qui in libro de Cura pro mortuis agenda cap. 1. tantoperè ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum commendat; tùm in Epiſtolà poſteriori ad Ianuarium, tùm alibi, Ethnicas ſuperſtitiones diligentiſſimè ſemper inſectatus fuit. Pudeat igitur Caluinum huius conuicioſi mendacij in Dei Eccleſiam, cùm Patres noſtri, ex Apoſtolica traditione, hunc ritum, ut ſanctum, & pium, ad nos deduxerint, atque in Concilijs Generalibus, ubi ſolùm Chriſtiani, & Catholici mores confirmantur, huiuſmodi ritus firmiſſimis Decretis munitus fuerit. Huc accedit, quòd his calumnijs, vniuerſi ritus Eccleſiaſtici ſubuerti poſſent. Habuerunt Ethnici ſuos Sacerdotes, ſua ſacrificia, ſua templa, ſuos Baptiſmos, panum oblationes, ieiunia, & denique quicquid ferè in Ritibus Chriſtianorum Spiritus ſanctus obſeruandum tradidit; *Diabolus enim*, (vt inquit Tertullianus, rei Gentilicię peritiſſimus in libro de Pręſcriptionibus) *Res Sacramentorum in Idolorum myſterijs æmulatur. Tingit, & ipſe quoſdam utiq; credentes, & fideles ſuos; ſignat in frontibus milites ſuos. Celebrat panis oblationem. Habet & Virgines; habet, & continentes; Denique in Romanis illis Sacerdotalibus officijs, inſignibus, & Priuilegijs, moroſitatem illam Iudææ imitatus eſt*. Hæc ibi Tertullianus. Num (reſpondeat his Caluinus) Eccleſia Dæmonem imitatur, uel Dæmon Eccleſiam Tertull. Cyprian. D. Auguſt. Tertull.

cleſiam æmulatur? Immò uerò veram Religionem uana ſuperſtitio æmulatur, non è contrà; quo nomine etiam Diabolus cruentis ſacrificijs delectatur; non quia, ut inquit Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 19. *Cadauerinis nidoribus, ſed quia diuinis honoribus gaudeat*. Videat Caluinus, *quantum Deo Sanctitas placeat, cùm illam inimicus Diabolus affectet*. (Verba ſunt Tertulliani lib. 1. ad vxorem) *non utiq; ut alicuius boni affinis, ſed ut Dei Domini placita cùm contumelia affectans*; Verùm & ſuperſtitiones Paganorum, & cauillationes Hæreticorum dimittamus. Nec enim hi in mortuos crudeles ſunt ob ſuperſtitionem uitandam; ſed ob odium inteſtinum, quo veram Religionem proſequuntur.

D. Auguſt.
Tertull.

Iuſtin. Mart.

IVSTINVS Martyr in Apologetico contrà gentes quindecim ferè loca, & amplius adducit, quæ Diabolus gentibus ſuggeſſit ad imitationem, ſeu corruptelam procurandam, & minuendam ſanctarum literarum auctoritatem, quæ breuitatis gratia, lectori legenda relinquimus.

Tria genera ſuffragiorum pro defunctis.
Auguſt.
Gregor.
Eugen. IIII.

SVFFRAGIORVM autem, quæ in gratiam mortuorum fiunt, tria eſſe genera, cõmunis ſchola docet in 4. diſt. 45. ſcilicèt Sacroſanctum ſacrificium Miſſæ, Orationem, & opera pœnalia, ut Ieiunium, Eleemoſina, Peregrinationes, & ſimilia; ità habet Auguſtinus libro de cura agenda pro mortuis, & habetur in Cap. *Non exiſtimemus* 13. quæſt. 2. & D. Gregorius ad Bonifacium in Can. *Anima*, eadem cauſa, & diſt. quod etiam definiuit Eugenius IIII. in Decreto unionis Græcorum, in Concilio Florentino.

Chryſoſt.
Auguſt.

Atque hæc tria diſtinctè ponit Chryſoſtomus homil. 41. in primam ad Corinth. *Iuuetur*, inquit, *mortuus non lachrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, & Eleemoſinis*, & Auguſtinus ſer. 34. de verbis Apoſtoli ſic dicens, *Orationibus uerò Sanctæ Eccleſia, & Sacrificio ſalutari, & Eleemoſinis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum, mortuos adiuuari, ut cùm eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt; Hoc enim à Patribus traditum, uniuerſa obſeruat Eccleſia; vt pro eis, qui in corporis, & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium, loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur; cum verò eorum commendandorum cauſa, opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur?* Hæc Auguſtinus.

Indulgentiæ pertinent ad ſuffragia tertij generis, & quomodo proſunt mortuis.

AD illud tertium genus ſuffragiorum reducuntur Indulgentiæ, quæ in ſubſidium animarum, quæ ſunt in Purgatorio, interdum conceduntur; nec illę faciunt quartum genus ſuffragiorum, quoniam Indulgentia nil aliud eſt, quàm applicatio ſatisſactionum, ſeu pœnalium operum Chriſti, & Sanctorum Defunctis: Nec quælibet Indulgentia ex ſuſcipientis arbitrio Defunctis prodeſt; ſed ea tantùm, quæ ab habente poteſtatem, in ſubſidium animarum Purgatorij dirigitur. Vnde inſpicienda eſt forma conceſſionis; quæ enim dicit. Quicumque Baſilicam Sancti Petri, uel aliam uiſitauerit, vel talem Eleemoſinam elargitus fuerit, decem annos de uera Indulgentia acquiret; viuis tantùm prodeſt, qui faciunt, quod ibi præſcribitur; Verùm ſi ſub hac forma indulgeatur; ſi quis pro ſuis Defunctis decem aureos in Eleemoſinam dederit, aut uiſitauerit talem Eccleſiam, hæc, uel illa remiſſio eis fiat; utique ipſos Defunctos tale ſuffragium iuuabit: ſub hac forma extat Bulla Alexandri VI. pro anno Iubilæi, anno Domini 1500. quæ à Stephano Notto, & Cyrillo Francho in ſuis libris de Iubilæo reſcribitur. Verba eius ſunt hæc; *De diuina miſericordia, ac poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, uolumus, & concedimus, vt ſi qui parentes, amici, aut cæteri Chriſti fideles, pietate commoti, pro ipſis animabus Purgatorij ignis, pro expiatione pœnarum eiuſdem, ſecundum diuinam Iuſtitiam debitarum, expoſitis, dicto anno Iubilæi durante pro reparatione dictæ Baſilicæ S. Petri aliquam eleemoſinam, iuxtà dictorum Pœnitentiariorum, uel alicuius eorum ordinationem, dictas Baſilicas, & Eccleſias, modo præmiſſo, deuotè uiſitando, in Capſa in eadem Eccleſia, ſeu Baſilica Sancti Petri deputata poſuerint; Ipſa pleniſſima Indulgentia per modum ſuffragij, ipſis animabus in Purgatorio exiſtentibus, pro quibus dictam eleemoſinam piè erogauerint, pro pleniſſima pœnarum relaxatione ſuffragetur.* Hæc ibi.

Alex. VI.
Cyril. Franc.
Steph. Nott.

An Iubilæus

VERVM hodie Indulgentia Iubilæi non extenditur ad Defunctos, neque enim

illi adim-

illi adimplere poſſunt, quæ in bullis à Pontificibus preſcribuntur, ut illā quis conſequatur, quod optimè notauit Nauarrus in tract. de Iobelęo, notabili 22. num. 1. & ratio huius dicti eſt, quia ſecundùm mentem Sancti Thomæ in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 3. & aliorum, nulla Indulgentia extenditur ad mortuos, niſi concedens eam expreſsè ad illos extendat, ut dictum eſt. Lege Calderin. in Cap. *Noſtro* de Pœnit. & Remiſſ. Vndè concludit cùm eo Nauarrus, quòd ſi quis uiuus non ſolùm pro mortuo, ſed etiam pro alio uiuo Romam adiret anno Iubilæi, & faceret huic Indulgentiæ quærendæ neceſſaria, illam ei non acquireret; & eſt communis opinio; Indulgentiæ enim, iuxtà commune axioma Theologorum, tantùm ualent, quantum ſonant.

anni ſancti cōcedatur pro defunctis.
Nauar.
D. Thomas.
Calderinus.

CAPVT XLVIII.

Inſtituitur prima Diſputatio. Quòd auctoritate Clauium Indulgentiæ dentur Defunctis.

VERVM, an Indulgentiæ per modum abſolutionis, & auctoritatis uel ſolùm per modum ſuffragij ad animas ſeparatas perueniant, magna eſt Diſceptatio inter Scholaſticos.

In quo Dubio duę Quæſtiones inuoluuntur, ut optimè diſtinxit Caietanus tomo 1. tract. 16. quæſt. 5. & 6. Caietan.

Prima eſt, an Papa auctoritate Clauium det Indulgentias animabus in Purgatorio.

Secunda eſt, an uia gratiæ, uel Iuſtitiæ hę Indulgentię ad illas deferantur; quæ quidem quæſtio in ſequenti diſputatione agitabitur.

QVOAD Primam. Tria ſunt, quę ea in ſe faciunt difficultatem. Primum, quoniam, cùm auctoritas conferendi Indulgentias non ſit alia, quàm ſoluendi Poteſtas, Petro, cæteriſque Apoſtolis à Christo tradita; & hæc ęquè pateat, ac poteſtas ligandi, quæ illi opponitur; ſequitur, ut ad quæ non ſe extendit poteſtas ligandi, neque poteſtas ſoluendi ſe extendat; contraria enim circà idem uerſantur: Id quod Dominus Matthæi 16. & 18. non obſcurè indicauit, ſemper poteſtati ſoluendi, poteſtatem quoque ligandi annectens; Atqui talis poteſtas ligandi ad pęnas Purgatorij non ſe extendit, cùm Chriſtus dixerit, *Quodcumq́ ligaueris ſuper terram*; quę uox ſumendo continens pro contento, ſolos homines adhuc in terra uiuentes comprehendit. Ergò neque ſoluendi: commorantes enim in Purgatorio non ſuper terram, ſed ſub terra exiſtunt.

Qua ratione Pont. concedere poſſit Indulgētias pro animabus Purgatorij.
Matth. 16. & 18.

Secundum, Summus Pontifex non eſt Iudex animarum Purgatorij, ergò neque eis Indulgentias concedere poteſt: nullus enim à non ſuo Iudice ligari, uel abſolui poteſt. Textus eſt expreſſus in Cap. *Quod autem*, de Pœnit. & Remiſſ. vbi Alexander III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem reſcribens, declarat, remiſſiones prędictas (ſic appellat Indulgentias, quę in Dedicationibus templorum; ab Epiſcopis alienis Plebibus impartiebantur) illis tantummodò prodeſſe, quibus ut proſint, proprij Iudices ſpecialiter indulſerunt. Et confirmatur, quoniam hoc nomine Clemens V. in Concilio Viennenſi, ut habetur in Clemen. *Abuſionibus*, de Pœnit. & Remiſſ. condemnat abuſum quæſtorum, qui tres, aut plures animas Parentum, uel amicorum mendaciter ex Purgatorio extrahere, & ad gaudia Paradiſi perducere, ſi eleemoſinas illis conferrent, ſe iactabant: Vbi Gloſſa in uerbo *Mendaciter*, dicit, *cum ſint Dei iudicio reſeruata*, & citat Cap. *Qualis*, Diſt. 25.

Alex III.
Clem. V.
Gloſſa.

Tertium, quia ſic Pontifex poſſet ad libitum totum Purgatorium euacuare, quod uidetur inconueniens; quia ſic Iuſtitiæ diuinę illuderetur; Adijce, quod in Bullis Pontifices, cùm Indulgentias ad animas Purgatorij dirigunt, ſe per modum ſuffragij id facere explicant; non ergò ex auctoritate Clauium; ſuffragium

enim

enim in Clauium poteſtate non continetur, ſed in voluntate pia eius, qui ſuffragatur.

Quod Pont. poſſit aias à Purgatorio liberare, & qua ratione.

SED his non obſtantibus, veriſſimè aſſerendum eſt, Summum Pontificem, quãuis non poſſit animas Purgatorij iudicialiter abſoluere à pœnis; poſſe tamen auctoritate Clauium, tamquam Summus Diſpenſator, illis bona opera ſatisfactoria, quæ ſunt in Theſauro Eccleſiaſtico, per modum ſuffragij communicare; ac proindè Indulgentias illis conſerre; & contrarium dicere, eſt Hæreticum. Rationes autem in oppoſitum adductæ benè probant primum, quòd in hac aſſertione ponitur, ſcilicèt, non eſſe in auctoritate Papæ, abſoluere iudicialiter defunctos, quemadmodum viuentes abſoluit. Quod etiam uoluit Cardinalis Turrecremata de Pœnit. diſtin. 1. §. in Leuitico art. 6. Riccardus in 4. diſtin. 20. art. 3. quæſt. 3. ad vltimum: Maior ibidem, quæſt. 2. Caietanus tract. 16. quæſt. 5. tomo 1. Ledeſmus ſecunda parte quæſt. 16. art. 14. Sotus in 4. diſtin. 21. quæſt. 2. art. 3. conclu. 3. & diſtin. 45. quæſt. 2. artic. 3. concluſ. 3. Nauarrus de Indulgen. notabili 22. num. 5. qui citat Calderin. in dicto Cap. *Noſtro* de Pœnit. & Remiſſ. col. 20. Cordubenſis de Indulgen. quæſt. 16. & Alij. Non enim qui ſunt in Purgatorio, ſunt ſubiecti directè poteſtati Papæ, ut innuit Dominus in illis verbis citatis Matthæi 16. Nec iuriſdictio Clauium in illos protenditur, qui non in proprio, ſed in foro ſolùm Deo reſeruato exiſtunt.

Turrecr. Riccard. Maior. Caiet. Ledeſm. Sotus. Nauar. Calderin. Cordub. Matth. 16.

Papa poteſt cõmunicare animab' Purgatorij theſaurum Eccleſiæ.

IAM verò in auctoritate Papæ eſſe, communicare illis bona in ærario Eccleſiaſtico reposita, quod ſecundo loco in aſſertione dicebatur, facilè eſt probare.

Matth. 16.

PRIMO ex Scriptura ex illo Matthęi 16. quò loco tribuuntur Petro Claues Regni Cœlorum ad effectum aperiendi, ideſt, tollendi impedimenta, quæ ingreſſũ Regni Cœlorum, ideſt, Beatitudinis retardant. Atqui Animę Defunctorum, quę ſunt in Purgatorio, excluduntur ab eo ob pœnas temporarias, quas priùs ſoluere debent; ergò per Claues Petri, ſi ſufficienter aperire debent, huiuſmodi pœnę obſtaculum tolli poteſt; ad omne enim perſonale impedimentum, quod ex peccato actuali naſcitur, tollendum Claues Eccleſię aptę eſſe debent, ut illis, qui ius habẽt ingrediendi, (excipio enim Damnatos) portas Cœli aperire poſſint; nec hi actus Clauium ſunt reſtringendi, vel limitandi ad hunc, vel illum animarum ſtatum; quandoquidem Chriſtus ſimpliciter, & ſine ulla limitatione ampliſſimè in ſuorũ amicorum, (non hoſtium) ſpirituale commodum illas tradiderit; in illa enim poteſtate ſoluendi peccata Eccleſię Prælatis tributa, generatim omnis modus, ſiuè per abſolutionem, vt uiuis; ſiuè per modum ſuffragij, vt Defunctis, continetur; cùm omnis talis modus ad Dei gloriam, & vtilitatem Eccleſię, & ad finem Eccleſiaſtici miniſterij expediat: nec enim Chriſtus illum determinauit, uel hunc excluſit.

SECVNDO, quoniam omnes Indulgentię, quoad cauſſam, & effectum, ſunt eiuſdem rationis; omnes enim ab eo, qui poteſt diſpenſare Theſaurum meritorum Chriſti, & Sanctorum, quatenus ſatisfactoria ſunt, ad tollendas pęnas pro peccatis remiſſis debitas, emanant; Vndè conferre illas, ſiuè pro viuis, ſiuè pro Defunctis, ad poteſtatem Clauium ſpectabit.

TERTIO, ſtilus, iuxtà quem Romana Eccleſia Indulgentias huiuſmodi pro Defunctis concedit, id perſuadet; in literis enim Apoſtolicis, in quibus illæ cõceduntur, duo inſeruntur; & quòd Apoſtolica auctoritate Indulgentia pro animabus Purgatorij datur; & quòd illa per modum ſuffragij eas iuuet.

QVARTO, non eſt negandum, non ſolùm Miſſę ſacrificio, Orationibus, Eleemoſinis, & Ieiunijs animas Purgatorij iuuari; ſed etiam alijs pijs operibus, & præſertim ſatisfactionibus, quas uiuentes Chriſtiani ex charitate pro mortuis faciunt; Ità habet Concilium Florentinum in Decreto citato Vnionis; cuius uerba ſunt hęc. *Eorum animas pœnis Purgatorij poſt mortem purgari, & vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia; Miſſarum ſcilicèt ſacrificia, orationes, & eleemoſinas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta.* Hęc ibi. Quę uerba ferè eadem repetuntur in Concilio

Con. Floren.

Conc. Trid.

Tridentino

Tridentino ſeſſ.25. in Decreto de Purgatorio. Ponderanda ſunt autem uerba illa, *Secundum Eccleſiæ inſtituta*; cùm enim, ut mox dicemus, à Romana Eccleſia ab antiquiſſimis temporibus, pro Defunctis Indulgentię concedi ſoleant; quis negare poterit, hoc pium inſtitutum à Chriſto emanaſſe? ſanè, & Chriſti, & Eccleſię inſtitutum; Chriſti, qui talem poteſtatem tradidit; Eccleſiæ uerò, quę in iuuamen membrorum eius, quę ſunt in Purgatorio, tali poteſtate frequentiſſimè utitur. Pius II. (vt refert Gabriel in Can. lect.57. & Nauarrus loco citato, nu.9.) Pius II. Gabriel. Nauar. & Innocentius VIII. conceſſerunt uiſitantibus Eccleſiam Sanctonenſem facultatem liberandi ſingulas animas è Purgatorio; Calixtus III. idem conceſſit Eccleſię Tyrazonenſi in Hiſpania, & Paſchaſius V. idem conceſſit viſitantibus Sacellum poſitum in Eccleſia Sanctæ Praxedis Romę; cuius factum Vndecim Pontifices confirmarunt, ut in literis authenticis apud fores illius Sacelli legitur. Innoc. VIII. Calixtus III. Paſchaſius V. Idem conceſſum eſt Eccleſię Sancti Laurentij extra muros in vrbe. Lege D. Gregorium in 2. libro Dialogorum, cap. 22. & in 4. cap. 57. Quinimmò ex multis Scripturis antiquis, & veris Romę, & alibi repertis, ſępè pro Defunctis Indulgentias Gregorium conceſſiſſe comperitur. Quod inſtitutum Summi Pontifices in animarum ſubſidium, dum altaria priuilegiata concedunt, piè & ſanctè frequentant. D. Gregor.

Qvinto, Papa poteſt per modum auctoritatis Defunctis communicare de Theſauro communi Indulgentiarum ſibi commiſſo, ergò Indulgentias illis concedere; ad efficaciter enim communicandum alicui aliqua bona ſufficit, quòd ille, qui communicat, habeat auctoritatem ſuper huiuſmodi bona communicabilia, & ſuper communicationem eorum, & quod is, cui fit communicatio, ſit idoneus, & non prohibitus ad talem communicationem recipiendam; nec ad hoc requiritur, quòd ſit ſubditus, cùm non per modum iuriſdictionis, ſeu remiſſionis iuriſdicialis conferatur. Ità Alexander de Ales in quarta par. quæſt.83. memb.3. & Bonauentura in 4. diſt.20. art.2. quęſt.2. & 3. Alenſis. S. Bonauent.

Sexto, Animę, quę ſunt in Purgatorio, ſunt oues Chriſti, in Charitate, & unione eiuſdem conſtitutę; ergò Summus Pontifex poteſt eas paſcere eo modo, & ratione, qua indigent; ſed indigent ſatisfactionibus, & ſolutionibus pœnarum: ergò has poteſt Papa illis ex Theſauro mutuas dare.

Septimo, quilibet particularis ex ratione Charitatis poteſt particularia, uel etiam communia auxilia in mortuos facere, ſuaque ieiunia, & alia opera ſatisfactoria animabus Purgatorij, pro earum ſatisfactione applicare; & è conuerſò animę illę poſſunt huiuſmodi auxilia recipere: ergò à fortiori Primus Eccleſię Oeconomus, magnuſque omnium Pater communia Eccleſię auxilia ſatisfactoria, per uiam communicationis poterit illis applicare; cùm nec ille communicare, nec iſtæ recipere, ulla lege diuina, uel naturali prohibeantur; & eſt ratio D. Thomę in 4. diſt.40. & eſt fundata in illo Symboli, *Sanctorum communionem* (ſicut de uiuis ſuperiùs dicebamus) quam cõmunionem facit ipſa Charitas ut in Cap. *Ecce Charitas*, de conſecrat. diſt.4. vndè Gloſſa ſuper illud Pſal. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, ait; *Membrum enim particeps eſt totius corporis; nec enim nobiſcũ minùs coniuncti ſunt defuncti, quàm viui; communio autem Charitatis facit, ut noſtra opera illis apud Deum proſint, non minus, quàm viuis, præſertim cùm ſint in maiori neceſſitate conſtituti*; ſupra autem probauimus, animabus Purgatorij ſuffragia viuorum prodeſſe, ex Tertulliano libro de Monogamia, Cypriano libro 1. Epiſtola 6. Ambroſio lib. 2. Epiſtola 8. Auguſtino in Enchyridion cap.110. & ſer.34. de verbis Apoſtoli, Chryſoſtomo homil.66. ad Populum Antiochenum, Concilio Carthaginenſi quarto, & Vuormacienſe, Can.10. & alijs. D. Thomas. Gloſſa. Tertull. Cyprian. Ambro. Auguſt. Chryſoſt. Cõc. Cart.4. Cõc. Vuorm.

Atque his rationibus illa Catholica ueritas firmata ſit, quæ in aſſertione poſita eſt, uidelicèt, Papam auctoritatem habere diſpenſandi Theſaurum, etiam ad pœnas Purgatorij remouendas. Quomodo autem id faciat, an per modum iuriſdictionis, an per modum ſuffragij, in ſecunda quæſtione declarabitur; nunc ad argumenta in oppoſitum facta breuiter reſpondendum eſt.

Reſpondetur argumentis ſupra poſitis.

Ad Primum multis modis reſpondetur, uidelicet, ſi negemus conſequentiam, quoniam ad multo plura poteſtas ſoluendi, quàm ligandi ſe extendit. Sacerdotibus enim poteſtas remittendi peccata conuenit, non item ligandi; quoniam gratiam ſubtrahere, per quam animę in peccatis detinentur, diuinæ tantumodo eſt poteſtatis.

Secundò dicitur, Papam iudiciaria poteſtate, ſeu per modum iuriſdictionis nec ligare, nec ſoluere illos, qui ſunt in Purgatorio. Vndè, quandò pro illis Indulgentias concedit, ſemper addit, *Per modum ſuffragij*, ac ſi diceret, ſe non directè abſoluendo; ſed indirectè, ſoluendo pro eis illas adiuuare. Quare, ut benè inquit

Caietanus.

Caiet. in citata quæſt. 6. ad primam obiectionem, aliud eſt abſoluere auctoritatiuè exiſtentes in Purgatorio, & aliud eſt diſpēſare auctoritatiuè Theſaurum Chriſti, & Sanctorum pro illis, ut per modum ſuffragij abſoluantur; & hanc diſpenſationem efficiens Pontifex, non excedit fines iuriſdictionis ſuæ; quia non ob id exercet actum iuriſdictionis, uel auctoritatem ſoluendi ſub terra. De qua re paulò poſt uberiùs dicemus.

Tertiò reſpondetur, ſi quis correlatiuas, & ęquales has poteſtates eſſe contendat; poteſtatem ſoluendi, & ligandi Eccleſiæ ex æquo tributas eſſe, non quidem, ut ubicumque ſoluere poſſet, poſſet etiam ligare; ſed ut non minùs ſoluendi, quàm ligandi, ubicumque alterum, uel utrumque contingeret, exerceret offi-

Medina.

cium; & eſt ſolutio Medinæ qui concedit, non arithmeticè, ſed geometricè, aut ſecundùm proportionem, has duas poteſtates eſſe æquales; quicquid enim ligare poteſt Eccleſiaſtica auctoritas, poteſt & ſoluere; non tamen quicquid poteſt ſoluere, poteſt ligare; & cùm ordine naturæ ligare pręcedat ſoluere; nihil enim ſoluitur, niſi priùs ligatum fuerit, cùm ſolùm ligata ſoluantur, non autem ſoluta ligentur; fit, ut qui poteſt ligare, poſſit & ſoluere; non tamen è contrà.

Quartò Reſponderi poteſt, cùm eodem Medina ſecundùm eorum uiam, qui tenent, Papam etiam in Defunctos aliquo modo iuriſdictionem exercere; concedendo, Pontificem Summum, Immò etiam Epiſcopos, in mortuos, de quorum felicitate non conſtat; non ſolùm ſoluendi; ſed etiam ligandi habere poteſtatem; ſolet enim Eccleſia eos, qui in crimine aliquo ab ea damnato, ex hac uita receſſerunt, excommunicare, & abſolutionem retinere; ſicut etiam ipſos mortuos à uin-

Sexta Synodus.

culo excommunicationis abſoluere; ſic in Sexta Synodo ſub Conſtantino, & Iuſtiniano, Theodorus, & Sergius, & plerique alij excommunicantur, quòd noxiorum dogmatum, uel auctores, uel fautores fuerint; Quod idem efficitur in ſeptima, & octaua Synodo. Immò Pontifex Romanus in Die Cęnæ Domini, uniuerſos Hæreticos, ſiuè viuos, ſiuè mortuos, anathemate percutit. Addit illud,

Innoc. III.

Quomodo defunctus excommunicari, uel abſolui poſſit ab excommunicatione, &c.

quod Innocentius III. in Cap. *A nobis* (il ſecondo) de ſententia excommunicationis, ſcribens ad Abbatem Sancti Andreę, decernit his uerbis. *A nobis eſt ſapè quaſitum, utrùm ſi aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint Pœnitentia manifeſta, nec per eum ſteterit, quominus reconcilietur Eccleſiaſtica vnitati, non ſuſcepto officio abſolutionis deceſſerit, pro abſoluto Eccleſia ſit habendus, & utrùm pro tali recipienda ſit eleemoſina, & à fidelibus ſit orandum: Nos igitur conſultationi tuæ reſpondemus, quòd iudicium Dei ueritati, qua nec fallit, nec fallitur, ſemper innititur; Iudicium autem Eccleſia nonnumquàm opinionem ſequitur, quam & fallere ſapè contingit, & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Vinculum ergò, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpa remiſſione diſſoluitur; illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur; & ſubinde; Quantumcumq; Pœnitentiæ ſigna praceſſerint; ſi tamen morte prauentus, abſolutionis non potuerit beneficium obtinere; quamuis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus, poteſt tamen, & debet ei Eccleſia beneficio ſubueniri, ut ſi de ipſius uiuentis Pœnitentia per euidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur.* Sic Innocentius.

Sotus.

Verùm hæc ſolutio apud doctos non ſubſiſtit; vt enim inquit Soto in 4. diſtin. 22. quæſt. 2.

22.quæſt.2.art.1. pro crimine,quod viuẽs quis commiſerit,nullus poſtea Defunctus excommunicari poteſt; quamuis, ſi crimen viuentes commiſerint,quod à iure excommunicatione latæ ſententiæ punitur, poſſint poſt mortem ab Eccleſia declarari,& iuridicè pronunciari tale crimen incurriſſe, & conſequenter in excõmunicationem,ob quam ſuffragijs Eccleſiæ priuantur. Lege Gratianum in Decreto 24.quæſtio.2.per totum, Sylueſtrum,verbo,excommunicatio, 1.§.7. Nauarrum cap.27.num.271.Caſtrum lib.2.de iuſta Hęreticorum punitione,cap.19.& Martinum Viualdum titulo de excommunicatione,num.124.Immò nec mortui propriè abſoluuntur, quia ille ſolùm poteſt abſolui, qui poteſt excommunicari, & è contrà; ſed per illum ritum,vel cæremoniam Eccleſię,qua uirga ſepùlchrum Defuncti percutitur,non verè ille abſoluitur in foro Dei; ſed denunciatur Eccleſiæ, illum deceſſiſſe,quoad Deum abſolutum; ità vt liceat fidelibus nominatim orare pro illo,ut Nauarrus,& Caſtro locis citatis.

Gratianus. Silueſt. Nauar. Caſtro. Viualdus.

Ad Secundum Argumentum negatur conſequentia,ex duabus enim illis propoſitionibus præmiſſis in antecedenti, & eius probatione,videlicèt Indulgentias non valere,niſi collatas à ſuo Iudice; & Papam non eſſe Iudicem animarum Purgatorij, quas omninò concedimus; nil aliud conſequitur, niſi Papam non poſſe per modum auctoritatis,& iuriſdictionis,illis concedere remiſſiones,& Indulgentias;non autem quòd nõ poſſit illis ſubuenire per modum ſuffragij, & ſolutionis; Ad confirmationem verò dicendum,abuſum quæſtorum à Concilio, & Pontifice ibi condemnatum, non autem Indulgentias; eorumque mendacia ibi reprehenſa, & non Eccleſiæ poteſtatem ſuppreſſam.

Ad Tertium, in quo dicebatur, quòd tunc Papa poſſet de facto eripere omnes animas è Purgatorio; Reſpondetur,ridiculum,& omninò infirmum eſſe argumẽtum, nempè ex inconuenienti aliquo, vel abſurdo, negare alicuius poteſtatem; quemadmodum à ſimili, ex hoc, quòd ſacerdos conſecraret omnes panes, qui in ciuitate,in platea,& in furno eſſent, (quod maximum videretur inconueniens) negaret quis in illo poteſtatem conſecrandi,& ex eo, quòd Princeps ex publico ærario,cui vellet,ereptas pecunias prodigeret; tolleret illi poteſtatem legitimam eas diſpenſandi,prout charitas, & Iuſtitia exigit.

Sed dicendum eſt abſolutè,quòd Papa(moraliter loquendo)non poteſt totum Purgatorium per Indulgentias euacuare.Indulgentia enim prodeſt Defunctis indirectè,inquantum nempè per amicos viuentes poſſunt præſtari ea pro ipſis, quę in Indulgentia præcipiuntur;ſi tamen id contineat forma Indulgentię. Perſpicuũ eſt autem, quòd non omnes, qui ſunt in Purgatorio, habent in hac vita amicos, qui pro eis illa implere poſſint. Hùc accedit quòd nulla cauſa excogitari poteſt, quæ ſit conueniens, & proportionata ad hoc, vt totum ſpolietur Purgatorium. Item non omnes illæ animæ ſunt æquè ſufficienter dignæ,etiamſi ſint in charitate,& gratia,ad percipiendum totalem fructum Indulgentię,ſeù ſuffragij; Hęc enim dignitas, & aptitudo ſecundùm aliquos fortè ex ſola liberalitate Dei acceptantis dependet. Vndè,vt ait Cordubenſis in quęſt.18.de Indulg.etiam per quaſcumque Indulgentias plenarias, generales, & particulares rationabiliter, & ex ſufficientiſſima,& pia cauſa conceſſas, & quantumcumque ſufficienter per viuos fiat totum, quod ad eas lucrandas requiritur pro omnibus, & ſingulis animabus Purgatorij,non ſequitur,quòd omnes illæ lucrentur, vel acquirant eas Indulgentias,& à Purgatorio liberentur;quia vix,aut numquam contingere poteſt,omnes illas animas ęquè ſufficienter eſſe dignas ęqualibus gradibus glorię eſſentialis, & accidentalis;& ad hoc munus Dei per has Indulgentias ęqualiter percipiendum. Hęc ex Cordubenſi. Sed pace huius uiri dixerim,non video quomodo hęc doctrina procedat;cùm anima, quæ eſt in charitate, ſi dignè acquirat plenariam Indulgentiam,ab omni pœna ſoluta Cœlum ingrediatur,nec alia dignitas, vel (vt ille inquit) idoneitas requiritur; niſi, vt ſit in charitate, & ut opus ad Indulgentiam pręſcriptum,vel per ſe,uel per alium perficiatur; Vndè neceſſariò quis diceret,deueniendum eſſe ad illud,quod dixit Caietanus in dicto Opuſculo 16.quęſt.5.in fine,quòd

An Papa poſſit liberare omnes ſimul animas, quæ ſunt in Purgatorio.

Cordubenſ.

Caietan.

ne, quòd cùm non conſtet, ſi huiuſmodi Indulgentia per modum ſuffragij à Deo ſit acceptata pro illa anima; innitatur illa tantùm miſericordię, & acceptationi diuinæ; ſed nos de hàc re paulò poſt. Quamobrem nec de facto ſpoliare, nec ſpoliatum declarare Purgatorium poteſt Papa.

Caietanus.

Caietanus dicta quæſt. 5. facilè effugit hanc difficultatem exiſtimans, illis ſolis animabus ſuffragia, & Indulgentias prodeſſe, quæ hic dum viuerent, meruerunt, vt in Purgatorio illis prodeſſent, ſingularemque deuotionem ad Claues Eccleſię, per quas Indulgentię conferuntur, habuerint; & particularem curam iuuandi Defunctos. Vndè concludit, quamuis ſint omnes illæ animæ in charitate, & participes communium ſuffragiorum Eccleſiæ; eorum tamen pœnas per Indulgentias non remitti; niſi pium affectum ad illas in hac uita habuerint, & peculiarem deuotionem ad ſuffragandum Defunctis; quod idem dixerat tom. 1. Opuſculorum, tract. 10. quæſt. 1. & ſic euadit difficultatem; Verùm hæc conditio ad acquirendas Indulgentias in Purgatorio nobis nō placet. Defuncti.n. per illamet bona opera, quæ ipſis ſuffecerunt, vt è vita decederent in gratia, ſatis promeriti ſunt, ut ſuffragia Eccleſiæ ipſis prodeſſe poſſint, ſicut docuit D. Auguſtinus in Enchyridion ca. 110. Nec illa conditio à recentioribus Doctoribus probatur. Lege Sotum in 4. diſtin. 45. quæſt. 2. art. 3. in fine, & 21. queſt. 2. art. 3. & Nauarrum de Indulg. notabili 22. num. 43. Sed his omnibus adijciendum eſt, numquam euacuari Purgatoriū uſque ad diem Iudicij, cùm Chriſtianorum, qui fide, & charitate prędìti ex hac luce diſcedunt, continuus, & ſucceſſiuus ſit numerus, unde ſemper in Purgatorium nouę animę deſcendunt, & licèt talis deſcenſus impędiretur, ſpoliari tamen totaliter Purgatoriū non poſſet, undè caſus ille imaginarius eſt, ac merè logicus. Quid? quod Miniſter in diſpenſando imitari debet Principalem Dominum, aliter enim indiſcreta eius diſpenſatio, Domino grata eſſe non poſſet; Atqui Deus, ſic miſeretur, ut ſuam Iuſtitiam numquam excludat; ſemper enim illa duo obuiant ſibi, & mutuo nexu ſe complectuntur, iuxtà illud Pſalmi 48. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt.* Igitur cùm illæ pœnę purgatorię, exigente Iuſtitia, uſque ad minimum quadrantem exoluēdę ſint, nequit charitas illas exoluere, niſi ſumma ratio, & cauſſa intercedat; Nec miſericordia in Principe poſtulat, ut omnes ſceleratos homines à ſupplicijs liberet, uel carceres euacuet, uel impijs omnes cruciatus condonet; hoc enim temerè, & imprudenter ageretur; ſed quando cauſa rationabilis huic, uel illi parcendum perſuadet. Adijce, quod licèt bona temporalia poſſint à Papa non ſolùm de Iure diſpenſari, ſed etiam diſſipari de facto, quando aliter ius diuinum non prohiberet, bona tamen ſpiritualia diſſipari non poſſunt, nec contra diuinam acceptationem diſtribui; ea eſt enim natura Eccleſiaſticę poteſtatis, ut non in deſtructionem, ſed in ędificationem tributa ſit: nec hęc quocumque pacto, ſed per uiam diſpenſationis tantummodo, ad actum egredi poteſt; Diſpenſare autem quid aliud eſt, niſi rationabili de cauſa leges relaxare? Vndè Poteſtas Eccleſiaſtica, pręſertim ligandi, atque ſoluendi, non eſt ſolùm liberum arbitrium operandi, uel ad libitum faciendi quicquid arrideat, ſed arbitrium operandi cùm recta ratione coniunctum, eſt enim Pontifex ſeruus fidelis, & prudens, qui benè Clauibus ſibi traditis uti debet, ut ait Gerſon in 2. parte Opuſcul. de Indulg. conſideratione 4. qui ea de re; hęc carmina ſubſcripſit.

D. Auguſt. — Sotus. — Nauar. — Purgatorium vſque ad diē Iudicij numquam erit vacuum. — Pſalm. 48. — Poteſtas Eccleſiaſtica data eſt in ędificationem, nō in deſtructionem. — Gerſon.

Arbitrio Papa proprio, ſi Clauibus uti,
Poſſit, cur ſinit, vt pœna pios cruciet?
Cur non euacuat loca purgandis animabus,
Tradita? ſed ſeruus eſſe fidelis amat.
Deſerit ergò fidem, malè diſpenſans; neque prudens
Clauibus vſus ineſt, dans, capienſque tremant.
Profectus certè eſt magnus benè Clauibus uti,
Quando fit hoc ſemper unctio ſola docet.
Clarus in Eccleſia Theſaurus, & vtilis eſſe.
Quem dat larga manus, prodiga crimen habet.

Præterea,

Præterea, quoniam nec Chriſtus, qui & auctoritatem excellentiæ, & totius Eccleſiaſticæ poteſtatis virtutem continebat, dum deſcendit ad Inferos, totum euacuauit Purgatorium, vt dicit D. Thomas 3.par.queſt.52.art.8.quicquid dicat Riccardus in 3.diſtin.22. Multò minus igitur Pontifex, qui eius vicem gerit in terris, id efficere debet. Aliqui alij putant effugere præſentem difficultatem, ſi dicant, aliquam animam eſſe in Purgatorio, quæ antequam de corpore exiret, non fuerit ſubiecta Papæ; id quod videtur ſenſiſſe D. Antoninus 3.par. tit.22.cap.5.§.6.& Auguſt.de Ancona de Poteſt.Eccleſiaſt.quæſt.32.art.3. Vndè inferunt, ad illas animas Papæ poteſtatem non pertingere, ac proindè totum Purgatorium euacuare non poſſe. Sed fundamentum illorum falſum eſt, quoniam etiam antequam quis baptizetur, ſi tamen habeat Baptiſmum flaminis, eſt merito de Eccleſia, & participat de ſpiritu Chriſti, & conſequenter Romano Pontifici ſubiectus eſt, vt optimè Nauarrus de Indulg.notabili 31.num.48. vbi latè hanc rem pertractat, licèt contrarium teneat Syluester verbo, Papa num.6.

D.Thomas. Riccard. D.Anton. Aug. de Ancona. Nauar. Silueſt.

Qvare concludendum eſt, Summum Pontificem non poſſe ad libitum euacuare Purgatorium, vt ait D. Thomas in 4.diſtin.20. Bonauentura, & Nauarrus locis citatis; poſſet tamen dari caſus, quamquàm meo Iudicio Logicus, vel Metaphyſicus, in quo tam paucæ animæ eſſent in eo, vel tot viuentes poſſent facere requiſita ad Indulgentiam pro mortuis conceſſam, quòd omnes in eo manentes vno, & eodem die liberarentur, vt Nauarrus dicto notab. 31. num. 48. Cordubenſis in quæſt.18.de Indulg. & ità Gabriel in Can. Lect.57.& D. Antoninus loco citato, videntur dicere.

D.Thom. Bonauen. Nauar. Nauar. Cordub. Gabr. D.Anton.

Ad Confirmationem huius tertij Argumenti dicimus, iam reſponſum eſſe, fieri quidem auctoritate Clauium, ſed per modum ſuffragij, & auxilij ex diſpenſatione Theſauri, non autem per modum Iudicij.

Auguſtinus de Ancona in lib. de Poteſt. Eccleſiaſt. quæſtio. 32.art.3. dicit hanc propoſitionem; Papam poſſe expoliare Purgatorium, tripliciter poſſe intelligi.

Auguſt. de Ancona.

Primò, quantum ad abſolutam eius Iuriſdictionem, ſecundùm quam dicit, Papam non poſſe euacuare totum Purgatorium, cùm in eo plurimæ animæ ſint, quæ careant merito conditionali, (ſic vocat ille conditionem illam Caietani, qui vult, vt Indulgentiæ proſint illis, qui meruerunt in hac vita, vt ſibi prodeſſent;) nonnullæ quoque animæ ibidem ſint, quæ merito ſacramentali careant, quæ ſaluatæ ſunt præter communem legem, & gratiam Sacramentorum; & has extrà Iuriſdictionem Papæ ponit eſſe; addit tamen, quantum ad alias, quę Iuriſdictioni Papę ſubiectæ fuere; poſſe per Papam euacuari Purgatorium.

Tripliciter poteſt intelligi, Pontificem poſſe euacuare totum Purgatorium.

Secundò quantùm ad ordinatam executionem, & ſic inquit, Papam nec poſſe, nec debere euacuare Purgatorium; tùm quia ex voluntaria affectione, non ex legitima ratione id attentaret; tùm quia ille eſſet exceſſus poteſtatis, & error ſcientiæ; Poteſtas autem Papæ intelligi debet, Claue, & ſcientia non errante.

Tertiò, quantum ad Diuinam acceptationem, ità ut ſi Papa de facto intentionem ſuam applicaret ſingulis animabus Purgatorij, Indulgentiam plenariam cõmunicando, uelle prędictum locum expoliare, & dicit, ſe ignorare articulum iſtũ; Immò non ſolùm ſibi, ſed cuilibet creaturæ, & ipſimet Papæ ignotum eſſe; cùm Papa non poſſit ſcire totum, quod poteſt facere per potentiam ſuam, & præcipuè per communicationem Theſauri Eccleſiæ.

Poſtremò tamen concludit, quòd cùm in communicatione Indulgentię attendatur ſatisfactio condecentię, & hæc conſiſtat in Dei acceptatione, ſicut talis acceptatio ignota eſt Papę, ità quoque ſatisfactio, quę fit per communicationem Indulgentię animabus Purgatorij. Sic iſte Auctor. Quę dicta partim à nobis improbata ſuperiùs fuere. Atque hæc de hac quęſtione, quę clariùs dilucidabitur per ea, quæ in ſequentibus dicemus.

CAPVT XLIX.

Ponitur Secunda Diſputatio. Gratiæ nè, an Iuſtitiæ vi Indulgentiæ ad Animas Purgatorij perueniant.

TRIA Dubia ſunt hic diſtinctè tractanda.

Primum eſt, quid ſit Indulgentiam per modum ſuffragij, Defunctis concedere, præcisè, & Theologicè loquendo.

Secundum eſt, qua uia huiuſmodi ſuffragium Indulgentiarum Defunctis deferatur, uia Iuſtitiæ, uel Gratiæ de condigno, uel de congruo.

Tertium eſt, An certò, & infallibiliter huiuſmodi Indulgentię per modum ſuffragij conceſſæ, proſint Defunctis, pro quibus accipiuntur. Atque in hoc capite primum tantùm dubium tractabitur.

DVBIVM PRIMVM.

Quid ſit, Indulgentiam per modum ſuffragij Defunctis concedere, præcisè, & Theologicè loquendo.

CORDVBENSIS in tract. de Indulg. quæſt. 15. latiſſimè hunc locum pertractat; & de hac re quatuor recitat opiniones.

Opinio Hoſtienſis, & Calderini, apud Cordub.

PRIMA eſt Hoſtienſis, & Calderini in Cap. *Noſtro*, de Pœnit. & Remiſſ. Qui dicunt, Indulgentiam per modum ſuffragij nil aliud eſſe, quàm ſuffragium ipſius boni operis, quod præſcribitur in conceſſione Indulgentiæ, applicatum Defunctis: & addunt, quòd Indulgentia ex ſe nil prodeſt mortuis; ſed ex ui ſuffragij, nempè, boni operis in Indulgentia concluſi, & in gratiam illorum facti: Horum fundamentum eſt; Quoniam Eccleſia non poteſt ſoluere, aut ligare, uel ſuum Theſaurum diſpenſare, niſi in illos, qui ſunt de ſuo foro, & ſuper terram: Deindè, quia aliàs ſuffragium Indulgentiæ plus ualeret, quàm ſuffragium boni operis, quod uidetur inconueniens. Sed Erronea eſt hæc opinio, quia tunc Eccleſia deciperet fideles, dum concedit pro mortuis Indulgentias; omnes enim exiſtimant, ex ui Indulgentiæ remiſſionem acquiri Defunctis: & formulæ, quibus Eccleſia utitur in illis concedendis, id apertè indicant, dum centum, uel decem annorum, uel aliquandò pro illis plenaria conceditur Indulgentia; quòd autem dicunt inconueniens eſſe ſuffragium Indulgentiæ plus ualere, quàm ſuffragium boni operis, falſum eſt, ſi uim ſatisfaciendi attendamus; ſatisfactiones enim Chriſti, quæ in Indulgentijs applicantur, maiorem uim expiandi peccata habent, quàm quodlibet aliorum opus bonum. Quomodo autem Eccleſia mortuos poſſit ſoluere, iam expoſitum eſt, & inferiùs exponemus: Nec mirum eſt, Hoſtienſem id ſenſiſſe, cùm etiam de Indulgentijs, quæ viuis conceduntur, perperàm ſenſerit, non illas per ſe, ſed ex deuotione, & fide operantis ualere.

Hęc ſententia, tamquam erronea, reijcitur.

Gabriel. Supplem. Nauar.

SECVNDA eſt Gabrielis in Can. lect. 57. Auctoris, qui eius fecit Supplementum in quarto, diſt. 45. quæſt. 3. artic. 1. notab. 5. & Nauarri in Tract. de Indulg. notab. 22. num. 23. & ſequentibus, & quorumdam aliorum Doctorum, qui hanc ſententiam ſecuti, dicunt, Indulgentiam per modum ſuffragij eſſe illam, quæ diſtinguitur ab Indulgentia propriè ſumpta, hoc eſt ab illa, quæ per modum iudiciariæ poteſtatis impenditur: poſſeque per modum ſuffragij, non ſolùm Defunctis, ſed etiam uiuentibus Indulgentiam concedi. Intelligunt autem per modum ſuffragij, quando in forma Indulgentiæ à Papa conceditur, ut opus illud præſcriptum ad acquirendam Indulgentiam, poſſit etiam per tertiam perſonam adimpleri. Vndè cùm Defuncti nō poſſint per ſe ipſos huiuſmodi opus præſtare, dum alius pro illis tale opus facit, ſuffragatur eis: ſimiliter dum Papa concedit viuentibus, ut

bus, ut facta peregrinatione, uel per ſe, uel per alium, poſſit quis uiuens acquirere decem annos Indulgentiarum; claudus, uel aliàs legitimè impeditus, amico pro eo peregrinante, Indulgentiam huiuſmodi, per modum ſuffragij, dicetur acquirere; Atque illi, qui uice ſua mittunt aliquem ad pugnandum contrà Infideles, per modum ſuffragij acquirunt Indulgentias, quando Papa illas concedit euntibus, uel pro ſe mittentibus ad pugnam contra Infideles. Verùm hæc opinio in multis oppugnanda eſſet, ſed præcipuè in illo, quod dicit, uiuentibus poſſe dari Indulgentiam per modum ſuffragij, cùm illis per modum iudiciariæ poteſtatis, & abſolutionis tradatur. Verùm lege Cordubenſem in loco citato, qui benè hanc opinionem impugnat; nec umquam lectum eſt, viuentibus, baptizatis præſertim, concedi Indulgentiam per modum ſuffragij; húnc enim modum loquendi ſolùm Pontifices uſurpant in Indulgentijs mortuorum.

Hæc etiam opinio impugnatur. Cordub.

Tertia eſt dicentium, Indulgentiam per modum ſuffragij nil aliud eſſe, quàm diſpenſationem, ſeu communicationem Theſauri Eccleſiaſtici, auctoritatiuè factam per Prælatum Eccleſiæ animabus Purgatorij, per opus pium ab alijs peractum, & illis applicatum. Hæc eſt ferè communis apud Doctores ſuffragij huiuſmodi definitio; ſupponunt enim, Indulgentiam ualere quidem ex ſe etiam Defunctis, ſed requiri ſuffragium, & medium alicuius pij operis, per amicos uiuentes pro illis facti. Addunt etiam, quòd huiuſmodi Indulgentia, per modum ſuffragij, ualeat quoad totum ſuum effectum infallibiliter, & ex Iuſtitia, ſicut illæ, quæ uiuis conceduntur; & in hac ſententia eſt Medina diſput. 7. Hieronymus Lucenſis in ſolutionibus argumentorum Martini Lutheri, Michael Florentinus in tit. de quiditate, diſpenſatore, & ualore Indulgentiarum, Ambroſius Spiera in libro de floribus Sapientiæ, ſerm. 34. conſid. 2. con. 1. Chriſtophorus Marcellus libro 2. de Auctoritate Pontificis, ſect. 2. & vniuerſaliter omnes illi, qui tenent, Papam habere iuriſdictionem in Purgatorio.

Communis opinio.

Medina. Hier. Lucen. Michael Flo. Amb. Spiera. Marcellus.

At uerò hi Auctores non enodant difficultatem; non enim dicitur per modum ſuffragij, quia opus præſcriptum requiratur, uti ſuffragium, pro illis iuuandis; ſed alia intrinſeca ratione, ut infrà dicemus.

Qvarta opinio eſt Caietani tomo primo tract. 16. quæſt. 5. & tract. 15. cap. 5. & Cordubenſis loco citato, qui dicunt, quòd Indulgentia per modum ſuffragij eſt conceſſio, ſeu communicatio operis ſatisfactorij ex Theſauro Eccleſiæ, auctoritatiuè à Prælato facta; per modum Eccleſiaſtici ſuffragij ſatisfactorij; hoc eſt, per modum, quo noſtra ſatisfactoria ſuffragia Defunctis opitulantur.

Caietan. Cordub.

Caietanvs ingenioſè dicit, quòd ſi natura ſuffragij Eccleſiaſtici rectè à nobis perſpiciatur, facile erit cognoſcere, quid ſibi uelit modus iſte loquendi, Indulgentia per modum ſuffragij. Ad illius enim ſimilitudinem, huiuſmodi Indulgentia nuncupationem accepit. Triplici autem modo noſtris operibus, animabus Purgatorij ſuffragamur, uel merendo de congruo per bona opera liberationem alicujus animæ à Purgatorio, uel impetrando illam noſtris ſupplicationibus, uel ſatisfaciendo pœnalibus operibus pro ea; & cùm Indulgentia pœnarum compenſationem importet, conſequens eſt, ut ſatisfactorij ſuffragij modum, & naturam induat; nec enim Indulgentia, ut ſuperiùs dictum eſt, habet uim merendi, uel impetrandi, ſed tantùm ſatisfaciendi, unde ad genus ſuffragij ſatisfactorij reducitur, & prodeſt Defunctis eo modo, quo alia ſuffragia Eccleſiaſtica, quæ uim ſatisfaciendi habent, proſunt, nimirum ex ſola liberali, & gratuita Dei acceptatione. Quod ex eo ſolo probat, quoniam dum per literas Apoſtolicas mortuis dantur Indulgentię, ſemper ea uerba, per modum ſuffragij, apponuntur, quaſi hic modus ſit proprius auxilii Defunctorum, & condiſtinguatur ab eo, quo per abſolutionem, & auctoritatem uiuis Indulgentiæ conceduntur. Quæ doctrina à nobis non probatur, ex eo ſolùm, quòd incertum, ac dubium faciat effectum Indulgentiæ, & ſuffragiorum.

Triplex modus ſuffragandi defunctis.

Qvinta eſt Gregorij de Valentia in lib. de Indulg. cap. 2. & 8. & Eckij in ſuo Enchyridio tractatu 24. & hanc, tamquam ueriſſimam nos ſequimur. Videtur

Valentia. Echius.

etiam

Bellarm.

etiam Bellarmini in li.2.de Purgato.cap.16.quamuis hic pauciſſima in ſuis operibus,& non ex profeſſo de Indulg. hactenus ſcripſerit. Sed, vt ſuprà diximus, ad nos perlatum fuit, iam nunc typis excuſos eſſe duos libros ipſius, vt cæteri omnes,doctiſſimos de Indulgentijs,quos tamen nondum legimus. Exponitur autem in hac ſententia, illud per modum ſuffragij, ideſt, non per modum abſolutionis, ſed per applicationem Theſauri, undè de eo fiat ſolutio pro pœna animarum, quę ſunt in Purgatorio. Vt autem hic modus dicendi prę cęteris ſolidior, & uorior appareat,per aliqua dicta, ſeù notabilia à nobis dilucidandus eſt.

Papa per modum abſolutionis nõ concedit Indulgẽtias Defunctis. Alex.III.

Dico igitur primò, Indulgentias non dari Defunctis à Papa per modum abſolutionis. Hoc dictum eſt communiſſimum, abſolutio enim eſt actus iuriſdictionis ergà ſubditos,ut optimè dixit Alexander Tertius in Cap. *Quod autem*, extrà de pęnit.& Remiſs. Cùm autem animæ in Purgatorio exiſtentes non ſint ſubditę Iuriſdictioni Papæ, conſequens eſt, ut neque per modum abſolutionis iuridicę conſequi poſſint huiuſmodi Indulgentias, nec enim Defunctorum cauſsas Papa poteſt cognoſcere, ſicut viuorum, quod ex multis auctoritatibus Summorum Pontificum, ut Gelaſij, Vrbani, & aliorum, quos inferius citabimus, ſatis apertè cognoſcitur; non enim Papa animas Defunctorum umquam iudicat, uel abſoluit, cum circà illum,qui eſt in diuino Iudicio conſtitutus, non fas ſit aliud decernere, pręter id, in quo eum dies ſupremus inuenit.

Indulgentiæ proſunt Defunctis, per applicationem theſauri, ex poteſtate Clauium.

Dico Secundo, Indulgentiam dari uerè Defunctis à Papa, per applicationem Theſauri; auctoritate Clauium factam, ut per illam uera fiat ſolutio Deo pro pœna debita in Purgatorio. Declaro; duo continet hæc Indulgentia pro Defunctis, nempè Theſauri applicationem, & debiti ſolutionem, quę ambo etiam non ſubditis communicari poſſunt: communis enim Theſaurus alicuius Reipublicę, etiam non ſubdito rectè applicari poteſt, ſicut etiam aliquis poteſt ſoluere debitum pro nonſubdito, & ex charitate ſatisfactionem ſuam alteri accommodare, qui non ſit ei ſubiectus, licèt illum cùm auctoritate abſoluere non poſſit.

Indulgentię conceſſio pro Defunctis, eſt actus Iuriſdictionis, & quomodo ex Caietano.

Tertio Dico, hanc Indulgentiam, quę datur Defunctis, eſse quoque actum quemdam auctoritatis, iuriſdictionis, ſeù Clauium: explico cùm Caietano tom. 1. Opuſcul. tract. 16. de Indulgen. ca. 6. in ſola enim poteſtate, & iuriſdictione Clauium Eccleſiaſticarum poſitum eſt, communem Eccleſiæ Theſaurum diſtribuere, ut pro pœna ex illo fiat ſolutio, atque adeò pœnam relaxare, & denique Regnum Cęlorum aperire, quod etiam fit per eam Indulgentiam, quę confertur Defunctis; relaxare enim pœnam, & Regnum Cęlorum aperire, eſt ſinè dubio actus Clauium, ſeù iuriſdictionis.

Duplex actus Iuriſdictionis ex Caietano.

Eſt autem hic cum eodem Caietano animaduertendum, duplicem eſse actum Iuriſdictionis, unum, qui exercetur in ſubditos; & hic non reſpicit Indulgentiam Defunctorum, alium qui exercetur circà rem communem, ſeu circà bona communia Reipublicæ, hoc eſt, circà Theſaurum Eccleſię, qui in tali etiam Indulgentia diſtribuitur, & ſicut primus actus ad ſuperioris poteſtatem pertinet, nempè abſoluere, aut ligare ſubditos; ità etiam ſecundus, hoc eſt, diſponere de bonis, ſeù rebus communibus ciuium; Vndè ex hac parte Indulgentia Defunctorum eſt actus quidam Iuriſdictionis, quatenus auctoritate Clauium diſpenſatur à Papa Theſaurus erga illos.

Indulgentia pro defunctis quomodo differt ab Indulgentia pro uiuis. Caietan. Dom. Soto. Petr. Soto. Cordub. Henriq.

Dico Quarto; hinc ſequi, Indulgentiam Defunctorum non eſse omninò eiuſdem rationis cùm ea, quę datur uiuis; ità communiter Doctores ſentiunt; Diſcrimen uerò in multis conſiſtit; Primò, quia Indulgẽtia, q̃ confertur uiuis, tria continet, nempè abſolutionem à pœna iniuncta, uel iniungenda, diſtributionem Theſauri, & ſolutionem ex illo pro pœna. Ità Caietanus tract. 15. de Indulg. cap. 1. & 6. Dominicus Sotus diſtinct. 21. quęſtio. 1. art. 2. Petrus Sotus in inſtitut. Sacerdo. Lect. 2. de Indulg. Antonius Corduben. in ſuo tract. quęſtio. 1. & Henriquez lib. 7. cap. 4. & alij. Hęc autem, quę Defunctis conceditur, duo tantùm continet, ut diximus, nempè applicationem Theſauri, & pœnę ſolutionem. Vndè deficit ab illa in eo, quod non eſt abſolutio; ſeù quòd non datur per modum abſolutio-

nis; non

niſ; non enim Eccleſia eas animas à pœna cùm auctoritate abſoluit.

Secundò, quod Indulgentia, quæ datur uiuis, non eſt propriè applicatio Theſauri, ut nonnulli Doctores ſenſerunt in quarto, diſtinct. 20. nec ſolutio pro pœna, ut Durandus, eadem diſtinct. quæſt. 3. & Paludanus, quæſt. 4. ſed propriè eſt abſolutio à pœna, ſeu remiſſio pœnæ, vt ex ipſa forma Indulgentiarum apparet. Pontifices enim ſic loquuntur, miſericorditer indulgemus; ex quibus verbis colligitur, Indulgentiam eſſe propriè, & immediatè actum miſericordiæ; Diſpenſatio uerò Theſauri, ſeu ſolutio pœnæ formaliter ad actum Iuſtitiæ pertinet, ut rectè dixit Petrus de Soto lect. 3. de Indulgentijs in fine; & quamuis omnes actus prædicti ad Clauium poteſtatem reducantur, Matth. 18. tamen hic ordo inter illos ponitur, ut primus ſit abſolutio, ſecundus ſit diſtributio, & applicatio Theſauri, tertius ſit pœnæ ſolutio, ut ex Caietano in tract. 16. de Indulgentijs cap. 6. colligitur, illa uerò, quæ defunctis tribuitur, eſt propria ſolutio ex communi Eccleclesiæ Theſauro. Quamobrem fortaſſe dum Chriſtus tradidit Claues, non dixit, quodcumque abſolueris, ſed uocabulo magis generali uſus eſt inquiens, *Quodcumq; ſolueris*; nimirum, ſiuè abſoluendo etiam, ſiuè applicando ſolutionem ex vniuerſali Eccleſiæ ærario. Sic Gregorius de Valentia ponderauit in ultimo cap. libri de Indulg.

Durandus. Paludan. Petr. Soto. Caietan. Gregorius de Valentia.

Tertiò, quod in Indulgentia, quæ datur viuis, duo actus iuriſdictionis exercentur, nempè in ſubditorum perſonas, & circà rem communem; In ea verò, quæ confertur Defunctis, alter tantùm, nimirum circà bona communia, uterque tamen actus ad iuriſdictionem pertinet.

Quartò, & hoc diſcrimen ex Caietano, loco citato, deſumitur; nimirùm Indulgentiam Defunctorum, quoad cauſam quidem, & effectum, eiuſdem eſſe rationis cùm Indulgentia viuorum: per eamdem enim auctoritatem Clauium ipſa quoque confertur, & etiam operatur in effectu, liberationem à pœna; non eſſe autem eiuſdem rationis, quia non ad modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragij datur, vt iam explicabimus.

Poſtremò, quod ea, quæ uiuis confertur, eſt Indulgentia propriè, & ſimpliciter dicta, quæ à Doctoribus definiri, & tractari ſolet; ſic Gregorius de Valentia cap. 2. & alij. Quod dictum ita eſt exponendum; non quòd illa defunctorum non ſit uera, & realis Indulgentia, ſed quod ab illa, quæ datur viuis, deficiat in eo, quod non datur per modum abſolutionis.

Greg. de Val.

Dico Quintò: dari Indulgentiam per modum ſuffragij animabus Defunctorum, nil aliud eſſe, quàm dare illis ſpirituale ſubſidium, per Theſauri applicationem, ex quo Deo fiat ſolutio, pro illarum pœna; non autem per modum iuridicæ abſolutionis; Hac enim phraſi utuntur Summi Pontifices, ut duo explicent, unum negatiuum, alterum poſitiuum; nimirum, ſe huiuſmodi Indulgentias nequaquàm concedere, ut per actum abſolutionis, ſeu iuridicæ poteſtatis ferantur Defunctis; ſed tantùm per applicationem Theſauri, ut indè fiat ſolutio; nec Pontifices ſignificare uolunt per illa uerba, *Per modum ſuffragij*, effectum Indulgentiarum, uel eſſe incertum, uel ex ſola Dei liberalitate pendere, ut iam iam exponemus; ſed intendunt condiſtinguere modum, ſeu actum, quo dantur Indulgentiæ viuis, ab illo actu, quo Defunctis conferuntur: Ille nempè per abſolutionem perſonarum, hic uerò per ſolutionem pœnarum, & applicationem Theſauri.

Quid ſit dare Indulgētiam per modum ſuffragij defunctis.

CAPVT

CAPVT L.

Exponitur Secundum Dubium. Qua via huiuſmodi ſuffragium Indulgentiarum Defunctis deferatur, via Iuſtitiæ, vel Gratiæ, de condigno, vel de congruo.

Opinio Caietani.

CAIETANVS in citato tract. 16. quæſt. 5. in ea eſt ſententia, vt non ſolùm Indulgentia, ſed etiam quæcumque alia ſuffragia per viam gratiæ, & miſericordiæ, non autem Iuſtitiæ ad animas Purgatorij deducantur, ideſt, omnem illorum fructum, & effectum ex mera Dei acceptatione dependere; Addit tamen huiuſmodi ſuffragia non eſſe ob id incerta; ſed certa, & infallibiliter à Deo acceptari, animaſque Purgatorij veraciter Indulgentias conſequi per modum ſuffragij, ſicut viuos per modum abſolutionis; probat aũt hanc ſuam ſententiam Caietanus dupliciter. Primò, quia forum præſentis vitæ eſt multò mitius, quàm forum Purgatorij: eſt illud ad inſtar fori ciuilis, hoc ad inſtar criminalis ſe habet; illud lene, hoc rigoroſum exiſtit. Vndè ſicut Clericus traditus curiæ ſæculari, non liberatur per forum Eccleſiæ à pœna ſanguinis illius fori, per commutationem ciuilium, vel Canonicarum pœnarum, vt inquit textus in Cap. *Cùm non ab homine* de Iudic. & Cap. *Degradatio* de pœnis, lib. 6. ità nec pœnæ animarum ſeparatarum, ſecundùm Iuſtitię rigorem, ęqualem ſatisfactionem, & compenſationem ſuſcipere poſſunt per pœnas huius vitæ.

D. Thom.

Secundò, quia omnes pœnæ huius vitæ, vt inquit D. Thomas 3. par. quęſt. 46. art. 6. ſunt multò minores, quàm minima pœna animarum ſeparatarum, ergò ex Iuſtitia inter illas commutatio intercedere non poteſt. Ac deniquę quoniam Eccleſia in omnibus ſuis ſuffragijs illud à Deo enixè efflagitat, vt per ſuam infinitam miſericordiam ea in animarum illarum commodum acceptet.

Opinio Nauarri. Io. Methina.

NAVARRVS in tract. de Indulg. notab. 22. num. 16. & ſequentibus, in contraria eſt ſententia, & dicit, hanc Caietani, ut nouam, relinquendam omninò eſſe; ratio illius potiſſima eſt, quia ſicut ex Iuſtitia uiuus pro uiuo poteſt ſatisfacere; ità uiuus pro mortuo; cùm in utroque eadem ſit ratio, uidelicèt communio charitatis, ut etiam aſſeruit Ioannes Metinenſis in Codice de ſatisfactione, quæſt. 5.

Opinio Soti.

SOTVS in 4. diſtin. 21. quęſt. 2. art. 3. & diſtin. 45. quęſt. 2. art. 3. uerſus finem, uidetur in hac re dubius, dicens, quòd quamuis ſit clementius credere, quòd ualeant de condigno, non tamen res eſt uſque adeò certa, quamuis magis piam exiſtimet ſententiam illam, quam ſequitur Nauarrus; Tùm quia Deus ęqualem tribuit Eccleſię poteſtatem diſpenſandi Theſaurum per modum ſuffragij Defunctis, & per modum abſolutionis uiuis; ſicut & Miſſę ſacrificium de condigno uiuis, & Defunctis prodeſt: Tùm q͂a alia ſuffragia, & pręces, quas Eccleſia publicè offert pro Defunctis, cùm offerantur pro illis, qui ſunt in gratia, de condigno, & ex Iuſtitia proſunt, & ſemper, ac certa lege Deus eas acceptat; ſed hæ duę rationes aliquibus non uidentur firmę; Prima enim uidetur petere principium; Illud enim eſt, quod in diſputatione uerſatur, & quamquam ęqualis poteſtas ſit relicta à Chriſto diſpẽſandi uiuis, & Defunctis Theſaurum, non tamen eodem modò; nec eſt ſimile de ſacrificio Miſſę, cùm illud ex opere operato proſit Defunctis, & ex certa Chriſti promiſſione. In ſecunda uerò ratione negaret Caietanus, preces, & alia ſuffragia pro Defunctis, de condigno, & ex Iuſtitia prodeſſe, ſed omnia dicit inniti diuinę uoluntati, & miſericordię.

Opinio Medinæ, qui tria pręcipue docet.

MICHAEL Medina nouam quamdam opinionem intulit, quę (ut Cordubenſis ait) ſatis pia eſt, & Pontificis poteſtatem maximè exaltat; Hic diſput. 7. cap. 32. 33. 34. 35. 36. & 37. tria dixit. Primùm, quòd omnes Indulgentię, ſiuè pro uiuis, ſiuè pro Defunctis ferantur, ut plurimum fiunt eodem modo, ſcilicèt per poteſtatem Iuriſdictionis ſimul, & per diſpenſationem Theſauri Eccleſiaſtici; ſecũdùm quod

aliquando

aliquando fiunt per ſolàm poteſtatem iuriſdictionis, nulla addita Theſauri diſpenſatione, & econuerſo aliquando ex ſolo Theſauro, nullo habito reſpectu ad Clauium iuriſdictionem. Quæ duo puncta à nobis ſuperiùs examinata fuere. Tertium, quòd Papa per poteſtatem iuriſdictionis, Iudicij, & abſolutionis dat Indulgentias animabus Purgatorij, quæ cum ſint etiam ſuper terram, ut ipſe uult, & ad Eccleſiam militantem ſpectent, illi ſubiectæ ſunt; ut quemadmodum Chriſtus eſt iudex uiuorum, & mortuorum, ità quoque eius Vicarius, qui eſt Papa. Nec nouũ eſt, in Eccleſia poteſtatem eſſe ergà Spiritus à corpore ſeiunctos; nam in Dæmones, & malignos ſpiritus per auctoritatem exorciſmi, Eccleſiam habere poteſtatem nemo negabit. Addit, quòd ſaltem ratione delicti, quod uiuentes in mundo commiſerunt, poſſunt quoad pœnam per Eccleſiam iudicari, & à Papa ſolui, & ligari; Ac tandem dicit, eos, qui Petro, eiuſque ſucceſſoribus, in animas Purgatorij huiuſmodi poteſtatem, aut iuriſdictionem reformidant tribuere, indigniſſimè de Apoſtolica Dignitate ſentire, nihilque aliud illi tribuere, quàm cuicumque alteri prophano, ac humano prorſus magiſtratui tribuiſſent; cùm hi tantùm ergà mortales dominium ſuum exerceant.

VERVM hæc opinio apud Doctos non ſubſiſtit; quoad primũ enim illius fundamentũ, Papam ſcilicèt habere iuriſdictionem in Purgatorio; quamuis nõ ſit erronea, eſt tamen contrà communem Doctorum ſententiam, ut teſtatur Bonauentura in quarto, diſt. 20. quæſt. penultima, & Gabriel in Can. lect. 57. Illorum autem verborum, *Quæcumq; ſolueris ſuper terram*, ſenſus eſt, ut ex Chryſoſtomo cognoſcitur, Homil. 45. in Matth. quòd, & ſi Petrus eam à Chriſto acceperit poteſtatem, per quam Cœlo ipſo potentior eſſet, eiuſque effectus Cœlos ipſos penetraret; tamen huius poteſtatis exercitium, ſuper uniuerſum terrarum orbem, ideſt, circà Eccleſiam, per uniuerſum orbem amplificatam, (hoc enim ſibi uolunt uerba illa, *Super terram*) exequendum accepit, ità Gratianus, ut ſententiam communem refert 24. quæſt. 2. — *Papam non habere propriè iuriſdictionẽ in Purgatorio. Bonauent. Gabriel. Chryſoſt. Gratian.*

D. LEO Papa in Epiſtola 99. cap. 7. aliàs 92. cap. 6. & habetur ibidem Can. de communione, ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ità ſcribit; *De communione priuatis, & ità Defunctis, eorum cauſa Iudicio Dei reſeruanda eſt, in cuius manibus fuit, ut talium obitus non uſq; ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus uiuentibus non communicamus, mortuis communicare non poſſumus.* — *D. Leo.*

GELASIVS Papa in Commonitorio, Fauſto Magiſtro, fungenti legationis officio apud Conſtantinopolim; & habetur in tomo 1. Conciliorum, & in Can. *Legatus*, eadem cauſa, & quæſtione; hæc ſcribit; *Mortuos ſuſcitaſſe Chriſtum legimus, in errore mortuos abſoluiſſe, non legimus, & qui hoc tantùm faciendi ſolus habuit poteſtatem, Beato Petro Apoſtolo principaliter mandauit: Quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis, & quodcumq; ligaueris ſuper terram, &c. ſuper terram, inquit, &c. nam in ligatione Defunctum numquam dixit abſoluendum.* — *Gelaſius.*

VRBANVS Secundus Guidmundo Epiſcopo ſcribens, & habetur ibidem Can. Sanè, ſic dicit. *Ipſis Apoſtolis Chriſti uoce delegatum eſt. Quæ ligaueritis ſuper terram, & reliqua. Cæterùm de eo, qui in diuino iudicio eſt conſtitutus, nobis fas non eſt, aliud decernere, præter id, in quo eum dies ſupremus inuenit.* — *Vrbanus Secundus.*

Idem Gelaſius, eadem cauſa, & quæſtione, in Cap. *Nec quiſquam*, & Leo in Cap. *Damnationis*, quod deſumptum eſt ex eius Epiſtola 13. ad Pulcheriam Auguſtam, eamdem circà mortuum proferunt ſententiam; ex quibus apertè colligitur, contrà Medinam, Papam non poſſe iudicium, uel abſolutionem ferre in exiſtentes in Purgatorio. Verùm de hac re legendus eſt Alexander de Ales 4. par. quæſt. 83. memb. 3. Maior in quarto, diſtinct. 20. dub. 2. Durandus ibidem, quæſt. 4. Riccardus ibidem artic. 3. quæſt. 3. Paludanus ibidem, quæſt. 4. artic. 3. Abulenſis ſuper Matthæum 16. quæſt. 89. & 90. & Caietanus locis citatis. Epiſcopus Scalenſis in ſuo tract. de cenſuris, ingenioſa ſubtilitate illum ſenſum facere verba illa Chriſti exiſtimat, ut dicere uelit. Quodcumque tu, exiſtens ſuper terram, ſolueris, ſolutum erit, & in Cœlis. Sed non uidetur hæc interpretatio conſona li- — *D. Leo. Alenſis. Maior. Durand. Riccar. Palud. Abulen. Caietan. Scalenſis.*

ſonæ literæ, quoniam illa dictio, *ſuper terram*, non ſe tenet ex parte perſonæ ſoluentis, ſed ex parte actus ſolutionis, ita vt quod ſolutum fuerit in terris, ſolutum quoque ſit futurum in Cœlis: hæc enim duo ibi opponuntur, in Cœlis ſcilicèt, & in terris. Sed de hoc clariùs paulo poſt.

Quid ſignificet in Scripturis verbum illud, *ſuper terram*.

Poſſet autem Medinæ ſic Reſponderi, quòd dictio illa, *ſuper terram*, non ſemper in Scripturis includit ea, quæ ſub terra ſunt, vel in Inferno, vel in Purgatorio; ſed ſæpiſſimè ea complectitur, quæ in hoc mũdo, & ſuper faciem terræ ſunt; quod ex Phraſi Scripturæ deprehendi poteſt; cùm enim terra Cœlo opponatur, exiſtẽtes in terra nomine terræ intelliguntur, quod in Pſalmis ſæpiſſimè eſt videre, vt in Pſalm. 113. *Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*. Pſal. 146. *Qui operit Cælum nubibus, & parat terræ pluuiam*. Pſal. 148. *Confeſſio eius ſuper Cælum, & terram:* & Eccleſiaſt 5. *Deus in Cælo, & tu ſuper terram*, Iohel. 2. & Actorum 2. *Dabo prodigia in Cælo, & in terra*, & Matth. 5. *Nolite iurare per Cælum, neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt, &c.* Matth. 6. *Nolite theſaurizare in terra, ſed in Cælo*, Lucæ 12. *Faciem Cæli, & terræ noſtis iudicare*. Luc. 21. & Matth. 24. *Cælum, & terra tranſibunt, &c.* Apocalyp. 5. *Audiui omnem creaturam, quæ eſt in Cælo, & ſuper terrã, & ſubtus terram, &c.* Apocalyp. 21. *Ego creo Cælum nouum, & terram nouam*; & Eccleſia canit; *Pleni ſunt Cæli, & terra gloria tua*. Vbi ea tantùm, quæ in hac uita, uel in hoc mundo ſub Cœlo; non autem quæ in Inferno, & Purgatorio ſunt, nomine terræ, aut ſuper terram, comprehenduntur.

Pſal. 113. Pſal. 146. Pſal. 148. Eccleſ. 5. Ioel. 2. Actor. 2. Matth. 5. Matth 6. Luc. 12. Luc. 21. Matth. 24. Apoc. 5. Apoc. 21. Eccleſia in Triſagio Miſſæ.

Nec dicendum eſt, Pontificem Summum accepiſſe poteſtatem ad iudicandum uiuos, & mortuos; hoc enim per auctoritatem facere proprium eſt Chriſti, cui *Pater omne Iudicium dedit*, ſed dumtaxat mortales, qui hac luce fruuntur, & quamuis Dæmones poſſit Eccleſia per auctoritatem expellere à corporibus obſeſſis; non indè tamen ſequitur, poſſe ligare, uel ſoluere animas Purgatorij; cùm in illos eam poteſtatem exerceat, quatenus in corporibus exiſtunt, eaque cruciant, perturbant, & affligunt; uel quatenus hominibus tamquam hoſtes aduerſantur, & detrimentum inferunt. Animæ uerò Purgatorij ad Eccleſiam militantem nequaquam per ſe pertinent, cùm ſint extrà uiam, & ſtatum merendi, & extrà militiam Chriſtianam; ſunt enim in ſtatu ſatiſpatiendi, & ſoluendi.

Animæ Purgatorij an ſint de Eccleſia militanti, an verò de triumphanti.

Cordvbensis in quæſtio. 16. de Indulg. in reſponſione ad quartam probationem dicit, animas Purgatorij eſſe in ſtatu medio; & ſecundum aliquid pertinere ad Eccleſiam militantem, indirectè tamen; ſecundùm aliquid uerò ad Eccleſiam triumphantem, quemadmodum etiam concedendum eſt, illas non in uia, ſed in termino eſſe, quantum ad augumentum gratiæ; & licèt Cœlum adhuc non ſint ingreſſæ, uniuerſam tamen uiam confeciſſe, ad Cœlumque perueniſſe, dici poteſt; quemadmodum ille, qui totum iter confecit uſq; ad portas ciuitatis, quas tamen non eſt ingreſſus, cùm clauſæ eſſent, ad Ciuitatem perueniſſe dicitur, & ſi illam non niſi apertis Ianuis ingredi ualeat. Vndè reductiuè ad Eccleſiam triumphantem aliquo modo ſpectant; ad militantem uerò per accidens, & indirectè. Sed uerius puto, ad Eccleſiam militantem pertinere; non enim ad triumphalem ſpectare poſſunt, quia adhuc cruciantur.

Simile.

Quod autem dixit Medina, ſaltem ratione delicti de foro Eccleſiaſtico eſſe; uerùm non eſt, cùm illa regula in foro exteriori tãtùm procedat; non autem in foro ſecreto interiori quoad Deum. Prælatus enim poteſt ſubditum ſuum à peccatis ubicumque commiſſis ſacramentaliter abſoluere, ut docet Siluester, uerbo Confeſſor primò, quæſt. 14.

Siluester.

Nec Eccleſia omnem, quam habuit Chriſtus, poteſtatem diuinam, uel humanam conſequuta eſt; ſed eam, quam Chriſtus ex ſuo beneplacito; pro animarum ſalute, uoluit illi concedere, quæ quoniam ad peccata remittenda, & ad aperiendam ianuam Cœli pertinet, omnem humanam ſuperat poteſtatem.

Cordub. Matth. 18.

Videtur autem in illo ſibi contradicere Medina, ut etiam notauit Cordubenſis quæſt. 16. quod, ſicut ex loco illo Matthæi 18. negat, Epiſcopis conceſſam eſse poteſtatem ligandi in Purgatorio, quoniam ibi dicitur, *Quæcumque ligaueritis ſuper terram*,

terram, nunc velit ex loco Matthæi 16. per diuerſam acceptionem dictionis, *Super terram*, Papæ poteſtatem ad Purgatorium extendi; Atque ità omnibus fundamentis Medinæ ſufficienter reſponſum eſt. Nam quod etiam dicit, mortuos uel abſolui, uel ligari poſſe ab Eccleſia, iam ſuperiùs expoſitum eſt, quomodo ſit intelligendum; Declarat enim Eccleſia, Defunctos in excommunicatione ab hac uita deceſſiſſe; non autem illos uerè, uel abſoluit, uel ligat. In eo autem comprobanda eſt ſententia Medinę, quod in cap. 37. diſputat, nempè hanc poteſtatem diſpenſandi Theſaurum Defunctis, ſiuè per uiam auctoritatis, ſiuè per uiam ſuffragij fiat, ſolius eſſe Papæ, nec in Epiſcoporum iuriſdictione id ſitum eſſe, quod etiam uoluit Nauarrus loco citato.

Medinæ dictum unum probatur.

Hæ ſunt Doctorum ſententię in hoc dubio. Nos autem paucis quid nobis probabiliùs uideatur aperiamus.

Dico igitur primò, quòd huiuſmodi Indulgentiæ, ſicut etiam alia ſuffragia pro Defunctis facta, non fictè, uel impropriè; ſed ueraciter, & propriè illos iuuāt: & hoc eſt de fide, ut ex Decretis Concilij Florentini, & Concilij Tridentini ſuperiùs demonſtratum fuit; Neque hoc negat Caietanus, ut in quæſt. 6. fatetur, aliàs enim, & Scriptura, & Eccleſia, & Deus ipſe nos deciperent, cùm omnia hæc clament, ſanctum, & pium eſſe pro Defunctis orare, ut à peccatis ſoluantur; Vndè ſequitur, erraſſe turpiter Gulielmum de Rubione, qui in quarto, diſt. 19. quæſt. 1. negauit, Indulgentias uerè prodeſſe Defunctis.

Indulgentiæ & ſuffragia ꝑ defunctis uerè, & realiter illis proſunt.
Conc. Florēt.
Conc. Trid.
Gugl. de Rubione.

Dico ſecundò: huiuſmodi Indulgentiæ pro Defunctis collatæ, ſi rectè, ut decet, & præſcribitur, ſuſcipiantur à uiuentibus, uia Iuſtitiæ ad Defunctos deferuntur, & de condigno proſunt; quamuis enim contraria ſententia probabilis ſit; hęc tamen uidetur probabilior, ac tutior ad conſtantiam, & firmitatem ſuffragiorum pro Defunctis. Probatur autem hoc dictum.

Indulgentiæ pro mortuis conceſſæ de condigno, & ex Iuſtitia illis proſint.

Primo; quoniam ſicut unus uiuens pro altero uiuente ex iuſtitia, & de condigno ſatisfacere poteſt, ei ſua opera ſatisfactoria applicando, ut affirmat D. Thomas 3. par. in ſupplemen. quæſt. 13. art. 2. Soto, Nauarrus, & Ioannes Methina, locis citatis, Gregorius de Valentia in libro de ſatisfactione, cap. 4. & alij; ſic etiam uiuens pro Defuncto, qui ſit in Gratia, poterit ſatisfacere; quoniam eſt par ratio, & omnia argumenta, quæ concludunt pro uiuis, probant etiam pro Defunctis, qui ſunt in Purgatorio. Negari enim non poteſt, illas animas eſſe membra Chriſti, & Eccleſiæ, in qua, quaſi in quodam corpore, ſub uno Chriſti capite, omnes fideles, qui ſunt in gratia, ut coniuncta membra comprehenduntur. Vndè conſequitur, quòd ſicut unum membrum alteri prodeſſe poteſt, ſic uiui defunctis, pro cis ſatisfaciendo; Immò dùm unum membrum eſt in eodem corpore coniunctum, etiam ex debito, & Iuſtitia quadam tenetur alteri prodeſſe, ſi indigeat, ob unionem ſub eodem capite; ſic uiuentes tenentur fidelibus, qui in Purgatorio ſunt, cùm actu ſint membra Chriſti, & re ipſa indigeant, per opera ſatisfactoria prodeſſe, & ſuccurrere. Hoc enim eſt officium membrorum coniunctorum, ut unum alteri ex iuſtitia teneatur prodeſſe.

D. Thomas.
Soto.
Nauar.
Io. Methina.
Valentia.

Deindè, ex natura Charitatis id probatur, ex qua ſatisfactio uim ſuam obtinet. Deus enim procul dubio omnem ſatisfactionem ex Charitate profectam acceptat, prout conuenit naturæ ipſius Charitatis. Illa autem eſt natura Charitatis, ut communionem quamdam habeat mutuæ amicitiæ, ex qua communicatio mutuorum officiorum proficiſcatur; atque adeò, ut quemadmodum quis poteſt pro ſe ſatisfacere, ità pro amico; ſicut igitur ex quadam iuſtitia quis pro ſe ſatisfacere poteſt, atque etiam pro altero uiuente, ità etiam pro mortuo. Iuſtum eſt enim, cæteris paribus, ut quod unum membrum in hoc Eccleſiæ corpore exhibet, & offert pro altero, id ad pœnæ remiſſionem à Deo acceptetur.

Nec obſtat, non poſſe alterum pro altero promereri ex condigno, uel gratiæ augumentum, aut gloriam; ex quo uidetur ſequi, unum pro altero non poſſe de condigno, uel ex iuſtitia ſatisfacere. Huic enim argumento doctè reſpondet D. Thomas in ſupplemento 3. par. quæſt. 13. artic. 2. ad primum, rationem diſparita- D. Thomas.

tis hanc eſſe, quòd augumentum gratiæ, & præmium eſſentiale dantur à Deo homini, iuxtà propriam diſpoſitionem, eiuſque menſuram; nemo autem alteri talem diſpoſitionem de condigno mereri poteſt, excepto Chriſto, qui uirtutem habuit merendi infinitam: nec ullus purus homo per alterius actionem ad illa diſponi poteſt, cùm hæc diſpoſitio propria, & intrinſeca eſſe debeat. At pœnæ temporalis remiſſio non exigit in homine, cui fit, certos, ac definitos gradus diſpoſitionis, ad quorum menſuram huiuſmodi remiſſio fiat; ſæpè enim accidit, ut qui eſt melior, ſit obligatus ad maiorem pœnam; ſed in quadam relaxatione pœnæ conſiſtit; nimirum, ut ad pœnam quis amplius obligatus non ſit, quod beneficio alienæ ſatisfactionis fieri, nil repugnat. Hæc ex D. Thom. Quocirca Ioannes Methina incautè trepidauit, dum in dicta quæſt. 5. de ſatisfactione dixit, poſſe alterum pro altero ſatisfacere, ſaltem de congruo, quod uel nemo alius, uel pauci dixerunt.

Io. Methina.

Secvndo, quoniam Defuncti exiſtentes in Purgatorio, ſunt in graui neceſſitate. Vndè alij fideles uiuentes, ex ſumma æquitate, & naturali iuſtitia tenentur eis per debita, & opportuna media ſuccurrere, quod enim ergà ſe ipſum quis uellet fieri, ergà alterum quoque tenetur facere.

Tertio, quoniam ſi quis ex iuſtitia poteſt ſibi, uel alteri uiuenti Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones applicare, ergò & Defunctis. Cùm enim Chriſti ſatisfactiones ſint infinitæ, & maioris ualoris, quàm quæcumque aliæ ad ſatisfaciendum, & à Deo Patre pluſquam omnes aliæ acceptatæ; cur non poterunt de condigno ſi ab ijs, qui poteſtatem habent, applicentur, animabus illis ſatisfactionem afferre? præſertim cùm intentio Chriſti fuerit etiam pro illis pœnas perpeti.

Qvarto, quoniam argumenta Caietani nihil concludunt; quamuis enim pœnæ huius vitæ ſint in ſe minores, quàm pœna animarum ſeparatarum, quod tamen à nobis alibi declaratum fuit; nihilominus quoad acceptationem diuinam, & reſpectu ſuppoſiti minima pœna, ac ſatisfactio Chriſti eſt non ſolùm æquiualens, ſed etiam maior, & aptior omni pœna etiam grauiſſima Purgatorij ad ſatiſfaciendum.

Qvinto, quoniam alia opera ſatisfactoria pro Defunctis de condigno ſatiſfaciunt, ſi in gratia fiant, &c. Quicquid dixerit Caietan. habent enim certum ualorem, & infallibilem effectum, ut demonſtrauimus; ergò & Indulgentiæ. Habent enim hæ maiorem uim ſatisfaciendi, cum ſint immediatè Chriſti paſſiones, quàm quodlibet aliud opus pœnale à quacumque pura creatura pro altero exhibitum.

Sexto, quoniam, & ſi illæ animæ non ſint ſubditæ quoad earum perſonas, poteſtati Clauium; non enim iudicari poſſunt à Papa, ut dictum eſt; ſunt tamen membra Eccleſiæ, quæ cum ſint in ſtatu indigentiæ, ex communi Theſauro Eccleſiæ adiuuari poſſunt, ac debent.

Septimo, quoniam aliàs hæc ſuffragia incerta eſſent, nec effectum infallibilem haberent, nec ſemper illa à Deo acceptari, dicendum eſſet; quod nec dignitati Eccleſiæ, quæ illas filijs ſuis concedit, nec auctoritati Chriſti, qui promiſit, quæ ſoluta eſſent in terris, ſoluta quoque in Cœlis fore, nec deniquè Charitati fideliũ, qua ad illa præſtanda ergà huiuſmodi animas mouentur, ullatenus conuenit.

Octavo, & ultimo, quoniam res oblata per Indulgẽtias eſt æquiualens, & per illam fit iuſta, & adæquata ſolutio pro defunctis, ergò ex iuſtitia, & de condigno fieri dicendum eſt, & quamuis hoc non ſit in poteſtate liberantis, ſed in creditoris acceptatione, & gratia, tamen cum creditor, qui eſt Deus, id Eccleſiæ ſuæ promiſerit, id conſequenter ex iuſtitia, ſuppoſita diuina promiſſione, fieri dicendum eſt, ut in ſequenti Dubio fuſiùs dicemus.

CAPVT

CAPVT LI.

Diſputatur Tertium Dubium. An certo, & infallibiliter huiuſmodi Indulgentiæ per modum ſuffragij conceſſæ, proſint Defunctis, pro quibus accipiuntur.

CAIETANVS tom. 1. tract. 16. de Indulg. quæſtio. 5. aſſerit, totum effectum Indulgentiæ pro Defunctis pendere ex mera Dei liberalitate, neque eſſe certum ex aliqua lege, ſeù promiſſione diuina, quem ſequutus eſt Cordubenſis quæſt. 13. & 14. & Henriquez, lib. 7. cap. 7. Quam ſententiam puto eſſe falſam. Vndè rectè Gregorius de Valentia in cap. vltimo de Indul. dixit, & Caietanum, & Cordubenſem incautè eſſe loquutos, nec audiendos eſſe: ſit igitur noſtra aſſertio. *Opinio Caietani Cordub. & Henriq.* *Valentia.*

NON MODO Indulgentiæ viuorum, ſed etiam Defunctorum infallibilem, ac certum habent effectum, ex diuina promiſſione. *Indulgentiæ tàm pro viuis, quàm pro Defunctis certò, & infallibiliter habent effectum.*

Primò probatur, quoniam æqualem Deus tradidit poteſtatem Eccleſię diſpenſandi Theſaurum per modum ſuffragij Defunctis, & per modum abſolutionis viuis, ergò ſicut huius vſus, ſeù actus habet diuinam promiſſionem de certo effectu, ſic & illius, in illis enim verbis Chriſti, *erit ſolutum, & in Cælis*, cunctis actibus illius auctoritatis promittitur, quòd effectum certum ſint habituri.

Secundò, quoniam hęc eſt omnium fidelium communis exiſtimatio, & ſententia, vt ex hac diuina promiſſione Prælatis Eccleſiæ facta, *erit ſolutum, & in Cælis*, certò teneant, ac ſibi omninò perſuadeant, infallibiliter eiuſmodi Indulgentias prodeſſe.

Tertiò, quoniam Summi Pontifices per eamdem auctoritatem Matth. 16. ſibi tributam, conferunt Indulgentias Defunctis, vt probatum eſt. Atqui hæc maximè euidentem promiſſionem diuinam continent, in dictis verbis, *erit ſolutum, & in Cælis*. Ergò & illarum effectus ex certa lege Dei infallibilis erit.

Quartò, quoniā omnia alia opera, quæ Eccleſia publicè offert pro Defunctis, qui ſunt in Purgatorio, de condigno, & ex Iuſtitia illis proſunt, & ſemper, ac certa lege Deus eas acceptat, vt rectè dixit Sotus, vbi ſupra. Ergò & Indulgentias.

Quintò, quoniam cum Pontifices dicunt, ſe per modum ſuffragij Defunctis cōcedere Indulgentias, non intelligunt, nec ſignificare volunt, effectum earum incertum, & dubium eſſe, abſit, vel pendere ex ſola liberalitate diuina; ſed certa lege, ac diuino Decreto, & pollicitatione in virtute, & auctoritate Domini Noſtri IESV Chriſti eas cōcedere, licèt non per modum abſolutionis; quinimmò indubios, ac certos reddunt fideles de illarum fructu ab animabus Purgatorij percipiendo; nec enim aliter Eccleſiæ Prælati auderent eas offerre, & proponere fidelibus, niſi ex auctoritate, & illo verbo Chriſti, *erit ſolutum, & in Cælis*.

Atque hæc res, meo Iudicio, ſatis eſt per ſe euidens, & clarè probata: quòd ſi etiam his, quæ diximus, ſanctorum communionem addas, quibus huiuſmodi Indulgentiæ etiam nituntur, iterùm probatum habebis, illas ex certa lege Chriſti, effectum ſuum indubitatè conſequi.

NEC obſtat verbum illud Chriſti, *Quodcumque ſolueris ſuper terram*, quod negotium videtur facere his, qui hanc opinionem ſequuntur. Verbum enim illud, *ſuper terram*, propriè referendum eſt ad verbum *ſolueris*, non autem ad illud, *Quodcumque*, quaſi non tradatur illi poteſtas ſoluendi, niſi reatum illum, qui adhuc ſuper terram exiſtat, qualis non eſt reatus eorum, qui ſunt in Purgatorio: ſicut enim verbum illud, *In Cælis*, refertur propriè ad actum ipſum ſoluendi, qui à Deo præcipuè in Cœlo exiſtente, exercetur in Cœlis, & à quo peccati reatus extrinſecè denominatur ſolutus; non autem ad reatum aliquem in ipſo Cœlo exiſtentem qui ibi ſoluatur; nullus enim ibi reatus peccati reperitur; ità quoque dictio illa, *In ter-* *Exponuntur verba Chriſti, Quodcumque ſolueris ſuper terram.*

Cyprianus. Hilarius. Auguſt. D.Chyſoſt. Maldon.

ra,ad actum ſoluendi,qui à Pontifice in terra exercetur,non autem ad reatum aliquem,qui ſuper terram adhuc maneat,propriè eſt referenda;atque ità ex communi ſenrentia Patres hunc locum exponunt, dum dicunt, hic confirmationem in Cœlis eius ſententiæ promitti,quæ ſuper terram fertur; Vt Cyprianus lib. 1. Epiſtola 2. Hilarius in cap. 16. Matt. & Auguſtinus Homil. 50. atque alij. Vndè illud, *ſuper terram*,non denotat materiam, circà quam ſolutio à Petro fieri debeat,ideſt viuentes in terra, ſed locum, vbi Petrus actum ſoluendi facit, ità colligitur apertè ex D.Chryſoſtomo Homil. 5. in Eſaiam, in illis verbis: *A terra principalem iudicandi auctoritatem ſumit Cœlum: Iudex enim ſedet in terra. Dominus ſequitur ſeruum, & quicquid hic in inferioribus iudicauit, hoc ille in ſupernis comprobat*. Maldon. in cap. 6. Matth. dicit, per terram homines, per Cœlos Deum ſignificari, elegantique antitheſi demonſtrari quæ ab hominibus ſoluta, vel ligata fuerint, pariter à Deo ſolui, & ligari. Cùm igitur Pontifex, dum viuit, ſuper terram exiſtens, ſoluit reatus pœnarum, quibus animæ Purgatorij obſtringuntur, utique confirmationem in Cęlis à Deo habebit, cùm utatur poteſtate à Chriſto ſibi tradita, atque ei certam promiſſionem Dominus fecerit.

Vervm antequàm huic capiti finem imponamus, quatuor hic corollaria adijcienda ſunt.

Non omnis Indulgentia plenaria omnem Purgatorij pœnam remittit. Nauar.

Primvm eſt, quòd ſi praxim, & moralem uſum attendamus, non omnis pléna Indulgentia, uel etiam pleniſſima ordinariè, ſeù regulariter omnem pœnam in Purgatorio exoluendam diluit, quod etiam ut memorabile notauit Nauarrus notabili 22. num. 50. quod non eſt accipiendum quaſi id non poſſit Indulgentia ex ſe, ſed ex accidenti, & ab extrinſeco id fieri poſſit; ut enim pleniſſima liberet, inquit Nauarrus, requiritur ſufficiens ad id cauſa, propter quam cōcedatur, & quòd ſuſcipiens illam pro Defuncto, opus præſcriptum ritè impleat, & intentionem peculiariter ad hanc, uel illam animam dirigat, & alia multa. Vndè poſt ſuſceptam Indulgentiam, etiam pleniſſimam pro Defunctis, expedit quoque pro illis facere alia ſuffragia, & nouas Indulgentias acquirere. Alexander de Ales 4. par. quęſtio. 42. art. ultimo, & Gabriel ſuper Can. Lect. 57. addunt, ſuffragia interdum pro illis mortuis fieri, qui in articulo mortis plenam abſolutionem acceperint, uel poſt mortem plenariam Indulgentiam ſunt aſſequuti, non quidem ad expiationem illius animæ, ſed ad gratias Deo agendàs, & ad augendum gaudium accidentale animabus ſeparatis, quæ ſunt in Cœlo, dum maximo afficiuntur gaudio, quòd uideant eorum cognatos, & amicos in terris pijs operibus incumberé, ac proindè Deum magis honorari, cæteroſque indigentes in Purgatorio iuuari.

Alenſis. Gabriel.

Indulgentia vnicum habet effectum, cætera verò ſuffragia multos pro defunctis Nauar.

Secvndvm eſt, quod etiam notauit Nauarrus loco citato, Indulgentiam vnicū effectum in animas Purgatorij cauſare, uidelicèt, accelerare liberationem animæ à pœnis Purgatorij, (ad id enim ſolùm prodeſt) cætera uerò ſuffragia pręter hunc, quamuis non ità efficaciter, pleroſque alios effectus gignere, quibus & ipſum operantem, & eos, pro quibus fiunt, iuuant.

Anni Sancti Indulgentia non acquiritur pro Defunctis.

Tertivm eſt, in Anno Sancto Iubilæi, ipſius Indulgentiam Defunctis àcquiri non poſſe, niſi Summus Pontifex id expreſsè in Bulla explicaret. Eſt enim hæc propria uiuentium gratia, & remiſſio, quam ex peregrinatione ad loca Sancta Vrbis, propter cauſas, quas inferiùs dicemus, cæteris requiſitis concurrentibus, acquirunt.

Multos fruct[us] ex Iubilæo anni Sancti indirectè, & quaſi ſecundariò cōſequūtur animæ Purgatorij.

Qvartvm eſt, negandum non eſſe, animas Purgatorij plurimos alios fructus, & utilitates ex Sacro Iubilæo ſecundariò, uel indirectè conſequi. Qui enim Romam accedunt eo tempore, poſſunt multa pia opera ad iuuamen illarum præſtare, uel Miſſas ad Altare Sancti Gregorij, uel Sancti Laurentij extrà muros, in quibus ſuffragia mortuorum copioſa conceſſa ſunt, celebrando, uel alia pia munera ergà illas exhibendo: expectant hunc annum animæ illæ ſatiſpatientes, ut ex affluentia ſpiritualium diuitiarum, quæ Romę exiſtunt, aliquid miſericordiæ, & Indulgentiæ in eas redundet. Poſtulant ab amicis, ut earum miſerijs compatientes, guttam pietatis in illas diſtillent, ut in illis flammis refrigerentur, ab eiſque diui-

na pietate

na pietate liberentur: clamant cum Iob 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem* Iob 19.
vos amici mei; quamobrem maximè ingratitudinis nota, negligentiæque crimine inureretur, qui eo anno in tam magna copia ſatisfactionum illas obliuioni traderet. Plura alia dubia poſſent hic circà Indulgentias Defunctorum tractari; ſed præter noſtrum inſtitutum; non enim eſt nobis animus omnia perſequi, quæ ad generalem Indulgentiarum tractationem faciunt; ſed ea tantùm, quæ ad ſpeciem hanc Indulgentiæ Sacri Iubilæi ſpectant: Atque hæc de hoc capite, & tota hac diſputatione dicta ſufficiant.

CAPVT LII.

De Neceßitate Sacri Iubilæi reſpectu aliarum Indulgentiarum Eccleſiaſticarum.

DEMONSRANDVM eſt Poſtremò, quantopere hæc anni ſancti, & Sacri Iubilæi Indulgentia cæteras alias certitudine, efficacitate, amplitudine, dignitate, fructu denique, & utilitate, omnium hominum conſenſu antecellat, & ſuperet. His enim ſingulis rectè explicatis, maximè congrua Sacri Iubilæi neceſſitas in ordine ad alias Indulgentias eluceſcet.

PRIMO igitur aſſerimus, huiuſmodi Indulgentiam, ratione certitudinis, cunctis alijs præferendam eſſe: Cùm enim tria, (ut omnibus Theologis placet) requirantur ad ueritatem Indulgentiæ; Nempè auctoritas Diſpenſatoris, Pietas cauſæ, & condigna, uel debita præparatio accipientis; neceſſariò fatendum eſt, quòd quantò hæc tria maiorem habent certitudinem, tantò quoque Indulgentia ipſa certior credenda ſit; Qua propter cùm à ſolo ſummo Eccleſiæ Oeconomo, Primarioque Eccleſiaſtici Ærarij Diſpenſatore, & à uero Chriſti Vicario, Petrique legitimo ſucceſſore, qui Claues Regni Cœlorũ, ſummamque in Eccleſia poteſtatem habet, quique ſolus inexhauſti Eccleſiæ Theſauri ampliſſimam diſtribuendi auctoritatem obtinet, cui & confirmandi fratres, & docendi omnes gentes, paſcendique Chriſti oues officium tributum fuit; Indulgentia Sacri Iubilæi conceedatur, quis de auctoritate dantis, ſi recto iudicio ducatur, dubitare poterit?

Indulgentia anni Iubilæi cæteras omnes certitudine ſuperat.

Auctoritas diſpenſatoris Iubilæi anni Sancti.

Quòd ſi pietatem in cauſa ponderemus; eſto ædificatio Baſilicarum Martyrum, dedicatio Eccleſiarum, Redemptio captiuorum, Dimicatio aduerſus Hæreticos, Bellum in Turcas, omniſque pugna contrà Religionis Hoſtes, elargitio Eleemoſynarum, Viſitatio Templi Deo dicati, & id genus alia opportunæ ſint cauſæ ad Indulgentiam conſequendam: Illa ſanè, quæ ad Primatum Petri cognoſcendum, ad fidem Eccleſiæ Romanæ Catholicam profitendam, ad Corpora Inſtitutorum Religionis Chriſtianæ inuiſenda, ad Romanæ Vrbis, quę caput Religionis exiſtit, deuotionem, ſanctitatem, ac pietatem deguſtandam, ad Eccleſiaſticos Romanos Ritus, grauiſſimaſque Cęremonias obſeruandas conceditur, omnium maxima, eminentior, & pręcellens exiſtit.

Cauſæ pietas, & religio maxima, in Sacro Iubilæo.

D. GREGORIVS Magnus lib. 7. Regiſtri, in Epiſtola ad Recharedum Regem Viſigothorum, Clauem paruulum à Sacratiſſimo Beati Petri corpore deſumptam, in qua ferrum de Catenis eius incluſum erat, ad Benedictionem, ideſt, Indulgentiam plenam tranſmiſit, ut *Quod collum eius ad Martyrium ligauerat*, (verba Gregorij ſunt) *veſtrum ab omnibus peccatis ſoluat*. Cuius exemplum ſequutus Gregorius VII. ut in lib. 7. eius Regiſtri, Epiſtola 6. habetur, ad Alphonſum Regem Hiſpaniarum miſit clauiculam auream, *in qua*, inquit, *de Catenis B. Petri Benedictio continetur; quatenus per eius præſentia patrocinia, uberiora eius ergà vos beneficia ſentiatis, & in amore ipſius de die in diem feruentiùs accendamini, promerentes, ut omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberauit, eius meritis, & interceſſoribus vos ab omnibus peccatorum ueſtrorum uinculis abſoluat, & adgau-*

D. Gregor.

Greg. VII.

die perducat æterna. Hæc apud Gregorium. At quis non uidet, hæc Petri, & Pauli patrocinia magis præſentia, magiſque coniuncta, & proxima his eſſe, qui deuoto, ac contrito animo eorum corpora perſonaliter inuiſunt, eorumque Baſilicas, (quod præcipuè fit in anno ſacro) piè, & religioſè frequentant? ſi Catenæ præſentia, quæ collum Petri circumdedit, digna erat, ut plenaria peccati remiſſio per eam concederetur, quanto magis uiſitatio per propriam præſentiam Baſilicæ, ſepulchri, oſſium, Capitis, ac Corporis B. Petri?

D. Chryſoſt. Preclariſſimam, glorioſiſſimamq; exiſtimabat D. Chryſ. in Epiſ. ad Rom. Ho. 32. actionē illam, quæ hoīem ad corpus B. Pauli ſiſtebat, cuius deſiderio maximè ipſe flagrabat. *Quis mihi,* inquit, *nūc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, uidere puluerem corporis illius, qui adhuc in Chriſto deerant adimplentis, ſtigmata illius geſtantis, prædicationem Euangelij ubiq; ſeminantis? Puluerem, inquā, oris illius per quod Chriſtus loquutus eſt, per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, & uox exijt Dæmonibus quouis tonitru terribilior, per quod beatum illud uerbum loquutus eſt: optabam anathema eſſe pro fratribus meis, per quod loquutus eſt coram Regibus, & non eſt confuſus, per quod Paulum didicimus, per quod Pauli Dominum: Tonitru ita terribile nobis non eſt, quemadmodum uox illa Dæmonibus.* Et poſt multa. *Non ſolum autem oris, ſed & cordis illius puluerem uidere uellem; quod ſi quis totius Orbis cor dixerit, innumerorumq; bonorum fontem, & principium, & elementum primarium noſtræ ſalutis, certè non errauerit. Hinc enim ſpiritus uitæ in omnia ſuppeditatus eſt, membriſq; Chriſti datus, non per arterias emiſſus, ſed per bonorum uoluntatem, ac propoſitum. Cor iſtud adeò fuit latum, ut in ſe ſuſceperit, & integras urbes, & populos, & Gentes. Cor enim meum, inquit, dilatatum eſt, uerumtamen, ut ut latum fuerit, tamen ſæpenumero occupauit, & preßit illud, quæ ipſum dilatabat dilectio. Ex multa quippè tribulatione, inquit, & anxietate cordis ſcripſi uobis. Et diſſolutum etiam uellem uidere cor illud, ergà unumquemq; pereuntium accenſum, & iterum, ſecundo parturiens filiorum abortus: Deum uidens.*

Et poſt multa. *Videre rurſus uellem Puluerem manuū illius, quæ in uinculis fuerunt, per quarum impoſitionem Spiritus ſanctus ſuppeditabatur, per quas hæ litteræ ſcriptæ ſunt: Ecce, inquit, qualibus litteris ſcripſerim uobis mea manu. Et iterum, ſalutatio mea Pauli manu: Manuum, inquam, illarum, quas cum uidiſſet uipera, integram ad dentem decidit.* Et ſtatim ſubiungit.

Puluerem uidere uellem oculorum benè excæcatorum primò, deindè uerò ad Orbis ſalutem reſpicientium, qui & Chriſtum in corpore uidere meruerunt, qui terrena uiderunt, & non uiderunt, qui quæ non uidentur uiderunt, qui ſomnum ignorarunt, qui medijs noctibus uigilarunt, qui quæ ſolent ferre oculi inuidorum paßi non ſunt.

Vellem, & pedum illorum uidere puluerem, qui per orbem currentes non laborarunt, qui ligati erant in ligno, quando motu conquatiebatur carcer: qui orbem inhabitabilem etiam circumierunt, qui ſæpenumerò fuerunt in itinere. Et quid opus eſt ſingula recēſere?

Vellem uidere ſepulchrum, quo recondita ſunt arma illa Iuſtitiæ, arma lucis, membra nunc uiuentia; tùm uerò cum in hac uita eſſent emortua, in quibus omnibus uiuebat Chriſtus, quæ mundo fuerunt crucifixa, membra Chriſti, quæ Chriſtum induerant, quæ templum Spiritus ſancti, ſanctaq; fuerunt ædificatio, quæ ligata erant ſpiritu, confixa timore Dei, habentia ſtigmata Chriſti. Sic egregiè Chryſoſtomus; & alia plura in hanc ſententiam. Et cum Pauli corpore, corpus etiam B. Petri, quem uiuentem Paulus honorauit: *Aſcendi enim,* inquit, *uidere Petrum,* ad Galatas 1. ad Galat. 1.

Sed orationis uela colligamus; Maxima utique Religio, ac pietas elucet, dum hæc, & aliorum ſanctorum ſepulchra uiſitantur; condignaque cauſa eſt, ut ob id magnæ Indulgentiæ concedantur.

Maxima diſpoſitio ad Iubilæum ſuſcipiendum in Anno Sācto. QVOD autem in Anno Sacro certior appareat diſpoſitio, & aptior præparatio ad Indulgentiam ſuſcipiendam, nemo dubitabit; cùm fideles tunc temporis Sacramenta Pœnitentię, & Euchariſtię frequentiùs ſuſcipiant, orationibuſque deuotiùs incumbant, eleemoſinas fuſiùs erogent, Ædes Sacras ſępiùs inuiſant, peregrinationem quoque ad Vrbem longis, ac laborioſis itineribus aſſumant, impenſis magnis ad iter conficiendum non parcant, ieiunijs arctioribus uacent, ac deniquę

niquę

nique à peccatis, & criminibus omninò abſtineant, ueriſſimeque ſibi perſuadeãt, ob ſolam illius tẽporis circumſtantiam, ſe maximum ſacrilegium committere, ſi iniquitatem uel minimam perpetrentur; Atque adeò cùm magna in ſuſcipiente ſit diſpoſitio, effectus Sacri Iubilęi, cęteris concurrentibus, certiſſimè in illo recipi dicendum eſt.

En magna in hac ſuprema Indulgentia, tùm ex parte diſpenſatoris, tùm ex parte cauſſę, tùm etiam ex parte ipſius ſuſcipientis certitudo: Hac de cauſſa Sacro Iubilęi Anno Indulgẽtiarum Theſaurus ſingulariſſimis quibuſdam circumſtantijs, inſolitiſque cęremonijs diſtribuitur, magnificentiſſimi apparatus pręcedunt, ut indictio Sacri Iubilęi multis antè menſibus, eiuſque ad omnes mundi partes promulgatio. In exordio eius anni in Baſilica Vaticana à Summo Pontifice Porta Sacra eximia magnificentia aperitur, quę per uigintiquinque annos pręcedentes clauſa extiterat; Prętereà ad certitudinem huius magnę Indulgentię, cęterę cunctę plenarię in toto Orbe apud omnes Chriſtianos ſuſpenduntur. Quę omnia certiorem, infallibilem, atque irrefragabilem illam reddunt.

Maximam efficaciã ſupra omnes Indulgentias habet Iubilæus Anni Sancti.

SECVNDO aſſerimus, quoad efficaciam omnes alias Indulgentias à Magni Iubilæi Indulgentia longo interuallo poſthaberi; Cùm enim deuotiùs hoc in tempore, maiorique cordis affectu, intenſiorivè feruore charitatis præſcripta opera ad Indulgentiam obtinendam, & alia pia à fidelibus exequantur, nemo negare poterit, magnum Iubilęum intenſiori efficacitate effectum ſuum in ſuſcipientibus operari: Quapropter rectè Bonifacius Octauus in ſua Bulla, quę incipit, *Antiquorum*, ſcripſit hęc uerba. *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs conſequetur, quò ipſas Baſilicas ampliùs, & deuotiùs frequentabit*; Quę eadem repetit Paulus Secundus in ſua Bulla, quę refertur apud Albericum à Roſato in ſuo Dictionario: Quòd ſi ſententiam Paludani in 4. diſtin. 20. quęſt. 4. quis ſequeretur, dùm dicit, quòd attritio cùm abſolutione Papę per viam Indulgentię efficitur contritio: vel illorum, qui dicunt, Sacrum Iubilęum ex opere operato, quemadmodũ ſacramentalia, cauſare ſuum effectum in ſubiecto benè diſpoſito; maior efficacia Sacri Iubilęi innoteſceret. Sed horum ſententias ſuo loco examinabimus. Adijce, quòd efficacia huius Indulgentię ex eo perſpicitur, quòd hęc non ſolùm ſemel eodem anno, ſed bis, ter, quater, vel pluries acquiri poteſt, ut Nauarrus benè probat in Commentario Extrauagantis Gregorij Decimitertij de Iubilęo, nu. 46. & 47. quod etiam omnibus Indulgentijs perpetuis, vel perennibus familiare eſt; Nam ut optimè dixit Paludanus loco citato, quolibet anno, quolibet menſe, quolibet die, (non autem qualibet hora, uel momento temporis) lucrari poſſunt. Cui dicto ſubſcripſit Nauarrus in tract. de Indulg. notab. 15. num. 19. Atque hę ſi plenarię ſint, cum Anno Sancto omnes ſuſpendantur, indè conſtat, ſolam Sacri Iubilęi Indulgentiam uirtutem, robur, & efficaciam habere.

Bonifac. VIII
Paulus Secundus apud Albericum à Roſato.
Palud.
Nauar.
Palud.
Nauar.

Omnes alias Indulgentias, amplitudine Iubilęus excedit.

TERTIO dicimus, Amplitudine cæteris pręferri debere, omnibus Theologis, & Canoniſtis in confeſſo eſt: Etenim cùm de alijs Indulgentijs multi diſputent. An iniunctas tantùm poenitentias remittant, vt voluit Caietanus tom. 1. tractatu 15. cap. 7. & tract. 16. quæſt. 4. Durandus, Paludanus in 4. diſtin. 20. quæſt. 4. & Adrianus in quæſt. de Indulg. quæſtio. 2. art. 1. & videtur ſentire D. Tho. in 4. diſtin. 20. vel etiam non iniunctas, ut uoluit Sotus in 4. diſtinct. 21. Hanc tamen Indulgentiam Anni Sancti, omnes uno ore fatentur, etiam poenas non iniunctas; debitas tamen in foro Dei, abſoluere, & remittere. Prætereà cùm uarij enumerentur gradus Indulgentiarum à Petro de Palude, Caietano, Soto locis citatis, atque etiam à Nauarro in tract. de Indulg. notab. 9. num. 1. & ſequentibus, & notab. 26. nu. 1. & ſequentibus; Nempè plenæ, plenioris, pleniſſimæ, (de quibus nos in 3. libro exactiùs diſputabimus;) à nemine tamen in controuerſiam reuocari poteſt, hanc Sacri Iubilæi Indulgentiam, principatum inter Indulgentias etiam pleniſſimas retinere; & præterquam quod ad omnes totius Orbis Chriſtianos ſe extendit, omnes quoque poenas totaliter diluendas dignè ſuſcipientibus promittit.

Caietan.
Durand.
Palud.
Adrian.
Sotus.
D. Thom.
Nauar.

Dignitate Iubilęus oibus.

QVARTO, Dignitate, cæteris præeminere Anni Sancti Indulgentiam perſpicuè ex con-

alijs Indulgẽtijs p̃eminet.

ex conceſſionibus Pontificum dignoſcitur; cùm cæteræ, quę dignitatem aliquam, & præeminentem excellentiam præſeferunt, ad inſtar huius Indulgentiæ Iubilæi concedantur; Indulgentia enim inſtar Iubilęi idem eſt, quod Indulgentia ad ſimilitudinem Indulgentię Anni Iubilęi, ut dixit Nauarrus notab. 26. num. 1. & 2. & eſt longè dignior, quam ſimplex plenaria; Quinimmò, cùm pro re grauiſſima, uniuerſaleque totius Eccleſię negocium reſpiciente, Summi Pontifices Indulgentias Populis Chriſtianis largiuntur, eas ſub hoc titulo extollunt, & amplificant; ut illas omninò conſequantur remiſſiones, quas uenientes ad Vrbem in Anno Sancto, pleniſſimè conſequuntur, quemadmodum S. D. N. Clemens Octauus in ſuo Iubilęo anni 1594. pro Regno Francię, & Vngarię conceſſit: eſt enim hęc Sacri Anni Indulgentia, tamquam prima in hoc genere Indulgentiarum, & tamquam cęterarum menſura, & exemplar. Hùc accedit, quòd ſi effectus aliquis eo dignior cenſetur, quo à cauſa digniori, ac ſuperiori immediatè procedit, (ſic enim aſſerunt Theologi, ea, quæ à ſolo Deo immediatè fiunt, cæteris pręſtantiora eſſe;) cùm à ſolo Papa, qui in Hierarchia Eccleſiaſtica ſupremum obtinet locum, hęc Anni Sancti remiſſio immediatè concedatur, relinquitur, ut & ipſa prę cunctis dignior, eminentior, & nobilior iure optimo exiſtat.

Nauar.

Iubilęus S. D. N. Clem. Papę Octaui, p̃ ſalute Gallię, & Vngariæ.

CAPVT LIII.

Quòd Dei miſericordia in Anno Sacro Iubilæi maximè eluceſcat.

QVod autem fructibus, & utilitatibus, prę alijs copioſior ſit; tùm ex Analogia, & proportione ad utilitates, quæ ex Hębraico Iubilęo emanabant; tùm etiam ex illis, quę ex merito Paſſionis Chriſti deſcendunt; (qui locus proprius eſt Chriſtiani Iubilęi,) demonſtrari poſſet: ſed hęc capita in tractatione propria de fructibus Iubilęi proſequenda ſunt. Nunc illud unum animaduerſione dignũ eſt, quòd Sacri Iubilęi Indulgentia inter cętera Dei opera poſteriorem locum non obtinet: Quicquid enim Deus operatur in nobis, (ut inquit D. Thomas in enarratione Pſalm. 35. in principio,) uel eſt opus Iuſtitię, uel ueritatis, uel miſericordiæ: & primum quidem altum eſt, ſecundum altius, tertium eſt altiſſimum; *Miſerationes enim eius*, ut legitur in Pſalmo 144. *ſuper omnia opera eius*, & quamuis in omnibus Dei operibus ſimul Iuſtitia, & miſericordia Diuina eluceat. Iuxtà illud Pſalm. 24. *Vniuerſa via Domini, miſericordia, & veritas.* Quem locum rectè explicat Anſelmus in Proſolog. ca. 11. & Caſſiodorus in Pſal. 100. explicans uerſiculum, *Miſericordiam, & Iudicium cantabo tibi Domine*; ad huius rei declarationem non incongruè inquit, *Poteſtas Domini ſemper aut miſeretur, aut iudicat; ſed neque miſericordia ipſius ſinè Iudicio, neque Iudicium ſinè miſericordia reperitur. Vtraque enim ſe mutua ſocietate coniungunt*; Attamen, ut docet D. Thom. prima parte quęſt. 21. art. 3. ad ſecundum. In omni opere Dei, miſericordia ſupereminet Iuſtitię. Immò, ut idem ait ibidem art. 4. Omne opus Iuſtitię Dei pręſuppponit opus Miſericordię, in quo fundetur; Quod quidem, ut rectè ibidem exponit Caietanus, propriè loquendo, in opere creationis locum non habet, in qua non niſi impropriè Diuina Miſericordia relucet; dum ad eſſe ex non eſſe, tamquàm ex quodam defectu, & miſeria, res transferuntur, ut etiam ibidem D. Thomas art. 4. ad quartum, quamuis in ea opus Iuſtitię ſimpliciter ſit inuenire, quatenus res creata ex æquo Idæę conditoris reſpondet. Intelligitur autem propoſitio illa de operibus Diuinæ Prouidentiæ, quę Deus ergà creaturam iam conditam exequitur.

D. Thom.

Indulgentia eſt pręcipuũ Dei opus circà nos, quia p̃tinet ad miſericordiã, &c.

Pſalm. 144.

Pſalm. 24.

Anſelm.

Caſſiod.

D. Thomas.

In omnibus Dei operibus elucet miſericordia.

Caietanus.

D. Thomas.

VERVM, duplex in Scripturis Dei Miſericordia reperitur, (unica quidem eſt in ſe Dei Miſericordia, cùm ab vna eius bonitate, & charitate procedat; ſed duplex dicitur in ordine ad eos, quorum Deus miſeretur.) Vna eſt, quę uel minima, uel

Diſtinctio diuinę miſericordię ex Sacris literis.

parua

paruà miſericordia dicitur, ſecundùm quam indifferenter, & uniuerſali ſua prouidentia confert Deus tàm bonis, quàm malis, etiam infidelibus, Hæreticis, cæteriſque reprobis abundantiam rerum temporalium, ideſt, frumenti, uini, olei, diuitiarum, honorum, dignitatum, ac deniq́ue omnium donorum terreſtrium. Sic Salomon hanc paruam miſericordiam ubertimè accepit: ſic Eſau ſecundam, ideſt, paruam benedictionem à Patre accipienti dictum fuit, *In pinguedine terra; & in rore Cæli deſuper erit Benedictio tua, uiues in gladio, & fratri tuo ſeruies, tempuſq́ ueniet, cùm excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis*: ſic etiam Pharao, & plerique alij in ueteri Teſtamento. De hac minima miſericordia loquitur Scriptura Eccleſiaſt. 18. *Miſericordia Domini ſuper omnem carnem*; & Matth. 5. *Qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*.

Eccl. 18.
Matt. 5.

Altera dicitur magna Miſericordia, quæ in remiſſione peccatorum, & in ſanctificatione, & iuſtificatione animæ per Dei gratiam, quæ hominem Dei amicum, hæredemq́ue Cœli facit, conſiſtit; de qua Dauid Pſalmo 50. petens remiſſionem ſuorum peccatorum dixit, *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam*. Et quamuis hominem iuſtum cùm gratia creare, ut accidit Adamo, & Angelis, ſit opus magnæ miſericordiæ Dei; tamen maioris miſericordiæ eſt impios iuſtificare, ut dixit D. Aug. tract. 71. in Io. tom. 9. & poſt illum D. Thomas 3. par. quæſt. 43. artic. 4. ad ſecundum, licèt ſint æqualis potentiæ. Hinc dicimus, dona gratiæ gratis datę ad miſericordiam primi generis ſpectare; Dona uerò gratiæ gratum facientis, & remiſſionem peccatorum ad magnam Dei miſericordiam pertinere: Hæc autem magna Dei miſericordia duplex quoque eſt. Vna magna quidem; per quam culpa peccatorum remittitur, pœna uerò pro peccatis debita nequaquàm ex toto condonatur. Altera maior dicenda eſt, per quam remiſſa culpa, tota quoque pœna deletur; quod non ſolùm in Sacramento Baptiſmi præſtatur, per quod omnis culpa, & omnis pœna tollitur; uerùm etiam per maximam Sacri Iubilęi Indulgentiam, quæ cùm remiſſam iam culpam per Sacramentum præſupponat, totius pœnæ pro peccatis debitæ ampliſſimam remiſſionem confert; Quocircà aliqui non incongruè dicunt, hominem per illam reſtitui ad Innocentiam Baptiſmalem: quod dictum ſuo loco explicabimus.

Pſal. 50.
Iuſtificatio impij eſt maximum opus miſericordiæ Dei.
D. Auguſt.
D. Thomas.
Magna miſericordia Dei duplex.

Notandvm autem eſt, (ut hoc etiam in gratiam Doctrinę dicamus) eamdem Dei operationem, qua Bonum aliquod creaturæ communicat, ob diuerſos reſpectus rationem diuerſorum actuum habere; Dicitur enim actus amoris, prout per illam abſolutè Deus bonum communicat; Dicitur actus iuſtitiæ, quatenus bonum ità communicat, ut communicare decreuit: Deindè & liberalitatis actus appellatur, quatenus in bono communicando ſolius creaturæ commodum reſpicit. Poſtremò & miſericordiæ actus nuncupatur, prout ex creatura aliquam miſeriam, & defectum per illud bonum repellit; ut ex eodem D. Thoma loco citato, artic. 3. colligitur; & quò maior miſeria propulſatur, eò maior miſericordia appellanda eſt. Cùm itaque per Indulgentiam Anni Sancti Homo ab omni miſeria, & debito pœnarum eruatur, atque ab omni onere peccati ſubleuetur; efficitur, ut meritò huiuſmodi Indulgentia inter magna opera Dei, hoc eſt, inter maximas eius miſericordias rectè ſit enumeranda. Illud autem hoc haud inefficaciter confirmat, quòd communi omnium opinione, atq́ue uniuerſaliſſima cunctorum Catholicorum animi conceptione intelligitur, Iubilæi tempore certiùs, efficacius, pleniùs, digniùs, utiliùs, atq́ue etiam fructuoſiùs ex largiſſima Dei miſericordia, culparum, & pœnarum Indulgentias acquiri. Expectant omnes annum illum, tamquam acceptabile tempus, in quo ſuorum debitorum remiſſionem accipiant, in quo ferreis compedibus uitiorum confractis ex captiuitate ſoluantur, ex ſeruitute liberentur, & in filiorum libertatem recipiantur. Tempus illud, ut dies ſalutis, & tempus miſericordiæ, & tempus miſerendi præſtolantur: currunt omnes ex quatuor mundi partibus (ò mirum) ad Romanam Vrbem, tamquam ad centrum totius Orbis, tamquam ad caput totius Reipublicæ Chriſtianæ; deniq́ue tamquam ad ſingulariſſimam ciuitatem refugij, in qua ſeſe recipientes tuti, & tecti ab

Vnica Dei operatio habere poteſt rationem diuerſorum actuũ.
D. Thomas.
Iubilæi excellentia in Anno Sancto ex communi cõſenſu, & religione omniũ populorum.

ϐti ab omni inimicorum iniuria, & perſecutione perſiſtant; uniuerſi eò lætantes properant, ut ampliſſimæ Ærarij ſpiritualis diſtributioni interſint, quò omni egeſtate propulſata, cæleſtium diuitiarum copia ditentur; feſtinanter pergunt, & itineris labores, uel pericula contemnentes, ad beneficium remiſſionis, tamquam ad brauium acquirendum, quantociùs eò peruenire ſecum ipſi certant. Cuncti, & magni, & parui, & Reges; & ſubditi, & iuuenes, ac Senes; Immò & Seniores utriuſque ſexus illuc lętantes properant, ut uenias peccatorum recipiant: commorantur in Vrbe lætiores, dum ſuauiſſimum odorem vineę Domini ſentientes, dulciſſimos, ſaluberrimoſque fructus eius deguſtant: lętiſſimi deinde recedunt, cùm maxima exultatione reportantes manipulos ſuos ſpiritualium gratiarum fructibus refertos: Annunciant hi cęteris, qui, uel ętate, uel infirmitate, uel alia iuſta cauſa impediti non acceſſerunt, Romanę Vrbis fidem, Charitatem, & deuotionem, Baſilicarum Petri, & Pauli magnificentiam, amplitudinem, ſanctitatem; Romani Pontificis maieſtatem, & gloriam, Populorum, ad inſtar fluminis perenniter fluentis, curſum ad dictas Baſilicas enarrant. Romanas in diuinis celebrandis ceremonias, grauitatem, & religioſam pietatem prædicant; Xenodochiorum, & Hoſpitalium, in quibus, vel Infirmi, vel Peregrini ſummo charitatis ſtudio recipiuntur, diligentiſſimam curam ſignificant: Narrant Illuſtriſſimos Cardinales, Principes, & Duces pauperibus peregrinis pedes lauare, Marchiones, & alios nobiliſſimos viros menſis peregrinorum inſeruire, propria manu potum, & edulia miniſtrare, pecuniam Dei amore egenis, Iudis, Græcis, Aphris prębere, venientibuſque peregrinis ad illos benignè ſuſcipiẽdos per multos paſſus extrà Vrbem obuiam procedere; verè dicunt, fidem Romanam annunciãdam eſſe in vniuerſo mundo. Hæc, & ſimilia teſtificantes, iuniores inflammantur, vt ad futurum Iubilæum, vita comite, ſe accingant, cæteri verò cùm illis in Domino de tanto beneficio gratulantur. Ità Iacobus Cardinalis Sancti Georgij in Velabro, qui fuit Nepos Bonifacij Octaui, in libello de centeſimo, ſeu Iubilæo, quem ipſe conſcripſit, atque à me, dum eſſem in Eccleſia Vaticana Canonicus, atque Bibliothecarius, inter multos antiquiſſimos libros eiuſdem Bibliothecæ reperto. Hic inter cætera, quæ ibi ſcripſit annotatione digna, illud vnum eſt, quòd inter plurimos, qui eo trecenteſimo milleſimo anno Romam ex diuerſis, & longinquis Orbis partibus confluxerunt ad Sacram B. Petri Baſilicam viſitandam, hominem antiquiſſimæ ætatis fuiſſe, qui dicebat patrem ſuum ſuperiore centeſimo Romam veniſſe ad conſequendas Indulgentias, à quo etiam admonitus fuit, vt ſi ad venturi centeſimi tempus perueniret, omninò Romam accederet: ex hoc libello Iacobi Cardinalis multa à me excerpta fuere, quæ ad antiquitatem, & inſtitutionem Sacri Iubilæi faciunt; eaque primus ante omnes alios in publicis prælectionibus, quas in eadem Baſilica Vaticana, vt eius Theologus, habebam, communicato conſilio cùm fe. re. Gregorio Papa Decimotertio tũc ſedente, vniuerſo populo explicaui, & enarraui; atque deindè cùm multis Doctis Viris, qui Iubilęi tractationem texebant, vt Nauarro, ac alijs communicaui. Nec enim tunc mihi animus erat eas prælectiones typis mandare; Verùm nunc (Deo diſponente) mutato conſilio, & multis additis, in lucem hunc tractatum de Sacro Iubilæo, vt ſupra dictum eſt, in Populorum vtilitatem edere volui. Atque huic ſecundo libro finis impoſitus ſit. Nunc ad tertium, vbi Antiquitatem, & Inſtitutionem Sacri Iubilæi exactiùs inueſtigabimus, tranſeamus.

Sũma humilitas, & charitas Principum Chriſtianorũ in Vrbe, tempore Iubilæi.

Iacobi Cardinalis Sancti Georgij liber ab Auctore inuentus.

RVTILII BENZONII, ROMANI, EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

De Origine, Antiquitate, & Inſtitutione Sacri Iubilæi.

LIBER TERTIVS.

Quid Auctor intendat in hoc libro explicare.

IN Hoc tertio libro nobis in animo eſt, Originem, Antiquitatem, & Inſtitutionem Sancti Iubilæi aperire, ne is, vel nouum quoddã in Eccleſia Dei adinuentum exiſtimetur, vel non legitima auctoritate inſtitutus, & promulgatus: etenim ad confirmandã, & perſuadenda ea, quæ ad fidem, vel mores Chriſtianæ Religionis ſpectant, maximè vetuſtas, & antiqua inſtitutio cõfert, contrà quam inſurgere, & diſputare inſolentiſſimam inſaniam eſſe, affirmauit egregiè D. Auguſtinus in Epiſtola 118. ad Ianuarium. Eſt autem hoc in loco animaduertendum cùm Turrecremata, ſuper dictum §. Item in Leuitico, aliud eſſe loqui de Iubilæo, aliud de Indulgentijs Iubilęi. Hęc enim duo longè diuerſa ſunt, quę pleriſque ſcriptorum non diſtinguentes, valdè confuſè in hac diſputatione procedunt, & pręcipuè ea in parte, quę eſt de exordio, & inſtitutione Iubilęi. Nobis igitur in hoc tertio libro primùm de Antiquitate, & Origine Iubilęi agendum erit; deinde nonnulla pręter illa, quę ſuperiùs dicta ſunt, de inſtitutione Indulgentiarum, quę in Anno Sancto conceduntur, atque etiam de loco, cauſiſque pręfatę inſtitutionis dicemus.

Argumenta ex antiquitate quantum valeant ex D. Auguſtino.

Sexdecim igitur Capitibus, & membris principalibus vniuerſam huius Tertij Libri materiam complectemur.

Cap. I. *An tempore legis naturæ habuerit initium Iubilæus.*

Cap. II. *An iuſſus fuerit tempore legis Moyſis.*

Cap. III. *Quomodo Iubilæus adimpletus fuerit tempore legis gratiæ.*

Cap. IIII. *Quâ de cauſa fuerit Indulgentia Anni Sancti inſtituta.*

Cap. V. *Quando Indulgentia Iubilæi primùm inſtituta ſit.*

Cap. VI. *Quoties Iubilæi tempus fuerit permutatum.*

Cap. VII. *Cur Romæ, & non alibi celebritas Anni Sancti habeatur.*

Cap. VIII. *Reſpondetur obiectionibus hæreticorum, contra Romanæ Vrbis dignitatem prolatis.*

Cap. IX. *An ſolemnitas Sacri Iubilæi uſq; ad Mundi finem Romæ ſit perſeueratura.*

Cap. X. *Quo die Anni Sancti, & qua hora illius Diei initium, vel finem habeat Iubilæus.*

Cap. XI. *An Indulgentia Iubilæi in Anno Sancto alijs Orbis partibus communicetur.*

Cap. XII.

Cap. XII. *De Primatu, & excellentia Baſilicarum, quæ in Sacro Anno Romæ viſitandæ ſunt.*
Cap. XIII. *De Baſilica Beati Petri in Vaticano.*
Cap. XIIII. *De Baſilica Sancti Pauli Apoſtoli in via Oſtienſi.*
Cap. XV. *De Baſilica Saluatoris, ſeu Sancti Iohannis apud Lateranum.*
Cap. XVI. *De Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris.*

CAPVT PRIMVM.

An tempore legis naturæ habuerit initium Iubilæus.

Opinio Euſebij de Iubilęis ab Adam vſq; ad Abraham. Michael Somnius.

EVSEBIVS Cęſarienſis in ſuis Chronicis ex Hæbræorum traditione ſcribit, ab ipſo mundi exordio Iubilæum cœpiſſe, & ab Adam vſque ad natiuitatem Abrahę triginta nouem Iubilęos defluxiſſe, & conſequenter Moyſem natum fuiſſe ferè in fine quadrageſimi octaui Iubilęi. In editione Pariſina Euſebij apud Michaelem Somniū ſignatur, quod à natiuitate Abrahę uſque ad Adam quinquageſimus Iubilęus computatur; Vndè initium quinquageſimi primi Iubilęi legitur ibi, in columna ſeptima, ante ſeptuageſimum quintum Annum Abrahę; ſed ſinè ulla dubitatione locus iſte mendoſus eſt, nec ullo pacto quinquageſimus Iubilæus ab Adam uſque ad Abraham effluxit, ut ibi impreſſum eſt; ab exordio enim mundi uſque ad Diluuium Anni mille ſexcenti quinquaginta ſex numerantur, ut ex cap. 5. libri Geneſ. colligit Pererius tomo 2. in Geneſim, lib. 14. in 5. diſput. à Diluuio verò vſque ad ortum Abrahę, ſecundum Hębraicam, & latinam computationem, ducenti nonaginta duo Anni excurrerunt, ut ex cap. 11. libri Geneſ. colligitur, ut idem Pererius, eodem tomo, lib. 16. 12. diſput. Quę temporum ſpacia ſi per quinquaginta, id eſt, per tempus unius Iubilæi deducantur, reddunt ab Adam vſque ad ortum Abrahę Iubilęos triginta nouem, demptis duobus annis; mille enim, & ſexcenti quinquaginta ſex Anni faciunt Iubilęos triginta tres, & ſex annos, qui effluxerunt uſque ad Diluuium; Anni verò ducenti, & nonaginta duo faciunt quinque Iubilęos, & Annos quadraginta duos; Vndè omnibus ſimul computatis, ad triginta octo Iubilęos, & annos quadraginta, & octo aſcendunt: Ex quo fit manifeſtus error ille impreſſorum Euſebij in Iubilęis Abrahæ; quinimmò à computatione Annorum, quos ipſemet Euſebius eodem in loco apponit, uſque ad natiuitatem Abrahę, uidelicet 1950. conuincitur, mendosè quinquageſimum ſcribi Iubilęum, cùm anni illi trigeſimum nonum Iubilęum compleant.

Locus Euſebij mēdoſus. Gen. 5. Pererius. Gen. 11.

Quādo ortus fuerit Abraham ex Io. Lucido.

IOANNES Lucidus exiſtimat, Abraham ortum fuiſſe anno Mundi milleſimo nongenteſimo quadrageſimo nono; qui numerus per quinquaginta deductus reddit triginta nouem Iubilęos, anno uno dempto; quod, ut patet, in idem incidit. Non me latet, apud Ioſephum locum quemdam reperiri, in lib. 1. Antiquitatum, cap. 3. in quo aſſerit, ab Adam vſque ad Diluuium, annos bis mille ſexcentos quinquaginta ſex numerandos eſſe; ſed hunc quoque locum mendoſum eſſe doctè Pererius oſtendit, tomo 1. in Geneſ. lib. 7. diſput. De Chronologia ab Adam uſque ad Diluuium, quęſt. 2. Qui plura de hac temporum ſerie cognoſcere deſiderat, eum ad prefatam Pererij diſputationem remittimus.

Locus Ioſephi mendoſus ex Pererio.

Iubilæi apud Hæbræos, Olympiades apud Grēcos, luſtra apud latinos, &c. Euſeb. Initium Olympiadum.

EST autem hoc loco obſeruandum, id Hæbræis fuiſſe Iubilæum, quod Græcis Olympias, & Latinis luſtrum. Quemadmodum enim illi Olympiadibus, hoc eſt, ſpacio quatuor annorum, & hi luſtris, hoc eſt, quinquennio temporis conuerſionē notabant; ſic Hæbræi Iubilæo, ſpacio ſcilicèt quinquaginta annorum, tempora ab Orbe condito metiebantur, vt ex eodem Euſebio in Chronicis dignoſcitur; Quod vt verum ſit, (id enim paulò poſt exactius examinabimus) illud nunc pro certo habeatur; Olympiadum vſum in temporum computatione, vigintiquatuor

annis antè Romam conditam inductum fuiſſe, anno ſcilicèt octauo Regni Acaz Regis Iuda, vt optimè Pererius, diligens Chronologiſta, probat in Commentarijs ſuper Danielem, lib. 11. quæſt. 1. & 2. quamuis Aphricanus, & Euſebius, qui illum refert in ſuo Chronico, Primam Olympiadem dicant fuiſſe temporibus Ioathan Regis Hæbrçorum, vel (ut alij volunt) quadrageſimo anno Regis Oziç, ſeu Azariæ; fuit ſanè prima Olympias peracta, ſecundum Sacram Chronologiam, ducentis octuaginta tribus annis poſt inceptam Templi Salomonis ędificationē, ut ex 3. & 4. Regum uidere eſt; Fuit item Olympias prima ſeptingentis tribus annis poſt egreſſum Hæbrçorum ex Ægypto; Poſt excidium uerò Troię, (ut de prophana Chronologia aliquid attingamus) uſque ad primam Olympiadem, quadringenti quinque, uel ſex anni, iuxtà Euſebium decurrerunt. Quod etiam Iulius Aphricanus, & D. Cyrillus primo libro contrà Iulianum ſenſerunt; quamuis idē Euſebius in decimo libro de Prçparatione Euangelica, cap. 3. aliter uideatur aſſerere, ſcilicèt, annos quadringentos quinquaginta ex Grçcis Hiſtorijs decurriſſe.

Pererius. Aphrican. Euſeb. 3. & 4. Reg. Iulius Aphricanus. D. Cyrillus. Euſebius.

Evtropivs lib. 1. in principio, trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo anno ponit Olympiades inchoaſſe, poſt Troiam captam.

Eutrop.

Velleivs Paterculus lib. 1. ſuç hiſtoriç, ab excidio Troię uſque ad primam Olympiadē, annos quadringentos, & quindecim interiectos putat; ſed rectiùs cùm Pçrerio ſentiendum eſt, poſt euerſum Ilium, uſque ad primam Olympiadem, quadringenteſimum ſeptimum, uel quadringenteſimum octauum annū interceſſiſſe; quod etiam affirmauit Diodorus Siculus, initio primi libri, & antè illum Appollodorus. Idem ſentit Clemens Alexandrinus primo libro Stromatum, Solinus capite 2. & alij, quos Pererius refert libro 4. de communibus omnium rerum naturalium principijs.

Velleius. Pererius. Diodorus Siculus. Apollodorus. Clem. Alex. Solinus. Pererius.

Huic opinioni ſubſcripſit Eraſmus Reinholdus in ſuis Tabulis Pruthenicis, pręcepto 3. de Epochis, ſic dicens. *Agona Olympicum ante bellum Troianum, Hercules in honorem Atavi Materni Pelopis primus edidit; Quem diu intermiſſum ab excidio Troiæ, anno 408. Iphitus tandem inſtaurauit, deficientibus iam & Regibus Lacedæmoniorum, & Regno Corinthiorum*, ut & in Funcij Chronologia eruditè adnotatum eſt.

Eraſmus Rheinoldus. Funcius.

Prçtereà, initium Olympiadum, (ſi ad Romam conditam referatur) exordium Vrbis annis uigintiquatuor prçceſſiſſe, oſtendit diligenter idem Pererius, ex Dionyſio Halicarnaſſçò, Solino cap. 2. Strabone, Marco Varrone, Meſſalla, & alijs grauiſſimis Scriptoribus affirmantibus, exordium Vrbis Romç in principio ſeptimç Olympiadis collocandum eſſe. A prima uerò Olympiade uſque ad ortū Chriſti Domini Saluatoris Noſtri, anni ſeptingenti ſeptuaginta ſex lapſi fuere; Chriſtus enim Dominus natus eſt in tertio anno Olympiadis centeſimę nonageſimę quartę, ut Euſebius in ſuis Chronicis, & Beda de ſex ętatibus mundi tradunt; Vel in quarto anno eiuſdem Olympiadis, ut magìs Pererio placet, ſuper Danielem, lib. 11. quęſt. 5. licèt Cardinalis Baronius, in ſuo Apparatu, non ſine bona ratione exiſtimet, annò ſecundo eiuſdem Olympiadis natum fuiſſe, locumque Euſebij uitiò Librariorum mendoſum eſſe affirmet. Qua in re inſigniter errauit Cyrillus Hieroſolymitanus, Cathecheſi 12. ſcribens, ortum Chriſti fuiſſe in anno quarto Olympiadis octogeſimæ ſextæ: conſequenter enim ex hoc ſequeretur, Chriſtum baptizatum fuiſſe in anno ſexageſimo ætatis ſuæ, cum baptizatus fuerit annò primo Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, hoc eſt, ànno decimoquinto Tiberij Cæſaris, vt inquit Euſebius lib. 10. de Præparat. Euangel. & in Chronicis.

Vrbis Romæ exordium. Pererius. Halicarnaſſ. Solin. Strabo. Marc. Varro. Meſſalla. Ortus Ieſu Chriſti Domini Noſtri. Euſeb. Beda. Pererius. Cardinalis Baronius. Cyril. Hieroſ. Euſeb.

Ex dictis ſequitur, vſum Olympiadum longè poſteriorem eſſe Iubilęo à Moyſe promulgato, & ab Hæbrçis obſeruato: In anno enim primo Ducatus Moyſis, qui fuit annus cēteſimus quadrageſimus quartus, vel iuxtà Pererium tom. 3. in Gen. capite 15. numero 71. centeſimus vigeſimus ſecundus ſeruitutis Aegyptiacæ, & annus ætatis ſuæ octuageſimus, vt Exodi ſeptimo, promulgata eſt lex Iubilæi, vt habetur Exodi 23. & fuit annus mundi ſecundum ſupputationem Septuaginta, & Græcorum 3690. iuxtà verò ſupputationem Hæbraicam, 2453. ſecundùm Reinholdum, vel 2454. Iuxtà Ioannem Lucidum. Annus autem, in quo cęperunt

Olympiades poſteriores ſunt Iubilæo Hæbrçorum. Pererius. Exod. 7. & 23. Pererius. Rheinoldus. Lucidus.

enumerati Olympiades,fuit,(vt dictum eſt)quadringẽteſimus ſeptimus,vel octa
uus annus ab euerſione Troiæ, & fuit annus, (ut diximus ex mente Pererij, qui
primus,& nouus eſt Auctor huius aſſertionis) octauus Regni Acaz ex Tribu Iu-
da;ſecundùm alios uerò,annus quadrageſimus Regis Oziæ,ſiuè Azariæ,& Mũ-
di ſecundùm Græcam ſupputationem 4423.ſecundùm autem Hæbraicam, & La
tinam,ut eſt apud Lucidum 3186. Vel,ut ſapientiùs,& diligentiùs Peterius colle-
git 3246.computatis annis Cainan,cuius generationem licèt in Hæbræo non le-
Luc.3. gamus;cogimur tamen illam recipere, quoniam ab Euangeliſta Luca,cap.3.rece
pta eſt.

Qvare Iubilęi conſtitutio, & uſus ſuperat Olympiadum initium annis 733.
uel certè non minus annis 728.Moyſes enim ante Bellum Troianum quadringẽ-
tis annis fuit,quo etiam tempore Cecrops primus Athenienſium Rex uixit,iuxtà
Euſeb. Euſebium in Chronicis; Olympiades uerò poſt Troiam captam annis quadrin-
gentis & octo; ſeù quadringentis & quinquaginta ſecundùm Græcos initium ha-
buerunt. Vndè ponendum eſt, per ſeptingentos, & uiginti octo annos, & fortè
plures,ſecundùm aliorum ſupputationes,Iubilęum Olympiades anteceſſiſſe.

Clem. Alex. De Antiqnitate Moyſis ſuprà Olympiades ſcribunt, Clemens Alexandrinus
Iuſtin. libro primo ſtromatum,Iuſtinus in admonitorio,Euſebius de Pręparatione Euan
Euſeb. Theodoret. gelica lib.10.cap.3. Theodoretus de Principijs libro ſecundo.

Iubilæus non ab exordio mundi,ſed tẽpore Moſis initium ſumpſit. Leuit.25. Qvod autem Euſebius innuit in principio ſui Chronici, Iubilęum cùm Mũdo
incępiſſe,falſum eſt, ſi propriè de Iubilęo loquamur; cum hic à Moyſe ortum ſuũ
habuerit,ut notum eſt;etenim clara eſt eius inſtitutio, Leuit. 25.Quãdo filij Iſrael
terram promiſſam ab Ægypto deducti ingreſſi fuerunt; Quod ſeptingentis ſexa-
ginta tribus annis ante primam Olympiadem fuiſſe docuimus;illud tamen perfa
cilè concedi poteſt, aliquo pacto in lętitijs, & Beneficijs à Deo ſuſceptis ſemper
quinquageſimum Annum celeberrimum fuiſſe, ut ex lectione ſacrarum ſcriptura
rum cognoſcerę non erit difficile.

Cõfuſio Chronologiæ apud Græcos antè Olympiades. ex Iulio Aphricano apud Euſebiũ. Euſeb. Marc. Varro. apud Cenſorinum Iuſtinus. Non abs re erit hic ex Iulio Aphricano,lib.3.Annalium, ut refert Euſebius in
Chronicis,& in 10.lib.de Pręparat. Euangel.cap.ultimo, adnotare, nil certi, nil
explorati reperiri in Gręcis Hiſtorijs antè Olympiades; ſed eſſe omnia confuſis
ſcripta temporibus;poſt Olympiades uerò, quoniam quadriennio diligentiſſimè
omnia notabantur, nullam penitùs confuſionem temporum apparere; Vndè ut
Euſebius dicit,ab eo tempore hiſtoria Græca vera creditur. Ante Olympiades e-
nim Scriptores ad libitum diuerſas protulere ſententias, & Marcus Varro apud
Cenſorinum,totum illud tempus,quòd Olympiades anteceſſit, fabuloſum appel
lauit.Idem Iuſtinus Martyr in exhortatorio ſermone ad Gentes ſcribit; Hinc eſt,
quod inter omnes temporum ſcribendi, & ſupputandi rationes ea,quę per Olym
piades conficitur,cęteris omnibus pręſtat,utpotè quę ſola exacta, expedita, fide-
que digna cenſeatur. Quocircà à Pręſtantiſſimis Scriptoribus maximè probata,
Polybius. & obſeruata fuit,ut à Polybio,à Diodoro Siculo,à Dionyſio Halicarnaſſęo; Pli-
Diodo. Sicul. nio,Solino,à Ioſepho Iudęo,à Clemente Alexandrino,à Iulio Aphricano,ab Eu
Halicarnaſſ. ſebio,D. Hieronymo,D. Cyrillo,& ab alijs.

Plinius. Solin. Ioſephus. Clem. Alex. Aphrican. Hieron. Cyrill. Beatvs Theodoretus Cyri,in principio Commentariorum,ſuper Ezechielem
Prophetam carpit Hębręos, tamquam Annalia temporum non accuratè legen-
tes,quibus annum trigeſimum,quo cępit Ezechiel uaticinari,uiſum eſt,eſſe annũ
trigeſimum Iubilęi,& eſſe tempus Prophetarum. Etenim Hębręi ex diuerſis prin
cipijs Chronologiam ſuam ordientes,perquàm uariam,& multiplicem illam red
Hæbręorum incuria in ſuis Chronologijs ex Theodoreto Cyri. diderunt. Solent enim Hębręi ſupputare tempora,uel à creatione mũdi,uel à Di-
luuio,uel ab egreſſione filiorum Iſrael ex Ægypto, uel ab ędificatione primi Tem
pli Salomonis,uel à ſolutione captiuitatis Babylonicę, & reditu in patriã, uel ab
inſtauratione ſecundi Templi,aut Vrbis refectione,uel per annos Regum, à qui-
bus regebantur, ut uidere eſt de annis Regni Gręcorũ ſępiùs in libris Machabęo-
rum,uel per hębdomadas Danielis,uel deniq; per Iubilęos,ideſt, ſpacia quinqua-
ginta annorum; ſed in omnibus his uijs Rabini ex Talmudicis ſcriptis, (quos ſe-
quuntur

quuntur nonnulli Chriſtiani Scriptores, ut Nicolaus de Lyra cap. 1. libri Eſdrę, & Eſther, & cap. 9. ſuper Danielem) multa mendoſa, pugnãtia, & falſa immiſcuere, ut eſt illud, Balthaſſarem ultimum Regem Chaldæorum tribus dumtaxat annis regnaſſe; & ſimiliter Cyrum primum Perſarum Regem: Monarchiam quoque Perſarum quatuor Reges tantùm vſque ad Alexandrum Magnum habuiſſe, Cyrum uidelicet, Cambyſem, Aſſuerum, & Darium. Quæ omnia profectò ineptiſſima, & abſurdiſſima ſunt, ut doctè proſequitur Pererius lib. 11. in Danielem, quæſt. 1. Adde, quòd Hæbræi omnem hiſtoriam gentilium, tamquàm externam, paruipendunt. Quocircà Ioſephus vir quidem Hæbræus, ſed omni, & Græcorum, & Latinorum Scriptorum cognitione, ac ſcientia præditus, diſſimilem uiam ab alijs Hæbræis ſequutus, ab huiuſmodi Hæbręorum inſcitijs, nugiſque ſemotiſſimus, ſolidiorem hiſtoriam, & Chronologiam contexuit.

Lyranus.
Mendacia Rabinorum.
Pererius.
Ioſephus laudatur.

ROMANI quoque Chronologiam texentes, triplicem illam fecerunt; Vnam per annos à Roma condita, Alteram per annuos Conſules, tertiam per annos illius Principis, qui tunc Romano Imperio præſidebat; ſic dicitur, anno poſt Vrbem conditam ſeptingenteſimo quinquageſimoſecundo Chriſtum natum eſſe, Octauiano Auguſto Imperante, Conſulibus Sabina, & Ruffino, ſecundùm Seuerum Sulpitium in lib. 2. Sacræ hiſtoriæ; vel Cneo Lentulo, & Marco Meſſalla, ſecundùm Caſſiodorum in Chronico, quem ſequitur Marianus Scotus, & Cuſpinianus in Commentarijs ad Caſſiodorum; uel uerius, ſecundùm Epiphanium in Panar. hæreſi 51. & Honuphrium in Faſtis Romanorum, & in Chronico Eccleſiaſtico, etſi Cardinali Baronio potius Caſſiodori ſententia arrideat; Auguſto tertium decimum, & Syluano Conſulibus. Græca verò Chronologia in Olympiadum obſeruatione omninò uerſatur.

Triplex Chronologia Romanorum.
Quãdo Chriſtus Dominus natus ſit.
Seuerus Sulpitius.
Caſſiodorus.
Marian. Scot.
Cuſpinianus.
Epiphan.
Honuphrius.
Baronius.

OLYMPIAS autem nomen à ludis Olympicis accepit, qui in honorem Iouis Olympij apud Piſam, & Elidem Græciæ oppida, uniuerſo totius Peloponnenſis Regionis concurſu, maxima pompa, quinto quoque anno celebrabantur, gymnicaque certamina Ioui dicata appellabantur. Quæ ità quinto quoque anno fieri ſolebant, quòd quadriennio exacto, ideſt, quinquaginta menſium ſpacio, in altero proximè ſubſequenti quinto anno altera Olympias inchoaret. Helij enim, uictore in gymnico certamine primo exiſtẽte Chorœbo Helinenſi, quatuor annis in medio interiectis, huiuſmodi quinquennale certamen peragunt. Quocircà Iphitus filius Praxonidis, ſiuè Hæmonis, Primus inſtituit Olympiadem ex quatuor annis, ad ordinem temporum dirigendum. Ità Iſidorus in lib. 5. Ethymologiarum, Euſebius in Chronicis, & Ioannes Lucidus in libello de uero Die Paſſionis Chriſti, cap. 7. Reinholdus ubi ſuprà, hæc ſcribit, *Cum Annus Græcorum eſſet ad lunares menſes propriè accomodatus, ut perpetuò ſibi conſtaret, & aliqua ex parte ſimul ad ſolis annuum curſum conueniret, deſiderabat non modo menſem, uerùm etiam Diem Embolimon, ſeu Intercalarem. Quarè ſapiens Antiquitas cùm uideret, omiſſione diei intercalaris turbari totam anni, & Nouiluniorum rationem, inſtituit hoc quadruplex certamen quarto quoq; anno, ſub exitum cuiuſq; Olympiadis celebrandum, ut memoriam Diei Intercalaris ex quatuor quadrantibus collecti, tam inſigni ſpectaculo uniuerſa Græcia poſteritas uelut poſitam haberet antè oculos.* Sic Reinholdus.

Olympias vnde dicta, & inſtituta fuerit.
Iſidorus.
Euſeb.
Lucidus.
Reinholdus.

Et licèt ludi Olympici antiquiores fuerint, quàm ipſæ Olympiades, cùm illi antè bellum Troianum conſueuerint celebrari; tamen poſt excidium Troiæ elapſis ad minus quadringentis & ſeptem annis, uſum Olympiadum inchoaſſe conſtat. Nec Græci ſolùm, ſed etiam Barbari, externique Populi quicumque huiuſmodi ſpacio quadriennali, ob illorum ludorum famam ad omnes gentes peruagatam, tamquam fixo, conſtanti, ac certiſſimo, in temporis menſuram, & annorum ſupputationẽ utebantur: Quocircà ſolidi Chronologiſtæ meritò per Olympiades, temporum diſtinctiones adnotarunt, ut Diogenes Laertius, Plinius, Pauſanias, & alij, quos ſuprà citauimus. Et quoniam hæc ratio Chronologiæ, quę ex obſeruatione Olympiadum petitur, ſolidiſſima, & certiſſima eſt, ut diximus; idcircò etiam ad Eccleſiaſticas quæſtiones enodandas quàm plurimùm conducit, ut

Chronologia Olympiadũ optima, & certiſſima.

D. Auguſt. Cenſorinus. dixit D. Auguſtinus libro 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. Cenſorinus de die Natali, cap. 14. anno Chriſti octuageſimo octauo, Domitiano Auguſto duodecimùm Imperante, refert, eiuſdem Imperatoris iuſſu ſancitum eſſe, ut deinceps anni enumerarentur per Agones Capitolinos. Vnuſquiſque autem Agon inſtar *Clem. Alex. Sueton. Baron.* Olympiadum quatuor annos continebat. Lege Clementem Alexandrinum lib. 1. ſtromatum, & Suetonium in Domitiano, ca. 4. Sed hęc obiter ſint adnotata ex Cardinali Baronio, anno Chriſti 88. Quæ omnia præcipuè circà Euſebij opinionem quoad initium Iubilæi dicta ſint. Audiendi nunc ſunt alij, qui primariam Iubilæi Originem diuerſimodè in tempore legis naturæ conſtituunt.

Opinio Pauliani de initio Iubilęi. PAVLIANVS in priori libro de Iubilæo, cap. 2. cenſuit, Iubilæum ortum quidem cùm mundo habuiſſe; ſed in Die ſeptimo, in quo Dominus Deus ab operibus requieuit, exordium, & initium ſumpſiſſe. Hic enim erat dies ſanctificationis, dies Sabbathi, & quietis; Deinde tempore Noè, quo egreſſus ex arca, erecto altari, Domino ſacrificauit, innouationem habuiſſe.

Opinio Pientini. ANGELVS Pientinus lib. 3. de Iubilæo, cap. 3. nu. 1. ſcribit, Iubilæum in ueteri Paradiſo in ſtatu innocentiæ quodammodo cœpiſſe. *Cùm enim*, inquit, *Deus adhuc non dixiſſet Adæ, in ſudore uultus tui ueſceris pane tuo, Protoparentes noſtri dulci fruebantur quiete, nec ullo, aut debiti onere, aut ſeruitutis iugo premebantur, & terra abſq; colonis, (quòd plenum à Deo ſupereminentis benedictionis robur imbibiſſet) ſponte ſua uberes producebat fruges.*

Opinio Montigiani, Geneſ. 9. COSMAS Montigianus, in tract. de Iubilæo, cap. 3. & alij docuerunt, Iubilæum Originem ducere in lege naturæ, tempore Noè. Cùm enim Dominus Geneſis 9. in quinquageſimo anno poſt Diluuium, ut communiter Doctores interpretantur, Pactum reconciliationis cùm Noè, & filijs eius, ac cùm omni denique eius poſteritate ſtatuiſſet; quid aliud quàm Iubilæi, & remiſſionis initia, & prima fundamenta fecit? *Statuam*, inquit, *pactum meum uobiſcum, & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis Diluuij, neq; erit deinceps Diluuium diſſipans terram.* Addunt deindè, ſignum huius fœderis, ſeu Iubilæi Arcum Dei in nubibus Cœli fuiſſe, de quo ibidem dicitur, *Arcum meum ponam in nubibus Cœli, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram, cumq; obduxero nubibus Cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei uobiſcum, & cum omni anima uiuente, quæ carnem uegetat, & non erunt ultrà aquæ Diluuij ad delendam uniuerſam carnem; eritq; arcus meus in nubibus, & uidebo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum, & omnem animam uiuentem uniuerſæ carnis, quæ eſt ſuper terram. Dixitq; Deus ad Noè, Hoc eſt ſignum fœderis, quod conſtitui inter me, & omnem carnem ſuper terram.* Arcum autem Dei Chriſtum, qui uerè eſt propitiatio, & remiſſio peccatorum, in Cruce *Origen. Ambro. Hieron. Gregor. Beda. Ruper.* extenſum ſignificare, vulgatum eſt apud plures Patres. Ità Origenes ſuper Pſal. 36. homil. 3. Ambroſius libro de Noè, & arca, cap. 17. D. Hieronymus ſuper cap. 1. Ezechielis, D. Gregorius in Ezechielem, homil. 8. Beda 9. ſuper Geneſim, & deniquè Rupertus, qui eumdem locum explanans, cenſet, hunc Iridem, ſeu arcum ſecundùm ſenſum literalem Chriſtum ſignificare, qui fuit uerum fœdus, quod Deus in lege Euangelica fecit cùm fidelibus in Chriſtum credentibus, quibus promittit ueram pacem, & remiſſionem peccatorum.

Addunt quoque aliqui ex his Patribus, eo anno quinquageſimo à Diluuio Deum Noè, eiuſque poſteritati benedixiſſe. Quæ benedictio eſt proprius effectus *Tria Dei beneficia in creatione mundi.* Anni Iubilæi, & remiſſionis. Sicut enim tempore naſcentis Mundi tria præclara beneficia Deus humano generi impertiuit: naturæ ſcilicèt fœcunditatem ad humani generis numeroſam, & amplam propagationem, in illis verbis, *Creſcite, & multiplicamini*; Dominationem deindè, & imperium ſuper animantia uniuerſa, quæ mouentur ſuper terram. Deniquè alimenti copiam ad humanæ vitæ ſuſtentationem: ità quoque poſt Diluuium in exordio renaſcentis Mundi ſimilibus bene- *Triplex homini benedictio datur à Deo poſt diluuiũ.* ficijs hominem affecit, triplicem ei impendendo benedictionem; primam ad fœcundam humani generis multiplicationem, cùm dixit, *Creſcite, & multiplicamini*; Secũdam ad imperandum cunctis animantibus, ibi, *Terror veſter, ac tremor ſit ſu-*

per cun-

*per cuncta animantia terræ, & ſuper omnes volucres Cæli, cùm vniuerſis, quæ mouentur
ſuper terram, omnes piſces Maris manibus veſtris traditi ſunt;* Tertiam deniquetradē
do copiam commodi cibi ad alendam hominis vitam, cum ſubdit. *Omne, quod mo-
uetur, & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Addunt
quoque, Noè poſt Diluuium per ſpacium ſeptem Iubilæorum uixiſſe, ut ex Sacra
Scriptura colligitur; Lege Euſebium, & Bedam, qui locis citatis huius rei locuple Euſeb.
tiſſimi ſunt teſtes. Beda.

Alii, vt Hugo Cardinalis in Leuiticum, cap. 25. Turrecremata, Ioannes de A- Vgo Card.
nania, & Magiſter hiſtoriarum arbitrati ſunt, Iubilæum ortum habuiſſe à victo- Turrecr. Io. de Anan.
ria Abrahæ, cùm aduerſus quinque Reges dimicans pro remiſſione captiuorum, Magiſt. Hiſt.
& præſertim Loth fratris ſui, eos de illorum manibus liberauit, ut legitur Geneſis Geneſ. 14.
14. & quoniam Loth ætatis annorum quinquaginta tunc erat; ideò Iubilæum in
quinquageſimo numero Abraham inſtituiſſe; uel quia quinquageſimus annus tūc
currebat ab eo tempore, quo ei Dominus in uia loquutus fuerat; uel quia quinqua
geſimus annus erat, ex quo egreſſus fuerat de Chanaam. Alij quoque ad Aſtrorū
obſeruationem hunc Iubilęi numerum referunt; dicuntque, quòd Abraham aſtro
rum motuum periтiſſimus in eis perpendit, & obſeruauit, quòd intemperies aeris
quæ fit ex eleuatis, & depreſſis planetis, ſemper uſque ad quinquaginta annos ad
temperiem redit, & quod Abraham uidit fieri in aſtris, in terris uoluit imitari; ſed
hæc omnia, (mea quidem ſententia) uix probabilitatem pręſeferunt; Immò, ut be
nè inquit Cyrillus Francus, cap. 4. hæc omnia puerilia, ridicula, commentitiaque Cyril. Fräcus.
prorſus ſunt.

Qvocirca concludendum eſt, uel in lege naturæ omninò nō fuiſſe Iubilæum; In lege naturæ nō fuit uere Iubilæus.
uel ſi aliquid præfatis Auctoribus donare uelimus, illa omnia potiùs umbram
quamdam obſcuriſſimam, uel ſignum quoddam remotiſſimum, quàm exordium
Iubilæi, de quo agimus, extitiſſe; cùm de tempore indictionis Iubilæi clarum ſit
in Sacra Pagina, ut mox dicemus, teſtimonium.

CAPVT SECVNDVM.

An, & Quando tempore Legis Moyſis imperatus fuerit Iubilæus.

QVam ob cauſam tempore Moyſis fuerit à Deo iuſſus, & indictus Iubi- Cur Iubilæus Moſaicus fuerit inſtitutus, ex Leuit. 25.
læus, ſuperiùs latiùs enarrauimus: Hæc namque celebritas Iubilæi, ut
Leuit. 25. perſpicuum eſt, in memoriam liberationis filiorum Iſrael de
Ægypto libertatem Hæbræis quolibet quinquageſimo anno pollice-
batur, promiſſamque pręſtabat; Vndè ętiam in Pentatheuco, per quinquaginta ui
ces fit mentio illius liberationis, ut annotauit Antonius Fonſeca in ſuis Scholijs Ant. Fonſeca.
ad Commentaria Caietani, ſuper Leuiticum: & quamquàm ſeptenarius nume-
rus ſepties ductus annos quadraginta nouem conficiat; qui numerus eſt afflictio-
nis, & pœnitentię, ut rectè notauit D. Gregorius Nazianzenus; nihilominùs ut Nazian.
remiſſionis lętitia, ac gaudium, quod in Sacro Iubilęo pręſtatur, ſignificetur; Mo-
nas additur, ut dum per Monadem numerus quinquagenarius perficitur, in unius
contemplatione ęterna requies, & perpetuùs cœleſtis glorię Iubilæus eſſe demon
ſtretur, ut egregiè idem D. Gregorius Nazianzenus in Oratione 44. in Sanctam
Pentecoſten, D. Gregorius Magnus lib. 2. ſuper Ezechielem, Homil. 19. & Beda D. Gregor.
in libello de Officijs, cap. de Pentecoſte, tomo 7. adnotarunt. Eſt autem hic obiter Beda.
animaduertendum, quòd ſicut numerus quadragenarius erat numerus plagarū,
& afflictionum, qui pro menſura peccati in lege definitus erat, ut habetur Deute- Deutero. 25.
ron. 25. & ſecunda Corinth. 11. ità quoque quinquagenarius numerus ad perfe- 2. Cor. 11.
ctionem, quietemque denotandam pręſcribitur.

Cyrilli Franchi opinio de initio Iubilæi ante Chriſtū. Reinholdus. Lucidus.

ENIMVERO, quo anno à Mundi exordio, & antè Chriſti Natiuitatem, & Paſſionem cęperit Iubilęus, paucis commemorandum eſt; Cyrillus Francus cap. 4. dicit, Annum Iubilęi ordinatum fuiſſe, annò ab Orbe terrarum condito, bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimotertio; quod etiam Rainholdo placuit, altero menſe poſt tabernaculum erectum: aut ſecundum Ioannem Lucidum, & alios, bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimoquarto. Antè annorum Redemptionis plenitudinem 1509. iuxtà Reinholdum, qui à Lucido in tribus annis differt, ponente inter legem, & Chriſtum, annos 1506. Antè mortem uerò Domini Noſtri IESV Chriſti, per annos 1542. inſtitutus fuit.

Cur Iubilęus celebrat⁹ fuerit anno quinquageſimo. D. Chryſoſt.

SED cur in quinquageſimo anno fuerit in Lege Moyſis Iubilęus inſtitutus, curioſè quidem, at piè, & non indoctè inueſtigandum eſt. D. Chryſoſtomus Homi. 23. poſt medium in Geneſim, ſacrarum rerum explicationes, quæ ex numerorum ſupputatione eximũtur, fabuloſas, & periculoſas eſſe, vtpotè ab Hęreticis, qui impios errores ſuos myſterijs numerorum vulgo probabiles reddebant, confectas eſſe affirmat. Verba eius ſunt hæc; *Quares, quarè ex immundis bina; ex mundis autem ſeptena, & non ſex, vel octo, vel decem paria in Arca Noè introducta ſint. Multi enim uariasde his fabulas narrant, & hinc occaſione ſumpta, obſeruationes numerorum oſtendunt; at non obſeruatio, ſed intempeſtiua hominum curioſitas talia fingere uidetur, vnde & multa Hæreſes orta ſunt, quod ſtatim ſcietis; etenim frequenter, (vt videamur quaſi ex abundantia eos, qui ex ſuis opinionibus noua afferunt, compeſcere) inuenimus in Scripturis, coniugij numerum ſeruatum; quippè quando miſit Diſcipulos, binos eos miſit; Ipſi autem omnes duodecim erant, & Euangelia quatuor numero; At ſuperuacaneum fuerit, hac apud charitatem veſtram commemorare; quæ ſatis didicit huiuſmodi dictis obturare aures.* Sic Chryſoſtomus, cuius ſententia aduerſus Marcionem, Baſilidem, & Gnoſticos Hæreticos multùm valere debet, qui, (vt diximus) ſuperſtitioſa numerorum arte impietates ſuas in Populo diſſeminabant. Sed re vera myſticas ſignificationes, ingenteſque virtutes in numeris eſſe, plerique Sanctorum Patrum egregiè ſcriptum reliquerunt, in illiſque varias allegorias cognouerunt. Lege D. Hieronymum ſuper caput 4. Eſaiæ, vbi explicans illud, *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.* interpretatur, ſeptem gratias Spiritus Sancti, cùm nullum aliud potuerint inuenire, in quo æterna ſtatione requieſcerent, præter Chriſtum, in illo plenè requieuiſſe, iuxtà illud Eſaiæ 11. *Et requieuit ſuper eum Spiritus Domini*; expoſuit item ſecundùm literam ibi, ſeptem plures, non ſeptem tantùm ſignificare, iuxtà morem Hæbræorum: & quòd gentes Chriſtum unum eſſent apprehenſuræ, oſtendit ex illo Zachariæ 8. *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes; Ibimus vobiſcum, audiuimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt.*

In numeris multa mira, & maxima ſignari. D. Hieron. Myſteria numeri ſeptenarij. Eſai. 11. Zachar. 8.

Hùc quoque ſpectare idem Hieronymus ſubdit uerba illa Zachariæ 3. *Super lapidem vnum ſeptem oculos, & in vno aureo candelabro ſeptem lucernas, & ſeptem ſuffuſoria, ac duas oliuas ex vtraque parte lampadis, ſimul radice fundatas.* Quæ omnia ad dona Spiritus Sancti exuberantia in Chriſto referenda ſunt, ex Hieronymi, & Ruperti ſententia; Alij uerò hos ſeptem oculos interpretantur, eſſe dona Spiritus Sancti, quę ſuper uniuerſam terram mittuntur, cùm omnibus hominibus dentur; Iuxtà illud Sapientiæ primo, *Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum*, Ità ſuper Apocal. 5. & ſuper 3. Zachariæ, Primaſius, Ambroſius, Beda, Haymo, Lyranus, & Sanctus Thomas; licèt Ribera non indoctè putet, ſeptem illos oculos eſſe ſeptem Angelos, qui uniuerſum Eccleſiæ ædificium, tamquam Chriſti Diaconi, ſeu miniſtri, regunt, & moderantur.

Zachar. 3. Hieron. Ruper. Sap. primo. Primaſius. Ambroſ. Beda. Haymo. Lyranus. D. Thom. Ribera. D. Auguſt.

Similiter D. Auguſtinus 12. contrà Fauſtum, cap. 20. aliquid ſpiritualis, ac diuini in ſeptem diebus Columbæ contemplans dicit; *Poſt ſeptem dies dimiſſa Columba, propter illam ſeptenariam operationem ſpiritualem, oliuæ fructuoſum ſurculum retulit; quo ſignificaret, non nullos etiam extrà Eccleſiam baptizatos, ſi eis pinguedo non defuerit Charitatis, poſteriori tempore, quaſi veſpere, in ore columba, tamquam in oſculo pacis ad unitatis ſocietatem poſſe perduci. Quòd autem poſt alios ſeptem dies dimiſſa, reuerſa*

uerſa non eſt, ſignificat finem ſæculi, quando erit Sanctorum requies, non adhuc in Sacramento ſpei, quo in hoc tempore conſociatur Eccleſiæ, quàmdiù bibitur, quod de Chriſti latere manauit; ſed iam in ipſa perfectione ſalutis æternæ, cùm traditur Regnum Deo, & Patri, ut in illa perſpicua contemplatione incommutabilis ueritatis, nullis myſterijs corporalibus egeamus.

Idem Auguſtinus in libro 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 16. circà medium dicit, quòd numerorum imperitia multa facit non intelligi tranſlatè, ac myſticè poſita in Scripturis.

VERVM, ne actum agamus, qui plura de numerorum perfectione, & uirtute cognoſcere deſiderat, legat tomum ſecundum Hieronymi Laurei, in Appendice in Syluam de allegorijs numerorum, ubi ſigillatim de cuiuſcumque numeri ſignificationibus ampliſſimè pertractat. Hier. Laure-tus.

D. AMBROSIVS de Arca, & Noè, cap. 12. explicans, cur nec plura, nec pauciora animalia, quàm ſeptem ex mundis in arcam recepta fuerint, eius rei cauſam ad myſticam ſeptenarij numeri uirtutem, & præſtantiam refert: eius uerba ſunt hæc; *Mundus, & ſacer ſeptimus numerus eſt; nulli enim miſcetur, nec ab ulio generatur, ideoq; uirgo dicitur, quia nihil ex ſe generat, meritoq; tamquam matrem exors, immunisq; partus muliebris copulæ, etſi hebdomas fœminino nuncupetur nomine, uirilis habet fortitudinis gratiam. Secundus autem numerus non eſt plenus, quia diuiſus; quod autem non eſt plenum, uacuum habetur. Septimus autem numerus plenus eſt, quia hebdomas, ut dicas, & ſimilis illius primi; quia facta eſt ad ſimilitudinem illius, qui eſt ſemper; à quo profluunt, & monſtrantur, quæ ſunt in omni genere uirtutes.* Sed plura alia de ſeptenarij perfectione, à quo Iubilæus, ideſt, quinquagenarius numerus emanat, legenda ſunt apud Macrobium in primo de Somnio Scipionis; D. Baſilium homil. 11. in Hexameron, D. Auguſtinum quæſtio. 33. in Numeros, D. Hieronymum ſuper Amos 5. & in Apologia aduerſus Iouinianum, Clementem Alexandrinum lib. 6. ſtromatum, Origenem homil. 8. ſuper Leuiticum, Cyprianum de exhortatione Martyrij cap. 11. & Gregorium lib. 35. Moralium, cap. 6. ubi ſic ſcribit; *Septenarius numerus apud ſapientes huius ſæculi, quadam ſui ratione habetur perfectus; quia ex primo pari, & primo impari conſumitur. Primus enim impar ternarius eſt; primusq; par quaternarius, ex quibus duobus ſeptenarius conſtat, qui eiſdem partibus ſuis multiplicatus in duodenarium ſurgit; nam ſi tres per quatuor, ſiue quatuor per tres ducimus, ad duodenarium peruenimus, quo numero anni Orbis conſummatur.* Sed ne in re planè notiſſima, & peruulgata longior ſim, illud de ſeptenario poſtremò adijciendum eſt; in ſacris literis etiam ſeptenarium numerum in rebus peſſimis, flagitioſiſſimiſque uſurpari. Sic Lucæ 11. *Aſſumpſit immundus ſpiritus ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*; Marci ultimo legimus, Dominum ex Magdalena ſeptem Dæmonia eieciſſe; Salomon Eccleſiaſtici 7. *Septies*, dixit, *in die cadit iuſtus*. Apocalyp. 12. Ioannes uidit Draconem, *habentem ſeptem capita, & ſeptem Diademata*, narratque ibidem, *ſeptem terræ plagas, & ſeptem phialas iræ Dei*, & ſimilia.

D. Ambro. — Macrob. — D. Baſil. — D. Auguſt. — D. Hieron. — Clem. Alex. — Origen. — Cyprian. — Gregor. — Luc. 11. — Marci vltim. — Eccleſ. 7. — Apoc. 12.

VERVM, dum in malis quoque hic numerus ponitur, perfectum, ac ſummum quid in illa re indicat; quocircà ſeptenarius in ultione perpetuam, & inſolubilem uindictam ſignificat; ſicut ipſe numerus non poteſt reſolui in ullas partes æquales, niſi in unitates; & ideò, *Septupla ultio datur Cain*, ideſt, completa, Geneſis 4. lege Gloſ. Interlin. ſuper Leuit. 26. de puniendo in hac uita uſque ad ſeptimam generationem, hoc eſt, plenè. Et D. Auguſtinum homil. 12. ſuper Apocalyp. ubi perfectam punitionem, per ſeptem plagas ibi comminatas intelligit; & ſeptem anni, quibus oppreſſi ſunt filij Iſrael à Madianitis, Iudicum 6. ut Gloſ. Interlin. ibidem, condignam deſignant Pœnitentiam, quæ ualeat ad remiſſionem; & Mulier pariens Maſculum, ſeptem diebus immunda erat, Leuitici 12.

Numerus ſeptenarius in malis poſitus quid ſignificet. — Gen. 4. — Gloſſ. interli. — D. Auguſt. — Iudic. 6. — Gloſſ. Interl. — Luc. 12.

¶ FREQVENTIVS tamen ſeptenarium numerum in Sacra Scriptura, in bonis, per feſtiſque rebus aſſumi, negabit nemo: ſeptimum diem hebdomadæ, menſem ſeptimum anni, ſeptimum quemque annum, annum item quinquageſimum, qui ſeptem hebdomadas annorum conſequebatur, in Dei cultum, & ſummam religionem à

In Scripturis Sacris ſemper ferè in bonũ ſumitur ſeptenarius numerus.

nem à Iudęis diuino iuſſu aſſumptos, legimus in Scripturis. Moyſes in emundatio
Leuit. 12. 13. & 14. ne, & remiſſione peccatorum, Leuit. 12. 13. & 14. & Deutero. 15. & 16. ſeptenam
Deuter. 15. & 16. aſperſionem iniũxit; *Aſpergat*, inquit, *ſepties altare*; ſepties quoque iubet Eliſæus;
lauari Naaman Syrum, vt lepræ, ideſt, peccati purificationem conſequeretur, vt
4 Reg. 5. ſcribitur 4. Regum, cap. 5. Ioſephus lib. 3. de Iudæorum Antiquitatibus, cap. 23.
Ioſephus. ſcribit, ſacrificia ex tempore, & ex victimis huius numeri ab Hæbraico Populo,
perpetuò pro remiſſione peccatorum Deo oblata, & conſecrata fuiſſe; vt Deute-
Deuteron. 15 & 22. ron. 15. & 22. habetur, refertque apud Macedones ſpeciem quamdã ſacrificij fuiſ-
ſe, quæ tàm in temporis ratione, quàm in numero agnorum, qui pro expiatione
delictorum offerebantur, ſeptenarij formam retinebat; ſed ne in hac re multus, &
moleſtus ſim, perpendendum eſt in Sacra Scriptura, numerum ſeptenarium ali-
quando poni pro numero indefinito, vt in Deuteronomio. *Septem plagis affligam
vos*, ideſt, multis, & Salomon in Prouerb. *Septies in die cadit iuſtus*, ideſt, ſæpenume
Baruc 6. ro, & Baruch, cap. 6. *Eritis in Babylone annis multis, vſque ad generationes ſeptem, poſt
hoc autem educam vos inde in pace*, ideſt, poſt multas generationes, captiuitate ſolu-
Pererius. ta Iudæos in patriam reuerſuros; ſic Pererius lib. 10. in Danielem, hunc locum Ba
Leuit. 26. ruch interpretatur, & Leuit. 26. *Addam plagas veſtras, uſque in ſeptuplum, propter pec
cata veſtra*; quod multiplicitatem pœnæ ſignificat.

Verùm nos pauca de numeri quinquagenarij dignitate, quòd ad rem noſtram
proximè facit, proferamus.

Præſtantia, & dignitas numeri quinquagenarij. VVLGATVM eſt, quinquagenarium numerum Remiſſioni, & Indulgentiæ con-
ſecratum eſſe, ut Origenes Homil. 5. & 35. in Numeros, & ſuper Matth. cap. 14.
ſcribit, cuius rei indicium in arca Noè deſignatum fuit, cuius latitudo quinqua-
Origenes. ginta cubitorum erat, ut Geneſis 6. Erat illa Eccleſiæ Chriſti umbra quædam, &
Geneſ 6. imago, ut Origenes Homil. 2. in caput 6. Geneſis, Auguſtinus lib. 12. contrà Fau-
Auguſt. ſtum cap. 14. & de Catechizandis rudibus 27. & 15. de Ciuitate Dei, cap. 26. Gre-
Gregor. gorius Homil. 12. in Ezechielem, & Rupertus lib. 4. Commentariorum in Gene-
Ruper. ſim, cap. 71. cuius longitudo ſicut ſexcupla erat ad latitudinem eius, cum eſſet tre-
centorum cubitorum; ſic decupla ad eiuſdem altitudinem, quæ erat triginta cubi-
torum; Ità in Dei Eccleſia multò maior eſt longitudo, quàm latitudo; & latitudo,
quàm altitudo; longitudo enim fidem denotat; latitudo charitatem, quæ per re-
Auguſt. miſſionem, & Indulgentiam *operit multitudinem peccatorum*, ut Auguſtinus lib. 12.
contrà Fauſtum, cap. 15. Altitudo apicem perfectionis Euangelicę, & rerum diui
narum contemplationis ſublimitatem ſignificat. Inter fideles autem pauciores
ſunt boni, & charitate prediti, *Quorum* per Indulgentiam *tecta ſunt peccata*; plu-
res autem alij fidem ſolam habentes, & quamuis arca in baſi ampla, & lata eſſet,
quò tamen altiùs ſurgebat, eò magis arcta, & anguſta efficiebatur, quouſq; in an-
guſtiſſimum unius dumtaxat cubiti faſtigium, & culmẽ deſineret, ſecundum Ori-
genis deſcriptionem. Sic in Dei Eccleſia tota hec remiſſionis, & Iubilęi amplitu-
do ad unicum ſinè peccato hominem, ideſt, Chriſtum reducitur, & in illo, tam-
quàm in uno cubito conſumatur, ut annotauit Auguſtinus lib. 12. contrà Fauſtũ,
cap. 16. Quam etiam allegoriam elegantiſſimè, licèt paulò aliter quàm nos, proſe-
D. Gregor. quitur Sanctus Gregorius Homil. 16. in Ezechielem, dicens; *Quid per arcam Noè,
niſi Sancta Eccleſia figuratur, quæ inferius ampla eſt, & ſuperius anguſta, & quæ ad v-
num hominem, qui eſt ſinè peccato, colligitur, quaſi in uno cubito conſumatur*, & infrà;
*In uno ergò cubito conſumatur arca, quia vnus eſt Auctor, & Redemptor Sancta Eccle-
ſia ſinè peccato, ad quem omnes proficiunt, qui ſeſe eſſe peccatores nouerunt*. Hactenus
Gregorius.

Agg. 2. PRAETEREA Aggęi 2. quinquaginta lagenę Remiſſionem, & magnum Iubilęũ
per Chriſtum exhibitum ſignificant; quę tamen Iudęis fiunt uiginti, de Chriſto
duo tãtùm credẽtibus; uerum hominem ſcilicèt, & uerè mortuum fuiſſe; ſimiliter
aceruus viginti modiorum; ideſt, Chriſtus, qui numerum binarium decennum
habet, cùm non vnius tantùm, ſed geminæ ſit ſubſtantiæ, Deus ſcilicèt, & homo,
fit Hæbręis decem, cùm hi vnicã in illo dumtaxat ſubſtantiã, humanã. ſ. fateãtur.

RVPERTVS

RVPERTVS Abbas in Aggæum Prophetam doctè, & concinnè præfatum locum interpretatur; eius ſententia hæc eſt. *Cùm accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem, intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fierent viginti. Quando enim Iudæi acceſſerunt ad acervum, & ad torcular intrauerunt, niſi quando Christum de ſemetipſis primogenitum prædicantem audierunt, mortem viderunt? Ipſe eſt enim acervus modiorum viginti, qui numerus binarius decennius eſt, quia videlicet non unius tantùm, ſed geminæ ſubſtantiæ eſt, non homo tantùm, ſed Deus, & homo eſt; & Eccleſia quoq; eius acervus eſt, ſicut eidem dicit ipſe in Canticis, Venter tuus, ſicut acervus tritici vallatus lilijs: ſed non dicit, quòd acervus ille viginti modiorum ſit; Iſte ſolus viginti modiorum acervus eſt, quia (ſicut iam diximus) geminæ ſubſtantiæ eſt, Deus, & homo eſt; ſed vos Iudæi cùm intraretis ad acervum huiuſmodi, acervus modiorum viginti facti ſunt decem modij, dimidiumq; vobis perijt; quia non Deum, & hominem, ſed tantùm hominem attendiſtis; Item mors, vel paſſio eius torcular extitit, unde & Propheta altius proſpiciens eum ait; Quare ergò rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari? Et ipſe Reſpondens, torcular (inquit) calcaui ſolus. Hoc torcular quinquaginta lagenas, id eſt, peccatorum Remiſſionem facit: Numerus namq; iſte, ſcilicet quinquageſimus, remiſſionem ſignificat, ſecundùm legem, quæ anno quinquageſimo remiſſionem fieri iubet: Vndè annus Iubilæus, id eſt, dimittens dicitur. Sed vos ò Iudæi, cùm intraretis ad torcular eiuſmodi, torcular lagenarum 50: factæ ſunt vobis lagenæ viginti; qui numerus longè eſt à numero quinquageſimo, numero remiſſionis: Pluſquàm dimidium vobis defecit. Nam totius, quod erat reſpondendum, tres vobis partes deſunt, & tantummodo duæ ſuſceptæ ſunt: Quinq; partes ſuſcipi debuerūt, quæ iſtū totum perficiunt, ſicut quinq; Decades in quinquaginta ſurgunt, & ſacratum faciunt Iubilæum. Quæ nam ſunt duæ partes, quas ſuſcepiſtis? videbatis natum ex Maria, paſſumq; vel mortuum, quamuis peruerſo corde nō ignoratis. Quæ ſunt tres partes, quas omiſiſtis? Nimirum reſurrexiſſe, in Cœlum aſcendiſſe, atq; ad iudicandum viuos, & mortuos venturum eſſe, non creditis. Non igitur ignoretis, aut ſi vos diſſimulètis, cur Dominus dixerit, quòd omne opus manuum veſtrarum & omnia, quæ offertis, contaminata ſint, ſicut ſecundùm legem contaminatur omne, quod pollutus in anima tangit; Nam iſta cauſa eſt, quod vos acceſſiſtis ad acervum viginti modiorum, & decem feciſtis, id eſt, Christum, Deum & hominem præſentem habuiſtis, & hominem videntes, Deum ab operibus cognoſcere noluiſtis, quodq; intraſtis ad torcular, & de quinquaginta lagenis, viginti feciſtis, tribus partibus de toto relictis, tantumq; duabus ſuſceptis, id eſt, verum hominem, & verè mortuum experti, victorem eſſe mortis, aſcenſorem eſſe Cœli, iudicem eſſe venturum ſæculi, non accepiſtis.* Sic Rupertus.

PRÆTEREA, ea eſt huius numeri virtus, & præſtantia, ut Dominus Indignationem ſuam à Sodoma auertere promiſerit, ſi iuſtos quinquaginta inueniſſet. Adde, quòd tabernaculum præcepit Dominus effici, ſibique dicari ex decem cortinis, quarum quinque ſibi mutuò iungerentur, & aliæ quinque nexu ſimili cohærerent; anſulas quinquagenus cortina in utraque parte ità inſertas habebat, ut anſa contra anſam collocata, altera alteri adaptaretur; quinquaginta quoque circulis aureis vela cortinarum iungebantur, ut unum tabernaculum conſlaretur; Ampliùs, atrij latitudo quinquaginta cubitis complebatur, ut Exodi 26. & 27. habetur. Hæc omnia, & plura alia, quæ Numerorum 31. & Ezechielis 14. & 42. & 45. alijſque locis Scripturæ, non ſinè magno Sacramento indicantur, huius numeri præſtantiam, religionem, & dignitatem ſignificant.

SED quid mirum, ſi remiſſio, & Indulgentia in quinquagenario contineatur? cùm in quadragenario, Pœnitentiæ, afflictionis, lachrimarum, atque plagarum ſymbolus reperiatur? *Adhuc quadraginta Dies, & Niniue ſubuertetur*, exclamabat Ionas, ut ad Pœnitentiam Ciues illos excitaret, & commoueret. Non me præterit, variam eſſe huius loci lectionem; Septuaginta Interpretes tranſtulerunt, *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur.* Iuſtinus Martyr in Dialogo cōtra Triphonem, paulò poſt medium, & Canus lib. 12. de locis Theologicis, cap. 5. ad 12. affirmāt, Septuaginta tranſtuliſſe, *Adhuc quadraginta tres dies.* Ità quoque Leo Caſtrenſis, in diſpu-

Optima, & egregia Ruperti expoſitio.

Exo. 26. & 27.

Num. 31.

Ezech. 14. 42. & 45.

Quid ſignificet numerus quadragenarius.

Explicatio verborum Ionæ; *adhuc 40 dies, &c.*

LXX. Interp.

Iuſtinus.

Canus.

Leo Caſtr.

D. Auguſt.

Hieron.

in diſputatione de tranſlationibus, ante Commentarios Iſaiæ cap. 24. Torſit iam diù mirificè D. Auguſtinum huiuſmodi lectionis diuerſitas; ſed profectò cùm eodem Auguſtino in lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 44. & in quæſt. 16. ſuper Geneſim, & cùm D. Hieronymo in hunc locum Ionæ, dicendum eſt, prout in textu Hæbręo habetur, Prophetam dixiſſe, *Adhuc quadraginta dies*, nec vllo pacto aſſerendum eſt, Septuaginta vertiſſe, *Adhuc tres dies*, cùm numerus ternarius minimè cõueniat pœnitentiæ, vt notat Hieronymus; nec vlla in Hæbræo littera, ſyllaba, accentus, vel dictio huius nominis, *Tres*, communicet cùm vocabulo, *quadraginta*; Vndè cùm in Hæbreo Codice, *quadraginta* ſcriptum reperiatur; ſic etiam Septuaginta Interpretes vertiſſe dicendum eſt; ſed poſteà ex incuria deſcribentium corũ tranſlationem ex primo exemplari, quod erat in Bibliotheca Philadelphia, *Tres*, ſcriptum fuiſſe, pro *quadraginta*, qui error in omnes alios Codices promanauit.

Theophyl. Theodoret. Auguſt.

Orig.

D. Chryſoſt.

Ità Theophylactus, & Theodoretus dicunt, quod etiam D. Auguſtinus 15. de Ciuitate Dei, cap. 13. dixit, accidiſſe in computatione annorum primorum hominũ vſque ad Diluuium: & quamquàm Patres vtraque Lectione in eorum Commentarijs vſi ſint, Origenes enim Homil. 5. in Ieremiam, & Homil. 16. in Num. *Adhuc* inquit, *tres dies*, ſiuè, vt Hæbræi dicunt, ſe habere, *Adhuc quadraginta dies*. D. Chryſoſtomus Homil. 10. in Epiſtolam ad Epheſios legit, *Adhuc tres dies*. Alibi verò, & frequentius, vt Homil. 24. in Geneſim, & Homi. 15. in primam ad Corinthios, & Homil, 80. ad Populum Antiochenum, & in Epiſto. 5. ad Theodorum lapſum legit, *Adhuc quadraginta dies*. quemadmodum etiam Græca Lectio habet, quæ tamen aliàs ſemper Septuaginta Interpretes ſequi conſueuit, vt notauit Franciſcus

Ribera.

Ribera in Commentarijs ſuper 3. Caput Ionæ, ſed de his ſatis. Nihilominus ità etiam Septuaginta vertiſſe demõſtrat verſio Bibliorum 70. reſtituta, & emendata, ac Romę nuper impreſſa. Quomodo autem hic numerus quadragenarius ſit aptiſ-

Numerus quadragenarius ad pœnitentiã eſt ualdè accommodatus, ex D Ambroſio. D. Auguſtino, & alijs.

ſimus pœnitentiæ, ingenioſè traditur à Diuo Ambroſio ſermone 23. & de arca, & Noè, cap. 13. & à Diuo Auguſtino in lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 16. Vbi hanc numeri naturam conſiderans, inquit, *Quaternario quippè numero, & diurna, & annua circula peraguntur. Diurna matutinis, meridianis, veſpertinis, nocturniſque horarum ſpacijs; annua, vernis, æſtiuis, autumnalibus, hyemalibuſque menſibus. A temporum autem delectatione, dum in temporibus viuimus, propter æternitatem, in qua viuere volumus, abſtinendum, & ieiunandum eſt, quamuis temporum curſibus, ipſa nobis inſinuetur Doctrina contemnendorum temporum, & appetendorum æternorum*, & plura alia acutè de quadragenario.

D. Chryſoſt.

Patientia Dei in dilatione ſuppliciorum per numerũ quadragenarium ſignificata.

D. Chrysostomvs Homil. 25. in Geneſim, in productione, & extenſione pęnarum ad quadragenarium numerum; illuſtre quoddam Argumentum ſumit diuinæ patientiæ, & longanimitatis, tàm lenta flagellorum dilatione homines ad plenam pœnitentiam expectantis, atque incitantis; Quærens enim, cur tempore Diluuij pluuiæ ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus factæ ſint, inquit; *Iam quòd quadraginta diebus inductum eſt Diluuium, & illud ipſum bonitatis maximæ genus eſt, volebat enim propter magnam miſericordiam, etiam aliquos ex eis caſtigatos, generalem illam internecionem effugere, cum viderent antè oculos ſuos perire proximos ſuos, & imminere ſibi communem interitum. Veriſimile enim eſt, primo die Diluuij bonam aliquam partem hominum perijſſe, & ſecundo die aliam, ſimiliter die tertio, & quarto, & reliquis, atque ità in quadraginta dies produxit, vt omnem defenſionis prætextum illis adimeret, nam ſi uoluiſſet, atque imperaſſet, vno momento potuiſſet omnia perdere Diluuio; ſed pro ſua miſericordia, tanta dierum productione vſus eſt*. Hæc Chryſoſtomus.

Concluſio capitis.

Papias.

Quanto tẽporis ſpacio conſtet ſæculum.

Eorvm omnium, quæ hactenus in hoc Capite dicta ſunt, erit denique hęc concluſio; Deum optimum Maximum in quinquagenario numero omnium perfectiſſimo, Remiſſionis, & benignitatis ſuę gratiam conuenienti tempore, ideſt à Mundi primo peccato, bis milleſimo quadrigenteſimo quinquageſimoquarto cõſtituiſſe. Papias exiſtimauit, ſęculum eſſe ſpacium quinquaginta annorum, tempus Hębraici Iubilęi exęquans. Quamquàm alij ſęculum, ſpacium centum annorum

definiant

definiant, eo quòd longiſſimæ uitæ hominum ſit æquale,ac per hoc,æternitatem eſſe ſæculum ſæculorum:generationem autem, (ſi quis quærat,quantum temporis ſpacium denotet)dicimus,cùm D.Auguſtino ſuper Pſal.104.eſſe ætatem,qua quis poteſt alterum generare,ideſt, ætatem quindecim annorum. Medici ſpacii ſeptem annorum generationem uocant, quo fit, ut uenam puero incidi prohibeant ante duas generationes. D.Auguſt. Generatio quantum tẽporis contineat.

Diodorus Siculus libro 3. cap.13. Plutarcus in libro cuius eſt Inſcriptio. Cur oracula defecerunt,& Cenſorinus in lib. de die Natali Romanorum,definiunt, generationem eſſe ſpacium triginta annorum. Euſebius uerò libro 10. de Præparat.Euangel.cap.vltimo,ſpacium uiginti annorum,generationem uocat. Dionyſius Halicarnaſſæus libro 1.Romanarum Antiquitatum,nomen generationis ad centum annos protendit. Quo etiam nomine ſæpè in Sacris litteris uſurpatur, ut Geneſ.15.cùm Dominus Abrahæ dixiſſet, ſemen illius peregrinum fore quadringentis annis,ſtatim ſubdit. *Quarta autem generatione reuertetur in terram hanc.* Diod.Sicul. Plutarc. Cenſorinus. Euſeb. Halicarnas. Geneſ.15.

Sed plura de his apud Gregorium Venetum Canticorũ primo,tomo 8.cap. 10.& 11.& Auguſtinum quæſt.49.in libro Iudicum. Greg. Venet. D. Auguſtin.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo Iubilæus adimpletus fuerit tempore legis Gratiæ.

NOTISSIMA eſt illius Statuę,quę Nabuchodonoſor in ſomnis apparuit, ſignificatio: repræſentabat enim hæc (teſte Daniele, & interprete) temporum uiciſſitudines, Regnorum uarietates,& conuerſiones, Regum mutationes,ſucceſſiones,& denique paruuli Regni Chriſti ſuſcitationem,eius deindè potentiam,incrementum,& excelſam adeò ſublimitatem, ut ex paruo lapide paulatim creſcens,in Montem uniuerſæ terræ æqualem euaſerit. *In diebus enim Regnorum illorum* (inquit Daniel) *ſuſcitabit Deus Regnum, quod non diſſipabitur in æternum.* Statua Nabuchodonoſor quid ſignificaret.

Ex Quadruplici materia ſtatua illa conflata erat,ex auro,argento,ære,& ferro. Pars enim illa terrea,quæ in pedibus erat, (ut benè adnotauit Theodoretus) non erat illic poſita,ut principalis materia Statuæ,ſed ut acceſſoria,& ferro commixta. Quæ quatuor uarietates, proprietateſque Regnorum quatuor,ab eo tempore vſque ad Chriſtum, ità ſignificabant, ut naturalis qualitas, & proprietas cuiuſque metalli,proprietatem,& conditionem illius Regni,quod referebat, mirificè demonſtraret. Diuerſę partes ſtatuę,diuerſa regna deſignabant. Theodoret.

Aurum enim,ex quo Caput Statuæ conſtabat,Chaldæorum Regnum ſapientia, & opulentia plenum, eiuſque antiquitatem prænotabat.

Argentum, ex quo brachia, & pectus; Perſarum Regnum gemmis, pecuniiſque ditiſſimum,atque locupletiſſimum,deſignabat.

Æs verò, ex quo venter,& Fœmora; Imperij Græcorum potentiam, famam, gloriam, nec non perſonantem maximè eloquentiam,(ut D.Hieronymus ait)figurabat. D.Hieron.

Ferrum uerò,ex quo pedes,quorũ digiti partim ferrei,& partim terrei erãt; Romanorum Imperium indicabat,quod initio potentiſſimũ,& robuſtiſſimũ fuit,poſtremò uerò debile, & infirmum, vt D.Hier. ſcribit; cùm ad Romanum Imperiũ defendendum,etiam Barbararum gentium præſidia fuerint neceſſaria; multiplicem quoque diuiſionem Romani Imperij in uaria Regna, quorum Reges, alij maiores,& ualidiores;alij minores,& imbecilliores erant,huiuſmodi digitorum uarietas non obſcurè declarabat. Verùm hæc Regna uirtute lapilli illius,qui ſinè manibus,ideſt,ſinè ullo virilis ſeminis concurſu, de monte,ideſt,ex Beata Virgine MARIA, abſciſſus eſt, confracta, & diminuta fuere; Nec id ſolùm poſt ſecundum D.Hieron.

Tertull. Theodoret.

Dan. 2. Quale fuerit Regnũ Chriſti.

D. Hieron.

dum Chriſti aduentum futurum fuit, (ut Tertullianus cenſuit in eo libro, quem aduerſus Iudeos conſcripſit, quem ſequitur Theodoretus ſuper Danielem) ſed cùm primùm in hoc mundo carne ueſtitus apparuit Chriſtus. Regnum enim Chriſti ſpirituale, de quo Daniel in cap. 2. verba facit, poſt primum eius aduentum inchoatum eſt, & uſque hodie, immò uſque ad finem ſæculi uigebit; quamuis conſummatum, & perfectum hoc Regnum erit, poſtquàm Dominus ad iudicandum uenerit, & Beatos corpore, & anima in poſſeſſionem Regni Cœleſtis inducet. Deſtruxit ſanè Chriſtus non temporalem mundanorum Regnorum Dominationem, atque potentiam; neque enim ſtaterem etiam pro ſe ſolui negauit, uel ea, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddenda prohibuit; ſed Idololatriæ cultum, quæ in quatuor illis Regnis debacchabatur, ſubuertit; Dæmoniſque principatum, quem in illis præcipuè Regnis obtinebat, deſtruxit, ac penitus eliminauit; eleganter D. Hieronymus in Commentarijs ſuper caput 1. Ieremiæ, exponens illa uerba, *Ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper Regna: ut euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes*; quid in humanis Regnis Chriſtus diſſipet, exponit, cuius ſententiam hic adijcere libet; *Hoc quod nos de Hæbraico addidimus, diſsipes, ſiuè deponas, in LXX. non habetur, & conſiderandum, quòd quatuor triſtibus duo læta ſuccedant; neq; enim ædificari poterant bona, niſi deſtructa eſſent mala, nec plantari optima, niſi eradicarentur peſsima; omnis enim plantatio quam non plantauit Cœleſtis Pater, eradicabitur; & ædificatio, quæ ſuprà petram non habet fundamentum, ſed in arena extructa eſt, ſermone Dei ſuffoditur, atq; deſtruitur. Illam autem, quam conſumet* Iesvs *ſpiritu oris ſui, & deſtruet aduentu præſentiæ ſuæ, omnem ſcilicet ſacrilegam, peruerſamq; doctrinam diſperdet in perpetuum: porrò ea, quæ eleuantur contrà ſcientiam Dei, & in ſua confidunt ſapientia, quæ apud Deum ſtultitia eſt, diſſipabit, atq; deponet, ut ædificentur prò his humilia, & in locum ſuperiorum, quæ deſtructa ſunt, & euulſa; extruantur, atq; plantentur, quæ Eccleſiaſticæ conueniunt ueritati, & impleatur illud, quod dicit Apoſtolus; Dei ædificatio, Dei agricultura eſtis. Multi hunc locum ſuper perſona Chriſti intelligunt; Hieremias enim interpretatur excelſus Domini, qui deſtruxit Regna Diaboli, quæ ſibi in Montis oſtenderat excelſo, aduerſarias perdidit poteſtates, delens chyrographum errorum in Cruce, de quibus, & in Pſalmo 2. poſt hiſtoriæ ueritatem Pſalmiſta loquitur, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in unum. Pro his euulſis, deſtructis, & perditis, & ad inferiora detractis, ædificatur, atq; plantatur Eccleſia Dei*. Sic Hieronymus. Neque id in omnibus Regnis uno, atque eodem tempore factum eſt; ſed paulatim, atque varijs temporum interuallis excurſis; ſicut enim illud, quod ſcribitur, *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, non ſimul, & uno tempore effectum fuit; ſic fides, & Religio Chriſtiana longo temporum proceſſu, in omnibus ferè Orbis Regnis diſſeminata fuit; Id quod noſtris quoque temporibus in nouo Orbe occidentali, & in pleriſq; Orientis Prouincijs in dies fieri, cognoſcimus. Hoc autem Chriſti Regnum ſpirituale in eo totum poſitum eſt, ut uitia euellantur, errores deſtruantur, ſuperſtitiones diſperdantur, Idololatria denique, quæ maximè in Regnis illis quatuor dominabatur, funditùs diſſipetur, uites ueræ doctrinæ per prædicationem plantentur, cultuſque Euangelicus, Chriſtianæque Cæremoniæ in omnibus mundi Eccleſijs propagentur. Huc ſpectat legis ueteris in nouam legem commutatio, Hæbraici Iubilæi in Chriſtianum, & Euangelicum Iubilæum tranſlatio: Ioannis diminutio, Chriſti accretio, Moyſis humiliatio, Chriſti exaltatio.

Falſa expoſitio hæbræorũ in uerba Danielis reijcitur.

Daniel. 8.

Haebraei Chriſtiano nomini ſemper infenſi, vt Regnum Chriſti infimum, ac ferè nullum eſse, oſtenderent; interpretabantur illud cornu paruum, quod fuit à Daniele viſum, cap. 8. ſignificare Regnum Chriſti, quod humile, obſcurum, & contẽptibile fuit, loquens de ſe ingentia, & magnifica, vt Chriſtus de ſe fecit, prædicans, ſe ſinè peccato eſse, antiquiorem Abrahamo ſe faciens, filium Dei ſe nominans, & peccata condonans. Cornu illud tribus annis cùm dimidio regnauit, quo etiam ſimili tempore Chriſtus regnaſse dicitur. Sed hallucinantur, ac cæci ſem-

per

per clariſſimam veritatis lucem non percipiunt. Eſt quidem Chriſtus lapis ille ini
tio paruulus, ac deindè magnus, nequaquàm tamen cornu illud paruum à Danie
le pręuiſum; Hoc enim Regnum forè Antichriſti, rectè docet D. Hieronymus, in
eumdem locum Danielis, contra Porphyrium, qui per illud Cornu, Regnũ Ma-
chabęorum intelligi contendebat; Et, ſi contrito, & confracto cornu, Regnũ San
ctorum altiſſimi, hoc eſt, Hębręorum, ut ipſi exponunt, potentiſſimum, & florentiſ
ſimum futurum erat; quis non intelliget, Danielem falſum Vaticinium protuliſ-
ſe, cùm numquam Hębręorum Regnum magis inglorium, diſperſum, & diſtra-
ctum, quàm poſt Chriſti necem, immò ob eam miſerrimum, ſceptro, diademate,
purpuravè ſpoliatum, in duriſſimam ſeruitutem redactum, omnibus gentibus op
probrium, & deriſui expoſitum eſſe, nemo eſt, qui non uideat. Eſt autem Chriſtus
uerè paruus lapis, qui paulatim creſcens, uniuerſam tandem terrã repleuit, atque
omnes partes Statuę Nabuchodonoſor in terram proſternens, Regnum Euange
licum amplificauit, per quod, & falſorum Deorum cultus, & omnium Hæbraica-
rum cæremoniarum figuræ in veritatem ipſam terminatæ fuere. Tranſlato enim
ſacerdotio, (vt Paulus ait) legem quoque, cæremonias, & Iubilæum transferri ne
ceſsè fuit. Vndè, quemadmodum lapis iſte paruus in Montem Magnum creuit;
ſic Iubilæus Moſaicus, qui temporalia commoda, & beneficia præſtabat, tempo-
re legis gratiæ à Chriſto Domino in Eccleſiaſticum Iubilæum, qui cœleſtes, &
ſpirituales diuitias præſtat, commutatus, mirificè creuit, excelſamque ſpiritualis
vitæ perfectionem adeptus eſt. Nonnè Chriſtus, qui *non venit ſoluere legem, ſed a-
dimplere*, in hunc mundum deſcendit, vt annunciaret annum placabilem, annum
Redemptionis, & ſalutis? Quid? quod multi aſſerunt, Chriſtum Dominum obſer
uaſſe, & conſecraſſe Iubilæum feliciſſimo ſuo Natali; volunt enim, quòd annus,
in quo Saluator noſter natus eſt, fuerit annus quinquageſimus Iubilęi; cùm dicãt,
ex Bedæ, & Euſebij ſupputationibus, Chriſtum natum fuiſſe anno ab Orbe con-
dito 4050. quo tempore contingebat octuageſimus primus Iubilæus, qui fuit an-
nus quadrageſimus ſecundus Imperij Octauiani. Alij verò communem ſupputa-
tionem ſequentes volunt, Chriſtum natum eſſe decurſis ab exordio Mundi annis
5199. finiendis in ſequenti Menſe Martij, vndè ſequens annus à Kalendis Martij
incipiendus, erat annus quinquageſimus Iubilæi; Iubilæus verò erat in ordine cẽ-
teſimus quartus. Quæ profectò ſupputatio, ſi vera eſſet (nobis enim, qui Pererium
ſequimur, non placet) oſtenderet vtique, veteris Iubilæi figuram appoſitè termi-
natam eſse in Chriſto naſcente tempore Iubilęi. At verò tempore legis gratię
Chriſtianum Iubilęum cępiſse; ipſamet natiuitas Chriſti, qui eſt verè annus beni
gnitatis, & remiſſionis oſtendit; & quę in die Sancto Pentecoſtes, ſono de Cœ-
lo facto, Apoſtolis acciderunt, (ut ſuperiùs diximus) copioſiſſimè comprobarunt.

D. Hieron.

Infamia, & miſeria Iudeorũ poſt Chriſti mortem.

Chriſtus paruus lapis, poſtea mons magnus.

Qua ratione Chriſtus Iubilæũ conſecrauit.

Annus Natiuitatis Chriſti erat Iubilæus, ſecundũ aliquos.

IOANNES Monachus in Gloſ. ſuper Extrauag. *Antiquorum* habet, quòd verus Iu
bilęus in Aduentu Chriſti ſumpſit initium, ad hoc enim Chriſtus uenit, ut Remiſ
ſionem, & Indulgentiam prędicaret ſpiritualium debitorum, uidelicèt peccato-
rum; Vndè ipſe per Eſaiam, dicit cap. 41. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit
me, ad Euangelizandum pauperibus miſit me*; & ſequitur; *Vt prædicarem captiuis Indul-
gentiam.* Ecce Tuba prędicationis, ecce Indulgentia, ſiue Remiſſio debitorum, &
ibi in exordio prędicationis ſuę, ſic orſus eſt; *Pœnitentiam agite, & appropinquabit
Regnum Cœlorum*, in quo verbo forma, & efficacia pręſentis Indulgentię contine-
tur. Hęc enim Indulgentia ſolis Pœnitentibus, & confeſſis conceditur, & eis Re-
gnum Cœlorum propinquiſſimum eſſe facit: & quia Chriſtus in ortu ſuo, ſecun-
dùm communem curſum humanę naturę fari non poterat; ideò in Iubilęo iſto
clangentes, & buccinantes pręmiſit, ut dicitur Lucę cap. 2. *Facta eſt cum Angelo
multitudo militia Cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelſis Deo, &
in terra, &c.* Quamdiù enim eſt in peccato aliquis, non eſt ei pax cùm Deo, quia ſe
cundùm Eſaiam, cap. 48. *Non eſt Pax impijs, dicit Dominus.* Remiſsa culpa, remanẽ
te pœnę debito, non dum eſt pax perfecta; ſed utroque remiſso, pleniſſima pax ab
hominibus habetur cùm Deo, quod per Indulgẽtiam obtinetur; A Natiuitate igi

Verus Iubilęus in aduentu Chriſti incepit. ex Io. Monacho. Eſai. 41.

Iubilæus ſolis conceditur verè pœnitentibus.

Luc. 2.

Iſai. 48.

Ee tur Domini

tur Domini Noſtri IESV Chriſti, in qua uerus Iubilęus incepit, quilibet ſequens annus quinquageſimus vocari poteſt rectiſſimè Iubilæus.

Enimuerò illud in hoc Cap. vltimo loco adnotandum erit, quòd ſicut Chriſti Regnum ſpirituale, ſeptem præcipuè rebus cęteris omnibus Regnis antecedit; ſic Euangelicus Iubilæus Moſaico ſeptem in rebus ſimiliter præſtat.

Iubilæus Chriſtianus, ſicut & Chriſti Regnum, cæteris omnibus ſupereminet ſeptem rebus

PRIMO, Chriſti Regnum diuturnitate omnia mundana Regna anteceſſit, cùm per mille, & quingentos, nonaginta nouem annos durarit, & vſque ad finem ſęculi duraturum ſit; atqui neque Aſſyriorum Imperium, quod lōgiſſimum omnium fuit, vix mille, & quadringentos annos exceſſit: ſic quoque Moſaicus Iubilæus durauit tantùm annos circiter mille, & quingentos, Chriſti autem iam mille, & ſexcentos ferè attigit annos.

SECVNDO. Chriſti Regnum vniuerſalitate, & amplitudine Imperij omnia alia Regna ſuperauit. Sic Iubilæus Chriſti, cùm ad omnes, etiam noui Orbis partes peruadat, Moſaicum, qui vnicam Iudęorum nationem complectebatur, ſuperat.

TERTIO. Regnum Chriſti ad hominis interiora, ideſt, animam, eius nobiliorē partem pertingit, quod nulli alij Regno conceſſum eſt; cùm hominem quantum ad exteriora dumtaxat ſibi ſubiectum Regna cętera habeant; Chriſti autem Iubilęus hominem quoad animam iuuat, eamque à peccatis ſoluit, & liberam facit; Moſis verò Iubilęus externam ſolùm libertatem concedebat.

QVARTO. Chriſti Regnum eos, ad quos peruenit, filios Dei facit, atque hęredes uitę ęternę, quemadmodum etiam eius Iubilęus; quod nec cętera Regna, nec Moſaicus Iubilęus pręſtare poterat.

QVINTO. Regnum Chriſti nec bellica potentia, nec ui armorum, ut alia terrena Regna, conſtitutum, uel partum fuit; ſed paupertate, caſtitate, patientia, ſui ipſius abnegatione, atque etiam proprij ſanguinis effuſione. Sic etiam Iubilęus Chriſti non in terrenis tubis, uel mundanis commodis, ſed in ſui ipſius mortificatione, in operibus pœnalibus, corporiſque afflictionibus conſiſtit.

SEXTA excellentia Regni Chriſti eſt, quoad finem: eſt enim illius finis ſempiterni Regni Cœleſtis acquiſitio; nec ipſius Regis vtilitatem reſpicit, (quod in alijs terrenis Regnis ſemper accidit) ſed ſubditorum, qui ſub Chriſti Regno viuunt; Ità etiam Moſaicus Iubilæus finem temporalem præfixum habebat; At Chriſti ſpiritualem.

POSTREMO Præſtantia Regni Chriſti ex excellentia Regis, qui huic Regno pręeſt, qui eſt Deus, ponderanda eſt; & ſic pariter excellentia Iubilæi Chriſtiani reſpectu Moſaici ex tali Auctore cognoſcitur, quantò enim præſtat Euangelium legi, Chriſtus Moyſi, tantò Iubilæus Chriſtianus Moſaico. Verùm de his latiùs ſuo loco, in ſequenti nempè libro, dicemus.

CAPVT QVARTVM.

Qua de cauſſa fuerit Indulgentia Anni Sancti inſtituta.

SEx cauſſæ excogitari poſſunt, quibus Summi Pontifices moti ſunt à Spiritu Sancto ad ornandum, & amplificandum Sacrum Annum Iubilæi Indulgentijs, & Remiſſionibus pleniſſimis.

Sex cauſſę anni Iubilæi inſtitutionis. prima, conſonantia legis veteris cum noua.

PRIMA cauſſa eſt, p̄p̄ correſpōdentiam legis nouæ ad legem ueterē: expoſuimus iam, remiſſiones in noua lege Chriſtiana eſſe ſpirituales relaxationes pœnarum, non æternarum, ſed temporalium pro remiſſis culpis debitarum: Decens igitur, & neceſſarium fuit (quoniam lex vmbra erat futurorum ut D. Paulus dicit, *Omnia in figura contingebant illis*) quòd ſicut Hæbræi annum certum, & deputatum ad remiſſiones debitorum, ſeruitutum, & obligationum temporalium habebant; ità Chriſtiani haberent in re ſpirituali determinatum annum, ad

ſpiritales

Math. 5.

Clem. VI.

ſpiritales relaxationes, & remiſſiones conſequendas. Quemadmodum enim ſucceſſit Eccleſia Synagogæ; Prophetis Apoſtoli; Patriarchis Confeſſores; Sacrificijs Sacramenta; Euangelium legi; Moyſi Chriſtus; Circumciſioni Baptiſmus; diei Sabbatho, dies Dominicus; Ità fuit neceſſarium, & maximè conueniens, ut veteri Iubilæo ſuccederet nouus Euangelicus, & Chriſtianus Iubilæus; cum Dominus noſter, *Non ueneru legem ſoluere, ſed adimplere*, Matth. 5. Præſertim cùm ille fuerit aliquo modo huius figura, prout plerique aſſerunt. Hanc rationem innuit Clemens VI. in ſua Extrauaganti, *Vnigenitus*.

Altera cauſſa, ſubuentio humanæ infirmitatis.

D. Thomas.

Quam graue ſit onus peccatorũ Pſal. 37.

D. Hieron.

D. Gregor.

SECVNDA Cauſſa eſt, ad ſubleuandam humanam infirmitatem, quæ crebriùs onere peccatorum, pondere pœnarum depreſſa, adeò ſuccumbit, & prægrauatur, ut uix in hac breui uita miſer homo ſatisfacere poſſit: Etenim ſentẽtia eſt. B. Thomæ in quarto ſent. ſæpè hominem Deo plus debere, quam ipſe credat. Hoc Pondus peccati cognouit Dauid, dum dixit Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.* Vbi D. Hieronymus inquit, *Non eſt enim mihi leue peccatum meum, ſed recognoſco, quia graue mihi Iudicij pondus impoſuit, & ſuper uerticem capitis mei excreuit; ſicut pondus grande, ſic peccata mea ſuper me.* Et D. Gregorius ibidem, *Quia graui peccatorum pondere premitur, eò citiùs ad ima labitur, quò admiſſorum conſcientia interiùs grauatur. Et quidem aſcendere ad Deum ea, qua poteſt uirtute nititur, ſed ipſo ſuo conamine laxata, relabi compellitur; cauſam uerò tantæ grauitatis præmiſit, cum ait, Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; Niſi enim iniquitates principale cordis mei ſuperando tranſcenderent, nequaquam tanta me prauorum operum depreſſione grauarent.* Sic Gregorius. Vndè onera Aſſyrij ſignificabant peccata, quibus nos Diabolus comprimit, ut D. Hieronymus ſuper Eſaiam 14. & ſuper Pſal. 80. lege Baſilium in Regulis breuioribus 178. & Origen. homil. 33. in Numeros; Onus quoque in Scripturis pro pœna ſumitur, qua quiſque pro ſuis peccatis mulctatur, ut Nahum primo, & Hieremiæ 23. ibi, *Quicumq; onus dixerit, ipſe onus portabit*, ideſt, eius ſermonis cauſa à Domino punietur, ut illud ad Galatas 6. *Vnuſquiſq; onus ſuum portabit*, id eſt, pœna condigna pro ſuis peccatis afficietur.

Quid ſignificet onus in Scripturis.

D. Hieron.

D. Baſil.

Origen.

Nahum 1.

Ierem. 23.

ad Galat. 6.

His igitur peccatorum onere preſſis, uolens Pia Mater Eccleſia remedium pietatis, & Indulgentiæ afferre, conuenienter inſtituit, & ordinauit certum quoddam tempus in vita fidelium, ad pœnarum ſolutionem per Cœleſtis Theſauri diſpenſationem: Quo beneficio fideles adiuti, aptiores, & promptiores ſint ad diuinos gratiæ cœleſtis fructus percipiendos. Et hæc ratio congruentiſſima uidetur, quam tangit Gregor. XIII. in ſua Bulla indictionis Sancti Iubilæi, in illis uerbis, *Vt adiuti fideles ad ſatisfaciendum, ad percipiendos gratiæ cœleſtis fructus expeditiores reddantur.*

Greg. XIII.

Excitatio fidelium ad opera ſatisfactoria peragenda.

TERTIA Cauſſa eſt, ad excitandos fidelium animos ad opera pœnalia ſatisfactionis, & ut huiuſmodi beneficio Iubilęi, & Anni Sancti, tamquam ſtimulo puncti, diſponant ſe cùm diuino auxilio ad gratiam recipiendam; ſunt enim aliqui, licèt potentes ſatisfacere, qui ità diſſipant ſubſtantiam, & bona ſua uiuendo luxuriosè, ut abeuntes in Regionem longinquam, reliquias peccatorum comedentes, tepidi omninò ſint, ac frigidi ad opera ſatisfactionis peragendã; Hi incitantur, inflammantur, mouentur, dum certo quodam tempore magis abundè Theſaurum infinitum meritorum Chriſti, & Sanctorum aperiri, & diſpenſari intelligunt: Egregiè enim Eccleſia comparatur Ciuitati, Reipublicę, Regno, ſeu Militiæ. Quemadmodum igitur in benè conſtituta Republica, Regno, & Ciuitate certa ſunt tempora; & inter hæc, quædam celeberrima, quibus præmia proponuntur, palæſtræ, & curſus exercentur, propoſitis præmijs ad uirtutem alendam, animos incitãdos, ocium fugandum, ignauiamque depellendam; ità quoque in Sancta Eccleſia conuenientiſſimè, & decentiſſimè, immò pernecеſſariò tempus certum conſtituitur, quo ſanctis peregrinationibus, & exercitijs intenti fideles, cœleſtibus ditentur diuitijs, ſalutiſque æternæ brauium fœliciter conſequantur: & hoc eſt tempus Sacroſancti Iubilæi. Hanc rationem tangit Clemens VI. vbi ſu-

Simile.

Clem. VI.

pra, in illis uerbis, *Pro deuotione fidelium excitanda, & remuneranda*; Inter cætera enim opera, quæ Paſtores, ac Præpoſiti Eccleſię populis Chriſtianis proponere debent, ea, quę fidelium mentes ad peccatorum ſatisfactionem, & deteſtationem inducũt, primo loco adnumeranda ſunt. excogitare autem debẽt Paſtores in dies ingenioſè uiam aliquam, ſeu modum nouum, quo pię fidelium mentes ad uirtutẽ incitẽtur, ad pietatẽ cõmoueãtur, ac denique à ſomno pigritię, & accidię expergefactæ ad currendam uiam mandatorum Dei inflammentur. Hęc erat illa Pauli ſollicitudo omnium Eccleſiarum, ut magis, ac magis fideles in bonis operibus abundarent; ſic Dæmon ſuis ſequacibus noua genera blandiciarum, & ſenſualium uoluptatum adinuenit: ſic Hęretici nouis induſtrijs, & artibus ingenioſis ſuum uirus peſtilentis doctrinę cautè, & aſtutè diffundunt: ſic quoque ſæculares Rerum publicarum Rectores, ut populos ab ocio, torporeque animi remoueant, ſpectacula publica definitis quibuſdam temporibus celebranda inſtituunt. Cur non igitur Eccleſia Annum Sacrum, ad ſpiritualia exercitia peragenda, conuenienter ſuis fidelibus proponat?

Quęnam opera à Paſtoribus ſint proponenda fidelibus.

Nota.

QVARTA cauſſa eſt, ut Baſilicę Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli eò amplius honorentur, quò frequentiùs uiſitantur, & uiſitantes ſpiritualium elargitione munerum uberiùs ſentiant ſe refectos. Hæc ratio eſt Bonifacij VIII. in ſua Extrauaganti *Antiquorum*, de Penit. & Remiſſionibus, & Clementis VI. loco citato, ubi ſic ait, *Pro Beatorum Petri, & Pauli memoria crebriùs recolenda, pro reuerentia ipſis à cunctis fidelibus deuotiùs exhibenda, pro ipſorum patrocinio fauorabilius impetrando, fuit huiuſmodi Indulgentia ſalubriter, & ſanctiſſimè inſtituta. Petri, inquam & Pauli, per quos Euangelium Chriſti ibi Romæ reſplenduit, qui Chriſtiani Populi per Euangelium facti ſunt Genitores, gregis Dominici Paſtores, fidei lucerna, columnæ Eccleſiæ, & tamquam duo luminaria magna in firmamento lucentia, legem etiam nos Domine donauerunt, quorum uni, ſcilicet Apoſtolorum Principi, ſicut bono diſpenſatori, Claues Regni Cæleſtis commiſiſti; Alteri tamquam idoneo Doctori, magiſterium Eccleſiaſticæ eruditionis iniunxiſti.* Hæc Clemens Sextus, cuius uerba, tamquàm aurea, & precioſa ſuper aurum, & topazion, maxima cum deuotione perlegi, & ſumma cum ſuauitate deſcripſi.

Viſitatio, & reuerẽtia Baſilicarum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Vrbe.

Boniſac. VIII.

Clem. VI.

QVINTA cauſſa eſt, ad conſeruandam reuerentiam, obedientiam, dignitatem, & deuotionem Apoſtolicæ Sedis, quæ fundata eſt in Alma Vrbe, cùm ſit Mater, Magiſtra, & Caput cunctarum cæterarum Eccleſiarum: ex hoc enim, quòd cæteræ Indulgentiæ Plenariæ ſuſpenduntur per totum Orbem, & ſolùm Romæ hoc anno haberi poſſunt, excellentia, & primatus quidam Vrbis, & Sedis Romanæ dignoſcitur. Hæc eſt noſtra ratio. Cur autem uoluit Dominus, Petrum Neronis perſecutionem fugientem, ad Vrbem reuerti; cùm quærenti illi, & dicenti, *Domine quo uadis*, reſponderit Chriſtus, *Venio Romam iterum crucifigi*, ut Ægeſippus lib. 3. de excidio Hieroſolymitano, cap. 2. Ambroſius in Oratione contra Auxentiũ, quæ habetur lib. 5. Epiſtolarum, Athanaſius in Apologia pro ſua Fuga, & Gregorius in expoſitione 4. Pſal. Pœnitentialis, teſtantur? Ea certè ratione, ut ſuo diuino oraculo declararet, Romam Euangelij Caput, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fundamentum, Vicarij Chriſti Sedem, unicę Domum Turrim, cunctarum gentium refugium tutiſſimum, ac denique nouam Hieruſalem eſſe, non ueteri inferiorem, in qua iterum cupiebat Dominus, ſe in Petro crucifigi. Ad hanc diuinam Vrbem ſanguinis, & meritorum Chriſti, & Sanctorum refertiſſimam inuitantur in Anno Sacro fideles, ut accedant, & tantę Sedis filios, & alumnos ex toto corde, ex tota anima, totiſque uiribus, ſe eſſe palàm, ac publicè profiteantur. Quòd ſi in unam Hieruſalem omnes uno tempore Hæbræi conuenire ſolebant ad paſchalia Feſta peragenda; cur non æquum erit, omnes Mundi Chriſtianos ad Metropolim Romanam accedere, ut ad Agni Paſchalis, Chriſti uidelicèt conuiuium, per Indulgentiarum ampliſſimarum conſecutionem admittantur?

Conſeruatio obedientię, & reuerẽtiæ Sedis Apoſtolicæ.

Ex Chriſti inſtitutione, Sedes Apoſtolica, ſeù Pontificia Romę collocata fuit.

Aegeſip.
Ambroſ.
Athan.
Gregor.

SEXTA, & vltima cauſſa, ut fides huius articuli penitiùs defigatur in memoria hominum, & etiam, atque etiam conſtantiùs retineatur, magiſque per Orbem

Petrus, & Paulus Apoſtoli Romę prædi

diffundatur

diſſundatur; Petrum uidelicet, & Paulum Romæ fuiſſe, Romæ prędicaſſe, Romæ mortuos eſſe, Romæ ſepulchra, & monumenta illorum haberi. Dionyſius Corinthius, qui annis centum poſt obitum Apoſtolorum uixit, dum Romæ uerſaretur, ut refert Euſebius libro 3. Hiſtor. cap. 24. ad confirmandam hanc veritatem, ſic ſcribit, *Ambo in hac Vrbe ſimul docentes, etiam Martyrio pariter, uno, eodemq́; tempore coronati ſunt.* Caius, qui poſt Dionyſium annis quinquaginta fuit, eodem referente Euſebio, ibidem ſic ſcripſit, *Ego habeo Trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam; ſi enim procedas uia Regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut uia Oſtienſi, inuenies Trophæa defixa, quibus ex utraq; parte conſtitutis, Romana communitur Eccleſia:* Euſebius quoque eodem in loco idem confirmat, ſubdens, horum teſtimonium quærere extrinſecùs, ſuperfluum eſſe; cum rem geſtam inſignia vſque in hodiernum diem, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur. Idem habet in Chronico anni 71. à Chriſti Natiuitate. Sed qui huius rei integram hiſtoriam cognoſcere uoluerit, legat Ægeſippum, temporibus Apoſtolorum uicinum ſcriptorem, lib. 3. de excidio Hieroſolymæ cap. 2. Illud ſolùm, quod maximè ad rem noſtram facit, ex Nicolao Primo, in Epiſtola ad Michaelem, referendum eſt; Quòd ex omni terrarum parte, tot millia hominum religionis cauſſa ad Apoſtolorum ſepulchra quotidie confluebant, ut ipſa ſola Romana Ciuitas ſatis oſtēdat, Eccleſiam Chriſti eſſe Catholicam, ſiuè uniuerſalem, cùm ex omni hominum genere ſemper multi ad ſepulchra Petri, & Pauli conſpiciantur. Sed argumentum hoc fuſiùs inferiùs proſequemur.

cauerſit, mortui ſunt, & ibi requieſcūt eorum corpora. Dion. Corinthus. Euſeb. Caius. Euſebius. Aegeſip. Nicolaus Primus. Nota.

Vt igitur ea Vrbs viſitetur, quæ Magiſtra eſt, & fundamentum Religionis Chriſtianæ, diuina ſapientia effectum, & ſtatutum eſt, ut certo tempore, hoc eſt, Anno Iubilæi Romam ueniant fideles ad Indulgentias conſequendas. Hæc ratio redditur à Boniſacio VIII. in Extrauag. *Antiquorum*, ubi innuit, hanc animi conceptionem de viſitandis liminibus Apoſtolorum, ob remiſſiones obtinendas certo quoque anno, fuiſſe apud omnes Orbis gentes maximè communem, & uniuerſalem, & tamquam Axioma certiſſimum fuiſſe apud omnes receptam: hanc quoque cauſam aſſignat Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione indictionis Iubilæi, illis uerbis, *Qui ea cauſa inuiſerent Vrbem, quam Petrus, & Paulus, totque deinceps Martyres ſuo ſanguine conſecrarunt.*

Boniſ. VIII. Greg. XIII.

Hæ ſunt præcipuè cauſæ, propter quas conſtitutus eſt annus Iubilæi, ſeu Indulgentia Pleniſſima Anni Sancti in Eccleſia Catholica. Plures afferri poſſent; ſed hę nobis, & lectori ſufficiant.

CAPVT QVINTVM.

Quando Indulgentia Iubilæi primùm fuerit inſtituta.

APERIENDVM eſt in hoc Capite, quo primum tempore hæc Iubilæi Indulgentia fuerit conceſſa, & inſtituta. Cuius initium, quantum ad cauſſam effectricem cępit à Natiuitate, & à Paſſione Chriſti, ut indicatum fuit, à cuius ſatisfactionum Theſauro inexhauſto omnis Indulgentia uim, & efficacitatem habet; Quicquid falsò dixerit Mayronus, ut ſuperiùs diximus.

Cauſſa efficiens Iubilæi, Incarnatio, & Paſſio Chriſti fuit.

Secundùm verò quamdā prefigurationē, uel inſinuationē, ut optimè Turrecremata, ubi ſuprà, cœpit in Plenarijs Indulgētijs, quas Chriſtus legitur impertijſſe Latroni, & Magdalenę, illi dū dixit, *Hodie mecū eris in Paradiſo*, ut Matt. 17. Huic uerò, dum ait, *Vade, & noli ampliùs peccare*, ut Ioan. 7. ac deniquè cùm Samaritanæ fornicationes, Adulteræ flagitia, abſque ulla alia ſatisfactione, quæ aliàs neceſſaria fuiſſet, dimiſit; in his igitur, quibus Chriſtus peccata remiſſit, poteſt congruè dici, præceſſiſſe præfigurationem Iubilæi, ob poteſtatem enim excellentiæ, quan-

Iubilæi inſinuatio in plenis remiſſionibus datis à Chriſto multis peccatoribus ex Turr. Matt. 17. Ioan. 7.

 do Chri-

Chriſtus culpas, & pœnas ſimul remittebat. Soto.

do Chriſtus peccata alicui remittebat, culpam, & pœnam pleniſſimè condonabat, ut benè ait Soto in 4. diſtin. 20. quęſtio. 2. art. 3. concluſ. 1. Quocircà omnes ad peccatorum ſarcinam deponendam, ut pacatiſſimam conſcientię requiem, ſacrũque Iubilęum acquirerent, inuitabat, dicens; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus veſtris.*

Poteſtas concedendi Iubilęum. Mat. 16.

Vervm quoad poteſtatem impertiendi talem Indulgentiam, pręceſſit in uerbo Chriſti, Matth. 16. & *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*, & in alijs locis Euangelij, ut in ſuperioribus explicauimus. Quæ omnia, etſi ueriſſima ſunt, illud tamen, quod præcipuè quæritur in hoc capite, eſt initium inſtitutionis Indulgentię Anni Iubilæi, quandò videlicèt Spiritus Sanctus primum mouit Summos Pontifices, vt hanc Indulgentiam Anni Sancti concederent, & inſtituerent, eſt enim difficultas num Bonifacius VIII. Primus fuerit, qui illam conſtituerit.

Quã ſalubris fuerit Sacri Iubilęi inſtitutio.

Qva in re tria ſunt mihi certiſſima. Primùm eſt, quòd ſiuè fuerit à Bonifacio VIII. primùm conceſſa, ſiuè ante ipſum, nil refert. Quod, ut melius intelligatur, explico ſic, quia tàm pium, & ſalubre inſtitutum reputandum eſt, & tàm certa, & bona hęc Indulgentia exiſtimanda eſt; ſiuè à temporibus Bonifacij cęperit celebrari, ſiuè antè ipſum celebrata fuerit; ut qui hoc negaret, eſſet ut Hęreticus damnandus, & anathematizandus, etiam ſi à temporibus S. D. N. Clementis VIII. hoc eſt hodie ſolùm inciperet; atque hoc euidenter probatur à ſimili. Vrbanus enim Quartus inſtituit ſolemnem celebritatem, & Feſtũ Corporis Chriſti: Sixtus item Quartus Immaculatę Conceptionis Beatę Mariae ſemper Virginis: Sixtus item Quintus multa Sanctorum officia ſub varijs ritibus celebranda in Dei Eccleſia conſtituit; Quod etiam à S. D. N. Clemente VIII. factum eſt; At qui auſu temerario contenderet, non fuiſſe piè, & ſanctè inſtituta hæc feſta; quòd antè illos Pontifices non fuerint celebrata ſolemniter, eſſet ſinè dubio Hęreticus.

Vrbanus IIII. Sixtus IIII. Sixtus Quintus. Clem. VIII.

Nulla conſtitutio de anno Iubilęi reperitur ante Bonifaciũ Octauum.

Secvndvm mihi certum eſt, quòd primus, qui conſtitutionem, decretum, & reſcriptum, (quod apud nos extet) de Indulgentia Anni Sancti, ſeù centeſima edidit, fuit Bonifacius VIII. anno Domini 1300. In ſua Extrauag. quæ incipit, *Antiquorum*; In corpore enim iuris antè præfatam Bonifacij conſtitutionem, nulla alia reperitur, quæ de hac remiſſione peccatorum Anni Sancti, ſeù centeſimi mentionem faciat; & quamuis Bonifacius non vtatur verbo Iubilæi, vel anni Sancti; res tamen eadem eſt: & ſic ſunt intelligendi Doctores, & Hiſtoriographi aſſerentes, Bonifacium VIII. fuiſſe primum, qui Iubilæum edidit, & conſtituit, ut Ioannes Andreas, Antoninus 3. par. tit. 20. cap. 7. §. 2. Soto 4. diſtin. 21. quæſt. 2. art. 1. Platina in vita Bonifacij VIII. Trithemius, & alij. Primus (inquam) decreto, & conſtitutione Iubilæum ſanciuit, & declarauit.

Io. Andr. D. Anton. Soto. Platina. Trithemius.

Indulgentia anni Centeſimi ante tépora Bonifacij vſitata.

Tertio, certum quoque eſt, quòd hæc centenaria Remiſſio, quæ conceditur Romam uenientibus, & uiſitantibus honorabiles Baſilicas Principum Apoſtolorum, erat conceſſa, & uſu recepta, ac frequentata antè tempora Bonifacij VIII. Nec ipſe fuit inſtitutor, aut Auctor huius Anni Iubilæi; ſed renouator, & confirmator. Quocircà aſſerendum quoque eſt, erraſſe Polidorum Virgilium lib. 8. de inuentoribus Rerum, cap. 1. & Nauagerium, nonnulloſque alios aſſerentes, antè Bonifacium Iubilæum non fuiſſe; ſed quibus rationibus id, quod diximus nobis certum reddatur, ſignificandum eſt. Primùm ex uerbis ipſius Bonifacij in dicta extrauaganti, id non obſcurè colligitur. Scribit enim; *Antiquorum fida habet relatio, quòd accedentes ad venerabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe, magnæ ſunt conceſſæ remiſſiones, & Indulgentiæ peccatorum*. En uides, ipſummet Bonifacium aſſerere, antiquam eſſe famam, & relationem à ſenioribus, & antiquioribus, qui eo tempore ad Vrbem acceſſerant, ſibi eſſe factam, quòd accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe, conceſſæ erant magnæ remiſſiones, & Indulgentiæ peccatorum. Dices; priora uerba illa Bonifacij non indicare hanc Indulgentiam Anni Sancti centeſimi ſuperioribus ſęculis celebratam fuiſſe; ſed generaliter exprimere, magnas Indulgentias conceſſas ab antiquis temporibus, viſitantibus Baſilicam B. Petri; quod nemo dubitat. At contrà. Verba

Polid. Virgil. Nauager. & alij errarunt.

Oſtenditur uſus centeſimi Iubilęi ante Bonifac. VIII.

trà. Verba illa extrauagantis recitata ad centeſimi Anni Indulgentiam referenda eſſe, liquidò Regula Canoniſtarum oſtendit, quæ habet, *Ex ſequentibus præcedentia declarantur*; Cùm itaque Bonifacij intentio ſit, ſermonem facere de centeſima Indulgentia, ut conſtat ex inferioribus uerbis, ſequitur, quòd & ſuperiora de eadem centeſima Indulgentia accipienda ſint. Verùm, quò id lucidiùs, & euidentiùs cognoſcatur, recenſenda eſt hiſtoria certiſſima, quam Iacobus Cardinalis Sanćti Georgij ad velum aureum ſcripſit in ſuo libello uerè aureo, De Anno centeſimo, & Iubilæo, qui iam impreſſus repetitur in Bibliotheca Sanćtorum Patrum. Hic Cardinalis fuit promotus ad Cardinalatum à Bonifacio Oćtauo, & fuit tempore Iubilæi, 1300. & interfuit quando præfatus Pontifex edidit extrauagantem, atque ut à poſteris cognoſceretur occaſio, ob quam Bonifacius Extrauagantem promulgauerit, huiuſmodi libellum conſcripſit.

Propoſitio Canoniſtarũ.

Iacobus Cardinalis Sanćti Georgij. Bibliotheca SS Patrum.

Narrat Auctor, ut rem paucis complectar, quòd in die Vigiliarum Natiuitatis Dominicæ 1299. ſub ueſperis maxima Populorum, tam Romanorum, quàm externorum copia confluxerunt ad Baſilicam B. Petri, inter quos rumor erat, magnam pro eo tempore conceſſam ibi iam olim eſſe Indulgentiam, quod etiam conſequentibus diebus accidit, & in dies frequẽtiùs; Kalendis uerò Ianuarij tanta hominum multitudo acceſſit, ut ſe mutuò impedientes, uix per uias incedere fas eſſet, tamquàm, inquit, ea breui finienda die expiraret gratia, vel maiorem autumarent. Res hæc noua, ut maximè pia, relata Bonifacio magna eum affecit admiratione; Quocircà perlećtis eius iuſſu vetuſtioribus libris, reuolutiſque antiquioribus Bullis, nihil, quod ad rem hanc pertineret, omninò reperientes, ſtatuit diuina inſpiratione, ut diligentia inter ſuperſtites adhiberetur; eſſet nè huius nouæ Indulgentiæ memoria apud aliquem; & inter multos ſeniorem Peregrinum offenderunt, qui annum centeſimum ſeptimum ætatis ſuæ agebat; Hic coràm Summo Pontifice, & dićto Cardinali teſtatus eſt, ſe meminiſſe; Patrem ſuum Agricolam alio centeſimo ſuperiori Romæ quouſque illi, quem ſecùm detulit, ſuffecit uićtus, ob Indulgentias moratum fuiſſe, ſeque ab illo admonitum, ut uenturo centeſimo Romæ ipſe adeſſe non pigritaretur, ſingulis enim quibuſque diebus illius anni, magnas ibi eſſe Indulgentias; Huius rei conteſtes alij duo reperti ſunt in Gallia, in Diœceſi Beluacenſi, ac denique in Italia non pauci tanti æui memores, idem confirmantes, qui omnes hoc vnum unanimiter aſſerebant, Romæ magnas eo anno eſſe remiſſiones peccatorum; ſed in quantitate propter tantum temporis interuallum diſcrepabant; Alij omnium culparum, alij tertię, alij quartę partis remiſſionem eſſe aſſerentes; alij item per totum annum, alij per bimeſtre tempus gratiam remiſſionis durare. Hęc omnia ad Summum Pontificem relata, nolens ille, Spiritum ſanćtum tantę deuotionis extinguere, cùm ad ędificationem, non ad deſtrućtionem ſe poſitum eſſe ſciret, de Indulgentia Anni Centeſimi, tota re plenè, ac diù pertraćtata, de conſilio Fratrum, quod ſola traditione per manus Seniorum ad nos venerat, conſtitutione, & reſcripto ſtabilire, & certum reddere decreuit; Vndè Extrauagantem edidit, & promulgauit, cuius eſt initium, *Antiquorum fida habet relatio* (horum videlicèt teſtium, & Seniorum) *quòd venientibus ad venerabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe, magna ſunt conceſſa remiſſiones Peccatorum, &c.*

Hiſtoria inſtitutionis anni Sanćti per Bonif. VIII. ex eodem Iacobo.

Vndè, quiſquis es pius, & Chriſtianus lećtor, uides apertè, non ſolùm ex Hiſtoria Iacobi Cardinalis, ſed etiam ex verbis ipſius Bonifacij hoc planè colligi, quod ſcilicet, vt antiquiores, & Maiores annunciarunt, centeſimo quoque anno maximæ Romæ conceſſæ erant Indulgentiæ peccatorum. Hanc ipſam traditionem, & famam publicam centeſimæ Indulgentiæ, etſi ſcripto non conſtaret, refert, & ſcribit Ioannes Villanus maximæ auctoritatis Hiſtoricus, qui floruit tempore Bonifacij; Hic lib. 8. ſuæ Chronicæ, cap. 36. *Cùm à multis*, inquit, *diceretur, quòd ſuperioribus temporibus, quolibet centeſimo anno, in Natiuitate Chriſti, Pontifices maximas Indulgentias concederent viſitantibus limina Apoſtolorum, &c.* Idem ſcribit Ioannes Monachus Cardinalis in Gloſſa magna, quam fecit ſuper dićtam Extrauagatem Bonifacij, vulgatam rem eo tempore fuiſſe, talem Indulgentiam in annis centeſi-

Io. Villanus.

Io. Monach.

mis à

mis à Natiuitate Chriſti concedi ſolitam eſſe; Hic tempore Bonifacij fuit, & dicit *Turrecr.* ſe hęc ex ore ipſius Pontificis audiuiſſe; Idem quoque Turrecremata. Vndè ex his omnibus conſequens fit, ut traditione, & communi omnium conſenſu certum ſit hunc ritum, & morem veniendi Romam ad Indulgentias conſequendas centeſimo quoque anno, longè ſuperaſſe Bonifacij tempora, quod ſatis declarant verba illa, *Antiquorum fida habet relatio.* Aduerte preterea, quòd in noſtro Codice, in quo reſcripta eſt ab eodem Iacobo Cardinali Bulla, *Antiquorum*, titulus, ſeù inſcriptio Bullæ, non vt cæteri habet, ſed hunc in modum; *Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum*; ponderanda ſunt verba illa, *ad certitudinem præſentium.* Aliqua enim tunc habebantur certa, & aliqua incerta; certa, quòd à Natiuitate Chriſti centeſimo quoque anno, huiuſmodi concedebatur Indulgentia; incerta, quanta nempè eſſet, an tertiæ partis peccatorum, vel plenaria; quantum vè duraret, an per menſem, vel per duos menſes, & quoties viſitanda forent Apoſtolorum limina: Quocircà Pontifex uolens illos certiores reddere, edidit extrauagantem, ad præſentium, qui dubij erant, certitudinem; Addè, uerba illa, quibus in eadem Extrauaganti utitur, *Præſentis ſcripti Patrocinio communimus*, & iterum; *Hanc paginam noſtræ confirmationis*, apertè indicare, potius Pontificem Iubilæum tunc innouaſſe, & in ſcripturæ paginam redegiſſe, quàm inſtituiſſe, quod etiam prænotauit Na- *Nauar.* uarrus, notab. 7. nu. 4. Narrat autem dictus Cardinalis, copioſiſſimas oblationes eſſe à fidelibus factas Baſilicis Apoſtolorum, quinquaginta millium aureorum B. Petri, & triginta Beati Pauli; ex quibus Pontifex multa prædia dictis Baſilicis emit, & Canonici dictæ Baſilicę Sancti Petri Caſtrum habent, quod Caſtrum Iu- *Caſtrum Iubilæi.* bilęi nuncupatur uſque in hodiernum diem.

Oſtenditvr quoque ſecundò, hanc Indulgentiam Iubilęi antiquiorem eſſe *Hiſtoria Eccleſiæ Montis Serrati.* Bonifacio Octauo, ex Hiſtoria ualdè notabili Eccleſię Sanctę Mariae Montis Serrati, quę conſtructa fuit antè Bonifacium per ſeptingentos, uel ſexcentos annos ad minus. In Bulla fundationis huius Eccleſię narratur, ut ex Religioſis Patribus Societatis Iesv, qui eam uiderunt, legerunt, & obſeruarunt, accepi; quod commiſſo peccato carnis, uenit Romam Fundator illius Eccleſię ad Indulgentias conſequendas, quia ille annus Romę erat annus Indulgentiarum.

Cyprian. Tertio. Idem probatur rationibus non obſcuris, conſtat ex Epiſtola Cypriani *Conc. Ancyr.* & Concilio Ancyrano; & Nicęno 250. annis poſt Chriſtum celebratis, factas *Conc. Nicæn.* fuiſſe ab Epiſcopis pro uniuerſa eorum Diœceſi, aliquando remiſſiones pœnitentiarum, ſeù pœnarum pœnitentibus iniunctarum, occaſione perſecutionum, quę in Chriſtianos in dies inualeſcebant, ut ſic fideles animarentur ad perſecutiones patienter tolerandas, ac forti, uirilique animo ſuperandas. Ergò uerìſimile eſt, ut quemadmodum priuati Epiſcopi in ſuo Epiſcopatu certo quodam tempore indicebant, & celebrabant remiſſiones generaliter, quoad omnes ſuos ſubditos, ita Pontifex Romanus pro totius Orbis commodo, & ſalute, certó anno, ac definito tempore indiceret, & celebraret maximè uniuerſalem remiſſionem, & Indulgentiam delictorum.

Ritus, & templa gentilium in Chriſtianorum ritus, & templa côuerſa à Pontificibus. Secvnda ratio; Fuit ſemper inſtitutum Paſtorum, & Summorum Pôtificum, ut ritus, cęremonię, & celebritates Gentilium; Immò & templa illorum conuerterentur in ritus, & cęremonias Chriſtianę Religionis, quò Idolatra Populus faciliùs ad ueri Dei cultum adduceretur; ſicut de Aqua Benedicta, de Feſto Kalendis Augusti, de Purificatione Beatę Virginis Mariae, de Pantheon, deniq; ętate noſtra, de Thermis Diocliciani peractū eſt. Cùm igitur apud ueteres Romanos mos eſſet, ludos, quos à ſeculi ſpacio ſeculares uocabant, centeſimo quoque anno celebrare, ac buccinatum clamore uniuerſos ſuperſtites conuocare; *Ad illud ludi genus, quale nec hactenus vidiſtis, nec ampliùs viſuri eſtis*, ſic Pręcone clamante, ut ſcri- *Volaterran.* bit Volaterranus lib. 29. Pium, & Sanctum eſt excogitare, hunc ritum in centeſimam Romanam Indulgentiam cõmutatum eſſe; & cùm apud Euſebium in Chro- *Euſeb.* nicis, anno Chriſti 247. & lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 27. & Nicephorum lib. 5. ca. 25. *Nicephor.* legamus, Philippum Primum Imperatorem Chriſtianum, quòd hos ludos uoluerit celebrare,

rit celebrare, à Sancto Pontifice inter Pœnitentes connumeratum eſſe, & iam hos ludos à Chriſtianis damnatos, & reprobatos eſſe cognoſcimus; quid uetat dicere, ab eo tempore ſolennitatem illam in hanc mutari cœptam? Quicquid tamen ſit; hæc Anni Sancti ſolennitas, omnium fidelium cœtus, peregrinatio, & concurſus ad Vrbem ad gratiam remiſſionis acquirendam, longè illam ſæcularium ludorum celebritatem ſuperat, & antecellit.

Ioannes Monachus, & Turrecremata locis citatis, dicunt, vulgare eſſe, à Natiuitate Chriſti in Annis centeſimis, Iubilæum ab antiquo tempore incepiſſe; ſed propter multas tribulationes ortas in Vrbe, multo tempore ceſſaſſe, poſteà uerò tempore Bonifacij præfati renouatum fuiſſe. Io. Monac. Turrecr.

CAPVT SEXTVM.

Quoties Iubilæi Tempus fuerit permutatum.

VARIA Temporum ſpacia fuere à Summis Pontificibus pro tempore exiſtentibus celebrationi Sacri Iubilæi aſſignata; Bonifacius VIII. Centenarium Annum in Iubilæum ordinauit, Clemens VI. annum quinquageſimum; Vrbanus Sextus, trigeſimum tertium, Paulus II. vigeſimum quintum, atque hic eſt ultimus ſtatus Anni Sancti, ſeu Iubilæi. Sed Cur celebritati Anni Sacri prædictorum numerorum ſpecies dedicatæ, & conſecratæ ſint, perpulchrum erit conſiderare; cùm enim Deus Optimus Maximus omnia in pondere, numero, & menſura, ut Sapientiæ ſecundo dicitur, condiderit; numerorum conſiderationes ad diuinam ſapientiam cognoſcendam, ſacraque Myſteria ſpeculanda plurimum conducunt; quod & Pythagoræ, & Platoni, qui omnia ex numeris conſtare dicebant, nec non D. Auguſtino, qui (ut ſuperius diximus) numeros ſacratiſſimos nominabat, ſummoperè placuit; quapropter non ſinè peculiari Diuini Numinis impulſu, in Centeſimo, quinquageſimo, trigeſimo tertio, & uigeſimo quinto Anno, Iubilæi ſolennitatem habitam eſſe, credendum eſt.

Diuerſa tempora ſtatuta pro anni Sancti celebritate.

Sap. 2.

Numerorum conſideratio quantum ualeat.

Pythagoras. Plato. D. Auguſt.

Et quidem, in centeno Anno conuenienter Iubilæum fuiſſe inſtitutũ, non erit difficile perſuadere: continet enim hic numerus plenitudinem perfectionis, ut docet Origenes homil. 2. in Geneſim, D. Hieronymus in Eſaiam ca. 65. & in Ezechielem cap. 12. & Rupertus ſuper libro Iudicum cap. 11. *Complectitur enim decem Decades, habetq́; literæ æqualia, & quadræ formæ* (verba ſunt Hieronymi) *poſſidet firmitatem, unde & plenus eſt numerus, atq; perfectus.* Præterea veteres ſumma religione, centenario numero utebantur. Vndè Plato ad delendam culpam eo numero vſus eſt; nam cuilibet iniquitatis gradui ſuppliciorum decem contribuit; Vnde, & læſæ diuinæ Maieſtati eodem modo rependi, omnino æquum fuit, ut & qui in decem Decalogi præceptis diuinam uoluntatem offenderint; in centenario Anno, in quo decies decennem Pœnitentiam præſtarent, Deo Decalogi auctori omninò ſatisfacerent; Denarij enim rationem centenarius numerus continet, ut dictum eſt; Quomodo autem hic numerus centeſimus etiam apud Ethnicos fuerit maximè celebratus, & quantoperè apud illos venerationi fuerit, recenſet Polidorus exactè in libro de Rerum Inuentoribus. Adde, quòd hic numerus totius rationalis creaturæ continet Sacramentum, cùm nonaginta nouem oues in montibus relictæ, ut Lucæ 15. habetur, Angelicos ordines in Cœlis deſignent; centeſima verò, ob quam ſolùm deſcendit Chriſtus, ut illam quæreret, quia perierat, humanam naturam ſignificet, lege Hylarium Canon. 18. in Matthæum, & Ambroſium ſuper Lucam 15. Optimis igitur, conuenientibuſque rationibus à Bonifacio in centeſimo anno conſtitutus fuit, cùm ſit numerus perfectiſſimus; Religioni, Pœnitentiæ, ac ſatisfactioni aptiſſimus; hominemque perditum diuinis humeris

Cur in centeſimo anno celebraretur Iubilæus.

Origen. Hieron. Rupert. Plato.

Polidorus.

Luc. 15.

Hylarius. Ambro.

meris

meris ſubleuatum, & ad cœleſtem caulam tranſlatum deſignet; Præterquam quòd, quia rariora ſunt præclariora, atque apud homines in maiori æſtimatione habentur; ideò, vt quid rarum, & ſublime Iubilęus æſtimaretur, in eo numero fuit conſtitutus. Hùc accedat, & eſt ratio à priori, quòd hæc erat vulgaris fama, & cõmunis conceptus hominum, vt in quolibet centeno anno huiuſmodi beneficium fidelibus proponeretur. Quam opinionem ſequutus Bonifacius, centenam illam de Iubilæo conſtitutionem edidit; Qui tamen poſteà terminus, rationabilibus de cauſis, ab eius ſucceſſoribus permutatus fuit.

Cur Bonifac. VIII. Iubilęi celebrationẽ inſtituerit, an no centeſimo

IOANNES Monachus acutam in Gloſſa magna mouet quęſtionem, cur Bonifacius non in quinquageſimo, ſed in centeſimo Anno Indulgentiam iſtam conceſſerit; cuius rei plures congruentias aſſignat.

PRIMA eſt, quam ex ore Pontificis teſtatur, ſe accepiſſe; cùm vulgatum, & famoſum eſſet, centeſimo quoque anno ab ortu Saluatoris conſuetum fuiſſe, huiuſmodi Indulgentias concedi, noluit, vt eo anno centeſimo, qui tempore ſui regiminis, ſecundùm naturalem curſum temporis acciderat, Populus Chriſtianus tanto munere fruſtraretur.

SECVNDA, ob fauorem Indulgentiæ tranſmarinæ, quæ ſimilis huic erat, vt hęc, ſicut & tranſmarina, ſemel ad ſummum in vita acquireretur. Periodus autem humanæ vitæ annum centeſimum (exceptis pauciſſimis) non tranſcendit.

TERTIA. Quia per iſtam Indulgentiam, quæ verè pœnitentibus, & confeſſis conceditur, duplex Indulgentia, culpæ videlicèt, & pœnæ haberetur, & ideò congruè non in quinquageſimo, qui ſimplicem remiſſionem denotat, ſed in centeſimo conceditur, qui duplicem continet Iubilæum.

D. Hieron.

QVARTA. Quia centenario numero, (ut D. Hieronymus lib. 2. Epiſtol. aduerſus Iouinianum, in Apologia ad Pammachium, ferè in principio, docet,) trãſitus quidam à ſiniſtra in dexteram, ſcilicèt ex hac lachrymarum Valle in Cœleſtem Hieruſalem abſque alio medio, quod per hanc Indulgẽtiam fit, ſignificatur; Qui enim ex hac vita diſcedit poſt dignam Sacri Iubilæi acquiſitionem, tranſit immediatè à læua præſentis aduerſitatis, ad dexteram æternæ felicitatis.

QVINTA. Quoniam Hebraicus Iubilęus temporalia tantùm commoda pręſtabat, Eccleſiaſticus uerò ſpiritualia: quapropter meritò duplicatur in quolibet quinquageſimo.

SEXTA. Vt hęc Indulgentia Pleniſſima per numerum perfectiſſimum deſignaretur, qui eſt centeſimus. Pręterea aliam congruentiam aſſignat, quam, cùm ea nos non delectet, apud illum legas.

Cur à Clem. VI. Iubilæi celebratio quinquageſimo anno fuerit inſtituta.

VERVM, ut iſtę rationes conuenientiſſimè commouerunt Pontificem ad illud tunc ſtatuendum; ità alię quoque non ſinè Spiritus Sancti afflatu, Clementem Sextum impulerunt ad ſtatum Sacri Iubilęi permutandum, & pręterea, ut figuratum uerìſimiliùs, & aptiùs figurę reſponderet; cùm igitur in ueteri lege, in quinquageſimo Anno Iubilęus celebraretur; in noua eodem quoque temporis termino congruum erat celebrari; tùm etiam quia id omninò exigebat humana fragilitas; cùm enim hominum peccata abundantiùs creſcerent, frequentiori lauacro eluenda erant. Addè, quòd propter uitę noſtrę breuitatem, carniſque infirmitatem, cum ex mille hominibus ſępiùs ne unus quidem annum centeſimum attingat: omnes enim *Dies noſtri defecerunt*, ut inquit Pſal. 89. huiuſmodi reductionem de centeſimo in quinquageſimum fieri, conuenientiſſimum fuit; Hùc accedat, quòd numerus quinquagenarius ad peccatorum Remiſſionem etiam, atque etiam accommodatus exiſtit, ut ſuprà diximus.

Pſal. 89.

Cur Vrbanus VI. ſtatuerit Iubilæum trigeſimotertio anno celebrari.

QVOD autem eiuſdem Iubilęi celebrationis tempus ab Vrbano Sexto ad trigeſimum tertium annum reductum fuerit, & diuino conſilio, & optima ratione effectum dicimus; tùm, ut labenti homini in uitiorum pręcipitia citiùs, & frequentiùs ſuccurreretur; tùm etiam, ut annos, quibus Saluator Mundi in hac carne mortali ſemper pro nobis patiendo uixit, uenerarentur; ex cuius meritis, & paſſionibus omnis fructus Sacri Iubilęi dependet.

QVARE

Qvare nonnulli, ut Irenæus in lib. 2. aduerſus Hæreſes, cap. 39. & 40. affirmarunt, Chriſtum uixiſſe annos quinquaginta, & paulò plus, adducti illo loco Ioãnis 8. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidiſti*; licèt Chryſoſtomus, & Euthymius non quinquaginta, ſed quadraginta annos legant; ſed id omninò improbabile eſſe, conuincitur, quoniam tunc Chriſtus non fuiſſet mortuus Tiberio Cæſare Imperante, & ſub Pontio Pilato, quod Hæreticum eſt negare. Cardinalis Baronius anno Chriſti 34. tomo 1. Irenæum excuſat, putatq; illud dictum impoſturæ ſuſpicione non carere, quòd in eodem cap. 39. dicat Irenæus, Chriſtum baptizatum fuiſſe trigeſimo anno, ac ſubindè tria enumerat Paſchata, in quorum ultimo Chriſtum occiſum fuiſſe, affirmat.

Quot annis Chriſtus in terris uixerit, & quo anno ſit mortuus. Irenæus. Ioan. 8. Chryſoſt. Euthym. Card. Baron.

Alij, vt Tertullianus aduerſus Iudæos cap. 8. Clemens Alexandrinus libro 1. ſtromatum; Iulius Aphricanus libro 5. Annalium, Lactantius Firmianus lib. 4. cap. 10. Hieronymus in Danielem, cap. 9. & Epiſtola 22. verſus finem, D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. ultimo in ea fuerunt ſententia, Chriſtum mortuum eſſe eodem anno, quo baptizatus eſt, ideſt, anno ætatis ſuæ trigeſimo; quam uis Epiphanius, Hæreſi 51. hunc errorem Valentino Hæreſiarchæ, tamquam primo aſſertori, tribuat.

Tertull. Clem. Alex. Iul. Aphric. Lactant. Fir. Hieron. Auguſt. Epiphan.

Alij, ut Apollinaris Laodicenus Epiſcopus, ut refert Hieronymus cap. 9. ſuper Danielem, opinati ſunt, Chriſtum uixiſſe triginta, & uno annis; quod idem uidetur ſenſiſſe Cyrillus Alexandrinus in cap. 29. Eſaiæ, Philaſtrius de Hæreſibus, cap. 107. Seuerus Sulpitius libro 2. Sacræ Hiſtoriæ, & Paulus Oroſius lib. 7. cap. 4. ut refert Ioannes Lucidus, De vero Die Paſſionis Chriſti, cap. 9.

Apollinar. Cyrill Alex. Philaſtrius. Seuer. Sulp. Oroſius. Lucidus.

Alij, ut Beda in libro de Ratione Temporum, cap. 45. Albertus Magnus, in Commentario Epiſtolæ Dionyſij Areopagitæ, Honuphrius Panuin. Marianus Scotus in ſuo Chronico, & nonnulli alij exiſtimant, Chriſtum mortuum eſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto, inchoato quidem, ſed non expleto, ideſt, poſt tres menſes, peracto trigeſimo tertio anno.

Beda. Alber. Mag. Panuin. Mar. Scotus.

Alij uerius exiſtimant, Chriſtum obijſſe trigeſimo tertio anno ſuæ ætatis inchoato, ſed non expleto, ideſt, expleto trigeſimo ſecundo anno, & tribus menſibus, & paulò plus. Qui huius rei probationem exactam cognoſcere deſiderat, legat Pererium in Danielem libro 11. quæſt. 7. & Cardinalem Baronium loco citato, quod nos obiter indicare uoluimus, ut ueram annorum Chriſti ſeriem ſignificantes, non incongruè aſſeramus, Vrbanum Sextum ad Sacri Iubilæi obſeruationem numerum trigeſimum tertium elegiſſe, ut refert Paulus II. in ſua Bulla noua, quæ incipit, *Ineffabilis*. Quod etiam Martinus V. confirmauit, ut in eadem Bulla dicitur; non enim Vrbani Sexti, uel Martini V. de huiuſmodi Iubilæo conſtitutio extat.

Pererius. Card. Baron. Paulus II. Martinus V.

Vervm, quoniam Dominus eſt, *Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*; hominum miſerias crebriora remedia, his nouiſſimis temporibus, quibus Charitas, ardorque Pœnitentiæ ſummopere refriguit, expoſcere intelligens; Paulum Secundum, Pontificem Maximum, Reſtorem Eccleſiæ ſuò Sancto Spiritu afflante, ut intra uigeſimi quinti anni circulum Sacrum Iubilæum includeret; ut homines, qui in peccatorum ſeruitutem, & captiuitatem frequentiùs creſcente malitia mancipantur, faciliùs ſoluerentur; quodque ſaltem bis in uita plerique fidelium, uita comite, Sancti Iubilæi fructum dulciſſimè deguſtarent; & cùm numerus uiginti quinque medietas ſit quinquageſimi, mediam perfectionem deſignans, ut Hieronymus ait ſuper Ezechielem cap. 8. intelligant ob id proficientes, ſe ad altiorem, completamque perfectionem, quæ in quinquagenario deſignatur, uocari. Adde, quòd hic numerus uigintiquinque, ut docet Origenes homil. 5. in Numer. Hieronymus ſuper Ezechielem 4. & Rupertus 6. ſuper Ioannem, eſt numerus quadratus, & ex quinario quinque ſenſuum perfectio declaratur, quam hi acquirunt, qui purificatis ſenſibus, Sancti Iubilæi obſeruationem adimplent. Quod ſi à uiginti quinque annis aſſumebantur Leuitæ, ut ingrederentur, & miniſtrarent in Tabernaculo fœderis;

Quare Paulus Secundus Iubilæum uigeſimo quinto quoque anno celebrari iuſſerit. D. Hieron. Origen. Hieron. Ruper.

Cur non

Cur non fideles conuenienter vigeſimo quinto quoque anno purgati, ac benè mundi Vrbem ingrediuntur ad Iubilæi Indulgentias conſequendas? Hunc Iubilæi ſtatum ſequuti fuere alij Romani Pontifices, videlicèt Sixtus Quartus, Alexander Sextus, Clemens Septimus, Iulius Tertius, & Gregorius XIII.

An verè Iubilæus anno trigeſimotertio celebratus fuerit. Francus.

Cyrillvs Frãcus in cap. 9. dubitat de anno Iubilęi trigeſimotertio, cùm apud Sabellicum, Antoninum, Nauclerium, Supplemẽtum Chronicorum, Ioannem Tarcagnotam, alioſque Hiſtoriographos illius mentionem fieri, non legerit; ſed profectò Paulus Secundus in ſua conſtitutione, (ut diximus) quę habetur in Bullario Romano, tomo primo, huius rei mentionem facit. Quamuis ipſe Vrbanus, ſecundùm aliquos, pręſatum Iubilęum non celebrauerit, ſed Bonifacius Nonus, qui ſucceſſor eius fuit.

Alexander Sextus dicit in ſua Bulla, quę habetur ſimiliter in primo tomo, Gregorium Vndecimum, qui fuit anteceſſor Vrbani Sexti, ordinaſſe Iubilęum in trigeſimo tertio anno: quicquid tamen ſit, dubitandum non eſt, Iubilęum Anni Sancti aliquando reuocatum fuiſſe ad trigeſimum tertium annum, ut ex ſupradictis Bullis patet.

CAPVT SEPTIMVM.

Cur Romæ, & non alibi celebritas Anni Sancti habeatur.

A Proposite hoc loco quæri poſſet, cur celebritas Anni Sacri, vel Sancti Iubilęi Romę ſolùm habeatur, cùm alias Indulgentias, ad inſtar Iubilęi à Summis Pontificibus emanatas, nõ unico loco, nec ſingulari aliqua Ciuitate, uel Prouincia coarctari, ſed uniuerſo Orbi Chriſtiano illicò poſt earum publicationem communicari uideamus.

Afferũtur rationes, cur Anni Sancti Iubilæus Romæ, & nõ alibi celebretur.

Hvic dubitationi reſpondendum eſt, Romanos Pontifices ſemper conſueuiſſe in Romana Ciuitate, etiamſi ab ea abſentes eſſent, Anni Sancti Indulgentiam, & ſolemnitatem optimis rationibus celebrare; Quarum illa præcipua eſt, ut Baſilicę Principis Apoſtolorum, & B. Pauli Apoſtoli, per quos Religio Chriſtiana sũpſit exordium, eò amplius honorarentur, quò deuotiùs à fidelibus fuerint frequentatę ſentientibus, ſe ex huiuſmodi frequentatione ſpiritualium largitione munerum opulenter refertos. Hęc eſt ratio Bonifacij VIII. & Clementis VI. in ſuis Bullis: ſi enim in ueteri lege Moſaica filij Iſraël ter in anno Templum Salomonis in Hieruſalem, quę Metropolis erat Iudæę, adire, ac uiſitare tenebantur, ut Exodi 23. & 34. Duteron. 16. & Lucę 2. legitur; cur conuenientiſsimum, rationique maximè conſentaneum non iudicabitur, ſi fideles, ſemel ſaltem in uita, ad Beatiſsimi Petri Baſilicam uiſendam, Sacri Iubilęi commodo inuitentur? Nicolaus de Lyra adnotat, Hębręos illos, qui longè ab Hieruſalem diſtabant, in duplici tantùm Feſto, uidelicèt, Tabernaculorum, & Pentecoſtes, ab huiuſmodi peregrinatione immunes fuiſſe; non autem à tertia, quę in die Paſchatis, ſeu Azimorũ celebrabatur; & quoniam iugũ Euangelij ſuaue eſt, & onus Chriſti leue, non ex præcepto nunc Chriſtiani obligantur ad præfatas Sanctorum Apoſtolorum Baſilicas viſitandas; ſed tantùm ex pia fidelium conſuetudine, & ex mera electione eorum, qui animę ſuæ conſulere deſiderant, per Sacri Iubilęi acquiſitionem. Hæ Baſilicæ non ſolùm viſitatione dignæ ſunt, quòd in memoriam, & venerationem Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli erectæ fuere: ſed quòd in illis reliquiæ, & corpora Sanctorum Apoſtolorum habeantur; Petrum enim, & Romæ fuiſſe, & ibidem mortuum eſſe, clara fides eſt, nec ab Hæreticis ob multorum de hac re ſcribentium conſenſum negari vllo modo poteſt, vt ipſemet Caluinus lib. 4. Inſtitutionum cap. 6. §. 15. tantorum Scriptorum teſtimonijs conuictus, velit, nolit, fatetur.

Bonif. VIII. Clem. VI. Exod. 23. & 34. Deut. 16. Luc. 2. Lyranus.

Petrũ Romę mortuum, etiã Caluinus fatetur. Error hereticorum, Petrũ Hieroſolymis fuiſſe occiſũ.

Vdalricvs Velenus, Lutheri ſectator, decem, & octo argumentis, (falſis tamen) perſuadere contendit, nec Petrum, nec Paulum Romę, ſed Hieroſolymis occiſos eſſe,

ciſos eſſe; quem errorē ſequutus eſt Vrbanus Reigers, & Sebaſtianus Francus,& ante ipſos docuit Guglielmus quidam Ioannis Vuiclephi Magiſter, ut refert Thomas Vualdenſis lib.2. Doctrinalis fidei, art.1.cap.7. Sed argumēta Veleni optimè Bellarminus euertit in lib.2. de Summo Pontifice, vbi etiam plurimorum Patrū teſtimonia adducit, luce meridiana clariora; ex quibus certiſſimum fit, Petrum,& Paulum Romę Martyrium paſſos eſſe; De qua re Echius in ſuo Enchyridion in titulo de Primatu Petri, egregiè tractat; Nos uerò nonnulla ex Antiquorum Patrum ſcriptis, ad legentium conſolationem, hic reſcribenda duximus, quibus clariſſimè oſtendetur, Petrum, & Paulum Eccleſiam Romę fundaſſe, nec non ibidem Martyrio coronatos fuiſſe.

Vualdenſis. Bellarm. Echius.

Dionysivs Corinthiorum Epiſcopus, qui fuit Romæ anno Domini 50. uel 100. ut refert Euſebius lib.3. Hiſtoriæ, cap.24. ſcribens ad Romanos, ſic dicit, *Petrum, & Paulum, qui Romanos, & Corinthios primùm in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt; prudenti quadam admonitione impulſi, in vnum locum concluſiſtis, nam ambo, cum & noſtram Corinthi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundaſſent, & eiuſdem doctrinæ præceptis, tùm noſtros animos, tùm veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter martyrium ſubierunt; Atque iſta hoc loco intexuimus, quò rei geſtæ maior, certiorque adiungatur fides.* Quod idem Caius Eccleſiaſticus Scriptor, qui Zepherini Romani Pontificis temporibus uixit, teſtatur, ut ſuperius retulimus.

Patrum teſtimonia, quod Apoſtoli Petrus, & Paulus Romæ fidem fundauerint, & mortē paſſi fuerint. Dionyſ. Corinthi. Epiſcopus ex Euſeb. Caius.

S. Ignativs, D. Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus, qui poſt Chriſtum paſſum, Anno 109. floruit, ad Tharſenſes ſic ſcribit. *Quid? quòd Petrus crucifixus eſt? Paulus, & Iacobus gladijs obtruncati ſunt? Ioannes in Pathmos inſulam relegatus eſt?* Et in Epiſtola ad Romanos, *Non ſicut Petrus, & Paulus præcipio uobis, illi enim Apoſtoli Iesv Chriſti, ego autem minimus.* In quibus uerbis alludens ad paſſionem Petri, & Pauli, quæ non multò ante Romæ contigerat, rogat Romanos, nè ſibi impediant paſſionem, ſicut & Apoſtolorum impedire conati erant.

D. Ignatius.

D. Irenaevs, qui Anno Chriſti, 180. uixit, lib.3. cap.1. contra Hæreticos, ſic habet; *Matthæus Hebræis ipſorum lingua ſcripturam dedit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Eccleſiam.* Et cap.3. *A glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundata, & conſtitutæ ſunt Eccleſiæ.*

Irenæus.

Evsebivs Cæſarienſis lib.3. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.1. ſic ſcribit, *Thomas, (ut memoria proditum eſt) Parthiam obtinuit, Andreas Scythiam, Ioannes Aſiam obijt, ubi reliquum uitæ ſuæ curſum conficiens, Epheſi morte occubuit; Petrus autem, ut uidetur, Iudæis, qui in Ponto, Galatia, Bythinia, Cappadocia, & Aſia diſperſi uixerunt, Verbum Dei prædicauit, qui ad extremum, cùm Romæ uerſaretur, capite deorſum uerſo, (ſic enim perpetuò cupiebat) Cruci ſuffixus eſt. Quid attinet de Paulo dicere, qui ſimul ac ab Hieruſalem ad Illyricum uſq; fuerat Euangelij Chriſti prædicandi munus plenè executus, poſt Romæ (Nerone ſummam rerum adminiſtrante) Martyrio occubuit. Iſta ab Origene ad Verbum, 3. tomo, Commentariorum, quos ſcripſit in Geneſim, re uera commemorata ſunt.* Hæc ibi Euſebius, & in Chronicis ait. *Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex Primus, cùm primùm Anthiochenam fundaſſet Eccleſiam; Romam proficiſcitur, ubi Euangelium prædicans 25. annis, eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.*

Euſeb.

Tertvllianvs, qui fuit Anno Domini 190. lib.3. aduerſus Marcionem, *Romanis*, inquit, *Euangelium Petrus, & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt*; & in libro de Præſcript. Hæret. ait, *Si Italiæ adiaces, habes Romam, unde nobis quoq; auctoritas præſtò eſt. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cùm ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur.*

Tertull.

Lactantivs Firmianus libro 4. diuinarum Inſtitutionum, quem de uera ſapientia inſcripſit, ſic ait, *Diſcipuli uerò per Prouincias diſperſi, fundamenta Eccleſiæ vbiq; poſuerunt, facientes & ipſi in nomine Magiſtri Dei magna, & penè incredibilia miracula, quia diſcedens inſtruxerat eos uirtute, & poteſtate, qua poſſet nouæ annunciationis ratio fundari, & confirmari: ſed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt.*

Lactan.

Gavdentivs Brixianus, ſcriptor vetuſtiſſimus, inquit. *Hoc enim die apud*

Gaudent.

Vrbem Romam, Ambos pro Chriſti nomine Neronis crudelitas interfecit.

Dion. Areop. Linus Papa.

DIONYSIVS Areopagita, Sancti Pauli Apoſtoli Diſcipulus, ſcribit ad Thimotheum Condiſcipulum de tranſitu Apoſtolorum; & Linus Papa, proximus poſt Petrum, ſcripſit Orientalibus pro Martyrio Petri in Vrbe. Relinquo hic teſtimonia Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Leonis, Gregorij, Athanaſij, Damaſi, Oroſij, Entropij, & Aliorum, quos apud Echium, & Bellarminum, qui ex profeſſo hanc rem tractant, perlegas.

Corpora Apoſtolorum. Theodoret. D. Gregor. D. Chryſoſt. Conc. Calce. Elpis uxor Boetij.

Horum Apoſtolorum oſſa (ut ad rem noſtram reuertamur) in Sacroſanctis Baſilicis Petri, & Pauli ſumma ueneratione, regalique munificentia condita ſunt; Hæc fidelium animas illuminant, (ut Theodoretus in Epiſtola ad Leonem Papam inquit) Hæc ſedem Apoſtolicam ſublimant, (vt Gregorius Magnus libro 6. Epiſtola 37. dicit) Hęc Romanorum Vrbem, tamquàm per duas lampades, ubique terrarum lumen effundentes, ſplendeſcere faciunt, pluſquàm Cœlum; quando radios ſuos Sol ex ſe dimittit, (ut Chryſoſtomus inquit homil. 32. in Epiſtolā ad Romanos) Hæc faciunt Romæ lucere Apoſtolicos radios, qui indè ſe ad omnes expandunt, & bona ſua cùm cæteris communicant, ità Concilium Chalcedonenſe in Epiſt. ad Leonem. Propter hęc denique Romana Vrbs *Excellit omnèm mundi pulchritudinem*, (ut rectè cecinit Elpis vxor Boetij, in Hymno de Apoſtolis) Poſtremò hęc Sacroſancta oſſa Romam uerè Caput Mundi efficiunt; diuino enim Numine, ad hoc ſignificandum, effectum fuit, ut Caput Petri in crucifixione eius ſolum Romanum contingeret; deorſum enim capite inuerſo, & ad terram conuerſo crucifixus fuit; ſic Petro exigente, nè Domino IESV Chriſto exæquari uideretur, ut Euſebius teſtatur lib. 3. Hiſtor. cap. 1. Origenes lib. 3. Comment. in Geneſim, Ægeſippus lib. 3. de excidio Hieroſolimę, cap. 2. Iſidorus in uita Sancti Petri, Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. ca. 1. Prudentius Periſteph. hymno 12. Cuius rei, etſi alię rationes à Cardinali Baronio tomo 1. Annalium, anno 69. à Chriſto ex Patribus reddantur; nobis tamen hęc, ut noua, & pia, hoc in loco arridet.

Euſeb. Orig. Aegeſip. Iſidor. Hieron. Prudent. Baron.

Ex morte Petri Romę conſtituta eſt Sedes Pontificia. Optatus. Ambroſ. Cyprian.

Ex Petri autem morte, quam Romæ ſortitus eſt, Cathedra Epiſcopalis in Vrbe fundata eſt, vt Optatus li. 2. contrà Parmenianum, & Sacerdotium Summum Romanæ Eccleſiæ conceſſum fuit, vt Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. & Cyprianus lib. 1. Epiſtola 3. ad Cornelium, & lib. 4. Epiſtola 2. ad Antonianum, ac denique per hanc Petri Cathedram Sacerdotalem Romana Eccleſia omnium aliarum Caput euaſit.

Sanderus.

Nec ſine diuino myſterio factum eſt, vti Sanderus lib. 7. de viſib. Monar. adnotauit; D. Petrum Apoſtolorum Principem in Samaria detexiſſe Simonem Magum, Hæreticorum Principem, in Iudæa conuiciſſe, in Italiam inſecutum fuiſſe, & tandem in Vrbe Roma prauum hominem penitùs extinxiſſe. Vt hoc factomōſtraretur, cunctas Hereſes à Cathedra Romana perpetuò extinguendas eſſe, totūque Draconis, id eſt Hęreſeos corpus, quod complectitur caput, & membra, & ipſam caudam, à Petra Romana, in qua Eccleſia Chriſti fundata eſt, & ædificata, cōfringendum, & conterendum. Adde quòd hæc D. Petri Sedes, non ſolùm Hæreticos erat compreſſura; ſed etiam adductura ad Chriſti veram fidem ipſos etiā Imperatores, & Reges; ut etiam multo ante, inter cætera, prædixerat Sybilla Erythręa. Nempè, quòd Deus humanatus eligeret ſibi ex piſcatoribus, & deiectis numerum duodenarium, vnumque Diabolum, (id eſt Iudam Iſcariothem) quòdque non in gladio, bellove Æneadem Vrbem, Regeſque ſubijciet, ſed in hamo piſcantis: Quæ Prophetia primùm ex Chaldæo ſermone in Græcum, ac deindè in Latinum tranſlata extare dicitur Venetijs in Bibliotheca Sancti Georgij Maioris, quod eſt Monaſterium Congregationis Sanctæ Iuſtinę Ordinis Sancti Benedicti, & citatur à D. Bernardino in 6. parte ſerm. 1. de Feſtiuit. MARIAE. Itemque in Chronicis D. Anton. 1. par. tit. 3. cap. 9. §. 14. Conſtat autem, per Æneadem Vrbem, non niſi Romam; per hamum verò piſcantis, non niſi D. Petri miniſterium, & Romanorum Pontificum ſucceſſorum eius intelligi. Vndè D. Auguſtinus tra-

Sybilla. Erythræa. S. Bernardio. S. Antonin. D. August.

ɛta. 7.

ĉta.7. in Ioan. *Chriſtus*, inquit, *volens ſuperborum frangere ceruices, de Piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Magnus Cyprianus Orator, ſed prius Petrus piſcator, per quem poſtea crederet, non ſolum orator, ſed & Imperator.* Lege Marcellum Primum in Epiſtola ad Antiochenos, Anacletum Epiſtola 3. Theodoretum in Epiſtola ad Leonem, & denique, ut alios omittam, Proſperum in libro de ingratis, ſic canentem.

Marcellus Primus. Theodoret. Proſper.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris,
Facta Caput Mundo, &c.

Vides igitur optima ratione, Spiritu ſancto dirigente, Sacri Iubilæi ſolemnitatem Romæ inſtitutam fuiſſe, ut ubi Petrus, & Paulus glorioſè occubuerunt, ibi ex eorum, & Chriſti meritis flumina Indulgentiarum in Peregrinos uiſitantes, propiùs, & uberiùs diffunderentur.

Sed ex alia quoque ratione id congruè factum eſſe, oſtendamus: Fuit ſemper (Auctore Ludouico Cęlio) Roma communis Patria totius Orbis, frequentiſſimos incolas ſemper habuit, ex Græcia, Armenia, Aſia, Hiſpania, Britannia, Gallia, Anglia, Hybernia, Flandria, ac denique ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt; Vnde Romanorum Regnum, ſeu Roma Regnum Gentium nuncupatur, ut Haggæi 2. *Fortitudinem Regni Gentium conteram*, quòd omnes gentes in Imperio ſubiectas haberet Roma, quas ipſa omnes reciperet. Hinc eſt, quòd Romani multas habuerunt conſuetudines communes cum alijs nationibus, ut recumbere ad menſam, pedes in conuiuijs lauare, aureos nummos cùm anulo nuptis donare, & ſimilia, ut notauit Ribera ſuper Oſæam cap. 3. nu. 9. & ſanè hodie ibi omnes ferè nationes proprias habent Eccleſias, Hoſpitia, Xenodochia, Sacerdotes, & ex Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, proprios cuilibet illarum Protectores, ac defenſores, qui ex proprijs bonis aduenarum indigentium, & Peregrinorum neceſſitatibus affluenter ſuccurrere poſſunt.

Roma communis omniū Patria, ex Ludouico Cęlio. Agg. 2. Mores veterum. Romanorum. Ribera.

Adiice, quòd Romæ ſolùm Pœnitentiariæ cunctarum linguarum, Græcæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, Illyricæ, Æthiopicæ, Arabicæ, ac cæterarum inſtitutæ, & erectæ ſunt. Vndè ad Pœnitentium Confeſſiones audiendas omnium mundi locorum aptiſſimus cenſendus eſt. Quòd ſi totius Orbis Epiſcopi, Orientis videlicèt, & Occidentis, Romam ſtatis temporibus adire coguntur, quòd etiam tempore D. Hieronymi, ob quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones contigit, ut tomo 1. Epiſtola 26. apud illum habetur; Cur incongruum reputabitur, ſi certo quoque tempore omnes Chriſtiani ad illam accedere incitentur. Reperiuntur ibi admirabiles viri in ſanctitate, & uirtute perfecti, Religioſi in arctiſſima diſciplina uiuentes, cunctorum ferè Ordinum Familię benè inſtructę, ac paratę, Monaſteria, Collegiaque piè, & religioſè diſpoſita, quàm plures ordinis Epiſcopalis, Sanctiſſimi Viri, Chriſtique Pontifices, ac denique Summus Chriſti Vicarius, & ſucceſſor Petri; Hoc nomine laudat Hieronymus Mulierem illam, Sanctam Paulam, Matrem Ruffinę, & Euſtochij, in eadem Epiſtola, his uerbis; *Marebat honore ſuo, & ora laudantium declinare, ac fugere feſtinabat; Cùmq; Orientis, & Occidentis Epiſcopos, ob quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones, Romam Imperiales litteræ contraxiſſent, uidit admirabiles Viros, Chriſtiq; Pontifices, Paulinum Antiochenæ Vrbis Epiſcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Conſtantia dicitur, quorum Epiphanium etiam hoſpitem habuit: Paulinum in aliena manentem domo, quaſi proprium humanitate poſſedit: Quorum accenſa uirtutibus, per momenta Patriam deſerere cogitabat, non domus, non liberorum, non familiæ, non poſſeſſionum, non alicuius rei, quæ ad ſæculum pertinet, memor; ſola, ſi dici poteſt, & incomitata ad Eremum Antoniorum, atq; Paulorum pergere geſtiebat, tandemq; exacta hyeme, aperto mari, redeuntibus ad Eccleſias ſuas Epiſcopis, & ipſa uoto cùm eis, ac deſiderio nauigauit.* Sic Hieronymus. Preterea, ſi in Romana Ciuitate ſemper Religionem, cultumque in Diuos floruiſſe cogitemus, cunctaſque alias regiones in hoc ſuperaſſe, mirandum non erit, ſi ſolùm Romę gloria Anni Sancti reſeruata ſit.

Pœnitentiarij omnium linguarū Romę ſunt, & alia inſignia. D. Hieron. Roma ſęper in cultu Religionis extitit omnium nationum ſuprema.

Valerius Maximus teſtatur, Veteres Romanos augendę Religionis gratia, etiam externarum Nationum Deos ad numerum Deorum ſuorum addidiſſe,

Valer. Max.

eiſque æneas, marmoreaſque ſtatuas erigi; fana dicari, Sacerdotes deputari; lu-
doſque certis temporibus haberi uoluiſſet; quamobrem Tiberius Imperator, (ut
Tertull. Hiſt. Eccleſ. ſcribit Tertullianus in Apologetico, cap. 5. quod etiam lib. 3. Eccleſiaſt. Hiſtor.
habetur.) Chriſtum, quem conſtaret, tot inſignia miracula edidiſſe, à mortuiſque
ſurrexiſſe, in Deorum numerũ referre decreuerat; quod utique feciſſet, niſi Sena-
tus pertinaciſſimè obſtitiſſet; Nec enim Seianus, ut ait Paulus Oroſius lib. 7. cap.
Oroſius. 4. huic rei contradixit, cùm iampridem antè Chriſti obitum uitam cùm morte
Card. Baron. commutaſſet, ut notat Cardinalis Baronius, tomo primo Annalium, anno Chri-
ſti 33. licèt hoc non ſinè diuinæ uoluntatis beneplacito effectum fuerit, cùm ue-
rus Chriſtianus cultus, qui unum Deum colit, nullam aliorum falſorum Deo-
D. Leo. rum admixtionem admittat. D. Leo in ſermone 1. in feſto Apoſtolorum Petri, &
Pauli, hanc Romanæ Vrbis conditionem perpulchrè deſcribit. *Hæc autem Ciui-
tas ignorans ſuæ prouectionis Auctorem; cùm penè omnibus dominaretur gentibus, om-
nium gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi uidebatur aſſumpſiſſe religionem,
quia nullam reſpuebat falſitatem, unde quantò erat per Diabolum tenacius alligata, tan-
D. Auguſt. tò per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta.* D. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeli-
ſtarum, cap. 17. 18. & 19. & ſequentibus; multa proſequitur contra Romanos,
qui ſolùm Deum Iſrael relecerunt; qui tamen ſolus coli debet, quos pulchrè re-
darguit dicens: *Cur ergò à numero cæterorum iſte reiectus eſt? ſi plurimùm ualet, cur ab
eis ſolus non colitur? ſi parum, aut nihil ualet; cur contritis eorum ſimulachris, ab omni-
bus gentibus ſolus penè iam colitur? nunquam huius quæſtionis uinculo exire pote-
runt, qui cum maiores, & minores Deos colant, quos Deos putant, hunc Deum non co-
lunt, qui præualuit omnibus; quos colunt; ſi enim magnæ uirtutis eſt, cur exiſtimatus eſt
improbandus? ſi parua, nulliuſq; uirtutis eſt, cur tantum potuit improbatus? ſi bonus eſt,
cur à cæteris bonis ſolus ſeparatur? ſi malus eſt, cur à tot bonis unus non ſuperatur? ſi ue-
rax eſt, cur eius præcepta reſpuuntur? ſi mendax eſt, cur eius prædicta complentur?* Sic
Auguſtinus. Sed de ſtudio Romanorum ergà Religionem nonnulla, quæ refert
Hier. Oſor. Hieronymus Oſorius Luſitanus, Epiſcopus Siluenſis lib. 6. de Regis inſtitutio-
ne, & Diſciplina, audienda ſunt, ſic ibi ait, *Romæ uerò ſimiliter, expulſis Regibus, cum
eſſent certa ſacrificia, quæ non licebat per alios, quàm per Reges fieri, nè Religio aliqua
ex parte laboraret, fuit quoddam Sacerdotium inſtitutum; cuius, qui præerat, Rex Sacro-
rum appellabatur; Conſules autem, qui poteſtatem Regiam obtinebant, & Prætores etiam,
qui iiſdem auſpicijs creabantur, quanta erant obſtricti Religione, quantum in Sacris ritè
peragendis occupati? Quæ templa, quæ munera, quos ludos uouebant? quàm ſæpè manus
in Cœlum tendebant? quàm ſæpè numen in belli periculis implorabant? quanta cæremonia
ſacras ædes, & quàm ſolemni Ritu dicabant? Non loquor hic de Camillis, de Scipionis, de
Marcelli, de quorundam aliorum ſingulari religione, quæ Ciuium animos in ſui admira-
tionem conuertebant. Non Deciorum Pietatem, qui ſe pro Patria ſalute manibus deu-
uerunt, oratione cõmemoro; De communi Religione, qua omnes Ciues erant obligati, diſpu-
tatur, quæ quidem tanta fuit, ut conſtet, multos ſponte ſua ſeſe Imperio abdicaſſe, pro-
pterea quòd auſpicatò creati Conſules minimè fuiſſent; Ne igitur plura dicam, hoc ſanè
liquet, Romanos Principes tanto ſtudio Religionem coluiſſe, ut in medijs Bellis magis ui-
derentur eſſe ſacrificijs, quàm bellis gerendis intenti; Vnde; (ut proditum memoriæ eſt)
cum quidam Numæ Pompilio dixiſſet, hoſtes, ò Numa, bellum contrà te comparant. At e-
go (inquit ille ridens) ſacrifico.* Hæc ex illo: ſed & quod Petrus Crinitus in lib. 9. de
Petr. Crinit. Honeſta Diſciplina, cap. 10. ſcribit, Romanorum Religionem maximè com-
mendant, *Nullus,* inquit, *Sacerdos apud Romanos fuit Bigamus, nullus flamen bimari-
tus; Pontifices autem uiri, & nobiliſſimi, & ſanctiſſimi, quorum præcipua hæc cura, &
ſtudium fuit, diligenter attendere, nequid contrà mores, & Religionis cultum fieret; Itaq;
ſic in Pontificalibus ſcriptum.*

Ex Patrijs Ritibus colunto optima,
Inceſtum Pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto.

Tertull. TERTVLLIANVS in Apologetico cap. 24. præſumptionem quorundam dicen-
tium ſic refert, *Romanos promerito Religioſitatis diligentiſſimæ, in tantum ſublimitatis
elatos, ut*

elatos, ut Orbem occuparint, & adeò Deos eſſe, ut præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant, ſcilicet iſta merces Romanis à Dijs pro gratia expenſa eſt. Quam ſententiam, ut audacem, & inſolentem deridet, quòd non patet, peregrinos Deos, extraneæ genti magis fauere uoluiſſe, quàm ſuæ, & Patrium ſolum, in quo nati, adulti, nobilitati, ſepultiq́ ſunt, transfretantis dediſſe; Verùm D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 15. & 16. expreſſis verbis docet, Romanam Rempublicam imperium, & gloriam ſuper omnes gentes ferè habuiſſe, ut ſuarum uirtutum, probatorumque morum mercedem in hac uita reciperet, inquiens ſic, *Et iſti priuatas res ſuas pro re communi, hoc eſt pro Republica, & pro eius ærario contempſerunt, auaritiæ reſtiterunt, cõſuluerunt Patriæ conſilio libero, neq́ delicto, ſecundum ſuas leges, neq́ libidini obnoxij: His omnibus artibus, tamquam uera uia, niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam: honorati ſunt in omnibus ferè gentibus, Imperij ſui leges impoſuerunt multis gentibus, hodieq́ literis, & Hiſtoria glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus. Non eſt, quòd de ſummi, & Veri Dei Iuſtitia conquerantur: perceperunt mercedem ſuam.* Sic Auguſtinus.

D. Auguſt.

Et Quoniam non decet, ut quæ Magiſtra erat erroris, facta Diſcipula ueritatis, ab intenſo Religionis ſtudio declinaret: ea propter in ea Vrbe, quæ uerè Religionis fons, & Matrix exiſtit, ritè Iubilæus celebrari debet; & cùm per Petri, & Pauli prædicationem, & ſanguinem ad hanc gloriam Roma prouecta ſit, *Vt ſit gens Sancta, Populus electus, Ciuitas Sacerdotalis, & Regia per Sacram B. Petri ſedem Caput Orbis effecta, latius præſidens Religione Diuina, quàm Dominatione terrena;* quis non ultrò dabit, conuenientiſſimè ibidem Anni Sacri celebritatem haberi?

Summa Religio Romanæ Vrbis in Chriſtianę.

D. Leo.

Adde, quòd hæc Vrbs eo titulo eminentiſſimo inſignita eſt, ut uerè Vrbs Sancta dicatur; tùm, quòd omnia ferè ſacra, quæ ad Chriſtianam Religionem ſpectant, ex alijs mundi partibus, præſertim ex Hieroſolymis, eò tranſportata, ſanctiſſimè, ac pijſſimè cuſtodiuntur; ibi Chriſti præſepe, in quo naſcendo iacuit; ibi panni, quibus inuolutus fuit; ibi ueſtis inconſutilis; ibi purpura, qua tempore paſſionis indutus fuit; ibi columna, in qua flagellatus; ibi ſpinæ, quibus fuit coronatus; ibi claui; quibus fuit crucifixus; ibi numiſmata, quibus fuit uenditus; ibi maxima pars Crucis, in qua moriendo pependit, atque etiam titulus, qui in uertice Crucis affixus fuit. Prætereà Apoſtolorum Reliquię Romæ quàmplurimę habentur; Martyrum, ſanctarumque Mulierum corpora plura ibi, quàm alibi requieſcunt; ibi Sabbatho, quod etiam tempore D. Hieronymi fiebat, ieiunatur, ut D. Auguſtinus habet in Epiſtola ad Hieronymum, quę habetur apud Hieronymum tomo 2. Epiſt. 96. tùm etiam, quòd eadem Vrbs ſanctiſſimorum, ac Religioſiſſimorum virorum copiam maximam retineat; ibi Diaconi Caſti, Sacerdotes Sancti, Doctores innumeri, qui & exemplo, & uerbo docentes, tamquàm ſplendor firmamenti refulgent, & multos ad Iuſtitiam erudientes, quaſi ſtellę in perpetuas ęternitates; ibi ſtrenui actiuę uitę excubitores, qui tamquàm ſcintillę in arundineto diſcurrentes, Marthę officium egregiè exercent; ibi vitę contemplatiuę ſectatores, ut Columbę puriſſimę, diuinam faciem iugiter contemplantes: D. Hieronymi in Procemio in ſecundum librum Commentariorum ad Galatas tomo 6. auream ſententiam in plebis Romanę laudem recenſeamus. *Romana* (inquit) *Plebis laudatur fides, ubi alibi tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & Martyrum ſepulchra concurritur? Vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis Tonitrui, Amen, reboat? & uacua Idolorum Templa quatiuntur, non quòd aliam habeant Romani fidem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ; ſed quòd deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum.* Sic Hieronymus.

Roma dicitur ciuitas ſancta.

D. Auguſt.

D. Hieron.

Hęc Vrbs eſt, quę Catholicam fidem habet, ut Hieronymus in Apologia aduerſus Ruffinum, tomo 2. Epiſtolarum; hęc ore Apoſtolico laudata fuit. Ità Hieronymus tomo 1. Epiſtola 16. ad Principiam Virginem; & habetur ad Rom. 1. hęc ſemper firma, ſtabiliſque fuit, ut Hieronymus in eadem Apologia egregiè ſic ſcribit, *Scito Romanam fidem Apoſtolica uoce laudatam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam, non poſſe mutari.* Hęc Hieronymus.

D. Hieron.

ad Rom. 1.

Ex his omnibus rectè concluditur, Romæ, & non alibi ritè Sacrum Iubilæum celebrari.

CAPVT OCTAVVM.

Reſpondetur obiectionibus Hæreticorum, contra Romanæ Vrbis dignitatem prolatis.

Obiectiones aduerſariorũ. 1. Petri 1. Apoc. 17. Tertull. Euſeb. Hieron. Lutherus. Cẽturiatores.

NON DEERVNT, qui Romanę Vrbis dignitati derogantes, illam Babylonem vocari in Scripturis obijcient. Sic enim Petrus loquitur ſua prima Epiſtola. *Salutat*, inquit, *vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*. Ioãnes item in Apocalyp. crebrò, & pręſertim in cap. 17. Romam uocat Babylonem, ſedentem ſuper ſeptem montes, ideſt, ſuper ſeptem colles, & habentem Imperium ſuper Reges terræ. Sic Tertullianus ſcribit lib. 3. contrà Marcionem, & lib. contra Iudęos, ſic Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 14. & Hieronymus in Esaiam capite 47. & libro de Viris Illuſtribus, qui in primo tomo habetur, in uerbo, Marcus, & in Epiſtola 17. ad Marcellam, quo etiam nomine, ut Romano Pontifici infamiam, & notam aliquã inſignem inureret, Romam Lutherus audacter, & impudenter appellauit in libro, cuius titulus eſt, de Babylonica captiuitate, & Centuriatores Centuria prima lib. 2. cap. 4. colum. 56. ea ſola de cauſſa Apocalypſim in numerum Canonicorum librorum receperunt, quòd multa aduerſus Romam ibi ſub nomine Babylonis ſcribantur.

Obijcient 2. Romam, eodem loco Ioannis, appellari Magnam, & purpuratam Meretricem, coccino circundatam, lapide pręcioſo, & margaritis, auróque inauratam, habentem poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ſuę. Quo iure ergò tàm Sancta, tàm Religioſa, tàm Deo dicata Roma exiſtimabitur?

Reſponſio ad obiecta Hæreticorum, cum explicatione locorum Scripturę. Nicephor. Beda. Oecumen. D. Thom. D. Auguſt. Oroſius. Ambroſ. Papias apud Euſebium. Quare Roma figuraliter dicta ſit Babylonia.

SED uenena ſunt hęc Hęreticorum, nec lędere poſſunt eos, qui ueritatis antidoto muniti ſunt. Fatemur, nomine Babylonis figuraliter Romã ſignificari: Ità Nicephorus lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 15. Beda in procemio Commentariorum in Marcum, Oecumenius, D. Thomas, alijque recentiores in Apocalypſim; Vndè inquit D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 2. Babylonem eſſe quaſi primam Romam, & cap. 22. Romam eſſe uelut alteram Babylonem, & uelut Prioris filiam Babylonis. Vndè etiam Oroſius lib. 2. cap. 4. oſtendit, in multis Romam, & Babylonem eſſe ſimiles. Ambroſius licèt antea negauerat, in capite tamen 17. fatetur, Romam per Babylonem figurari, ut etiam aſſerunt reliqui interpretes, qui in priorem Epiſtolam Petri ſcripſerunt. Nec id negari poteſt, cùm in poſtremis uerbis eiuſdem Epiſtolæ, quæ ex Roma ſcripta fuit, vt Papias apud Euſebium lib. 2. Hiſt. cap. 15. affirmat, hæc uerba habeantur; *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta*. At uerò non eſt, cur ob id Hæretici glorientur, uel exultent. Dicimus enim, per Babylonem nequaquam Eccleſiam Romanam, uel Sedem Apoſtolicam, aut Romam Chriſtianam; ſed Romam Ethnicam, idolatramque, qualis adhuc tempore Ioannis erat, ſignificari: Ità Tertullianus exponit lib. 3. contra Marcionem ferè in principio; quemadmodum enim uera Babylon caput Imperij extiterat, Imperante Nabuchodonoſor, qui Dei Populum perſequebatur, & captiuitatis iugo trahebat; ſic quoq; Roma temporibus Apoſtolorum Regina Imperij erat, Neronemque; qui acerbiſſimè Chriſtianos uexabat, Imperatorem habebat: Vndè rectè uocat illam Ioannes cap. 18. habitationem Dæmoniorum, cuſtodiam omnis ſpiritus immundi, & omnis uolucris immundæ, & odibilis, in fronte eius nomen eſſe ſcriptum dicit, *Babylon Magna, Mater Fornicationum, & Abominationum terræ*. Etenim, ut inquit Hieronymus in capite 4. ad Galatas, antè Chriſti aduentum, omnium ſuperſtitionum Roma ſentina erat. & D. Leo ſermone primo in Natali Apoſtolorum,

Tertull. Apoc. 18. D. Hieron. D. Leo.

ſtolorum, *Cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium inſeruiebat erroribus*. Hanc Gentilitatem Romanam, Babylonem uocauit Ioannes, hanc extinguendã, ac omninò delendam eſſe prædixit ibi, *cecidit, cecidit Babylon Magna*. Romanumq; Imperium ad nihilum redigendum eſſe, ut hodie uidemus, prænunciauit; De hac dicit, *Exite de illa, Popule meus, ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad Cælum*. Quòd (ut exponit D. Auguſtinus in Breuiculo collationis, collatione 3.) intelligendum eſt, non de corporali exitu, ſed quòd corde, & operum communicatione cùm Idolatris, & Gentilibus coniuncti eſſe non debeant; quamuis enim in eadem Ciuitate Chriſtiani, & Gentiles eſſe poſſint; nuſquam tamen Chriſtianis licet, Gentiles ſocios habere, eorumque mores, uel uitam imitari: & quamuis in fronte hæc Ciuitas ſcriptã blaſphemiam habuerit; Chriſti tamen confeſſione deleta eſt, ut Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum in fine dixit. Vndè, & rem, & nomẽ Babylonis, per IESV Chriſti ſanguinem emundata, perdidit, vel mutauit. Verùm ſecundùm alluſionẽ quamdam, per Babylonicam confuſionem in Vrbe, peccata Romanorum, etiam poſt Chriſti Confeſſionem, intelligere poſſumus; quæ tamen Chriſti fidei, & confeſſioni non aduerſantur; Vndè Hieronymus tomo primo Epiſt. 17. etſi nomine Paulæ, & Euſtochij hortetur Marcellam, ut ex Roma in Bethlehem commigret, ibi tamen Sanctam eſſe Eccleſiam, Trophæa Apoſtolorum, & Martyrum non negat, verba eius ſunt hæc; *Et hoc puto locus* (loquitur de Bethlehem) *ſanctior eſt Tarpeia Rupe, quæ de Cælo ſæpius fulminata oſtendit, quòd Domino diſpliceret. Lege Apocalypſim Ioannis, & quid de Muliere Purpurata, & ſcripta in eius fronte Blaſphemia, ſeptem Montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite (inquit Dominus) de illa Populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & ſaluate vnuſquiſque animam ſuam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio Dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. Eſt quidem ibi Sancta Eccleſia, ſunt Trophæa Apoſtolorum, & Martyrum, eſt Chriſti vera Confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum: ſed ipſa ambitio, potentia, magnitudo Vrbis; videri, & videre, ſalutari, & ſalutare, laudare, & detrahere, uel audire, uel proloqui, & tantam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre à propoſito Monachorum, & quiete aliena ſunt, aut enim videmus venientes ad nos, & ſilentium perdimus: aut non videmus, & ſuperbiæ arguimur. Interdumque vt viſitantibus reddamus vicem, ad ſuperbas fores pergimus, & inter linguas rodentium Miniſtrorum, poſtes ingredimur auratos*. Hęc ibi. & lib. 2. aduerſus Iouinianum in fine ſic habet. *Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum; Caue Iouiniani nomen, quod de Idolo deriuatum eſt. Squallet Capitolium, Templa Iouis, & cæremoniæ conciderunt. Cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant? Adhuc ſub Regibus, & ſub Numa Pompilio faciliùs maiores tui Pythagoræ continentiam, quàm ſub conſulibus Epicuri luxuriam ſuſceperunt*.

SED ad ſecundam obiectionem ſimiliter reſpondemus; per Meretricem illam purpuratam, intelligi quidem Romam, quæ prçcioſiſſimis ueſtibus, partim purpureis, partim coccineis circundata, auro deindè, præcioſiſq; margaritis ornata, Regnum ſignificabat Romanorum, qui omnibus gentibus dominantes, diuitias cũctas ex alienis partibus in ipſam Vrbem tranſportabant. Ità exponit Tertullianus in lib. aduerſus Iudæos, in Cap. *Item probatio Natiuitatis Chriſti*. & libro 3. contrà Marcionem, paulò poſt principium. Idem D. Ambroſius in cap. 17. Apocalypſ. Fornicariam Romam vocat, quæ pro defenſione falſorum Deorum, Deum creatorem ſuum perſequebatur. Idem D. Hieronymus in Prologo librorum Dydimi de Spiritu Sancto, in exordio, dicens, *Cùm in Babylone verſarer, & purpuratæ Meretricis eſſem colonus, &c.* & in Epiſtola 151. ad Algaſiam, quæſt. 11. & in illud Eſaiæ 24. *Attrita eſt Ciuitas vanitatis*, in illis uerbis, *Atteretur Ciuitas vanitatis, ſiuè omnis Ciuitas, vel ſpiritualis Babylon, quæ ſedet in ſeptem Montibus purpurata, cuius ſupplicia in Apocalypſi Ioannis legimus, pulchreq; dixit, Vrbem vanitatis, ſi enim de Cælo, & terra, & de*

D. Auguſt.

D. Hieron.

Cur Meretrix magna, & purpurata Roma dicta fuerit, & quomodo.

Tertull.

D. Ambroſ.

D. Hieron.

ra,& de omnibus,quæ terrena ſunt dicitur,vanitas vanitatum,& omnia vanitas,quanto magis hoc de vna Vrbe dicendum eſt,quæ totius Orbis pars modica eſt?

Sixt Senen. Maria. Victo. Ribera,

SIXTVS Senen.li.2.Bibl.in ea parte,quæ incipit, *Meretricis magnæ inſcriptio*;Marian. Victorius,vir eruditiſſimus,in Scholijs præcit.Epiſt.17. Hieronymi,Riber.in cap.14. Apoc.& 17.& alij,quos conſultò relinquo,interpretãtur,per hanc mulierem purpuratam,Vrbem Romam, nõ autem Romam Chriſtianam, ſed Romam Infidelem, Idolatram, ebriam ſanguine Martyrum, Chriſtianos perſequentem, quæ purpurata vocatur ab Imperatorum purpura, qui in ea regnabant; blaſphemijſque plena,quòd Chriſti fidem potẽtiſſimè inſequeretur, propter quam etiam ipſe Ioannes tunc relegatus erat;Sedens ſuper aquas multas, quòd multis Populis tumens Imperio dominaretur. Hæretici hoc teſtimonio exultant,& tamquam Achille fortiſſimo,pro arbitrio vtuntur,vt Catholicam,& Apoſtolicam Vrbem, fidelemque Chriſti ſponſam fœdiſſimè Meretricem purpuratam appellent, quos

D Hieron.

certè Hieronymus in citata Epiſtola 17.ad Marcellam,mendaciter, & impudenter verba Apocalypſis interpretari oſtendit, dum poſtquam verba illa ex Apocalypſi. *Mulier purpurata,&c.*contrà Romam protulerat,ſtatim ſe declarans ſubiungit: *Eſt quidem ibi Sancta Eccleſia,ſunt Trophæa Apoſtolorum, & Martyrum, eſt Chriſti vera confeſſio,eſt ab Apoſtolo prædicata fides,& gentilitate calcata,in ſublime quotidie*

Bellarm.

*ſe erigens vocabulum Chriſtianum,&c.*Quid clarius?Bellarminus tomo primo ſuarum controuer.lib.3.cap.13.mirabiliter Hæreticorum impudentiam detegit, qui vt probent,Romanam Eccleſiam Meretricem eſſe,Tertulliani,& Hieronymi teſtimonia adducunt; Vel enim hi Patres,dum illam Meretricem Purpuratam uocant,loquũtur de Roma Idolatra,& Infideli,vel de Roma Chriſtiana. Hæc enim duo inuicem aduerſantur, & contraria ſunt; ſi de infideli, cur ergò Hæretici eorũ teſtimonijs abutuntur? ſi de Chriſtiana, ergò Romana Eccleſia in ipſomet exordio degenerauerat,& in ſe regnantem Antichriſtum habebat,quod ut abſurdiſſimum, nec ipſimet concederent. Sed age, ſi fidelis Roma Babylon, & Meretrix

Tertull.

tunc erat,quomodo Tertullianus eam laudat in lib.de Præſcript.dicens. *Felix Eccleſia,cui totam Doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt*. & quonam pacto

D.Hieron.

Hieronymus,lib.2.contra Iouinianum,Romam alloquens dixit, *Ad te loquar,quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam,Chriſti confeſſione deleſti*; ſed fortiùs,quomodo Pau-

Ad Rom.1.

lus,ſeruus IESV Chriſti,in primo ad Rom.ſcribit. *In quibus eſtis,& vos vocati IESV Chriſti omnibus,qui ſunt Romæ dilectis Dei,vocatis ſanctis, gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro,& Domino IESV Chriſto*;& iterum, *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo*

Apoc.17.

mundo; & ipſemet Ioannes in 17.cap. ex pluribus circumſtantijs declarat myſterium,ideſt,figuram Magnæ Babylonis in Vrbem Ethnicam conuenire. *Calicem aureum in manu ſua habebat, plenum abominatione*, ut Aretas, & Primaſius legunt, ideſt, Idolatria, & ſuperſtitionibus, *Ebria ſanguine ſanctorum*, cùm multos Chriſtianos, & innumerabiles Chriſticolas occiderit, nedum odio Chriſti, ſed auaritia,crudelitate,& libidine dominandi,quæ ſanè omnia tempore Neronis,& Domitiani accidiſſe,ex hiſtorijs cognoſcitur. Sit igitur certiſſimum,Romam per Babylonem illam veterem figuratam fuiſſe;ſit etiam ueriſſimum,nomine Babylonis apud Petrum in Epiſtola prima cap.ult.Romam indicari,atque etiam apud Ioan-

1.Petri vlt.

nem in Apocalypſi locis citatis, quod ſanè torquet Hæreticos, & præſertim Velenum,& Illyricum negantes,Petrum Romæ fuiſſe; Quod ſi,ut Romanam Eccleſiam conuicijs,& contumelijs afficiant,per Babylonem in Apocalypſi deſcriptã, Romam intelligi uolunt,Cur non etiam apud Petrum,nomine Babylonis,Roma intelligitur?ſed quæ in Apocalypſi dicuntur, non de propria Babylone exponenda ſunt; cùm nec illa, quæ eſt apud Aſſyrios, nec altera, quæ eſt apud Ægyptum, imperium ſuper Reges terræ umquam habuerit; ſed de Gentilitate Romana, quę figuratiuè Babylon dicta eſt, (ut ſuperiùs expoſuimus;) ſit denique certiſſimum,

Contrarię cõditiones Romæ Ethnicæ, & Chriſtianæ

contrarias eſſe conditiones Romæ Ethnicæ,& Romæ Chriſtianæ.

PRIMO enim ſedebat Mulier illa, quæ Gentilitatem referebat, ſuper Beſtiam coccineam, & plenam nominibus Blaſphemiæ; Hęc enim uerba, (ut ex græco

contextu

contextu adnotauit Ribera) non ad Mulierem, ſed ad Beſtiam referenda ſunt; ſi- Ribera.
gnificatque ſeſſio Mulieris ſuper Beſtiam, Tyrannicum, & Ethnicum Regnum
Romanorum à Diabolo ſuſtentatum, & euectum, ut per illud Chriſtiani occide-
rentur, & Idolorum cultus ubique remaneret. Erat autem coccinea, uel ob cru-
delitatem, ut Victorinus, & Aretas uolunt; uel (ut meliùs Ribera exponit) ob de-
licias, atque diuitias regales, faſtumque regium; Veſtis enim coccinea diui-
tum, & Regum ueſtis eſt, ut Nahum ſecundo, 2. Regum 1. Matthęi 16. habetur, Nahum 2. 2.Reg.1.
ubi uolentes in paſſione Chriſtum ornatu regio induere, dicit Euangeliſta, *Et* Matth. 26.
exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Lege Plinium lib. 22. cap. 2. Plinius.
ubi Paludamenta Imperatorum coccineo colore tincta fuiſſe, ſcribit; Non ſic
Roma Chriſtiana: Hæc enim ſuper Chriſtum, eiuſque Apoſtolos reſidet, iuxtà
illud Pauli, *Superædificati ſuprà fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſum-*
mo angulari lapide Chriſto Iesv; ſedet hæc non ſuper beſtiam coccineam, abſit, ſed
ſuper equum album, in quo cùm Chriſtus reſideat, qui Caput Eccleſiæ eſt, ip-
ſum quoque corpus Eccleſiæ conſidere rectè dici poteſt, cùm Chriſtus reſideat,
ut Apocalypſis 19. lege Hieronymum in cap. 66. Eſaiæ, ubi ait; *Equo autem ſede-* Apoc. 19.
bat albo, quando poſt Reſurrectionem, immortale, & incorruptum corpus aſſumpſit; D. D.Hieron.
Ambroſius in Pſal. 44. in equo albo corpus Chriſti immaculatum, quod nulla D.Ambro.
peccati Inquinamenta cognouerat, ſignificari docet; quod etiam Origenes ho- Origen.
milia 2. in Cantica innuere uidetur, exponens illud, *Equitatui meo, in curribus Pha-*
raonis aſſimilaui te. Alij, ut Andreas, & Arethas, & etiam Ribera, in cap. 6. Apo- Andr.
calypſis, per equum album, intelligunt Apoſtolos miſſos ad prædicandum Euan- Arethas.
gelium per Orbem terræ, eorumque ſucceſſores, qui huc, illucque diſcurrunt, ut Ribera.
prædicent ſalutem, annuncient pacem, annuncient bonum Populis Chriſtianis,
qui ab eorum doctrina, & prædicatione in fide feruntur, & quaſi vehiculo quo-
dam deportantur. Addit Origenes loco citato, equos Domini, quibus aſcendit, Origenes.
& equitatus eius, non alios eſſe, quàm illas animas, quæ frenum diſciplinæ eius ac-
cipiunt, & iugum portant ſuauitatis eius, qui ſpiritu Dei aguntur, & in hoc eſt
eis ſalus; & aliquantò poſt. *Beatæ ergò ſunt illæ animæ, quæ dorſum ſuum curuarunt,*
ut ſuſcipiant ſeſſorem Verbum Dei ſuper ſe, & fræna eius patiuntur, ut quocumque ipſe uo-
luerit, flectat eas, & agat habenis præceptorum ſuorum, quia iam non propria uolunta-
te incedunt, ſed ad omnia ducuntur, & reducuntur uoluntate ſeſſoris, &c. Quæ omnia
meliùs, (ut Ribera adnotauit) Apoſtolis conueniunt, quàm cæteris, ut patet ma-
nifeſtè. Sed propter eam cauſſam equus Romæ Chriſtianæ albus dicitur; quo-
niam ea, quæ ab Apoſtolis, & Eccleſiæ Præpoſitis, hominibus portantur, lęta,
proſpera, & iucunda ſunt, quemadmodum eſt annunciatio Sacri Iubilæi, de qua
illud Eſaię Cap. 53. rectè dici poteſt, *Quàm pulchri ſuper montes pedes prædicantis,* Eſaiæ 53.
annunciantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem?

Altera conditio Mulieris Meretricis Purpuratę erat, quòd undique plena e-
rat nominibus blaſphemiæ; ſignificans Romam Ethnicam, refertam fuiſſe in
membris ſuis, nominibus blaſphemiæ. Romani enim Imperatores, & qui eos in
Monarchia pręceſſerunt, uerum Deum ſemper blaſphemabant, Chriſtianos per-
ſequebantur, atque ſe Deos appellari, & in Templis adorari, uolebant: De qua-
re Proſper Aquitanicus in Dimidio temporis, cap. 7. ità ſcribit, *Aeterna cum dici-* Proſper.
tur, quæ temporalis eſt, utique nomen eſt blaſphemiæ, cum Mortales, licèt Reges, in ea di-
cantur Diui, eiſque ſupplices dicant, Numini ueſtro, altaribus ueſtris, perennitati ueſtræ,
& cætera, quæ uanitas, non ueritas tradidit, atque exetrabilia ſunt: Hæc enim æterno Deo
debentur. Verumtamen Roma Chriſtiana, quæ blaſphemiæ nomina, Iesv Chri-
ſti confeſſione deleuit, econtrariò fidei Magiſtra eſt, iuſtos non perſequitur, ſed
ut pia Mater, eos protegit, ſacrarumque Indulgentiarum auxilijs fouet; & cùm
non blaſphemiarum, ſed pietatis, & Religionis ſit Mater, Sacrum Iubilæum om-
nibus fidelis proponit, ut omni blaſphemia, & fornicatione peccati depoſita,
Deum Verum colant, Chriſtum Summum Pontificem, & Epiſcopum anima-
rum noſtrarum confiteantur, eiuſque Vicarij in terris ſedem adorent, ueneren-

tur, &

tur, & tamquàm Caput totius Chriſtiani Regni intueantur.

Ribera. TERTIA Conditio Mulieris Meretricis eſt, quòd habebat *Capita ſeptem, & cornua decem*. Sunt, qui uolunt, ut Ribera in cap. 17. Apocalypſis, per ſeptem Capita intelligi ſeptem Mundi ætates, in quibus ſeptem Reges, Dei Eccleſiam perſequentes, tamquam ſeptem Diaboli capita, regnaſſe dicuntur, appellanturque Reges ſeptem ætatum.

Septem Reges per ſeptẽ capita Meretricis ſignificati. In prima, quæ eſt ab Adam uſque ad Noè, fuerunt *Gigantes Potentes à ſæculo, viri famoſi*, omne Ius, & Fas contemnentes, ut Ioſephus primo libro Antiquit. cap. 4. ſcribit.

Ioſephus. Geneſ. 10. In ſecunda, à Noè vſque ad Abraham extitit Nemrod, de quo Geneſis 10. *Ipſe cæpit potens eſſe in terra, & erat robuſtus venator coram Domino*, ideſt, ut terram innocentium opprimens, & occupans; cuius Tyrannidem, & ſuperbiam deſcripſit Ioſephus libro primo Antiquit. cap. 5.

Ioſephus. In tertia ætate, ab Abraham vſque ad Dauid, Reges Aegypti, aliæque nationes Populum Dei duriſſimè afflixerunt.

In quarta, quæ fuit à Dauid uſque ad tranſmigrationem Babylonis, Reges Aſſyriorum eumdem Populum crudeliter uexarunt.

In quinta, à tranſmigratione Babylonis uſque ad Aduentum Chriſti, Reges Chaldæorum, & Græcorum idem præſtitiſſe, hiſtoriæ tam prophanæ, quàm ſacræ abundè docent.

In ſexta, ab Aduentu Chriſti uſque ad Antichriſtum, ab Imperatoribus Romanorum primùm, deindè à Regibus Agarenorum, à Turcis, & ab hæreticis Eccleſiam Dei grauiſſimè afflictam eſſe, nemo eſt, qui non ſciat.

In ſeptima, ab Antichriſto, eiuſque ſocijs vſque ad Diem Iudicij, multò grauiùs, quàm in alijs ætatibus Populus Chriſtianus affligetur; *Erit enim tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio, &c.*

Roma in ſeptem montibus ędificata. SED, vt bona ſit hæc expoſitio; quid prohibet exponere ſeptem capita, eſſe ſeptem Montes, ſuper quos Mulier ſedet? Romam enim ſuper ſeptem Montes fundatam eſſe, ideſt, Tarpeium, ſeu Capitolinum, Quirinalem, Auentinum, Cęlium,

Virgilius. Viminalem, Eſquilinum, & Ianiculum, nemo ignorat. Vnde Virgilius 6. Æneidos.

Septemq́; una ſibi muro circumdabit Arces.

Ouidius. Et Ouidius primo de Triſtibus Eleg. 4.

Sed quæ de ſeptem totum circumſpicit Orbem,
Montibus, Imperij Roma, Deumq́; locus.

Horatius. Et Horatius in carmine ſæculari, quod eſt ultimum libri Epodon.

Dij, quibus ſeptem placuere Colles,
Dicere carmen.

Tertullian. Vndè Tertullianus in Apologetico, aduerſus gentes, cap. 35. propè medium ait. *Ipſos Quirites, ipſam uernaculam ſeptem collium plebem conuenio, &c.*

Viros iuſtos in omni ætate fuiſſe in Eccleſia. Geneſ. 4. AT apud Dei Eccleſiam, & in omni ætate, & in omni Vrbis colle, verum Dei cultum, ſacramque religionem floruiſſe, & etiam florere, facilè eſt oſtendere: Nõne ab Adam uſque ad Noè fuerunt viri iuſti? Abel, Seth, Enos, qui *cæpit inuocare nomen Domini*. Geneſis 4. Enoch item, qui nõ ſolùm dum uixit, ſed etiam dum, *Tulit eum Dominus, ambulauit cum Deo*; Hoc enim nomine bis repetitur in Scriptura, illud *Ambulauit*, ut & in uita, & in morte, uel potius dum in Cœlum translatus eſt, cùm Deo fuiſſe intelligamus; In ſecunda uerò ætate, Noè, Sem, Iaphet benedictionem à Deo acceperunt; ſed & in tertia ætate, Abraham, Iſaac, Iacob, alioſque probatos viros legimus in Scriptura.

Enoch, & Elias uenturi ſunt tempore Antichriſti. Nec eſt opus alias ætates percurrere, cùm res ex ueteri teſtamento ſit per ſe notiſſima. Illud ſolùm adijciendum eſt, etiam tempore Antichriſti, ſanctiſſimos Viros, Enoch, & Eliam, qui nunc uiuentes in Terreſtri Paradiſo, uel certè in ſecretiſſima quadam, & amæniſſima terræ regione uerſantur, ad reſiſtendum Antichriſto, & confirmandos electos, tamquàm duos ſtrenuiſſimos Chriſti Teſtes,

uenturos

venturos eſſe,ut Anſelmus, Riccardus, & cæteri communiter docent in Apocalypſim; Immò ueteres Patres docent, per eorum prædicationem in fine Mundi Iudæos conuertendos eſſe. lege Tertullianum in lib. de Reſurrectione Carnis, & lib. de Anima cap. 28. Ambroſium prima Corinthiorum 4. Hieronymum Epiſtola 61. aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, & ſuper Pſalmum 20. exponendo illud; *In reliquijs tuis præparabis vultum eorum*, hoc eſt, qui per Eliam, & Enoch credituri ſunt in finem, & Auguſtinum 20. de Ciuit. Dei cap. 29. ubi, id celeberrimum eſſe in ſermonibus, cordibuſque fidelium aſſerit.

Tertull. Ambroſ. Hieron. Auguſt.

Verum ſi ad ſeptem colles ſermonem contrahamus, etiam Romam Chriſtianam, Chriſtique fide imbutam, in illis maxima religionis ſigna poſuiſſe, videre gratiſſimum erit; In Tarpeio, ſeù Saturnio colle, qui ſexaginta ſacella Ioui, aliiſque Idolis dicata complectebatur; hodie ampliſſimum Templum in honorem Beatæ Mariae ſemper Virginis dicatum, ſub titulo Aræcęli, vbi multitudo Populorum ſæpè ſæpiùs religionis ergò confluit, erectum eſt.

Maxima Religionis ſigna in ſeptem Vrbis collibus.

Quirinalis Mons hodie, & Sanctiſſimi Papę æſtuario, nec non Monachorum, & Religioſorum Domibus, Templiſque Sacris ornatus exiſtit.

In Auentino Eccleſia Sanctæ Sabinæ ſita eſt, primum Domicilium B. Dominici, ordinis Prædicatorum Fundatoris, cùm primùm in Vrbem venit. Quæ Eccleſia in Cap. Ieiunij Quadrageſimalis ab vniuerſo Populo, Romanaque curia ſolenni pompa, & apparatu viſitatur.

In Cœlio Monte Eccleſia Sancti Stephani, vt dicitur, Rotundi erecta fuit.

In Viminali Monte Templa Sancti Laurentij in Pane, & Perna, & Sanctæ Pudentianæ, loca ſanè Religioſiſſima, multiſque Sanctorum Reliquijs, & Indulgentijs referta, condita ſunt.

In Eſquilijs tempore Liberij Papæ, cùm nix, nonis Auguſti, quo tempore maximi calores uigent in Vrbe, partem collis noctu cõtexiſſet, Deo id Ioanni Patricio Romano, vxorique eius, nec non Summo Pontifici in ſomnis ſignificante, Tẽplum ampliſſimum in honorem B. Virginis dicatum fuit, ubi Præſepe Saluatoris Noſtri honorificentiſſimè aſſeruatur. Quæ Baſilica ex magnitudine, & nouitate miraculi, Eccleſia Sanctæ Mariae Maioris dicta eſt.

In Ianiculari Colle Nobilis Eccleſia Sancti Petri in Monte Aureo, cùm Cœnobio Fratrum Minorum dedicata fuit. In ſummitate huius Ianicularis Montis, qui etiam Vaticanus dicitur, (vt eruditè Cardinalis Baronius, tomo primo Annalium, anno à Chriſto 69. ex Dionyſio Halicarnaſſæo, & alijs demonſtrat) Petrus Crucifixus fuit, cuius rei vſque hodie inibi memoria inſignis extat, quãuis ſepultus fuerit in ea ima parte Vaticani, in qua Neronis horti erant, & circus cùm obeliſco. Exiſtimat Baronius, omnes colles illos, qui modicarum uallium interſtitio ſibi coniuncti, ab eo termino, qui eſt proximior Auentino, atque Vaticano continuantur, & ſuper prata Mutia porriguntur, ac propè Pontem Miluium terminantur, Ianiculum à maioribus dici.

Baron. Halicarnaſ. Locus crucifixionis D. Petri Apoſtolorũ Principis.

Nonnè frons illius Meretricis immutata videtur? Nonnè facies illius impudica, in honeſtam, ac religioſam conuerſa eſt? Quòd verò ſuper multas aquas, hoc eſt, ſuper Populos multos imperitare dicitur, amplitudinem Dominij illius denotat, quod in Chriſtiana Pace latiùs, ſuſiuſque obtinuit. Vndè D. Leo in ſermone Natalis Petri, & Pauli Romam alloquens, auream illam ſententiam protulit; *Per Sacram B. Petri ſedem caput Orbis effecta, latius præſideres religione Diuina, quàm Dominatione terrena; quamuis enim multis aucta victorijs, ius Imperij tui terra, marique protuleris; minus tamen eſt, quòd tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod Pax Chriſtiana ſubiecit.* & Proſper lib. 2. de Vocatione gentium, cap. 6. *Roma*, inquit, *per Sacerdotij Principatum Amplior facta eſt Arce Religionis, quàm ſolio Poteſtatis.* Vnde Ethnicus ille Ammianus Marcellinus, lib. 27. De Schiſmate Damaſi, & Vrſicini ſcribens, dixit, quòd homines tanto ſtudio contendant pro Romano Pontificatu, mirum non eſſe, cùm tantæ ſint eius opes, & amplitudo.

D. Leo. Proſper. Ammia. Marcellin.

Qvarta Conditio meretricis Purpuratæ ponitur à Ioanne, quòd *Poculum aureum in*

Quid ſignificet poculum

reum in

rtum in manu ſua habebat. Illa enim omnibus ſuis ſubditis ſua Idola, ſuoſque mores perditiſſimos communicabat. Vnde ſubditur à Ioanne, *Mercatores tui erant omnes Principes terræ, quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes*, quæ cùm Romanorum auxilio indigerent, libenter eorum ſuperſtitiones accipiebant. Coluere Babylonij Draconem Magnum pro Deo; ut Daniel cap. 14. Res quidem miranda: ſed & Romanos viros alioqum prudentiſſimos, & ſapientiſſimos ſerpentem Æſculapij magna religione Romam deuectum, diuinis honoribus affeciſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Valerius Maximus libro primo, cap. 8. O errorem fœdiſſimum, ò execrandam ſuperſtitionem. Non ſic Roma Chriſtiana, quæ calicem quidem aureum in manu tenet, ſed plenum religione, & odore ſanctorum; Habet, & ipſa quoque Serpentem æneum in Cruce exaltatū, Chriſtum ſcilicèt, in quem ex omni mundi parte reſpicientes, ſani efficiuntur, quacumque infirmitate ſpirituali detineantur; Hic Calix, hoc ſacro tempore Iubilæi, omnibus propinatur, ut abſque auro, & argento bibentes, læti in Chriſto IESV reficiantur.

Dan. 14.

Valer. Max.

VLTIMA proprietas à Ioanne deſcribitur, quòd erat illa *Ebria ſanguine ſanctorum*. Perſecutrix enim erat Chriſtianorum; ſanguini ſanctorum inhians, *Et ſanguis Prophetarum, & ſanctorum inuentus eſt in ea*, id eſt, ſcelus interfectionis ſanctorum, ut Ambroſius in calce cap. 8. in eius effuſione ſitiens lætabatur; At Roma Chriſtiana, hoc ſanguine Martyrum effuſo coronata, ſummopere gaudet: Hæc Petri, & Pauli eſt purpurata præcioſo ſanguine, ac denique ex ſanctorum Martyrum, & Chriſti paſſionibus uirtutem Sacri Iubilæi accipiens, omnibus Mundi fidelibus, tamquàm Domina, & Regina Mundi, cæterarumque Regionum Moderatrix, uaria gratiarum dona impertit. Sic Euſebius lib. 3. de Demonſtratione Euangelica cap. 8. & lib. 1. de uita Conſtantini cap. 20.

D. Ambro.

Euſeb.

D. Hieron.

Atque, ut tandem finem huic capiti imponamus, extrema uerba D. Hieronymi, tomo 2. aduerſus Iouinianum, recenſenda ſunt. *Vrbs*, inquit, *Potens, Vrbs Orbis Domina, Vrbs Apoſtoli uoce laudata, interpretare vocabulum tuum; Roma, aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos; aut ſublimitatis, iuxtà Hebræos; ſerua quod diceris: Virtus te excelſam faciat, non Voluptas humilem*. Hactenus Hieronymus; in hoc autem Anno Sacro ipſa, & fortiſſimam, & ſublimem ſe oſtendit, omneſque ad illam dignè ad Iubilæum conſequendum accedentes, uerè fortes, excelſos, & Romanos facit.

CAPVT NONVM.

An ſolemnitas Sacri Iubilæi uſq. ad finem Mundi Romæ ſit perſeueratura.

NON eſt hoc loco à nobis tractandum, num Romana Eccleſia ſit aliquando in fide defectura; Hoc enim numquàm euenturum, & uerbo Chriſti, *Ego vobiſcum ſum uſq. ad conſummationem ſæculi*; & ex alio, *Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua*; & certiſſimis Pàtrum teſtimonijs, præſertimque Auguſtini in libro de correctione, & gratia, cap. 8. Chryſoſtomi homil. 83. in Matthæum, Theophylacti, cap. 22. in Lucam, & aliorum, quos ſuprà citauimus, firmiſſimum, & conſtantiſſimum eſt; Neque enim Petri fides (fauore Chriſti roborata) euaneſcet, niſi & ipſum Verbum Chriſti uacuum, & inane reddatur, quod eſt impoſſibile, ut notum eſt. Arbitramur enim, ſedem Apoſtolicam ſemper Romæ fixam fore uſque ad finem Mundi, nec aliò transferendam; cùm non iure humano, nec Eccleſiæ inſtituto, ſed diuino iure, inſtitutione, & præcepto Romanus Epiſcopus Petro ſuccedat; & ſiuè Romæ reſideat, ſiuè alibi, ſemper Romanus Epiſcopus, & uniuerſalis Papa neceſſariò cènſeri debet:

Eccleſia Romana ſemper in recta Chriſti fide duratura.

Auguſt. Chryſoſt. Theophyl.

Sedes Pontificia Romæ uſq; ad finem mūdi permāſura eſt, ubi iure diuino eſt collocata.

qua de

Qua de re, licèt duæ apud Doctores ſint ſententię, altera Soti in 4. diſtin. 24. quęſt. Sotus.
2. art. 5. Caietani tract. 2. de Comparatione Pontif. & Concilij cap. 22. & in Opu- Caiet.
ſcul. de Rom. Pontif. Inſtit. cap. 13. Bellarminij lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. dicen Bellarm.
tium, iure Eccleſiaſtico Romę fixam eſſe Sedem Apoſtolicam, nec de fide eſſe, Se-
dem ex Roma transferri non poſſe; ſed tantùm probabile, & piè credendum. Alte
ra uerò Turrecrematę lib. 2. de Eccleſia, cap. 40. Driedonis lib. 4. de uarijs dogma Turrecr.
tibus cap. 4. par. 3. Cani lib. 6. de locis Theologicis, cap. 4. 5. & 6. & Gregorij de Driedo. Canus.
Valentia, in Analyſi fidei Catholicę lib. 7. cap. 12. aſſerentium, ex Chriſti inſtitu- Valentia.
tione, Sedem Apoſtolicam in Vrbe Roma collocatã eſſe; ac proindè fieri non poſ
ſe auctoritate Eccleſiæ, ut Petri ſucceſſor, Romanus quoque Epiſcopus non ſit;
Cui ſententię fauent Verba D. Gregorij lib. 2. Regiſtri, Epiſt. 30. dicentis, *Romanã* D. Gregor.
Eccleſiam, Deo Auctore, cunctis Eccleſijs eſſe prælatam, & illa D. Leonis Epiſtola 84. D. Leo.
ex Diuinà inſtitutione, curam incumbere Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum. & uer
ba Magni Lateranenſis Concilij, quę habentur in Cap. *Damnamus*, de Summa Conc. Later.
Trinitate, & fide Catholica, uidelicèt, *Quòd Romana Eccleſia (Deo ipſo diſponente)*
Mater ſit, & Magiſtra omnium Eccleſiarum. & Anacletus Epiſt. 3. *Non ab Apoſtolis*, Anacletus.
inquit, *ſed ab ipſo Domino Saluatore Noſtro Primatum obtinuit, &c.* Vndè Hierony- Hieron.
mus aduerſus Ruffinum lib. 3. cap. 3. diſertis uerbis concludit; quòd hæc ſemper
immaculata permanſit, & (Domino prouidente, ac B. Apoſtolo ferente opem) in
futuro manebit. Id quod reſponſum Chriſti Petro ab Vrbe diſcedenti, ut referunt
Ægeſippus lib. 3. excidij Hieroſolymitani, cap. 2. & Ambroſius (quem ſuperiùs ci- Aegeſip.
tauimus) lib. 5. Epiſt. 32. non leuiter perſuadet, dum in Porta uię Appię ei dixit, Ambroſ.
Vado Romam iterum crucifigi; quaſi his uerbis, ſuo pręcepto uoluerit per Mortem
Petri, Romę eius ſedem firmare. Licèt, inquam, in has duas ſententias Doctores
ſint diuiſi; nobis tamen hęc poſterior magis placet, ex qua planè ſequitur, ut num
quàm à fide recta diſceſſuri ſint, qui fidem legitimi Epiſcopi Diœcęſis Romanę ſe
quentur, ſiuè is Romę demoretur, ſiuè alibi. Item ſemper in Orbe Romanam fi-
dem, ſiuè in multis, ſiuè in paucis reperiendam eſſe. Hęc, inquam, ut certa, & ali-
bi à nobis expoſita, non hic quęruntur.

Illvd verò agitabimus hoc loco. An Romę, etiam tempore Antichriſti, vſque An tempore
ad ſeculi conſummationem, ſint futuræ Perſonæ, quæ fidem Chriſti conſtanter reti Antichriſti fit
neãt, ità ut, tùm ratione loci, tùm etiam ratione perſonarum, numquàm fides Ro- remeſura Ro
mæ ſit defectura; Et, quod facit difficultatem eſt, quia videtur Roma præcipua fu- mæ fides Chri
tura ſedes Antichriſti; Iuxtà illud Apocalypſis, cap. 17. Vbi Ioannes loquens de ſti Domini.
Sede Antichriſti, affirmat, *Eſſe Ciuitatem magnam, quæ ſuper ſeptem colles ſedet, quæ* Apoc. 17.
Regibus terræ dominatur; Hæc autem eſt ipſa Roma, vt vidimus. Præterea idem o-
ſtenditur ex loco Pauli 2. Theſſalonicen. 2. vbi dicit, Antichriſtum ſeſſurum in 2. Theſſal. 2.
Templo Dei; quod profectò nil aliud eſſe videtur, niſi ipſamet Cathedra Apoſto-
lica, & Chriſti Eccleſia Romæ fundata; Neque enim Palatium Neronis, nec Gen
tilium Fana, vel Iudæorum Templum, ex quo ſacrificium, & Sacerdotium iam e-
uanuerat, æternamque deſolationem, (vt Danielis 9.) meruerat, intelligi poſſunt. Daniel. 9.
Vndè Hieronymus quæſt. 11. ad Algaſiam, inquit. *In Templo Dei ſedebit, vel Hiero* D. Hieron.
ſolymis, vt quidam putant, vel in Eccleſia, vt verius arbitramur. denique quoniam
Apocalypſis 17. expreſsè dicitur, tempore Antichriſti Romam tandem deſolan- Apoc. 17.
dam, & cremandam eſſe, Regnumque Dei Beſtiæ, ideſt Diabolo; & Antichriſto
eius membro tradendum eſſe; poſtremò quoniam ubi cecidit Babylon, dicit Ioan
nes Apocalyp. 18. Populo Dei loquens, *Exite de illa Populus meus.* non ergò Chri Apoc. 18.
ſtiani eo tempore ibi morabuntur; Quinimmò uerba Chriſti, Lucæ 18. *Verumta-* Luc. 18.
men filius hominis veniens, putas nè inueniat fidem in terra? perſuadent, nec Romę in
fine ſeculorum fideles reperiendos eſſe; ex quibus facilè colligeretur, nec Sacrum
Iubilæum Romæ uſque ad finem Mundi duraturum.

Ribera in cap. 14. Apocalypſis, num. 47. licèt affirmet, Romanum Pontificem Sententia Ri-
tempore Antichriſti ex Vrbe eijciendum eſſe; negat tamen, uniuerſum Populum beræ.
Romanum à fide eſſe defecturum. *Multi enim viri boni*, inquit, *ex hac potiſſimum Ro-*

mana Ciuitate, & ex alijs, electo Pontifici adhærebunt, & fidem conſtanter retinebunt. Fieri etiam poteſt, ut Chriſtiani nonnulli, qui non ſint ſanctitate conſpicui, Romæ tunc de-
D.Ambro. *gere aliquo tempore ſinantur.* Hæc Ribera. D. Ambroſius idem ſentire uidetur in ca. 18. dum dicit, *Dominus per Prædicatores ſuos ſuadet electis, ut exeant à Babylone, non corpore, ſed mente.* Si enim per Babylon, etiam ſtatus Romanę Vrbis tempore Antichriſti intelligitur, ut ipſemet Ambroſius cap. 17. corpore quoque electos in Ba-
Ribera. bylone tunc temporis futuros eſſe, rectè fatetur. Ribera exponens pręfata uerba, exiſtimat, quòd cùm Roma euertenda, & incendenda erit, Deus electos in ea relictos, ut exeant, admonebit, ſiuè per Prophetas, qui tunc erunt; ſiuè per internam
Euſeb. inſpirationem; ſiuè per Angelos, quemadmodum cùm capienda erat Hieruſalem à Tito, factum eſt. De quo ità ſcribit Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 5. *Eccleſia verò, quæ in Hieroſolymis fuerat congregata, reſponſo à Deo accepto, emigrare iubetur, & tranſire ad oppidum quoddam, Pellam nomine, trans Iordanem, quo ablatis ex Vrbe ſanctis, & iuſtis Viris, undecta cæleſtis fieret locus, tam de Vrbe ſacrilega, quàm de Populo Impio, per excidium Patriæ, euerſionemq; ſumenda.* Sic iſte. Verùm ſi illa uerba, *Exi-*
D. Auguſt. *te, &c.* non corporaliter, ſed ſpiritualiter accipienda ſunt, ut uolunt D. Auguſtinus, & Ambroſius; ità ut non corpore, ſed mente abeſſe iubeantur; dicendum erit, etiam poſt hanc uocem, uſque ad finem ſæculi Romæ electos futuros eſſe. Sunt nonnulli, qui arbitrantur eo tempore Romæ ſolùm, ex toto Orbe, fidem Catholicam ſeruandam eſſe; Quod etſi probabile ſit, tamen cùm Antichriſtus mi-
Auguſt. rabiles ubique terrarum perſecutiones in Chriſtianos excitaturus ſit, ut Auguſtinus, tomo 9. in tract. de Antichriſto, omnem Dei Populum, per uniuerſum mundum diſperſum, varijs pœnis diſcruciando, alibi quoque prædeſtinatos fore, cre-
Apoc. 20. dendum eſt. *Exiet enim ſeducere nationes, quæ ſunt in quatuor angulis terræ,* ut in Apocalypſi cap. 20. dicitur, à parte totum denominando, ut Auguſtinus annotauit homil. 17. neque enim omnes ſeducet, ſed tantùm ſuperbos, & impios; nam humiles, & ueros Chriſtianos electos non ſeducet. Vnde veriſimile eſt, & ualdè probabile, hos electos, etſi in alijs quoque Orbis partibus, Romæ tamen ſemper perſeueraturos; Quod ſi in aliquibus Mundi regionibus hoc concedere, neceſſe eſt; electos enim nemo, neque Antichriſtus, eripiet de manu Domini; Cur non Romæ, quæ fidei priuilegium, & fauorem diuinum ſortita eſt, idipſum concedendum erit?

An tempore ipſo Antichriſti conuertendi ſint aliqui ad fidem Ieſu Chriſti, ex Auguſt.
Matth. 12.

D. AVGVSTINVS lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 8. curioſam, & doctam ponit quæſtionem; Vtrùm uidelicèt etiã illis tribus annis, & menſibus, quibus Diabolus ſolutus, totis uiribus ſæuiet, aliqui ad fidem acceſſuri ſint. Neminem enim acceſſurum fore, ſuadent uerba illa Matthæi 12. *Quomodo poteſt quiſpiam in domum fortis intrare, ut uaſa eius diripiat, niſi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiat?* Igitur ſi tunc ſolutus fuerit, eius uaſa non diripientur; ſed quod auget difficultatem, eſt conſiderare, quid tunc fiet de paruulis; Num filij Chriſtianorum tunc non naſcentur? Num nati ad lauacrum regenerationis à Parentibus ſuis perducentur? Quibus quæſtionibus reſpondet Auguſtinus, immò verò id potiùs eſt credendum, ut nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos; ſed profectò tam fortes erunt, & Parentes pro baptizãdis paruulis ſuis, & hi, qui tunc primitùs credituri ſunt; ut illum fortem uincant, etiam non ligatum, ideſt, omnibus, qualibus anteà numquàm, uel artibus inſidiantem, uel urgentem uiribus, & uigilanter intelligant, & toleranter ferant: ac ſic illi, etiam non ligato eripiantur; Nec ideò falſa erit Euangelica illa ſententia, *Quis intrat in domum fortis, ut uaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit fortem?* ſecundùm enim eius ſententiæ ueritatem, ordo iſte ſeruatus eſt, ut priùs alligaretur fortis, ereptiſque uaſis eius longè, latèque in omnibus gentibus ex firmis, & infirmis, ità multiplicaretur Eccleſia, ut ex ipſa rerum diuinitùs prædictarum, & impletarum robuſtiſſima fide, etiam ſoluto uaſa poſſet auferre; ſicut enim fatendum eſt, multorum refrigeſcere Charitatem, cùm abundat iniquitas; etiam inuſitatis, maximiſque perſecutionibus, atque fallacijs Diaboli iam ſoluti, eos, qui in libro uitæ ſcripti non

ſunt,

ſunt, eſſe multos ceſſuros; hinc cogitandum eſt, non ſolùm quos bonos fideles illud tempus inueniet, ſed nonnullos etiam, qui foris adhuc erunt, adiuuante Dei gratia, per conſiderationem ſcripturarum, in quibus, & alia, & finis ipſe prænunciatus eſt, quem uenire iam ſentiunt, ad credendum, quod non credebant, futuros, eſſe firmiores, & ad uincendum etiam non ligatum Diabolum fortiores; ſic Auguſtinus. Multos autem etiam ex Iudæis tunc ad Chriſti fidem conuertendos eſſe, docet Auguſtinus libro 20. de Ciuit. Dei, cap. 29. & Theodoretus ſuper Danielem cap. 12. per Eliæ ſcilicet, & Enoch prædicationem, qui tamquàm Duo Teſtes, & Præcones Euangelicæ ueritatis in fine Mundi, per dies mille ducentos ſexaginta, ideſt, per tres annos, & ſex menſes, demptis quindecim diebus, fidem Chriſti prædicabunt, Diuinam Scripturam interpretantes, Antichriſti mendacia detegentes, & redarguentes, fideleſque in fide confirmantes. Victorinus, in cap. 11. Apocalypſis, ſocium Eliæ aduerſus Antichriſtum, exiſtimauit fore Ieremiam, qui Propheta in gentibus datus eſt, & cùm uiuens Iudæis dumtaxat prophetauerit, reſtat, ut tempore Antichriſti gentibus prædicet. Sed fallitur. Prophetauit enim Ieremias non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam apud Ægyptios, & Babylones per Baruch ſuum ſcribam, & per Epiſtolam, quam Iudæis in Babylonia commorantibus miſit: uel etiam, quia in ſua Prophetia multa ad gentes ſpectantia prophetauit, ut de Aſſyrijs, Ægyptijs, & alijs, uti D. Hieronymus ibi exponit. Abbas Ioachimus in 11. Cap. Apocalypſis, & Gagnæius in ſcholijs eiuſdem Capitis exiſtimant, Moyſem futurum eſſe ſocium Eliæ, ut qui tempore Tranſfigurationis è mortuis excitatus, prioris Chriſti Aduentus Teſtis fuit; ità quoque ad uitam iterum reuocatus, ſecundi aduentus Teſtis exiſtat. D. Hilarius can. 20. in Matthæum, exiſtimans Moyſem adhuc uiuere, dicit, eum cùm Enoch, & Elia uenturum tempore Antichriſti. At hæc aduerſantur communi Populi Chriſtiani ſententiæ, cùm celeberrimum ſit in ſermonibus, cordibuſque fidelium receptiſſimum, duos Teſtes tantùm futuros tunc eſſe, nimirùm Eliam, & Enoch. lege Chryſoſtomum in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes, D. Gregorium libro 14. Moral. cap. vltimo, & homil. 12. ſuper Ezechielem, & Auguſtinum lib. 2. de natura, & gratia, contra Cœleſtinum, & Pelagium, capit. 23. Nec Moyſis animam, quæ iam beata eſt, ad corpus mortale reuerſuram eſſe, ueriſimile eſt; quia uel in eo futura eſſet beata, uel certè priuanda eſſet gloria, quam iam poſſidet. Quæ omnia abſurda ſunt, & ſinè nouo miraculo aſſeri non poſſunt. Moyſem autem iam defunctum eſſe, ſuperiùs ex Sacra Scriptura oſtendimus. Maldon. in ca. 17. Matth. dicit, ſinè temeritate, & impudentia negari non poſſe, Moſem quoque cum Elia in ſecundo Chriſti aduentu uenturum. Quod certè, & abſque firma ratione, & conſtanti teſtimonio Scripturæ affirmat. Nam uerba illa Apoc. 11. *Hi habent poteſtatem conuertendi aquas in ſanguinem, &c.* non de præteritis, ſed de futuris miraculis ad ſimilitudinem Moſis, & Aaron Exodi 7. accipienda ſunt, ut Ribera eo loco. Non deſunt, qui illis duobus tertium ſocium, & teſtem adhibeant, Ioannem uidelicet Euangeliſtam, exiſtimantes, illum adhuc non eſſe mortuum, ſed in terreſtri Paradiſo cùm Enoch, & Elia uſque ad tempus Antichriſti manere, iuxtà illud Ioannis 21. *Sic eum uolo manere:* Ità Hippolitus in oratione de conſumatione ſæculi, & Ambroſius Catharinus in 2. cap. Geneſis. Lege Damaſcenum in oratione de Transfiguratione, D. Ambroſium lib. 7. in Lucam in principio, Simeonem Metaphraſtem in uita D. Ioannis, D. Antoninum 4. par. tit. 13. cap. 4. §. 3. Sabellicum lib. 1. de memorabilibus factis, & dictis, cap. 8. & Georgium Trapezuntium in libello, quem edidit circà dicta uerba, *ſic enim uolo manere.* Verùm Ioannem iam mortuum eſſe, nobiliſſimi Auctores tradunt, Ità Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & libro primo contrà Iouinianum circà medium, & Matthæi 20. Auguſtinus in tract. vltimo ſuper Euangelium Ioannis, & ſerm. 549. de tempore, Euſebius 3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 25. vbi teſtimonio Policratis Apoſtolorum Diſcipuli id confirmat, & lib. 5. cap. 24. Chryſoſt. homil. 1. in Ioannem, & Iſidorus de uita, & obitu Sanctorum cap.

D. Auguſt. Theodoret. Victorinus. An Ieremias futurus ſit comes Eliæ in fine mundi. D. Hieron. Abbas Ioachimus Gagnæius. An cum Elia uenturus ſit etiam Moſes. D. Hilar. Chryſoſt. Gregor. Auguſt. Maldonat. Apoc. 11. Exod. 7. Ribera. Vtrum uenturus etiam ſit D. Iohannes Euangeliſta. Ioan. 21. Hippolitus. Catharin. Damaſc. Ambroſ. Metaphr. Antonin. Sabellicus. Trapezunt. Hieron. Auguſt. Euſeb. Policrates. Chryſoſt. Iſidorus.

D.Auguſt. B.da. D.Thomas. Tertull.

74. Verba autem illa Chriſti, *Sic eum uolo, &c.* vel intelligenda ſunt de morte violenta Martyrij, quam Ioannes non eſt perpeſſus, & ità D. Auguſtinus tract. 124. in Ioannem, & ſerm. 549. de tempore, Beda, & D. Thomas in Ioan. licèt enim calicem Domini biberit, cùm voluntariè ſe morti obtulerit, quando in feruentis olei dolium miſſus eſt Romæ, vt Tertullianus ſcribit de Præſcript. Hæret. cap. 36. tamen tunc mortuus non fuit; Vel non de Aduentu ſecundo Chriſti ad Iudicium, ſed de Aduentu, quo per Romanos ad Iudæos puniendos venturus erat, non quidem in propria perſo na, ſed per effectum, in quo ſenſu ſignificauit Chriſtus, Ioannem ſuperſtitem fore uſq; ad deſtructionem Hieruſalem. Ità Theophilactus, Oecumenius, & Toletus in Ioann. Alij, ut Chryſoſtomus, & Cyrillus, volunt, Chriſtum conditionaliter locutum fuiſſe, & Petri curioſitatem eludendo, dixiſſe ſub conditione, & ſi uellem Ioannem ſuperſtitem manſurum uſque ad diem Iudicij, quid ad Petrum?

Theophyl. Oecum. Toletus. Chryſoſt. Cyrill.

Non defuerunt quoque, qui dicerent, unum tantùm Prophetam, Eliam uidelicèt, uenturum contrà Antichriſtum. Ità Lactantius Firmianus libro 7. cap. 17. & Theodoretus in Danielem, qui Eliam, & non alium commemorant.

Lactan. Theodor.

Sed eſt communis Patrum conſenſus, & traditio, duos illos, Eliam ſcilicèt, & Enoch, ad prænunciandum Chriſti Aduentum, & ad reliquias Iſrael ſaluandas, & conuertendas venturos eſſe; & quamuis hi ambo ab Antichriſto occiſi, coronam Martyrij conſequentur; unde & eorum prædicatio antè mortem Antichriſti ceſſabit; tamen ſemper electi vſque ad extremam mundi conſumationem Chriſtum colentes, & prædicantes, tùm alibi, tùm Romæ futuri ſunt. *Ego enim* (inquit Chriſtus) *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.*

Ribera.

Quapropter ex dictis colligendum eſt, Romæ quoque Sanctum Iubilæum, & Sacras Indulgentias, etiamſi Summus Pontifex ex Vrbe pelleretur, quod aliqui extremis illis temporibus fore omninò affirmant, vt Ribera cap. 14. num. 51. & alibi, vſque ad mundi finem perſeueraturas. Grauiſſima quidem, & atrociſſima erit ſpiritualis perſecutio Antichriſti, in qua, quæ mala euentura ſint, enumerat Hyppol. in oratione de conſumatione ſæculi. & ex illo Pererius lib. 15. in Danielem. *Tollet enim,* inquit, *de medio Antichriſtus omnes ſacras imagines, prohibebit omnes cantus, precationes, & officia Eccleſiaſtica. Templa omnia, aut funditus euertet, aut in uſum Tabernarum, & ſtabulorum conuertet. Comburet omnes libros ſacros, quoſcumque inuenire poterit, & vt ſcribet Lactantius capite 17. lib. 7. Viros inſtos libros Prophetarum obuolutos cremabit. Vetabit adminiſtrationem, vſumque ſacramentorum, præcipuè verò Baptiſmi, & Euchariſtiæ: quemadmodum Antiochus vetuit Iudeos circumcidi, & iuge ſacrificium eorum abſtulit; Fore autem eo tempore maximam baptizandi Infantes Chriſtianorum difficultatem, indicat B. Auguſtinus, loco citato de Ciuit. Dei. Per tres porrò annos, & dimidium, Euchariſtiæ ſacramentum non erit in locis publicis, nec publicè debitus honor, & cultus exhibebitur: ſed priuatim, & occultè ſeruabitur, & honorabitur à Chriſtianis. Adhac, vetabit Antichriſtus, quemquam ſignare ſe ſigno Crucis; & hoc ſignum ex omnibus, vbicumque erit, auferre præcipiet. Pro ſigno autem Crucis Chriſtianorum, dabit ipſe ſuis amatoribus, & ſectatoribus ſuum characterem, & ſignum, videlicèt nego Baptiſma, vel nego Iesvm.* Similiter dicimus, quòd tunc vſus Iubilæi, & Indulgentiarum non erit publicus, & patens, ſed occultus, & ſecretus, nec fortè viſitationibus Eccleſiarum præſcriptus; neque enim Chriſtianis licebit, publicè religioſam aliquam ceremoniam profiteri. At verò mortuo Antichriſto, qui in Infernum viuus detrudetur, palàm prædicabitur Iubilæus plenę remiſſionis, vt innuit D. Anſelm. in ſecunda ad Theſſalonicenſes ſecundo, in quo fortaſſe conſumentur omnes ſatisfactiones ſanctorum, quę in Theſauro Eccleſię conſeruantur pro Indulgentijs, nè quid ab illis relictum irremuneratum maneat; licèt infinita Chriſti ſatisfactio exhauriri numquàm poſſit. Ità Henriquez lib. vlt. de fine hominis cap. 23. §. 10.

Hyppolitus Martyr. Pererius. Lactan. D. Anſel. Henriq.

Sed Argumentis initio huius capitis poſitis, nunc reſpondendum eſt.

Explicatur locus cit. ex Apocal. 17.

Ad locum Apocalypſis 17. Dicimus, Sedem Antichriſti fore Hieruſalem, non Romam; id quod ex cap. 11. Apocalypſis probatur, ubi Ioannes dicit, Enoch, &

Eliam ab Antichriſto in Hieruſalem occidendos eſſe, *Et cùm finierint teſtimonium ſuum, Beſtia, quæ aſcendit ab abyſſo, faciet aduerſum eos bellum, & uincet illos, & occidet illos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ uocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.*

VICTORINVS, Primaſius, Arethas, Haymon, Rupertus, Riccardus, Anſelmus, Thomas, ac cæteri expoſitores, hanc ciuitatem intelligunt Hieruſalem, quod negari non poteſt, cùm in ea; & non alibi fuerit crucifixus Chriſtus, niſi Chytræi mendacium admittere uelimus, qui, ut hanc Vrbem, Romam eſſe oſtendat, illa uerba, *Vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*, more Hæreticorum, prætermiſit. Appellatur autem Hieruſalem Ciuitas Magna, quoniam eo tempore magna futura eſt Dominio, & potentia, numeroque Ciuium, qui recipientes Antichriſtum, tamquam uerum Meſſiam, ibidem cùm illo regnabunt. Vocatur autem Hieruſalem Sodoma, & Ægyptus, tùm quia Chriſtum occidit, tùm etiam quia ſedes Regia erit Antichriſti, & omnibus facinoribus, & ſceleribus plena ad inſtar Sodomæ, & Ægypti. Nec huic ueritati repugnant, quæ ſcribit Hieronymus in Epiſtola 17. ad Marcellam, negans Hieruſalem uocari Sodomam, & Ægyptum; immò Ciuitatem ſanctam, magniſque laudibus dignam; quæ enim ibi nomine Paulæ, & Euſtochij dixit Hieronymus, magis diſputationis gratia, & non ex propria ſententia, quaſi id ipſe ſentiret; ſed nomine Paulæ, & Euſtochij, ſtudio laudandi, & honorandi Hieruſalem ductus, ad excitandam Marcellam, ut eò accederet, dicta ſunt rethorico more, omnia adducendo, quæ in laudem Hieroſolymæ, & reprehenſionem Romæ facerent, ut uerba ipſa illius Epiſtolæ benè ponderanti, notum facient.

D.Hieron.

Sed quid? Nonne Eſaiæ cap. 1. Hieruſalem Sodoma, & Principes eius, Principes Sodomorum appellantur? *Audite Verbum Domini Principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei Noſtri Populus Gomorrhæ?* Et Ezechielis 16. Nonnè Sodoma peior dicitur? *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma Soror tua ipſa, & filiæ eius, ſicut feciſti tu, & filiæ tuæ?* Et Thren. 4. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ Populi mei peccato Sodomorum.* Nec repugnat, dici ſanctam Ciuitatem ob Prophetas, & Apoſtolos, qui ibi prædicauerunt, & propter conuerſationem, paſſionem, & ſepulturam Chriſti; & dici quoque Sodomam, uel Ægyptum ob ingentia flagitia, & profundam cæcitatem Iudæorum; ſicut etiam Roma ipſa in eadem Epiſtola à Hieronymo dicitur Meretrix propter Idolatriam, & ſancta ob Chriſti Eccleſiam, & Petri, & Pauli monumenta. Vnde concludimus, quòd ſicut Antichriſtus naſciturus eſt Babylone, de gente Hæbrea, ex Tribu Dan; ità quoque ſedem, non Romæ, ſed Hieruſalem habiturus eſt. Sic Irenæus libro 5. dixit, Antichriſtum regnaturum eſſe in terrena Hieruſalem. Theodoretus in 11. cap. Danielis, & D. Auguſtinus in libro de Antichriſto, lege Lactantium lib. 7. Diuin. Conſtitut. aduerſus gentes, cap. 17. ubi Regnum Antichriſti, dicit eſſe Syriam, ideſt, Iudæam, quæ pars Syriæ eſt, & à latinis Syria appellatur, & in cap. 15. aſſerit, tempore Antichriſti, Imperium in Aſiam reuerſurum eſſe, & rurſus Orientem dominaturum, & Occidentem ſeruiturum, & plura alia mirabilia in hanc ſententiam.

Iſai. 1.
Ezechiel. 16.
Thren. 4.
Ortus, & genus Antichriſti.
Irenæus.
Theodoret.
Auguſt.
Lactant.

Ad Argumentum autem præciſè, reſpondendum eſt, Ioannem non dicere, ſedem Antichriſti eſſe Romam, uel illam Vrbem magnam, quæ ſedet ſuper ſeptem colles; quoniam ſibi contradiceret; immò nullibi legitur, Antichriſtum Romæ ſecundum ſuam perſonam futurum, quamuis eò ſuos Pſeudoprophetas, & legatos mittet, ſicut & in alia loca, ad quæ perſonaliter non accedet. Nec enim eſt neceſſe, per ſe ipſũ omnia loca luſtrare. Et ſi Antichriſtus inteſtino odio Romam perſequetur, cum eaque exercitu magno pugnabit, ut Lactantius in eodem cap. 15. & Sibyllæ, (ut ipſe citat) teſtantur, eamque magno incendio comburet, quomodo affirmare poſſumus, Romam eſſe Sedem Regiam Antichriſti? quamuis alij, ut Auguſtinus Beda, & Rupertus, exponant, Meretricem illam uniuerſam Diaboli ciuitatem, hoc eſt, uitiorum, flagitiorumque congeriem, & per ſeptem Montes, omnes ſuperbos, imperioque tumidos, ut ſunt Reges terræ, accipiant.

Solutio argumentorum.
Lactant.
Auguſt.
Beda.
Ruper.

Alij autem per Meretricem illam, Romam quidem ipſam intelligunt, quam à Decem Regibus, ſiuè Decem uiris ab ipſa creatis comburendam dicunt, qui poteſtatem omnem ſuam Beſtiæ, Antichriſto uidelicèt, tradent; quarè non illam Antichriſtus per ſe, ſed per hos perdet, atque uaſtabit, quod ipſi ex 17. cap. Apocalyp. ſatis probabiliter colligunt.

Apoc. 17.

In quonā templo ſeſſurus ſit Antichriſtus.

Irenæus. Hyppolit. Cyril. Hieroſ. Hilar. Damaſc.

Ad Secundum ex D. Paulo, Reſpondemus; Templum Dei, in quo ſedebit Antichriſtus, eſſe Templum Iudaicum Salomonis, ab ipſo Antichriſto reparandum. Ità Irenæus lib. 5. Hyppolitus in oratione de Mundi conſummatione, Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 15. Hilarius Can. 25. in Matthæum, & Damaſcenus libro 4. de fide Orthodoxa, cap. 28. Atque ille in tantam extolletur ſuperbiam, ut non ſolùm ſe Regem Regum, ſed etiam Deum Deorum faciat; nec alium Deum ſe ſuperiorem agnoſcat. Quod illis uerbis declarauit Apoſtolus, *Oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. Quod etiam Daniel cap. 11. *Magnificabitur*, inquit, *ſuper omnem Deū & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica*. Nec huic expoſitioni de Templo Hieroſolymitano aduerſantur Theophylactus, & Auguſtinus lib. 20. de Ciuitat. Dei, cap. 19. qui in libro de Antichriſto, tomo 9. hoc idem affirmat; nec Hieronymus in quæſt. 11. ad Algaſiam. At uerò D. Chryſoſtomus in eumdem locum Pauli, non ſolùm in Templo Hieroſolymitano putat Antichriſtum ſuam ſedem collocaturum, ſed etiam in Eccleſijs Chriſtianorum. Quod concedi poteſt, non ut ibi ſedeat, tamquàm Epiſcopus vniuerſalis (ut Hæretici in Papę, & Epiſcoporum cōtumeliam imaginantur) ſed ſeſſurus, ut Deus, ab omnibus colendus, & adorandus. Imperabit enim, ut omnia Templa totius Orbis in cultum ſuum conuertantur, in quibus ſe ipſum, & imaginem ſuam adorari faciet: lege Theodoretum ſuper cap. 11. Danielis, vbi dicit, Antichriſtum, & facturum ſe Deum, & imperaturum gentibus, ut erigant ſibi Templa magnificentiſſima, & argento, auro, & lapidibus precioſis ornatiſſima. Ex quibus perſpicuum eſt, Cathedram Apoſtolicam toto Cœlo diſtare ab eo Templo, in quo ſeſſurus eſt Antichriſtus. Hoc enim Hieroſolymis eſt, illa autem Romæ; immò, ſicut credibile eſt, nullum Pontificem Romanum fuiſſe vmquàm Hieroſolymis, antè annos ferè quingentos, ut rectè notauit Bellarminus in calce cap. 13. li. 3. de Romano Pontifice; ità credibile eſt, numquàm Sedem Apoſtolicam Hieroſolymam peruenturam eſſe.

Dan. 11.

Theophyl. Auguſt. Hieron. Chryſoſt.

Theodoret.

Bellarm.

Ad Tertium ex Apocalypſi, concedimus, extremis illis temporibus Romam cremandam, & deſolandam eſſe; ſemper tamen nonnullos paucos veri Dei, & Chriſti cultores, licèt occultos, ibi futuros, probabiliſſimum eſt, vt ſuperiùs diximus.

Ad Quartum, cùm Ambroſio, & Auguſtino dicimus; non corpore, ſed mente electis Dei exeundum eſſe ex Babylone, vt expoſitum eſt.

Ad Vltimum, dicendum eſt, Dominum noluiſſe ſignificare, nullam fidem ſe repertutum in terris, cùm venerit ad iudicandum, ſed paucos, raroſque fideles, aliorum comparatione, ſe inuenturum; aut paucos, qui in fide perſeuerauerint vſque ad illud tempus; tùm, quia fides, quemadmodum & charitas multorum continuè refrigeſcet; tùm etiam, quoniam ob perſecutionem, & deceptionem Antichriſti multi à fide, vel excident, vel alienabuntur, ità ut filius hominis tunc ueniens, rarâ fidem ſit inuenturus in terra. Ità Theophylactus in Lucam, & Ianſenius cap. 125. ſuæ Euangelicæ concordantiæ; licèt Caietanus hanc diminutionem Chriſtianæ fidei, quæ uſque hodie non ſolùm inchoata, ſed ualdè extenſa apparet, arbitretur non eſſe reſtaurandam, ſed potius vſque ad mundi finem extendendam; nihilominus aſſerendum eſt, non eſſe tàm paucos fideles tunc futuros, quin Eccleſiam faciant. Nonnullos autem ex horum paucorum numero, aſſerimus Romę circà aduentum Domini, reperiendos eſſe. D. Hieronymus contra Luciferianos, & D. Auguſtinus lib. de Vnitate Eccleſiæ cap. 13. non intelligunt uerba Lucæ de fide abſolutè; ſed de eximia quadam fide, quę nunc in paucis, nouiſſimis uerò diebus in pauciſſimis repetietur. Atque hæc ſatis de hoc Capite.

Theophyl. Ianſen. Caiet.

D. Hieron. D. Auguſt.

CAPVT

Quo Die Anni Sancti, & qua hora illius diei initium, vel finem habeat Iubilæus.

DIximvs in ſuperioribus, quolibet uigeſimoquinto anno ſolemnitatem Anni Sacri, ſanctique Iubilęi celebrari. Nunc proximè aperiendum eſt, in quo die eiuſdem anni huiuſmodi celebritas principium, uel finem habeat, ut nemo in acquiſitione Sacri Iubilęi fallaciam, uel ignorantiam præſumere poſſit.

Diverſimode in hac re Pontifices Maximi locuti fuerę. Bonifacius Octauus, qui Primus, ut diximus, Iubilæi extrauagantem promulgauit, decreuit in illo ſuo milleſimo tercenteſimo, à Feſto Natiuitatis Domini Noſtri Iesv Chriſti incipere; Quod idem dixit Clemens Sextus in ſua Extrauaganti; in quibus licèt hora non determinetur, dies tamen certus præſcribitur, & ſimiliter in eodem die Natiuitatis ſubſequentis Anni finem accipiebat. Paulus Secundus, & Sixtus Quartus à Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri Iesv Chriſti Iubilæum exordium ſumere, in ſuis Bullis uoluerunt, finemque ſuſcipere in Vigilia eiuſdem Natiuitatis ſubſequentis anni: Verùm neque iſti horam præſcripſerunt.

Diuerſæ Pontificum locutiones circà initium, & finem Anni Iubilæi.
Bonif. VIII.
Clem. VI.
Paul. II.
Sixt. IIII.

Alexander Sextus in ſua Bulla, quæ incipit, *Inter curas multiplices*, ad varia dubia tollenda, quæ ſcrupulum in mentibus fidelium gignebant, nè contingeret, aliquem ignorare, ſeù dubitare, quo tempore huiuſmodi annus incipiat, Apoſtolico Oraculo declarauit, ipſum Annum Iubilæi in Vigilia, & primis Veſperis Natiuitatis eiuſdem Domini Noſtri Iesv Chriſti inchoarę. Quod etiam Gregorius Decimustertius in ſua Bulla expreſſit, Iubilæi uidelicèt celebrationem illo anno 1575. à primis Veſperis Vigiliæ Natiuitatis Domini Noſtri Iesv Chriſti incipiendam, & per totum annum ipſum finiendam; id quod ex ſtylo ceremoniarum ſacrarum, quæ in ea celebritate adhibentur, manifeſtiſſimum fit. Aperitur enim antè Veſperas Vigilię Porta Sancta, & ſtatim per apertam Portam Pontifex ingreſſus, apud Altarę maius Veſpertinas preces inchoat, & ex tunc incipit currere gratia Anni Sancti, & econuerſò in ſubſequenti Anno, in dictis Veſperis occluditur Porta Sancta, ut fideles intelligant, beneficium Sacri Iubilæi expiraſſe.

Alex. VI.
Greg. XIII.

Ivlivs Tertius anno 1550. præfatum ordinem non ſeruauit, quoniam cùm Sedes uacaret illis diebus, in quibus cæteri Pontifices ſolent Portam Sanctam aperire, & Sacrum Iubilæum inchoare; Ipſe in die Sancti Matthiæ Apoſtoli circà horam, in qua hora Tertia Canonica ſolemniter decantatur, Portam Sanctam aperuit, & Iubilæo illius Anni initium dedit, in quo die coronatus fuit, durauitque præter ordinem conſuetum uſque ad Epiphaniam ſequentis Anni, (ut refert Platina in eius uita) Illud certum eſt de ſtylo, & conſuetudine Curiæ Romanæ, ſemper in Vigilia Natiuitatis Domini, cùm primùm Veſperæ incipiuntur, Iubilæum Anni Sancti inchoare, & ſimiliter finitis Veſperis ſubſequentis Anni expirare.

Iul. III.
Platina.

Navarrvs in Commentario de Iubilęo, notabili 24. & in Commentario ſuper Bullam Indictionis Iubilæi Gregorij Decimitertij, Verbo, *à primis Veſperis*, mouet Dubium, an cùm dicitur à primis Veſperis, uel à Vigilia Natiuitatis Domini, intelligatur excluſiuè; Præpoſitio enim A ſecundum ſuam propriam ſignificationem, excludit tempus, cui adiungitur; ità quòd dies, cui annectitur, non cōputetur in termino, iuxta Gloſſam memorabilem, communiter receptam, Clemen. *Sicut*, de Appellationibus, Verbo, *à Die*, ca. *Super eo*, ſecundo de Appellationibus, ubi latè de hoc à Peruſi. Prępoſit. & Decio diſputatur. Vndè ſciendum eſt, quod in Sacris literis dictio A uarias ſignificationes habet: aliquādo ponitur pro Propter, ut Hoſeę 7. *Cadent in gladio Principes eorum à furore iræ ſuæ*: Septuaginta tranſtulerunt, *propter imperitiam linguæ eorum*; Vndè D. Hieronymus ſuper illa uerba Hoſeę inquit. *Principes eorum, qui infelicem Populum deceperunt, cadent propter fu*

Quomodo intelligatur, Iubilæū incipere à primis Veſperis Natiuitatis Chriſti. ex Nauarro.
Gloſſ.
A dictio varias ſignificationes habet in Scripturis.
Hoſeæ 7.
Lxx Interp.
D. Hieron.

rorem

rorem linguæ ſuæ, quòd vitulos aureos, Deos appellare ſunt auſi. Et inferiùs. *Vnde Principes eorum, ideſt Hæreſiarchæ, Domini mucrone ferientur, propter inſaniam linguæ ſuæ, quâ Dominum blaſphemauerunt.*
Hoſeę 9. Et Hoſeę 9. *Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate*, ideſt, propter uaſtitatem.
Pſalm. 84. Sic Pſalmo 84. ibi *Elongaſti à me Amicum, & Proximum, & notos meos à miſeria*, ideſt; tanta fuit miſeria mea, ut propter eam me etiam amici, & proximi fugerent,
Pſalm. 6. & Pſal. 6. *Turbatus eſt à furore oculus meus*, ideſt, propter furorem: Præterea ſumitur aliquando pro Præ,
Miche. 2. ut Micheæ 2. *Tumultuabuntur à multitudine hominum*, ideſt, præ multitudine. Item ſumitur pro In,
Abacuch. 3. Abacuch. 3. *Cornua à manu eius*, ſic Hæbræi legunt, unde Septuaginta uerterunt, (vt noſtra latina lectio habet) *Cornua in manibus eius*.

Atque adhunc modum intelligenda ſunt verba Summorum Pontificum, dum dicunt, *A Vigilia, uel à primis Veſperis Natiuitatis*, ideſt, in ipſis primis Veſperis, inchoare Iubilæum: quando enim præpoſitio à, pro in ponitur, non excludit; ac dies ille in termino computatur; Ità cap. 1. & 2. de Ferijs, ſtatuitur, ut Dies Dominici, à Veſpere in Veſperam obſeruentur; ubi non excluduntur; immò includuntur
NOTA. Veſperæ: ex quibus infertur, illud obſeruatione, ac memoria dignum eſſe, ne quis retardet acquirere Sacrum Iubilæum, uſque ad Diem Natalis Domini ſubſequentis Anni: Hic enim Dies, licèt ſanctiſſimus, & glorioſiſſimus, non eſt pars
Nauarr. Anni Iubilæi, ut rectè ponderauit Nauarrus dicto notabili 24. nu. 4.

CAPVT VNDECIMVM.

An Indulgentia Iubilæi in Anno Sancto alijs Orbis Partibus communicetur.

Celeberrimũ Aſſueri Regis conuiuium.

ASSVERVS, Rex Potentiſſimus, qui ab India uſque in Æthiopiam ſuper viginti ſeptem Prouincias Dominium habuit, Suſan Ciuitatem, in qua ſolium Regni ſui conſtitueret, prælegit: Hanc decorare, illuſtrare, clariſſimamque reddere cupiens; ac inſuper Potentiam, Diuitiaſq; Regni ſui oſtendere uolens, ampliſſimum conuiuium omnibus, qui in eâ Ciuitate inuenti fuiſſent, per centum, & octuaginta dies, à maximo uſque ad minimum, in ueſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat, præparatum exhibuit. Vaſthi verò Regina, in Palatio Regio, ubi Aſſuerus manere conſueuerat, fœminis cunctis conuiuium ſimiliter fecit. Celeberrima ſanè, ac lautiſſima fuere huiuſmodi conuiuia, & certo loco, ac digniſſimo celebrata. Verùm ij, qui inuitati ad epulas admittebantur, erant non ſolùm Principes, fortiſſimique Perſarum, & incliti Medorum, & Præfecti Prouinciarum; uerùm etiam omne genus Populorum, etiam infimum, à maximo uidelicet uſque ad minimum, ut ſic regali beneficio omnes perfruerentur, Regiſque magnificentia cunctis conſpicua foret.

Iubilæus ſpirituale conuiuium omniũ fidelium.

ET profectò, per indictionem Sancti Iubilæi, quid aliud efficitur, quàm uniuerſas Mundi gentes, maiores, & minores, ad cœnam magnam, grandeque conuiuium ſpiritualium epularum inuitare? Sicut enim regalis munificentiæ partes ſunt, ut ſubditi beneuoli, dociliſque reddantur, interdum ad Regiam Cœnam publicaque conuiuia Populos conuocare: ſic Rex, Præpoſitiſque Eccleſiæ Dei, iure optimo, ſtatis temporibus, in ſuo Regio Palatio, hoc eſt, Romæ ſpirituale conuiuium parat, ad quod inuitantur, artifices, operarij, alijque inferioris gradus homines; nec non etiam maiores, atque in præcellenti dignitate conſtituti; Immò Principes, Reges, Imperatores, ac denique omnes, qui christiano nomine cenſentur, eò accedere debent, qui Anni Sancti pleniſſimam Indulgentiam conſequi deſiderant; præſertim cùm (durante eo anno) omnes aliæ Indulgentiæ plenariæ à Romano Pontifice ſuſpendantur, ut auidiùs quilibet Chriſtianus ex reli-

quis

quis Orbis partibus Romam accedere feſtinet. Verùm cùm impoſſibile ſit, ut omnes Chriſtiani, Principes pręſertim, ac Reges, eo ipſo anno ad Vrbem proficiſcantur: Multique in Orbę ſunt Cœnobitę, multi Anachoritę, Sanctimoniales, Virgineſque Deo Sacratę quàmplurimę, ingens Mulierum, ac Puellarum copia, Senũ, ac Infirmorum multitudo, Militum non paruus numerus, quorum continua pręſidia aduerſus Infideles per neceſſaria ſunt, ac denique multi alij, qui legitimis impedimentis detinentur, nè Romam peregrinari poſſint; propterea piiſſimus, ac munificentiſſimus Princeps, Romanus Pontifex pro ſua maxima benignitate, cùm omnes tamquàm filios Eccleſiæ diligat, paternoque amore unicè proſequatur; ex magno conuiuio ſpirituali in Vrbe præparato, iis quoque abſentibus, & in diuerſis mundi partibus conſtitutis, legitimè (ut diximus) impeditis, cibaria, epulaſque tranſmittit, ut qui eiuſdem Reipublicę Chriſtianę conciues ſunt, de eadem eſca ſpirituali comedant, & reficiantur, ut ſic ſine ulla perſonarum acceptione, quilibet Chriſtianus ex conuiuio pinguiſſimo ſaginari, & ex theſauro opulentiſſimo ditari poſſit. Hoc enim exigit Charitas Chriſtiana, ut communibus Chriſtianorum neceſſitatibus, communi remedio ſuccurratur. Hoc exigit Iuſtitię diſtributio, ut cùm Theſaurus Eccleſiaſticus ſit communis; omnibus, ac ſingulis diſpenſetur: hoc Chriſtianę Religionis una fides, unum Baptiſma, unus denique Chriſtus expoſcit, ut qui pro omnibus paſſus eſt; cuncti, qui uoluerint, oblatum remedium ſalutis accipiant. Solent igitur Romani Pontifices alijs Ciuitatibus, cęteriſq; Orbis partibus gratiam Sacri Iubilæi communicare, ſed non ſemper uno, & eodem modo; Regibus quidem, ac Principibus in eodem Anno Sancto gratiam, & Indulgentiam Sacri Iubilęi Benignitas Pontificia concedit. Decet enim hos, qui capita Regnorum, & Prouinciarum ſunt, tùm ob boni regiminis rationem, ac ſubditorum pacem; tùm ob pleraque pericula, quę ex abſentia Rectoris emergunt, euitanda, ſpecialibus fauoribus proſequi; Infirmis autem, uel ſenio confectis, atque in arctiori clauſura detentis, qui numquam ſepta Monaſterij exire poſſunt, ac denique iis, qui poſt iter arreptum, uel poſt pręparationem peregrinandi ad Vrbem per eos factam, impediti legitimè fuerint, quominus ad ipſam Vrbem dicto Anno Iubilęi ualeant peruenire, uel pręparati in loco, ubi tunc fuerint, & uenientes in uia impediti, ſi ad prędictam Vrbem non peruenerint, etiam ſi in dicta Vrbe non deceſſerint, dummodò uerè pœnitentes, & confeſſi fuerint, eodem Anno, eadem pleniſſima Indulgentia à Papa concedi ſolet, quam Romani, & alij exteri Romę eo anno conſequuntur. Ità legitur in Bulla Alexandri Sexti, quę incipit, *Inter curas multiplices*.

Spiritualis munificentia Romani Pontificis.

Communicatio Sacri Iubilæi extra Vrbem.

Alex. VI.

Vniuerſaliter autem alijs Chriſtianorum Prouincijs gratia Sacri Iubilęi non conceditur, niſi poſt Annum Sanctum in Vrbe peractum. Cùm enim ordo ſit id, quod in unaquaque re pulchrum, & optimum eſt. (Quę enim à Deo ſunt, ordinata ſunt) conuenientiſſimum eſt, ut cæterę Ciuitates, ac Orbis Diœceſes, quę in ſpiritualibus Romanę Sedi Apoſtolicę omninò ſubiectę ſunt; Romanę Vrbi ex toto non adęquentur, & quę unica eſt Caput, & Regina Orbis, Fons, Origoq; ſpiritualium gratiarum, primùm eaſdem gratias apud ipſam commorantes, ſeu illam uiſitantes diffundat; deindè in alios, & ſic Palatium Regale Aſſueri honorabitur, & nedùm Suſę, Romę ſcilicèt, Ciuitatis incolę, ſed etiam omnes Mundi fideles cœnam hanc magnam Sacri Iubilęi guſtabunt, potentiamque, ac diuitias, liberaliſſimamque munificentiam Epiſcopi Romani cognoſcent.

Anno Iubilæi Romæ celebrato, Iubilæus transfertur ad alias totius Orbis partes.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

De Primatu, & Excellentia Baſilicarum quæ in Sacro Anno Romæ viſitandæ ſunt.

Sola Petri Baſilica antiquitus viſitari ſolebat pro adeptione Iubilæi.
Gre. Nonus.

ANTE BONIFACIVM Octauum, in centeſimo Iubilęi Anno, accedentibus ad Vrbem, ut magnas remiſſiones, & Indulgentias peccatorum acquirerent, honorabilis Baſilica Principis Apoſtolorum dumtaxat uiſitanda erat, ut ex principio eius Extrauagantis *Antiquorum* licèt cognoſcere. Hęc enim Baſilica, ſicut dignitate, honore, ac tempore, cunctas alias antecedit, ut inquit Gregorius Nonus in quadam Epiſtola, ut refert Honuphrius; ſic etiam à fidelibus Chriſtianis cultu, deuotione, ac uiſitatione cæteris omnibus anteponitur, atque hęc Sacroſancta Baſilica eſt radix, & fundamentum Iubilęi Anni Sacri.

D. Pauli Baſilicę uiſitatio à Bonif. VIII. fuit inſtituta.
D. Gregor.
D. Maximus.

BONIFACIVS VIII. addidit, Baſilicam quoque B. Pauli uiſitandam eſſe ob huiuſmodi Indulgentias conſequendas; quod optima ratione, diuinaque inſpiratione motus ſanciuit. *Eſt enim Paulus Apoſtolus, Petro Apoſtolorum Primo, in Principatu Apoſtolico frater*, ut inquit D. Gregorius lib. 1. Dialogorum, cap. vltimo; *Eminent hi duo, Petrus, ſcilicet, & Paulus*, vt Sanctus Maximus in ſermone ultimo, de Sanctis Petro, & Paulo inquit, *inter uniuerſos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipſos quis, cui præponatur, incertum eſt; puto enim illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione.*

D. Leo.

D. LEO Papa, in ſermone primo, de Natali Apoſtolorum, ait, *Hos gratia Dei in tantum apicem, inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, ut eos in corpore, cui Caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum: De quorum meritis, atq; uirtutibus nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum; quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* Quocircà meritò Baſilica B. Pauli Apoſtoli uiſitanda adiuncta fuit: quemadmodum enim in cultu, & commemoratione horum Apoſtolorum, Eccleſia illos non ſeparat; ſed ſemper cùm de uno celebratur officium; alterius fit commemoratio; ſic quoque decentiſſimi fuit, ut utriuſque Baſilicæ Petri, & Pauli uiſitationes inuicē connecterentur. Adijce, quòd ſicut duę illę Claues Potentiæ, & ſcientię ſecerni non debent, ità nec Paulus à Petro. Sicut enim Petro Clauis Potentiæ, ità Paulo ſcientiæ atque Sapientiæ Clauis conceſſa eſt, ut ibidem Maximus eleganter dicit. Prætereà in imaginum collocatione, Paulus à Petro honoratur; ponitur enim imago Pauli ad dexteram imaginis Petri; non ut Paulum Petro auctoritate ſuperiorem, uel maiorem eſſe ſignificetur. Econtrà enim accidit, ut Cyprianus docet in Epiſtola ad quintum, Hieronymus, in Epiſt. 89. ad Auguſtinum, Auguſtinus in Epiſtola 19. ad Hieronymum, Gregorius homil. 18. ſuper Ezechielem, & Theodoretus in Epiſtola ad Leonem; vnde Arator Poeta Hiſt. Apoſt. lib. 2.

Maximus.
Cur Imago D. Pauli ad dexteram D. Petri ſoleat collocari.
Cyprian.
Hieron.
Auguſt.
Gregor.
Theodoret.
Arator Poet.

Contulit ut Petro Paulum, gerat Ordo ſecundum,
Qui fundamentis manet Architectus in illis.

Pet. Dam.
Innoc. III.
D. Thom.
Ant. Nebriſſ.
Bellarm.
Attil. Serran.

Sed honoris cauſſa; cuius rei ingenioſas rationes reddunt Petrus Damianus in Epiſtola ad Deſiderium, Innocentius III, in ſermone de Euangeliſtis, & D. Thomas in Epiſtola ad Galatas, lectione prima, Antonius Nebriſſenſis in annotatione ad quinquaginta Scripturæ loca, & Bellarminus libro primo, de Rom. Pontifice, cap. 27. Quibus Attilius Serranus in libro de ſeptem Vrbis Eccleſijs, duas nouas rationes annectit. Prima, quòd ſiniſtra altaris ueterem poſitionem habentis, uidelicet, quòd eadem altaris, & Sacerdotis facies Populum reſpicit, ut in Eccleſia Vaticana, Lateranenſi, & alijs antiquis cernitur; dignior ſit, quàm dextera; in ſiniſtra enim, ubi legitur Euangelium, rectè imago Petri, qui Caput eſt Eccleſiæ, quę ex gentilitate, ad quam Euangelij Prędicatio conuerſa fuit, præ-

cipuè

cipuè collecta eſt; In dextera verò Altaris, quæ Populum Hæbræorum ſignificat, cui primò Verbum Dei annunciatum fuit, ritè Pauli imago collocatur, tamquam in loco minùs digno. Translatio enim libri, quæ in Miſſa fit, ex cornu dextero Altaris ad ſiniſtrum, ubi Euangelium recitatur, tranſitum à lege ad gratiam, ſeu ex ueteri teſtamento ad nouum ſignificat, ut omnes ſciunt. Vndè non honoris gratia, ſed myſterij ſignificandi cauſa, exiſtimat hic Auctor, Paulum in dextero cornu Altaris; Petrum verò in ſiniſtro, quod nobilius myſterium ſignificabat collocari. Addit, læuam nonnumquàm digniori aſſignari, quod nititur perſuadere teſtimonio B. Sophronij Epiſcopi Hieroſolymitani, ex Encomio in Sanctos Cyrum, & Ioannem, quod à ſecunda Nicæna Synodo tanti fit, ut eo Partes aduerſus oppugnatores ſanctarum imaginum utantur; Habentur autem tertio tomo Conciliorum in actione 4. Nicenæ Synodi hæc verba, *In Templum quoddam absoluti operis, forma quidem tremendum, & ſuprà modum ſplendidum; altitudine verò in Cælum uſq; aſcendens, ingreſſi ſingula perluſtrantes: Ecce imaginem maximam, & mirificam uidimus repræſentantem, medio quidem picturam Domini Noſtri* Iesv *Christi; Chriſti autem Matrem, & Dominam Noſtram Deiparam ſemper Virginem* Mariam *à ſiniſtris, à dextris verò Baptiſtam, Saluatoris Noſtri Præcurſorem, qui in utero, ſaltu illum indicauerat.* Hæc ibi. Cur autem B. Maria à ſiniſtris, quæ omnibus ſanctis antecellit, Ioannes verò à dextris? Niſi quia illa tempus gratiæ; hic verò antiquam legem, cuius fuit terminus, repræſentabat. Rurſus in Concilio Chalcedonenſi, actione prima, ad leuam Legatus Apoſtolicus, tamquàm in digniori loco collocatur; Dioſcorus uerò Epiſcopus Alexandriæ, & Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymorum ad dexteram ſedebant.

Sophron.

Synod. Nicæna.

Conc. Chalc.

Alteram quoque Serranus affert rationem moralem; quoniam, *Qui maior eſt in uobis*, dixit Dominus Lucæ 22. *fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut miniſtrator*; Vndè rectè Petrus, quamuis maior ſit, ad ſiniſtram ponitur.

Luc. 22.

Illuſtriſſimus Baronius tom. 3. Annalium, anno Chriſti 325. atque etiam tomo 2. dicit, apud Romanos in ſacris, ſiniſtrum locum ſemper potiorem fuiſſe habitum, dextrum uerò poſteriorem; quod etiam in Eccleſia Chriſti locum habet, quoniam ex benedictione illa Patriarchali in Ephraim, atque Manaſſem, Geneſis 48. mutatæ fuere rerum uices, & ordo, ut quæ ſiniſtra eſſet, in dexteram; & dextera in ſiniſtram, dignitatis, & benedictionis ordine mutaretur.

Card. Baron.

Geneſ. 48.

Verum dexteram in uniuerſum, & abſolutè honoratiorem partem eſſe, Ambroſius in ſerm. 61. qui eſt de Pentecoſte, & Hieronymus ſuper Caput Primum ad Epheſios, adnotarunt; Et ſic rectè etiam excogitauerunt Pontifices in honorem, & dignitatem D. Pauli, decernere, ut etiam eius Baſilica uiſitetur, ut in Anno quoque Iubilæi eiuſdem honoris Petrus, & Paulus participes ſint.

Ambro.
Hieron.

Deinde Clemens VI. in ſecundo Iubilæo ab ipſo celebrato 1350. Eccleſiam Lateranenſem, ultrà ſuperadictas Apoſtolorum, uiſitandam uoluit ab his, qui Sacri Iubilæi beneficium conſequi uellent; quod ſanè ſine aliarum iniuria, optimo iure ſanciuit, cùm illa Eccleſia Cathedralis Epiſcopi Romani exiſtat, Capitaque Apoſtolorum Petri, & Pauli contineat.

Viſitatio Lateranenſis Baſilicæ à Clemente VI. adiuncta fuit.

Denique Gregorius XI. in tertio Iubilæo, quem 25. anno ſubſequenti celebrauit, Baſilicam quoque Beatiſſimæ Mariæ Virginis, quæ ad præſepe dicitur, ultrà prædictas, uoluit uiſitari; Quæ omnes quatuor Eccleſiæ Patriarchales ſunt. Vndè tanto honore in eo anno, meritò dignæ exiſtimandæ ſunt.

Baſilicam S. Mariæ Maioris uiſitãdam inſtituit Gregor. XI.

Honvphrivs Panuinius, in libello de ſeptem Vrbis Eccleſijs, cap. 1. quintam illam Patriarchalem Eccleſiam D. Laurentio dicatam, quæ extrà mœnia Vrbis ſita eſt, ſimili honore dignam exiſtimat, ac in numerum earum Eccleſiarum, quæ in Anno Sancto uiſitandæ ſunt, adſcribendam omninò cenſet. Quod tamen, qua ratione, non uideo; cùm hæc alijs, quæ uiſitantur, comparanda non ſit. Verùm de præſtantia ſingularum quatuor Baſilicarum, quæ hodiè in Anno Sancto uiſitari preſcribuntur, nonnulla breuiter à nobis dicenda ſunt, cum id huius tractationis ratio expoſcat.

Panuinius.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Baſilica Beati Petri Principis Apoſtolorum in Vaticano.

Huius Baſilicæ excellentia ex D. Gregorio oſtenditur.

DIVVS GREGORIVS lib. 3. Dialog. cap. 25. narrans inſignia miracula, viſiones que eximias, quæ in Eccleſia Sancti Petri in Vaticano, dũ & Theodori eiuſdem Eccleſiæ cuſtodis, & Abundij Manſionarij uirtutes narraſſet, ſic tandem concludit; *Sed ſi cuncta, quæ in eius Eccleſia* (ideſt Petri) *geſta cognouimus, euoluere conamur, ab omnium tam proculdubio narratione conticeſcimus.* Hæc ibi. Hanc eamdem Baſilicam, ſpecialiter honorandam eſſe idem Gregorius ſcribit lib. 4. Regiſtri Epiſt. 44. ad Leontium Auguſtum his uerbis; *Rogare forſitan debui, vt Eccleſiam B. Petri Apoſtoli, quæ nunc vſque grauibus inſidijs laborauit, haberet veſtra tranquillitas ſpecialiter commendatam: Sed qui ſcio, quia omnipotentem Deum diligitis, non debeo petere, quod ſponte ex benignitate veſtræ pietatis exhibetis; Quantò enim plus timetis conditorem omnium, tantò amplius eius poteſtatis Eccleſiam amare; cui dictum eſt; Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferni non præualebunt aduerſus eam: & Tibi dabo Claues Regni Cælorum; & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælo, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælo. Vnde nobis dubium non eſt, quàm ſorti amore ad eũ vos ſtringitis, per quem ſolui ab omnibus peccatorum nexibus deſideratis; Ipſe ergò ſit veſtri cuſtos Imperij, ſit vobis Protector in terra, ſit pro vobis interceſſor in Cælo, vt per hoc, quod releuatis duris ponderibus in veſtro Imperio, ſubiectos gaudere facitis, poſt multa annorum tempora, in Cæleſti Regno gaudeatis, &c.* Expreſſis etiam uerbis idē D. Gregorius 3. Dialog. capite 25. in fine dicit, in dicta Eccleſia ſacratiſſimum corpus B. Petri Apoſtoli poſitum eſſe, & in 3. lib. Regiſtri, Epiſt. 30. *Corpora,* inquit, *Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, tantis in Eccleſijs ſuis coruſcant miraculis, atque terroribus, vt neque ad orandum, ſine magno illuc timore poſſit acceſſi.*

Eiuſdem Sancti Petri Baſilicæ inſignia multa narrantur ex Patribus.

D. Greg.

Locus Vrbis vbi mortuus eſt D. Petrus.

Sed, vt huius Sacroſanctæ Baſilicæ initium cognoſcatur, illud repetendum eſt, B. Petrum, Apoſtolorum Principem, in Vaticano mortuum, & ſepultum fuiſſe; quamuis enim in Ianiculo colle, qui pars ſuperior Vaticani erat, vt optimè Card. Baronius in primo tomo oſtendit, crucifixus fuerit, in ima tamen parte Vaticani, in qua Horti Neronis, & Circus cũ Obeliſco erant, ſepultus fuit. Ità ſcribit Caius grauiſſimus Scriptor, apud Euſebium libro 2. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, cap. 28. Cuius etiam verba ſuperius citauimus. *Si,* inquit, *procedas via Regali, quæ ad Vaticanũ ducit, aut via Oſtienſi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte ſtatutis, Romana communitur Eccleſia.* D. Hieronymus lib. de Viris Illuſtribus, tomo primo ait, *Petrus Romæ ſepultus in Vaticano, iuxta viam Triumphalem, totius Vrbis veneratione celebratur.* Euſebius loco citato de Petri, & Pauli ſepulchris, ſic ſcribit: *Horum teſtimonium quærere* (genus mortis Petri, & Pauli deſcripſerat) *extrinſecus ſuperfluum puto; cum rem geſtam, inſignia vſque in hodiernum, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur.* Theodoretus in Epiſ. ad Leonem de Roma ſic dicit, *Habet communium Patrum, & veritatis Doctorum Petri, & Pauli ſepulchra.* & Prudentius aduerſus Simmacum libro primo, ſic cecinit.

Baron.
Caius.
Euſeb.

D. Hieron.

Euſeb.

Theodor.
Pruden.

Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes.

Damaſus.

Damaſus Papa libro Pontificali in Anacleto Papa, ſcribit, ab ipſo Anacleto, qui Tertius poſt Beatum Petrum Pontificatum rexit, in Vaticano, vbi ipſe Petrus ſepultus fuit, fuiſſe conſtructam, & compoſitam illius memoriam; ſic oratorium illud primum ſeu ſacellum ab Anacleto, tunc Romano Presbytero, fabricatum, appellatum fuit; memoria ſcilicet Sancti Petri; Quod ab alijs Scriptoribus, ideſt, Prothonotarijs Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, qui, & Græcè, &

Latinè

latinè Martyrum acta ſcripſerunt, Martyrium, ſeù Confeſſio, & Cœmeterium Sancti Petri in Vaticano appellatum fuit, nec enim antè Conſtantinum fas fuit Chriſtianis, Eccleſias, ſeù Templa erigere; In quo loco aliquandiù corpus B. Petri iacuit; eodem enim Anno, quo Petrus paſſus eſt, (vt notauit Baronius, & ex Regiſtro Diui Gregorij colligitur) Orientales Chriſtiani corpora ſacra Apoſtolorum, tamquàm ſuorum ciuium, in Orientem transferre volentes, ea ex dicto Cœmeterio Vaticano ad Catacumbas, iuxtà Cœmeterium Callixti, uia Appia, ſecundo ab Vrbe lapide, tranſportarunt; Sed diuinis, ſupernìſque minis perterriti, ex dictis Catacumbis auferre minimè potuerunt. Quam Hiſtoriã D. Gregorius Magnus 3. Regiſtri, Epiſt. 30. ad Conſtantinam Auguſtam his verbis ſcribit; *De corporibus verò Beatorum Apoſtolorum, quid ego dicturus ſum? Cum conſtet, quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente venerunt fideles, qui eorum corpora, ſicut ciuium ſuorum repeterent? Quæ ducta vſque ad ſecundum Vrbis milliarium, in loco, qui dicitur ad Catacũbas, collocata ſunt. Sed dum ea exindè leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ità eos vis Tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denũ nullatenus attentare præſumerent: Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis, quibus nunc condita ſunt, poſuerunt.* Sic Gregorius.

Baronius.

D. Gregor.

HONVPHRIVS Panuinius in additionibus ad Platinam, in vita Cornelij, & de Romanis Pontificibus, & in lib. de ſeptem Vrbis Eccleſijs, cap. 4. exiſtimauit, iterum poſt aliquos annos, hæc Sacra Apoſtolorum corpora, ad Catacumbas delata fuiſſe; Dicit enim, quòd Heliogabalus, vel Elagabalus, vt in vetuſtioribus monumentis cernitur, nefandiſſimus Imperator, (vti Auctor eſt Lampridius) aliquot Vaticana ſepulchra ad terram proſternere, ſoloque æquare iuſſerit; quò quatuor Elephantorum quadrigę, in ampliori loco Vaticani, commodiùs agitari poſſent, atque inter alia, S. Petri ſepulchrum, illiuſque antiquiſſimam memoriam ab Anacleto erectam, deſtruxerit. Quo in tempore affirmat, Sanctum Callixtum Papam, ſucceſſorem Zepherini, qui fuit Anno Domini 219. ex pręfato Cœmeterio Vaticano demolito, ad Catacumbas, uia Appia, iuxtà Cœmeterium ipſius Calixti corpus B. Petri tranſportaſſe, atque ibidem vna cum Pauli corpore, ſub marmoreo Altari, quod adhuc hodie extat, per triginta ferè annos, vſque ad Pontificatum Cornelij Papæ, videlicèt temporibus ipſius Calixti, Vrbani, Pontiani, Anteri, Fabiani, & Cornelij Pontificum iacuiſſe: ac deindè, prout Damaſus in ſuo Pontificali narrat, Cornelium Roman. Pontificem vnà cum Lucina Fæmina ſanctiſſima è Catacumbis dicta corpora in opportuniorem locum tranſtuliſſe; & Pauli quidem corpus ab ipſa Lucina Clariſſima Fæmina Senatoria, in ſuo prædio, uia oſtienſi, propè eum locum, ubi capite truncatus fuit, honeſtiſſimo tumulo collocatum; Corpus verò Principis Apoſtolorum non longè inde, ubi crucifixus fuerat, à Cornelio Papa repoſitum fuiſſe. Hæc ex Panuinio.

Panuinius.
Translatio reliquiarum Sãctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Illuſtriſſimus Baronius tomo 2. Anno Chriſti 221. in Calixto, arbitratur, ſinè ratione, & ſinè auctoritate Honuphrium id aſſerere, negatque bis ad Catacumbas ſacra corpora fuiſſe delata, ut ex Panuinij ſentẽtia neceſſariò ſequitur; Quod quidem, inquit, Antiquorum nemo dixit, uel ſomniauit; putatque omninò, falſam hanc Hiſtoriam Cornelij eſſe, nec Heliogabalum tumulum Sancti Petri demolitum fuiſſe; quoniam, ſiuè intrà, ſiuè extrà Circum Neronis quadrigæ agitandæ fuiſſent, non ſolùm ſepulchra, ſed ipſemet Circus primùm deſtrui debuiſſet; quod tamen nemo ſcribit; Addit, quòd, cùm D. Petri ſepulchrũ à latere Circi Neronis, inhærens Monti conſtitutum eſſet, nequaquàm ad huiuſmodi agitationem faciendam locus ille opportunus iudicari debebat, cùm inter huiuſmodi tumulum, & Circum peranguſtum eſſet ſpacium.

Baronius.

Sed, & optima ratione Honuphrium pungit; Dato enim, quòd ſepulchrum Petri dirutum fuerit, eiuſque corpus ad Catacumbas tranſlatum; qua ratione corpus Beati Pauli, quod ſeorſum in proprio tumulo uia oſtienſi iacebat, pariter ad huiuſmodi Catacumbas delatum fuit? Neque enim ulla huius rei ueriſimilis cauſa aſſignari

ſa aſſignari poteſt; Præterea nec dici poteſt, à Græcis tranſlata corpora ad Catacũbas, uſque ad Cornelij tempora ibì mánſiſſe, à quo deindè ad priſtina loca delata fuerint. Nam uſque ad Zepherini tempora corpus B. Petri in Vaticano fuiſſe, in dubitatum eſt, cùm complurium Romanorum Pontificum Corpora, decreto ipſius Anacleti, ipſomet Damaſo Teſte, iuxtà corpus B. Petri in Vaticano ſepulta fuerint, putà Lini Anacleti, Euariſti, Sixti, Theleſphori, Hyginij, Pij, Eleutherij, Victoris, &c. Denique teſtimonium Caij, qui tempore Zepherini Prædeceſſoris Calixti Romæ morabatur, omninò id conuincit; Cùm enim ille, quaſi digito, Apoſtolorum ſepulchra, tamquàm Trophæa, & in Vaticano, & in uia Oſtienſi demonſtraret, quomodo tunc Petri ſepulchrum dirutum erat, & Apoſtolorum corpora nec in via Oſtienſi, nec in Vaticano iacebant? Hactenus ex Cardinali Baronio.

Corn. Papa. VERVM in Epiſtola Cornelij, quæ tomo primo Epiſtolarũ Decretal. Summorum Pontificum, Romę impreſſatum habetur, hęc Hiſtoria de Lucina, & Cornelio ad longum ponitur, & primùm B. Pauli Corpus ab illa Matrona ſilentio leuatum dicit, deindè ſubdit Cornelius. *Poſteà uerò Beati Apoſtolorum Principis Petri accepimus corpus, & condecenter poſuimus illud, iuxtà locum, ubi crucifixus eſt, inter corpora Sanctorum Epiſcoporum, in Templo Apollinis, in Monte Aureo, in Vaticano Palatij Neroniani, tertio Kalendarum Iuliarum Die orantès, &c.* Hæc ibi. Et quod maximè videtur premere, illud eſt, quod in lectionibus Breuiarij Romani à Pio V. reformati, in Die feſto dicti Cornelij, menſe Septembris, publicè hæc hiſtoria legitur, & ut ab Eccleſia Romana recepta, ab omnibus pronunciatur; Nec Gregorius Cornelio aduerſatur, cùm in diuerſis temporibus illa facta fortè acciderint.

Medina. Medina in C. de oratione quæſt. 6. dicit, non ſolùm in Legendis Sanctorum, quas proponit Eccleſia; ſed etiam in ipſis orationibus, & collectis, & antiphonis, quæ à priuatis perſonis factæ ſunt, & non à Concilio aliquo, neque in eo ſunt probatæ; multa inepta, nec omninò uera eſſe; præſertim nonnulla, quæ ad Miſſas Defunctorum pertinent: permittuntur autem ab Eccleſia legi, quòd conferant ad deuotionem fidelium excitandam, uel augendam. Verùm rectè hic Auctor à

Suarez. Suarez 3. par. tom. 3. quæſt. 83. diſput. 82. ſect. 1. confutatur. Quicquid enim ſit de auctoribus illarum orationum, uel antiphonarum; conſtat, à Romana Eccleſia receptas eſſe, atque in communi uſu, & praxi cultus diuini adhiberi. Quocircà ſentire, in illis aliquem errorem eſſe, uel aliquid à ſana doctrina alienum, maximè temerariũ eſſet; Suarez ibidem ſubiungit, non omnia, quę in Eccleſiaſticis officijs proponuntur, ut certa, ac indubitata proponi, ſed pleraque tantùm, aut humana fide certa, aut probabiliora, uti ſunt hiſtoriæ Sanctorum: non enim, inquit, hæc pertinent per ſe ad Catholicam doctrinam, neque ut huiuſmodi proponuntur; ſed tantum, ut pia, & probabilia. Hæc igitur hiſtoria cùm ab Eccleſia recitetur, & proponatur, probabilitatis gradum omninò obtinet.

Bibliothec. Ven. Beda. BIBLIOTHECARIVS in vitis Pontificum, Damaſi uidelicet, & Cornelij, huius rei mentionem facit, & Venerabilis Beda tomo 2. libro de ſex ætatibus Mundi, in Valẽtiniano, de hac re ſic ſcribit. *Damaſus Romæ Epiſcopus fecit Baſilicam, iuxtà Theatrum Sancto Laurentio, & aliam in Catacumbas, ubi iacuerunt corpora Sancta Apoſtolorum Petri, & Pauli, in quo loco Platoniam ipſam, ubi iacuerunt corpora ſancta, uerſibus adornauit.*

S. Sebaſtian. BEATVS quoque Sebaſtianus appareus in ſomnis Matronæ Religioſæ, Lucinę nomine, dixit ei, *In Cloaca illa, quæ eſt iuxtà Circum, inuenies Corpus meum, pendens in unco, hoc ſordes non tetigerunt, quod cùm leuaueris, perduces ad Catacumbas, & ſepe-*

Beda. *lies me in Crypta, iuxtà ueſtigia Apoſtolorum*; vt in Vita eius, & apud Bedam, tom. 3. in Martyrologio.

Plures Lucinæ fuerunt. FVERVNT autem, ut id obiter adnotemus, hoc nomine Lucinæ multæ fœminæ in Martyrologijs nuncupatę; Nam præter Lucinam illam Apoſtolorum Diſcipulam, quæ de ſuis facultatibus Sanctorum neceſſitatibus communicabat, Chriſtianos in carcere uiſitabat, ac Martyrum ſepulturę inſeruiebat; iuxtà quos, & ipſa in

ſa in Crypta à ſe conſtructa ſepulta eſt, vt in Martyrologio Romano Pridie Kalendas Iulij legitur; tres etiam alias Lucinas religioſas, ac pijſſimas fœminas legimus, quæ Martyrum ſepulturis operam dabant: Vnam, de qua in actis Sancti Marcelli Papæ, & Martyris glorioſa fit mentio, cui Sanctus Sebaſtianus, ut dictum eſt, apparuit; Alteram, quæ à B. Polycarpo baptizata, & Chriſmate linita fuit; Tertiam, quæ ſub Gallo Imperatore, & Cornelio Papa floruit. Atque hæc Cornelium Papam, eiuſque ſocios numero uiginti, & vnum, extrà muros Portæ Appiæ, ad Templum Martis, Dijs ſacrificare nolentes, pro Chriſto, decimo octauo Kalendas Octobris occiſos, ſepeliuit in Agro ſuo, in Crypta, ubi eſt Cœmeterium Calixti, cùm Clericis, & familia ſua; prout apud Acta paſſionis eiuſdem Cornelij, & ſociorum legitur, atque hæc dicitur Pauli corpus in uia oſtienſi ex Catacumbis tranſportaſſe, quando Cornelius B. Petri corpus ex eodem loco ad Vaticanum tranſtulit. Marty. Rom.

Profecto in re tam ambigua, quid ut certius ſit recipiendum, penes alios iudicium eſto. Nobis illud compertum ſit, ſiuè per modicum tempus, ſiue per triginta annos in Catacumbis corpus B. Petri requieuerit, tamdem priori ſepulchro Vaticano reſtitutum eſſe, atque ibidem à ſanctiſſimis Priſcis Patribus, beatiſſimiſque Epiſcopis, quibus publicè rem ſacram agere à Tyrannis prohibebatur, occultè Sacrum Miſſæ ſacrificium, aliaſque diuinas preces celebratas eſſe, nullo pacto eſt dubitandum.

Verum enimuerò ſeptuaginta annis à Cornelio Papa elapſis, ut notauit Honuphrius, Conſtantinus Conſtantij Imperatoris ex Helena filius, Maximino implacabili furore in Chriſtianos ſæuiente, diuina uindicta extincto, Imperium obtinere cœpit; Hunc Deus ampliſſimis, diuiniſque muneribus proſequutus eſt, ut per illum Eccleſia ſua ſancta propagationem, pacemque uniuerſalem in toto Orbe acquireret. Per hunc Eccleſiæ, templaque Chriſtianorum publicè haberi, ædificarique cœperunt. Per hunc Epiſcopi, Sacerdoteſque Euangelici honorari, & publicis etiam legibus defendi cœperunt; huic contrà Maxentium Tyrannum, qui Romæ, immò toti Italiæ dominabatur, aliquando propè Vrbis mœnia dimicaturo, ſignum Sanctiſſimæ Crucis in Cœlo, (ſole iam in pomeridianum tempus inclinante, luciſque ſplendorem diffundente) diuina uirtute apparuit, in quo hæc inſcriptio ad futuram Victoriam ſignificandam conſignata inſpiciebatur, *In hoc ſigno uinces*. Ità Euſebius in uita Conſtantini lib. 1. cap. 22. & Nicephorus lib. 7. cap. 29. cuius mirabilis facti, nedùm ipſe Conſtantinus, ſed etiam exercitus totus ſpectator fuit; nec enim Conſtantino dormienti apparuit Crux, ut Sozomen. lib. 1. cap. 3. & Paul. Diaconus lib. 11. rerum Romanarum dicunt; ſed planè uigilanti, & iter facienti cùm toto exercitu, ut teſtatur B. Arthemius, qui Dux in uictus earum copiarum fuit, & ut in eius uita, cuius græcum exemplar reſeruatur in Bibliotheca Vaticana, legitur, dum Iulianum Apoſtatam alloquitur, hæc protulit uerba, *Conſtantino contra Maxentium bellum difficillimum aggredienti, ſignum Crucis apparuit in Cœlo, media die, ſuper ſolem radijs coruſcans, litteris ſydereis Victoriam prænuncians. Nos enim, qui bello interfuimus, ſignum uidimus, litteraſq́; legimus, totus item exercitus ſpectator ſigni fuit, multiq́; hodie Teſtes ſunt in exercitu tuo*. Hæc ille. Multa deindè præclara geſta ab eo patrata ſunt, & antè, & poſt debellatum Maxentium, quæ & ſummam pietatem, magnumque religionis ſpecimen præſeferrent: Verùm, poſt partam Victoriam, cùm ſumma rerum feliciſſimè potiretur, ut nonnulli uolunt, effectus ſegnior, Fauſtæ vxoris impulſu, ad auitum Deorum cultum, à quo anteà abhorrebat, animum iterum appellere cœpit, ut apud Cardinalem Baronium in Syluestro, & Græcum Hiſtoricum Mich. Glicam uide re eſt; quocircà lepra à Deo percuſſus, cùm Iouis Capitolini Sacerdotes ſuper hoc conſuleret, reſponſoque ab eis accepto, ab ea mundandum non eſſe, niſi ſe in tepenti adhuc infantium ſanguine lauiſſet; quod facinus, tùm ex ploratu, & ululatu multo Matrum plorantium infantes, qui ad necem parati erant; tùm etiam ex naturali quadam pietate commotus, perhorreſcens, eorumdem interitum prohibuit,

Imperium Conſtantini Eccleſiæ Delitiliſſimum.

Signum Crucis Conſtantino in Cœlis oſtenſum.

Euſeb.

Nicephor.

Sozomen.

Paul. Diaco.

B. Arthem.

Card. Baron.

Glicas.

Miraculoſa lepra Conſtantini curatio narratur.

hibuit, atque omni humano remedio destitutus, rurſus diuinam clementiam, atque benignitatem in ſe conuerſam ſenſit; In ſubſequenti enim nocte, quia puerorum cędi pepercit, dum cubaret, duo viri, Petrus, ſcilicet, & Paulus Apoſtoli

> Verba Apoſtolorum ad Cõſtantinum Imperatorē.

Christi, illi apparuerunt, dicentes, *Quoniam peccatis tuis finem impoſuiſti, & ab effundendo Innocentium ſanguine manus abſtinuiſti, miſſi ſumus à Chriſto IESV Domino, dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium; Audi ergò noſtra monita, & fac omnia, quæ indicabimus tibi; Syluester Epiſcopus Ciuitatis Romæ, ad montem Soractem, te perſequentem fugiens, in cauernis petrarum cùm ſuis Clericis latet. Hic ad te uocatus, Piſcinam tibi oſtendet, in quam tertiò merſus, lepra protinus abſcedente, ſanus emerges; quo facto, hanc uiciſsitudinem Saluatori tuo compenſa, ut omnes tuo imperio per Orbem Romanum Eccleſiæ reſtaurentur. Tu autem in hoc te quoq; perpurga, ut depoſita omni ſuperſtitione Idolorum, Vnum Deum, qui uerus, & ſolus eſt, adores, & colas, eiuſq; uoluntatem adimpleas.* Tum Imperator à ſomno excitatus, ad Soractem montem nuncios mittit, qui Syluestrum ad ſe adducant, quem hilari, alacrique animo ſuſcipiens, multa ab eo de religione Chriſtianâ didicit, imagineſque Apoſtolorum, quos in ſomnis viderat, ab eodem ſibi oſtenſas recognouit, eoſque eſſe dixit, quos ipſi viderat: Quæ imagines uſque hodie magna religione in Vaticana Baſilica Sancti Pe-

> Antiquæ imagines Apoſtolorum.

tri conſeruantur, atque à me, dùm ibi Canonicus eſſem, maxima cùm deuotione ſæpiſſimè in manus ad oſculum ſumptæ ſunt; petijt tunc inſtanter Conſtantinus, nè protraheretur oſtenſio Piſcinæ, quam Apoſtolos ſuæ ſaluti promiſiſſe memorabat. Vndè myſterijs Chriſtianę religionis initiatus, à Syluestro baptizatus fuit.

> Conſtantinus baptizatus à lepra mundatur.
> Nicephor.
> Zonaras.
> Theophan.
> Balſamus.
> Cedrenus.
> Nicolaus Primus.
> Adrianus.
> Card. Baron.

Lege locupletiſſimos harum rerum teſtes; Nicephorum lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. ca. 33. Zonaram tomo 3. in Conſtantino, Teophanem in hiſtoria ab Orbe condito, Theodorum Balſamum Conſtantinopolitanum, Gregorium Cedrenum, Nicolaum Primum in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, qui Syluestrum Magni Conſtantini baptizatorem appellat; & Adrianum Vetuſtiſſimum Scriptorem, cuius verba, vniuerſam huius rerum ſeriem abundè exponentia, habes tomo 3. Conciliorum, in ſecunda Synodo Nicæna actione ſecunda. Quæ mendacia doloſoſq; errores Euſebius circà Baptiſmum Conſtantini ſcripſerit, egregiè confutando enumerat Illuſtriſſimus Baronius tomo 3. anno Chriſti 324. & nos paulò poſt confutabimus.

> Quæ fecerit Conſtantinus poſt Baptiſmum ſuſceptum.

QVAE autem poſt ſuſceptam fidem Chriſtianiſſimus Imperator egerit, vt ad rē noſtram propius accedamus, videndum eſt. Auguſtus Imperator, prout in actis Syluestri legitur, per ſeptem dies à ſuſceptione Baptiſmi, in Albis exiſtens, hæc geſſit; Primo die publico Edicto, vniuerſalique lege ſanciuit, Chriſtum eſſe Dominum verum, qui illum à lepra mundaſſet, & hunc à toto Orbe Romano, vt Deum, coli debere; ſecundo die contrà Irriſores, & Blaſphematores Chriſti ſeueriſſimas pœnas decreuit; tertia die, pœnas quoque in eos, qui Chriſtianos contumelijs affeciſſent, conſtituit; quarta die, Romanæ Eccleſiæ Imperialia Priuilegia cōceſſit; quinta die, immunitatem omnibus Chriſtianorum Eccleſijs tradidit, vt qui ad eas confugerent, in omnibus ſecuri eſſent; ſexta verò, & ſeptima die ſtatuit, ne quis abſq; licentia Romani Pontificis alicubi Eccleſias conſtrueret, decimaſque exoluendas edicto declarauit; octaua die, depoſitis Albis, (vt moris eſt) apud recenter ba-

> Aedificatio Baſilicæ Sancti Petri.

ptizatos, ad Confeſſionem, vel memoriam B. Petri in Vaticano accedens, depoſito Diademate, exutuſque Chlamyde, humi iacens, maxima lachrymarum profuſione, bidentem in manibus accipiens, terram primus aperuit, ad fundamenta amplioris Vaticanæ Baſilicæ conſtruendæ, atque ob reuerentiam Duodecim Apoſtolorum, duodecim terræ Cophinos proprijs humeris baiulans, aſportauit. Decem hic Imperator in Vrbe, & in vicinis Ciuitatibus ampliſſimas, ſpacioſiſſimaſque Baſilicas extruxit; ſed omnium prima Vaticana fuit, quam Circo Caij, & Neronis diruto, in templo Apollinis in honorem B. Petri, centum marmoreis, ſublimibuſque columnis exornatam erexit; Quòd Templum à D. Syluestro, decimoquarto Kalendas Decembris conſecratum fuit, ab ipſoque Imperatore maximis ornamentis, pretioſiſſimiſque donarijs auctum, & illuſtratum, ut Damaſus

> Damaſus.

in Vitis Romanorum Pontificum, in D. Syluestro teſtatur, nec non Bibliothecarius, cuius verba refert Cardinalis Baronius, tomo 3. Quamplurimos quoque redditus bonorum ſtabilium aſſignauit, ad numeroſa luminaria conſeruanda, & ad alia diuini cultus exercitia exequenda in dicta Baſilica, quæ ſingula accuratè Honuphrius, & Illuſtriſſimus Baronius referunt locis citatis. Sanctus Paulinus Epiſcopus Nolanus Epiſt. 31. ad Alethium, admirabilem fuiſſe, atque inſignem fabricam dictæ Baſilicæ ex conuiuio Pauperum Vrbis in ea facto; poſt mortem Ruffinæ vxoris, Paulæ nobiliſſimæ fæminæ filiæ, inſinuat, his verbis illam deſcribendo: *Quale Deo, & Sanctis Angelis eius de hac tua (vt dici ſolet) pera ſpectaculum, ſacer aditor exhibeas? quanto ipſum Apoſtolum attollebas gaudio, cum totam eius Baſilicam denſis inopum cætibus ſtipauiſſes, vel qua ſub alto ſui culminis medijs ampla laquearibus longum patet; & Apoſtolico eminus ſolio coruſcans, ingredientium lumina ſtringit, & corda lætificat; vel qua ſub eadem mole tectorum geminis vtrinque porticibus, latera diffundit, quave pretento nitens atrio fuſa veſtibulo eſt, vbi cantharum miniſtrans mani bus, & oribus noſtris fluenta ructantem, faſtigiatus ſolido ære tholus ornat, & inumbrat, non ſine myſtica ſpecie, quatuor columnis ſalientes aquas ambiens. Decet enim ingreſſum Eccleſiæ talis ornatus, vt quod intus myſterio ſalutari geritur, ſpectabili pro foribus opere ſignetur.*

Bibliothecarius. Baronius. Honuphrius. Baronius. B. Paulinus.

Attilivs Serranus rectè annotauit, tempore D. Paulini, locum Canthari quatuor columnarum ambitum habuiſſe; nunc verò, quod deindè à Symaco Papa factum fuit, ut in Pontificali in uita Symachi legitur; octo porphyreticis columnis ornatum eſſe. Habet hæc Baſilica ſex Portas, ut benè colligunt Honuphrius, & Serranus ex lib. Petri Manlij Canonici Sancti Petri, qui tempore Alexandri Tertij de Baſilica Vaticana ſcripſit, & ex Maffeio Vegio Laudenſi in lib. de rebus antiquis memorabilibus eiuſdem Baſilicę; Quæ in medio eſt, Argentea dicitur, quòd ab Honorio Papa argenteis laminis cooperta fuerit; quas cum Saraceni abſtuliſſent, Leo Quartus denuò ex argento conflatas appoſuit, ac denique, & his ſublatis, Eugenius Quartus ex ære confectas repoſuit, ut ex carminibus in ea inciſis cognoſcitur, ubi etiam Martyrium Petri, & Pauli uidetur. In Pontificali Romano, hæc Porta Argentea appellatur.

Serranus. Sex Portę huius Baſilicæ. Honuphrius. Serranus. Manlius. Vegius.

Adiacet huic altera Porta ex latere dextro exeuntibus, quæ Rauennana appellatur, quòd per illam Transtyberini, qui Rauennates nominabantur, ingredi ſolerent, ut ſcribit Damaſ. in uita Calixti, quem dicit fuiſſe è regione Rauennatum, ideſt, Transtyberina, in qua idem Calixtus Eccleſiam erexit; per hanc ingrediebantur quoque Tuſci, & qui ultrà Padum habitant.

Damaſ.

Tertia ex latere dextro, contigua Sacello, quod D. Mariæ de Febri dicatum eſt, Porta Iudicij nuncupata eſt; quòd per illam mortui ad ſepulturam (ut hodie quoque obſeruatur) deferantur.

Ex latere dextro adiacet Maiori Portæ, quæ Argentea dicta eſt, alia Porta, quę dicitur Romana, quòd per illam Ciues Romani ingrederentur.

Huic proxima eſt altera, quæ dicitur Guidonea, quòd ibi aliqui Viri Deputati eſſent, qui Peregrinos, omneſque confluentes introducerent ad ſepulchrum Apoſtolorum, eiſque inſigniora loca, reſque memoria dignas oſtenderēt; hi curabant Hiſpanos Peregrinos, ſeù Gallos, aliarumque nationum aduentantes, ad Pœnitētiarios propriæ linguæ perducere, ſepulchra Sanctorum Pontificum illis demonſtrabant, Altaria Priuilegiata, Reliquias Sanctorum, Vultum Sanctum, ſacramque Lanceam illis oſtendi operam dabant; Quod munus ſummoperè Peregrinos conſolabatur, & in Domino reficiebat.

Sexta Porta, eſt Porta Aurea, ſeù Sancta, quæ recenter à Pontificibus addita eſt, de qua ſuo loco inferiùs ſigillatim dicemus.

Habebat hæc Baſilica, ſicut & cæteræ Patriarchales Eccleſiæ, Porticum marmoream formæ quadrangularis, ab eodem Conſtantino fabricatam, cuius hodie ueſtigia aliqua extant. Symacus, & Domnius Papa tantà munificētia illam adornarunt, ut merito locus ille, Paradiſus ſit appellatus, cuius Paulus Diaconus lib.

Paul. Diacon.

5.cap. 11. ità mentionem facit; *Domnus Pontifex Romanæ Eccleſiæ, locum, qui Paradiſus dicitur, antè Baſilicam B. Petri, candidis lapidibus marmoreis mirificè ſtrauit.*

Greg. Neoc.

Erat autem Porticus, ut ex Gregorio Neocæſarienſi in Epiſtola, de ijs, qui in captiuitate Idolis ſacrata comedunt, cap. 9. colligitur; locus ille, in quo Pœnitentes à Cathecumenis, cæteriſque diſtincti, petebant à fidelibus, qui Eccleſiam ingrediebantur, ut pro ipſis orarent. In hac Porticu Vaticana exiſtit ſepulchrum Othonis Secundi, Honorij, Placidi, & Valentiniani Imperatorum.

Adiecit quoque Conſtantinus gradus marmoreos, per quos ad Baſilicam aſcenditur; hos Symmachus ampliauit, & denique Pius Secundus reſtituit, & hinc indè Sanctorum Apoſtolorum ſtatuas marmoreas collocauit.

Altare Maius eiuſdem Eccleſiæ.

Nec ſolùm Religioſiſſimus Imperator Corpus præfatæ Eccleſiæ erexit, & fabricauit, ſed etiam altare maius magnificentiſſimè extruxit, quod pariter à Syluestro Papa cum magno Epiſcoporum, ac Sacerdotum comitatu conſecratum eſt; atque illud primo lapideum altare erectum, & Chriſmate delibutum fuiſſe legimus, ut per illud in Petro, tamquàm in firma Petra, Chriſtiana Eccleſia firmata eſſe demonſtraretur; ex eo tempore meritò, cùm iam Eccleſia ſtatum, ac quietem nacta fuiſſet, ſancitum fuit, nè Altaria deinceps, niſi ex lapide, conſtruerentur. In eo Corpus B. Petri, quod humiliori loco iacebat, honorificentiſſimè poſuit, aureiſque ornamentis exornauit.

Bibliothec.

Bibliothecarius in libello de munificentia Conſtãtini, ex Archiuijs S.R.E. in lucem dato, exactiſſimè loculum hunc, in quo corpus B. Petri concluſum fuit, deſcribit his uerbis. *Cuius loculum, cùm Corpus Sancti Petri recondidit, undiq; ex ære Cyprio concluſit, quod eſt immobile. Ad caput, pedes quinq; ad pedes, pedes quinq; ad latus dextrum, pedes quinq; ad latus ſiniſtrum, pedes quinq; ſubter, pedes quinq; ſuprà, pedes quinq; ſic concluſit Corpus B. Petri Apoſtoli, & recondidit, & exornauit ſuper Columnas Porphyreticas, & alias columnas tres Thyneas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem cameram Baſilicæ ex Gremmo auri fulgentem, & ſuper corpus B. Petri.* Inter alia autem

Dona Conſtantini reliquijs Apoſtolorũ oblata.

Dona, ut in uita Syluestri habetur tom. 1. Concil. quæ ſacris reliquijs Apoſtolorum obtulit, multa numerantur candelabra, multæ lucernę, quæ perpetuò ardere deberent, traditis quoque redditibus pro illarum ſeruitio; ex quo etiam colligimus, uſum lucernarum, antiquiſſimum eſſe in Dei Eccleſia. Fecit quoque idem Imperator, ut in eodem libello refertur, Crucem Auream puriſſimam, penſantem libras 150. eiuſdem longitudinis, qua eſt arca, eamque ſuper os, quo illam concluſit, appoſuit; Ibi ſic ſcriptum eſt. *Conſtantinus Auguſtus, & Helena Auguſta, hanc domum regali ſimili fulgore coruſcantem, auro circundant.*

Dona Valentiniani Iunioris ex Anaſtaſio, & Platina.
D.Gregor.

Valentinianus Iunior admonitus à Sixto Papa, ut in uita Sixti ſcribunt Anaſtaſius, qui ſuppleuit Pontificale Damaſi, Platina, & alij; poſuit in Eccleſia S. Petri ſuprà tumulum, ideſt, ſuper altarè B. Petri, imaginem auream Saluatoris, gemmis præcioſiſſimis ornatam, & duodecim Apoſtolorum imagines item aureas. D. Greg. lib. 3. Regiſtri Epiſt. 30. ſcribit, quòd à ſacratiſſimo corpore B. Petri, per 15. pedum ſpacium, locus ille deſuper argento contectus erat; quod cùm beatæ recordationis Prædeceſſor eius mutare uoluiſſet, ſigno ei non parui terroris apparente, deſtitiſſet.

Diuiſio reliquiarum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.
Honuphr.
Altare Eccleſiæ Vaticanæ in quo ſunt Apoſtolorũ corpora.
Pontificale.
Manlius.
Panuin.
Serranus.

Ex traditione uulgatiſſima, & antiquiſſima, ſcribunt aliqui, (ut refert Honuphrius) corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli æqualiter diuiſa fuiſſe, atque in eorum Eccleſijs deinde recondita; Capita uerò, quæ hodie quoque cernuntur, in Baſilica Lateranenſi collocata fuiſſe; ut ſicut in uita dilexerunt ſe, ità & in morte non ſint ſeparati. Hoc Sacroſanctum altare à Calixto Secundo, cùm uetuſtate ferè dirutum eſſet, reſtauratum fuit, ac ſolemniter dedicatum in Die Incarnationis Dominicæ, præſente, & adſtante Concilio Generali mille ferè Epiſcoporum, quod Concilium tunc Romæ à Calixto coactum fuerat; ut liber Pontificalis in Calixto, Petrus Manlius, Panuinius, & Serranus tradunt, ac denique temporibus noſtris à Clemente VIII. Pont. Maximo nunc ſedente refectum, ornatum, ſplendidiſſimoque apparatu illuſtratum fuit.

Habetur

Habetur autem in tam magna, & inſigni ueneratione, ut abſque Papali Priuilegio, nemo, niſi Summus Pontifex, in eo Miſſæ ſacrificium offerre poſſit; Ità D.Hieronymus habet tomo 2.Epiſt.53. aduerſus Vigilantium, uerſus finem his uerbis. *Malè facit ergò Romanus Epiſcopus* (exprobrando Hæretico hæc dicit) *qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundùm nos oſſa ueneranda: ſecundùm te, uilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur Altaria?* Hæc ille. D.Hieron.

Ad hoc Auguſtiſſimum Altare Reges, & Imperatores in terram proſtrati, Deũ ſupplicant, per merita Principis Apoſtolorum, ut pacem, ac quietem in ſuis Dominijs acquirant, facilem gubernationem Populorum, legitimam in Regnis ſucceſsionem obtineant, omnemque gratiam in temporalibus, & ſpiritualibus conſequi mereantur. Sic Auguſtinus tom.2.Epiſt.42.dicens, *Imperij nobiliſsimi eminentiſsimum Culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri, ſubmiſſo Diademate, ſupplicare.* Et in ſerm.28.de Sanctis, uerſus finem, tomo 10, inquit, *Piſcatorem ſuſpendit Hamus Crucis, perſecutorem mucro minuit perſecutoris, nunc ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris, ibi radiant gemmæ Diadematis, ubi fulgent beneficia Piſcatoris, ex Piſcatore fecit Dominus Apoſtolorum Principem, ex Perſecutore fecit Apoſtolicum Confeſſorem.* Veneratio maxima huius Altaris. D.Auguſt.

Rvffinvs lib.2. Eccleſiaſt. Hiſt. cap.32. refert, Theodoſium Magnum, antequàm cùm Eugenio in certamen deſcenderet, ad ſepulchrum Apoſtolorum, gemmis, auro, & purpura depoſitis, cilicioque indutum, humi proſtratum iacuiſſe, auxilia ſibi opportuna poſcentem, ad uictoriam obtinendam, quorum beneficio immortalem triumphum, glorioſamque uictoriam de Tyranno reportauit. Galla Placida Imperatrix ex Oriente in Occidentem ueniens unà cùm Licinia, Eudoxia, & Valentiniana Nepotibus, ut ſancta inuiſeret loca; primùm Diui Petri Templum, ſanctiſsimumque Altare uiſitauit, ut legitur tomo 2. Concil. in principio. Eius uerba ad Theodoſium filium hæc ſunt; *Dùm in ipſo ingreſſu Ciuitatis Antiquæ* (Romam intelligit) *hanc curam habuiſſemus, ut cultum B. Petro redderemus, in ipſo adoranda Altari Martyris, Reuerendiſsimus Leo Epiſcopus, paulùlùm ſe poſt orationem retinens, propter Catholicam fidem apud nos deflens, ipſum ſimiliter Summum Apoſtolorum, quem nuper adieramus, teſtem obijciens, Epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex Ciuitatibus Italiæ, pro principatu proprij loci, ſeù dignitate collegit.* Ad hæc, tempore Vitaliani Papæ, Conſtantinum Tertium Imperatorem, antè omnes alias Eccleſias, ſepulchrum B. Petri uiſitaſſe, narrat Platina in Vitaliano. Magna Imperatoris Theodoſij humilitas, & religio. Ruffinus. Tom.2.Conciliorum. Platina.

D.Chrysostomvs in Epiſt.2.ad Corinth.1.Homil.26.inquit, *Seruorum Chriſti ſplendida ſunt ſepulchra, quæ Vrbem maximè Regiam occupauerunt, & dies perſpicui ſunt, Diem Feſtum terrarum Orbi facientes, non ædificiorum amplitudine, & ſplendore (hac enim parte excelluit) ſed quod amplius eſt, conuenientium ſtudio: nam, & ipſe illa purpura indutus peregrè proficiſcitur, & ſepulchra illa complexurus, & faſtu depoſito contigit, ſanctos rogans, vt ſibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum opificem, & Piſcatorem, Patronos etiam mortuos, deprecatur ille Diadema geſtans.* Sic Chryſoſtomus, & tomo 5.in Demonſtratione aduerſus gentes, quòd Chriſtus ſit Deus, circà medium, inquit, *Et erit Requies eius honor; non in ipſo tantùm,* (loquitur de Chriſto) *ſed & in Diſcipulis ſuis hoc contigit; Nam qui ducebantur, & circumducebantur, qui contempti erant, & uincti, qui innumera patiebantur, dùm uiuebant: ubi defuncti ſunt, Regibus ipſis erãt magis uenerabiles, etiam Romæ, quæ Vrbium eſt Regaliſsima, relictis omnibus, ad ſepulchra Piſcatoris, & Pellionis currunt, & Reges, & Præſides, & Milites, & in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi propè Apoſtolos, ſed ſi vel extrà eorum ueſtibula corpora ſua ſepeliantur, ſiantque Piſcatorum Oſtiarij Reges; Neque hinc in morte confunduntur, ſed honeſtantur, & ipſi, & eorum Nepotes, & Pronepotes.* Huculque Chryſoſtomus. D.Chryſoſt.

Idem eodem tomo 5.Homi.66.ad Populum Antiochenum, de Cæleſti Regno acquirendo, uerſus finem, ſic ſcribit. *Et Alexander quidem poſt mortem ſuam diſsipatum Imperium ſuum, & penitùs exterminatum non reparauit; non aliud geſsit, neq; magnum,*

gnum, neq; paruum: quomodo namq; facturus erat mortuus? Chriſtus autem tunc omnem terrarum Orbem ad ſe traxit adorandum, cùm mortuus fuiſſet, & quid de Chriſto loquor; cùm, & Diſcipulos, poſtquàm obierunt, tunc effulgere fecerit? quid dico Diſcipulos? nam & eorum loca, & ſepulchra, ſimul & tempora, perenni memoria celebrari curauit; Tu verò mihi ſepulchrum oſtendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit; ſed nihil horum inſigne, ſed omnia deſtructa ſunt, & exterminata. Chriſti verò ſeruorum, & ſepulchra clara ſunt, regiam aſſecuta Ciuitatem, & dies notiſſimi, Mundo feſtam afferentes Lætitiam. Et illius quidem loculum & proprij neſciunt; horum autem ſciunt, & Barbari: Et ſeruorum Crucifixi ſepulchra Regijs aulis ſunt clariora, non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem ſuperant) ſed quod multò magis eſt conuenientium ſtudio. Nam, & ipſe, qui purpuram indutus eſt; accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſiat ſanctis ſupplicaturus; vt pro ſe apud Deum intercedant: & ſcenarum Fabrum; & Piſcatorem etiam mortuos, ut Protectores orat, qui Diademate redimitus incedit. Audebis igitur quæſo, horum Dominum nuncupare mortuum, cuius ſerui, vel mortui terrarum Orbis Regum ſunt Protectores? Nec hoc tantum quis Romæ fieri uiderit; Verùm & Conſtantinopoli. Nam & hic Conſtantinus Magnus ipſius filius, honore magno cenſuit haberi, ſi pro foribus Piſcatoris Paternum Corpus collocaret; & quod in Regijs ſunt Ianitores Regibus, hoc ſunt in monumento Piſcatoribus Reges: & illi quidem, vt Domini, loca tenent interiora. Hi verò tamquam Inquilini, & Vicini, Aulæ Ianuam ſibi gratum habuere deputare, & Infidelibus ex his oſtendentes, quòd in Reſurrectione maior erit Piſcatoribus Dignitas. Et paulò poſt. *Reges quidem miniſtrorum, ſubditi verò Regum vicem induerunt; Quinimmò, & ſplendidiorem, & quòd hoc non aſſentio, ſit ipſa veritas oſtendit: ex illis enim, & hi Illuſtres facti ſunt: multò namque cæteris Regalibus ſepulchris, hæc monumenta ſunt clariora; Nam illic quidem magna ſolitudo, hic autem magnus concurſus. Quod ſi vetis, & Regalibus Aulis monumenta comparare, rurſus, & hic victoria. Nam illic quidem multi deterrentes: hic verò multi vocantes, & intrahentes, Diuites, Pauperes, Viros, Mulieres, Seruos, Liberos; Illic magnus timor; hic inexplicabilis voluptas;* & infrà; *itaque quò Regias quidem Aulas videat, nullus vmquàm peregrinatus fuerit. Multi verò Reges plerumque huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt.* Sic eleganter Chryſoſtomus. Idem in 2. ad Thimoteum Homil. 4. ſic habet: *Nullus ex Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto hic eſt. Cæterùm Imperatores foris alicubi iacet abiectus; Hic autem veluti viuens, & Regnans tenet.* Idem Homil. in Pſalm. 48. de Petri ſepulchro ſic ſcribit. *Quot Reges Vrbes euerterunt, Portus extruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis, deceſſerunt; nec tamen eis quicquam profuit, ſed ſilentio, & obliuioni mandati ſunt? Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus, & Ciuitatem maximè Regiam occupauit, etiam poſt mortem, reſplendet ſole clarius.* Hucuſque Chryſoſtomus: de quibus etiam ſepulchris, tamquam de duobus luminibus, vniuerſum Orbem luce, ſplendoreque replentibus,

Theodoretus

D. Theodoretus in Epiſt. ad Leonem Papam, quæ habetur tomo 2. in fine paulo poſt principium ità ſcribit. Cuius etiam teſtimonij partem ſuperius citauimus. *Habet communium quoque Patrum, & veritatis Doctorum Petri, & Pauli ſepulchra* (de Romana loquitur Eccleſia) *quæ fidelium animos illuminant; horum autem beatiſſimum iubar, & planè diuinum exortum quidem eſt in Oriente, & radios omnem in partem emiſit; In Occidente autem prompto, & alacri animo vitæ ſuſcepit occaſum, & nunc illinc Orbem terræ ſuis radijs illuſtrat.* Hæc Theodoretus.

Pallia pro Patriarchis ex hoc Sacro Altari ſumſitur.

Sed Diuiniſſima huius prælibati Altaris Encomia, & dignitates proſequenti nullus eſſet finis; Illud tantùm adijciendum eſt, quòd ex illo, tamquàm ex omnium poteſtatum gazophylacio, Pallia pro Patriarchis, & Archiepiſcopis aſſumuntur; Hæc enim ſacra, & grauiſſima cæremonia ab Altari ſolùm, ubi corpus

Pontificale Romanum.

Principis Apoſtolorum iacet, tamquam à fundamento, & perenni fonte plenitudinis Pontificalis officij emanat. Sic ſcribitur in Pontificali Romano. *Ad honorem Omnipotentis Dei, & B. Mariæ ſemper Virginis, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Domini Noſtri Papæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec non Eccleſiæ N. tibi commiſſæ; tradimus tibi pallium de corpore B. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officij.*

officij. Vſus autem Pallij antiquiſſimus eſt in Dei Eccleſia; etenim antè Marcum Primum, qui anno Chriſti 336. uixit, vſus Pallij in Eccleſia habebatur; hic enim conſtituit, (ut in libro de Romanis Pontificibus legitur) ut in conſecratione Romani Epiſcopi Oſtienſis Epiſcopus Pallio uteretur. Græci, ut Theodoretus Balſamus, & alij Pallium alio uocabulo Phrygium appellant, illudque à Cœleſtino Papa, Cyrillo Epiſcopo Alexandrino eiuſdem Legato, tradunt collatum fuiſſe; quod licèt ſit potiſſimum Romani Pontificis inſigne, ab eo tamē Patriarchis, Archiepiſcopis, nec nō aliquibus Epiſcopis, rationabilibus ex cauſis impartitur. Dicitur autem Phrygium, (ut Illuſtriſſ. Baronius notauit tomo 3.) quòd Phrygionū Crucibus contexi ſoleret. Hoc Planetæ, ſeu Caſulę Sacerdotali inhæret, & ſuper ponitur ad indicandum, Pallium eſſe præcipuum ſacerdotalis ueſtis ornamentum; Conficitur autem non ſinè magno myſterio ex lana, non ex lino. Cuius rei Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 136. ad Herminum, piam, atque optimam rationem reddit, dicens. *Id autem Amiculum, quod Sacerdos humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino contextum eſt, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamq; humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat: Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius, ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit*. Hæc Iſidorus. Pallium uerò numquam ab Imperatoribus, ſed à ſolo Romano Pontifice omnibus Mundi Metropolitanis, & Antiſtitibus concedi ſolere, abundè ex D. Greg. lib. 2. Epiſt. 54. ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum, & ipſius Ioannis ad Gregorium Epiſt. 55. & lib. 4. Epiſt. 50. ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem, quod etiam habet Beda in lib. 1. Hiſt. Anglorum, cap. 27. & lib. 5. Epiſt. 8. & lib. 6. Epiſt. 5. in qua Pallium ad preces Reginæ, & Imperatoris Siagrio Epiſcopo concedit; non tamen ſinè ipſius Epiſcopi uehementi poſtulatione; vndè concludit, *Non ex ueſtra petitione, ſed ex nobis tranſmiſſum noluiſtis intelligi*; id quod etiam doctè oſtendit Cardinalis Baronius tom. 5. Anno Chriſti 432. verſus finem. Extat in Decreto Titulus, De auctoritate, & uſu Pallij, ubi extant Canones Clementis III. Innocentij III. & Honorij III. & apud Gratianum in Decretis, diſt. 50. habetur Canon Pelagij Papæ, & aliorum.

Antiquitas Pallij, & uſus ipſius oſtenditur.

Marcus Papa.

Baronius.

Significatio Pallij.

Iſid. Peluſ.

Pallium à ſolo Rom. Pon. dari ſolitum ex D. Greg.

Ven. Beda.

Card. Baron.

Gratianus.

D. Gregorivs lib. 7. Epiſt. 129. ad Maximum Epiſcopum Salonitanum, honorem Pallij ſic deſcribit. *Huius enim indumenti honor humilitas, atque Iuſtitia eſt. Tota ergò mente fraternitas ueſtra ſe exhibere feſtinet, in proſperis humilem, & in aduerſis, ſi quando eueniunt, cum iuſtitia erectam, amicam bonis, peruerſis contrariam. Nullius unquam faciem pro ueritate loquentis premens, miſericordię operibus, iuxtà uirtutem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam ultra uirtutem cupiens, infirmis compatiens, benè ualentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudijs tamquàm de proprijs exultans: In corrigendis autem uitijs ſæuiens, in fouendis uirtutibus auditorum animos demulcens, in ira iudicium ſinè ira tenens; in tranquillitate autem ſeueritatis ſuæ cenſuram non deſerens: Hæc eſt, Frater cariſſime, Pallij accepti ratio, quam ſi ſollicitè ſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes*. Hæc Gregorius.

Pallij honor ex D. Greg.

B. Zacharias Papa Epiſt. 8. & 9. de Pallijs, diuerſis Archiepiſcopis tranſmiſſis uidelicet Epiſcopo Rhemorum, Semnis, & alijs mentionem facit, Pallijque uſum explicat.

Zach. Papa.

At de Pallio plus ſatis, quàm par erat, loquuti ſumus; Reſtat nunc, ut ultimo loco aliam Dignitatem Vaticanæ Baſilicæ explicemus. Illa hæc eſt, quòd Imperatores Imperij inſignia, cùm Romæ id fieri contingit, apud ſepulchrum Piſcatoris recipere ſolent. Ità habetur in Pontificali Romano, in titulo, De ſolemni receptione Imperatoris coronandi in Vrbe, vbi locus Imperialis Coronationis præfata Vaticana Baſilica præſcribitur, & ibidem iubetur, ſpecialiter Cappellam D. Gregorij, & D. Mauritij, & quæ Diuæ Mariae in Turribus appellatur, extrà Eccleſiam ſolemniter adornari. Vnde Imperator indutus ſuperpelliceo, & Almucia recipitur à Canonicis Sancti Petri in Canonicum, & in Fratrem; quos omnes

Imperatores Romæ coronari ſolent apud ſepulchrum Piſcatoris.

Pontificale Roman.

ſtans an-

ſtans antè Altare Cappellæ B. Mariae inter Turres, recipit ad oſculum Pacis; inungitur autem à Priori Epiſcoporum Cardinalium, apud Altare Sancti Mauritij, oleo ſancto in brachio, & inter ſcapulas. (Nemo enim ad Altare Sancti Petri inungitur, nemo ordinatur, niſi ſolus Romanus Pontifex,) ſimiliter & Reges, (ut refert Panuinius) ibidem coronantur.

Panuin.

Reges in templo D. Petri coronati.

Innocentivs enim Tertius Petrum Regem Aragonię, Legati Clement. IIII. Carolum I. Regem Siciliæ, Nicolaus IIII. Carolum II. Vrbanus VI. Carolum III. apud Vaticanum coronarunt; At verò ſi contingeret, Reges, Imperatores, uel Imperatrices Romæ diem extremum claudere, in eadem Baſilica ſepeliuntur, ut Honorius, Valentinianus IIII. Otho II. Placidius. Item Maria Thermantia vxor Honorij, Agnes vxor Henrici Secundi, Cedoaldus, & Offa Reges Angliæ.

Sancti Canonizari ſolent in Baſilica S. Petri.

Cur Pont in Sanctorũ Canonizatione errare non poſſit.

Sed & illud quoque commemorandum, Canonizationes Sanctorum in hac ſola Baſilica à Summo Pontifice ſolemniter celebrari; etenim decens eſt, ut quemadmodum in illis Summus Pontifex errare non poteſt; ſic in eo loco celebrentur, qui eſt locus fidei, proprieque Confeſſioni Chriſtianę dicatus; quamuis enim teſtimonia, quæ pro alicuius hominis ſanctitate probanda in proceſſu adducuntur, ſint humana, atque ideò natura ſua fallibilia; nihilominus ubi Pontifex illis adducitur ad pronunciandum, ac decernendum, quempiam Sanctum, & Beatum iam eſſe; fide certa credendum eſt, teſtimonia illa (quatenus in genere ſaltem probant, piè, atque ſanctè aliquem ex hac uita migraſſe,) uera eſſe, & huiuſmodi hominem de illorum numero eſſe, qui ſecundùm regulas, & propoſitiones generales Scripturæ, uitam æternam ſit adeptus. Vndè cum Eccleſia, & Summus Pontifex falli non poſſint in rebus fidei, & religionis; utique ſummopere fallerentur in principali illorum negocio, uidelicet, in Cultu, ſi in Canonizatione Sanctorum errare poſſent. Quocircà antequam Pontifex pronunciet aliquem ſanctum, orat quidem his verbis. *S. Petre ne permittas nos errare, S. Paule, &c.* At facta pronunciatione, & connumeratione alicuius in numero Sanctorum, infallibilis ueritas ſententia illa cenſenda eſt; De qua relege Vualdenſem tom. 2. de Sacramentalibus, tit. 14. cap. 123. & ſequentibus, Alphonſum de Caſtro, lib. 1. de Iuſta Heret. Punit. cap. 6. D. Thomam, quodlib. 9. artic. 16. Auguſt. de Ancona in ſumma de poteſtate Eccleſiæ, quæſt. 14. artic. 4. Driedonem lib. 4. cap. 1. de Eccleſiaſticis Dogmatibus, D. Antoninum 3. par. tit. 12. cap. 8. ſummæ Theologicæ, & inter recentiores, Caietanum, tract. de Indulgentia, cap. 8. Catharinum in tract. de Canonizatione ſanctorum, Canum lib. 5. de locis, cap. penultimo, Bellarminum 1. tomo, controuerſia 7. lib. 1. per multa cap. Gregorium de Valentia, in Analyſi fidei Catholicæ, cap. 3. & alios. Quocircà meritò Actus huiuſmodi Canonizationis in Baſilica Sancti Petri, quæ eſt Caput fidei, & Religionis, celebrari conſueuit.

Vualdenſis. Caſtro. D. Thomas. Aug. de Anc. Driedon. D. Anton. Caiet. Catharin. Canus. Valentia. Bellarm.

Concilia in hoc templo celebrata.

Qvatvor etiam Generalia Concilia celebrata ſunt in eadem Baſilica. Primum, & Secundum ſub Symmacho Papa, Tertium ſub Gregorio Primo, Quartum ſub Gregorio II.

Sacræ reliquiæ eiuſdẽ Eccleſiæ.

Lancea, qua Chriſti latus perforatum fuit, in hac Baſilica habet. Beda.

Præter Corpora Apoſtolorum, multæ aliæ ibidem ſunt Reliquię Sacroſanctę, quarum Cathalogum texuit Honuphrius ubi ſupra. Nam in ſacratiſſima hac Baſilica inter cæteras, in proprio ſuggeſtu, & Altari duæ inſignes Reliquiæ continentur. Lancea videlicèt, qua latus Saluatoris à Milite poſt mortem apertum fuit; quę à Magnò Turcarum Imperatore Baiazete Innocentiò VIII. dono tranſmiſſa fuit, de qua Beda tom. 3. libro de locis ſanctis, ca. 2. ſic ſcribit, *Lancea Militis inſerta habetur in Cruce lignea in Portico Martyrij, cuius haſtile in duas interciſum partes, à tota ueneratur Ciuitate.* Hæc Sacra Lancea diuina reuelatióne inuenta eſt Antiochiæ, anno Domini M. XCVIII. inſignique miraculo nobilitata. Lege Gugliel. Tyrium lib. 6. de Bello Sacro, Paulum Æmilium lib. 4. de rebus geſtis francorum, & Dodechinum Mariani Scoti continuatorem, in Chronico anni M. C. Sudarium quoque imagine faciei Chriſti inſignitum, quod Berenicæ, ſeu Veronicæ dicitur, de cuius translatione in Vrbem, & in præfatam Baſilicam facta, extat

Gugl. Tyrius. Paul. Aemil. Dodechinus. Sudariũ Veronicæ in eadem Baſilica.

ctâ extat libellus manuſcriptus in Bibliotheca Vaticana, & huius Methodius Epiſcopus, Antiquus Chronographus, meminit apud Marianũ Scotum, in Chronicis, Anno Domini 36. Hoc Sudarium diſtinctum eſſe ab illo, quo caput Domini inuolutum fuit in ſepulchro, dixit Illuſtriſſ. Baronius tom. 1. & de hoc Beda ſcribit, loco citato, cap. 5. quòd diuina uirtute ab incendio illæſum remanſit, & ad poſteros tranſlatum. In quo lapſus eſt Serranus, dum exiſtimauit, hoc Sudarium capitis, non illud faciei apud præfatam Baſilicam aſſeruari. Præter altare verò magnum, multa quoque alia in eadem Baſilica exiſtunt, & multo plura exiſtebant, antequam portio illa ueteris Eccleſię deſtrueretur, de quibus, & Panuinius, & Serranus abundè ſcribunt; quemadmodum etiam de continuis, ampliſſimiſque Indulgentijs eamdem Baſilicam uiſitantibus conceſſis. Apud D. Thomam in 4. diſt. 20. quæſt. 3. artic. 2. ſcriptum reperitur, ibidem perennem Indulgentiam conceſſam eſſe, quæ ab alijs in hoc differt, quòd toties quoties uiſitatur acquiritur. Illud poſtremò ad dignitatem huius ſupremæ Baſilicæ declarandam adijciendum eſt; quòd hæc Auguſtiſſima Baſilica, etiam Hoſtibus fidei tremenda, atque admiranda fuit, ità ut per illam maximum Chriſtianæ Religioni honorem etiam ab inimicis exhibitum fuiſſe, legamus.

Methodius. Mar. Scotus.
Beda. Baron.
Panuin. Serran.
D. Thom.

Cvm enim Gothi, (immane, ac ferum genus hominum) Romam deuaſtarent, omniaque inibi flammis, ſtupris, & cędibus turpiter fœdarent; Petrus Apoſtolus, præter omnem bellorum conſuetudinem, indomito furori frenum impoſuit. Cum enim ad limina Baſilicæ Principis Apoſtolorum milites deuenirent, ab omni prorſus iniuria abſtinebant aduerſus eos, qui ad illam ſeſe recepiſſent, ſiue uiri, ſiue Mulieres, Pueri, uel ſeniores eſſent; cuius rei D. Aug. li. 1. De Ciuit. Dei his uerbis mentionē facit. *Quicquid igitur vaſtationis, trucidationis, deprædationis, concrematioms, afflictionis in iſta recentiſſima Romana clade cōmiſſum eſt, fecit hoc conſuetudo bellorum; quod autem more nouo factum eſt, quod inuſitata rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuit, ut Ampliſſima Baſilicæ implenda Populo, cui parceretur, eligerentur, & decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo liberandi multi à miſerantibus Hoſtibus ducerentur, undè captiuandi nulli, nec à crudelibus hoſtibus adducerentur: Hoc Christi nomini; hoc Chriſtiano tempori tribuendum; quiſquis non uidet cæcus; quiſquis uidet, nec laudat ingratus; quiſquis laudanti reluctatur, inſanus eſt: Abſit, vt prudens quiſquam hoc feritati imputet Barbarorum, truculentiſſimas, & ſæuiſſimas mentes ille terruit, ille frænauit, ille mirabiliter temperauit, qui per Prophetam tanto ante prædixit. Viſitabo in uirga iniquitates eorũ, & in flagellis peccata eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis.* Hucuſque Auguſtinus. idem lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 23. inquit. *Deinde cum ab his Barbaris Roma caperetur, qui contrà omnem conſuetudinem bellorum ante geſtorum ad loca ſancta confugientes, Chriſtianæ Religionis reuerentia tuerentur, &c.* Hæc ille; quod idem ab Oroſio lib. 7. cap. 28. & à Iornande, de Origine, actiſque Getarum ſcribitur.

Hoſtes fidei hanc S. Baſilicam ueneràti ſunt.
D. Auguſt.
Oroſius. Iornand.

Sozomenvs lib. 9. cap. 10. egregium factum narrat Mulieris Chriſtianę deductæ à Barbaro in Baſilicam S. Petri, vt Marito ſuo cuſtodiretur intacta: verba eius ſunt hæc. *Ego,* inquit, *quod mihi tum Eccleſiaſtica dignum Hiſtoria contigiſſe viſum eſt, litteris commendabo: declarat enim viri Barbari factum pium, & fortitudinem mulieris Romanæ in conſeruanda caſtitate, vtriuſque autem Chriſtiani, ſed non eiuſdem ſectæ: quādoquidem ille Arianam, hæc Nicænam Doctrinam ſectabatur; Hanc igitur perquàm formoſam conſpicatus iuuenis quidam, Alarici miles, pulchritudine captus ad concubitũ trahebat. Reluctantem uerò, ac ui aduerſantē, nè quid obſcæni pateretur, ille ſtricto gladio, ſe interfecturũ minabatur, & interim ſummam illi cutem in collo, quaſi qui ob amorē parceret, perſtringebat; tum illa multo perfuſa ſanguine, collum gladio ſubiecit: optabilius ſibi rata mori cum caſtitate, quam vincere expertam virum alium, quam illum, cui legitimo matrimonio iuncta erat. Barbarus igitur, cum etiam nunc maiore cum terrore illam adortus, nihil adhuc proficeret, admiratus, eam ob caſtitatem duxit in Eccleſiam Apoſtoli Petri, & traditam cuſtodibus, & expenſis in eius ſuſtentationem ſex aureis, iuſſit, vt cuſtodirent marito ſuo.* Hæc Sozomenus.

Sozomen.
Egregium Chriſtianæ mulieris factum.

Gregor.

Inſigne miraculum ex Turonenſi. GREGOR. Turonen. lib. 2. Hiſt. Francorum narrat, vxorem Ætij anxiam, atque mœſtam in Baſilica Apoſtolorum pro ſalute mariti ſui aſſiduè preces fudiſſe, & ſic exauditam eſſe. *His diebus Romam ſonus adyt, Aetium maximo diſcrimine inter phalanges hoſtium laborare; quo audito, vxor eius anxia, atque mœſta aſſiduè Baſilicam Apoſtolorum adibat, atque, vt virum ſuum de hac expectatione ſuſciperet ſoſpitem precabatur: Quæ cum die, noctuque hoc ageret, quadam nocte homo pauperculus, crapulatus à vino, in angulo Baſilicæ B. Petri obdormijt. Clauſis verò ex more oſtijs à cuſtodibus, non eſt eiectus, de nocte verò conſurgens relucentibus per tota Aedis ſpacia lychnis, pauore perterritus, aditum, per quem foras euadat, quærit. Verum, vbi primi, atque alterius oſtij clauſtra pulſat, & obſerata cuncta cognoſcit; ſolo decubuit trepidus, præſtolans tempus, vt venientibus ad matutinos hymnos Populis, hinc liber abſcederet. Intereà videt duas Perſonas ſe inuicem ſalutantes venerabiliter, ſollicitaſque de ſuis eſſe proſperitatibus. Tunc, qui erat ſenior, ità exorſus eſt. Vxoris Aetij lachrymas diu ſuſtinere nõ patior, petit enim aſſiduè, vt virum ſuum de Gallijs reducam incolumen; cum aliud exinde fuiſſet apud diuinum iudicium præfinitum; ſed tamen obtinui immenſam pietatem pro vita illius, & ecce nunc illuc propero, viuentem eum exinde reducturus. Veruntamen obteſtor, ut qui hæc audiuerit, ſileat, arcanumque Dei euulgare non audeat; ne pereat velociter de terra. Ille verò hæc audiens, ſilere non potuit, ſed mox, illuceſcente Cælo, omnia, quæ audiuerat, Matriſamiliæ pandit, expletiſque ſermonibus lumine caruit oculorum.* Hæc Turonenſis.

Opulẽtia huius Baſilicæ a Barbaris ablata. In lib. de Romanis Pontificibus legitur, Valentinianum Auguſtum, rogatu Sixti Epiſcopi, feciſſe faſtigium argenteum in Baſilica Conſtantiniana, quod à Barbaris ſublatum fuerat, ponderis librarum ſex mille ſexcentarum & decem; ex quo loco rectè Baronius tom. 5. deducit; Gothos non ab omnium Eccleſiarum ornamentis abſtinuiſſe; ſed ab his, quæ ad Baſilicas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſpectare ſciebant, omnemque reuerentiam præfatis Baſilicis impendiſſe, ob uenerationem Principum Apoſtolorum; cùm dictas Apoſtolorum Baſilicas maiori proſecuti fuerint cultu, quàm ipſam Lateranenſem Eccleſiam, cuius ornamenta ſurripuere; quàmuis ius immunitatis, vt ad eas confugientes tuti eſſent, in omnibus Romanæ Vrbis Eccleſijs à Barbaris illæſum cuſtoditum fuiſſe, ſcribat Auguſtinus; locis citatis. Baron.

QVOD ſi à Barbaris loca ſancta in honorem, ac uenerationem habita ſunt; multo magis à Chriſtianis, tempore ſacri Iubilæi digna animorum præparatione, ac pia Viſitatione excolenda ſunt. Semper hæc Baſilica, & Cuſtodibus munita, & accenſis luminibus ornata fuit; cui rei Pontifices maximi omnem curam, ac ſollicitudinem impenderunt. D. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 24. deſcribens curam, quam ergà Eccleſiam Sancti Petri Cuſtodes habebant, meminit lampadis, quæ ibidem etiam noctu, dormientibus omnibus, ardebat. D Greg.

Ennodius. Ex Ennodij Diaconi libello pro Symmaco, qui habetur, tomo primo Conciliorum, eiuſdem Templi nobile Encomiũ habetur, quòd hoc loco afferre placet. *Illud*, inquit, *quòd ex omnibus Orbis Cardinibus deuotos attrahit*, (nempe Templum D. Petri Apoſtoli) *poſitum in vicinitate tranſitur?* Conqueritur, quòd prohibitum fuerit Viſitatori à Theodorico Rege Romã ad Symmacum miſſo, nè adiret Vaticanum Templum: Et ſubdit, *Quòd licèt vbique locorum fas ſit, Apoſtolos inuocare; tamen ex curatione morborum, & liberatione obſeſſorum à Dæmone, non modica monumenti illius per frequentiam eſt comparata nobilitas. Nec negari poteſt diligentia natali ſolo plus tribui, & maiorem affectum loca impetrare, de quibus ad ſuperna tranſitur; quam fidem allegationi curationum multitudo iam præſtitit, & vtitur, poſt obſidionem diabolicam, teſtibus iam ſanatis.* Hæc ibi, quæ circà Annum Domini DC. ſcripta fuerunt, vt ex Baronio tomo 6. patet.

Baron. OPPORTVNE autem hoc capur, in laudem Eccleſiæ Vaticanæ, & ſepulchri Sancti Petri, concludere, ac quaſi ſigillo obſignare poſſumus, allato teſtimonio Gregorij Turonenſis lib. 1. Miracul. cap. 28. vbi de Baſilica Vaticana verba faciens, Greg. Turon. ſic ait. *Quatuor ordines columnarum valdè admirabilium, numero nonaginta ſex, habens; Habet etiam in Altari quatuor, quæ ſunt ſimul centum, præter illas, quæ Ciborium ſe-*

pulchri

pulchri ſuſtentant. Hoc enim ſepulchrum ſub altari collocatum valdè rarum habetur. Sed qui orare deſiderat, reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulchrum, & ſic feneſtella paruula patefacta, immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit, efflagitat. nec moratur effectus, ſi petitionis tantùm iuſta proferatur oratio. Quod ſi beata auferre deſiderat pignora, palliolum aliquod momentana (nempe ſtatera) penſatum iacit intrinſecus: deinde vigilans, ac ieiunans, deuotiſſimè deprecatur, vt deuotioni ſuæ virtus apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu, ſi fides hominis praualuerit, à tumulo palliolũ eleuatum ità imbuitur diuina virtute, vt multò amplius quam prius penſauerat, ponderaret: & tunc ſcit, qui leuauerit, cum eius gratia ſumpſiſſe, quod petijt. Multi enim, & Claues aureas, ad reſerandos cancellos beati ſepulchri faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur. Omnia enim fides integra præſtat. Sunt ibi, & columnæ miræ elegantiæ, candore niueo, quatuor numero, quæ ciborium ſepulchri ſuſtinere dicuntur. Sic Turonenſis. In cuius verbis, & gloriam, & virtutem ſepulchri Sancti Petri licet cognoſcere, apud quod etiam ſepulchrum Beatiſſimus Leo Papa Primus per dies quadraginta vigilijs, & orationibus inſiſtens, remiſſionem ſuorum peccatorum ab Apoſtolo, qui ei apparuit, impetrauit, præterquam impoſitionis manus, vt legitur in Prato ſpirituali, cap. 149. Pratum Spirituale.

Verùm, iam ad Diui Pauli Baſilicam ſermonem conuertamus, eiuſque preſtantiam, ac dignitatem breuiter explicemus.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De Baſilica Beati Pauli Apoſtoli.

DE ECCLESIA Sancti Pauli ſecundo loco dicitur, quoniam poſt Eccleſiã Sancti Petri immediate viſitatur ab his, qui Sacrum Iubilæum ſuſcipiunt; quamuis hic ordo neceſſarius non ſit, vt inferiùs dicemus. Eodem tempore, quo Baſilica Vaticana à Conſtantino conſtruebatur, ab eodem Imperatore (ut apud Damaſum, in uita Silueſtri legitur) fabricata fuit Eccleſia Sancti Pauli Apoſtoli; erat enim pijſsimus Imperator, (ut Socrates Scholaſticus, Antiquiſsimus Scriptor, lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. tripartitę cap. 9. affirmat) cõſtructioni templorum Chriſtianorum deditiſsimus, omneſq; cogitationes, & neruos intendebat, ut Sanctæ Domus, quæ magnitudinem videbantur habere ſufficientem, corrigerentur; aliæ verò cremento altitudinis, & latitudinis augerentur. Alibi verò cum non eſſent, à fundamentis ædificatæ fulgerent; In eo igitur loco, in quo Paulus ſepultus circà annos 300. iacuerat, in uia oſtienſi, in Prædio Lucinæ, ſplendidiſsimum Templum, centum marmoreis columnis exornatum extruxit, quod D. Silueſter eodem die, quo Vaticanum, conſecrauit, Indulgentiaſque perpetuas eo die viſitantibus (ut Petrus Manlius, in ſua Hiſtoria Sacra refert) conceſsit. Sub maiori Altari medias alias partes Sanctorũ Corporum Petri, & Pauli in nobiliſsima, ac præcioſiſsima Arca Sanctus Silueſter poſuit, quod ex D. Gregorio tom. 2. lib. 3. Regiſtri Epiſtola 30. non obſcurè colligitur, dum ait, *Corpora Sanctorum Petri, & Pauli tantis in Eccleſiis ſuis coruſcant miraculis, atque terroribus, vt neque adorandum, ſine magno illuc timore poſſit accedi.* Ponderandum eſt, quod Gregorius dicit, in Eccleſijs ſuis, non in Eccleſia, ad corroborãdam traditionem, qua dicitur, corpora Apoſtolorum diuiſa fuiſſe, eorumque portiones in Pauli, ſicut etiam in Petri Baſilica reconditas, venerari: exornauit Pijſſimus Imperator eam ampliſsimis diuitijs, & ornamentis, ac donis; omnia enim vaſa ſacra aurea, argentea, vel ęrea ità in ea poſuit, ſicut in Baſilica B. Petri Apoſtoli, & ità; (ut Bibliothecarius ait) B. Pauli Templum ornauit, ſicut & Petri.

Aedificatio huius Eccleſiæ. Damaſus. Socrates. Manlius. In hac Eccleſia eſt dimidia pars corporũ Apoſtolorũ Petri, & Pauli. D.Greg. Dona huius Eccleſię à Cõſtantino exhibita. Bibliothec.

PRVDENTIVS, Chriſtianus, & Antiquus Poeta, Hymno 12. in ea parte, quæ dicitur, Periſtephanon; de eius pompa, & ornamentis hæc carmina cecinit. Prudent.

Parte alia titulum Pauli uia ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum;
Regia pompa loca eſt, Princeps bonus has ſacrauit arces,
Clauſitque magnis ambitum talentis:
Bracteolas trabibus ſubleuit, ut omnis aurolenta
Lux eſſet intus, ceu Iubar ſub ortu.
Subdidit, & patrias fuluis laquearibus columnas.
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tunc Camyros hyalo inſigni uarie cucurrit arcus:
Sic Prata uernis floribus renident.

Beda.

BEDA libro ſecundo De ſex ætatibus Mundi, huius Eccleſiæ egregiam mentionem facit, atque etiam in ſuo Martyrologio, ubi affirmat, B. Thimotheum, Sancti Pauli diſcipulum, à Tarquinio Vrbis Præfecto longa carceris maceratione afflictum, grauiſſimis demùm ſupplicijs affectum, quòd Dijs ſacrificare recuſaſſet, tandem decollatum fuiſſe, & iuxta corpus B. Apoſtoli ſepultum.

Porta Sancta huius Eccleſiæ.

HABET hæc Eccleſia, ultra alias quatuor, Portam Sanctam, quæ in Anno Iubilæi aperitur ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Cardinali Decano, à Sanctiſſimo Papa delecto, & propter id ipſum in eum locum tranſmiſſo. Præter maius Altare, ſunt in ea Eccleſia plura alia ueneratione digniſſima, quorum nomina, reliquias, & Indulgentias apud Panuinium, & Serranum legito.

Panuin. Serran.

Auctio huius Baſilicæ ex Baronio.

Illuſtriſſimus Baronius tom. 3. exiſtimat, primo Baſilicam D. Pauli anguſtia loci interiacentis, cùm inter uiam Oſtienſem, & Tyberim collocata fuerit, amplioribus ſpacijs ędificati non potuiſſe; eam deinde Honorium Imperatorem prętergreſſum uiam illam ampliſſimam reddidiſſe. Sed profectò huiuſmodi opus ſub Valentiniano cœptum eſſe, ea, quæ ſequuntur oſtendunt; quamuis fortè temporibus eiuſdem Honorij Imperatoris abſolutum fuerit, legimus enim in uetuſtiſſimo Codice Vaticano, in Regiſtro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aſſeruato, literas Valentiniani Imperatoris; de conſtruenda, ſeu reparanda, & amplificanda Baſilica Pauli Apoſtoli, uia Oſtienſi, ad Salluſtium Vrbis Præfectum, datas anno Domini CCCLXXXVI. quarum tenor hic eſt. *Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Salluſtio Vrbis Præfecto. Deſiderantibus nobis contemplatione uenerationis, antiquitus iam ſacratam Baſilicam Pauli Apoſtoli pro ſanctimonia Religionis ornare, pro quantitate conuentus amplificare, & pro ſtudio deuotionis attollere: gratum fuit tuæ ſublimitatis officium, quod ad inſpicienda uniuerſa, ut res exigebat detuliſti, & omnem ſitum, locorumque faciem ſermone congruo diligentia noſtræ Serenitatis auribus intimaſti, inſtructiores enim nos iubere decuit, quæ iubenda ſunt. Quare participato examine cum uenerabili Sacerdote, intimatiſque omnibus, & magnificentiſſimo ordini, & Chriſtiano Populo; quæ iubemus: ſublimitas tua rem diligentiori tractatu, & plenitudine inſpectione diſcutiat, ac ſi placuerit tam Populo, quàm Senatui, iter uetus, quod Baſilicæ præterit dorſum, quodque ripa Tyberis amnis adiacet, innouari, ita ut præſentis uiæ ſpacio futuri operis applicetur, eatenus per Architectos futuræ Baſilicæ dirige formam, quatenus ſe Planities extructioni amica protulerit; ne ulla inæqualitas ſplendorem fabricæ amplificentioris ſublimet* (hoc eſt, quaſi limo inuecto deturpet.) *Sic quidem in omnium mœnium fictu decor ſummus eſt, quem ſeruari oportere, prima ſtatim fronte inchoandarum ædificationum demonſtrat intentio. Iam illud ipſa res exigit, ut & ſynopſis operis conſtruendi fideli tendatur examine, ſumptuumque omnium iuxta præceptarum, quæ in Sacratiſſima Vrbe prætaxatio plenius ordinetur, atque ad noſtram Clementiam debita maturitate referatur, ut communi omnium conſilio, noſtræ quoque Serenitatis nutus accedat, quò facilius id, quod deuota mens ſtatuit, probatæ religionis meritis expleatur.* Et alia manu. *Diuinitas te ſeruet ad multos annos, Parens cariſſime, & amantiſſime.* Hactenus literæ Valentiniani; neque enim has Honorio adſcribendas eſſe, ut aliqui cenſent, tùm ex præfectura Salluſtij, quæ ad prędictum annum tantùm referri poteſt, tùm ex titulo ipſius Epiſtolæ benè demonſtrauit, Cardinalis Baronius, to. 4.

Imperatoris Epiſtola de reparatione Eccleſiæ Sancti Pauli.

Baron.

FIGVRA igitur, ambituſque murorum Eccleſiæ D. Pauli is hodie eſt, quem

Valen-

Valentinianus fieri curauit, illa enim quæ à Magno Conſtantino ædificata fuit, limitibus uiæ Oſtienſis, & Ripæ Tyberis coarctata, anguſtior erat; Vndè uia illa ſpacio futuri operis applicata amplior Baſilica, ut hodie conſpicitur, euaſit.

Tempore Leonis Tertij, vi maximi terræmotus die vltima Aprilis, in nona Indictione tectum præſatæ Baſilicæ D. Pauli corruit, atque ab eodem magno ſumptu ex integro refectum fuit: teſtantur hoc carmina, quæ in marmorea tabula, ſuper portam magnam ipſius Eccleſiæ, leguntur.

Eccleſia hæc terremotu diruta reficitur.

Exultate Pij lachrymis in gaudia verſis,
Et Protectori reddite vota Deo,
Cuius ſic tenuit reſolutum dextera tectum
In vacuum, vt caderet tanta ruina ſolum.
Solus, vt inuidiæ Princeps tormenta ſubiret,
Qui nullum ex ampla ſtrage tulit ſpolium:
Nam potiora nitent reparati culmina Templi,
Et ſumpſit vires firmior Aula nouas;
Dum Chriſti Antiſtes cunctis Leo partibus ades,
Conſulit, & celeri tecta reformat ope:
Doctorem, vt Mundi Paulum Plebs Sancta Beatum,
Intrepidè ſolitis excolat officijs:
Laus iſta Felix reſpicit te Presbiter,
Nec te leuiter, Adeodate, præterit,
Quorum fidelis, atque peruigil labor
Decus omne tectis vt rediret, inſtitit.

In columna quoque magna eiuſdem Eccleſię, (vt etiam obſeruauit Panuinius) eiuſdem Leonis extat edictum, quo ſub pœna externæ maledictionis animæ, & corporis, & diſperſionis bonorum, ſtrictè prohibetur, ne quis oblationes, & donaria facta Altari Glorioſiſſimi Apoſtoli Sancti Pauli, & eius Eccleſiæ auſerre, vel ſurripere audeat; cum in commodum, & vtilitatem miniſtrorum illius oblata fuerint; nec quis Prædia, & poſſeſſiones eiuſdem Baſilicæ vendere, vel emere præſumat. Adrianus Epiſt. 3. cap. 19. tom. 2. Epi. Rom. Pont. dicit, quòd Leo Papa in Baſilica Beati Pauli Apoſtoli fecit Arcum maiorem, & in muſaico depinxit Saluatorem Dominum Noſtrum Iesvm Chriſtum, & vigintiquatuor ſeniores, quem etiam verſibus decorauit.

Panuinius.

Adrianus.

D. Gregorivs lib. 12. Regiſtri, Epiſt. 9. ad Felicem Subdiaconum, Rectorē Patrimonij Appię, maximè ſollicitus, nè luminaria in eadem Eccleſia D. Pauli deficerent, maſſam, quæ Aqua ſaluia nuncupatur, cum omnibus ſuis fundiš, & Appēdicibus luminarium eiuſdem Eccleſiæ impenſis applicauit: *Cum ergò*, inquit, *pro Eccleſia Beati Pauli Apoſtoli ſollicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem Præco fidei cerneretur, qui totum Mundum lumine ſuæ prædicationis impleuit, & valdè incongruum eſſe, ac duriſſimum videretur, vt illa ei ſpecialiter poſſeſſio non ſeruiret, in qua palmam ſumens martyrij, capite eſt truncatus, vt viueret: Vtile iudicauimus, eandem maſſam, quæ Aqua ſaluia nuncupatur, &c.* & infrà, *Experientiæ tuæ præcipimus, quatenus ſeruientes ibi Præpoſiti omni poſt hac carentes excuſatione, de luminaribus eius ità ſinè noſtra ſtudeat ſollicitudine cogitare, vt nullus vmquam illic neglectus poſſit exiſtere.* Hactenus ibi Gregorius.

Pro luminaribus dictæ Eccleſię donum D. Gregorij Papæ.

Vervm ex alio loco eiuſdem, admiranda, ac tremēda ſanctimonia eiuſdem Baſilicę dignoſcitur; in Epiſtola enim ſuperiùs ſæpiùs citata ad Cōſtantinam Auguſtam, ſigna aliqua, ac miracula ſcribit, quæ ſanctitatem loci apertè declarant. Petierat illa à Gregorio Caput Sancti Pauli, vt illud in Eccleſia apud ſuum Palatiū, in honorem D. Pauli fabricata poneret; ſed hoc nefas eſſe, oſtendit his verbis. *Sed & ego aliquid ſimiliter ad ſacratiſſimum corpus Sancti Pauli Apoſtoli meliorare volui; & quia neceſſe erat, vt iuxta ſepulchrum huiuſmodi effodi altiùs debuiſſet; Præpoſitus loci ipſius oſſa aliqua, non quidem eidem ſepulchro coniuncta reperit, quæ quoniam leuare præ-*

Summa Sanctitas eiuſdem Eccleſiæ deſcribitur, ex quibuſdam miraculis.

ſumpſit, atque in alium locum tranſponere, apparentibus quibuſdam triſtibus ſignis, ſubita morte defunctus eſt. Hactenus Gregorius.

Veneratio Gothorum erga has Eccleſias ex Paulo Diacono.

PAVLVS Diaconus Hiſt. Miſcell. lib. 13. venerationem maximam, quam Gothi Baſilicis Apoſtolorum exhibebant, ſic refert. *Hinc Gothi in rabiem furoris excitantur, captum iter deſerentes, Romam contendunt petere, cuncta, per quæ ireut, igni, ferroque uaſtantes; nec mora, venientes Vrbem, capiunt, deuaſtant, incendunt, dato tamē prius præcepto, ut ſi qui in ſancta loca, præcipuè Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos in primis inuiolatos, ac ſecuros ſinerent.* Hęc ille. Quod idem Procopius ſcripſit de bello Gothorum, qui addit, Porticum Baſilicæ D. Pauli uſque ad mœnia Vrbis protenſam fuiſſe, hodie autem illius nulla prorſus extant ueſtigia.

Procop.

VT AVTEM huius Sacroſanctæ Baſilicæ præſtantiam certiſſimo teſtimonio obſignemus, ſententia Diui Auguſtini ſcribentis ad Marcellinum libro primo de Ciuitate Dei, hoc in loco afferenda eſt, qui de manſuetudine Barbarorum, eorumque religione in Apoſtolorum Baſilicas, hæc uerba profert. *An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus propter Chriſtum Barbari pepercerunt? Teſtantur hoc martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa uaſtatione Vrbis ad ſe confugientes ſuos, alienoſque receperunt: Hucuſque cruentus ſæuiebat inimicus; ibi accipiebat limitem trucidatoris furor; illo ducebatur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipſi alibi truces, atque hoſtili more ſæuientes, poſteaquàm ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdictum, quod alibi iure belli licuiſſet, tota feriendi refrenabatur immanitas, & captiuandi cupiditas frangebatur.* Hucuſque Auguſtinus. De huiuſmodi D. Pauli Baſilica mentionem facit D. Hieronymus Epiſtola 16. ad Principiam; Sed dicta ſint hæc ſatis de Eccleſia Sancti Pauli, quæ à Bonifacio Octauo, deinde à cæteris ſucceſſoribus numero Eccleſiarum, quæ in Anno Sancto uiſitandę ſunt, meritò annexa fuit.

D. Auguſt.

D. Hieron.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Eccleſia Sancti Ioannis in Laterano.

Varia nomina huius Sanctæ Eccleſiæ.

ECCLESIA Lateranenſis uarijs nominibus appellata eſt. A loco enim Lateranenſis nuncupata eſt, quòd in ędibus clariſſimę familię Lateranorum, quę à Conſtantino, cùm Regia domus eius eſſet, Melchiadi Papę, & ſucceſſoribus eius, Anno à Chriſto 312. ad habitandum tradię fuere, ac deinde, ut Chriſtianę Religionis cultum omninò ſe profiteri declararet, ibidem, hoc eſt, intra Palatium ſuum, petente Beato Syluestro, Templum Chriſto Deo erigi uoluit. De hac D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolę, Epiſtola 30. ad Oceanum, mentionem facit, ità ſcribens. *Tota Vrbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ, in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbiteris, & omni populo collachrymantibus.* Sic Hieronymus. Et Prudentius aduerſus Symmacum Pręfectum Vrbis, libro primo, loquens de plebe Romana ad Chriſtum conuerſa, his uerſibus.

D. Hieron.

Prudentius.

Cœtibus, aut magnis Lateranas currit ad ædes;
Vnde ſacrum referat Regali chriſmate ſignum.

Nicolaus Primus.

Ab ipſo Conditore Conſtantinianæ nomen accepit, ut Nicolaus Primus in Epiſtola ſeptima, & decima ſui Regiſtri, narrat. A dedicatione Baſilica Saluatoris appellatur. Hęc enim primò Saluatori Chriſto dedicata fuit, atque eius Imago in pariete eiuſdem Eccleſię depicta Populo Romano apparuit. At uerò inter cętera multa dona, quę Conſtantinus huic Eccleſię largitus eſt, fuit faſtigium quoddam argenteum, habens in fronte Saluatorem ſedentem in ſella quinque pedum, ponderis librarum centum uiginti, cùm duodecim Apoſtolis, &c. ut habetur in libello citato,

Munera data huic Eccleſiæ à Cōſtantino.

lo citato, de munificentia Conſtantini, à qua Imagine tam celebri Saluatoris, exiſtimat Baronius, dictam fuiſſe Saluatoris Baſilicam, & potiùs Saluatoris, quàm Conſtantinianam appellari ad differentiam alterius Baſilicæ eiuſdem nominis, publicis negocijs mancipatæ, quæ poſita erat in Regione tertia, apud Templum Pacis, ut habet Sextus Ruffus, & Publius Victor. Nuncupatur quoque Aurea ab ampliſſimis diuitijs, ornamentiſque præcioſiſſimis in ea contentis. Denique Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ ab eorum inuocatione.

Sextus Rufus Publius Vict.

HANC Eccleſiam Syluester Papa conſecrauit die nona Nouembris, circa annum à Natiuitate Chriſti 320. Habetque poſt antiquiſſimam Porticum, præter alias tres, Portam Sanctam, quæ anno Iubilæi à Cardinali eiuſdem Eccleſiæ Archipresbitero, Summo Pontifice ſic iubente, aperitur; & ab ipſo, anno eodem euoluto, clauditur. Condita ſunt in ea in Ciborio altiſſimo, quod altari maiori præeminet, Capita Apoſtolorum Petri, & Pauli in thecis argẽteis, gemmis præcioſiſſimis exornatis, ex Cappella Sancti Laurentij, quæ aliàs Sancta Sanctorum dicitur, ab Vrbano V. in reditu ex Auenione ad Vrbem tranſlata; quæ tamen iampridem Diuus Syluester ex Vaticano in Lateranenſem locum tranſportauerat: hæc in Anno Sancto ſæpiùs Peregrinis, multis luminaribus adhibitis, maximaque Populorum acclamatione, ac ueneratione oſtẽduntur. In ea ſola ligneum Altare ad formam Arcæ repetitur, ut memoria præteritorum temporum conſeruaretur; à tempore enim Diui Petri uſque ad Syluestrum Pontifices, cùm certo loco ob perſecutiones, & odium Tyrannorum ſtare haudquaquam poſſent, huc, atque illuc diſcurrentes, in Cryptis, ſiue in Cœmeterijs, aut Piorum ædibus ſuper huiuſmodi altari ligneo ad arcæ (ut dictum eſt) ſimilitudinem concauo, diuina faciebant. In quo, cùm Princeps Apoſtolorum, atque alij Summi Pontifices ſæpiùs ſacrificaſſent, honoris gratia ex Decreto eiuſdem Syluestri nemo niſi Summus Pontifex Miſſam celebrat.

Conſecratio huius Eccleſiæ, & eius deſcriptio.

Capita Apoſtolorum Petri, & Pauli in altari maiori.

Sancta Sanctorum.

Antiquum altare ligneum Sanctorum Pontificum.

DAMASVS Papa in ſuo Pontificali in D. Syluestro, & Nicolaus I. locis citatis ac Beda tom. 2. de ſex ætatibus Mundi, uolunt, hanc Baſilicam Lateranenſem eſſe primogenitam omnium aliorum Templorum, & Eccleſiarum, utpotè, quæ prima in toto Orbe Terrarum, in Cœlio monte conſtructa ſit. Magnas habet hæc prærogatiuas, & excellentias; atque inter cæteras, illa recordatione, & obſeruatione digna eſt, quæ in manuſcripto ante quadringentos annos eiuſdem Baſilicæ libro perlegitur, uidelicet, quòd in ea ſolùm Baſilica in Miſſarum ſolemnijs prætermittebatur canere tertiò, iuxta ordinariam Eccleſiæ conſuetudinem, *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, dona nobis pacem*; quaſi ſemper ſumma pace integrè potiretur, nec umquam illa careret, ad inſtar ſupernæ Ieruſalem: numquam in illa alius campanarum uſus uſurpatur, niſi ſolemnis, & feſtiuus, etiam in ferialibus diebus; ut ſignificetur, in ea perenne gaudium reperiri, feſtumque diem, omni atræ noctis obſcuritate remota, perpetuò peragi.

Damaſus. Nicolaus I. Beda.

Huius Eccleſiæ Primatus, & excellẽtia.

NOTA.

IN fronte altaris maioris, quæ Portas reſpicit, aliquæ erant Columnæ æneæ, terra ſancta ex monte Caluariæ, alijſque locis Sanctis Palæſtinæ allata plenæ, ad quas multa fieri ſolent miracula. D. Auguſtinus libro 12. de Ciuit. Dei cap. 8. ſimile quid ſcribit: uidelicet, ad terram ſanctam ex eodem monte Caluariæ deportatam in Aphricam, multa fieri miracula, & ſe cùm alio Epiſcopo eam infodiſſe, & orationis locum ſuper eam conſtituiſſe. Has autem columnas hodie Clemen. VIII. Pont, Max. iuſſu tranſlatas, & eius etiam impenſis undequaque auro delinitas, uidimus in nouo Sacello Sanctiſſimi Sacramenti eiuſdem Baſilicæ collocatas, nobiliſſimo ſanè, atque ſplendidiſſimo artificio, ad aſpicientium oculos ualde oblectandos accommodatiſſimo, & ad diuini cultus honorem elegantiſſimo. Multa ſunt in ea Eccleſia altaria, multæque Indulgentiæ, & remiſſiones peccatorum, quas apud Panuinium, & Serranum, ne actum agamus, legito. Nos pauca de Baptiſterio, quod illi adiacet, deque Sacroſancto Sacello, quod Sancta Sanctorum dicitur, uerba faciamus; enumeratis priùs Concilijs generalibus, quæ in eadem Baſilica celebrata fuere.

Columnæ æneæ plenæ terra Sancta in eadem Eccleſia.

D. Auguſt.

Quot,& quænam Concilia apud hanc Baſilicam celebrata fuerint.

Optatus.

Ennodius.

Pandulphus Piſanus.

Platina.

Tredecim Concilia in Lateranenſi Eccleſia habita ſunt. Et quidem Primum ſub Melchiade, Anno Chriſti 313. Conſtantino, & Licinio tertiùm Conſulibus, ut Optatus Mileuitanus libro primo, contrà Parmenidem, ſcribit: Hoc autem in ędibus Fauſtę in Laterano, decem, & nouem Epiſcoporum, quos idem Optatus enumerat, iam à Conſtantino Melchiadi Romano Pontifici conceſſis, ut dictum eſt, antequam Eccleſia Lateranenſis erigeretur, habitum eſt. Secundũ ſub Iulio Primo, ut in tom. 1. Conciliorum legitur. Tertium, & Quartum ſub Symmacho, ad remouendum ſchiſma ſuo tempore excitatum, ut ſcribit Ennodius Diaconus Romanus in libro aduerſus Calumniatores; quibus ait, ducentos, & triginta Epiſcopos interfuiſſe, ex toto Orbe Chriſtiano coactos. Quintum ſub Gregorio Magno, ut tom. 2. Conciliorum. Sextum ſub Martino Papa, & Martyre contra Hæreticos Monothelitas, ſexaginta octo Epiſcoporum, ut in to. 3. Concil. Septimum ſub Nicolao II. centum & tredecim Epiſcoporum, ut in to. 3. Conciliorum manifeſtum eſt. Octauum ſub Calixto II. CMXVII. Epiſcoporum, ut refert Pandulphus Piſanus in Calixto II. Pontifice. Nonum ſub Innoc. II. mille Epiſcoporum, ut Platina in vita eiuſdem copioſè teſtatur. Decimum ſub Alexandro III. ducentorum octuaginta Epiſcoporum, ut in tom. 3. Conciliorum uidere eſt. Vndecimum ſub Innocentio III. in quo interfuere Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, Archiepiſcopi Græci, & Latini ſeptuaginta, Epiſcopi 412. Abbates, & Priores plus DCCC. Duodecimum ſub Iulio II. vbi præſentes fuere Cardinales ſexdecim, Epiſcopi octoginta ſeptem, ut in tomo quarto Conciliorum abundè narratur. Vltimum ſub Leone X. in quo Cardinales vigintiduo, Epiſcopi octogintaſeptem interfuere. Ex quibus amplitudo, claritaſque, atque uetuſtas Lateranæ Baſilicæ deprehenditur.

Antiqua conſuetudo celebrandi Concilia apud Vaticanum.

Nicolaus I.

Illvd tamen uerißimum eſt, nec ullo pacto diſſimulandum, priſcum, & antiquum morem Romanorum Pontificum celebrandi Concilia fuiſſe apud Eccleſiam Vaticanum, ut cauſæ fidei, ſtatuſque Eccleſiaſtici in eius Eccleſia agerētur, cui à Domino Iesv Chriſto dictum fuit; *Paſce oues meas, & tu aliquando conuerſus confirma Fratres tuos*; nihilominus ob Vaticani loci frigiditatem, & inſalubrem aerem, obque Vaticani ſolitudinem, & diſtantiam, cùm in eo abſque incommodo, & graui periculo, de cætero conuentus Synodales haberi non poſſent, ex huiuſmodi occaſione Patres, relicta illa, ad Lateranenſem ſeſe contulerunt: Quod Nicolaus I. in Epiſtola 10. ad Epiſcopos Conſtantinopolitanos, quæ habetur in octaua Synodo, actione ſeptima, his uerbis enarrat. *Tunc conuocato multarum Prouinciarum Occidentalium Regionum, ſanctiſsimorum Epiſcoporum cœtu, & collecta Sancta Synodo in Eccleſia Dei, in qua Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps corpore redolet, & virtutibus emicat. Deinde propter frigidiorem locum in Eccleſia Saluatoris, quæ ab Auctore appellatur Conſtantiniana; & quæ prima in toto Terrarum Orbe conſtructa eſt: Ibiq; recitatis omnibus Scripturis de græco ſermone in latinum conuerſis, &c.* Liber Pontificalis enarrat, Beatum Symmachum Manichæos in Vrbe Roma inueniſſe, eorumque omnia ſimulachra, & Codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ, incendio concremaſſe, ipſoſque exilio relegaſſe.

De Baptiſterio Conſtantiniano.

Euſebij opinio.

D. Hieron.

Verum nunc de Baptiſterio nonnulla commemorãda ſunt. Nam uetuſtiſſima quæſtio eſt, an Conſtantinus Imperator Romæ fuerit baptizatus, & in quo loco. Evsebivs Pamphylus Epiſcopus Cæſarienſis, ſignifer, & Princeps Arianorum (ut eum D. Hieronymus tom. 2. Epiſtol. 65. & in Apologia aduerſus Ruffinum, & alibi ſæpe nominat) libro quarto de vita Conſtantini, capite 61. & 62. affirmat, non Romæ, ſed in Suburbanis Nicomediæ ab Arriano Epiſcopo, in extremis uitæ ſuæ, baptizatum fuiſſe. Quem errorem multis aliorum mendaciorum pigmentis, fuciſque, ut ueriſimilis redderetur, colorauit; nempè, quòd Conſtantinus ad extremam uſque ſenectutẽ Baptiſmum diſtulit; quòd quadam tunc inęquali corporis intemperie cum uehemẽtiori dolore affectus, in Eliopoli de delendis per ſalutare lauacrum peccatis conſilium iniret; quòd in gurgitibus Iordani fluminis, in quibus Saluator noſter ad noſtrum exemplum baptizatus eſſe memo-

ratur

ratur, Sacrum Baptiſmum ſuſcipere conſtituerat; quòd ſi ex ea infirmitate conualeſceret, uiuendi leges ſibi, quę ſeruo Dei coueniunt, ponere haudquaquam diſtuliſſet; quòd ab Arriano Antiſtite, Euſebio nempè Nicomedię Ciuitatis Epiſcopo, (quod ex eius aſſertione neceſſariò conſequitur) baptizatus fuerit, immò rebaptizatus; & tandem quòd ex omnium Imperatorum memoria, ſolus Conſtantinus in Chriſti Confeſſionibus renatus, & ſacris initiatus, diuinoque ſigillo donatus, &, ſpiritu lętitiam concipiens, prorſuſque nouus redditus, ac diuina oppletus luce per immẽſitatem fidei, incredibiliter quidem animo geſtiebat, ſed ad clariſſimam, & euidentiſſimam uim diuinę maieſtatis obſtupeſcebat.

Sed, ò inſignes errores, ò fallaces impoſturas: Nonne Chriſtianiſſimus Imperator Nicæno Concilio interfuit? ut Dalmatianus Epiſcopus Cyzicœnus lib. 2. Actorum Nicæni Concilij. & Theophanes Græcus, Antiquus, & fidelis hiſtoriarum Scriptor affirmant? Nonne diuinorum myſteriorum particeps effectus fuit? Nonne orationem cum diuinis Patribus habuit? Nonne in Sanctiſſimo die Paſchatis ſacris interfuit myſterijs, & cùm cęteris uota, preceſque Deo perſoluit? ut ipſemet Euſebius in cap. 22. 56. & 57. citati libri teſtatur? Nonne Romanæ Synodo à Syluestro coactæ interfuiſſe exordium eiuſdem Concilij abundè commõſtrat? Quæ omnia hominem Chriſtianum, & baptizatum, non ſolùm Cathecumenum, qui iuxtà ritum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, peracta inſtructione, initio Sacrorum extrà Eccleſiam arcetur, ſupponunt, & requirunt. Falſum igitur eſt, Conſtantinum ad decrepitam ſenectutem, uel uſque ad extremum diem uitæ ſuæ Baptiſmum diſtuliſſe, quod aſſere bat Euſebius: ſed nec eſt uerisimile (ut Baronius nõ tauit) poſt uigintiſex annos, ex quo Conſtantinus Chriſtianus eſſe cępit, nunquã in morbum antea incidiſſe, ut tunc primùm per Baptiſmum peccata expiare decreuerit: At ſi aquis Iordanicis baptizari exoptabat, cur non id fecit precedenti anno ante obitum, quando Hieroſolymam profectus, ex omnibus Orientis partibus Epiſcopi ab eo uocati cõuenere ob Encęniorum celebritatem Hieroſolymis inſtitutam, ut ipſemet Euſebius cap. 43. & 45. & Theodoretus lib. 1. cap. 31. ſcribunt? Quod ſi in Perſas in hac ſumma ſenectute ſua expeditionem parabat, immò cùm Epiſcopis ad huiuſmodi bellum, eductis exercitibus, cùm tabernaculo ad inſtar Eccleſię conſtructo; in quo Deo Victoriarum Datori, ipſe cùm Epiſcopis ſupplicaret, ſeſe accingit; quonam pacto ſine Baptiſmo id facere auſus eſſet? Certè, eius exemplum ſequutus, Conſtantius eius filius, non niſi poſt Baptiſmum, aduerſus Magnentium pugnare uoluit: ſed quod narrat in cap. 57. Conſtantinum in die Paſchatis cùm cęteris uigilem pernoctaſſe; uota, preceſque Deo perſoluiſſe; omninò illum falſitatis redarguit. Hęc enim, non niſi à planè Chriſtiano, ſacroque Baptiſmate initiato fieri ſolent.

Quòd autem ſi ſanitatem, ac longiorem uitam à Deo obtinuiſſet, ſecundùm Dei leges uiuere non tardaſſet, ut narrat Euſebius: An non contradicit his, quę idem cap. 21. 22. 23. 24. & 25. ſcribit; nempè, quòd Crucis trophæû etiam in ipſis armis inſculpi mandauerit, quòd celebritas Paſchę ſummopere, & à ſe, & ab alijs ſuo iuſſu obſeruata fuerit, quòd Idolorum cultum, & ſacrificia uetuerit; quòd Martyres, & feſtorum celebritates honorauerit: tantopere uerò Conſtantini Religionem extollit, ut illum quaſi Sacerdotem quemdam ſacra facientem dixerit; immò quaſi Epiſcopum externarum rerum in Dei Eccleſia, pro maximo Religionis ſtudio Conſtantinum ſe nominaſſe, ex proprio auditu ſcripſerit. Quòd ſi ab Ariano Epiſcopo baptizatus eſt, (ut etiam Theodoretus lib. 2. cap. 32. Hieron. & Iſidorus in Chronico) utique ab Eccleſia Catholica omninò alienum, & pręciſiſ ex hac uita migraſſe, affirmandum eſt. At quonam pacto Gręci omnes ſolemni celebritate Conſtantinum, ut ſanctum colunt? An non in tabulis Gręcorum inter ſanctos relatus, anniuerſario natali die recolitur? Nonne ab Epiphan. Hereſ. 70. à Cyrillo Catecheſ. 14. ab Ambro. in oratione de obitu Theodoſij, & ab alijs Patribus, quos paulò poſt citabimus, Sanctus ac beatus appellatur? Eutropius ſcribit libro decimo, Conſtantinum inter Diuos relatum fuiſſe: & ex actis Concilij Chalcedonenſis,

Refelluntur errores, & mẽdacia Euſebij Dalmatianus Theophanes.

Euſeb.

Baronius.

Euſeb. Theodor.

Euſeb.

Theodor. Hieron. Iſidor.

Epiphan. Cyrill. Ambroſ. Eutrop. Conc. Chalc.

cedonenſis, quantæ religionis extiterit, dignoſcitur; dum Marcianus Imperator,

Nicolaus I.

Principum religioſiſſimus, nouus Conſtantinus acclamarur; & ex Epiſtola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem, quæ ſic habet. *Quanta autem Dei cultorum Auguſtorum, qui Eccleſiam Dei exaltauerunt, & præcipuè Romanam, Conſtantini uidelicet, & Conſtantis, Theodoſij quoque maioris, & Valentiniani, cæterorum laus in uniuerſali Eccleſia polleat, eorum præconia ubique perſonent, & nomen eorum inter ſacra myſteria imprætermiſſè commemoretur, attentiùs, & ſedulò recordamini, ſicque nos audi-*

Concilia tempore ipſius Conſtantini celebrata.

te, illos imitantes, ſatagite. Quid? quòd eius tempore, eiuſque auxilio, ac fauore, generalia Concilia ad fidem Chriſtianam propagandam, confirmandamque celebrari cœperunt, ac primùm Nicænum, in quo ipſe, ut diximus, interfuit: quod quidem celebratum fuit, ab anno Domini 327. uſque ad annum 330. qui fuit annus 15. Syluestri Papæ, & uigeſimus Conſtantini. Nec eo anno, id eſt, vigeſimo Conſtantini, & poſtremo Nicæni Concilij, Iulius Sedi Apoſtolicæ præſidebat;

Sozomen. Caluinus. Ioach.Came. Damaſus. Theodoret. Hieron. Sexta Synod. Conc.Florẽt. Photius.

ut Sozomenus ſcripſit libro 1. cap. 16. & ex illo Caluinus libro 4. Inſtit. cap. 7. §. 1. & Ioachimus Camerarius in hiſtor. Nicænæ Synodi; ſed Syluester, in cuius temporibus hanc Synodum factam eſſe, ſcribunt Damaſus in Pontificali, Theodoretus libro primo hiſtoriarum cap. 3. Hieronymus in Chronico, Sexta Synodus actione 18. & Florentinum Concilium ſeſſ. 3. Vnde errauit Photius in libro de ſeptem Synodis, dicens, tempore Syluestri, & Iulij hanc Synodum incidiſſe.

Euſeb. Socrat. Bellarm. Iſidorus.

Quòd autem Concilium Nicenum finem acceperit anno uigeſimo Imperij Conſtantini, ſcribunt Euſebius libro 3. de Vita Conſtantini, & Socrates libro primo hiſtoriarum cap. 10. ſed de his fuſiùs lege Bellarminium libro primo de Concilijs capite quinto. Vndè Iſidorus in præfatione Conciliorum ſcribit, ante Conſtantini tempora, Eccleſiam diuiſam fuiſſe in uarias hęreſes; quòd ob perſecutiones Imperatorum non dabatur Epiſcopis facultas congregandi Concilia, in quibus plebes docendę erant; quod dictum de generalibus Concilijs, non de parti-

Bellarm.

cularibus accipiendum eſt, ut benè à Bellarm. cap. 10. notatum fuit, cùm conſtet, ante Imperium Conſtantini, particularia Epiſcoporum Concilia plurima celebrata fuiſſe, & per illa multas hęreſes penitùs extinctas eſſe.

Concilia ſolum Pontificũ auctoritate celebrata fuiſſe, contra Pighium.

Errauit autem turpiter Pighius libro 6. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 1. dum dixit, conuocationem Conciliorum generalium inuentum eſſe Magni Conſtantini: hoc, inquam, falſum, & hæreticum eſt. Quamuis enim demus, ante Conſtantinum nulla eſſe facta Concilia generalia; id fatendum quoque eſt, non ex defectu auctoritatis, quæ ſemper fuit in Eccleſia, effectum fuiſſe; ſed ex defectu opportunitatis; ob aſſiduas enim perſecutiones non fas erat Chriſtianis, ex multis

Iſidor.

regionibus in locum unum conuenire, ut Iſidorus lib. 6. Ethymolog. cap. 16. notauit. Nec Conſtantinus pro ſuo arbitrio, & excogitatione Nicęnam primam Synodum indixit, & congregauit; ſed conſenſu, & iuſſu Syluestri; ſic enim legimus

Sexta Synod. Damaſus. Ruffinus.

in Sexta Synodo actione 18. quod Damaſus in ſuo Pontificali planè affirmauit, ſcribens, cùm Syluestri conſenſu habitum eſſe in Nicęa Concilium; & Ruffinus lib. 10. Hiſtoriarum cap. 1. dicens, Conſtantinum ex ſententia Sacerdotum Concilium indixiſſe: ſed ſi à Gręcis ipſis teſtimonia de Conſtantino petenda ſunt, Ni-

Niceph.

cephorus lib. 16. cap. 41. ſuę Eccleſiaſt. Hiſtor. defendens illum à fœditate auaritię, quam Zozimus ei impingit; nonnè illum appellat uerum fidei propugnatorem, & fidei ducem?

Verum hic miſſa faciamus innumera, & aliorum Gręcorum, & Latinorum teſtimonia de egregia pietate Chriſtiana Conſtantini; quę ad redarguendum Euſebium ſatis, ſuperque eſſe debent; qui etiam in eo peccauit, quòd oblitus fuerit eorum, quę libro 6. cap. 27. ſuę hiſtorię ſcripſerat: Philippum nempè; qui fuit Anno Chriſti 246. licèt breuiſſimo tempore ſuperuixerit, ex Imperatoribus Romanis, Chriſtianum fuiſſe; non tamen ad conuentum fidelium acceſſiſſe, propter multa ſcelera ab eo patrata, eo impediente, qui tunc Eccleſię prę erat, Fabiano Papa, niſi prius pœnitentium numero, qui ordine, & loco ſuo ſegregati erant, aggrega-

Nicephor.

retur; nec receptus fuit, niſi prius confeſſis peccatis: quod etiam Nicephorus libro 5. cap. 25.

5.cap.25.& Ruffin. ca.25.narrant. Vincent.Lyrin.aduerſus Hęreſes ca.23.Oro- Ruffin.
ſius lib.7.Caſſiod.in Chron. Vſuard.& Ado in Martyrolog. Hic enim Philippus Vinc. Lyrin.
Anno Chriſti 246. non quidem primo anno ſui Imperij, ut optimis coniecturis Oroſius.
ait Cardinalis Baron. tom.2. Annalium, ſed ante quartum, à B.Fabiano Primo Caſſiod.
Pontifice baptizatus, Chriſti fidem ſuſcepit, ſanctiſſimiſque legibus, & pijs decre Vſuard.
tis Chriſtianos à garrulorum poetarum linguis defendit, ut uidere eſt in Cod.de Ado. Baronius.
profeſſ.lib.10.l.poetæ. Quid?quod etiam eius filium ſimiliter Philippum appella
tum, Sacro Baptiſmate ab eodem Fabiano tinctum fuiſſe, docent Acta Martyris
Pontij apud Surium to.7. die 14.Maij, & Aurelius Vict.in Philippo. Non igitur Surius.
ſolus Cõſtantinus ex omnium Imperatorum memoria primus Chriſtianus fuit; Aurel. Vict.
quod etiam Ambroſius, Euſebium ſequutus; in oratione habita in Obitu Theo- Ambroſ.
doſij, dixit. Nec deſunt, qui affirment, ante annos 300.à Chriſto, præter Philippũ
fuiſſe aliquem alium ſecularem Principem Chriſtianum in Prouincijs nõ ſubie-
ctis Romano Imperio; Fuit enim ante eius tempora, Anno videlicet Chriſti 183.
in quadam Prouincia Romano Imperio non ſubiecta, Britannia ſcilicet, Rex Lu-
cius nomine, qui ad Eleutherium Romanum Pontificem legatos mittens, à Fuga
tio, & à Donatiano, ſeu Damiano, ut Sanderus legit, ab eodem Pontifice in Britã
niam miſſis, Chriſtianę Religionis initia, & documenta ſuſcepit; cum etiam in eo
dem Regno aliquandiu ante lux Euangelica effulſiſſet, vt Gildas ſapiens de exci- Gildas.
dio Britann.& ex eo Polidor. lib.2.& 4.Beda de geſtis Anglorum lib.1.cap.4.& Polidor.
Ado in Chronic. Vnde rectè dixit Tertullianus aduerſus Iudæos cap.7. ſic ſcri- Beda. Ado.
bens. *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto ſunt ſubdita.* Verùm his Euſe- Tertull.
bij exploſis mendacijs, nec erit difficile primum Euſebij errorem; & tamquam
aliorum fundamentum, euertere, & confutare; ſed prius religio illius ex probatis
Auctoribus patefacienda eſt. Arrianum fuiſſe Euſebium Cęſarienſem, Arrijque Euſebium
partes in Nicæno Concilio fouiſſe, nemo eſt, qui ignoret. Quam impietatem, ui- fuiſſe Arria-
uente Magno Conſtantino, potius ſuppreſſit, quàm depoſuit: Eo verò mortuo, & num.
Conſtantio in Arrianorum hæreſim prolapſo, in illius, & Arrianorum gratiam,
omni conatu, omnibuſque neruis Concilij auctoritatem extenuare conatus eſt;
uiginti tantùm Canones in hiſtoria eiuſdem Concilij recenſens; aſſerens, in vita
Conſtantini, propter diſſidium Paſchatis illud coactum fuiſſe: Vnde, ut Conſtan
tio iam Arriano rem gratam faceret, eiuſque nutibus obtemperaret, in pręſidium
hæreſis Arrianæ, Conſtantinum tempore Concilij Nicæni, contra omnem anti-
quitatem, baptizatum nõdum eſſe ſcribit, quòd in Iordane ab Arriano Epiſcopo
baptizari poſtremò uellet, cumque Nicomediæ in ultima ſua ſenectute baptiza-
tum fuiſſe, aſſerit; ex qua ſententia hiſtoriam de lepra Conſtantini, deque uiſione
in ſomnis Apoſtolorum, de miſſione nunciorum ad Soractem Montem; de Bea-
to Syluestro Conſtantinũ de rebus fidei erudiẽte, & baptizante; & poſtremò om
nem dignitatem Lateranenſis Baptiſterij omninò deleret, & reijceret. Quæ tamẽ
omnia ex antiquiſſimis, probatiſque auctoribus tam Græcis, quàm Latinis, ſupe-
riùs à nobis citatis, ueriſſima eſſe, ſatis, ſuperque oſtenſum eſt. Certè Nicephorus Nicephor.
libro 7.cap.33.34.& 35. huius rei ſeriem, ueramque hiſtoriam ſcripſit: Arriano-
rum quoque mendacia, & abſurditates, & Comœdias, (ut eius uerbis utar) quas
illi de Baptiſmo Conſtantini confingunt; egregiè confutat; Lepræ Conſtantini
mentionem facit, eumque à Syluestro baptizatum, & cœlitùs à lepra in eo mun-
datum fuiſſe, enarrat; Baptiſterium, quod adhoc uſque tempus, eius rei gratia, in
teſtimonium certiſſimum, Romæ aſſeruatur; profert in argumentum conſtantiſ-
ſimum huius ueritatis. Denique non Nicomediæ, ſed Romę baptizatum fuiſſe,
Eccleſiam uniuerſalem certò pręcicare, dicit. Vndè Zonaras, loco antea citato, Zonaras.
de leprà Conſtantini, deque uiſione Apoſtolorum in ſomnis meminit. Sicut etiã
Theophanes, qui ante ſeptingentos annos ſcripſit, & alij Gręci, quos ſuperiùs ci- Theophanes.
tauimus; apertè affirmant, Romę à Syluestro Conſtantinum baptizatum fuiſſe:
hunc in modum Theophanes ſcribit loco ſuperiùs adducto. *Hoc anno,* inquit; *ut
nonnulli ferunt, Magnus Conſtantinus cum Criſpo filio Romæ à Syluestro baptizatus eſt,*

quemad-

quemadmodum hi, qui Romæ habitant; uſque in hanc diem in teſtimonium oſtendunt locũ Baptiſmi, ſiue Baptiſterium, quòd Romæ ſit à Silueſtro baptizatus poſt ſublatos Tyrannos. At Orientales ferunt, eum ab Euſebio Nicomedienſi Arriano ſub extremum vitæ tempus baptizatum; ubi etiam fato functus ſit. Ferunt enim, eum diſtuliſſe Baptiſmum, quòd ſperaret in Iordane flumine baptizari: ſed mihi verius videtur, eum à Sylueſtro Romæ fuiſſe baptizatum, & conſtitutiones, quæ nomine eius circumferuntur ad Melchiadem, fictas eſſe ab Arrianis, qui ſibi hinc gloriam aucupari ſtuduerunt, vt pium Imperatorem maculare niterentur, ipſum ſinè Baptiſmo fuiſſe, aſſerentes; quod planè abſurdum eſt, ac falſum. Si enim non erat baptizatus in Concilio Nicæno, ſupereſt, vt neque diuinorum myſteriorum fuerit particeps, nec orationem cùm diuinis Patribus habuerit; quod dicere, & cogitare abſurdiſſimum eſt. Cæteri verò Arriani, & Pagani calumniantur, uti Spurium magnum Conſtantinum; qui & ipſi mentiuntur. Nam genus eius ante Diocletianum fuit: ſiquidem pater eius Conſtantinus ſororius erat Claudij Imperatoris; & ex prima vxore Helena ſuſcepit magnum Conſtantinum; ſuſcepit autem alios filios ex Theodora filia Maximiani, filij Herculij; quæ ſoror erat Maxentij, qui Romæ tyrannidem exercuit; interfectuſque eſt à Conſtantino ad Pontem Miluium, quando ſignum Crucis conſpexit in Cœlo. Soror item erat Fauſta vxoris magni Conſtantini: neque quiſquam admiretur, ſi ante Baptiſmum, cùm adhuc eſſent Pagani, duas ſorores accipiebant Pater, & filius: eſt autem genus eorum ad hunc modum. Hactenus Theophanes.

Constantinus legitimis ortus natalibus.

Quæ teſtimonia, cùm ab aduerſarijs deprompta ſint: ſemper enim Græci Romanę Eccleſię primatum impugnarunt; eò firmiora nobis eſſe debent. Sed multis alijs Scriptorum auctoritatibus prætermiſſis, vnico Adriani primi Summi Pontificis, qui ante octingentos annos ſcripſit, poſt Cõſtantinum verò quadringentos plus minus, contentus ero; quod etiam ſcribitur tomo 3. Concil. in actione 2. ſeptimę generalis Synodi, iuxtà verſionem Anaſtaſij Bibliothecarij. Hic Epiſtolam ſcribens, *Dominis pijſſimus, & Beatiſſimis Victoribus Imperatoribus, ac triumphatoribus filijs diligendis in Deo, & Domino Noſtro* IESV *Chriſto, Conſtantino, & Irinæ Auguſtis. Vt imaginum ſacrarum vſum, orthodoxamque fidem Catholicam retinerent, ſicut piæ memoriæ Dominus Conſtantinus, & Beata Helena fecerunt;* Hiſtoriam imaginum Apoſtolorum, quę in quiete Conſtantino apparuere, enarrat his verbis, videlicèt. *In ipſis enim exordijs Chriſtianorum cùm ad fidem conuerteretur Pius Imperator Conſtãtinus ſic legitur: Tranſacta die, nocturno Regi facto ſilentio, ſomni tempus aduenit: & ecce adſunt Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, dicentes, Quoniam flagitijs tuis poſuiſti terminum, & effuſionem Innocentum ſanguinis horruiſti, miſſi ſumus à Chriſto* IESV *Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergò monita noſtra, & fac omnia, quæcumque indicabimus tibi: Sylueſter Epiſcopus Ciuitatis Romæ ad Montem Soractem perſecutiones tuas fugiens in cauernis petrarum cum ſuis clericis latebras fouet: hunc cùm ad te adduxeris, ipſe tibi piſcinam oſtendet, in quam dum tertiò merſerit, omnis te ualetudo deſeret lepræ: quod dum factum fuerit, hanc viciſſitudinem Saluatori tuo compenſa, vt omnes iuſſu tuo per Orbem totum Romanæ Eccleſiæ reſtaurentur. Tu autem in hac parte purifica te, vt relicta omni ſuperſtitione Idolorum, Deum vnum, qui uerus, & ſolus eſt, adores, & excolas, & ad eius voluntatem attingas. Exurgens itaque à ſomno, ſtatim conuocat eos, qui obſeruabant Palatium, & ſecundum tenorem ſomni ſui miſit ad Montẽ Soractem, vbi Sanctus Sylueſter cùm ſuis Clericis receptus, lectionibus, & orationibus inſiſtebat. At vbi à militibus ſe conuentum vidit, credidit, ſe ad Martyrij coronam euocari; & conuerſus ad Clerum omnem, qui cùm eo erat, dixit: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Profectus itaque (vt dictum eſt) peruenit ad Regem, cui nunciatus cùm tribus Presbiteris, & duobus Diaconis introiuit, ingreſſus dixit; Pax tibi, & Victoria de Cœlo miniſtrentur. Quem cùm Rex alacri animo, & vultu placidiſſimo ſuſcepiſſet, omnia illi, quæ facta, & quæ dicta ſunt, quæ etiam reuelata ſunt, ſecundùm textum ſuperius comprehenſum, expoſuit. Poſt finem verò narrationis ſuæ percunctabatur, qui eſſent Dij Petrus, & Paulus, qui illum viſitarent, ob cauſam ſalutis ſuæ, & eius latebras detexiſſent, Sylueſter reſpondit: Hi quidem dij non ſunt, ſed idonei ſerui Chriſti, & Apoſtoli electi ab eo, & miſſi ad inuitationem Gentium, vt credentes ſalutem conſequantur. Cumque, et hæc*

Bibliothecarius.

Epiſtola Adriani Primi Summi Pontificis.

ſimilia Auguſto diceret Papa, interrogare cæpit Auguſtus; Verùm nam illos Apoſtolos haberet aliqua imago expreſſos, ut ex pictura diſceret hos eſſe, quos reuelatio docuerat. Tunc Sanctus Syluester, miſſo Diacono, imaginem Apoſtolorum ſibi exhiberi præcepit; quam Imperator reſpiciens, ingenti clamore cæpit dicere, ipſos eſſe, quos viderat, nec debere iam differre Spiritum Sanctum oſtenſionem Piſcinæ, quam ipſos promiſiſſe ſuæ ſaluti, memorabat. Hactenus Adrianus. Quæ omnia, & ſingula nedum Conſtantino, & Irenæ ſcripſit, verùm etiam coràm vniuerſo Concilio, vbi de Imaginum veneratione agebatur, ex huiuſmodi hiſtoria teſtimonium protulit. Interfuerunt in eo trecenti quinquaginta Patres, ex omnibus Orbis partibus congregati, ad dogmata Chriſtiana pertractanda; omnes ſanctiſſimi, ac doctiſſimi viri; quibus à Summo Pontifice non niſi, quod verum eſſe conſtaret, ſcribi, aut proferri potuit. Idipſum de Baptiſmo per Conſtantinum à D. Silueſtro receptum habetur in Concilio Romano ſub Silueſtro capite 1. in Actis Liberij Papæ cap. 1. & 46. in Sexta Synodo actione 4. in Epiſt. Nicolai Primi ad Michaelem Imperatorem; apud Diuum Hierony. tom. 9. in Epiſtola ad Euſtochium, apud Leonem Epiſtola 6. ad Nicolaum Imperatorem, D. Thomam Opuſc. 20. lib. 3. de regim. Princip. cap. 16. & 17. Marianum Scotum in Vita Marci.

Conc. Rom.
Acta Liberij.
Sexta Synod.
Nicol. Prim.
D. Hieron.
D. Thom.
Mar. Scotus.

CARDINALIS Baronius tom. 3. ſcribit (auctore Plinio lib. 26. cap. 1.) lepræ morbum frequentiſſimum in Ægypto eſſe, regiaſque ac purpuratas perſonas eo morbo, quem elephantiacum appellant, ſicut lepra appellata eſt; ſæpius affectos fuiſſe, nec aliter curari, quàm ex humano ſanguine confecto balneo. Quid igitur mirandum, ſi huiuſmodi infantium ſanguinis balneum ſibi ad curationem lepræ Cõſtantinus præparari iuſſerat? Verba Plinij ſunt hæc, quæ ſequuntur. *Aegypti peculiare hoc malum, & cum in Reges incidiſſet, populis funebre: Quippè in Balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad medicinam.* Hæc Plinius. Quibus addendum eſt, apud acta Ioannis, & Pauli à Terentiano ſcripta, atque etiam apud acta Liberij per uetuſta teſtatum reperiri, Conſtantiam Magni Conſtantini filiam lepræ quoque morbo laboraſſe.

Frequens lepræ morbus apud Aegyptios ex Plinio apud Baronium.

VERVM hoc in loco aliqua uerba D. Ambroſij in oratione in obitu Theodoſij, exponenda ſunt; loquens enim de Conſtantino ait. *Cui licet Baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto, omnia peccata dimiſerit: tamen, quod primus Imperatorum credidit; & poſt ſe hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* In ultimis, dicit, ferè conſtitutum, quòd ingenti, & pernicioſa plaga laboraret; *Quæ* (ut inquit Nicephorus libro 7. cap. 33.) *per corpus totum ſerpens, atq; id ipſum exulcerans, ac ueluti unum uulnus efficiens, anhelitum eius, quem acerbè, & grauiter ducebat, frequenter, atque adeo continuè rumpebat; & paulo poſt in lepram, radicibus altè actis, corpore toto euadit, &c.* Neque ullo modo D. Ambroſius dicit, Conſtantinum Nicomediæ baptizatum fuiſſe; Vel certè, liberè concedendum eſt, ipſum Euſebium fuiſſe ſecutum, & in hoc hiſtoriæ facto cùm illo erraſſe: ſed quonam pacto uerè diceret, Conſtantinum magni meriti locum reperiſſe, ſi ab Arrianis Arrianus quoque ipſe, & à fide Catholica Apoſtata deceſſit? quomodo fidem Catholicam tranſmiſit ad poſteros Reges, ſi fidem baptizantis Arriani ſequutus eſt?

Explicantur verba D. Ambroſij.

Nicephorus.

QVAE uerò D. Hieronymus in Chronico, in extremo anno Imperij Conſtantini ſcribit: uidelicèt, ſub his omninò uerbis. *Conſtantinus extremo uitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arrianum dogma declinat, à quo uſq; in præſens tempus Eccleſiarum rapina, & totius Orbis eſt ſequuta diſcordia. &c.* Hæc inquam uerba Cardinalis Baronius parui facit, nec à Diuo Hieronymo, ſed ab alio illa uerba appoſita fuiſſe, credit: quandoquidem ipſemet D. Hieronymus contra Vigilantium ſcribens Epiſt. 53. tom. 2. ſummopere laudat Conſtantinum, tamquam uerè Catholicum Principem. *Ergò*, inquit, *ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Thimothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, illorum ſe ſentire præſentiam confitentur?* Quod ſi in Arriana fide mortuus eſſet, tamquam ſacrilegus condemnandus, & in exemplum cùm

D. Hieronymus etiam defenditur.

Baronius.

Auguſto

Auguſto Arcadio, & Sanctis Epiſcopis, minimè præferendus fuiſſet. Idem in Epiſtola 133. ad Marcellam, commendat Conſtantinum; quòd Rheticium Auguſtudunenſem Epiſcopum ſub Syluestro Epiſcopo, ob cauſam Montenſium Romam miſerit.

Athanaſius.

D. ATHANASIVS, in oratione prima aduerſus Arrianos, & in Apologia ad Cõſtantium, agens de Conſtantino iam mortuo, ſæpe illum uocat pium, fœlicis memoriæ, & religioſiſſimum, illumque ſæpiùs excuſat de exilio ſibi tradito; ob quam cauſſam ineptè Luciferus Callaritanus libro primo pro Athanaſio, Conſtantino notam hæreſis impegit.

Luciferus Callaritan.

Conc. Arim. exponitur. Theodoret. Socrat. Sozomen.

NEC illud, quod ex Concilio Ariminenſi aduersùs hanc Catholicam ueritatem obijci ſolet, magnum negocium facit; vt enim legitur apud Theodoretum libro 2. cap. 19. apud Socratem lib. 2. cap. 29. & apud Sozomenum libro quarto, cap. 17. in Synodica Epiſtola eorum Epiſcoporum, qui illi Concilio interfuerunt, ad Conſtantium ſcriptam, habentur hæc expreſſa verba. *Cùm igitur intelligamus, Conſtantinum Principem certè omnium Poſterorum memoria poſt mortem celebrandum, diligenter elaboraſſe, ut fides illa Nicæa literis prodita, accuratiſſimè perquiſita, exploratáq; eſſet: Abſurdum ſanè videretur, eo iam poſt acceptum Baptiſmum vita defuncto, & ad tranquillitatem ſibi debitam profecto, aliquid in ea nouare, & tot Sanctos Confeſſores, & Martyres, qui huius doctrina auctores, inuentoreſq; fuerunt; quique ut uetus Eccleſia Catholica poſcebat inſtitutum, omnino ſenſerunt, in eoq; perſtiterunt perpetuò, prorſus contemnere.* Hæc ibi: ut enim benè notauit Cardinalis Baronius tomo 3. mendosè, & falsò ibi legitur Conſtantinus, cùm debeat legi Conſtantis, ut legit D. Athanaſius, in ſuo Commentario de Synodis, in particula, de Synodo Ariminenſi. Hic enim poſt ſuſceptum Baptiſmum, paulò poſt à Magnentio Tyranno necatus fuit, ut idem Athanaſius in Apologia ad Conſtantium innuit; quæ omnia uberiùs apud eumdem Cardinalem Baronium legi poſſunt. Concilium autem Ariminenſe, ut etiam id obiter attingamus, nullam habet in Eccleſia auctoritatem, cùm in eo ſublatum fuerit è Symbolo nomen ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialem; ex cuius uerbi græci obſcuritate Catholici Epiſcopi, uim uerbi non intelligentes, Arrianorum Decreto conſenſerunt. Vnde poſtmodum ad moniti, fallaciam agnoſcentes, errorem ſuum correxerunt: Teſtatur hoc Ruffinus libro 10. cap. 21. De huius Concilij retractatione lege Nicephorum libro 8. hiſt. cap. 18. & ſequentibus; Damaſum in Epiſtola ad Epiſcopos Illyrici, Baſilium in Epiſtola 52. ad Athanaſium, Ambroſium Epiſt. 32. Auguſtinum libro tertio, contra Maximinum cap. 14. & Hieronymum aduerſus Luciferianum. Sed ad Conſtantini lepram, & Baptiſmum ſermo reuertatur.

Card. Baron. D. Athan. Conc. Arim. non habet auctoritatem in Eccleſia. Ruffin. Nicephor. Damaſus. Baſil. Ambro. Auguſt. Hieron.

Damaſus. Munera in Baptiſterio à Conſtantino oblata.

NON infimum huius rei teſtimonium faciunt, quæ Conſtantinus poſuit in loco, ubi Romæ baptizatus fuit; narrat Damaſus in uita Syluestri, Conſtantinum in loco Baptiſterij hęc poſuiſſe munera profectò memoranda. *In labro fontis agnũ ex auro puriſſimo, fundentẽ aquam, ponderis librarum triginta; ad dexteram agni, Saluatorem ex argento puriſſimo, in pedibus quinque, librarum centum ſeptuaginta: in laua agni, Beatum Iohannem Baptiſtam ex argento in pedibus quinque, tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: librarum centum; ceruos ex argento ſeptem, fundentes aquam, ponderis ſingulos librarum octingentarum. Thymiamaterium ex auro puriſſimo librarum decem cùm gemmis praſinis, & hyacintinis, undique numero gemma quadraginta duæ.*

Bibliothecar.

ANASTASIVS Bibliothecarius, & habetur tom. 1. Concil. in Syluestro, nonnulla enarrat, quæ opus Baptiſterij huiuſmodi mirificè illuſtrant. *Fontem,* inquit, *ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus, ex lapide prophyretico, & ex omni parte coopertum, intrinſecùs, & foris, & deſuper, & quantum aqua continet ex argento puriſſimo librarum trium millium, & octo: In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro puriſſimo, penſantem libras quinquaginta, ubi ardens balſami libra ducenta, annexum ex ſtipe amanti.* Munera igitur præcioſiſſima, & per quàm maxima Conſtantinus huic ſacro fonti elargitus eſt, redditusque uberrimos, quos ex

Damaſo, & Bibliothecario Panuinius, & deinde Baronius referunt, non ſolùm in Italia, ſed etiam in Aphrica, & Græcia. Panuin. Baron.

Mvlti quoque Summi Pontifices poſt Syluestrum, hoc Sacroſanctum Baptiſterium maximis ornamentis decorarunt, & illuſtrarunt, ut Sixtus Tertius. In libro enim quarto de Romanis Pontificibus ſuperiùs citato, de Sixto ſcribitur. *Fecit in Baſilica Conſtantiniana ornamentum ſuper fontem, quòd antea non erat: id eſt, Epiſtylia marmorea, & columnas porphyreticas erexit, quas Conſtantinus Auguſtus congregatas dimiſit, iuſſitq́; ut erigerentur, quas & uerſibus exornauit, qui ſic ſe habent in octangulato opere, binis in ſingulis Epiſtylijs exaratis, uidelicet.* Ornamenta Baptiſterij à Summis Pontificibus. Lib. Ro. Pon.

Gens Sacranda Polis hic ſemine naſcitur almo,
Quam fœcundatis ſpiritus edit aquis.
Virgineo fœtu genitrix Eccleſia natos,
Quos ſpirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum Regnum ſperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita ſemel genitos.
Fons hic eſt vitæ, qui totum diluit Orbem,
Sumens de Chriſti vulnere principium.
Mergere Peccator ſacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet unda nouum.
Inſons eſſe uolens, iſto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine, ſeu proprio;
Nulla renaſcentum eſt diſtantia, quo facit unum,
Vnus fons, unus ſpiritus, una fides.
Nec numerus quemquam ſcelerum, nec forma ſuorum,
Terreat: Hoc natus flumine ſanctus erit.

Adrianus quoque Quartus, & alij, quos idem Panuinius enumerat, idem Baptiſterium mirificè exornarunt: Atquè, ut ſermonem de Baptiſterio, (quantùm ad noſtrum inſtitutum attinet) concludamus, quiddam ualdè notandum adijciamus.

Illvd quippè ultimò adnotandum eſt, Caietanum affirmare in Comment. ſuper tertiam partem quæſt. 69. artic. 8. quem ſequutus eſt Sotus in quarto, diſtin. 6. artic. 6. in fine, & diſtin. 7. quæſt. vnica artic. 4. hanc hiſtoriam de lepra Conſtantini non aſſertiuè probandam eſſe; tum quia geſta Sylueſtri, (ex quibus hoc uidetur haberi) incertum habent auctorem, ut in Capite, *Sancta Romana Eccleſiæ* diſt. 15. tùm ex dicto Platinæ, qui in vita Sancti Marci Papæ dicit, nullum Scriptorũ Ethnicorum, uel Chriſtianorum illius facere mentionem; tùm præcipuè, quia Ambroſij auctoritas obſtat: dum in Oratione de obitu Theodoſij, expreſsè dicit, Conſtantinum in ultimis conſtitutum baptizatum fuiſſe: quod longè diſtat ab hoc; ſcilicet, quòd in principio ſuæ conuerſionis fuerit baptizatus. Hæc Caietanus. Caiet. Sotus. Platina. D. Ambro.

Vervm, meo iudicio, fallitur in eo, quòd dicit, Conſtantinum non in principio ſuæ Conuerſionis Baptiſmum recepiſſe; ſed in extremis conſtitutum, quod à nobis ſuperiùs refutatum fuit; & egregiè Platina in vita Marci impugnat his uerbis. *Scribunt præterea, Conſtantinum ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo, Arrianı dogmatis imitatore, baptiZatum eſſe. Quod quidem falſum eſſe, & religio Principis oſtendit, & Baptiſterium, huius rei cauſſa Romæ ab eo magnificentiſſimis impenſis ædificatum. A Sylueſtro enim unà cùm Criſpo filio baptiZatur, pulſis ab Vrbe Tyrannis, fidemq́; edocetur. Aiunt, qui aliter dictum ſentiunt, Conſtantinum tantùm rem diſtuliſſe, quoad ei ad Iordanem peruenire contingeret, in quo ad imitationem Saluatoris baptiZari cupiebat. Verùm dùm in Parthos proficiſcitur, Meſopotamiam incurſionibus uaſtantes, uno, & trigeſimo Imperij ſui anno, ætatis uerò ſexto, & 40. apud Nicomediam, uita publica diem extremum obijſſe, nec ad Iordanem baptiZandi cauſa peruenire potuiſſe; atque illic tum demum extremo uitæ tempore baptiZatum fuiſſe. Miſceant iſti, ut uolunt, rem hanc; & nos, quod omnes fermè ſentiunt, credamus, Conſtantinum, qui ſigno Crucis totiès hoſtes uicerat, qui* Defenditur hiſtoria de lepra Conſtantini contra Caietanum. Platina.

rat, qui tot templa in honorem Dei ædificauerat, qui ſacris Concilijs interfuerat, qui toties cum Sanctis Patribus in myſterijs orauerat, Baptiſmatis charactere, ubi ſapere cœpit, muniri etiam contra hoſtem humani generis noluiſſe. Non latet me certè, quod Socrates, & Sozomenus, in tripartita ſua uelint, quidq́; alij plerique: Veritatem ſequor optimi Principis Religioni, & pietati conuenientem. Hæc Platina.

Fallitvr etiam Caietanus dum aſſerit hanc hiſtoriam de lepra Conſtantini nullius auctoritatis eſſe. Eſto enim, Platinam nullo modo illi aſſentire, Oroſium, aut Eutropium, & nõnullos alios, qui Conſtantini res geſtas ſcripſerunt, nullam de lepra mentionem facere; non deſunt tamen plures probatiſſimæ fidei Auctores, ut ſuperiùs demonſtrauimus, qui illius, eiuſque mundationis in tali Baptiſmo meminerunt. Acta uerò Syluestri, etſi à Gelaſio in eo decreto dicantur ab incerto ſcriptore exarata fuiſſe, recepta tamen eſſe in Eccleſia, & à multis in Vrbe Romana Catholicis legi, & pro antiquo uſu multas id imitari Eccleſias, ab eodem ibidem aſſeritur. Sed quod magis Caietanum comprimere debet, eſt auctoritas Sancti Thomæ, qui in eodem artic. 8. quærens, An Baptiſmus in omnibus æqualem effectum habeat, opponit in quarto argumento, in Baptiſmo quoſdam non ſolùm ſpiritualem ſalutem, ſed etiam corporalem conſequi; ut patet de Conſtantino, qui in Baptiſmo mundatus eſt à lepra; quod non contingit omnibus infirmis, qui baptizantur; & in reſponſione illius ad quartum colligitur, huiuſmodi hiſtoriam probandam eſſe, dum dicit, quòd ſanitas corporalis non eſt effectus per ſe Baptiſmi, ſed eſt quoddam miraculoſum opus diuinæ prouidentiæ.

D. Thomas.

Ad extremum concludam omnia auctoritate Metaphraſtis, qui hiſtoriam hanc in vita Syluestri planè, ut nos narrauimus, contexuit; cui, utpotè Græco, & antiquo ſcriptori, in hoc maximè credendum eſt. Et id certò patet ex Septima Synodo act. 2. & ex Synodo Romana ſub Syluestro Can. 1. Clem. VI. in Extrauag. *Vnigenitus* de Pœnit. & Remiſſ. ex Nicolao Papa Cap. *Fundamenta* de elect. in 6. Qua in re, & Viues de corrupt. diſciplin. & Alciat. 7. pareg. cap. 19. errarunt.

Metaphr. Septima Synodo. Synod. Rom. Clem VI. Nicolaus Primus. Viues. Alciat.

Verùm de Baptiſterio ſit ſatis dictum. Nunc de Oratorio, Sancta Sanctorum, quod Conſtantinianæ Baſilicę annexum ſit, nonnulla dicenda ſunt. Bibliothecarius in Vita Sancti Stephani Papæ Tertij, & alij ſcribunt, hoc Sacellum Sancti Laurentij appellatum fuiſſe; ob maximam verò copiam Reliquiarum, quæ in eo reconditæ fuerunt, *Sancta Sanctorum*, nuncupatum. Ibi aliquandiu Capita Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli recondita fuere; Christi etiam præputium, Caput Diuæ Agnetis, licèt hodie hæc alio tranſlata ſint; remanſerunt tamen ibi adhuc innumeræ Sanctorum Reliquiæ: hodie ob Sanctiſſimam Imaginem Iesv Christi, quæ ibi aſſeruatur, Sacellum Saluatoris nuncupatur. Ad hanc autem Sacroſanctam, & venerandam Imaginem multa miracula facta fuere, præſertim iis temporibus, quibus Dei Eccleſia anguſtias, & vexationes patiebatur, nempè, tempore Aiſtulphi Longobardorum Regis, qui agros, & fines Romanorum bello uexabat, vniuerſamque Italiam exagitabat. Vndè ad illam confugientes maximum commodum reportarunt; cuius rei teſtimonium egregium dat Pandulphus Oſtiarius, qui poſt Damaſum Papam Vitas Pontificum ſcripſit, in Stephano Secundo, his verbis. *Beatiſſimus Pater, congregato vniuerſo cœtu, taliter eos paterno amore admonuit, inquiens; Quæſo vos, filij chariſſimi, pro noſtrorum delictorum mole, diuinam imploremus clementiam, & ipſe noſter erit adiutor, liberabitque nos ſua prouidentiſſima miſericordia à perſequentium manibus; cuius ſalutiferis admonitionibus cunctus obediens populus, congregati vnanimiter omnes, lachrymis fuſis, omnipotentem Dominum deprecati ſunt. In vna verò dierum cùm multa humilitate ſollicitè proceſſit in Litania, cùm Sanctiſſima Imagine Saluatoris Domini Noſtri Iesv Christi, quæ Acheropita nuncupatur, proprioque humero ipſam Imaginem cùm reliquis Sacerdotibus geſtans, nudis pedibus tam ipſe, quàm vniuerſa Plebs pergentes ad Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad præſepe nuncupatur, poſito in omnium capitibus populorum cinere, maximo fletu, & vlulatu, miſericordiſſimum Dominum deprecati ſunt.* Hactenus Pandulphus. Ex illo verbo, *Acheropita*, dignitas, & exiſtimatio illius Imaginis apud Populos planè cognoſcitur; In-

Sacellũ, quod dicitur Sãcta Sanctorum. Bibliothecar. Imago Saluatoris. Pandulphus Oſtiarius.

tur; interpretatur enim, quaſi non manufacta, ſed cęlitùs ob eius maximam venerationem demiſſa. Idem ſcribit Bibliothecarius in Sancto Stephano Secundo. Hæc autem geſta ſunt circa annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum quinquageſimum ſecundum.

Bibliothecar.

Haec veneranda Imago Saluatoris ab antiquiſſimo tempore uſque ad tempora Pij V. in nocte Feſti Aſſumptionis Sanctæ Mariae Virginis Romæ, tota confluente Ciuitate, deuotiſſimè, ac religioſiſſimè, innumeris adhibitis luminibus, omnium artium Scholis, non ſine magna æmulatione concurrentibus, proceſſionaliter à toto Romano Clero ad Baſilicam Sanctæ Mariae Maioris deportabatur, & per octo dies conſequentes in medio eiuſdem Baſilicę, cùm Imagine Diuæ Virginis in eadem exiſtente, habebatur: ubi multitudo confluentium, ad inſtar perennis fluminis, in dies cernebatur; Sed ob aliqua incommoda hoc fieri deſijt. De huiuſmodi autem antiquiſſima Proceſſione, in Rituali quodam libro peruetuſto (ut refert Serranus) ſic habetur. *Ordo in Aſſumptione Sanctæ Mariae. In ipſa nocte leguntur Cantica Canticorum, vel Homiliæ eiuſdem diei. In ipſa Veſpera Vigiliarum præparatur port. apprium in Sancto Laurentio apud Lateranos, ſuperpoſita tabula Imagine Chriſti Domini Noſtri inſignita: à medio noctis, concurrente populo, exeunt cùm Litania ad Sanctam Mariam Maiorem*; Eſt hæc Eccleſia, quæ hodie nominatur, Sancta Maria Noua, *mundatis per viam plateis, & ſuſpenſis per domos lucernis: ibique in gradibus Sanctæ Mariae, depoſita aliquanto Icona, omnis chorus virorum, & mulierum, genibus ante eam flexis, pugnis etiam ſe cædentes, vna voce per numerum dicant centies Kirie Eleiſon, centies Chriſte Eleiſon, centies Kirie Eleiſon, fuſiſque lachrymis, & precibus, per Sanctum Adrianum recta via vadunt ad Sanctam Mariam Maiorem, auditaque Miſſarum celebritate, ad palatium reuertuntur.* Hactenus ibi.

De Imagine Saluatoris proceſſionaliter delata.

Serranus.

Ritus huius proceſſionis.

Hæc ſacroſancta, & planè diuina Imago fuit à Beato Luca depicta, ut inquit D. Thom. 3. par. quæſt. 25. art. 3. ad quartum. Volunt aliqui, Beatum Lucam illam tantùm delineaſſe, diuinitùs tamen per manus Angelorum perfectam fuiſſe: ex quo efficitur, ut præ cæteris Imaginibus hæc etiam, atque etiam frequentetur, uehementerque ad pietatem, ac deuotionem aduentantes excitet. Nec enim uſus Imagines honorandi, ac frequentandi, qui in Dei Eccleſia ſemper uiguit, uel ex ſuperſtitione, uel ex errore, quo putetur huic, uel illi Imagini alligatam eſſe diuinitatem, naſcitur, ut Caluinus lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 9. & 10. & Centuriatores centur. 8. capite 9. nobis Catholicis imponunt. Id enim nempè, quòd una Imago Chriſti, uel Beatæ Virginis, aut Sanctorum magis celebretur, quàm alia, fit ob tres præcipuas cauſas.

Quis hãc Saluatoris Imaginem effinxerit.

D. Thomas.

Vſus Imaginum contra Hæreticos.

Prima quia Deus per unam operatur miracula, & non per aliam: ſic enim Deo placet, qui Auctor eſt miraculi; Vndè ſimiliter magis precibus celebratur unus Sanctus, quàm alius.

Afferuntur tres rationes, cur potius vna imago quã alia colatur.

Secvnda cauſſa, à Sanctitate Artificis, ſeu Pictoris deſumitur. Quę enim à prophanis uiris depictæ ſunt, ſeu ſculptæ, minus celebrantur, quàm illæ, quæ à Sanctis expreſſæ ſunt, ut experientia docet de Imaginibus à Luca, Nicodemo, & alijs depictis: præcipuè autem in hoc genere Imago Edeſſina excellebat, quę ab ipſomet Chriſto facta credebatur. Imago quoque Sancti Stephani, quę ab Angelo formata, & allata fuiſse putatur; de qua Euodius lib. 2. de Miraculis.

Euodius.

Tertia cauſa, quoniam aliquę Imagines, cùm ſint magis pię, & religioſę, magis mouent, & excitant ad pietatem, quàm aliæ. Hę omnes tres cauſę, quas tangit Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 18. & nos inferius lib. 6. omnes planè concurrunt in hac Sacratiſſima Imagine Saluatoris; per hanc innumera Deus operatur miracula; hæc ab Euangeliſta Luca, ut dictum eſt, depicta fuit, ut præter D. Thomam, Simeon Metaphraſtes in Vita Sancti Lucę, & Nicephorus lib. 2. Hiſtor. cap. 43. & lib. 6. cap. 16. & lib. 14. cap. 2. Hęc deniquè cùm piiſſima, religioſiſſimaque ſit, ſummopere homines ad pietatem, lachrymas, & peccatorum dolorem excitat; quocircà maximę ad illam peregrinationes à fidelibus, & pręſertim Romanis fiunt.

Bellarm.

D. Thom.
Metaphr.
Nicephor.

Antiquitas Imaginum, & vſus earum in Eccleſia.
Tertull.

Nec enim Sacrarum Imaginum uſus nouus eſt in Eccleſia, ut Caluinus ſomniauit: In primis enim quingentis annis à Chriſto, (in quibus impudenter Caluinus negat lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 13. fuiſse Imagines in Eccleſijs Chriſtianorum) Tertullianus antiquiſſimus Scriptor in lib. de pudicitia, ante medium, ſemel, atq; iterū dicit, in ſacris Calicibus Eccleſię Catholicę, qui in templis ſacris in uſum aſſumuntur, depictum fuiſsè Chriſtum, in forma Paſtoris, ouem errantem ſuis humeris portantem ad Ouile. Nicephorus lib. 10. cap. 30. & Sozomenus, qui ante quingenteſimum annum Domini fuit, lib. 5. cap. 20. narrant, tempore Iuliani Apoſtatę, ſtatuam Chriſti, quę ante Paneadam fuit, in templum à Chriſtianis introductam. Euſebius lib. 3. & 4. de Vita Conſtantini, ſcribit, Conſtantinum in templis à ſe in Palęſtina ædificatis plures aureas, & argenteas Imagines poſuiſse.

Nicephor.
Sozomen.
Euſeb.

Adrianus Primus.
Concilia pro ſacris Imaginibus.

Verum legant Caluiniſtæ Epiſtolam Adriani Primi in libro pro Imaginibus, qui habetur poſt Sextam Synodum; vbi cognoſcent, niſi malitia cor illorum excæcet, in illis primis 500. annis Domini, ut ſuprà dixi, à Syluestro, Damaſo, Cæleſtino, Sixto, Leone, Ioanne, & Pelagio, qui eo tempore vixerunt, Eccleſias Imaginibus exornatas fuiſſe. Legant quoque duo Concilia in Oriente celebrata, Septimam videlicet, & Octauam Synodum, duo quoque alia in Occidente, vnū ſub Gregorio Tertio contra Iconomachos; atque aliud tempore Stephani, & Caroli Magni in defenſionem Imaginum celebratum; cuius mentio fit apud Adrianum Primum Stephani ſucceſſorem in lib. ſuo de Imaginibus; ſed hæc obiter; plura de hac re diximus in primo libro noſtro de Fuga, quæſt. 2.

Auctor in libro de Fuga.
Scala Sancta.

Ad Hoc venerandum Sacellum hodie, poſt Sixtum Quintum, per Scalas Sanctas recta aſcenditur. Ex vetuſtiſſima traditione accepimus, has Scalas illas eſſe, quas in paſſione ſua Dominus Iesvs Chriſtus, dum ad Pręſidem duceretur, aſcendit; & in memoriam paſſionis Saluatoris non niſi flexis genibus, maximaque animi contritione, ac pietate mulieres, viri cuiuſcunque conditionis, etiam Reges, ac Summus Pontifex conſcendit: ſic fecit Sixtus Quintus poſteaquam eam Scalam in digniorem locum, maximis ornamentis decoratum, paſſioniſque Saluatoris noſtri picturis illuſtratum tranſtulit. Huius Scalę gradus in ſua paſſione percurrit Dominus pluribus vicibus. Primò quando de domo Sacerdotum Principis ad Præſidem perductus fuit, vt cùm Scribæ, & Phariſæi, Summi Sacerdotes, ac cæteri denique apud illum accuſarent.

Sixtus Papa Quintus.

Secundò cùm ex domo Herodis illuſus, veſteque alba indutus, tamquam ſtultus, ad Pilatum reuerſus eſt.

Tertiò per illas deſcendit, quando morti addictus, geſtans in capite ſpineam coronam, ſuperque humeros duriſſimum Crucis patibulum portans, ad Caluariæ Montem, ut crucifigeretur, perductus eſt; tunc eius ſanguine à capite, cæteriſque corporis partibus flagello percuſſis defluente, Scala illa ſignata, & aſperſa fuit. Nec de hac re vllo modo dubitandum eſt, cùm impium, ſummæque inſaniæ ſit, ac extremæ inſolentiæ, ut dixit D. Auguſtinus, negare id, quod piè ab omnibus, aut pleriſque receptū eſt; & præſertim illis moribus ſe opponere, quos in ipſamet Vrbe Romana ſeruat, & tenet Eccleſia. Quamobrem, quæ Panuinius nimis audacter de ea ſcripſit, cùm pietati, & veritati derogent, improbanda omninò ſunt. In memoriam Paſſionis Domini Noſtri Iesv Chriſti, & in laborioſam ſatisfactionem Pęnitentium, ſolent Pœnitentiarij, ſeu Confeſſarij iniungere, ut bis, uel ter, pro qualitate delictorum, Pœnitentes gradus omnes huius Sanctę Scalæ, certis precibus ad ſingulos gradus factis, conſcendant: quod lubentiſſimè, magnaque cordis contritione fideles, quibus id iniungitur, exequuntur. Atque ut tandem finem huic narrationi de Eccleſia Lateranenſi imponamus, illud notandum eſt, quod etiam ſuperius indicauimus, tertio loco à Summis Pontificibus hanc Baſilicam uiſitationi Eccleſiarum anni Iubilęi meritò additam fuiſſe.

D. Auguſt.
Panuin.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris.

Multa nomina huius Baſilicæ explicantur.

VARIIS nominibus Baſilica Partiarchalis Sanctę MARIAE apud grauiſſimos Scriprores appellatur. Primò enim ueteres à Pontifice, qui eam erexit, & conſecrauit anno ſalutis 353. appellationem deriuantes, Baſilicā Liberij cognominarunt: ſic Fauſtinus, & Marcellinus Presbiteri, qui tunc temporis, quando constructa fuit, uixerunt, in libro, quem Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio de ſchiſmate Vrſicini ſcribunt; ubi cùm narraſſent, Damaſum Epiſcopum ordinatum fuiſſe apud Baſilicam Lateranenſem, ſubiungunt. *Plebs fidelis, cui concurrens, Presbiteros illos ſeptem detentos eruit, & ad Baſilicam Liberij ſine mora perduxit.* Beda to. 2. de ſex ætatibus mundi, in Liberio, & Sixto, & liber Pontificalis Romanus, ſimili nomine illam uocant, ubi legitur. *Hic*, (ſermo eſt de Liberio) *fecit Baſilicam nomine ſuo, iuxta Macellum Libiæ, aliàs Liuiæ:* erat autem Liuianum Macellum, locus ſic dictus in Exquilino Colle, cuius meminit Sextus Ruffus, & Publius Victor. Secundò ab alijs dicta eſt, Sancta MARIA ad Niues, quòd Summo Pontifici, & Ioanni Patricio Romano in ſomnis admonitis, per niuis miraculum locus, ubi ædificanda eſſet Eccleſia, demonſtratus, & aſſignatus fuit: quod miraculum à Nicolao IIII. in ſua Bulla apud Bibliothecam Vaticanam refertur his uerbis. *Cupientes igitur, ut Eccleſia noſtra ad honorem Virginis eiuſdem constructa, cuius quidem ſtructuram glorioſus Deus in ſanctis ſuis per immiſſionem niuis æſtus tempore, mirabiliter indicauit, congruis honoribus frequentetur, &c.* Tertiò Sancta MARIA ad Pręſepe, quòd ſanctiſſimus locus ille, ubi Chriſtus natus eſt, ex Bethleem eò tranſlatus fuit, appellata eſt. Quartò Eccleſia Sanctę MARIAE Maioris, quod nomen ex nouitatę miraculi iam prænarrati, & ex loci dignitate ſortita eſt. Sic Adrianus Primus in Epiſt. 3. tom. 2. Epiſt. Sum. Pont. cap. 19. *Beatus*, inquit, *Sixtus Papa fecit Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis MARIAE, cognomento, Maiorem, quæ & ad Præſepe dicitur: ſimili modo, & ipſe tàm in metallis aureis, quàm in diuerſis hiſtorijs, ſacris decorauit imaginibus*. Poſtremò Baſilica Sixti à nonnullis appellatur; ſic illam Beda appellauit, ſcribens hæc uerba. *Sixtus Romæ Epiſcopus fecit Baſilicam Sanctæ MARIAE Matris Domini, quæ ab antiquis, Liberij cognominabatur.* Vndè ſciendum eſt, (ut notauit Panuinius.) Sixtum Tertium, qui prædeceſſor fuit magni Leonis, Anno ſalutis 432. Baſilicam illam Liberij reſtauraſſe, maiòrique ambitu, ac ſpacio illam ampliaſſe, exquiſitiſſimiſque picturis, hiſtorias noui, & ueteris teſtamenti continentibus adornaſſe, prout hodie conſpicitur: quare ſuper principalem Portam eiuſdem Baſilicæ legitur hic verſus, *Virgo MARIA tibi Sixtus nouat.*

Fauſtinus, & Marcellinus. Beda. Pontif. Rom. Sext. Rufus Pub. Victor. Miraculoſa nix ad huius Eccleſiæ ædificationē cœlitùs immiſſa. Nicol. IIII. Adr. Primus. Beda. Panuin.

BIBLIOTHECARIVS in vita Sixti, dicit, à Sixto in reſtauratione, ſeu in ſecunda dedicatione appellatam fuiſſe Eccleſiam Sanctæ MARIAE Matris Domini, iuxtà quam idem Sixtus palatium grande, atque magnificum ædificauit.

Bibliothecar.

OCCASIO autem, ob quam præfatam Baſilicam Sixtus reſtaurauit, in ampliorem formam reduxit, tot, tantiſque ornamentis decorauit, Deique Genitricis titulo inſigniuit, ex Concilio Epheſino emanauit: Cum enim blaſphemiæ Neſtorij in Deiparam Virginem condemnatæ fuiſſent, & ab illis Virgo Dei Mater uindicata omninò fuiſſet, in teſtimonium huius præcelſæ Victoriæ, uoluit in honorem eiuſdem Virginis, huiuſmodi Baſilicam, quaſi fornicem triumphalem erigere, ut benè Baronius tom. 5. adnotauit. In eodem uerò libro de Romanis Pontificibus plurima enumerantur dona, à Sixto eidem Baſilicæ collata; & redditus ex diuerſis agris eidem aſſignati.

Cur à Sixto hęc Baſilica inſtaurata, & renouata fuerit. Conc. Epheſ. Baronius. Lib. Ro. Pon.

D. GREGORIVS ſimili vocabulo illam appellat, dum Litanias diuerſorum ſtatuum à diuerſis Eccleſijs egredientes, ad unam, eamdèmque Eccleſiā Sanctæ Genitricis Domini conuenire decernit. *Litania*, inquit, *Clericorum exeat ab Eccleſia*

Inſtitutio Litaniarū à D. Gregorio ad hāc Eccleſiā.

Sancti Ioannis Baptiſtæ. Litania Virorum ab Eccleſia Sancti Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Eccleſia Sancti Iohannis, & Pauli. Litania Ancillarum Dei ab Eccleſia Beatorum Martyrum Coſmæ, & Damiani. Litania fœminarum coniugatarum ab Eccleſia Prothomartyris Stephani. Litania Viduarum ab Eccleſia Beati Martyris Vitalis. Litania pauperum, & Infantium ab Eccleſia B. Martyris Cæciliæ. Hi omnes ex diuerſis locis ad unam, & eandem Eccleſiam Sanctæ Genitricis Domini conueniant, ut qui ſimul omnes peccauimus, ſimul omnes mala, quæ fecimus, deploremus. Verùm, ut huius Baſilicæ præſtantia clariùs eluceſcat, non abs re erit, nonnullas Orbis Eccleſias Beatæ Virgini dicatas breuiter in medium afferre.

Enumerãtur hic inſigniores totius Orbis Eccleſiæ in honorem Sanctiſſimæ Virginis extructæ.

Baron.

Greg Turon.

Miraculum magnum.

LEGIMVS varias in diuerſis Mundi Partibus Eccleſias Beatæ Virgini erectas fuiſſe. Alexandriæ apud Cœmeterium Martyrum, memoriam Sanctæ Dei Genitricis Virginis extitiſſe; refert Baronius tom. 4. Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum cap. 9. meminit templi ſanctiſſimæ Dei Genitricis MARIAE in Gallia à Conſtantino erecti; in cuius conſtructione inſigne miraculum incidit, quod ille his verbis refert, ſanè digniſſimis, quæ legantur. *MARIA verò (inquit) glorioſa genitrix Chriſti, ut ante partum, ita virgo creditur, & poſt partum, quæ, ut ſupra diximus, Angelicis choris canentibus, in Paradiſum, Domino præcedente, tranſlata eſt. Cuius Baſilica ab Imperatore Conſtantino admirabili opere fabricata renidet: ad quam adductæ columnæ cùm præ magnitudine leuari non poſſent, eò quòd eſſet circuitus earum ſexdecim pedum; ac diebus ſingulis ceſſo labore fatigarentur: apparuit artifici Sancta Virgo per viſum, dicens. Noli mæſtus eſſe; ego enim tibi oſtendam, qualiter has queant eleuare columnas; & oſtendit ei, qua aptarentur machina, qualiter ſuſpenderentur trochleæ; atque funes extenderentur. Illud addens, coniunge tecum tres pueros de ſcholis, quarum hoc adiutorio poſſis explere. Quod cùm ille vigilans, quæ præcepta fuerant, cooptaſſet, vocatis tribus pueris ab ſcholis, erexit ſumma velocitate columnas. Præſtitum eſt populis ſpectare miraculum admirandum, ut quod multitudo Virorum fortium leuare nequiuerat, tres paruuli abſque virtute perfecti operis ſubleuarent.* Hactenus Gregorius.

Baron.

Caniſius.

Zonaras.

Nicephor.

Euſeb.

NOTA.

Metaphr.

Hoc templum Cardinalis Baronius tomo 3. in Gallijs; Caniſius verò in ſuo Mariali libro 5. cap. 24. dicit, Conſtantinopoli eſſe erectum, primumque fuiſſe, quod ibidem Sacratiſſimæ Virgini erigeretur; quinimmo etiam tota Vrbs Conſtantinopolitana Beatiſſimæ Deiparæ ab eodem Conſtantino dedicata fuit, ut Zonaras refert libro 3. Annalium, & Nicephorus libro 8. cap. 26. quamuis Euſebius libro 3. de vita Conſtantini cap. 47. Deo conſecratam dicat. Apud Græcos item percelebris, & Inſignis fuit ædes B. Virginis in Blachernis. Erat hic locus prædium muris Ciuitatis contiguum, ac marini ſinus cornui propinquum; & ut Metaphraſtes ſcribit, in Oratione de vita, & exitu Deiparæ, ab Imperatrice Pulcheria ſummoperè illuſtratū, ac mirificè exornatū; ad quod ipſa Auguſta Virgo religioſiſſima die, noctùque deuotionis ergò pedeſter adibat. Tanta autem in illo percelebri Templo Deus operabatur miracula, ut piorum cœtus maximus illuc undique proficiſceretur. Erexit autem illud ſub nomine Dei Genitricis MARIAE ad æternam memoriam Victoriæ contra Neſtorianos reportatæ, ſub Cœleſtino Romano Pontifice: Vnde tùm ſancitum fuit, ut ubique locorum ab omnibus Mater Dei MARIA rectè appellaretur. Et huius templi in Blachernis meminit Nicephorus libro 14. cap. 2. Quod poſtea ex ſua ingenti mole dirutum Iuſtinianus Imperator reſtituit, ut ſcribit Proſp. de ædificijs Iuſtiniani Imperatoris, oratione prima.

Nicephor.

Proſp.

Tria templa à Pulcheria B. Virgini dicata ex Nice.

NARRAT Nicephorus libro 15. hiſtor. cap. 14. & 15. Pulcheriam tria ex ipſis fundamentis templa in Dei Matris honorem excitaſſe. Vnum in Chalcopratеio, ſiue fabrorum foro, ſacri tumuli nomine inſignito; in quo tamquam in Theſauro Zonam Deiparæ depoſuit, in eoque quarto quoque hebdomadis die uigilias, & ſupplicationes, in quibus, & ipſa præibat, cùm lucernis, & lampadibus noctè fieri conſtituit.

Secundum Templum ὁδηγῶν, hoc eſt viæ ducū, ubi ex Antiochia miſſam Verbi Matris imaginem dedicauit à Diuo Luca depictam: atque in hoc templo multa ad

ta ad huiuſmodi imaginem miracula peracta ſunt;curauitque Pulcheria,ut tertio quoque ſeptimanę die peruigilium,& ſupplicatio ibi haberetur. Tertium Templũ fuit illud apud Blachernas,de quo diximus,Verbi Matri conſecratum. Et in hoc Blachernarum Templo (Marciano Romani Imperij ſceptra tenente) tumulus, in quo Sacroſanctum Corpus Beatæ Virginis poſt mortem vſque ad tertium diem requieuit,vna cùm ſacris veſtibus,quæ poſt aſſumptum corpus in Cęlum remanſerunt,repoſitus fuit, vt Nicephorus eodem libro,& cap.refert. Nicephor.

D. Damascenvs ſcribit Hiſtoriam de Beato Stephano Iuniore, ſcitu digniſſimam; Eius parentes ad Mariae templum in Blachernis conſtitutum,coràm eius Imagine ſupplicarunt pro maſculina prole ſuſcipienda; quam ſi obtinerent, Domino conſecrarent; Nato filio,diuini doni non immemores,illum Blachernenſi Templo gaudenter obtulerunt. Damaſcen.

Vincentivs lib.23.in parte hiſtoriali cap.147.refert, Bizantij apud Sanctam Sophiam, ſacram fuiſſe ædem Deiparę Virgini dicatam:in qua Virginis Imago, à Beato Luca depicta reſidebat,quæ in publicis Proceſſionibus reuerenter portabatur,& qualibet Feria tertia hebdomadatim,per totam Vrbem religioſè admodum,ad Saracenorum, qui miſerè perierunt, victoriam obtinendam circumgeſtabatur. Vinc. Beluac.

In Cappadocia percelebre Templum Deiparæ Virginis in Monte Didymi ſitum; quod ex apparitione B.Baſilio facta; & ex patrocinio Beatæ Virginis, toti populo in eodem ſupplicanti præſtito,percelebre factum eſt. Hiſtoria hæc memorabilis ſic ſe habet.

Basilivs Magnus, vt liberaret Dei populum ab irati Iuliani Tyranni ſæuitia, indicto trium dierum ieiunio,omnes in ſupra commemoratum Virginis templũ orandi cauſſa conuenire iuſſit, atque illis in oratione inſtanter perſeuerantibus, noctu quieſcente Baſilio, Sanctus Mercurius Martyr,(cuius corpus in eadem Eccleſia conditum erat)apparuit,affirmans illi,ſe à Deipara in iuſſis habere, vt Iuliano communi hoſti vitam tolleret: admirans vehementer rem hanc Baſilius, ad monumentum Martyris accedit; ibique eius lanceam propè ſepulchrum pendentem tunc abeſſe cognouit, quam cæſi Iuliani ſanguine rubentem, paulò poſt illic reſtitutam,omnes cognouerunt. Tunc Baſilius pauidum adhuc populum,forti,ac bono animo eſſe monuit,illoſq; de morte Tyranni certiores fecit, vt de tanto beneficio, per interceſſionem Beatæ Virginis obtento, Deo, eiuſque Matri immortales agerent gratias. Quod factum Libanius Iuliani quæſtor, non multò poſt, Cęſaream accedẽs confirmauit: Narrauit enim,ſe in Perſico,& poſtremo illo Iuliani bello coràm interfuiſſe, atque quemdam ignotum Militem cùm armis in excubijs appruiſſe; qui lanceam validè vibrans, terribili impetu confoderit Iulianum: Quo facto mox receſſit,& nuſquam amplius viſus eſt. Ille verò Blaſphemus, & impius ſtatim eiulatum magnum emittens, expirauit. Notabilis hiſtoria.

Hvivs Hiſtoriæ meminere Amphylochius in vita Sancti Baſilij. D. Antoninus parte quarta Summæ titulo 15. Fulbertus in ſermone de Deipara, Nauclerus in Chronographia, Generat.ſecunda, & denique Caniſius libro 5.de Deipara capite 24. Amphyloc. Antonin. Fulbert. Naucler. Caniſius.

Apvd Aquiſgranum, vel ut alij dicunt, apud Aquaſgraneas, vel traianas, in Germania, quoddam percelebre Templum Sanctæ Mariae conſecratum,à Carolo Magno conditum reperitur, ab eoque Imperatore ſumptuoſiſſimè exornatum,multiſque marmoreis columnis,ex varijs Italiæ partibus aduectis illuſtratũ: Theſaurum ingentem ſacrarum reliquiarum,ex Palęſtina ibidem depoſitum,quo tannis populo ſpectandum reuerenter exhiberi decreuit. Auentinus lib.4. Annal. Boiorum ſcribit, huiuſmodi templum toti Europæ perueneabile, & ex operibus publicis à Carolo factis, præcipuum eſſe. Auentinus.

Apvd Heluetios Eremitorium Beatę Mariae à Sancto Meinrado inchoatum in medijs ſiluis poſitum exiſtit:quod deinde à Cæſare Othone Primo Deiparæ ſacratum,& Sanctorum Antiſtitum opera,diuino inſtinctu dedicatum eſt:multa in

eo fiunt

eo fiunt miracula, & illud nuper maximum fuit, quòd cùm ignis flagrans vndique cuncta circumcircà abſumeret, ſacrum Templum mirabiliter à flammis illęſum, & integrum præſeruatum fuit.

Glareanus. HENRICVS Glareanus, patria Heluetius, religione ſolidiſſimus Catholicus, profeſſione non vulgaris Poeta, inter cætera de hoc ſacro Diuæ Virginis Eremitanæ locoq; ita cecinit;

Huic eſt ad læuam, quo vix eſt ſanctior vſquam,
Orbe locus, frondens MARIAE Genitricis Eremus,
Vix alibi inuenies tam mitia numina Diuæ,
Propitiumque Deum, & præſentes Virginis Aras.

Cranezius. CRANEZIVS hiſtoriographus narrat, illuſtre templum Virginis eſſe in Monaſterio, quod vulgò appellatur, Ouercherche, Mindenſis Epiſcopatus, & de eo lib. 3. cap. 24. ſic ſcribit. *Placuit Deo, ut eo loco Virgo ſanctiſſima ſingulariter inuocaretur, quæ multis ibi miraculis clareſcentibus edocuit, ſingulare ſe eius loci præſidium, ac tutelam accepiſſe. Sentiunt aduenæ, ſentiunt Indigenæ Patrocinium ſingulare: Vnde celebre factum eſt ab annis multis, ut uoti ſe fideles obligarent, & ſoluerent, reportantes læti, quod uoto conceperunt.*

Auentinus. IN Bauaria, teſte Auentino libro 7. de Rebus Bauariæ, exiſtit percelebre Templum Deiparæ Virginis, apud quod oritur Apſus fluuius, in ſuperiore Boiária, in initio Pagi, quem Hallerihauu incolæ uocant.

IN Hiſpania citeriori famoſiſſimum eſt Templum Beatæ Virginis, quod in Monte Serrato ſitum eſt; quod & miraculorum magnitudine, & Peregrinantium concurſu, & religioſorum hominum illic degentium ſanctitate; & prompta erga exteros hoſpitalitate etiam hodie ſummopere floret. Hoc proximè, exiſtimatione, & odore gratiarum, & ſanctitatis, ad noſtrum Lauretanum (de quo ſigillatim libro ſexto dicemus) accedit. Celeberrimum quoque eſt Peregrinorum, ac miraculorum frequentia in eiſdem Hiſpanijs templum B. Virgini dicatum, quod de Guadalupo vulgariter dicitur.

His addendū eſt, Templum in honorē, & memoriam S. Dei Genitricis erectū à Cyro Pręfecto Smyrēſi, & deinde Cothyęi Epiſcopo, occaſione miraculorū, quę apud procerā Cupreſſū fiebant, ut narrat Niceph. lib. 14. ca. 46. ſic ſcribens:

Nicephor. *Huius quoq; opus eſt Templū Dei Genitrici dicatū, quod Cyri dicitur, in quo fama eſt, & Romanum illum Cantorem eximium, propter carmina decantata, honorem, & præmium uirtutis à Dei Genitrice recepiſſe. Templum autem id huiuſmodi occaſione iſtic eſt erectum: Cupreſſus in eo loco ingens, & procera fuit, in qua ſuperioribus temporibus neſcio quomodo Imaginem Dei Genitricis quidam occultauit. Cum autem multum præteriſſet temporis, & imago lateret, ipſa ſeipſam indicauit. Cupreſſus enim immenſo coruſcans lumine, perinde atque fax una ardere uiſa eſt, & ingens etiam miraculorum uis ab obſcura, & latenti efficacia manauit. Vbi autem quidam, curioſitate laudata, arborem conſcendit, imago ea, unde miraculorum uis profluxit, apparuit: Quapropter Cyrus loco et honorem habens, pulcherrimum, & maximum Dei Genitrici conſtruxit Delubrum.* Sic Nice-

Card. Baron. phorus. Cui etiam hiſtoriæ ſubſcripſit Card. Baron. tom. 6. Annal. Anno Chriſti 446.

NOTA. Contra Caluiniſtas. Erubeſcant igitur Caluiniſtæ, qui ſacrarum imaginum, & templorū, quæ Deo, Sanctiſque dicantur, vim, uſum, & efficaciam impudenter damnare audent, mendaciter docentes, primis quingentis Annis in Chriſtianorum templis nullas fuiſſe imagines: ita dixit Caluinus lib. 1. Inſtit. ca. 11. §. 13. Certè hoc templū ante annum Domini 500. conſtructum, & præfata Imagine B. Virginis exornatū fuit, ſicut & multa alia ijſdem quingētis primis annis, ſacris imaginibus, ut dictū eſt, decorata fuere à Sylueſtro, Damaſo, Cœleſtino, Sixto, Leone, Iohanne, & Pela-

Adr. Primus. gio, ut ſcribit Adr. Primus in ſuis Epiſtolis, quæ tomo 2. Epiſt. Decret. Summ. Pont. habentur, & in lib. 1. pro Imaginibus, qui poſt Septimam Synodum generalem habetur. De qua re uberiùs infrà. Idem Nicephor. lib. 15. cap. 25. & 26. nar-

Nicephor. rat, Leonem Imperatorem ad fontem quemdam diuino miraculo repertum, ubi

cœco

cæco lucem reſtituit, B. Virgini ampliſſimam Eccleſiam erexiſſe. Plura eſſent alia loca Beatæ Virgini dicata connumeranda: ſed nobis hæc ſufficiant, qui pręſtantiam Baſilicæ Sanctæ Mariæ Maioris in Vrbe Romana collocatæ, ex aliarum comparatione declarare, & exponere inſtituimus: ſed iam, ut hæc conſpicua etiam ſuper omnes Ædes Virgini dicatas, atque in Vrbe ſitas appareat, de his quoque verba faciamus.

ANTIQVISSIMVM, deuotiſſimumque Templum Beatæ Virginis, & primum fortè omnium, quorum extet memoria trans Tyberim à Caliſto Primo anno 220. erectum; & deinde à Iulio Primo Anno ſalutis 304. reſtauratum, & ampliatum reperitur, in memoriam eius miraculi excitatum; quòd Romæ è Taberna meritoria fons ampliſſimus olei è terra dimanauerit, ac per integrum diem ſine intermiſſione effluxerit. Quo ſigno prænunciabatur Natiuitas futura Chriſti, qui unctus interpretatur. Eſt enim ipſe uerè fons olei, qui ex taberna meritoria, hoc eſt Eccleſia, affluenter in eius membra, id eſt, fideles, effunditur; eſt verè unguentum, quod ex capite deſcendit in Barbam Aaron, pertingens uſque ad oram ueſtimenti eius: de eius enim plenitudine omnes accepimus. Huius miraculi teſtes ſunt Euſebius in Chronico, Paulus Diaconus, Damaſus Papa, & alij.

Eccleſiæ B. Virginis in Vrbe.

Fons olei è terra nouus erupit in ortu Chriſti.

NOTA De Chriſto.

Euſeb. Paul Diac. Damaſus.

SECVNDVM eſt illud, quod de Conſolatione dicitur, in quo ſępiſſimè afflicti, & ægroti beneficia ſecundùm animam, & corpus percipiunt, copioſaque Romanorum frequentia quolibet die Sabbati colitur.

TERTIVM templum eſt illud, quod Sancta Maria de Populo nuncupatur, Populi Romani voto, & ſumptibus erectum. Idipſum ad agendas Deo, ac Virgini gratias pro acceptis beneficijs potiſſimum inſeruit.

QVARTVM dicitur, Sancta Maria in Montibus, quod hac ætate ſummis ſumptibus ex fidelium concurſu collectis, mirificè inchoatum, atque completum fuit.

MVLTAE aliæ ſunt in Vrbe Eccleſiæ, quæ ex diuerſis beneficijs B. Virginis precibus acceptis, diuerſis nominibus appellantur; ut Sancta Maria Noua, Sancta Maria Liberatrix à pęnis Inferni, Sancta Maria de Planctu, Sancta Maria de Miraculis, Sancta Maria in Coſmedin, Sancta Maria in Via Lata, Sancta Maria in Via, & præter alias, adhuc viginti aliæ Eccleſię in honorem Beatæ Virginis extructæ, multaq; alia Sacella, ſeu Imagines Miraculoſæ Beatæ Virginis, (ſic enim vulgo ab effectu uocantur) numero plus, quàm triginta, quotidianis ferè Miraculis, id eſt, gratijs, & beneficijs illuſtratę. Fremant, rugiantque Beatiſſimę Virginis hoſtes, Caluiniſtę ſcilicet, cęteriq; Hęretici; nimis hęc ſunt clara, luculentiſsimaque teſtimonia tùm diuinę munificentię, ac liberalitatis, qua matrem ſuam honorantes Deus honorat; tùm antiquę, & auitę fidei maiorum, qui per omnia loca, ac ſecula deuotionis ſuę affectum in Virginem extenderunt; illamque, ut aduocatã, ac Cœli, & terrę Reginam aſsiduè inuocarunt: quid mirum, ſi tot templa ad gloriam Virginis amplificandam erecta ſunt? Cùm & ipſa Virgo ab ipſis naſcentis Eccleſię primordijs, diuerſis epithetis pro diuerſitate Beneficiorum acceptorum, honorata ſit. Gregorius Magnus in Epiſtola inſerta Synodo Nicænę ſecundę, actione quarta, Chriſtianorum propugnatricem, & dominam uocat. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Oratione de Zona, & faſcijs Deiparæ, quę tempore Concilij Chalcedonenſis eò allatę fuerant, omnes, qui affliguntur, ad eã confugere docet. Gregorius Nazianzenus in Tragędia, Chriſtus patiens; ab hac Virgine petit, ut quemadmodum omnibus mortalibus, ſic illi in primis pręſidio eſſe uelit. Cyrillus Alexandrinus, uocat eam totius Orbis theſaurum, propter admirabilem patrocinij ſui tutelam. D. Athanaſius in Homilia de Sanctiſsima Deipara, D. Baſilius in ſua Liturgia, & D. Chryſoſtomus in Homilia in occurſu Domini, inuocant Beatam Virginem, tamquam dominam omnium fidelium, & Reginam Cœli; Quid? quod D. Hieronymus, in Epiſtola ad Euſtochium, de Cuſtodia Virginitatis, affirmat, Beatam Virginem morientibus ſuccurrere, & occurrere? Vnde Eccleſia canit, *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Irenæus lib. 5. cap. 19. & Auguſtinus ſerm. 2. de annunciatione dominica, appellant illam, humani ge-

Confuſio Caluiniſtarum.

Encomia B. Virginis. D. Greg. German.

Ad B. Virginẽ in noſtris neceſſitatibus confugere debemus. Nazianz. Cyril. Alex. D. Athan. D. Baſil. D. Chryſoſt. D. Hieron.

Irenæus. Auguſt.

Impudentia Hæreticorum

mani generis aduocatam: Nonne hæc Hæreticorum frontem, (ſi tamen frontem habent, quam eos habere negat Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3.) magis erubeſcere faciunt? ſed frontem, & faciem quidem carneam habent, pudorem verò, & erubeſcentiam, cùm veritatis pondus nō ſentiant, nequaquam habent. Traditi enim ſunt in reprobum ſenſum. *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant*. Verùm nos de dignitate Ædis Beatæ Mariæ Maioris ſermonem proſequamur.

Religio Pontificum erga hanc Eccleſiam.
D. Gregor.

Ad hanc ſemper Virginis Mariæ Baſilicam in Exquilijs poſitam, cùm graues, & aſperi caſus Orbem, & Vrbem premunt, Summi Pontifices cùm vniuerſo Clero, & populo proceſſionaliter preces, & Litanias fundunt, exemplo Magni Gregorij, qui cùm Romæ peſtis crudeliter ſæuiret, multoſque extingueret; ſupplicationibus in ea factis, iram Dei auertit. Vndè in 11. lib. Epiſt. in Regiſtro Epiſt. 2. ait, *De ſingulis Eccleſijs exeuntes, cùm precibus, ac lachrymis ad Beatæ Mariæ ſemper Virginis Genitricis Domini Dei Noſtri IESV Chriſti Baſilicam congregemur*. De qua re Gregorius Turonenſis lib. 10. Hiſtoriæ Francorum, & Paulus Diaconus lib. 3. de Geſtis Longobardorum, permulta ſcripſerunt.

Greg. Turon.
Paul. Diac.
Platina.

PLATINA in Vita Stephani Secundi ſcribit, eumdem Summum Pontificem, qui vnanimi Cleri, ac populi conſenſu, in eodem templo Sanctæ Virginis ad præſepe, Pontifex creatus fuerat, ad placandam iram Dei, Litanias inſtituiſſe, itumq; eſſe tradit, primo Sabbatho ad eamdem Sanctam Dei Genitricem ad præſepe; ſecundo ad Beatum Petrum in Vaticano; tertio ad Sanctum Paulum in via oſtienſi. Idem Platina in Vita Leonis Quarti, & Sigonius lib. 5. de Regno Italiæ, narrāt quòd tempore Lotharij Imperatoris, cum Baſiliſcus inter ſerpentes teterrimus; quem Latini, Regulum appellant, ſuo venenoſo afflatu, multos interfeciſſet, totaque Vrbs mirum in modum trepidaret, præfatus Pontifex, indicto ieiunio, & publicis ſupplicationibus, ex D. Adriani Martyris templo, Sancta præeunte Imagine, ipſemet cùm hymnis, & Pſalmis, ad hoc ipſum Virginis templum, una cū Clero proceſſit, atque ſigno Crucis, octauo die ab Aſſumptione Beatæ Virginis, qui dies poſtea, vt feſtus celebratus eſt, incendium illud venenoſi ſerpentis extinxit; atque ità Deipara Maria opitulante, Romanus Populus, ab omni fuit periculo liberatus.

Platina.
Sigonius.
Roma à Baſiliſco, & eius veneno liberata per Beatiſſimam Virginem.

Platina.
Inſigne miraculum B. Virginis.

Notiſſima eſt Hiſtoria, quam refert Platina, in vita Martini Primi, qui coacto Romæ Conc. 150. Epiſcoporum, Conſtantem Imperatorem condemnauit; quòd Legatos Sedis Apoſtolicæ in varias Inſulas relegaſſet: Quamobrem Conſtantius Olympium Exarchum in Italiam mittit, vt Martinum Pontificem aut interficeret, aut ad ſe perducendum curaret. Cùm igitur Olympius Romam veniſſet, lictori iubet, vt Pontificem in Eccleſia Sanctæ Mariæ Maioris, dùm Miſſarum ſolemnia celebraret, vel caperet, & ad ſe perduceret, uel ſaltem parere recuſantem interficeret. Sed facturus mandata lictor, Dei miraculo, ſubita cæcitate percuſſus eſt, atque ita Beata Virgine nolente, tàm crudele facinus in ſua primaria Eccleſia perpetrari, Martinus tantum uitæ diſcrimen euaſit.

Paul. Diac.
Naucler.

Nec ſilentio prætermittendum eſt, quod Paulus Diaconus libro 16. de geſtis Roman. & Ioannes Nauclerus in oratione 22. poſteris legendum tradiderunt, Cæſarem Mauritium, Iſaacio Exarcho uitę ſuæ hoſtiliter inſidiante, ad hanc eamdem Virginis ædem confugiſſe, eamque, & illi, & multis alijs miſeris Aſylum fuiſſe.

Pet. Cluniac.
Nota.

PETRVS Cluniacenſis lib. 2. de miraculis cap. 30. refert, miraculum Romæ in hac eadem Baſilica factum, non prætereundum. In feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis, de more Romanus Pontifex à primis Veſperis uſque ad ſecundas, cereos ad huiuſmodi templum deferebat, illoſque illic relinquebat; relictos autem cùm eodem ceræ pondere, quo attulerat, planè recipiebat, integroſque domum adportabat.

Ammalarius.
Alcuinus.

AMALARIVS Fortunatus libro 3. de Eccleſiaſticis officijs cap. 43. & Alcuinus libro de diuinis officijs, in capite de Purificatione Beatæ Virginis, rectè adnotarunt, ubi

runt, ubi

runt,ubi occaſio urgebat, Romanum Pontificem cùm uniuerſo Clero, & Populo, ſupplicationes, & Litanias in templo Sancti Adriani in foro Boario, ut ſuperiùs indicatum eſt, inchoare, & exinde ad Baſilicam Virginis ad Præſepe procedere conſueuiſſe,quod hodie tamen permutatum eſt,cùm ob vicinitatem Proceſſiones, in quibus Summus Pontifex incedit, ab Eccleſia Sanctæ Mariæ de Angelis in Thermis ad præfatæ Virginis Baſilicam procedant, & habeantur.

Illvd hoc loco ſilentio inuoluendum non eſt, quòd aliquando nulla maior poena Presbitero infligi poterat, quàm ingreſſum in Eccleſiam Beatæ Virginis ei interdicere. Accidit hoc Eugenio, cui à Clero,& Populo interdictū fuit, ne in Eccleſia Sanctæ Mariæ Maioris ſacrificaret, niſi Petri Conſtantinopolitani literas ſacrilegas eieciſſet:tanta erat Eccleſiæ illius dignitas. Quod factum, ut rariſſimum,ex Pontificali Romano,cuius uerba hic annectimus, planè cognoſcetur. Ibi enim ſic habetur. *Eugenij temporibus, Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit Synodicam ad ſedem Apoſtolicam,iuxtà conſuetudinem,omninò obſcuriſſimam,& ultra Catholicam regulam, non autem declarans operationes, aut uoluntates in Domino Noſtro Iesv Chriſto: & accenſus populus, uel Clerus; eò quòd talem Synodicam direxiſſet,minimè ſuſceperunt eam,ſed cùm maiori ſtrepitu à Sancta Dei Eccleſia proiecta eſt, ut etiam nec eumdem Papam dimitteret Populus, uel Clerus Miſſas celebrare in Baſilica Dei Genitricis, ſemperq; Virginis Mariæ,quæ appellatur ad Præſepe,niſi promiſiſſet his ipſe Pontifex, minimè eam aliquando ſuſcipere.*

Maxima Sacerdotum pœna fuit interdici ingreſſu Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Maioris. Pontif. Rom.

Gvglielmvs Anglicus, Chronicorum ſcriptor probatiſſimus, affirmat, quòd cùm Diuus Gregorius Miſſarum ſolemnia in hac Sacroſancta Baſilica celebraret,ubi ad partem illam peruenit,in qua cantatur *Pax Domini ſit ſemper uobiſcum*; ab Angelis è Cœlo ei reſponſum fuiſſe, *Et cum ſpiritu tuo*. Quocirca ex eo tempore,celebrante Pontifice, ob memoriam, & uenerationem Cœleſtis reſponſi,chorus tunc tacet illud, *Et cùm ſpiritu tuo*.

Gugliel. Anglicus. NOTA.

Ante fores huius Baſilicę à Gelaſio, ut in libro Pontificali legitur, libri Manichæorum concremati ſunt; uerba Pontificalis hæc ſunt: *Gelaſij temporibus inuenti ſunt Manichæi in Vrbe Roma, quos in exilium deportari præcepit, quorum codices incendit ante fores Baſilicæ Sanctæ Mariæ incendio cremauit*; Per antonomaſiam enim (tanta eſt huius Eccleſiæ præſtantia) quando ſcriptores abſolutè proferunt, Baſilicam Sanctæ Mariæ, Eccleſia Sanctę Mariæ Maioris intelligitur; quemadmodum Concilium Romanum ſub Hilario Papa; tomo primo Conciliorum habet, in illis uerbis: *Hilarius fecit conſtitutionem de Eccleſia in Baſilica ad Sanctam Mariam*.

Pontif. Rom.

Conc. Rom.

Hvic Baſilicę tantum honoris Antiquitas tribuit, ut Ioannes Primus, à quo munera à Iuſtiniano Imperatore Eccleſijs Vrbis miſſa, diſtributa fuere, hanc poſt Petri, & Pauli Baſilicas immediatè tertiam annumerauerit, ut in Pontificali,in Vita Beati Iohannis legitur. Conſtantinus quoque Tertius, ſedente Vitaliano Pontifice, ad Vrbem accedens, (viſitata Beati Petri Eccleſia) mox pari pietate, & munificentia ad Baſilicam Beatę Marię ad Pręſepe profectus eſt, eique dona ampliſſima,ſicut Beato Petro attulerat, largitus eſt.

Quanto in honore apud ueteres fuerit hæc Eccleſia.

Mvltis ſtationibus, maximiſque Indulgentijs hoc Virgineum templum nobilitatum fuit, in eoque Summi Pontifices in die Reſurrectionis, & Natiuitatis Dominicę rem ſacram publicè, ac ſolemniter facere antiquitùs conſueuere,ut ex Homilijs Sancti Gregorij cognoſcere licet. Hęc à Gregorio XI. in numero Baſilicarum, quę in anno Iubilęi uiſitandę ſunt, quarto loco aggregata eſt: in cuius bulla hęc verba habentur. *Conſiderantes, & intra noſtræ mentis arcana reuoluentes, qualiter glorioſus Deus in ſanctis ſuis,& in maieſtate mirabilis,opera manuum ſuarum mirificans,olim miro diſpoſuit ordine Eccleſiā Beatæ Mariæ Maioris de Vrbe fundari,atq; cuſtodiri, & ſubſequenter etiam dedicari, & qualiter etiam ipſe Deus in Eccleſia ipſa omni veneratione colenda, ob interceſſionem eiuſdem Beatæ Mariæ, ut piè creditur, multa operetur miracula,& ideo ex his, & ex alijs certis rationabilibus cauſis, cupientes,ut dicta Eccleſia Beatæ Mariæ Maioris, pariter cùm Baſilicis Apoſtolorum Petri, & Pauli,*

Indulgentiæ, & priuilegia huius Eccleſiæ. D.Gregor. Greg XI. hāc ipſam Baſilicā in anno Iubilæi uiſitandam inſtituit.

atque Eccleſia Lateranenſi præfatæ Indulgētiæ priuilegio decoretur. Auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia, volumus, ſtatuimus, atque etiam ordinamus, quod quicumque Chriſti fideles, qui huiuſmodi Indulgentiam Clementis prædeceſſoris noſtri aſſequi voluerint, præfatam Eccleſiam Sanctæ Mariæ Maioris, ſicuti & Baſilicas, atque Eccleſiam Lateranenſem, prædictis viſitare debeant, & teneantur. Hæc ibi.

Habet hæc Eccleſia etiam Portam Sanctam, quæ ab Archipresbitero Cardinali, qui eius Clero præeſt, aperiri, & claudi ſolet. Sed de præſtantia huius Baſilicæ hæc dicta ſufficiant. Qui plura deſiderat, peruoluat Petrum Caniſium in ſuo Mariali lib. 5. cap. 21. & ſequentibus, Promptuarium Catholicum Stapletoni Angli, ſuper Euangelium Natiuitatis Beatæ Virginis, & Cardinalem Baronium in ſuis locis.

Caniſius. Stapleton. Baronius.

Templum ab Argonautis ædificatum. Cedren. Plinius.

Sed nullo modo ſilendum hoc loco uidetur, quod ad B. Mariæ Virginis honorem ſcribit Cedrenus, hoc eſt, ab Argonautis ædificatum fuiſſe Templum omnium nobiliſſimum, quod Plinius lib. 36. cap. 1. refert, maximè admirandum fuiſſe; eo autem templo abſoluto, ab ipſis Oraculum conſultum fuiſſe, cuinam illud conſecrari deberet, reſponſumque accepiſſe his carminibus.

Aſsidua uirtute decus ſublime parate,
Atque unum (ſic mando) Deum, qui cuncta gubernat,
Cæleſti reſidens ſolio, colite, atque timete.
Illius æternum, atque ante omnia ſæcula Verbum,
Neſcia Virgo uiri noſtras emittet in auras.
Quod uelut igniferis impulſæ ſagitta procellis,
Edomitum reddet diuino munere mundum.
Huius, cui Mariæ nomen, Sanctiſsima Mater
Agnoſcet Templum proprium, ſibi ritè dicatum.

Hoc Oraculi reſponſum æneis literis in marmore impreſſis conſignatum, ſupra frontem portæ ipſius Templi ab antiquis gentilibus, cunctis legendum, æternæ memoriæ commendatum fuit. Procopius quoque Martyr apud Simeonem Metaphraſtem, ut ſcribit Surius tomo 4. menſe Iulij die 8. refert reſponſum Oraculi redditum, cum Iaſon Argonautarum Princeps primum templum in arce Athenis ædificaſſet: percontanti enim Principi, cuiuſnam futuræ eſſent illæ ædes, & cui in poſterum dedicandæ, Deo cogente, reſpondit: *Quæcumque ad honeſtatem, uirtutemque uos incitant, facite. Ego autem tres cupio, Deum unum, regnantem apud ſuperos; cuius Verbum abſoterit in alienum, conceptum in ſimplici Virgine; quod, tamquam igniius arcus, percurrens Mundi medium, omnes capiens, eos adducet donum Patri. Huius erit hæc ædes. Maria autem erit nomen eius.*

Procop. Metaphr. Surius.

Illud poſtremò in laudem Deiparæ adijciendum eſt, quod refertur in libro, qui inſcribitur Cathalogus gloriæ mundi à Bartholomæo Caſſanæo compoſitus; nempe apud Francos notiſſimum eſſe, quòd Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Mariæ Carnothenſis fuerit ante Chriſti aduentum ædificata in honorem Virginis pariture.

Caſſanæus.

RVTI-

RVTILII BENZONII, ROMANI, EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

De Præſtantia, ac Dignitate Sacri Iubilæi.

LIBER QVARTVS.

DVo In hoc quarto libro circa materiam Sacri Iubilæi principaliter à nobis tractanda ſunt. Primum erit, dignitatem, & pręſtantiam illius explicare. Secundum erit, ritus & Cęremonias, quę in eo fiunt, exponere. Quæ omnia ſequentibus capitibus explicabuntur.

Cap. I. *An diuina, uel humana auctoritate Sacer Iubilæus inſtitutus fuerit.*

Cap. II. *De Differentia inter Indulgentiam Iubilæi Anni Sancti, & Indulgentiam plenariam, illam præſertim, quæ ad inſtar Iubilæi conceditur.*

Cap. III. *Inſtituitur diſputatio. Quid poßit, & operetur Sacer Iubilæus ultra remiſſionem pœnæ temporariæ, & proponitur prima quæſtio. An Iubilæus, & Indulgentia remittere poßint culpas Veniales, eo ſaltem modo, quo Sacramentalia.*

Caput IIII. *Ponitur ſecunda quæſtio. An Sacer Iubilæus efficiat, ut opera ſibi annexa maiorem uim habeant, quàm ſi annexa ſibi non eſſent.*

Cap. V. *Tractatur quæſtio tertia. An Sacer Iubilæus ad modum, quo tollit pœnas, poßit etiam augere gratiam & gloriam.*

Cap. VI. *Exponitur quæſtio quarta. An attritio cum abſolutione Papali extra Sacramentum per uiam Indulgentiæ, & Iubilæi efficiatur contritio.*

Cap. VII. *Agitatur quinta quæſtio. An Annus Sacer, ſeu Annus Iubilæi poßit à Papa inſtitui, ut quid Sacramentale.*

Cap. VIII. *De ſuſpenſione Indulgentiarum in Anno Sancto Iubilæi.*

Cap. IX. *Quod dignitas Sacri Iubilæi ex varijs eius Epithetis rectè cognoſcatur.*

Cap. X. *Quòd præſtantia Sacri Iubilæi ex varijs Cæremonijs, quæ in eo fiunt, plenè innoteſcat.*

Cap. XI. *Neceßitas, & utilitas Cæremoniarum, in Eccleſia Catholica oſtenditur ex Sacrarum literarum teſtimonijs, Apoſtolorum traditione, Sanctorum Doctorum auctoritate, & ratione.*

Cap. XII. *Obiectiones Hæreticorum contra Cæremonias, & ritus Eccleſiaſticos ſoluuntur.*

Cap. XIII. *De Sacris Cæremonijs, quæ in Indictione, & inchoatione Anni Sancti fiunt.*

Cap. XIIII. *De Apertione Portæ Sanctæ.*

Cap. XV. *De ritibus, qui in decurſu Anni Sancti obſeruantur.*

Cap. XVI. De ritibus, & ceremonijs quæ in fine Anni Sancti adhibentur.
Cap. XVII. Quid myſticè in his ceremonijs ſignificetur.

CAPVT PRIMVM.

An diuina, vel humana auctoritate Sacer Iubilæus inſtitutus fuerit.

PRAESTANTIA, & dignitas Sacri Iubilęi ex eo maximè cognoſci poterit, ſi illum non ab homine, nec humana auctoritate; ſed à Deo, ac diuino iure inſtitutum eſſe, demonſtremus: quo etiam argumentandi genere D. Paulus, ut ius ſuum Apoſtolicum, dignitatemque ſuæ legationis oſtenderet, uſus eſt, dum ad Galatas ſcripſit, ſe non ab hominibus, neque per hominem, ſed per IESVM Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis, in Apoſtolatus gradu conſtitutum fuiſſe.

D. Paulus.

Sẽtentiæ Hęreticorum.

EXISTIMARVNT aliqui, ut Vualdẽſes, quos ſequuti ſunt Vuicleph, Rutheni, Huſſitæ, Thaboritæ, Lutherus, Caluinus, Kemnitius, & alij ſectarij, quos ſuperius adduximus; non ſolùm Sacrum Iubilæum, ſed in uniuerſum omnes Indulgentias figmentum humanum eſſe: & nec rem, nec nomen Indulgentiarum in Sacris libris Canonicis, uel in uerbo Dei fundamentum ullum habere; & Iubilæum quidem à Bonifacio Octauo profectum fuiſſe, atque ab eo tempore, non antea celebratum.

Intentio Auctoris.

VERVM nobis hoc in loco non de antiquitate, uel de ueritate, aut neceſſitate Indulgentiarum agendum eſt; cùm id in ſecũdo, & tertio libro amplè peractum ſit; ſed oſtendendum, Iubilęum, ſeu Indulgentias Eccleſiaſticas, quod ad rem attinet, non humanum eſſe inuentum, nec ab homine, nec per hominem ortum, & efficaciam nactas eſſe, ſed à Deo ipſo inſtitutas, diuinaque auctoritate, Chriſti, & Sanctorum meritis niti; Quod primò ex Scriptura, ſecundò ex uſu Eccleſiæ Catholicę, & tertiò ex rationibus ex eadem Scriptura deductis comprobabimus. *Primò* igitur, Sacrum Iubilęum, id eſt, ampliſſimam auctoritatem remittendi omnes pœnas peccatorum actualium, poſt remiſſam culpam debitas, per diſpenſationem Theſauri, à Chriſto relictam eſſe Eccleſiæ, non alijs locis Scripturę confirmandum eſt, quàm ex illis tribus, quę ſuperius adduximus, uidelicet, Matthęi 16. & 18. & Ioannis 20. quibus in locis tam intrà, quàm extrà Sacramentum, poteſtatẽ eſſe datam Eccleſię ſoluendi à pœnis, etiam conferendo Indulgentias, definit Cõcilium Tridentinum ſeſſ. 25. in decreto de Indulgentijs; & cùm Apoſtolis omnia myſteria fidei nota fuerint, etiam hanc poteſtatem à Chriſto eis reuelatam, atque relictam in Eccleſię commodum, & ędificationem neceſſariò ſecundum fidem Catholicam fatendum eſt; ut Sotus in 4. diſtin. 21. Ledeſm. & Cordubenſis queſt. 7. & communiter Patres, id eſt Chryſoſtomus, Ambroſius, Theodoret. Oecumen. Theophil. Hieron. Lyr. in illud D. Pauli 2. Corinth. 2. *Ego ſi quid donaui*; Quem locum ſupra abundè dilucidauimus ex horum Patrum ſententijs, & interpretationibus.

Indulgentiæ ſunt auctoritate diuina inſtitutę.

Matth 16. & 18. Ioan. 20.

Conc. Trid.

Sotus. Ledeſm. Cordub. Chryſoſt. Ambroſ. Theodor. Oecumen. Theophyl. Hieron. Lyran. 2 Corinth. 2.

IN HIS autem locis Scripturę adductis, etiam in foro Dei, & ſecundùm diuinũ iudicium auctoritatem cognoſcendi cauſas peccatorum, eaque remittendi, atque ſoluendi à Chriſto datam eſſe Eccleſię, docent hi Patres. Hilarius Canone 18. in Matthęum, Hieronym. in Caput 18. Matthęi, Auguſtinus tract. 22. & 49. in Ioannem, & lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 9. Chryſoſtomus, Homil. 61. in Matthęum; quorum ſententiæ integrę à nobis ſuperius adductę fuerunt. Prętereà ex his locis Scripturę hanc poteſtatem conferendi Indulgentias, probant hi Summi Pontifices, Innocentius Tertius in fine Concilij Lateranenſis, Nicolaus Quartus, uti refert Henricus Gandauenſis quodlib. 15. quæſt. 14. & Leo X. in Epiſt. ad Caietanum.

H.lar. Hieron. Auguſt. Chryſoſt. Innoc. III. Nicol. IIII. Henr. Gand. Leo X.

Tradidit

Tradidit autem in illis locis Chriſtus poteſtatem remittendi peccata abſolutè, & generatim, omni nimirum uia, modo, & ratione poſſibili, condecenti, atque expedienti ad finem Eccleſiaſtici miniſterij, id eſt, Dei gloriam, necnon ſalutem, & vtilitatem animarum. Hic eſt enim, vt inquit D. Paulus 2. Corinth. 8. finis omnis Eccleſiaſticæ functionis: nec vllum certum aliquem modum in ſpecie Dominus determinauit, aut excepit in illo generali modo loquendi. Iam verò, quòd Prælati Eccleſiæ auctoritatem habeant remittendi pœnas peccatorum extrà Sacramentum, eſt profectò decentiſſimum, & potentiæ, ſapientiȩ, ac bonitati diuinȩ maximè accommodatum. Id enim vehementer commendat beneficium, quod à Chriſti meritis in nos deriuatum eſt, theſaurum Eccleſiȩ ſummopere illuſtrat, atque nobilitat, ad animarum ſalutem, & commodum mirificè proficit, deniqe in Dei gloriam, & in Chriſti Crucifixi honorem, & laudem mirum in modum vergit; cùm eius ſatisfactiones nobis in dies varijs modis, diuerſiſque medijs applicẽtur. Nec ex citatis locis modus aliquis remittendi peccata excipiendus eſt, quem Chriſtus, qui Claues tradidit, atque inſtituit, non excepit: vel certè proferant Heretici locum Scripturæ, quo oſtendant, huiuſmodi rationem remittendi peccata per Indulgentias neque diuinam bonitatem decere, neque Eccleſiæ vtilem, vel fructuoſum eſſe. Certè nullum adducent, datæ enim ſunt Claues Petro ad ſoluendum ſine vlla reſtrictione intrà, aut extrà Sacramentum Cap. *Quodcumque* 24. quæſt. prima, atque ità etiam à Leone X. fuiſſe declaratum refert Caietanus in Opuſculo de Indulg. quæſt. 4. & 3. par. quȩſt. 48. art. 5. Vnde rectè D. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, dixit, *Vt omnifariam poteſtatem tradidit Pater filio; ſic filius Eccleſiæ Sacerdotibus*. Hæc autem loca Scripturæ, etiam extendi ad vſum poteſtatis remittendi peccata extrà Sacramentum, conſtat ex traditione, ac more perpetuo Eccleſiæ, de quo mox verba faciemus.

Chriſtus tradidit Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata abſolute, & in generali 2. Cor. 8.

Petrus habuit Claues ſine vlla reſtrictione.

Leo X.

Caiet.

Chryſoſt.

Traditio autem Eccleſiaſtica ex Regula Diui Auguſtini 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. illa certiſſima, & conſtantiſſima cenſenda eſt, quȩ ex vſu antiquo Eccleſiæ, cuius initium neſcitur, proficiſcitur, vt in eadem ſeſſione 15. Patres in Concilio Tridentino circà Indulgentias dicunt. Lege Clementem lib. 3. conſtitut. cap. 10. & ibi Turrianum, qui etiam in li. 4. de dogmat. charact. legendus eſt. Quare redarguendus eſt Durandus in 4. diſtin. 20. quæſt. 3. num. 3. dum dicit, de Indulgentijs pauca dici poſſe per certitudinem, & loca præfata, non eſſe clarum, intelligenda etiam eſſe de poteſtate conferendi Indulgentias. Contra quem legenda ſunt Decreta Conciliorum, & præſertim Tridentini loco citato. Alia loca Scripturæ, quæ idipſum probant, ſuperius à nobis adducta, & expoſita ſunt, nec eſt opus hoc loco ea repetere. Igitur hoc primo argumento demonſtratum eſt, intra poteſtatem Clauium, quæ diuina auctoritate inſtitutæ ſunt, Prælatiſque Summis Eccleſiæ à Chriſto traditæ, facultatem complecti concedendi Sacrum Iubilæum, & Indulgentias.

Quænam traditio vera ſit. Auguſt.

Conc Trid.

Clemen.

Turrian.

Durand.

Secvndo idem probatur ex vſu antiquiſſimo Eccleſiæ Catholicæ, ſecundùm quem Prȩlati, tamquam re diuina, & à Chriſto tradita, atque re vetuſtiſſima, poteſtate Indulgentiarum vſi ſunt. Sanè Sacrum Iubilȩum non eſſe inuentum Bonifacij VIII. neque quid recens, vel ab eo excogitatum, teſtatur apertiſſimè fideliſſima illa relatio Veterum, ac Seniorum, vt diximus, qui in illo centeſimo Anno, qui incidit in Bonifacij tempora, nullo Pontifice impellente, nullo edicto admonente, nulla Bulla edita, nullo Diplomate promulgata; ſed ex mera traditione, certiſſimaque hominum memoria, ad Baſilicam Sancti Petri pro magnis remiſſionibus conſequendis concurrebant. Numquid Hæreticus vniuerſam hãc multitudinem confluentem, inſanam, ſtultam, uel mente captam putabit? Certè ipſe inſolentiſſimus erit, atque omninò intolerabilis, ut dixit D. Auguſtinus in Epiſt. 118. niſi illi cedat. Erat planè illa uniuerſalis traditio, & non in una Orbis parte tantùm, ſed in omnibus Mundi regionibus unanimis conſpiratio, & per ſingulas ȩtates, atq; per manus apud omnes recepta notitia, quolibet centeſimo anno Romȩ apud Sãctum Petrum maximas Indulgentias conceſſas fuiſſe: hoc Galli, hoc Pannones,

Antiquus Eccleſiæ vſus cõferendi Indulgentias.

D. Auguſt.

Iacob. Card. l. b. de Indul. hoc Vuandali, hoc Angli, hoc Germani teſtati fuere, ut Iacob. Cardinalis in ſuo libro de Indulgentijs teſtatum reliquit. Quid? quod ipſemet Bonifacius in extrauaganti *Antiquorum*, Indulgentiam centeſimi Anni, ut rem antiquam, & à prædeceſſoribus ſuis fieri ſolitam refert? Lege Ekium in Enchyridion cap. 24. Latom. artic. 7. Lindanum 4. panopl. cap. 73. eaque res tantopere in uſu erat, ut Bonifacius Nonus mox eius nimietatem reſtrinxerit, ut Platina, & alij in eius vita.

Echius. Latom. Lindan. Platina.

At reſpondeat hæreticus, quis in Anno Sacro centeſimo Bonifacij VIII. tantam populi frequentiam ex omni Germania Romam adduxerit, ut infinita pœnitùs, & innumerabilis uideretur, teſte Trithemio, qui eam rem diligenter notauit? Inuitus certè fateri debet, famoſiſſimam traditionem rei antiquiſſimę illos ad Vrbem adduxiſſe: Nauagerius quoque prętantiſſimus huius ſæculi hiſtoricus de ea demre ſic ſcribit. *Tanta undique multitudo Romam uenit, ut uix incedere per Vrbem liceret*: quòd etiam Platina cōmemorauit, inquit enim, ob hanc rem, nempe, ut Sacrum Iubilęum conſequerentur, eo anno tanta undique hominum multitudo Romam uenit, ut incedere per Vrbem amplam quidem, & uaſtam uix liceret: Nec tam magnam virorum copiam erraſſe, temerè affirmandum eſt.

Trithemius. Nauager. Platina.

S. Syluester Papa Primus conceſſit Indulgentias.

At verò, ſi antiquitatem Indulgentiarum exactè uenari uelimus, illam ſupra Gregorium magnum in uſu fuiſſe reperiemus; immò ab ipſo D. Syluestro, qui ante annos 1200. Eccleſię præfuit, uiſitantibus Sacellum Sanctę Crucis in Hieruſalem, ad petitionem Sanctę Helenę Magni Conſtantini matris Indulgentię conceſſę leguntur in tabula marmorea eidem Sacello antiquitùs appoſita, ubi habetur, quòd Syluester Papa Sacellum illud conſecrauerit, & multis Sanctorum reliquijs ornauerit, multiplicemque peccatorum ueniam niſitantibus indulſerit.

Cord. Greg. de Valentia.

Quam hiſtoriam ad idem comprobandum adducit Cordubenſis libro de Indulgent. & Gregorius de Valentia libro de Indulgentiis capit. 3. In antiquiſſima enim tabula marmorea apud S. Ioan. in Laterano hęc uerba inciſa habentur, ex quibus Syluestrum Papam Indulgentias etiam plenarias conceſſiſſe liquidò apparet. *Conſtantinus Imperator poſtquam mundatus fuit a lepra poſt Sacri Baptiſmatis ſuſceptionem, dixit Beato Syluestro. Pater ecce domum meam in Eccleſiam ordinaui, infunde in eam tuam largam benedictionem pro uenientibus ad eam, & ait ad eum B. Syluester. Dominus* IESVS *Chriſtus, qui te mūdauit à lepra, & purificauit te fonte perenni, per ſuam miſericordiam mundet, & purificet omnes huc uenientes ſine peccato mortali, & auctoritate Petri, & Pauli, & noſtra ſit eis remiſſio omnium peccatorum quocunq; tempore anni.* Hęc ibi. Antiquitatem autem probari per literas ſcriptas uel inciſas in lapidibus, pręſertim quando ab antiquis huiuſmodi tabulis fides adhibita fuerit, omnes etiam Iuriſperiti docēt, ut habet Gloſſ. in Cap. *Cum cauſſam* in uerb. *Per literas* de probat. & ibi Abbas, Felinus, & omnes ſcribentes. Pręterea Innocentius Primus, qui pręfuit ante annos 1180. vel circà, de relaxandis, ſeu indulgendis pœnitentijs mentionem facit, in Epiſtola ad Decentium cap. 7. quę habetur tomo 1. Epiſtolarum Summorum Pontificum, ubi affirmat, Romanę Eccleſię cōſuetudinem fuiſſe, ut pœnitentibus, ſiue hi ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus Pœnitentiam agerent, feria quinta ante Paſcha, ſi nulla interueniſſet ęgritudo, Pœnitentia remitteretur; ſi autem ęgritudo extrema intercesſiſſet, ante tempus Paſchę relaxanda eſſet: quod etiam teſtatur Epiſtola monachorum, quę ſub Euthychete, in Orientali Eccleſia fuit ſcripta ad Concilium Epheſinum Secundum, & habetur Actione prima Concilij Chalcedonenſis, ubi inter cętera ſic ſcribunt: *Superuenit ſalutaris paſſionis dies, ſacra nox, & Reſurrectionis feſtiuitas, in qua quidem plurimis peccatoribus, à Sanctis Patribus noſtris, damnationes ſoluuntur.* Hęc ibi, ubi damnationis nomine, Pœnitentię appellantur.

Gloſſ. Abbas. Felinus. Inn. Primus. Conc. Epheſ. Conc. Chalc.

Clem. Papa Primus.

Quid? quod libro 3. Conſtitutionum Clementis Papę Primi cap. 8. & libro 8. cap. 44. non obſcura fit mentio Indulgentiarum, dum Layco, aut Diacono prohibetur Sacrificium offerre, aut baptizare, aut impoſitionem manus, aut benedictionem, ſiue magnam, ſiue paruam facere: Lege ibidem Turrianum in ſcholio, & annotationibus, ubi minorem benedictionem Indulgentias doctè interpretatur.

Turrian.

tatur. D. Gregorius Magnus, qui ſedit ante annos circiter mille, inſtituit Indulgentias viſitantibus ſtationes Romæ, ut referunt D. Thomas in additionibus quæſt.25.artic.2. Durandus diſt.20. Altiſſiodoren.lib.4. Caietan.ad Iulium cap. 1. Archid. in tract. de Indulgent. Genebrardus in chronicis par. 259. Antonin. tit.12. cap.3. & Platina; uel certè eas in certum ordinem redegit, cùm iam eſſent inſtitutæ; ut placet Onuphrio Panuinio. Derident Hæretici, & figmentum eſſe putant, Gregorium ſtationes inſtituiſſe, quoniam in ſcriptis D. Gregorij non extat mentio huiuſmodi Indulgentiarum, & ſtationum; ſed aberrant, quoniam ex Gregorio libro 7. Epiſt.63. id colligitur, & cùm D. Thomas, & Altiſſiodorenſis, & alij id aſſerant, non eſt cur dubitandum ſit; ſine firmo enim fundamento idipſum non ſcripſiſſent. D.Greg. D.Thom. Durand. Altiſſiod. Caietan. Archidiac. Genebrard. Antonin. Platina. Panuin. D.Greg.

Eodem tempore Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis ait, ut refert Henriquez lib.7.cap.3.nu.2. ſe de conſilio fratrum, id eſt, Epiſcoporum, conceſſiſſe quadraginta dies Indulgentiarum. S.Iſidorus. Henriquez.

Vt autem praxim, & vſum Indulgentiarum, etiam poſt Gregorium Magnum à Prælatis ſummis Eccleſiæ frequentatum eſſe, cognoſcamus, lubet hic aliorum etiam Pontificum, qui illas conceſſerunt, ſeriem texere. Pontifices qui poſt D. Greg conceſſerunt Indul.

In Epiſtola cuiuſdam Epiſcopi ad Domnum Papam Primum, qui præfuit ante annos 800. mentio fit Indulgentiarum pro animabus Purgatorij, ut ſcribit Vuolphang.lib.12. Comment.de Republica Romana. Vuolphang.

Paschalis Primus, ante annos ferè 700. plenariam Indulgentiam conceſſit pro animabus Purgatorij, quàm confirmarunt vndecim ſubſequentes Pontifices; cuius rei unum teſtimonium habetur apud Portam Baſilicæ Sanctæ Praxedis de Vrbe. Hic non fuit Paſchalis Quintus, ſicut putauit Gabriel addit. lectione 57. ſed Primus, qui ædificauit Baſilicam Sanctæ Praxedis, ut dicit Platina. Gabriel. Platin.

Vrbanvs Secundus in Concilio Claramontano, ut refert Platina, & Genebrardus, Indulgentiam dedit, ante annos 400. his, qui Cruce ſignati ad Bellum Hieroſolymitanum proficiſcerentur.

Paschalis Secundus circà eadem tempora, in Concilio quodam Lateranen. Indulgentiam quadraginta dierum conceſſit ijs pœnitentibus, qui limina Apoſtolorum uiſitarent, ut ſcribit Abbas Vrſpergenſis in ſuis chronicis anno 1116. Abbas Vrſpergen.

Veronae in templo Collegiatæ Eccleſiæ Sanctæ Helenæ extat Indulgentia inciſa in tabula lapidea ante annos 430. in ſolemni dedicatione illius Eccleſiæ.

Sergivs Tertius, qui præfuit ante annos circiter 600. Indulgentiam conceſſit Romæ uiſitantibus Eccleſiam Sancti Martini in Montibus, in anniuerſaria eius feſtiuitate, ut uidere eſt in antiquiſſimo lapide marmoreo apud altare maius eiuſdem Eccleſiæ.

Leo Tertius ante annos ferè 800. Indulgentiam conceſſit his, qui uiſitant Eccleſiam Sanctæ Mariæ Aquiſgrani; & his, qui celebrant feſtum Sancti Suiberti Epiſcopi Vuerdenſis, ut habet Surius in eius vita tomo 2. in initio Martij, deſumpta ex Epiſtola quadam Sancti Ludgeri ad Rixfridum Traiectenſem Epiſcopum. Surius.

Praeterea Alexandrū Tertium ante annos 400. Indulgentias conceſſiſſe, nec ipſi aduerſarij negant, habetur enim id expreſſe in capitulo. *Quod autem*, de Pœnit.& Remiſſionibus, ubi fit mentio Indulgentiarum, quæ in dedicationibus Eccleſiarum, aut in ædificatione Pontium concedi ſolebant.

Innocentivs Tertius circa annum Domini 1215. conceſſit Indulgentiam his, qui adiumentum præberent expeditioni Hieroſolymitanæ.

Honorivs Tertius ante annos circiter 360. Indulgentiam, quam ipſe Chriſtus ad petitionem Sancti Seraphici Franciſci conceſſerat uiſitantibus Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula apud Aſſiſium, etiam Apoſtolica auctoritate ſanxit, & confirmauit; cùm Chriſtus iuſſiſſet, Beatum Franciſcum huiuſmodi confirmationem ab eo, tamquam ſuo Vicario, petere: Concurſus autem copioſiſſimus populorum, qui ſtato die, magnaque deuotione eò confluit,

Hæreticorum impudentiam huiuſmodi hiſtoriam deridentium deteſtatur, & damnat.

SVB eodem tempore Gregorius Nonus Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum conceſſit uerè pœnitentibus, & confeſsis, qui in dedicatione Eccleſię Sanctę Sabinę, uel per dies octauę eamdem Eccleſiam uiſitauerint: ità inciſum eſt in lapide marmoreo Romę apud eamdem Eccleſiam.

EODEM ferè tempore Alexander Quartus in dedicatione Eccleſię Sanctæ Marię de Campo, Indulgentiam, uel relaxationem (ſic enim uocat) de iniunctis pœnitentijs conceſsit.

VRBANVS Quartus ſimiliter ante annos 300. his, qui Feſtum Corporis Chriſti piè uenerantur, Indulgentias conceſſit; ut habetur in Clementina unica, de reliquijs, & ueneratione Sanctorum.

Henricus de Gand.

NICOLAVS Quartus ante annos circiter 300. Indulgentiam elargitus eſt his, qui expeditioni Hieroſolymitanę opem pręſtarent; Vide Henricum de Gandauo quodlib. 15. quęſt. 14.

HOS ſequitur Bonifacius Octauus ante annos 290. qui Iubilęum plenarium publicauit in centeſimo quoque anno: quem deinde alij Pontifices ſubſequentes ad breuius tempus contraxerunt, & modò ad uigeſimum quintum annum recurrit. Et quoniam à tempore Bonifacij frequentiſsima fuit in Eccleſia conceſsio Indulgentiarum, idcircò non eſt, cur in hac re demonſtranda diutius immoremur: profectò qui ab hac antiquiſsima conſuetudine diſſentit, inſipiens eſt. Nunc unica ratione uſum Sacri Iubilęi ex iure diuino proficiſci probandum eſt.

Ratione probatur uſus Sacri Iubilæi ex Iure diuinò.

AD quid enim Chriſtus theſaurum pœnarum, & ſatisfactionum ſuarum Eccleſię reliquit, niſi ut in emolumentum fidelium indigentium diſpenſetur? fruſtra enim eſt potentia, ut docent Philoſophi, quę ad actum non reducitur; actum autē, & potentiam eiuſdem ordinis eſſe, nemo doctus ignorat: unde ex eodem iure actus proficiſcitur, à quò potentia emanauit. Quamuis enim Indulgentiam plenariam, uel Iubilęum hoc, uel illo tempore concedere ſit iuris poſitiui, & Eccleſiaſtici; tamen abſolutè actus Indulgentiarum in eo ordine ponendus eſt, in quo & poteſtas illas concedendi reponitur: ſicut etiam de Ieiunio, & de obſeruatione Diei feſti Theologi dicunt; nec Eccleſia Chriſtiana eſt minus benè à Chriſto inſtituta, quàm aliæ Reſpublicę, ad quarum bonum ſtatum pertinet, ut quę bona communia ſunt, ea diſtribui, & diſpenſari ex iuſta cauſſa poſsint ab ijs, qui in Communitate pręſunt; ne alioquin uel inutilia ſint, uel perperam ex priuatorum uoluntate diſtribuantur. Sed diuina auctoritate Eccleſiaſticum Iubilęum inſtitutum fuiſſe, Eccleſia diuino afflata ſpiritu, quę tamquam columna, & firmamentum Veritatis, in publicis ad Deum precibus errare non poteſt; in Oratione, quę publicè, ac ſolemniter à Summo Pontifice in initio Anni Sancti recitatur, apertè demonſtrat. Orat enim Deum, vt quemadmodum ipſe Iſraelitico populo Iubilæi, ac remiſſionis annum per Moyſem famulum ſuum inſtituit, & inſuper Chriſtiano populo in anno Iubilæi eius auctoritate inſtituto, ad ſupplicationes ſuæ maieſtati porrigendas ingredienti, Portam illam Sanctam ſolemniter aperiri voluit; ità concedat, vt venia, & Indulgentia plenę remiſſionis peccatorum obtenta, ad Regnum Cœleſtis glorię perfruendum, munęre ſuæ clementię perducatur: ſed omnis difficultas euacuabitur, ſi propria orationis verba legantur; ſunt autem hæc.

Oratio, quæ dicitur à Summo Pontifice initio Anni Sancti.

DEVS, qui per Moyſem famulum tuum Populo Iſraelitico annum Iubilei, & remiſſionis inſtituiſti: concede propitius nobis famulis tuis; Iubilæi annum hunc tua auctoritate inſtitutum, quo Portam hanc populo tuo ad preces tuæ maieſtati porrigendas ingredienti ſolemniter aperiri voluiſti, feliciter inchoare; ut in eo venia, atque Indulgentia plena remiſſionis omnium delictorum obtenta, cum dies noſtræ aduocationis aduenerit, ad Cæleſtem gloriam perfruendam tua miſericordia munere perducamur: per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Iubilęus Chriſtianus nō eſt inferior Iudaico.

PORRO inferioris ordinis Iubilæum Chriſtianum Hæbraico Iubilæo nequaquam conuenit eſſe. Hūc autem ex Dei inſtitutione emanaſſe clariſſimè legimus

Leuit. 25.

Leuit.25. & nos ſuperius multis in locis oſtendimus; igitur pari ratione noſter Leuit.25.
Chriſtianus. Idipſum abundè declarant pij ritus, religioſiſſimæque cæremoniæ,
quibuſcum in initio Anni Sancti Porta Aurea aperitur; inuocatur enim numen
Spiritus Sancti, dum Hymnus, *Veni Creator Spiritus*, decantatur, diuerſæque aliæ
preces accommodatiſſimæ recitantur, quas nos proximè adducemus, & declara-
bimus. Res enim diuinæ, vt grauiſſimæ, huiuſmodi ſanctiſſimis cæremonijs, exter
niſque ritibus celebrari ſolent: Cęremonię namque ualdè ad pietatem, & cultum
Chriſtianum conducunt, vt docet D. Auguſt. in Epiſt. 119. ad Ianuarium; etenim D. Auguſt.
teſte Apoſtolo ad Roman. 5. viſibilia declarant inuiſibilia, & corporalia ſpiritua- ad Rom. 5.
lia, & temporalia, ęterna: è creaturarum enim diuerſitate, magnitudine, ac ſpecie,
proportione quadam, vt argutè Theodoretus lib. 3. de Græcarum affectionum Theodor.
curatione, & Cyril. Hieroſol. Cathec. nona exponunt, generationis auctor, eiuſ- Cyril. Hieroſ.
que virtus, ac potentia ſpectatur. Et quamuis multi ritus Gentilium in Chriſtia-
nos à Pręlatis Eccleſiaru m cõuerſi ſint, vt de Cereo Paſchali, de Aqua benedicta;
de aliquibus diebus feſtis, qui etiam apud Gentiles ſacri erant, ut Theodor. li. 7. de
Græc. affect. curatione, & alij nonnulli ſcribunt; ſolemnitatem tamen, & cele-
brationem Sacri Iubilæi nullo pacto à Gentilibus, ſed immediatè ab ipſo Deo in
ſtitutam accepimus; quam tamen cæremonijs, & his quidem digniſſimis, à Sum-
mis Pontificibus coli, & exornari conuenientiſſimum fuit, vt ſuo loco declara-
bimus.

At præſtantia Sacri Iubilæi ex ipſo Auctore petita, ſatis, ſuperque expoſita ſit.
Nunc differentiam inter Sacrum Iubilæum, & alias Indulgentias aperiamus.

CAPVT SECVNDVM.

De Indulgentia Iubilei Anni Sancti, & aliarum Indulgentiarum diſcrimine.

MVLTAE ſunt Indulgentiarum differentiæ, & generaliter loquendo, pri- Variæ Indul-
ma diuiſione, Indulgentiam bifariam partiri, Doctores aſſerunt. Pri- gentiarum di
mò in eam, qua tota pœna integrè remittitur, & condonatur, quam di uiſiones.
uino Iudicio quis in Purgatorio ſoluere debet pro omnibus ſuis de-
lictis.

Deinde in illam, qua non tota pœna, ſed pars tantùm pœnæ debitæ pro pecca-
tis remittitur.

Indulgentia primi generis in multos alios modos, ſeu ſpecies ſubdiuiditur, vi-
delicet in Plenariam, ſeu plenam, in pleniorem, vel largiorem, in pleniſſimam, &
etiam in Iubilęum, quæ ſingulæ quomodo inter ſe, & à Iubilæo differant, inferiùs
dicemus.

Alterius autem generis Indulgentia, nempè, in qua pars pœnæ debitæ dumta-
xat remittitur, in tres alias ſpecies, ſeu modos ſubdiuiditur (Cæteri enim alij ad
hos reducuntur) Primus eſt, quando de iniunctis pœnitentijs Indulgentia conce-
ditur; vt olim paſsim concedebatur; tunc enim non ſimpliciter, & abſolute datur
Indulgentia omnis pœnæ, ſed ſolummodò ſignificatur, de pœna debita tantùm
remitti, quantum redemptum fuiſſet per ſatisfactiones à Sacerdote iniunctas: ne-
que enim nobis illorum opinio ullo modo probatur, qui dicunt, nũmquam In- Caiet.
dulgentiam concedi, etiam à Papa, niſi de iniunctis Pœnitentijs, ſiue id exprima- Altiſſio d.
tur, ſiue non; ut uolunt Caietanus tom. 1. Opuſculorum tract. 15. cap. 7. & Altiſ- Alber.
ſiodoren. Albertus, Gerſon, Maior, Paludanus, quæſt. 4. artic. 3. & Adrianus in Gerſon Maior.
quarto. Verior enim eſt, & Communior ſententia contraria, quam defendit So- Palud.
tus in quarto, diſtin. 21. queſt. 2. artic. 1. Cùm enim Papa abſolutè Indulgentias Adrian. Sotus.
concedit, nullo pacto eſt reſtringenda ad iniunctas. Durandus queſt. 4. nu. 10. in Durand.
fine,

Ledeſm. Angel. Siluester. Roſel. Nauar. Cordub. Ioan. Andr. Panorm. Hoſtien. Henriquez. Anton.

fine, Ledeſm. quęſt. 27. artic. 2. Angelus in verb. Indulgentia §. 1. uerſus finem, Sylueſter §. 2. Roſella §. 18. Nauar. notab. 11. num. 7. & 12. Cordub. quæſtio. 7. de Indulgen. propoſit. 4. Ioannes Andr. Panormitan. Hoſtienſ. in Cap. *Quod autem*, & alij, quos citat Henriquez lib. 7. cap. 6. ſuæ ſummæ; Fuerunt tamen aliqui, quos reijciunt Paludanus, & Adrianus locis citatis, & Antonin. cap. 3. §. 3. qui falſo dixerunt, ſemper intelligi de pœnitentijs iniungendis, licèt Papa explicet de iniunctis, quaſi Indulgentia dicatur iniuncta, quia eſt taxata à Deo; ſed ubi mens concedentis expreſſa eſt, non eſt opus vlla extenſione.

Greg de Val. Silueſt.

Secundus modus eſt, quando in Indulgentia conceditur remiſſio peccatorum, quæ quis fuerit actualiter confeſſus; neque enim per illam Indulgentiam remittitur pœna debita illis peccatis, quę quis oblitus fuerit confiteri, etiam ſine ſua culpa, ut Gregorius de Valentia in libro de Indulgentijs cap. 6. quod tamen iuxtà Syluestri limitationem intelligēdūm eſt, ut paulò poſt docebimus. Tertius modus eſt, quando in forma Indulgentię exprimuntur tot dies, uel tot anni Indulgentiarum; appellaturque Indulgentia tot dierum, uel tot annorum: tunc enim, ut rectè Sotus in quarto, diſt. 21. quęſt. 2. artic. 1. declarauit, intelligendum eſt, tantum pœnę in Purgatorio debitę remitti, quantum redimi poſſet per tot annorum; uel dierum iuſtam Pœnitentiam in hac vita peractam; & ad hanc ſpeciem reducitur Carena, quadragena, ſeptena, & alię huiuſmodi, de quibus lege Supplementum Gabrielis in 4. diſtin. 45. quæſt. 3. Cordubenſem quæſtio. 9. verſus finem, Medin. in ſuo tract. de Indulg. & Henriquez lib. 7. cap. 15. vbi rectè inquit, quòd mille anni Indulgentiæ, non ſignificant moram tanti temporis futuram in Purgatorio, ſed vnus annus dicitur ille gradus ſatisfactionis, qui, ſeruata proportione, reſponderet pœnitentiæ iniunctæ, vel iniungendæ iuxta Canones pœnitentiales; Vnde infert, quòd multis annis Indulgentiæ fortè aliquando reſpondet unus dies Purgatorij.

Sotus. Suppl. Gabr. Cordub. Medin. Henriquez.

Intentio Auctoris in hoc cap.

Nobis autem in hoc capite pręcipuè agendum eſt de differentia Sacri Iubilęi ab alijs Indulgentijs, non ſecundi, ſed primi generis. Nemo enim dubitat, inter plenarias Indulgentias Iubilęum numerandum eſſe, & differentia eius ab alijs ſecundi generis Indulgentijs, abſque aliqua noſtra expoſitione, compertiſsima omnibus eſt.

Cur dicatur Indulgentia plenaria, uel pleniſſima.

Vt autem facilius cognoſcatur, in quibus rebus Iubilęus, & Indulgentia plenaria, ſeu pleniſsima differant; (De hac enim ſola, ut diximus, eſt difficultas) primū videndum eſt, in quo Iubilęus, & plenaria Indulgentia conueniant. Atque ut conuenientia ſit notior, vnum priùs ponendum eſt, uidelicet, quòd Indulgentia non dicitur plenaria, vel pleniſsima, eò quòd theſaurus Eccleſię, ideſt, cumulus meritorum Chriſti, & Sanctorum, dum plene, vel pleniſsime applicatur, exhauriatur, uel euacuetur: eſt enim immenſus, & infinitus, nec umquam finem recepturus, ſē per abundantiſsimus, ſemper copioſiſsimus; ſola etenim una ſanguinis Chriſti gutta ſufficiebat ad conſtituendum cumulum infinitum, & inexhauſtum meritorum, ut inquit Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, & nos ſuperiùs demonſtrauimus; id quod ratio neceſſariò ſuadet; quoniam erat actio, ſeu paſſio ſuppoſiti infinitę dignitatis, Dei ſcilicet, & hominis, à quo opus, ſeu actio ualorem obtinet; igitur non dicitur plenaria reſpectu Theſauri, quaſi minuatur, uel euacuetur. Vnde Verſus.

Clem. Sextus

Mille licet ſumant, deperit inde nihil.

In acceptatione enim Dei manet hic infinitus Theſaurus meritorum Chriſti, ut nobis illa applicentur tàm intra Sacramentum, quàm extra, uarijs inſtrumentis, ac medijs finito tamen modo, ut ſępè dictum eſt; Dicitur autem pleniſsima, uel reſpectu poteſtatis Clauium, quę dum plenaria, uel pleniſsima Indulgentia cōceditur, extendit ſe, & explicat actum quam maximum remiſsionis ſecundùm totalem Clauium plenitudinem: quod tetigit Gloſſa uerb. *Pleniſſimam*, in Extrauganti, *Antiquorum*; ſicut cùm calor ſummus, ut decem exempli gratia, calorem etiam ſummum gignit, ut dicunt Philoſophi; Vel reſpectu ſubiecti, quia nobis per

Gloſ.

theſauri

theſauri applicationem in Plenaria Indulgentia vniuerſæ pœnæ temporales pro peccatis iam remiſſis debitæ, quantum eſt ex ſe, condonantur, & relaxantur: Dixi, quantum eſt ex parte Indulgentiæ; Nam per accidens efficitur aliquando, ut plenaria Indulgentia non remittat uniuerſam pœnam, ad quam ſuſcipiens obligatur. Si quis enim cùm concomitanti peccato veniali, utpotè aliqua vana gloria, uel leuiter diſtractus ſtudiosè, de qua re non conteratur ſaltem virtualiter, acquirat Indulgentiam, fructum ſanè remiſsionis Indulgentię plenarię adipiſcitur; at pœna illi ueniali, ad quod habet affectum, & complacentiam, correſpondens nequaquam tollitur; ut latiùs ſuo loco diſſeremus; quemadmodum etiam ſi confitetur quis integrè, remiſſionem quidem omnium culparum accipiet; non tamen illius uenialis, in quo actualem habet complacentiam; gratię enim, quæ per Sacramentum confertur, non opponitur veniale peccatum; ſed tantùm feruori Charitatis, ut docet D. Auguſtinus ſerm. 41. de Sanctis tom. 10. & D. Thom. 1. 2. queſtione 114. artic. 8. ad tertium. Vnde ſicut peccatum veniale, in quo quis cum uirtuali, uel actuali affectione iacet, nec per Sacramenti, nec per Martyrij receptionem, nec per Sacrificij oblationem remittitur; ſic nec per Indulgentiarum etiam pleniſſimarũ conſecutionem; itaque in eo peccato decedens, eſt pœna Purgatorij dignus, ut doctè Henriquez libro 8. cap. 52. Igitur ex eo, quòd totius pœnæ remiſſionem homo conſequatur, Indulgentia Plenaria nuncupatur. Ex hoc ſequitur, ut non æqualis remiſſio fiat ſemper in Indulgentia Plenaria, quamuis ſemper fiat totius pœnæ relaxatio; quia pœnæ, quæ ſoluuntur, non ſunt ſemper æquales; cùm unus plus alio debeat: Vndè fit, ut Plenaria Indulgentia in uno plures, in alio omnes quidem pœnas, quas debet, quæ alteri comparatæ, pauciores, minoreſque ſunt, remittat; quod tamen non prouenit ex parte Indulgentiæ, & theſauri; qui aptus eſt remittere infinitas pœnas, verùm quia in hoc, uel illo ſubiecto euacuandum plus non inuenit; ſicut medicinæ exemplo fit notum, quę expelleret humores, ut 20. ſi inueniret, ſed quòd non reperiat, non expellit, niſi, ut 10. Et gratia iuſtificans in Latrone plurima, in Magdalena Lazari ſorore ſeptem, in Petro unum negationis fugauit delictum: Quocircà optimè Paludanus 4. diſtin. 20. queſtione 4. ad primum notauit, id eſſe per accidens reſpectu Indulgentię: mens autem Papę concedentis plenam, uel pleniſſimam Indulgentiam eſt applicare ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum ſuſcipienti ea in menſura, & quantitate, ſecundùm quam ille indiget, etiam ſi Papæ id ſit incertum, uel incognitum, aliàs plena, uel pleniſſima non eſſet, ut dictum eſt.

D. Auguſt. *D. Thom.* *Henriquez.* *Indulgentia dicitur plenaria, quia homo conſequitur totius pœnæ remiſsionem.* *Palud.*

Hoc ſuppoſito, aſſignantur tres conuenientiæ, & vndecim differentiæ inter Sanctum Iubilæum, & plenariam Indulgentiam. Res profectò digna ſcitu, & à nemine, (quòd ſciam) hactenùs tàm accuratè tractata.

Tres conuenientiæ inter Iubilæum, & Indulgētiam plenariam.

PRIMA conuenientia eſt, quòd in utraque Indulgentia tota, & uniuerſa pœna, cuius homo reus eſt, pro actualibus peccatis iam remiſſis deletur, condonatur, & relaxatur ex Theſauri applicatione, &c. ità ut nihil omninò pœnæ debitæ remaneat ſoluendum, & homo ex integro debitor ampliùs nequaquam ſit. Non fit igitur tertiæ, quartæ, vel mediæ partis peccatorum, ſed omnium peccatorum id eſt, pœnarum pro peccatis debitarum remiſſio.

SECVNDA Conuenientia eſt, quòd quemadmodum in plenaria, ſeù pleniſſima, eſt reperire graduationem remiſſionis pœnæ, quamuis ſit per accidens ex parte Indulgentiæ, ut dictum eſt, ita quoque in Sancto Iubilæo.

TERTIA eſt, quia utraque reducit hominem ad Innocentiam Baptiſmalem. Vbi notandum eſt, quòd hoc dictum eſt Honorij Tertij de Indulgentia Plenaria conceſſa ad Bellum contra Turcas; quare ad Iubilæum quoque extendi poteſt. Quicquid enim conuenit plenariæ, conuenit Iubilæo, non autem contra, ut paulò poſt explicabitur.

Quod autem huiuſmodi Indulgentia uim habeat reducendi hominem ad Innocentiam Baptiſmalem, intelligendum eſt non poſitiuè, quia Innocentia ſemel amiſſa, eadem numero de nouo acquiri non poteſt; ſed quantùm ad ſimilem effe-

Quomodo Iubilæus, & Indulgentia plenaria reſtituat

ctum: ex

hominem ad innocentiam baptiſmalem. Hoſtienſ. Silueſter. Doctores cõmuniter.

ctum:ex quo fit, ut ſi homo ex viuis diſcedat, cùm primùm Indulgentiam plenariam, uel Iubilæum conſecutus eſt, ſtatim ad Cœlum euolet, pœnas Purgatorij non attingens: Ità Hoſtienſis, quem ſequitur Sylueſter verb. Indulgentia nu. 33. & communiter Doctores.

Qvattvor autem ſunt, quæ in ſuſcipiente hunc effectum Indulgentiæ retardare poſſunt, prout annotauit Auguſtinus de Ancona in libro de poteſta. Eccleſia. quæſt. 32. artic. 4. verſus finem.

Aug. de Anc. Quatuor impedimenta retardantia effectum Indulgentię ſupra poſitum. Archidiac. Syluest.

Primò, ſi Indulgentia generalis detur de pœnis iniunctis, & tamen maior Pœnitentia erat ſibi iniungenda; unde pro illa, quæ debuerat ſibi iniungi, in Purgatorio punitur.

Secundò, ſi detur Indulgentia de peccatis ore confeſſis, & aliqua ex obliuione, uel ignorantia non fuerit confeſſus; quod intelligendum eſt, ut benè Archidiaconus, & Syluest. notant, nec ſpecialiter, nec generaliter: quoad oblita enim, niſi culpa intercedat, ſufficit Confeſſio generalis.

Tertiò, ſi poſt Indulgentiam, etiam ampliſſimam, quis peccatum mortale committeret, quod licèt poſt modum confiteretur, pro ſatisfactione tamen eius Indulgentia accepta non ſuffragaretur.

Quartò, ſi ſuſcipiens, dum acquirit Indulgentiam, affectum habeat ad aliquod peccatum ueniale; illud enim, ut iam ſuperiùs dictum eſt, per huiuſmodi Indulgentiam remitti non poteſt, quouſque habuerit affectum ad illud; ſed hoc, (ut nos ſuperiùs prænotauimus) per accidens eſt reſpectu Indulgentiæ, uel Iubilæi, qui quantùm ex ſe eſt, totam pœnam expungit: ſicut enim Chriſtus poteſt totam pœnam tollere, ita & Papa, qui in perſona Chriſti donat; ut optimè D. Paulus 2. Corinth. 2. dixit; & ibidem Gloſſa dicit, ac ſi Chriſtus donaſſet, ne irrita uideatur donatio, quæ propter amicos fit: Et ſi meritum paſſionis Chriſti fuit re uera ualoris infiniti, cur non poterit debitum quodcumque ſoluere? iuxta illud Sapientiæ 7. *Infinitus eſt Theſaurus datus hominibus, quo qui uſi ſunt, facti ſunt participes amicitiæ Dei.*

2. Cor. 2. Gloſſa. Sap. 7.

Hæ ſunt conuenientiæ inter Indulgentiam Plenariam, & Iubilæum. Nunc differentias non paucas ſubiungamus.

Multę differentię inter Iubilęum, & Indulgẽtiam plenariam.

Prima ſumitur ex parte cauſſæ, propter quam conceditur, & eſt intrinſeca differentia moraliter loquendo: cęteræ enim Indulgentiæ pleniſſimæ, etiam ad inſtar, & in forma Iubilæi, dantur ex minori cauſſa, hæc una ex maiori; Beneficium autem collatum ex maiori cauſſa, maius ſine dubio eſt, quàm collatum ex minori, uel leuiori. Explico: Omnes aliæ Indulgentiæ præfatæ conceduntur ob particulares cauſſas, & occaſiones, utputà ob Bellum in Turcas, pro rebus Galliæ, Flandriæ, pro bono huius, uel illius prouinciæ. Hæc autem Indulgentia maximi Iubilæi propter illas ſex grauiſſimas, & vniuerſaliſſimas cauſſas ſuperiùs explanatas; Quibus accedit, inſtitutum eſſe hunc Sanctum Iubilæum ad recolendum maxima, qua fieri poteſt, ſolemnitate Beneficium Natiuitatis Chriſti Saluatoris noſtri, qui annum placabilem uenit in terris nunciare; Vnde ſemper, & perpetuò incipit hæc Indulgentia à Vigilia Natiuitatis Domini, qui eſt Princeps pacis, Rex Pacificus, pater futuri ſæculi: Ergò ſicut apud nos unum feſtum altero maius dicitur, propter memoriam maioris, uel minoris beneficij, quod in illo recolitur; Vt feſtum Transfigurationis eſt maius feſto Beati Antonij: & D. Thom. lect. 5. in cap. 10. Ioannis aſſerit, feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quod ſignificet ſanctitatem totius Eccleſiæ, & in illo recolantur beneficia Sacramentorum, & gratiarum communiter toti collectioni fidelium collata, & exhibita, excedere feſtum cuiuſlibet Sancti; ſicut & maiora ſunt beneficia collata toti Eccleſiæ, quàm beneficium collatum alicui Sancto; & apud Hæbręos feſtum tubarum in Kal. Septembris erat maius feſto expiationis; quoniam in illo memorabatur liberatio Iſaac, in iſto remiſſio peccati commiſſi ab uniuerſo populo in vituli adoratione; ita cauſa, & motiuum huius maximi Iubilæi maius eſt, quàm pleniſsimæ Indulgentiæ, quæ extrà Iubilæum conceditur, & per conſequens ipſa quoque Indulgentia Iubilæi

Iubilęus Anni Sancti pręcipuè inſtitutus ob memoriam Natiuitatis Chriſti. S. Thomas.

bilæi

bilei abſque ulla comparatione maior, & excellentior erit.

Secvnda differentia intrinſeca accipitur ex parte remiſſionis. Hoc eſt, quia Indulgentia Anni Sancti eſt pleniſſima remiſſio, cæteræ plenę, & plenariæ remiſſiones. Explicatur hoc quod dicimus, iuxtà pleroſque Doctores. Indulgentiæ etiam Plenariæ regulariter in forma Eccleſię, de iniunctis dumtaxat Pœnitentijs Canonicis, ideſt, quæ Sacris Canonibus taxatæ ſunt, conceduntur, vt 82.d. Cap. *Presbiter*, & 33.quæſt.2. Cap. *Latorem* vbi magna iniungitur pœnitentia Matricidæ, & cuilibet peccato mortali ſama eſt, taxatos, ſeu iniunctos eſſe ſeptem annos, quibus agatur pœnitentia; etſi hoc ex certo Canone minimè haberi Nauarro placeat, in ſuo Manuali cap.26.num.17. vt ſuperiùs indicatum fuit; Vndè ſecundum ius cōmune, & antiquum vſum Eccleſiæ de iniunctis pœnitentijs abſolutio, & Indulgētia concedebatur, vt Caiet. de Indulgen. cap.6. Soto quæſtio.1.art.2. ante tertiam conclusionem, Ledeſm. quæſt.27.art.1. Corduben. quæſt.3. Duran. quæſt.4. & alij; At in Iubilæo Anni Sancti, quia eſt Pleniſſima remiſſio, ne dum de iniunctis, hoc eſt de vinculo, & obligatione, quam peccator habet in pœnis illis taxatis ſoluendis; vel etiam iniungendis, uel quæ iniungi poſſent; ſed de quibuſcumque pœnis debitis, tàm in hoc foro pœnitentiali Eccleſiaſtico, quàm in Purgatorio; Tàm ſecundum Iuſtitiam Canonum, & Eccleſiæ, quàm ſecundum exactiſſimum Iuſtitiæ Dei rigorem; omnes, & uniuerſæ, (ut uno uerbo dicam) Pœnæ debitę peccato remittuntur, relaxantur, & condonantur. Faciūt autem Doctores huiuſmodi graduationem Indulgentiæ, Plena, Plenior, Pleniſſima; Quæ à Palud. locis citat. Antonin. 1.par.tit.10. cap.3. à Nauar. in ſuo Comment. De Iubilæo not.9. Adriano de Indulgentijs, Col. 12. Maiore in 4. diſtin.20. quæſtio.2. Col.8. à Supplemento Gabrielis in 4. diſtin.45. quæſt.3. à Ioanne de Anania, & Felin. in Tract. de Indulgent. à Silueſtro verbo Indulgentia q.10. & communiter ab alijs Summiſtis multipliciter exponitur.

Indulgentia Anni Sancti eſt pleniſſima reliquę plenę ſeu plenariæ

Nauar.

Caiet.
Sotus.
Ledeſm.
Cordub.
Durand.

Quæ ſit Indulgentia Plena, plenior, & pleniſſima ex diuerſis Doctoribus.

Primo, ut plena ſit reſpectu pœnarum, quæ in abſolutione, & confeſſione peccatorum mortalium homini à Sacerdote iniunguntur. Plenior uerò reſpectu iniūctarum pœnarum, etiam uenialium delictorum. Pleniſſima autem uidetur, quę ſit etiam de pęnitentijs non iniunctis, ſed de iniungendis, uel quę iniungi debuiſſent. Ità Petrus de Palud. loco cit. unde in pleniſſimis non apponitur particula illa, *de iniunctis*, ſed abſolutè, tàm ab impoſitis, quàm ab imponendis pœnis quis abſoluitur.

Petrus de Palud.

Secvndo cùm Turrecremata de pœnit. diſtin.1. §. Item in Leuitico, quęſtio.7. art.1. quod etiam (ut ipſe refert) ex Paludano accepit, ut dicatur plena Indulgentia, quæ conceditur ad pœnam mortalium peccatorum remittendam; Plenior uerò quæ ad pœnas non ſolum mortalium, ſed etiam uenialium peccatorum delendas conceditur; Pleniſſima, qua non ſolum delentur mortalia, & uenialia quātum ad pœnam, ſed etiam ipſa uenialia quantum ad culpam; poteſt enim remitti pęna mortali debita, non remiſſa pœna debita ueniali, ſicut & culpa; & poteſt ſolui pęna unius peccati, alia non ſoluta; & plenior eſt ſolutio, uel remiſsio utriuſque, quàm alterius tantum: ſupponit hæc expoſitio, per Indulgentiam poſſe remitti quoque ueniale quantum ad culpam, quod tamen inferiùs examinabitur.

Turrecr.

Tertio, Nauar. in citat. notab.19.nu.2.3.4. & 5. ſic declarat, ſupponens quòd, quamuis Indulgentia peccati, & remiſsio peccati idem ſit; non tamen idem eſſe remiſsionem omnium peccatorum, & Indulgentiam Plenariam; ſupponit etiam, quòd conceſſa plena Indulgentia ſimpliciter, non cenſetur conceſſa Pleniſsima, neque Plenior, eſt enim Indulgentiarum conceſsio ſtrictè interpretanda. Vndè dicit quòd Plena cenſenda eſt illa, quæ omnes pęnitentias iniunctas tollit, debitas pro confeſsis peccatis; atque à fortiori illa, quæ non ſolum iniunctas, ſed etiā quæ iniungi poſſent, uel iniungēdæ eſſent pro delictis, quæ quis confeſſus eſt, tollit. Plenior autem, quæ totam pęnam omnibus peccatis mortalibus, etiam non confeſſis debitam, delet. Pleniſsima uerò, qua omnium mortalium, & uenialium, etiam eorum, quæ quis confeſſus non eſt, debitæ pęnæ relaxantur; Cum enim duobus

Nauar.

prioribus

prioribus nil ſuperaddi poſsit, niſi condonatio pœnæ uenialium, meritò Pleniſsima illa dicetur, quæ etiam illorum pœnam tollit; atque hæc pleniſsima uocari ſolet, omnium peccatorum Pleniſsima, aut Plenaria Iubilæi, ut idem Nauar. notab. 9. num. 8. & 15. & notab. 26. num. 1. Atque hunc modum dicendi ſequitur Henriquez lib. 7. cap. 15. §. 7. in Gloſſ. & ante Nauarrum docuit illum Ioannes Maior in 4. diſtin. 20. quæſt. 2. dubio ultimo.

Nauar. Henriquez. Ioan. Maior.

Angel. Pien.

ANGELVS Pientinus lib. 2. de Iubilæo cap. 5. ſic interpretatur, quòd Plena illa dicatur, quæ paſsim à Summo Pontifice abſque aliqua additione conceditur: Plenior uerò, quæ non niſi ex magna cauſſa, nempè, cùm Eccleſiæ magnũ aliquod imminet periculum, aut pro gratiarum actione, cum Deus ex aliqua graui afflictione eam eripere dignatus fuerit; quæ etiam Iubilæi nomine, uel ad inſtar Iubilæi conceditur. Pleniſsimam tandem uocat illam, quæ uigeſimoquinto Anno, aut quinquageſimo, uel centeſimo concedi ſolet; ac denique illa, quæ Anni Sancti Indulgentia appellatur. Quæ Doctrina nequaquam ſubſiſtit; cùm non intrinſecas differentias aſsignet; tùm etiam, quia Summi Pontifices Pleniſsimas Indulgentias concedunt extrà tempus Anni Sancti, & Sacri Iubilæi.

Sententia Auctoris. Dominicus Soto.

VERVM, illud unum hac in re certiſsimum eſt, nempè huiuſmodi triplicem Indulgentiæ diuiſionem nequaquam irridendam eſſe, ut fecit Domin. de Soto in 4. diſtin. 21. quæſt. 2. artic. 3. appellans illam concionatorum exaggerationem, nec dignam eſſe Doctore Theologo, & tandem excogitatum commentum, quod nullo certo nititur fundamento; ſanè Summi Pontifices in ſuis Bullis ea utuntur, ut Boniface. in ſua Extrauag. & alij paſſim. Quidquid tamen ſit, in omni acceptione, & expoſitione; ea, quæ tamquam potiora, & digniora, Pleniſſimæ Indulgentiæ conceduntur, Sacro Iubilæo in primis tribuenda eſſe omninò fatendum eſt; inter Indulgentias enim illius generis primum locum obtinere Iubilæum, apud omnes in confeſſo eſt; nec approbamus quod dixit Ledeſm. quæſt. 27. art. 2. dub. 5. concl. 1. & Victoria, & aliqui alij recentiores, nimirum Plenam, Plenariam, & Pleniſſimam idem ſignificare; communis enim ſententia Doctorum uariè hos gradus Indulgentiarum diſtinguit, & Praxis Eccleſiæ ità habet. Quamuis enim conceſſio earum Indulgentiarum, quæ plenæ, vel pleniores vocantur, hodie ferè non ſit in vſu; attamen plenariarum, vel pleniſſimarum vſus frequentiſſimus eſt. Etenim abſurdum exiſtimari non debet, ſi pleno aliud plenius dari poſſit; licèt enim primâ fronte plenum comparationem recipere minimè videatur, cùm eius proprietas ſit vt nec augeri, aut minui poſſit; Scriptura tamen, & vſus loquendi, vt benè notauit Ioannes Maior loco citato, nomen illud, plenum, aliter vſurpant. Namq; uas fermè plenum, vulgus plenum ſæpè uocat; & Stephanus Actor. 8. dicitur plenus gratia, & fortitudine, nimirum fortitudine ſufficientiæ; quæ tamen alia longè maior Beatæ Virgini conceſſa fuit, appellaturque plenitudo eminentiæ; capacitas autem paſſiua animæ neque in Virgine, neque in Beato Stephano erat totaliter plena, quod ſolùm animæ Chriſti conceſſum fuit, cùm illa fuerit plena gratiæ, & veritatis Ioan. 1. nempè plenitudinis infinitatis. Quocirca ſi theologicè huiuſmodi triplex gradus metiendus ſit, meo iudicio, pleniſſimæ Indulgentiæ concedenda erunt omnia genera remiſſionis pœnarum, quæ in foro Pœnitentiæ excogitari poſſunt, & ad quæ Clauium poteſtas, ſecundum ſuam totalem plenitudinem ſe extendit, nimirum earum pœnarum, quæ à Sacerdote in abſolutione tàm mortalium, quàm uenialium iniunctæ ſunt; tum earum, quæ confeſſis peccatis iniungi debuiſſent, tàm ſecundùm diuinam Iuſtitiam, quàm ſecundùm Eccleſiæ Canones in foro pœnitentiali, ut habet D. Thom. in 4. diſtin. 20. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 2. atque etiam ſecundùm rationabile Sacerdotis arbitrium. Deinde etiam earum, quæ debentur pro delictis, quæ oblita, & abſque dolo in Confeſsione detecta non fuere; uel etiam, quorum quis contritionem habuerit, nondum tamen Sacerdoti actu confeſſus ſit; poſtremò etiam peccatorum, quorum quis aliàs confeſsionem fecerit. Pleniori uerò inferior gradus aſsignandus erit, nempè iniunctarum tàm mortalium, quàm uenialium. Plenæ uerò tantùm mortalium: neque enim alia diſtin-

Ledeſm. Victor. Ioan. Maior. Actor. 8. Ioan. 1. D. Thom.

ctio doctè aſsignari poteſt, præſertim, cùm quando plena, vel plenior conceditur, addi ſoleat in Diplomate, *In forma Eccleſia conſueta*, quę uerba iniunctas Pœnitentias tantùm reſpiciunt. Hęc autem differentia diſtinguit Iubilęum ab alijs gradibus Indulgentię, non autem à Pleniſsima, quę in hoc ęquatur Iubilęo.

Tertia differentia ſit, quòd hęc Sancti Iubilęi Indulgentia (ut inquit Sylueſter, verbo Indulgentia nu. 24.) eſt propriè Indulgentia culpæ, & pœnæ, ut vulgò dicitur; eſtque hic Annus fons quaſi, & origo Indulgentiarum huius generis, ex quo cæterę emanant, & deriuantur. Syluest.

Aduerte, quòd hic modus loquendi, Indulgentia culpæ, & pœnę, licèt ſit improprius, vt benè notauit D. Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 4. cùm id ſit proprius effectus Baptiſmi, uel abſolutionis Sacramentalis, quę ſummam contritionem annexam habet, eſt nihilominus Catholicus, & Apoſtolicus. D. Anton.

Tripliciter autem poteſt accipi, & uerificari hic ſtilus loquendi, quòd in Indulgentia culpę remiſsio comprehendatur. Primò pręſuppoſitiuè, hoc eſt per pręcedentem confeſsionem, uel contritionem, ut inquit, D. Antoninus ibidem, & Syl. loco proximè cit. & ſic omnes Indulgentię remittunt culpam, ideſt pręſupponunt culpam mortalem remiſſam, ſaltem per contritionem, quę pręexigitur, ac deinde per ſubſequentem Indulgentiam pœna remittitur. Secundò finaliter, quod per illam homo liberatur ab omni culpa, & pœna; & ſic ſolùm Plenaria id operatur ſubſequente morte, quę in cauſa eſt, ut homo amplius non peccet; & hic modus eſt ualdè improprius. Tertiò concomitatiuè, quia in conceſsione illius Indulgentię conceditur quoque facultas eligendi Confeſſorem, qui poſsit etiam à reſeruatis abſoluere, vota aliqua commutare, & cętera pręſtare, quę in Bulla pręſcribuntur, ſicut Echius in Diſputatione lipſica, Greg. de Valentia de Indulgentijs cap. 6. Henriquez lib. 7. cap. 9. §. 4. & alij recentiores exponunt: atque hic modus eſt proprius Indulgentię Anni Iubilęi, cum ea omnia pleniſsimo modo, & copioſiſsimè in eo pręſtentur. Lege Gloſſ. magnam in Extrau. *Antiquorum*, in verbo. *Confitebuntur*. Nauar. notabili. 10. nu. 16. & 18. & Henriquez lib. 7. cap. 1. in Gloſſ. qui loco ſuperiùs citato, addit quartum modum, quòd. ſ. fortè etiam per Indulgentiam, & per boni operis ei adiuncti executionem remittantur quoque culpę venialium, & tota pœna temporalis; ſiuè peccatum veniale ſit reatus pœnę temporalis, ut Scoto placet, & Maiori in 4. diſt. 45. quæſt. 1. ſiuè ſit uerè macula, ut cum communi omnium Doctorum ſententia credo, quę tamen omnia exactè inferiùs examinabuntur. Ioann. Maior in quarto, diſtin. 20. quæſt. 2. in 7. propoſitione, interpretatur, Indulgentiam à pœna, & à culpa, hoc eſt, à pœna culpæ debita; ut in ſimili 2. Machab. 12. dicitur. *Sancta, & ſalubris eſt oratio pro defunctis, ut liberentur à peccatis eorum*. Quomodo intelligatur Indulgentia culpæ, & pœnæ. Echius. Greg. de Val. Henriquez. Gloſſ. Nauar. Henriq. Scotus. Maiori. to. Maior.

Qvarta Differentia eſt omnino extrinſeca, ſecundum quam differt Indulgentia Anni Sancti etiam ab alijs Iubilæis, qui alijs temporibus conceduntur. Explico. Cęteri Iubilæi dantur hoc, vel illo tempore, menſe, & Anno; Hic verò Anni Sancti ſtatis annis, certis, definitiſque annorum numeris. Vndè præſefert imaginem rei fixæ, immobilis, & perpetuæ in Eccleſia; cęteri verò ad placitum, & ad nutum Pontificum ſunt. Hanc tangit Greg. XIII. in Bulla, ibi *Statis annis*. Cęterę etiam Pleniſſimæ, & ad inſtar Iubilæi ferè quolibet anno dantur, de quo ſub murmurauit Soto in 4. diſt. 21. quæſt. 2. artic. 1. Gregor. Papa XIII. Sotus.

Qvinta Differentia ex parte durationis ſumitur; cęteri enim Iubilæi octo, uel ad ſummum 15. diebus, hic perpetuò non minùs quàm per integrum Annum durat; tùm ut Peregrinis commoditas detur accedendi ad Vrbem; tum, ut inter annorum ſæcula integer Annus ſanctificetur; tùm etiam ut nemo, uel ob villam, uel ob uxorem, uel ob negocia ualeat ſine uerecundia ſe excuſare, ſi illum conſequi prætermittat.

Sexta Differentia eſt ex parte loci. Explico: cæteri Iubilæi ubique in omni Pago, in omni Prouincia, & Regione celebrantur; Hic ſolum Romæ, quæ Patria eſt communis, cæterarum magiſtra, in qua tamquàm in Orbis capite, ſem-

per Religio,& Pietas floruit, ut abundè docuimus in præcedentibus.

Magis eſt peregrinari ad Limina Apoſtolorũ, quã ieiunium duorum annorũ. D.Cletus. Nic. Primus

SEPTIMA differentia eſt reſpectu operis iniuncti; Hæc Indulgentia Anni Sancti habet impoſitum opus Peregrinationis ad Limina Apoſtolorum. Quæ uiſitare, inquit Cletus Papa, magis eſt, quàm Ieiunium Duorum Annorum. Qui cognoſcere deſiderat quanta Deuotione,& frequentia Chriſtiani ad Apoſtolorum limina accedere conſueuerint, legat Epiſtolam Nicolai Primi ad Michaelem Imperatorem, legat vitam Sanctorum Marij, Abacuch,&c. & hiſtorias antiquiſſimas, à nobis ſuperiùs citatas.

Henriquez.

Adde quòd viſitatio Baſilicarum eſt opus Religionis ad latriam ſpectans, alia verò opera in alijs Iubilæis iniuncta, uel ad miſericordiam, ut Eleemoſina; uel ad Temperantiam, ut Ieiunium diriguntur; Religio autem eſt omnium uirtutum potiſsima, cùm corporalis exercitatio ad modicum, Pietas ad omnia ualeat. Henriquez libro 7.cap. 14. rectè exiſtimat, hoc onus Peregrinandi Romam, & viſitandi limina Apoſtolorum, eſſe tutiorem, raram, & proportionatam cauſam concedendi Iubilæum. Adeſt enim, inquit, publica cauſſa conſeruandi memoriam Primi Vicarij Chriſti, & Sedis Apoſtolicæ, ut omnes uenerentur auctoritatem Papę, qui eſt Petri ſucceſſor; quod nos antea prædocueramus.

OCTAVA Differentia eſt ex parte Cęremoniarum, & apparatus, qui in eo anno celeberrimus eſt; aperitur enim in eius primordijs quædam Porta, quæ ſancta, & aurea nuncupatur, cuius lapides, & cęmenta benedictione Papali ſanctificantur, dum in fine anni clauditur; præſentia quoque Summi Pontificis, ac Illuſtriſſimo Cardinalium Senatu conſeſſus ille illuſtratur, & decoratur; Pleraque alia, quę grauitatem rei mirificè, & appoſitè ſignificant, adhibentur; De quibus inferiùs ſuo loco.

NONA Differentia accipitur ex adiunctis; reliquę enim Indulgentię, etiam ad inſtar Iubilæi conceſſæ, ſocias habent quaſcumque alias Indulgentias; anno autem ſancto omnes,& ſingulæ Plenæ, Plenariæ, & Pleniſſimæ, etiam ad inſtar Iubilæi conceſſæ ſuſpenduntur; atque hęc ſola in toto Orbe integro uiget anno, & vnica perſeuerat.

DECIMA Differentia eſt ex annexis, ut paulò ſuperius dictum eſt, reſeruati enim caſus, etiam Papales faciliùs, & benigniùs abſoluuntur; vota liberaliùs commutantur; irregularitates aliquæ ex occulto delicto emanantes miſericorditer diſpenſantur;& ſimilia, quæ alibi fuſiùs dinumerabuntur.

De abſolutione à reſeruatis, & à cenſuris elapſo Iubilæi anno.

ILLVD interim obſeruandum eſt, quòd & ſi euolutus fuerit annus ſanctus, ab irregularitate tamen, quę ſecundum facultates in Sancto Iubilęo Pœnitentiarijs conceſſas potuiſſet diſpenſari, uel à reſeruatis ſimiliter conceſſis, poterit quis etiam à non Pœnitentiario Romano abſolui, uel diſpenſari, ſi illorum pœnitens memoriam non habuit, quando Romę confeſſus eſt; ſi enim tunc recordatus fuiſſet, utique Pœnitentiario enarraſſet; quapropter deſierunt eſſe reſeruata,& conſequenter ab omni proprio Sacerdote abſolui poſſunt; eſt doctrina Palud. in 4. diſt. 18. quæſt. 5. Syluest. Confeſſio primo, quęſt. 4.& aliorum, quos citat Nauar. in ſuo Manuali cap. 26. nu. 11.& 13.& Henriquez lib. 3. cap. 16.

Palud. Syluest. Nauar. Henriq.

Optimum cõſilium pro Pęnitentibus.

Opportunum itaque erit, vt Pœnitentiarius quemlibet abſoluat, ſecundum plenitudinem poteſtatis, quam eo tempore habet; & vice uerſa pœnitens det operam, ut generaliter ab omnibus excommunicationibus,& reſeruatis abſoluatur: ſtudeat quoque ſuper irregularitatibus diſpenſari, dummodo facultas abſoluentis ad hoc ſe extendat.

Iubilęus ab Indulgentia differt, ut differebat annus ſeptimus à quinquageſimo.

VLTIMO, ut ad ſummam aliquam omnia reuocemus. Ità differunt Sacer Iubilęus, & Indulgentia Plenaria; ſicut Annus ſeptimus ab anno quinquageſimo apud Hæbræos differebat. In ſeptimo non omnia debita remittebantur, ſed ſecundum aliquos differebatur eorum ſatisfactio, quoad Annus ille eſſet elapſus: Vnde erat quædam ſpecies remiſſionis non pleniſſimæ. In ſeptimo item, cornu non inflabatur ad ſonitũ, nec decimo menſe antecedente præconizabatur, & Poſſeſſiones ad priores Dominos non reuertebãtur. Sic in cęteris Indulgentijs, quãuis fiant

uis fiant plenæ remiſſiones; in hac tamen maximi Iubilæi pleniſſimæ conceduntur: In illis non fiunt regulariter votorum commutationes, nec denique in cæteris Mater Eccleſia tàm ample gremium aperit gratiarum. Vndè magnam aliquam differentiam ſine dubio inter illas intercedere affirmandum eſt.

Greg. de Val. Sot. Cordub.

Gregorivs de Valen. loco citato, ſequutus Sotum diſtin. 21. quæſt. 2. art. 1. & Cordubenſem quæſt. 9. de Indulg. exiſtimat, hæc nomina, Plenaria, Plenior, & Pleniſsima, & etiam Iubilęus, quod attinet ad ipſam Indulgentiæ rationem, ſignificare idem genus Indulgentiæ; illud nempè, quo tota pœna debita remittitur; unde infert, Iubilæum in eo accidentaliter ab alijs huiuſmodi Indulgentijs differre, quòd fieri ſoleat in illo facultas eligendi confeſſorem, qui à reſeruatis quoque abſoluat.

Nauar.

Navarrvs Canoniſtarum opinionem ſequutus, qui Theologicas formalitates intimè non diſcernunt, aliquam differentiam intrinſecam agnoſcit inter Iubilęũ, & pleniſsimam Indulgentiam. Sed nequaquàm exponit, uel explicat, quę nam ſit illa; aliud enim, inquit, intendunt Summi Pontifices concedere, concedendo plenam; & aliud concedendo Pleniorem, aliud denique concedendo pleniſsimam, uel Iubilęum.

Probatur expoſitio Ioan. Monachi.

Ioannes Monachus in Gloſſa; uerbo, *Pleniſſimam*, in dicta Extrauag. *Antiquorum*, rem hanc, meo Iudicio, ex ore Pontificis mirifice declarauit; Dicit enim, Papam interpretatum fuiſſe in Conſiſtorio, ſe pręſente; hanc Indulgentiam Iubilęi adeo pleniſsimam eſſe, prout Clauium poteſtas ſe extendit; quod, inquit, intelligo prout uerba patiuntur.

Differẽtia inter Iubilæum & alias Indulgen. ſecũdum Theologos.

At Vero theologicè loquendo, Iubilęus ab alijs Indulgentijs pleniſsimis accidentaliter tantùm differt, ſi rationem, ſeu gradus remiſsionis pęnarum attendamus; in utraque enim remiſsio datur in ea ſumma menſura, ad quam Clauium poteſtas ſe extendit; & idem eſt Pleniſsima, ac Plenaria Iubilęi, ut dictum eſt; ab alijs uerò, ideſt à plenis, & plenioribus Indulgentijs, ſi eorum opinionem ſequamur, qui diuerſos gradus remiſsionis illis tribuunt, ut expoſitum eſt, dicendum erit, intrinſecè differre; cùm hę tantum de iniunctis mortalium, & uenialium concedantur; Iubilęus uerò etiam de alijs non iniunctis. Si uerò Soti, Victorię, & aliorum recentiorum opinio magis placeat, tunc, & à Iubilęo etiam magno, & inter ſe illi tres gradus nec accidentaliter quidem differunt; Hodie autem ex Praxi Eccleſię, & ex communi forma, & ſtilo concedendi Indulgentias, uidetur omnino eſſe idẽ plenaria, & pleniſsima. Quocircà nec à plenaria Iubilęus eſſentialiter differt, ut aſſerit quoque D. Anton. 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 6. Vnde in Anno Iubilęi tantum Indulgentię Plenarię ſuſpenduntur à Sixto Quarto, in Extrauag. *Quemadmodum*, de pęnitentijs, & remiſsionibus; in qua etiam conſtitutione Indulgentia Anni Iubilæi remiſsio plenaria nuncupatur: atque hæc uidetur mens Summorum Pontificum his temporibus, ut conceſſa plenaria, pleniſsima quoque concedi uideatur, & ſuſpenſa plenaria, pleniſsima quoque ſuſpenſa habeatur. Res tamen hæc tota in effectu ad mentem, & intentionem Pontificis concedentis referenda eſt; ſi enim concedendo plenam, intendit concedere remiſsionem omnium pœnarum, tàm earum, quæ pro peccatis confeſsis iniunctæ ſunt, quàm earum, quæ iniungendæ eſſent, & in foro Dei debitæ ſunt; nemini dubium eſt, quòd hæc Indulgentia non ſolum pleniſsimæ, ſed etiam Iubilæo adæquanda eſt.

D. Anton.

CAPVT TERTIVM.

Inſtituitur Diſputatio. Quid poſſit, & operetur Sacer Iubilæus vltrà remiſsionem Pœnæ Temporariæ.

IN HAC diſputatione quinque inſignes quæſtiones diſcutiendæ ſunt. Prima eſt. An Iubilæus, & Indulgentiæ remittere poſsint culpas veniales, ſaltem eo modo, quo Sacramentalia.

Secunda quæſtio eſt. An Sacer Iubilæus efficiat, vt opera ſibi annexa maiorem vim habeant, quam ſi annexa ſibi non eſſent. Vel quod idem eſt, an opera ex connexione cum Sacro Iubilæo maiorem efficacitatem habeant.

Tertia quæſtio eſt. An Sacer Iubilæus ad modum, quo tollit pœnas, poſſit etiam augere gratiam, & gloriam.

Quarta quæſtio eſt. An Sacer Iubilæus ex attrito efficiat contritum. Vel quod idem eſt, an attritio cum abſolutione Papæ per viam Indulgentiæ, & Iubilæi efficiatur contritio.

Quinta quæſtio. An Annus Sacer, ſeu Annus Iubilæi poſſit à Papa inſtitui, vt quid Sacramentale. In hoc autem capite primam tantùm proſequemur, reliquas in ſequentibus.

QVAESTIO PRIMA.

An Iubilæus, & Indulgentiæ remittere poſſint culpas veniales eo modo ſaltem quo Sacramentalia.

Opinio Palu. D. Antonin. & Coſm. Mõtigian.

PALVDANVS in 4. diſtin. 20. quęſt. vltim. art. 3. in fine, quem ſequitur D. Anton. 1. par. tit. 10. cap. 3. in principio, & Modernus Auctor Coſmas Montigianus in tractatu de Iubilæo, cap. 18. exiſtimat, Pleniſsimam Indulgentiam, in quantum habet rationem cuiuſdam abſolutionis, remittere etiam culpas veniales; probat à ſimili; De confeſsione generali, non Sacramentali, quæ cum ſit quædam abſolutio, culpas veniales delet: Vult autem Paludanus, ad hoc neceſſariò requiri contritionem; inquit enim, Papam non poſſe remittere culpam ad plenum, niſi homo ad plenum conteratur; & addit, quòd aliqua contritio eſt plena, adiuncta Papali abſolutione, quæ per ſe non eſſet plena; ſicut etiam coniuncta benedictioni Epiſcopali; quæ per ſe non ſufficeret. Vnde intendit docere, quòd Papalis abſolutio extrà Sacramentum, de non plena facit plenam, ſicut etiam benedictio Epiſcopalis; & quæ contritio per ſe non ſufficeret, coniuncta cum Papali abſolutione in Indulgentijs communicata, ſufficit ad remiſsionem culpę venialis: iuxtà quem ſenſum affirmat, verba illa Extrauagantis Bonifacij intelligi, quòd ſcilicet vnuſquiſque ſecundum quod magis, vel minus deuote accedit ad Indulgentias, plenius, vel minùs plenè recipit: cum hoc de plenaria remiſsione pœnę dici non poſsit, ſed ſolùm de remiſsione culpę.

Vt autem quantę ſit veritatis hęc doctrina cognoſcatur, examinanda eſt Quęſtio propoſita, ſcilicet, an Indulgentia remittat culpam venialem ad modum Sacramentalium.

Sacramentalia, remittunt culpas veniales.
D. Thom.
Sotus.
Cordub.
Palud.
Silueſt.
Petrus à Sot.

AD CVIVS quęſtionis reſolutionem, aliqua pręnotanda ſunt; ac Primò, communiſsimam eſſe ſententiam Theologorum, per Sacramentalia, quæ Eccleſia, poteſtate ſibi diuinitùs data, inſtituit, tolli culpas veniales, niſi obex ponatur. Ità habet D. Thom. 3. par. quęſt. 87. art. 3. Soto in 4. diſtin. 15. quęſt. 2. art. 3. Cordubenſis li. 5. Queſtionarij quęſt. 21. Corol. 3. in tertia propoſitione Palud. diſtin. 16. quæſt. 1. art. 4. concluſ. 4. Silueſt. verbo Aqua benedicta §. 1. Petrus Soto tit. de pœnitentia Lectione 18. & alij communiter. Sicut enim Chriſtus dedit Eccleſię auctoritatem extrà Sacramentum excommunicandi, abſoluendi à cenſuris, concedendi In

dulgentias

dulgentias ex theſauro,definiendi dogmata fidei, mores uniuerſales Eccleſiæ approbandi,canonizandi Sanctos,inſtituendi Beneficia, conſecrandi Calices,confirmandi Religiones, & ſimilia; ſic etiam dedit Eccleſię poteſtatem inſtituendi Sacramentalia,ideſt res quaſdam ſenſibiles, quæ quamuis non dent gratiam,diuino tamen iure uim quamdam ſpiritualem habent mundandi hominem à venialibus, & liberandi illum ab impugnatione Dęmonis, eiuſque uim reprimendi, ac denique aliquo modo purificandi, & ſanctificandi animam extra Sacramentum,ut Doctores colligunt ex 16. Matthæi, & 20.Ioannis.Ex Patrum enim traditione;uſus clauium non limitatur ad ſolum forum Pœnitentiæ, ut ſuperiùs docuimus.Modus autem,quo Sacramentalia tollant culpas veniales,cæteroſque effectus, quos diximus,operentur,duplex aſſignatur à Doctoribus.

Quomodo Sacramentalia tollant culpas veniales.

Primvs eſt communis, nimirum Sacramentalia id facere ratione impetrationis, per orationem nomine totius Eccleſiæ oblatam;uel quia excitant actum deuotionis, motumque Pœnitentiæ, uel Charitatis in anima, per quem expelluntur venialia cum tali actu incompatibilia,ad modum operis operantis.Ità Palud. 4.diſtin.16.quæſt.1.artic.2. concluſ.4. D.Thom.in quæſtionibus de malo,quæſt. 7. artic.12.& 3.part.quæſt.87.artic.2.& 3.Gabriel diſt.16.quæſt.5.artic.3. Dub. 3.Riccardus in 4.diſt.21.artic.3.quæſt.1.Abul.4.Reg.cap.2.quæſt.39. Anton.1. part.tit.10.cap.1.§.5.Turrecre.Cap.*Tria ſunt*,de Pęnit.diſt.1.& Cap.*Aquam*,de conſecratione diſt.1. Petrus Sotus tit.de Pœnit.lectio.18. & Alij.

Palud. D.Thom. Gabriel. Riccard. Abulen. Antonin. Turrecr. Petr.Soto.

Secvndvs modus eſt Soti in 4.diſt.15.quæſt.2.artic.3. aſſerentis,Sacramentalia uim habere remittendi venialia ex ui Clauium Eccleſiæ, & ex opere operato, ideſt, ex eo quòd Sacramentalia vi propriæ conſecrationis inclinant animum ad motum Pœnitentiæ; quod probat ex verbis,quibus illa benedicuntur; alioquin, inquit,non plus eſſet dicere.*Credo*,quàm *Pater noſter*;& aſpergi aqua non benedicta,quàm benedicta;nec benedici ab Epiſcopo,quam à ſimplici Sacerdote.

Sotus.

Hvnc modum loquendi ſequitur Franciſcus Victoria, in ſumma Sacramentorum in Tractatu de Pœnit. quæſtio. 109. Cano in relectione de Sacramentis, prima part.ad ſextum,Ledeſma 1.par.quæſtio.28.artic.3. Maior in 4. diſtin. 23. quæſtio.2. Caniſius in ſuo Cathechiſmo, Turrianus lib.3. pro Epiſtolis Pontificum cap.6. & Vualdenſis tom.3. Sacramentalium tit.vltimo cap.68.

Victoria. Cano. Ledeſm. Maior. Caniſ. Turrian. Vualdenſis.

Atque huic modo loquendi fauere uidentur uerba Alexandri Papæ I. qui fuit Quintus à Petro, in Cap. *Aquam*, de conſecratione diſt.3. Vbi ſic habet, *Aquam ſale conſperſam Populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur;quod etiam omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus, nam ſi ſanguis vitulæ aſperſus ſanctificabat, multò magis aqua ſale aſperſa, & diuinis precibus conſecrata Populum ſanctificat*. Vbi ex ui conſecrationis uirtutem ſanctificandi Aquam habere dicit.

Alex.Papa I.

Huic ſententiæ ſubſcripſit Henriquez lib.1.cap.20.§.2.& 3.& lib.4.cap.15.§. 8. vbi etiam addit, Cęremonias legales à Deo olim inſtitutas venialia remiſiſſe, ex Doctrina D.Auguſt. De vera,& falſa Pœnitentia,cap.20.

Henriq. D.Auguſt.

Quo etiam modo Bellarminus in 7.controuerſia primi Tomi,lib.2.cap.30.exiſtimat, ſignum Crucis ex inſtitutione Dei, & ex opere operato ualere contra Diabolum; quod probat ex eo,quòd Iudæi,& Pagani ſine ulla fide in Chriſtum, ſolùm intendentes facere,quod Chriſtiani faciunt;fugarunt ſigno Crucis Dęmones,ut patet ex Nazianzeno,oratione prima,in Iulianum,Epiphanio Hæreſi 30. & Gregorio lib.3.Dialog.cap 7.Vnde cum non ex deuotione,aut fidę operantis tunc talis effectus profectus fuerit,ex ipſo ſigno,ſeu Crucis Charactere,& merito Paſſionis Chriſti,cuius hæc præcipuum fuit inſtrumentum, illum emanaſſe fatendum eſt.Quare D.Auguſt.lib.83. quæſtionum,quæſ.79.dicit,indictum à Deo Dęmonibus,ut cædant Cruci,tamquam ſceptro ſummi Regis,quo modo Populi militibus cędunt,cum ab illis profertur ſignum Imperatoris. *Nec mirum eſt*, inquit, *quod hæc ſigna valeant; cum à bonis Chriſtianis adhibentur, quando etiam cùm vſurpantur ab extraneis,qui omninò ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt,pro-*

Bellarm. Virtus Signi Crucis cõtra Diabolum. Nazianz. Epiphan. Gregor. D.Auguſt.

pter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his ſignis huiuſmodi poteſtates, Deus ipſe prohibet occultis modis, cum id iuſtum, atq; utile iudicat; Nam nullo modo illi ſpiritus audent hæc ſigna contemnere. Contremiſcunt enim ubicumq; illa proſpexerint. Sic Auguſt. lege eumdem Bellarminum lib.3. de cultu Sanctorum cap.7. & alibi.

Bellarm.

Sententia probabilior.

QVAMVIS autem hic modus remittendi venialia à Soto, & ab alijs, qui eum ſequuntur, expoſitus probabilis ſit, magis tamen communis eſt ille, qui à Beato Thoma traditur; excitant enim huiuſmodi Sacramentalia actum Deuotionis, in quo uirtualis ſaltem diſplicentia venialium continetur, per quam illa delentur. Vndè, qui ſpontè in Eccleſiam ſe recipit, aut comitatur Epiſcopum, ut inde ſpiritualiter proficiat, dummodo uirtualiter id noluerit, remiſſionem uenialium conſequitur: ſiue ergò hoc, ſiue illo modo concurrant Sacramentalia, certum eſt, per ea deleri culpas veniales; quod idem quæritur de Indulgentijs, & præcipuè de Sacro Iubilæo.

Quid hoc loco ſignificet culpa uenialis.

D.Thomas.

NOTANDVM ſecundò, quid ſibi uelit culpa venialis in præſenti; & quidem non intelligitur ipſa actualis culpa; hęc enim, cum tunc ſit actualiter, quando uel ſit, vel actu placet, impoſſibile eſt, quòd tunc, cum actu exiſtit, deleri poſſit; propriè enim tunc ponitur obex. Vnde tunc neque per Indulgentias, neque per Sacramentalia, nec per Sacramenta deleri poteſt; ut habet D. Thom.3. part.quęſt.87. artic. 2. ad tertium, docens per Sacramenta poſſe tolli culpas veniales, niſi ponatur obex, ideſt niſi actu placeant; intelligitur ergò culpa ipſa venialis habitualiter, cùm ſcilicèt, commiſſo iam peccato veniali, dicitur quis in eo manere etiam ſi dormiat, uel aliud agat, propter ipſam maculam, quam peccatum actuale reliquit.

Quid ſit formaliter culpa uenialis.

Scotus.

Gabriel.

TERTIO. Notandum eſt, non conuenire Doctores in aſſignanda iſta macula ueniali; Nam Scotus in quarto, diſt.14.quæſt.1.§. *Dico igitur*, vult, quòd ſit denominatio, per quam formaliter dicitur is, qui peccauit, obligatus ex deſtinatione diuina ad tantam pœnam temporariam; Vnde apud Scotum, & ſequaces, vt Gabriel diſt.16.quæſt.5.artic.1.not.2. Macula eſt reatus, & obligatio ad pœnam. Sed fallitur, nam propterea dicitur quis reus pœnæ, quia eſt reus culpæ, & quia eſt in culpa, deformitate, ac macula; quin potiùs, ſi de potentia Dei abſoluta ille, qui peccauit ad nullam pœnam deſtinaretur, uerè peccator eſſet, deformis, & maculatus propter peccatum commiſſum; ad nullam tamen pœnam eſſet obligatus, neque ex deſtinatione Dei eſſet reus pœnę. Differt ergò reatus pœnę à macula, & reatu culpę. Quid autem ſit macula peccati venialis, non conſtat inter Doctores huius ſecundę ſententiæ. Lege D.Thom. prima ſecundę, quęſt.86.artic.1. & 2. & quęſt.89.artic.1.& 3. part. q.87.artic.2. Scotum in 4.diſt.15.quęſt.2.art.2. verſ.3. *Arguitur*, Nauar. De Indulgentijs not.10.num.11.verſ. *Septimum Macula* Gregor. de Valentia, prima ſecundę, diſputatione 6. quęſt.16. verſ. *Quintò ſequitur:* Baſſolium in 4. quęſt.2. artic.1. §. *Quantum ad præſentem*. Et quamuis ad noſtrum inſtitutum non referat, ſcire quid quiſque dicat; ſed ſatis ſit noſſe, maculam in hac ueriori ſententia non eſſe reatum pœnę, ſed potius reatum culpę, & quid prius, quam ſit obligatio ad pœnam; nihilominus aliorum quoque ſententię recenſendę ſunt.

D.Thom.

Scotus.

Nauar.

Greg.de Val.

Baſſolis.

Baſſolius ſequutus Scotum exiſtimauit, maculam peccati primò, & per ſe eſſe denominatione, illam, qua quis dicitur eſſe in peccato ex actu pręterito peccati, non dum cōdignè retractato. Vnde illam delerim aſſerit nil aliud eſſe, niſi pręteritum peccatum ità condignè retractari, ut ampliùs imputari non poſſit. Sed fallitur; peccata enim formaliter in denominatione non conſiſtunt, ſed in priuatione gratiæ, ſi mortale ſit; uel nitoris, & pulchritudinis, quam animę confert gratia, ſi ſit veniale, iuxtà doctrinam D. Thomę 3. part. quęſt.87. artic.2. ad tertium; per inclinationem enim inordinatam affectus ad rem temporalem, decor, quem gratia dat animę, impeditur nè concinnè effulgeat, & eniteſcat; atque huius perfectionis priuatio, quę metaphoricè nuncupatur macula, ſeu impedimentum, ue-

In quo conſiſtat formaliter peccatum mortale, & veniale.

D.Thomas.

niale

niale peccatum dicitur, per quod anima retardatur à feruore charitatis, hominiſque affectus impeditur, ne erga Deum promptæ, familiariſque amicitiæ officia exerceat. Manet autem hæc macula tranſacto peccato in anima per modum habitus, non quòd verè ſit habitus, vel qualitas de ſpecie qualitatis; ſed quoniam manet ſicut habitus, etiam nobis dormientibus; Status enim ille habitualis ex peccato præterito, eſt turpitudo habitualis ipſius animæ. Lege Greg. de Valentia, qui eruditè hanc rem exponit tom. 2. loco citato, & diſputatione 6. quęſt. 2. puncto 1. Caietanum in ſecundam ſecundæ quæſt. 86. art. 1. & Abulen. Matth. 29. quæſtio. 72. Vegam lib. 12. in Concilium Tridentinum cap. 26. & lib. 14. cap. 17. Ledeſm. 1. par. quæſt. 27. art. 4. & quæſt. 28. art. 1. qui omnes diſtinguunt rectè culpam, etiam in habitu, à reatu pœnæ.

Greg. de Val. Caiet. Abulen. Vega. Ledeſm.

Atque de his peccatis, quæ in modum habitus animæ inhærent, illamq; etiam peccato tranſacto inquinant, & deturpant, loquitur Eſaias cap. 4. ibi. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Syon*, & cap. 27. *Hic eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum*, & Ezechiel 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: & clarius Ioſuè 22. *An parum eſt vobis quia peccaſtis in Beelphegor, & vſque in præſentem diem macula huius ſceleris in vobis permanet?* Item Dauid Pſalm. 50. *Et à peccato meo munda me*, & D. Ioannes in prima ſua Epiſtola cap. 3. *Scitis*, inquit, *quoniam in hoc ille apparuit, vt tollat peccata veſtra*; Et de macula, & immunditia venialium dicitur Prouerbiorum 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Scoti autem ſententia ex eo etiam redarguitur, quòd hominem ad pœnam ordinari non eſt malum, ſed bonum, & iuſtum: Vnde ex ea ordinatione, vel relatione ad illam, quis peccator nec dici, nec cenſeri debet.

Iſai. 4. & 27. Ezechiel. 36. Ioſuè 22. Pſal. 50. 1. Ioan. 3. Prouerb. 20.

Quocircà errauit Almainus in 4. diſtin. 21. Maior. diſtin. 41. queſtio. 1. Medina tractatu 1. de Pœnit. quæſt. 3. & de reſtitut. quæſt. 7. Echius in colloquio Vormacien. & aliqui alij, qui dixerunt, poſt peccatum veniale nil culpę, aut maculę remanere, ſed reatum pœnæ temporalis.

Almain. Maior. Medina.

Qvarto. Notandum eſt, Indulgentiam dupliciter poſſe cōſiderari. Primò præciſè, ut talis, ut ſcilicet ſolum habet rationem remiſsionis pœnæ temporariæ. Secundò, ratione coniuncti, ſiue annexi operis, ſcilicet, orationum, uiſitationum, operum miſericordiæ, Ieiunorum, & Sacramentorum: id notat Caietán. tom. 1. in tract. 16. quæſt. 2. ad primum, & Cordubenſis lib. 5. quæſtionarij quæſt. 8. &c. Quibus notatis, & ſic poſitis, ad propoſitam quæſtionem, per ſequentes propoſitiones reſpondendum eſt.

Caiet. Cordub.

Prima Concluſio. Nō repugnat Indulgentię cuicumque, etiam non plenarię, remittere culpas ueniales indirectè. Explico. Dupliciter intelligi poteſt, quòd Indulgentia indirectè remittat culpas. Primò ratione operis adiuncti, ſiue ex electione adiunctum ſit, ſiue ex impoſitione eius, qui dat Indulgentias, & in hoc ſenſu cōcluſio clara eſt, & in omni opinione neceſſariò uera, niſi obex ponatur. Et probatur. Quoniam ratione coniuncti operis, ſi ſit actus contritionis, uel confeſsio Sacramentalis poteſt remittere etiam culpas mortales, ergò à fortiori ueniales. Secundò quia tale annexum, ut plurimum, uel ſunt opera uirtutum, uel Sacramenta, uel Sacramentalia, & his tribus modis poſſe tolli culpas ueniales, docet D. Tho. 3. par. quęſt. 87. art. 2. & 3. Adde, quòd in omni conceſsione Indulgentiarum apponi ſolet Clauſula illa, *Contritis, & confeſsis*, & plerumque, *Sanctiſsimo Sacramento corporis, & ſanguinis Domini Noſtri Iesv Chriſti refectis*, uel ſaltem particula illa, *in forma Eccleſiæ conſueta*, ideſt, confeſsis, uel qui propoſitum cum contritione habeant ſuo tempore confitendi. Secundò accipi poteſt, quòd Indulgētia indirectè, ideſt ex conſequenti culpas ueniales tollat, ſublato enim toto reatu pœnę, ſeu remiſſa omni pœna per Indulgentiam, uel etiam per alienam ſatisfactionem alteri iuſto applicatam, conſequenter tollitur culpa uenialis; aliàs homo in culpa maneret ſine ullo debito pœnæ, quod eſt abſurdum; quod etiam ipſe Scotus concedit in dicta diſtin. 21. quæſtio. 1. Almainus, & Gabriel locis citatis. Et docet Ledeſm. 1. par. quæſt. 28. art. 4. Vnde in hoc caſu priùs remitteretur pœna, quàm culpa, & tūc

Quomodo Indulgentia remittere poteſt culpas ueniales. D. Thom. Scotus. Almay. Gabriel. Ledeſm.

abſque

Henriq. Nauar.

abſque ullo merito proprio,aut noua infuſione gratię,ſicut accidit in Purgatorio, remitteretur culpa uenialis,ut benè notauit Henriquez lib.4. cap.11. §.1.& Nauar.not.10.num.14.aſſerit,maculam uenialem per Indulgentiam indirectè remitti,quatenus pœna peccato ueniali debita ſublata, ipſa quoque macula imperfectè præſupponitur ſublata, ſcilicet, uel ratione annexi, uel alterius operis præcedentis,quod culpam uenialem tollat.

Indulgentia ſolum pœnas directe tollit, non culpas,etiam ueniales. Palud. Sotus. Nauar. Cordub. Greg.de Val. D.Thom. D.Anton. Supplem. Summiſtæ. Henriquez.

Secvnda Concluſio.Indulgentia præcisè ſumpta,licèt in opinione Scoti poſſit tollere maculas ueniales directè, ſecundùm tamen communiorem, & ueriorē opinionem,non poteſt eas tollere; ſed ſolùm pœnas debitas pro culpis; ad hoc enim immediatè inſtituta eſt,ſicut etiā aliena ſatisfactio. Ità habet in terminis Palud.in 4.diſtin.16. quęſt.1.art.2.concluſ.4. dicens, *Non autem Indulgentia, qua ſolùm pœnam, non culpam etiam venialem remittunt.*& Dominicus de Soto diſtin.21. quęſt.2.art.1.Nauar.not.10.num.16.Cordubenſis lib.5.,quęſtio.8.Greg.de Valentia,lib.de Indulg. cap.6.& ante iſtos D.Thom.in Additionibus quæſt.25.art.1.ad tertium.D.Anton.1.parte tit.10.cap.3.§.4.& 5. Supplementum,diſtin.45. quęſt.3.art.2.propoſitione 11.Corol.9.Summiſtæ uerbo Indulgentia, & Henriquez lib.4. cap.15.§.1.

Prima autem pars concluſionis,circa Scoti ſententiam,patet; Quoniam culpa venialis,quę remanet,ſecundum Scotum,eſt ſolum obligatio, & reatus ad tātam pœnam temporalem,vt in 3.not.dictum eſt. Sed Indulgentia præcisè ſumpta eſt remiſſio temporarię pœnę,ergò poteſt à debito abſoluere,& ſic tollere culpam venialem;quia in iſta ſententia talis culpa conſiſtit formàliter in illa obligatione.

Secunda pars concluſionis patet, quoniam Indulgentia ex vi, & natura ſua ſolum poteſt tollere pœnas temporales, ſed culpa venialis non eſt pœna, ſed quid prius omni obligatione ad pœnam, ergò illam non poterit virtute ſua tollere.

D.Thom. D.Thom. Marſil. Henriq.

Quòd autem reatus ille pœnę non ſit culpa,ex eo prętèr ea, quę dicta ſunt,conuincitur; quoniam obligatio illa pœnę à Deo eſt, Deus autem auctor culpę eſſe non poteſt,ſicut enim Deus non poteſt eſſe cauſa peccati in actu,vt docet D.Thomas prima ſecundæ quęſt.79. ità nec auerſionis in habitu,vel eius maculæ,quę ex peccato veniali relinquitur, omnis enim priuatio gratiæ, uel eius nitoris in actu, vel in habitu ad peccatum pertinet,ut dixit D.Thom.prima ſecundæ quæſtio.76. art.2.ad ſecundum,& Marſilius 2. quæſtio.18. ut refert Henriquez lib.4.cap.15. in Gloſſ.

Quomodo per ſatisfactionem totius pœnæ finitā tollatur culpa venialis. Petrus à Sot. D.Thom. ad Rom.4. Gloſſa. Henriq. D.Thom. Palud. Gabr. Maior. Scotus. Durand. Suarez. Henriq.

Qvomodo autem per ſatisfactionem totius pœnæ finitam, uel per Indulgentiam,ex conſequenti,uel indirectè, quod ſuperiùs in prima concluſione aſſerebamus,ceſſet culpa,difficile eſt explicare; & quamuis Petrus de Soto titulo de Pœnitētia, Lectione 18.neget,iuſtum poſſe ſatisfacere pro culpa ueniali, cum omnis remiſſio culpæ gratiæ tribuenda ſit,ut inquit D.Thom. 3.par. quæſt.87.art.2.ad primum,& artic.4.in corpore,ex cap.4. ad Rom.& Gloſſ.ibidem. Nihilominùs cum Henriquez lib.5.ca.19.§.8.aſſerendum eſt,re ucra per ſatisfactionem, etiam alienam, totius pęnæ finitæ tolli culpam uenialem; quæ ſatisfactio ad id uim habet ex merito Chriſti, quod applicatur per actus noſtros, uel per Sacramenta,uel per Indulgentias ex operibus Chriſti, ac conſequenter uis illa gratiæ attribuenda eſt. Virtute uerò alicuius ſatisfactionis uenialia quantum ad culpam tolli, docet expreſsè D.Thom 3.par. quæſt.87. art.3.ad tertium, nec in art.4.contrarium docet,ſed addit tantùm,ad hanc ſatisfactionem eſſe gratiam neceſſariam. Et per actus hominis iuſti remitti ueniale docet idem D.Thom. eadem quæſt. art.4. ad ſecundum,& quæſtio.90.art.4.etiam de condigno,& ex Iuſtitia,ut innuit ipſe D. Thom.quæſt.87.art.3.ad tertium,& prima ſecundæ quæſt.72.art.5.dicens,peccatum ueniale eſſe reparabile per uirtutem intrinſecam, quæ eſt gratia in homine manens, & docent hoc expreſsè Palud.in 4.diſtin.16.quæſt.1.art.1. & 2. & Gabriel quęſt.2.art.1.& Maior quęſtio.5.art.1.Scotus,& Durandus eadem diſt.21. quęſt.1.Suarez in tertiam partem tom.1.quęſt.1.artic.2. diſputatione 4.ſect.9. & Henriquez lib.4.cap.15.§.5.

At verò quod aliqui ſcholaſtici aſſerunt, non ſolum per gratiam, ſed etiam per uires naturę poſſe hominem à peccato veniali ſe liberare, uel illud à ſe expellere, uel pro eo ſatisfacere, etiam ſuſtinendo proportionatam pœnam, ut ſenſit Scotus Gabriel, & Durandus; puto falſum eſſe, & ad Pelagij errorem propiùs accedere, cum remiſſio omnis peccati Chriſto, eiuſque Paſſioni tribuenda ſit, ut dicitur ad Romanos 4. & prima Ioannis primo, & ſecundo; Quod etiam probari poteſt ex Concilio Milenitano Cano. 6. & ſequentibus, & ex Concilio Arauſicano 2. can. 14. & 22. omnis enim ſatisfactio, uel meritum de condigno apud Deum neceſſariò gratiam ſanctificantem in operantè requirit, ſine qua quis Deo inimicus eſt, & inimicus nihil ex iuſtitia à Deo obtinere poteſt, cum nil illi ex iuſtitia debeat: eſt autem hic poſtremò animaduertendum, cum Suarez loco citato, nullum purum hominem iuſtum poſſe alteri mereri remiſſionem culpę venialis, nec pro illa ſatisfacere ſimpliciter; ſi tamen aliena ſatisfactio alteri applicata iuſtè, & adęquatè totam eius pœnam remittat, ex conſequenti, ut dictum eſt, ceſſat culpa venialis.

ad Rom. 4. 1. Io. 1 & 2. Conc. Mileu. Conc. Arauſ.

Tertia Concluſio. Etiam ſtando in opinione Scoti, licèt Indulgentię tollant directè culpas, non tamen eas tollunt ad inſtar Sacramentalium; Sacramentalia enim tollunt culpas veniales excitando actum deuotionis, uel inclinando ad motum Pœnitentiæ, ut in 1. not. dictum eſt: ergò tollunt reatum, & obligationem ad pœnam temporariam per propriam ſatisfactionem; at Indulgentia applicando alienam, ergò aliter, quàm Sacramentalia. Secundò. Quia Indulgentię ratione tantum materiæ, in opinione Scoti, remittunt venialia, important enim, ſecundum illum, pœnam temporalem, ad quam delendam diriguntur Indulgentię; at Sacramentalia per modum cauſſę efficientis concurrunt ad remiſſionem venialium; ſed de hoc paulò poſt.

Indulgentiæ non poſſunt delere culpas eo modo, quo Sacramẽtalia, etiam ſecundum Scotum.

Et quamuis Palud. in hac re non fuerit ſatis conſtans, cum contraria in citatis locis docuerit, & ea quę in 4. diſt. 20. quęſtione vltima ſcripſit, refutentur ab Adriano de Indulgent. Dubio 3. poſt quintam concluſionem, in verſiculo, *Pro intellectu*, Cordubenſi libro ſuo 5. quæſtione 11. Nauar. de Indulgentijs not. 10. num. 14. Tamen (licèt ea, quæ ibidem dicit, vera eſſent) intelligenda ſunt ad ſenſum primæ concluſionis; Non enim ait, quòd præcisè conſiderata Indulgentia Pleniſſima poſſit tollere culpas veniales, ſed ratione annexæ abſolutionis Papalis, quę eſt ad modum Epiſcopalis benedictionis; In huiuſmodi enim Indulgentijs Pleniſſimis ſemper eſt admiſta Papalis abſolutio, & ſic quoque Antonin. interpretandus eſt. Vnde ſic benè militat illorum Argumentum de confeſſione generali; Reliqua uerò, quæ Paludanus addidit, inferius, quæſtione 4. examinanda ſunt. Adrianus inquit, in hoc dicto Paludanum fixè non reſidere, cum dicat, contritionem requiri, & dubiosè pręmiſerit uerba illa, *Poteſt etiam, ut uidetur per Indulgent. &c.* Atque hæc de hac quæſtione.

Palud. Adrian. Cordub. Nauar. Adrianus.

CAPVT QVARTVM.

Ponitur Secunda Quæſtio. An Sacer Iubilæus efficiat, ut opera ſibi annexa maiorem uim habeant, quam ſi annexa ſibi non eſſent.

Sensvs quæſtionis eſt, An opus adiunctum Sacro Iubilæo plus in eo, qui Iubilæum acquirit, operetur, quam ſi ſeorſum ſine Iubilæo fieret. Et pro ſolutione ſupponendum eſt, tria genera operum annecti ſolere Sacro Iubilæo, videlicèt, Sacramenta, Confeſſionis, ſcilicèt, & Sacræ Communionis. Secundò Sacramentalia, ut recitare Pater, & Aue, intingere

Opera, quæ Sacro Iubilęo coniungi ſolent.

ſe aqua

ſe aqua benedicta, & orationes alias ab Eccleſia ſacratas Domino Deo deuotè offerre, ut Litanias, & ſimilia. Tertiò. Actus virtutum, qui nec ſunt Sacramenta, nec Sacramentalia, ut viſitatio Eccleſiarum, intereſſe Proceſſionibus, Ieiunia, & Eleemoſinæ. Hoc igitur ſuppoſito, reſpondendum eſt quæſito per aliqua dicta.

Sacer Iubilęus habet vim motiuā cordium.

Dico igitur primò, quòd hæc tria ex eo, quòd annectuntur Sacro Iubilęo, faciliùs exercentur ab hominibus, quàm ſine Iubilæo. Quarè Sacer Iubilæus uim quamdam ad excitationem cordium ſecum habet, per quam fideles mouentur ad prædicta tria operum genera operanda faciliùs, ſuauiùs, & citiùs, quàm extrà Iubilęum, etiam cùm pręcipiuntur ſub mortali. Explico. Nemini dubium eſſe debet, quòd abſolutè, & ſimpliciter loquendo, ſecundum ordinatam Charitatem opus iniunctum ſub præcepto peccati mortalis fortiùs, ac uehementiùs mouere debet fideles ad illud peragendum, quàm ſi in Iubilęo iniungatur; magis enim eos mouere debet euitatio offenſę Dei, quam quodlibet lucrum ad ſoluendam pœnam, cum neceſſariò id requirat recta ratio, & perfectio Charitatis Chriſtianę; nihilominus dicimus, de facto Iubilęum virtutem quamdam in mentibus fidelium cauſſare, per quam illi ità excitantur, ut non ſolum operà in illo iniuncta, ſed etiam ea, quę ſunt de pręcepto, cum ſumma facilitate, maxima celeritate, dulciſſimaque ſuauitate peragant. Inſignis igitur ac peculiaris quidam modus operandi, in Sacro Iubilęo communicatur à Deo fidelibus, ut expoſitum eſt, qui tamen extrà Iubilęi tempus, etiam cùm pręcepta adimplenda ſunt, ordinariè non conceditur. Hoc patet ex uſu fidelium, & ex ipſa experientia; Quot enim in Iubilæis ad confeſſiones concurrunt? Quot in Anno Sacro Romam ſanctificandi animi cauſa deuotiſſimè accedunt, qui per plures annos grauiſſimis peccatis oppreſſi fuerant? Cuius rei quatuor rationes reddi poſſunt. Prima. Fructus ipſe Indulgentiarum, qui intenſior, & ulterior erit, ſi pleniſſima concedatur Indulgentia. Secunda. Ampliſſima facultas abſoluendi à reſeruatis, diſpenſandi, uel commutandi uota, ſeu iuramenta, quę in Sacris Iubilæis concedi ſolet. Tertia. Concurſus, & frequentia fidelium, qui ſancta quadam æmulatione eo tempore ſe mutuo prouocant ad acquirendum Iubilæum. Quarta, multa auxilia diuina, gratiæ præuenientes, & ſpecialis concurſus Dei glorioſi, quæ omnia tempore Sacri Iubilęi magis abundant; ut infra dicemus. Cum ergo Sacer Iubilæus hæc omnia ſecum ferat, non mirum, ſi quam diximus uim facilè imprimat cordibus Chriſtianorum.

Cur tempore Iubilæi faciliùs homines bona opera faciant, quam alijs temporibus.

Sacer Iubilęus habet maximā uim diſpoſitiuam.

Dico ſecundo, hęc tria ex èo, quòd annexa ſunt Sacro Iubilæo, cęteris paribus magis diſponunt ad remiſſionem pœnę temporariæ, quàm extra Iubilęum. Itaque Sacer Iubilęus influit in annexa uim quamdam diſpoſitiuam maiorem ad recipiendas ſatisfactiones Sanctorum, quę applicantur in Sacro Iubilęo, quam uel non haberent, vel non tantam eadem opera extrà Iubilęum; v.g. cùm Summus Pontifex concedit, ut qui uiſitauerit tot Eccleſias, recitauerit tot Pater, & Aue, tali die communicauerit, &c. lucretur tot Annos Indulgentię, uel plenariam peccatorum remiſſionem; per ea opera, cęteris paribus, ideſt cum eodem feruore, & circumſtantijs facta, plus recipiet de remiſſione pœnę temporalis, qui ea fecerit quando iniunguntur in Iubilęis, & alijs Indulgentijs, quàm ſi eadem faceret extra tempus Iubilęi, uel Indulgentiarum. Eſt euidens Concluſio; nam licèt opera facta in Charitate, & gratia ſint ſatisfactoria in virtute Paſſionis, & meritorum Chriſti Domini, non tamen ſe habent per modum ultimę cuiuſdam diſpoſitionis, qua poſita applicentur operanti ſatisfactiones eiuſdem Chriſti Domini, & Sanctorum reconditę in Theſauro Eccleſię; per Iubilęum uerò acquirunt opera annexa hanc nouam uim diſpoſitiuam, ut non ſolum ſint ipſa opera ſatisfactoria, quod etiam ſine Iubilęo habebant, ſed etiam ſint diſpoſitiones, quibus poſitis acquiruntur noui gradus remiſſionis pœnarum, & ſępe plena remiſſio.

Sacer Iubilæus habet vim adiutricem ad bene operandum.

Dico Tertio. Sacer Iubilæus, vltra has duas virtutes explicatas, vim ſcilicet motiuam cordium, & diſpoſitiuam ad recipiendas Indulgentias; influit ſine dubio (Deo dante) in opera ſibi annexa multo plura auxilia Dei excitantia, præuenientia,

pientia, concurſuſque diuinos internos, quàm eadem opera extrà Iubilæum ordinariè loquendo habeant. Deus igitur per Sacrum Iubilæum tribuit huiuſmodi operibus hanc vim, vt ità dicam adiutricem, & auxiliarem, vt fideles tempore Iubilæi, & præſertim Anni Sancti, huiuſmodi auxilijs, & inſpirationibus excitati, faciliùs, promptiùs, deuotiùs, fructuoſiùs, frequentiùs exerceant eadem opera; quàm extrà tempus Iubilæi. Quod totum prouenit ex eo, quòd in Iubilæis, præſertim Anni Sancti, iniunguntur opera cum ſolemni benedictione Papali, cum multis Orationibus, & obſecrationibus totius Eccleſiæ, ob cauſas vrgentes, & magni momenti; ſi autem oratio iuſti aſſidua plurimum valet (teſte Iacobo Apoſtolo) quanto magis totius Eccleſiæ? præſertim in Anno Iubilæi, in quo Eccleſia omnes ſuos miſericordię ſinus largiſſimè aperit. Itaque in Sacro Anno Iubilęi nō ſolum plura motiua extrinſeca, allicientia homines ad benè operandum proponūtur; ſed Deus in illo plura interna auxilia, ſpiritualeſque influxus hominibus, qui Iubilæum ſuſcipiunt, ſingulariter tribuit, vt illis adiuti fructum Sacri Iubilæi maxima cum vtilitate percipiant. Quòd ſi Theologi communi conſenſu fatentur, ut lib. 6. probabimus, Deum in vno loco, putà imagine, Eccleſia, vel Altari potiùs miracula, & gratias ſpirituales operari, quàm in alio; cur in Tempore Sacro Anni magni, in Vrbe Sanctiſſima, eiuſque Baſilicis Summa Sanctitate refertis negādum erit à Deo maiora, & excellentiora ſpiritualia auxilia concedi, quàm in alijs locis, vel temporibus? Prętereà ſi in diebus Feſtis Natiuitatis, Reſurrectionis, vel Aſcenſionis Dominicæ aliqua ſupernaturalia auxilia peculiariter à Deo communicantur hominibus, ut hiſce ſacris diebus vberiorem fructum ſpiritualem conſequantur; qua ratione id celebritati Anni Sancti concedendum non erit?

Dico Quarto, probabiliter dici poteſt, tertium genus operum, ſcilicèt actus uirtutum, qui extrà Iubilæum non ſunt Sacramentalia, eo ipſo, quòd annectuntur Iubilæo, ex conſecratione, & benedictione Summi Pontificis, per quam conſecrantur, ut ſint diſpoſitiones ad remiſſionem pęnarum, fieri Sacramentalia; ſicut enim oratorij globuli, Imagines, Cruces, & Sacra numiſmata à Summo Pontifice benedicta fiunt Sacramentalia, quæ aliàs non eſſent, ex Cordub. libro 5. quęſt. 21. prop. 3. uerſ. *Infertur*. Quid ni probabile erit, huiuſmodi actus uirtutum ex conſecratione Papali, eo ipſo, quòd annectuntur Iubilæo, fieri Sacramentalia ad tollendas culpas ueniales? & hoc probant duo argumenta ualidiſſima. Probabile eſt bona opera facta in Sacro Iubilæo fieri ſacramētalia. Cordub.

Primo, quia modus, quo Sacramentalia tollunt culpas ueniales, ſecundùm primam opinionem, allatam in primo fundamento quæſtionis primæ, eſt in quàntum excitant actum deuotionis, & motum reuerentiæ in anima erga Deum, & res diuinas, uel etiam in quantum connotant deteſtationem peccati, iuxtà doctrinam D. Thom. in cit. art. 3. Atqui in Sacro Iubilæo Anni Sancti huiuſmodi opera ex inſtituto Summi Pontificis præſcribuntur, quæ ſummopere deuotionem, deteſtationem peccati, & religionem in anima excitant, (ſentiunt enim, ſe fideles eo tempore ad pœnitentiam, ad odium peccatorum, ac deniquè ad pietatem erga Deum uehementiùs inflammari, & excitari) ergo reuera, ad inſtar Sacramentalium, ueniales culpas remittunt. D.Thom.

Secundo, quoniam hic Annus ex ui ſuæ conſecrationis (per ſolemnes enim illas cęremonias cum inuocatione Spiritus Sancti, cum reſeratione Portæ Sanctæ, quæ aqua benedicta aſpergitur, à Summo Pontifice Sacris ueſtibus induto, Annus ille benedicitur, conſecratur, ac ſanctificatur) inclinat etiam, atque etiam animum ad motum pęnitentię, habetque ex ea conſecratione uirtutem flectendi animum ad uirtualem diſplicentiam uenialium, adeò ut ſit idonea diſpoſitio, qua poſita, ex opere operato Deus conferat remiſſionem illorum, ut de exorciſmo Baptiſmi dixit Dominicus de Soto in 4. diſtin. 6. quæſt. 2. art. 3. & diſtin. 15. quæſt. 2. art. 1. & 3. & de Aqua etiam benedicta Ledeſm. 1. par. quæſt. 28. art. 3. & Cano li. 22. de locis Theologicis, cap. 13. ad nonum, & alij ſupra citati, hoc enim ſecundùm horum opinionem, Sacramentalia faciunt. Etenim, ut experientia teſtatur omnes totius Orbis fideles, dum audiunt, tanto apparatu, & ſolemnitate, tantiſq; Soto. Ledeſm. Cano. & alij.

cęremonijs,

cæremonijs, Pontificalibuſque benedictionibus initium eius Anni conſecrari, non ſolùm mirificè excitantur, & commouentur, ſed etiam ſupernis auxilijs diſponuntur ad Sanctam Peregrinationem ſuſcipiendam, ut crimina per pœnitentiam totaliter diluant, nouamque uitam ad ſummam perfectionis formam inſtituant, cognoſcuntque cuncti eorum corda, & mentem inclinari, ac trahi ad beneficium Sancti Iubilæi ſuſcipiendum. Cur hæc quæſo in alijs Annis fideles non ſentiunt? Cur quando aliæ Indulgentiæ conceduntur, tàm ingentia deuotionis calcaria nō experiuntur? Habet hic Annus Sacer peculiarem benedictionem, ſuamque propriam conſecrationem, per quam, tamquam per rem ad hoc peculiariter inſtitutam, anima ad motum pœnitentiæ inclinatur. Vndè tempus illud, tempus acceptabile, dies ſalutis, tempus reconciliationis, Annuſque gratiæ optima ratione uocatur, ut ſupra dictum eſt.

CAPVT QVINTVM.

Tractatur Quæſtio Tertia: An Sacer Iubilæus ad modum, quo tollit pœnas, poſſit etiam augere gratiam, & gloriam.

QVOD EST quęrere, poſſit ne Papa ex theſauro concedere, non ſolum remiſſionem pœnæ peccatorum, hoc eſt Indulgentias, ſed etiam illum applicare ad alios effectus; ſcilicèt ad gratiæ, & gloriæ augumentum. Ratio dubitandi poteſt eſſe, quòd in theſauro Eccleſiæ non ſolum continentur ſatiſfactiones Chriſti Domini, & Sanctorum, quæ ipſis ſuperfuerunt; ſed etiam infinitum meritum eiuſdem Chriſti Saluatoris Noſtri, quo meruit ſuffiicientiſſimè infinitos ſyncathegorematicè, (vt dici ſolet) gratię, & gloriæ gradus pro omnibus, vt patet ex 3. par. Sancti Thomæ quæſt. 19. De Merito Chriſti. Sancti etiam meruerunt ſuis orationibus, & operibus ſanctiſſimis multa bona, & gratias Eccleſiæ Sanctæ, & fidelibus; licèt Chriſtus de condigno, Sancti verò alij de congruo, ex prima ſecundæ quæſt. 114. Cùm ergò hęc omnia merita maneant in Theſauro Eccleſię, ſicut ſatiſfactiones, cur non poterit Papa applicare ex his meritis tot, uel plures gradus gratię in Iubilæis, ſicut applicat tot, vel plures gradus remiſſionis pœnarum?

D. Thom.

Quæſtio hæc noua eſt, & à Doctiſſimo, & Religioſiſſimo Viro Iacobo Ledeſma olim nuncupato excitata. Nitebatur autem multis auctoritatibus, & rationibus hic uir comprobare, poſſe Theſaurum, etiam ad augumentum gratiæ applicari, atque ità Indulgentias quoque ad augendam gratiam prodeſſe, & præcipuè probabat id his medijs.

Iacob. Ledeſ. Argumenta, quòd Indulgētiæ proſint ad augendam gratiam ex auctoritatibus.

PRIMO ex D. Thom. in 4. diſtin. 20. quæſt. 1. ad 4. & in Addit. ad 3. par. quæſt. 25. art. 1. ad quartum, ubi D. Thom. expreſsè dicit, hominem per Indulgentias præparari ad gratiam; & per Indulgentias non ſolùm pęnam ſolui, ſed etiam remedium ad peccata vitanda dari; Eius uerba ſunt hæc. *Et quia ex affectu, quem accipiens Indulgentias concipit ad cauſam, pro qua Indulgentia datur, ad gratiam diſponitur; Ideò etiam per Indulgentias remedium ad peccata vitanda datur.* Vndè concludit, quòd poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ, cùm ſit in ædificationem illis data, etiam ad hoc ſe extendit, ut ſatiſfactiones, etiam in quantum remedium præbent, applicet nobis.

D. Thom.

SECVNDO. ex art. 2. eiuſdem quæſtionis, in ſolutione ad ſecundum, ubi, cum feciſſet Argumentum, quòd (omnibus alijs operibus dimiſſis) homo uacare deberet acquirendis Indulgentijs, cùm breui per Indulgentias poſſet, ab omni reatu pęnæ temporalis immunis factus, citiùs gloriam ęternam adipiſci. Reſpondet, quòd quamuis Indulgentiæ multum ualeant ad remiſſionem pœnæ, tamen alia opera ſatiſfactionis ſunt magis meritoria reſpectu præmij eſſentialis; quaſi uelit dicere, Indulgentias quoque aliquo modo, licèt non tanto, eiuſdem eſſentialis præmij meritorias eſſe.

TERTIO.

Tertio,ex eodem D.Thom. in Addit.quæſt.27.artic.1.in corpore,ubi expreſſè docet, quòd quamuis merita illa,quæ per Indulgentiam communicantur,poſſint ualere ad merendam gratiam; non tamen propter hoc diſpenſantur, ſed determinantur ad remiſſionem pœnę,& artic.2.ad ſecundum,inquit, quòd Religioſi magis merentur ſeruando Regulam ſuam, quàm Indulgentias acquirendo. Vbi aliquod meritum uidetur concedere Indulgentię.

Qvarto,ex Dionyſio Carthuſiano,in 4. diſt.20. quęſt.2.qui refert Henricum de Gandauo expreſsè dicentem, opus Indulgentiarum eſſe meritorium augumenti gratiæ in præſenti,& gloriæ in futuro,ſicut cætera opera,quæ fiunt in gratia;quod idem Roffenſis artic. 18. contra Lutherum in fine,& artic.20. affirmat. Dion. Carth. Roffen.

Qvinto, ex Innocentio III. qui in Bulla expeditionis contra Turcas uidetur dicere,ualere Indulgentias ad ſalutis æternæ augumentum omnibus, qui labore, proprijs perſonis, & expenſis ſubuenerint;ſubdens hæc verba; *Plenam ſuorum peccaminum liberaliter, de quibus fuerint confeſſi,& corde contriti,ueniam indulgemus,& in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augumentum*; nec loquitur Pontifex de opere noſtro,ex parte ipſius operis,quia nil ex ſuo polliceretur;quòd ſi ſalutis æternę,ergò,& gratię augumentum confert. Indicat ergò,ex ui Indulgentię id ſe polliceri. Innoc.III.

Sexto; ex Extrau. *Antiquorum*, Bonifacij VIII. vbi ſic pronunciat Pontifex. Quòd qui ampliùs uiſitauerit, plus merebitur, & Indulgentias efficaciùs conſequetur; nec loquitur Papa de merito operis operantis, quia hoc non indigebat Decreto, nec Indulgentię conceſſione, ergò loquitur de merito, quod augetur ex Iubilęo. Bonifa.VIII.

Septimo, ex Extrau. *Quemadmodum operoſi*, De Pœnit.& Remiſſ. Vbi Annus Iubilęus, ſanctum opus, Annus remiſſionis, & gratię à Sixto IIII. nuncupatur; quod idem Alexander VI. in ſua Bulla, quę incipit, *Paſtoris æterni*,repetijt, & alij Pontifices dixerunt. Sixtus IIII. Alex.VI.

Octavo, ex Praxi Eccleſiæ,quæ orat,prǽſertim in Oratione Sancti Marcelli, Antonij,Franciſci,Hieronymi,Catherinę,Nicolai,Dominici,& aliorum,ut meritis illorum adiuuemur,nobiſque detur per illa ſalus,gratia,& gloria, &c. Igitur hæc omnia ex Theſauro poteſt Eccleſia applicare.

Nono, Theſaurus Eccleſiæ ex meritis Sanctorum conflatus inſeruit his omnibus, uidelicèt augumento gratię, ſaluti, &c. ergò poterit Pontifex illum ad hos effectus applicare: Prǽterea poteſt communia Eccleſiæ ſuffragia ad augumentum gratiæ, & cætera applicare, ergò & merita Sanctorum in Theſauro Eccleſiæ recondita.

Deniqve poteſt Papa facere communicationem in Iubilæo in hunc modum; omnes,qui uiſitant Baſilicam Sancti Petri,cæteraſque Patriarchales Vrbis, uolo eſſe participes meritorum totius Eccleſiæ, omnium congregationum, & omnium Sanctorum,tam uiuentium,quam mortuorum,ergò de facto poteſt applicare theſaurum non ſolùm ad pœnam,ſed etiam,ad augumentum gratiæ; quemadmodum,& illud,quod formæ abſolutionis adiungitur, *Paſſio Domini Noſtri Iesv Chriſti,& merita Beatæ Mariæ ſemper uirginis,& omnium Sanctorum,& quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum tuorum in augumentum gratiæ,& præmium uitæ æternæ. Amen.*

Multis autem rationibus idipſum comprobabat.

Primo, quoniam intentio Sanctorum, dum uiuebant, non fuit ſolùm, ut eorum ſatisfactiones ualerent ad noſtram pœnam delendam; ſed etiam ad augendam gratiam, Pacem Eccleſiæ obtinendam, ad conſeruationem Domni Apoſtolici, & omnis Eccleſiaſtici ordinis, ad conuerſionem peccatorum, & ſimilia, pro quibus omnibus ſua merita, & labores Deo obtulerunt; ergò impetrarunt, non enim caret fructu, & effectu eorum oratio; igitur poſſunt hæc quoquè applicari; ſatisfactiones enim ideò applicantur, quia hac intentione ab illis factæ ſunt, ut nos iuuarent. Rationes ad idem probandum.

Secvndo, merita, Pœnitentiæ, & orationes Sanctorum præteritorum non minus ualent, quàm præſentium ad hæc impetranda, uidelicèt augumentum gratiæ, Pacem, confeſſionem peccatorum, &c. ſed præſentium ſuffragia communia, ſi applicentur à Pontifice, ualent ad hos, & ſimiles effectus; ergò, & illa; non enim ſunt modò minoris efficaciæ, quàm tunc, quando facta ſunt; immò ſunt omninò eadem, & tunc hac intentione fiebant. Præterea, ſi tàm ſatiſfactiones, quàm merita Sãctorum manent in theſauro; cur ſicut ſatiſfactiones ad ſuum proprium effectum, ità & merita ad ſuum proprium effectum applicari non poſſunt?

Tertio. Pontifex poteſt inſtituere, non quidem Sacramenta, ſed Sacramentalia ad uarios uſus, & effectus ſpirituales, putà ad fugandos Dæmones exorciſmum; Aquam benedictam etiam ad hoc, & ad delenda venialia; Agnus Dei ad Tempeſtates ſedandas, ad incendia extinguenda, ad fluminum impetum reprimendum; Conſecrationem Eccleſiæ, ut faciliùs audiatur, qui illic orat; Benedictionem Campanæ, ad tempeſtates à Dæmonibus excitatas propellendas; Palmam benedictam, & cinerem ad memoriam mortis; Grana benedicta, Imagines, ſacra numiſmata ad culpas veniales extinguendas; ergò poteſt inſtituere in Iubilæo id ipſum ad effectum ſpiritualem conſequendum; uidelicèt, ut maiori feruore, & deuotione fideles accedant, ut Hæreſes extirpentur, & denique, ut Religio, & veneranda pietas ergà Apoſtolicam Romanam Sedem pœnitiùs in Chriſtianorum cordibus defigatur: & mirum eſt, quòd concedamus, oratorios globulos, ſeu grana benedicta, Imagines, & ſimilia valere ex ui, & benedictione Clauium ad culpas ueniales delendas; ſunt enim uerè Sacramentalia, ut benè probat Corduben. lib. 5. queſt. 21. Prop. 3. Coroll. 3. atque etiam ad Indulgentiam à Pontifice taxatam conſequendam; & uelimus hoc idem Sacro Iubilęo negare; non enim repugnat, idem ad diuerſos effectus ordinari; ad merendum ſcilicèt, & ſatiſfaciendum, cum in operibus Chriſti, & Sanctorum, non ſolùm uis ſatiſfaciendi, ſed etiam merendi poſita ſit.

Cordub.

Argumenta quòd in Iubilæo Anni Sancti cõcedatur aliquid amplius quã remiſſio pœnę peccatorum.

Quòd autem in magno Iubilæo Anni Sancti plus aliquid concedatur, quàm ſolius pœnę remiſſio, perſuadetur hiſce indicijs.

Primo, quia Iubilæus plus eſſe videtur, quàm Indulgentia plenaria, aut etiam pleniſſima, cuius certum ſignum eſſe poteſt uſus, & Praxis Eccleſiæ; Quia Indulgentia Plenaria quotidie, & ob leues cauſas cõceditur, & in pluribus locis, & aliquando ob unam orationem Dominicam, uel Angelicam tantùm; At Iubilæus non, niſi ob graues cauſas, & pluribus impoſitis ieiunijs, & non niſi raro; & olim quidem centeſimo dumtaxat anno, licèt poſtea quinquageſimo, deindè uigeſimo quinto, & non niſi magno apparatu, & magna ſolemnitate, & edita Bulla, ac promulgata per totum Orbem pluribus menſibus antè; quæ quidem indicant, Iubilęum magnum quoddam eſſe beneficium, cuius uult omnes Chriſtianos eſſe participes, & maius quàm Indulgentia Plenaria, quæ his ſolemnitatibus, & apparatu non proponitur ab Eccleſia.

Iam uerò, Plenaria, uel Pleniſſima omnem aufert pœnam peccatis actualibus debitam, ergò Iubilęus plus aliquid efficit; putà augere gratiam, uim impetrandi, auxilia ad meritum, ad deuotionem, ad contritionem, & ſpecialiter ad reuerentiam Sedis Apoſtolicę Romanę; Item, ſi nil ampliùs, quàm remiſſionem pœnę plenariam Iubilęus contineret, in nullo prorſus eſſet diuerſus ab Indulgentia Plenaria, nec in eſſentia, nec in effectu; & ità nec diuerſo nomine uocari deberet.

Secvndo, quoniam facultates aliæ, quæ conceduntur ſimul cum Iubilæo, ut quis poſſit abſolui ab omnibus peccatis reſeruatis, uel à cenſuris, commutari uota, vel poſſit eligere Confeſſorem, &c. non ſunt ipſa Indulgentia, nec ad Indulgentię, uel Iubilæi eſſentiam ſpectant; ſed ſunt quędam priuilegia, quæ ſine Indulgentia, & Iubilæo poſſent ſeparatim concedi, & Iubilæus ſine ipſis; ergò in ipſamet Iubilęi eſſentia oportet inuenire diſcrimen à Plenaria, ut ſit aliquid ampliùs.

Tertio, id experientia piorùm hominum apparet; Iubilæi enim tempore ſentiunt ſe magis excitari ad deuotionem, & ad opera pia facienda, & fieri tunc procliuiores,

cliuiores, quàm anteà, & maiori affectu compelli ad Iubilæi cõſecutionem, quàm ad Indulgentias plenarias; immò hoc vniuerſis Populis commune eſſe videtur, ità vt etiam magni peccatores ad peccata relinquenda moueantur, & ad mutandum ſtatum ſuæ vitæ; Magnas enim eo tempore fieri conuerſiones peccatorum, qui etiam relicto ſęculo, ad plangenda perpetuò peccata commiſſa in arctiori Monaſterij clauſura ſe recluſerint, experientia ipſa plenam fidem facit.

Apparet ergò hac ratione, Iubilæos à Domino concedi, vt medium potentiſſimum ad augendam gratiam, & excitandos peccatores. Vnum certum eſt, quòd tempore huius Iubilæi Anni Sancti, hæc à Deo fidelibus conceduntur; deuotio feruens, zelus peregrinationis, recognitio Sedis Apoſtolicæ, & multa auxilia ſpiritualia; concurrit igitur Deus maiori efficacia, & liberaliori manu.

QVARTO, & vltimò. Nam ſi fiebat in veteri Iubilęo tàm magna remiſſio, ut Annus quinquageſimus per Antonomaſiam annus remiſsionis diceretur, & ab omnibus alijs eſſentialiter diſtingueretur; qua ratione Iubilæo Chriſtiano idipſum negandum eſt?

His ergò Argumentis perſuadebat ſibi Doctus ille Vir, poſſe applicari theſaurum Eccleſię ad augendam gratiam, & gloriam, non tamen ad primam gratiam.

Triplex propoſitæ quæſtionis ſenſus.

VERVM res altiùs, & exactiùs examinanda eſt. Cùm autem triplex poſsit eſſe ſenſus huius quæſtionis. Primus videlicèt. An per applicationem graduum augumenti gratiæ, & gloriæ, quaſi per intenſionem, poſsit Papa illam augere, ſicut applicat gradus remiſsionis pœnę per Indulgentiam. Secundus per viàm impetrationis. Tertius per viam communicationis, ideò per tres propoſitiones vniuerſę huic quęſtioni ſatisfaciendum erit.

Non poteſt à Papa extrà ſacramentũ dari tantum gratiæ, & gloriæ, quantũ remiſſionis pęnarũ

PRIMA Propoſitio. Falſiſſimum eſt aſſerere, eo modo poſſe Papam applicare fidelibus extrà Sacramentum tot gradus, uel plures augumenti gratię, & glorię, quo applicat tantã, uel plenã remiſſionẽ pęnarũ. Explico. Hęc cõcluſio apud uiros doctos nullam habet difficultatem, ſed in gratiam doctrinę ponitur, probatur, & explicatur. Solet Papa concedere uiſitanti hanc, uel illam Eccleſiam, ter, uel quinquies, ſeu tali die communicanti, Indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum, ideſt pœnarum debitarum pro peccatis, quam ſtatim acquirũt fideles, ſi ex parte ipſorum nõ ſit obex. Dicere ergò, quòd eodem modo poſſit Papa extrà Sacramentum ex theſauro Eccleſię concedere facienti hoc, uel illud opus tot gradus augumenti gratię, & gloriæ, exiſtimo omninò falſum, ut interim abſtineam à maiori cenſura; concluſio ergò ſic explicata probatur.

PRIMO, ſequeretur inde, quòd aliquis poſſet habere maiorem gratiam, & maiorem gloriam, ac præmium eſſentiale in Cœlis, quàm reſpondeat ſuis meritis, & Sacramentis receptis, ſicut propter Indulgentias maior remiſſio pęnarum datur alicui, ex theſauro Eccleſiæ, quàm correſpondeat ſuis operibus, & meritis; ſed cõcedere hanc doctrinam, & nouum quid eſt, & à uero abeſt longiſſimè, ergò, &c. Minor probatur. Quia id eſſet totam meritorum rationem deſtruere, & de medio tollere, contra illud Pauli ad Rom. 2. *Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua*, & 2. Corinth. 5. *Vnuſquiſque referet propria corporis, pro ut geſſit, ſiuè bonum, ſiuè malum*, & 1. Corinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet*; in quibus, & ſimilibus locis admonemur, Deum glorioſum meritis noſtris commenſurare gloriam, ſicut debitis ſupplicia; iuxtà illud Deuteron. 25. *Pro menſura delicti erit, & plagarum modus*: Quapropter in die Iudicij opera tantùm adducentur in cauſſam gloriæ, *Quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare*; & *quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*, in cauſſam ſupplicij. At uerò ex doctrina contraria, non ſolùm quis præmiaretur in Cœlis prout geſſit in corpore bonum; non ſolùm quia dedit manducare, & operatus eſt opera miſericordiæ; ſed multò plus quàm operatus fuerit, & in corpore geſſerit bonum; ex eo ſcilicet, quòd ſibi applicati fuerunt 30. uel 40. gradus gratiæ ex theſauro Eccleſiæ.

Ad Rom. 2.
2. Cor. 5.
1. Cor. 3.
Deuter. 25.

SECVNDO, ſequeretur ex præcedenti opinione, ſi uera eſſet, quòd aliquis fidelis in gratia tunc exiſtens, cum operibus ualdè ordinarijs, poſſet per Indulgentias, &

Iubilæum excedere maximos religioſos, & uiros perfectos, immò Martyres Illuſtriſsimos in gratia, & in gloria eſſentiali. Probatur ſequela; habeat aliquis gradū gratię, ut unum; cui (ſi idem poteſt Papa) concedat ex cauſa triginta, uel 40. gradus gratiæ, ſi uiſitauerit talem Eccleſiam, &c. facilè per huiuſmodi conceſsiones poterit peruenire ad eum cumulum gratiæ, ut excedat eos, qui heroica opera pręſtiterunt ſine Iubilæis, quod abſurdiſsimum eſt dicere.

Tertio, ſi ex theſauro meritorum Chriſti poteſt Papa huiuſmodi gradus gratiæ concedere, ſequitur quòd ſicut poteſt plenariam, & pleniſsimam concedere Indulgentiam, ſic poſſet quamdam plenitudinem gratiæ concedere ad modum, quo multi Sancti dicuntur pleni gratia in Scriptura Sancta; ſimul enim dato, poſſe Papam huiuſmodi augumētum gratiæ facere per Iubilæum; quid ni poſſet plures gradus, quam tot præſtare? unde reſtringeretur, quin poſſet plenitudinem? cur plenitudinem in remiſsione pœnarum, & non in conceſsione graduum gratiæ? Quòd ſi omnia concedatur poſſe Summum Pontificem applicare fidelibus per Iubilæum ex theſauro Eccleſiæ, ergò potuit concedere plenitudinem gratię Ioannis Baptiſtæ, & Stephani Sācti, immò, quod omninò intolerabile eſſet, plenitudinem gratiæ, ad inſtar illius Sanctiſſimæ Virginis, (loquor autem de gratia in genere gratiæ) omnes enim iſtas plenitudines, immò maiores meruit Chriſtus Dominus, cuius merita habentur in theſauro Sanctiſſimæ Eccleſiæ.

Qvarto. Quid ni poſſet Papa etiam primam gratiam applicare ex theſauro? ſi enim ideo poteſt augumentum, quia totum hoc eſt in theſauro meritorum Chriſti, etiam primam gratiam poterit, quia hanc etiam nobis meruit Chriſtus Dominus de condigno, & non de congruo. Confirmatur hæc ratio, quia cùm eadem ſit ratio generationis, & augumenti, eiſdem medijs, quibus gratia producitur, augebitur etiam, & è contrà, v.g. ex opere operato, & ex vi Sacramentorum augetur, & producitur; ſimiliter ex opere operantis, per opera ſcilicèt contritionis, & charitatis producitur, & augetur. Si ergò eſt alius modus, quo augetur gratia, ſcilicèt per Iubilæum, ergò per eumdem Iubilæum potuit prima gratia produci, quod tamen negat contraria opinio.

Qvinto, ſi per Iubilæum poſſet Eccleſia, & Papa caput ipſius augere gratiam ad modum, quo tollit pœnas, per Indulgentias diſpenſando theſaurum, profectò maiorem conceſsiſset poteſtatem Chriſtus Eccleſiæ, quàm ſi dixiſſet, ut Eccleſia poſſet inſtituere Sacramenta, uel ſaltem æqualem. Probatur, quia eoſdem gradus gratiæ, quos poſſet aliquis acquirere per Sacramentum, poſſet ſine Sacramento per Iubilęum, uiſitando v.g. hanc vel illam Eccleſiam, immò multò plures, ſi eos Papa in Iubilæo concederet.

Sexto, ſi hanc poteſtatem habet Papa, cur eam in Iubilęis nunquam clarè, & diſtinctè exercuit? cur ſicut concedit tot dies, Annos, & quadragenas Indulgentię & plenarias remiſsiones, non concedit etiam tot gradus gratię faciendo hoc, vel illud? cur tantis bonis priuantur fideles, cùm ſint omnibus maiora, utpotè augumentum gratiæ, & gloriæ, & uiſionis beatificæ?

Septimo tandem, (& eſt ratio à priori) quoniam additio gradus gratię, ſeù intēſio gratiæ per gradus non poteſt fieri ſine infuſione nouę gratię; qui enim gradus caloris addit, nouum profectò calorem producit; & qui album vt duo, facit albū vt quatuor, non poteſt illud efficere niſi per nouam albedinem; eiuſdem enim ordinis ſunt gradus albedinis, & ipſa albedo, ſicut etiam gradus caloris, & ipſe calor. Atqui Papa non poteſt nouam gratiam infundere extrà Sacramentum, ergò neque addere gratię alios gradus gratię. Poteſtas enim excellentię, qua extrà Sacramentum gratia produci poteſt, ſoli Chriſto competit, ut rectè docuit Sanctus
D. Thom. Thomas 3. par. quęſt. 64. art. 3. & 4. Et quamuis illam potuerit Eccleſię communicare, vt ipſa poſſet Sacramenta inſtituere, & ſine ritu Sacramentorum, eorum effectum ſolo imperio conferre; noluit tamen propter vtilitatem fidelium, ne in homine ſpem ponerent, & nè eſſent diuerſa Sacramenta, ut D. Thom. ibidem art. 4. ad primum.

SECVNDA Propoſitio. Poſſint applicari merita, quæ ſunt in theſauro Eccleſiæ, ut ualeant ad merendum auxilia diuinæ gratiæ, non ſolùm ad augumentum gratię, & gloriæ; ſed, quod magis eſt, ad primam gratiam, exiſtentibus in mortali; Et probabile eſt valdè, in Iubilæis, præſertim in Anno Sancto, fieri huiuſmodi applicationem. Explico. Cùm Papa facit aliquos participes meritorum totius Eccleſiæ, vel unius congregationis, uel unius ſpecialis perſonæ, tunc nihil aliud facit, quàm merita totius Eccleſiæ, uel congregationis, vel ſpecialis perſonæ, ſpeciali quodam modo referre ad illos, ut illis mereantur auxilia Diuina, & peculiares inſpirationes, quibus, ſi ſint in mortali, excitantur per proprios actus contritionis, uel per Sacramenta ad primam gratiam; ſi verò ſint in gratia, excitantur ad augumentum gratiæ, cùm enim merita Chriſti Domini mereantur de condigno huiuſmodi auxilia, ut patet ex 3. par. quęſt. 19. de merito Chriſti, Sanctorum verò merita de congruo ex eodem D. Thom. 1. 2. quęſt. 114. artic. 6. quando Eccleſia, & eius caput Summus Pontifex peculiari conceſſione ea dirigit in aliquos, conſequenter influit in eos ex theſauro Eccleſiæ, uel illius congregationis, vel perſonæ multa auxilia gratiæ præuenientia, quibus excitentur, tùm ad procurandum primam gratiam; tùm ad augendam per proprios tamen actus, & per propria opera. Ità expreſsè D. Thom. in Addit. ad tertiam par. quęſt. 27. artic. 1. in Corpore, vbi legatur commentarius fratris Seraphini Capponi à Porrecta ad inſtar Caietani in partes D. Thomę, & Cordub. lib. 5. quęſt. 42. Quòd autem probabile ſit, iſtam applicationem meritorum fieri à Summo Pontifice in Iubilæis, præſertim in eo, qui eſt Anni Sancti; probant multa argumenta contrariæ opinionis, in quo ſenſu forſan ille doctiſſimus vir docuit, per Iubilæum poſſe augeri gratiam, & gloriam; ſed immeritò negauit, poſſe etiam produci primam gratiam, ut iam probatum eſt, in explicatione concluſionis.

Qua ratione poſſunt meri ta, quæ ſunt in Theſauro Eccleſiæ, applicari ad augumẽtum gratiæ, & gloriæ, immo ad primam gratiã.

D. Thom.

Seraphinus à Porrecta. Cordub.

TERTIA concluſio. Per uiam Communicationis poteſt Papa, etiam in Iubilęo magno, Sanctorum merita diffundere in eos, qui Peregrinationem ad loca Sancta Vrbis ſuſceperint, ea deindè uiſitando, &c. Hæc concluſio eſt in terminis D. Thomæ loco citato, in quarto, diſt. 20. q. 1. art. 5. Ad primam quæſt. in corpore, & nullam hàbet difficultatem, fundatur enim in communicatione bonorum, quæ ex Chriſtiana Charitate emanat, iuxtà illud Prophetæ. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, & ſicut hæc bona ſpiritualia ex ſui natura in cæteros Chriſtianos, qui in gratia Dei exiſtunt, diffunduntur; ità Papa auctoritate Clauium poteſt illa communicare, & huic, uel illi impartiri. Vndè vltrà pœnæ plenàm remiſſionem poteſt addere in Bulla, ut Paſſio Domini Noſtri IESV Chriſti, & merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, præſertim Petri, Pauli, & Ioannis, ac deuota uiſitatio Eccleſiarum præſcriptarum, ſit uiſitantibus in augumentum gratiæ, & præmium uitæ æternæ. Probari etiam poteſt, quòd in Iubilæo fiat hæc communicatio, præſertim Anni Sancti, quia eo Anno Theſaurus Eccleſiæ tantus quantus eſt aperitur, cùm ergò hoc etiam modo ſit communicabilis; quid ni eo Anno communicabitur?

D. Thom.

Pſalm. 118.

Hæc tertia concluſio in hoc differt à ſecunda, quòd doceat modum, quo communia merita Sanctorum, tam uiuentium, quàm mortuorum peculiariter auctoritate Papę communicantur, & diffunduntur ijs, qui Sacrum Iubilęum ſuſcipiunt, nempè per modum communicationis; hæc eſt enim uia, qua Eccleſia merita, preceſque Sanctorum nobis applicat, iuxtà illud, quod legitur in Canone Miſſæ *Communicantes, & memoriam uenerantes, &c. Quorum meritis, precibuſque concedas; &c.*

Can. Miſſæ.

NVNC ad omnia illa argumenta initio quæſtionis facta reſpondendum eſt; & quatenus faciunt contra primam concluſionem dicendum eſt, ad fundamentum, uerum eſſe, ad Theſaurum Eccleſię pertinere omnia merita Chriſti Domini, & omnia Sacramenta, &c. non enim pertinet iſte Theſaurus ad Turcas, & Infideles, niſi remotiſſimè; ſed non eſt hic theſaurus in hac lata ſignificatione ſumptus, qui diſpenſatur per Eccleſiam, & Papam eius caput, ſed Theſaurus ſtrictè ſum-

Reſpondetur in cõmuni ad argumẽta po ſita in principio quæſtionis.

ptus,ut continet ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ ipſis non fuerunt ne-
ceſſariç,& remanent in acceptatione diuina.per Papam tamen Chriſti Vicarium
Cordub. diſpenſandç; legatur de hac re Corduben.lib.5.quçſt.5. Gradus uerò gratię,quos
Chriſtus, uel Sancti habuerunt, non remanent in aliquo theſauro; ſed ipſorum
animabus inhęrent ſimul cum gloria ęterna commenſurata tantę gratię: Merita
autem Chriſti Domini,quibus ſufficienter meruit nobis gratiam de condigno,&
Sanctorum merita, quibus meruerunt gratiam alijs de congruo, quandò appli-
cantur,ad ſenſum ſecundę,& tertię concluſionis applicantur, & tunc effectum il-
lum habent in eos, quibus applicantur, ſcilicet auxilia gratię, quibus excitentur
ad opera gratiæ,& glorię,per quę,& produci,& augeri poteſt gratia. Hęc ad fun
damentum; ad argumenta verò ſigillatim nunc reſpondendum eſt.

Ad Primum,dicimus, quòd D. Thom. ibidem ſe declarat; Docet enim quòd
qui accipit Indulgentias,ex affectu,quem concipit ad cauſam Indulgentię, diſpo
nitur ad gratiam; & hunc bonum affectum,qui eſt diſpoſitio ad gratiam,uocat re
medium contra peccatum, quod Indulgentia dat. Si dicas,quomodo dat Indul-
gentia talem affectum. Reſpondeo, oſtendendo, & proponendo cauſam Indul-
gentię,qua oſtenſa, afficitur fidelis erga illam, & facit opera bona iniuncta in In-
dulgentia; Itaque concedendo Indulgentias Summus Pontifex, oſtendit cau-
ſam,cauſa oſtenſa mouet affectum, affectus mouet ad gratiam,& ſic Indulgentia
dicitur dare remedium contra peccatum. Qua ratione non minus dat remedium
cōtra peccatum, dum augetur gratia, quàm cū producitur prima gratia; iſte enim
bonus affectus ad Indulgentias, & ad eius cauſſas poteſt eſſe optima diſpoſitio, li
cèt non ultima ad primā gratiā, & ut homo à Deo cōſequatur ea,quę illi deſunt,
uel neceſſaria ſunt ad iuſtificationis gratiam,ideſt poteſt eſſe optima diſpoſitio,ut
Deus moueat peccatorē ſuſcipientē Indulgentias ad Contritionē,& ut doleat de
peccatò,& ſic ut iuſtificetur; quamuis enim contritio ſit ultima,& perfecta diſpo-
ſitio ad gratiam; tamen ſicut per Eleemoſinam, ita quoque per hunc bonum af-
fectum ad cauſſam Indulgentię poteſt homo cum Dei auxilio ſe excitare ad do-
lorem, & contritionem peccatorum, & ſic diſponi ad iuſtificationem, & ad pri-
Conc. Trid. mam gratiam,per ea,quę habentur in Concilio Trident.ſeſſ.6. cap.6. & quę ſcri-
Soto. bit Soto lib.2.de natura, & gratia cap.2. Malè ergò ex hac auctoritate uolunt ad
uerſarij oſtendere, Indulgentias ualere ad augumentum gratiæ, & non ad pri-
Roffenſis. mam gratiam. Roffenſis art. 18.contra Lutherum,inquit,Indulgentias pleriſque
occaſionem præſtare quærendæ gratiæ,quam alioqui numquam eſſent quæſituri,
ſed ob criminum multitudinem deſperantes,ſe præcipites in omne flagitium de-
diſſent.

Ad Secundum,Reſpondeo,cùm D.Thom.comparat Indulgentias bonis ope-
ribus, & opera uocat magis meritoria glorię, illud, *Magis*, non cadit ſuper ver-
bum, *Meritoria*,ſed ſuper verbum, *Valere*, vt ſit iſte ſenſus. Quid plus valet,Indul-
gentia, per quam remittitur pœna, uel opera bona, per quę meremur gloriam?
Reſpondet,magis opera bona, quia ſunt meritoria. Sed ſecundò reſpondeamus,
eſtò fiat comparatio in illud, *Meritoria*, utrum ſcilicet horum duorum ſit, magis
meritorium,Indulgentia,an opera bona. Reſpondet D.Thom. opera bona: & ra
tio eſt, quia iſta merentur augumentum glorię; Indulgentię uerò non merentur
augumentum,ſed ablationem pœnę, & retardationis à gloria; ſunt ergo merito-
ria glorię, tamquam remouens prohibens, at uerò opera bona tamquàm cauſa
adaugens.

Ad Tertium, illa Doctrina D. Thom. probat noſtram ſecundam, & tertiam
concluſionem, ut ibi diximus, neque ibi D. Tho. loquitur de augumento gratię
ſed de prima gratia,ut patet in contextu ipſo. Reſpondetur ſecundò clarè Diuum
Thom. dicere illa merita in Indulgentia determinari ad remiſſionem pœnę,
quamuis alioquin ualerent ad merendam gratiam.

Ad Quartum,idipſum reſpondetur,quod ad ſecundum reſponſum eſt.

Ad Quintum,Reſpondeo, Doctores illos clarè loqui de operibus annexis In-
dulgentiæ,

dulgentiæ, & Iubilæo; ex eo enim, quòd iniunguntur tamquam diſpoſitiones ad acquirendas Indulgentias, non amittunt quod ex ſe habent, eo quòd facta ſunt in gratia, vt ſcilicèt ſint meritoria gratiæ, & gloriæ.

Ad Sextum. Reſpondeo, polliceri Papam illud augumentum ex vi Indulgentiæ, vel Iubilæi, non quòd ibi applicet, vel applicare uelit nouos gradus gratię; tanta enim res non deberet ſic obſcure concedi; (dato, quod poſſet concedi) ſed polliceri ex ui Indulgentiæ, ſeu Iubilæi quatenus continet communicationem meritorum, iuxtà modum explicatum in 3. concluſione. Vel ſecundo, reſpondeo, nihil ibi Papa pollicetur de ſuo, quod attinet ad meritum gratię, & gloriæ, ſed hortatur ad illud occaſione Indulgentiarum, quas promulgat.

Ad Septimum. Falſum eſt, ibi non loqui Summum Pontificem de merito proficiſcenti ex opere operantis. Falſum etiam eſt, quòd illud ſit nouum quoddam decretum, ſed oſtendit ſolùm, & ponit ob oculos maiora bona, quæ conſequentur fideles, ſi Baſilicas frequentiùs uiſitauerint, ut cupiditate maioris lucri allecti, maiora in dies operentur. Quod autem ſubdit, *Et Indulgentias efficaciùs conſequetur*, Gloſſa ibidem, uerbo, *conſequetur*, explicat tripliciter; ſed illa uidetur litteralis, ſcilicet efficaciùs, ideſt, per efficaciora media, & per potentiores diſpoſitiones, Adde, quòd dicit efficaciùs propter quatuor. Primò, quia certiùs ſaltē quoad nos quis huiuſmodi Indulgentias conſequitur. Secundò quia idem effectus fit à maiori cauſſa, ſicut parua contritio delet, & maxima, & ligatus uno uinculo minus ligatur, quàm ille, qui tribus. Tertiò, quia Deus, qui eſt creditor, maiori uoluntate condonat; undè non eſt tàm pronus ad puniendum, ſi quem contingat errare, ſed eſt magis propitius ad miserēdum. Quartò propter omnes opiniones, ſunt enim qui dicant, Indulgentias ualere ſecundum proportionem ad cauſſam, & ſi non fuit prima cauſſa æqualis, erit ſecunda, uel tertia. Quintò, quoniam idem conſequitur efficaciori medio (ut dictum eſt) ſicut ex oppoſito excommunicatus una excommunicatione, uel pluribus; aut ſimplici, uel Papali, magis traditur Sathanæ per Papalem. Gloſſa.

Ad Octauum, uocatur Annus gratiæ à Summis Pontificibus, non quià noui gradus gratię gratum facientis applicentur ex theſauro, cum id ſit impoſsibile; ſed propter multas alias gratias, & facultates, quas concedit Papa eo anno ultrà Indulgentias. Item, ad ſenſum fortè ſecundæ concluſionis, dicitur Annus gratiæ, quia applicantur merita Sanctorum, per quæ multa auxilia gratię dantur, quibus excitantur fideles eo anno ad bonos motus cordis, quibus diſponuntur ad gratiam.

Ad Nonum. Reſpondetur illud Argumentum probare noſtram ſecundam concluſionem. Merita enim Sanctorum eo modo concurrunt ad noſtram gratiam, ſcilicèt merendo nobis de congruo bonum motum cordis, quo diſponimur ad gratiam, ut dictum eſt.

Ad Decimum, Vndecimum, & Duodecimum. Reſpondetur, hęc Argumenta nihil aliud probant, quàm noſtram ſecundam concluſionem.

Ad Decimumtertium. Licèt Papa faciat multa ſacramentalia ad uarios effectus, tamen ad eoſdem non poterit applicare Indulgentias pręcisè ſumptas, quia hæc ſunt diuerſi ordinis; Sacramentalia enim ſunt ad tollendas culpas ueniales, vel fugandos Dæmones, vel repellendas tempeſtates, ut argumentum probat; At Indulgentiæ ſunt ſolùm ad tollendas pœnas, non enim per quodlibet poteſt fieri quodlibet; ſicut non valet, poteſt Papa per auctoritatem, quam habet, cenſuras Eccleſiaſticas inferre, ergò hoc ipſum poterit per Sacramentalia; quomodo autem poſsit per Indulgentias ratione annexorum alios effectus facere, diximus in 1. & 2. quæſtione.

Ad Decimumquartum, & Decimumquintum. Reſpondetur, nihil illa contra nos, ex ſecunda enim concluſione patet, quid plus habeat Annus Iubilæi, & ex dictis in tota hac quæſtione, & precedentibus.

Concludamus ergò, quòd Iubilęus Sacer nullò modo poteſt augere gratiam, & gloriam

& gloriam applicando nouos gradus gratiæ, ſed ſolum communicando merita Chriſti, & Sanctorum, quibus adeo copioſa auxilia gratiæ, & inſpirationes conſeruntur currentibus ad Iubilęum, ut eis excitati, & augumentum gratię, & primam interdum gratiam indè reportent. Atque hæc de hac quæſtione, quæ magis experientia ipſa in Anno Sancto reſoluitur, quàm diſputationibus, & argumentis.

CAPVT SEXTVM.

Exponitur Quæſtio Quarta. An attritio cum abſolutione Papali, extrà Sacramentum, per viam Indulgentiæ, & Iubilæi efficiatur contritio.

Iubilæus, & Indulgentia non faciũt de attrito contritum.
D. Thom.
Durand.
Adrian.
Caiet.
Nauar.
Cordub.
Sapien. 7.

ILLVD in hac quæſtione omni diſputatione caret, Indulgentiam, etiam Pleniſſimam, ſeù Iubilæum nequaquam facere de attrito contritum; ſic enim Indulgentia culpam mortalem, aut pœnam æternam remitteret, quod eſt proprium Sacramentorum. Lege D. Thomam in Addit. ad tertiam partem quæſt. 27. art. 1. Durandum in 4. diſtin. 20. quæſtio. 4. num. 10. Adrianum in tract. de Indulg. concluſ. 3. Caietanum tom. 2. de Indulg. quæſtio. 4. Nauarrum de Indulg. not. 10. num. 19. & not. 23. nu. 3. & 7. Cordubenſem quæſt. 7. art. 1. & alios. Prodeſt enim Indulgentia tantùm amicis Dei, iuxtà illud Sapientiæ ſeptimo. *Infinitus theſaurus eſt omnibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*; quamuis enim per Indulgentias immediatè, & quatenus tales ſunt, neque amici Dei efficiamur, neque mereamur; per illas tamen impedimenta remouentur, quæ nos à conſumata Dei amicitia retrahunt.

Nauar.
Male arguit Paludanum.

ET VERO vindicandus eſt hoc in loco Paludanus ab eo, quod illi Doctor Nauarrus imponit in lib. de Iobelæo not. 10. num. 19. incuſat enim hic Paludanum qui dixerit, quòd attritio cum abſolutione Papæ per viam Indulgentiæ fit contritio; quod tamen Paludanus numquam dixit, cum ſemper de cõtritione loquatur, nuſquam de attritione; nec Paludanus loquitur de abſolutione per viam Indulgẽtiæ, quaſi Indulgentia ipſa ſit abſolutio, ſed de aliquo Sacramentali adiuncto contritioni, ponit enim exemplum de benedictione Epiſcopali, quæ (vt palàm eſt) nõ eſt Indulgentia; Quid? quod ſi intelligeret, quod Indulgentia ex attrito faceret cõtritum, intelligeret etiam, quòd Indulgentia mortalem culpam remitteret, hoc enim ſonat, ex attrito fieri contritum. Atqui Paludanus ſolùm loquitur de remiſſione venialis, ad quod adducit exemplum confeſſionis generalis; Adde, quòd tunc tale opus pluſquam Sacramentale eſſet, nullum enim Sacramẽtale eam vim obtinet, vt ex attrito reddat quempiam contritum; eſt enim hoc peculiare Sacramentorum, & actuum virtutum cum voto Sacramenti, ut dicitur in Tridentino

Conc. Trid.

ſeſſione 6. cap. 14. Dixit autem Paludanus quòd ſi aliqua Contritio non eſſet per ſe plena, hoc eſt, ſi eſſet in parua menſura, v. g. vt duo, vel remiſſa, adiuncta Papali abſolutione, uel benedictione Epiſcopali, quę Sacramentalia ſunt, fit plena, ideſt intenſa, & ſic uehementiùs operatur remiſſionis effectum; & dolor aliquis minimus cum abſolutione Papali, uel benedictione Epiſcopali ſufficeret, qui dolor ſine his Sacramentalibus non ſufficeret; Atque hoc Paludanus dixit ad plenum

Henriquez.

fieri. Huic doctrinę ſimile quid docet Henriquez lib. 1. cap. 20. §. 3. in gloſſ. & lib. 4. cap. 15. §. 8. in gloſſ. vbi inquit, quòd ſi quis cum dolore de ſe inſufficienti ſuſcipiat deuotè aquam benedictam, reputatur ſufficiens ad maiorem Indulgentiam, ut minor diſpoſitio cùm Sacramento eleuatur; Vndè quamuis actus Pœnitentię, uel dilectionis Dei eſſet inſufficiens delere omnia venialia; fit ſufficiens addita aqua benedicta reuerenter ſuſcepta, cui ſe ſubijcit. Et ad hunc ſenſum uerba Paludani ſunt accipienda. Vt autem hanc fuiſſe mentem Paludani cognoſcamus, re

petenda ſunt ea, quę clariùs, & fuſiùs ſcripſit de hac re in quarto, diſt. 16. quęſt. 1. ex quibus à Nauarro illum iniuſtè impugnari nouerimus.

Docet igitur ille primùm in ſecunda concluſione dictę quęſtionis, poſſe remitti unum veniale ſine alio, uel de mille unum, nullo alio remiſſo: Et huius dicti dat rationem; quoniam ad venialis remiſſionem ſufficit diſplicentia de illo, cum propoſito abſtinendi, & ſatisfaciendi, quod poteſt eſſe de uno ſine alio; ex hac concluſione ſequitur, quòd non eſt ſimilis remiſſio mortalium, & venialium, minimus enim gradus Charitatis omne mortale remittit; at feruor remiſſus non delet omne veniale. Vnde remiſſio venialium ex rei natura intrinſecam habet latitudinem, & extenſionem, nec eorum remiſſio eſt connexa. Doctrina Paludani.

Docet ſecundò, veniale directè opponi feruori Charitatis, & per ipſum feruorem remitti, & deleri; ſed non per omnem feruorem, quia poteſt eſſe feruor, qui non reſpiciat, nec recolat ueniale; quamuis hoc dictum exactiùs diſcutietur in noſtro tractatu de peccato ueniali. Ex hoc infertur, quòd quantus eſt feruor aliàs debitus, tanta quoque erit uenialium remiſſio; & quot erunt feruoris gradus, plura, uel pauciora extinguentur uenialia.

Caietanus tom. 1. opuſ. tract. 4. quęſt. 2. egregiè profectò hanc doctrinam explanat, dicens, quòd differt Contritio remittens peccata venialia, à Contritione remittente mortalia. Ad remiſſionem ſiquidem peccatorum mortalium exigitur, quòd contritionis diſplicentia ſit adeò perfecta extenſiuè, ut formaliter, aut uirtualiter attingat omnia, & ſingula mortalia, quorum pœnitens eſt reus. Ad remiſſionem uerò uenialium non exigitur hęc extenſiua perfectio, poteſt ſiquidem vnum peccatum veniale remitti ſine alio, & tamen illa etiam uenialia dimittuntur, ad quę diſplicentia uirtualiter ſe extendit. Differentia inter contritionem, quæ remittit venialia, & quę remittit mortalia ex Caiet.

Docet tertiò, in artic. 2. concluſione ſecunda, in terminis, quòd ueniale peccatum non remittitur ſine contritione, ſaltem implicita, atque hoc ipſum eſt, quod ſuprà contendimus, nihil ad talem remiſſionem facere de cõdigno Attritionem, ſed neceſſariò requiri Contritionem; & fuſiùs diſputat, an Contritio deleat effectiuè ueniale, ubi expreſsè ſcribit, ſæpiùs ueniale non per Attritionem, ſed per Contritionis motum remitti. Hoc dictum eſt D. Thomæ doctrinæ conformæ.

Docet quartò, in art. 1. concluſ. 3. quòd hæc contritio eſt ipſemet feruor charitatis, cùm ſit actus charitatis; undè remiſſio uenialis ſupponit animam charitate, & gratia informatam; ſequitur igitur ex hoc, quòd per illud, propter quod remittitur ueniale, impoſſibile ſit; quòd homo ex attrito fiat contritus; Nam ex eiuſdẽ doctrina etiam in 4. diſtin. 17. quæſt. 1. art. 1. concluſione 1. in hoc differt attritio, & Contritio inter cætera, quòd Contritio ſit dolor gratia informatus quamtumcumque modicus, dolor tamen qui non eſt gratia informatus, non poteſt dici cõtritio, ſed attritio; Vndè, ut idem ſubdit, Contritio non poteſt eſſe in Inferno, & Limbo, ſed benè attritio, propter defectum gratiæ iuſtificantis.

Docet quintò, Plura requiri ad remiſſionem pœnæ, quàm culpæ etiam venialis, cùm ad hanc ſatis ſit diſplicentia, ad illam uerò ultra diſplicentiam ſatisfactio ſit neceſſaria.

Docet ſextò, in quarta concluſione, articul. 2. plures modos, per quos magis, quàm per alia bona opera, uenialia dimittantur, licèt nec per illos dimittantur, niſi cùm diſplicentia uoluntatis, & hoc propter tria, tùm quia iſti modi plus incitant hominem ad motum liberi arbitrij peccata deteſtantis; tùm quia plus ualent ad remiſſionem pœnæ ex merito, & precibus totius Eccleſiæ; tùm quia plus ſufficit generalis contritio in iſtis, quàm in alijs, ità tamen, quòd homo utatur iſtis modis, ut aqua benedicta, ieiunio, oratione Dominica, & ſimilibus hac intentione; & minor dolor ſufficit cum his ad venialium remiſſionem, quàm ſine his. Hæc Paludanus loco citato; ex quibus mens Paludani apertiſſimè colligitur in illis uerbis, quę à Nauarro impugnantur.

Verum, ſi illorum ſententiam ſequeremur, qui affirmant, non per quemcumque actum feruoris Charitatis remitti omnia uenialia, quæ homo habeat (in hoc enim Solutio quęſtionis.

enim mortale differt à ueniali, quòd illud, unum ſine altero remitti non poteſt; At uenialia etiam quantum ad culpam, unum ſine alio remittitur, ut docet D. D.Thom. Thom. 3. part. quæſt. 87. artic. 3. ad ſecundum) ſed tantum illa per actum feruoris Charitatis remitti, quæ illi actui aduerſantur, & contrà quem oppoſitionem, & contrarietatem habent; tunc dicendum eſſet plura venialia remitti, ſi huic actui feruoris Charitatis, ſeù dolori, & diſplicentiæ coniungantur Sacramentalia, cùm plura per duo remedia remittantur, quàm per unum; & ſic contritio, quæ non eſt plena, ideſt, quæ ad remiſſionem omnium venialium non ſe extenderet, fieret plena, ſeù ad plenum extenſiuè; illa enim venialia tantummodò remittun- D.Thom. tur, ad quæ dolor ille ſiuè actualis, ſiue uirtualis extenditur, iuxtà D. Thom. in di- Sotus. cta 3. part. quæſtio. 87. artic. 4. Vndè addito Sacramentali plura remitterentur. Quamuis Sotus in 4. diſt. 15. quæſt. 2. artic. 3. de mente D. Thom. verius doceat, per quodcumque Sacramentale cuncta venialia remitti, præter illa, quorum remiſſioni obſtat obex uoluntatis eis inhærentis, & Victoria de Pœnitentia num. D.Thom. 109. Atque ita docet, D. Thom. 3. par. quæſt. 87. art. 3. ad ſecundum.

Concludendum eſt igitur, numquàm Indulgentiam præcisè Attritum facere Contritum, ſicut nec gratiam conferre; ſed pœnam remittere: indirectè tamen, ac per accidens, ratione adiuncti operis cum Sacramento, uel in voto, uel in re ſuſcepto, poſſe ex attrito facere hominem contritum, cùm tunc etiam prima gratia homini à Deo conferatur, ut ſuperiùs dictum eſt.

CAPVT SEPTIMVM.

Soluitur Quinta Quæſtio. An Annus Sacer, ſeu Annus Iubilæi poſſit à Papa inſtitui, ut quid Sacramentale.

Ex Paſſione Chriſti orit, & in eius meritis fundatur poteſtas remittēdi peccata.

VIRTVS, & poteſtas remittendi peccata quæcumque, ſiuè mortalia, ſiuè venialia, ex merito Paſſionis Chriſti emanant, atque in eius morte, & ſanguine fundantur; Ipſe eſt enim ſanctificatio, & iuſtificatio noſtra, nec aliud nomen ſub Cœlo eſt, per quod uel minima culpa venialis deleri poſſit, niſi Chriſti, ex cuius latere perfoſſo in Cruce Eccleſia non ſolùm Sacramenta, ſed etiam uirtutem eorum, quæ Sacramentalia appellantur, accepit. Quocircà generatim Chriſtus poteſtatem Eccleſiæ tradidit remittendi peccata, dicens, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* In quibus verbis non ſolùm modus ille applicandi Paſſionem Chriſti, qui eſt per ſacramentalem abſolutionem; ſed etiam alij modi, ſeù alia media illam applicandi, uel quoad pœnas peccatorum, uel quoad venialium remiſſionem ſignificantur: Ad peccatorum autem mortalium remiſſionem ex diuina inſtitutione Confeſſio ſacramentalis neceſſaria eſt illis omnibus, & ſolis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauerunt. Venialia uerò, & ſi benè, & utiliter quidem confiteri quis poſſit Sacerdotibus, cùm ſine ulla exceptione acceperint à Chriſto (mediante tamen Summi Pontificis, & Epiſcoporum auctoritate) poteſtatem omnia peccata remittendi; quoniam tamen frequentiſſima ſunt, nec à uiris etiam perfectiſſimis in hoc ſtatu mortalitatis uitari poſſunt, niſi ex diuino priuilegio, quòd Virgini MARIAE ſoli hactenùs conceſſum fuit, ut Concilium Trident. ſeſſ. 6. cano. 23. per plura alia remedia ab Eccleſia, Conc. Trid. quæ circà hoc poteſtatem habet, inſtituta remitti poſſunt, ut docet Concilium D. Auguſt. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. & D. Auguſt. Epiſtol. 108. & in Enchyridion, & in Cauillus Hæreticorum. Ioannem tractatu 12. Qua in re Kemnicius Hæreticus ineptiſſima cauillatione uſus eſt, dum dixit Concilium ibidem docuiſſe, uenialia peccata ſine applicatione meritorum Chriſti remitti poſſe, dum decreuit, Confeſſionem venialium non eſſe neceſſariam; Neque enim omne meritum Chriſti in Sacramentis continetur, uel per Sacramenta applicatur, ſed etiam per alia media, ut diximus; & quamuis diuino

uis diuino iure venialium confeſſio non ſit neceſſaria, eodem tamen diuino iure illorum remiſſio, quomodocumque fiat, ex merito Paſſionis Chriſti, ciuſque applicatione pendere neceſſe eſt; Inſtituit igitur Eccleſia plura remedia ad deletionem venialium, quæ etiam ad pellendos morbos, ad tempeſtates ſedandas, & ad alia huiuſmodi valent, benedictione à Sacerdote accepta: eſt enim mos antiquiſſimus in Eccleſia, Aquam, Oleum, Cereos, Cineres, Ramos, Sal, Panem, & ſimilia benedicere, exemplo Chriſti Domini, Matthæi 14. & Lucæ 9. Qui panes multiplicaturus, aſpiciens in Cœlum benedixit eos, & ea benedictione multiplicauit. De hac creaturarum benedictione locutus eſt Paulus prima ad Timotheum 4. dicēs. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*; quem locum Chryſoſtomus, & Theophylactus exponentes, dicunt, Apoſtolum ex ſuppoſitione locutum eſſe, perindè ac diceret, omnis creatura bona, & munda eſt, nihilominus etiam ſi immunda eſſet, facilè poſſet ſanctificari ſigno Crucis, & oratione. Vſum autem, & conſecrationem aquæ benedictę ab ipſo tempore Apoſtolorum in Eccleſia fuiſſe, multis, apertiſſimiſque Patrum teſtimonijs demonſtratur. D. Clem. lib. 8. Apoſto. conſtitut. cap. 25. ſcribit ordinem conſecrationis Aquę. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. de Baptiſmo, dicit, aquam ſacris inuocationibus conſecrari. Alexander Primus Epiſt. 1. pręcipit aquam benedici, cuius uerba ſuperius citauimus. Cyrillus Cathecheſi 3. dicit, Aquam ſimplicem fieri ſanctam inuocatione Dei, ſicut cibi mundi fiunt immundi inuocatione Dęmonis. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Aquę conſecrationem, traditionem Apoſtolicam uocat. Epiphanius Hæreſi 30. & Theodoretus lib. 5. cap. 21. Hiſtoriam aquę benedictę referunt. Ambroſius lib. 4. De Sacramentis cap. 5. affirmat, Aquam debere conſecrari, & lib. de his, qui myſterijs initiantur cap. 3. dicit, Aquam, niſi ſigno Crucis priùs benedicatur, nullum habere uſum in Eccleſia. D. Auguſtinus Homil. 27. in lib. quinquaginta Homiliarum, & ſerm. 19. de Sanctis, & lib. 6. in Iulianum cap. 8. dicit, in Eccleſia Aquam ſigno Crucis ſacrari. Cyprianus item antiquiſſimus Scriptor lib. 1. Epiſt. 12. *Oportet*, inquit, *mundari, & ſanctificari prius aquas à Sacerdote, &c.* In Concilio uerò Nannetenſi Cano. 4. iubetur, cùm Presbiter ęgrotos uiſitat, primò aſpergere aqua ſancta ęgrotum, & ipſum cubiculum. Nec Alexandro Primo aquę benedictę inſtitutio tribuenda eſt, quemadmodum Caluinus lib. 4. capite 10. §. 20. cenſuit; ſed Apoſtolis, nam ille ſolùm pręcepit, ut hęc ſancta cęremonia frequentaretur; nec hęc lotio religioſa aquę benedictę repetitio eſt Baptiſmi, qui & eſſentia, & effectu ab illa differt; quamuis per illius aſperſionem in memoriam reuocare poſſit Chriſtianus, ſe per aquam Baptiſmi mundatum fuiſſe; Diabolo, & pompis eius renunciaſſe, Deoque optimo maximo ſe, ut templum eius, conſecratum eſſe. Nec ualet alter cauillus Caluini, ex Auguſt. Epiſt. 119. cap. 18. ubi dicitur, Chriſtianos cęremoniam lauandi pedes in Die Cęnę Domini omiſiſſe, ne eà lotio ad Sacramentum Baptiſmi uideretur pertinere; quaſi omnes alias lotiones pręter Baptiſmum damnet; non ſic Auguſt. qui ſolum recenſet, fuiſſe aliquos, quibus diſpliceret lauari pedes Cathecumenis in die Cęnę Domini, nè quaſi neceſſaria illa lotio iudicaretur ad Baptiſmum; Placebat autem illis, hanc pedū lotionem in Diem Octauam Paſchę differendam. D. Ambroſius lib. 3. De Sacra. cap. 1. hanc cęremoniam lotionis pedum approbat, & defendit; Immò ab eodem in lib. de his, qui myſt. init. cap. 6. à D. Cyprian. Serm. De abl. Pedum, & à D. Bernar. Serm. in Cœna, uocatur Sacramentum in figuram Baptiſmi, & exemplum humilitatis, & charitatis, ut ait Baſil. lib. 1. de Baptiſ. cap. 2. Hęc autem aquę conſecratio, ſicut & cęterarum rerum, quę benedicuntur, omni magia, & ſuperſtitione caret, cùm Dei uerbo, & oratione innitatur; quicquid Tilemanus Heshuſius in li. de ſexcentis erroribus Papiſtarum loco 27. obmurmuret. Legat hic Paulum ad Thimoteum loco citato, ubi per uerbum Dei, & orationem creaturam aquę, uirtutem ſpiritualem recipere ad ſpirituales effectus cauſandos, cognoſcet. Legat cap. ſeptimum primi libri Regum, ubi Samuelem, aquam in Dei honorem in terram

effudiſſe,

Antiquus Eccleſiæ mos benedicēdi multa per Sacerdotes.
Matth. 14.
Luc. 9.
1. ad Thim. 4.
Chryſoſt.
Theophyl.
Vſus aquæ benedictæ.
D. Clem.
Dion. Areop.
Alex. Primus
Cyrill.
Baſilius.
Epiphan.
Theodor.
Ambroſ.
D. Auguſt.
Cyprian.
Conc. Nanne.
Ab Apoſtolis initiū habuit aqua benedicta côtra Caluinum.
Caluinus male argumentatur ex D. Auguſt.
Ambroſ.
Cyprian.
Bernard.
Baſil.
Benedictio aquæ, & aliarū rerum non eſt ſuperſtitioſa, contra Hæreticos.
1. Reg. 7.

Clem. Rom. effudiſſe, intelliget. legat inſuper Clementem Romanum in li. 8. de Conſtir. Apo
ſtol. cuius uerba, ſi cum Pauli Scriptura conferantur, hominem neceſſariò conuin
cent: ſic autem habet conſtitutio. *Benedicat Epiſcopus aquam, aut oleum: ſin verò non
aderit Epiſcopus, benedicat Presbiter, præſente Diacono: Dicat autem in hunc modum.
Domine Sabaoth, Deus virtutum, Creator Aquarum, & amator hominum, qui dediſti a-
quam ad bibendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ, ipſe etiã
nunc ſanctifica hanc aquam, & oleum ex nomine eius, qui obtulit, vel quæ obtulit, & tri-
bue ei vim ſanandi, & repellendi morbum, fugandi Dæmones, & expellendi omnes inſi-
dias per Chriſtum ſpem noſtram, cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac Sancto Spiritu
in ſæcula. Amen.* Profectò uerba hęc omni auctoritate, ſumma antiquitate, firmiſſi
maque ueritate ſunt plena; In hoc autem teſtimonio D. Clementis, non ſolùm
Auguſt. conſecratio Aquę, ſed etiam Olei habetur, de qua etiam Auguſtinus tract. 118. in
Dionyſ. Ioannem, D. Dionyſius, & Baſilius locis citatis.
Baſil.

Effectus Aquæ benedictæ ex Turr. Clicthou. & D. Vincentio.

QVINDECIM autem effectus aquæ benedictæ referunt, Turrecremata in tracta-
ctu de aqua benedicta, Clicthou. in Elucidatorio Eccleſiaſtico, & B. Vincentius
3. par. ſerm. 9. de Sanctis Fugat Dæmones, quietat intellectum ab illuſionibus Dę
monis, cordis tractum temperat, remittit venialia, mũdat, & diſponit cor ad benè
orandum, diſponit, vt deuotè exerceat myſteria diuina, & dignè ſuſcipiat res ſa-
cras, tollit ſterilitatem, auget fructus, affert ſalutem infirmis, mundat aerem peſte
infectum, defendit à ferarum impetu, arcet fulmina, & tempeſtates grandinis, mi
tigat tempeſtates, & fluctus maris, impedit furiam inimicorum viſibilium, ac de-
nique extinguit incendia ignis. Quas etiam proprietates aquæ benedictæ refert
Vualdenſis. Vualdenſis tom. 3. de Sacram. tit. 24. cap. 68.

De benedictione Cerei Paſchalis, Panis, &c.

Strabo cap. 30. Concilium Quartum Toletanum ſub Honorio Primo Cano.
8. Zozimus, Theodorus Primus, & B. Ambroſius de benedictione Paſchalis Ce-
rei mentionem faciunt, Rupertus in lib. de diuinis officijs, D. Thom. quodlib. 3.
Strab. art. 31. Prudentius, in integro carmine, de Paſchalis Cerei benedictione. Grego-
Conc. Tole. 4. rius lib. 9. Regiſtri Epiſt. 28. precum, quæ ſuper Cereum Paſchalem in Rauenna-
Zozimus. ti Ciuitate fiebant, meminit. Sicut etiam B. Maximus de benedictione Cinerũ, &
Theo. Primus Palmarum, & D. Cyrillus lib. 3. in Ioannem ca. 17. de Panis benedictione, & Ab
Ambroſ. dias lib. 2. Hiſtor. Apoſt. refert, Petrum Apoſtolum abieciſſe Dæmones, ſeu Ca-
Ruper. nes, iniecto Pane benedicto, quos Simon Magus excitauerat: neque enim ſolùm
D. Thom. hæc omnia, & plura alia ad deletionem venialium ab Eccleſia inſtituta ſunt, ſed
Pruden. etiam ad alios effectus ſupernaturales efficiendos, & ſignificandos; ſicut enim Ec
Gregor. cleſia, ut inquit D. Auguſt. Epiſt. 119. ſpiritu Dei ducta, docet Chriſtianos diebus
Maximus. Dominicis, & à Paſcha vſque ad Pentecoſten ſtando orare, ad ſignificandam ea
Cyrill. cæremonia Chriſti reſurrectionem; ſic vtitur Cineris aſperſione, ad ſignificãdam
Abdias. pœnitentiam; Palmæ benedictæ delatione, ad indicandam victoriam de morte,
D. Auguſt. Diabolo, & peccato, ſeù de Carne, Mundo, & Dæmone; atque etiam Cereo Pa-
ſchali ad gloriam Reſurrectionis demonſtrandam; efficiunt quoque res illæ bene
dictæ, ut dictum eſt, effectus aliquos ſupernaturales, putà morborum curationes,
ac Dæmonum expulſiones; ſicut enim ad curandam lepram Naaman Syri, Eli-
ſæus Aquam Iordanis adhibuit, vt lib. 4. Regum cap. 5. & ad aquarum amaritudi-
4. Reg. 5. 4. Reg. 2. nem tollendam ſalis aſperſionem miraculo adiunxit, vt 4. Reg. 2. ſic Eccleſia, A-
qua, & Oleo benedicto vtitur, tamquam ſignis diuinę virtutis, ad effectus ſuperna
turales cauſandos. Nonnè aqua admixta cineribus mundabantur Iudæi à legali-
Ad Hębr. 9. bus ſordibus, vt ad Hæbræos 9. dixit Apoſtolus? Nonnè hæc aqua expiationis nũ
cupabatur? Sanè hæc omnia à Nicromantia, vel incantatione longè, lateque di-
Numer. 5. ſtabant; ſed quod Numerorum 5. De lege Zelotypię legitur, Nicromantia nequa
Alph. Caſtro. quam dici poteſt, quem locum citat etiam Caſtro lib. aduerſus Hæreſes verbo, A-
qua benedicta: ad periculum faciendum, an Mulier adulterata fuiſſet aſſumeba-
tur aqua ſancta in Vaſe fictili, & pauxillo terræ de pauimento Tabernaculi ſum-
NOTA. ptæ miſcebatur, & maledicta à Sacerdote amariſſima efficiebatur, hanc potabat
mulier, quæ ſi peccaſſet, aqua epota vterum tumeſcere, & fæmur eius putreſcere
faciebat;

faciebat; ſi verò polluta non erat, innoxiam, & prolificam reddebat.

Miraculum Aquæ benedictæ ex Epiph.

Verum de uirtute Aquæ benedictæ mirandum refert Epiphanius lib. 1. contra hæreſes, tom. 2. in hæreſi 30. Hebionitarum, quod dicit, ſe ex eodem ipſo, cui accidit, accepiſſe. *Quidam Ioſephus ex Iudæo Chriſtianus factus, uir admodum diues, & Imperatoris amiciſſimus, volens in Vrbe Tiberiade templum ædificare, cum eſſet opus calce, & alia materia; Caminos, quos fornaces uocant, extrà Vrbem, inquit, multos facere iuſſit, ſeptem fortè numero. At uerò callidi, audaceſq; Iudæi à præſtigijs apud ipſos fieri ſolitis non abſtinuerunt, incantationibus enim quibuſdam ignem ligare, & diſperdere aggreſſi ſunt, ſed non perfectè potuerunt: Ceſſabat itaq; ignis, & non operabatur: ſed extrà propriam, ut ità dicam, naturam conſtitutus erat, ubi autem ij, qui combuſtibilem materiam igni addere iuſſi erant, ligna, uidelicet, ſiuè ſarmenta, nihil effeciſſent, Ioſepho rem ipſam ſignificauerunt. Commotus igitur uir ipſe, & Zelo diuino correptus extrà ciuitatem cucurrit, & ubi aquam in vaſe efferri iuſſiſſet, accepto vaſe Aquæ coram omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad ſpectaculum, euentum uidere cupidi, & quid Ioſephus facturus eſſet) magna uoce Crucis ſignaculum proprio ſuo digito vaſi impoſuit, & inuocato nomine Iesv ſic dixit; In nomine Iesv Nazareni, quem crucifixerunt Patres mei, & omnium horum circumſtantium, fiat uirtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, ac Magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini, & ſic accepit aquam in manum, & de aqua ſingulas fornaces reſperſit, & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit, Turbæ uerò præſentes clamore edito in hæc uerba; vnus Deus, qui auxiliatur Chriſtianis, ſeceſſerunt:* ſic Epiphanius. Aliud quoque ibidem narrat miraculum, in quo per aſperſionem aquæ, in modum Crucis inſanum hominem à Dæmone uexatum reſperſit, ac ſanus factus eſt.

Alia miracula ex Theod. Pallad. Gregor. Bernard. Maffeio.

Theodoretus refert in libro 9. Hiſtoriæ tripartitæ cap. 33. Marcellum Epiſcopum Apameenſem, & Palladius cap. 10. Macharium ſimile quid feciſſe. D. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 10. narrat, Sanctum Fortunatum aſperſione ſolius aquæ benedictæ curaſſe quemdam, qui cadens ex equo fœmur confregerat; & D. Bernardus in uita Sancti Malachię narrat, eum hominem fræneticum aqua benedicta curaſſe; id uerò iam frequentiſſimum eſt apud Indos, ut uidere eſt in hiſtorijs Maffeij, multa mirabilia ſcilicèt per aquam benedictam patrari.

Virtus panis, & olei benedicti à D. Bernard. D. Hilarione apud Hieron. Marci 6.

Sed oleo, & pane benedicto quamplurimos ſanatos eſſe à D. Bernardo legimus in eius uita lib. 3. cap. 5. & à D. Hilarione apud Hieronymum; quod etiam ab Apoſtolis factum eſſe Marci ſexto habetur.

Benedictio panis ex D. Auguſt. Paulin.

D. Avgvstinvs lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26. & Paulinus in Epiſt. ad Alipium, & Romanianum, quæ habentur inter Epiſtolas Auguſtini num. 35. & 36. de benedictione Panis extrà Euchariſtiam, mentionem faciunt; At uerò, prę ter aquam benedictam, plura alia ad remiſſionem uenialium ab Eccleſia inſtituta eſſe, ſuperiùs enumerauimus, nec hoc in loco repetenda ſunt.

Poteſt Annus Iubilæi à Papa inſtitui, ut quid Sacramentale.

Illvd unum, ut quæſtioni propoſitę reſpondeamus, affirmandum eſt, poſſe Summum Pontificem integrum Annũ Sacri Iubilæi, præſcriptaque opera pro illo conſequendo, ut Sacramentale conſtituere, (ut ſuperiùs expoſuimus,) non ſolum ad peccata uenialia delenda, alioſque effectus ſpirituales, quos alia Sacramentalia faciunt, ſed etiam ad fugandos Dæmones, alioſque ſupernaturales effectus, & ità de facto accidit Romæ, quia in Anno Iubilæi, & in Anno Sancto apud Baſilicas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & B. Mariae, & Sancti Ioannis, quamplurimi à Dæmonis uexatione liberantur, libereque fatentur, ſe eo Anno neceſſariò ob illius conſecrationem, Pontificiamque poteſtatem, quæ tunc ſummè exercetur, à corporibus exire debere; ſicut enim Summus Pontifex grana benedicta, ſacra numiſmata, Cruces, Imagines, & ſimilia in ordinem Sacramentalium ad libitum ponit; ità quoque ea opera, quæ in toto Anno Sancto ab ipſo præſcripta piè, ac religioſè exercentur; Et quamuis in Bulla indictionis Sacri Iubilæi hæc omnia explicitè non dicantur, vſus tamen Eccleſiæ, & Praxis fidelium hanc uim Annum Sanctum habere, apertiſſimè declarant.

VERVM, antequàm huic capiti extremam manum imponamus, duo argumenta, quæ contrà ea, quæ diximus, faciunt, diſſoluenda ſunt.

Argumentũ hæreticorum ex 1. Ioan. 2. ſoluitur.

Primum eſt Hæreticorum, ex illo primę Ioannis ſecundo. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni delicto*, ergò etiam à veniali, fruſtrà igitur, & uana ſunt hæc omnia Sacramentalia: ità Tilemanus Heshuſius loco citato. Sed ſoluitur, ità ſane eſſe, omnes noſtras ſordes, etiam veniales per Chriſti ſanguinem emundari; ſi tamẽ aliquo modo nobis applicetur, & ſicut per Baptiſmum, & Pœnitentiæ Sacramentum applicatur ad omnia peccata delenda, ità quoque per hęc Sacramentalia applicatur ei, qui eſt in gratia, ad venialia delenda; omnis enim remiſſio, etiam leuiſſimorum peccatorum, per meritum Paſſionis Chriſti efficitur, ut in principio capitis, & alibi dictum eſt.

Soluit aliud argumẽtum.

Secundum argumentum eſt, quoniam ſequeretur, iſta remedia cenſenda eſſe Sacramenta, ſi ex opere operato, & infallibiliter effectum ſuum conſequerentur, & ità Eccleſia poſſet Sacramenta inſtituere, quod falſum eſt.

D. Thom. Soto.

Reſpondeo primò cum Soto in quarto, diſtin. 15. quęſt. 2. artic. 3. quod ex D. Thom. 3. par. quęſt. 65. artic. 3. accepit, negandam eſſe conſequentiam, nam ad rationem Sacramenti requiritur, non qualiſcumque effectus ſpiritualis, ſed gratiæ infuſio; effectiuè enim Sacramenta cauſant gratiam, quod Sacramentalia nequaquàm efficiunt; vndè colligitur, quòd quamuis Eccleſia non poſſit inſtituere Sacramenta, quia gratiam conferunt; poteſt tamen rectè hæc Sacramentalia inſtituere.

Caſtro. Bellarm.

Secundò reſpondeo cum Caſtro lib. 2. contra Hæreſes, Verbo, Aqua, Hæreſi 2. & Bellarmino lib. 2. de Imaginibus cap. 30. & lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7. quòd hæc Sacramentalia, ſicut etiam ſignum Crucis, non operantur prædictos effectus infallibiliter, quemadmodum operantur Sacramenta, quod etiam dixit

D. Auguſt.

D. Auguſtin. lib. 83. Quæſtionum quęſt. 79. & experientia ipſa teſtatur; eius dicti duplex ratio aſſignatur. Prima, quia huiuſmodi res non habent uim ex pacto

Cur Sacramentalia non operantur infallibiliter quoſdam effectus.

Dei expreſſo, ut Sacramenta, ſed ex precibus Eccleſiæ, & deuotione utentium. Secunda, quoniam non expedit ſemper nobis, ut liberemur, uel à vexatione Dęmonis, uel à morbo. Vndè confidendum eſt de Deo, quòd dabit, & efficiet in nobis, quod in Aquę benedictione poſtulatum eſt, ſi utile futurum ſit nobis: quamuis quoad remiſſionem venialium, niſi obex ponatur, & ex intentione ab eo, qui eſt in gratia, fiant, (mea ſententia) effectum infallibilem habeant, ſunt enim remedia certa ab Eccleſia per ſe primò, & principaliter ad hunc effectum inſtituta, nec in hoc filios ſuos decipit. Verùm de hac re exactiùs inferiùs agendum erit, ubi de cęremonijs ſermo fiet.

De abſolutione, quæ fit in cõfeſſione generali in ſacrificio Miſſę. Victoria.

FRANCISCVS de Victoria in ſumma Sacramentorum, in tractatu de Confeſſione nu. 134. dicit, quòd Sacerdos cùm celebrat, abſoluitur de venialibus à layco in Confeſſione generali auctoritate Eccleſiæ, quæ habet poteſtatem ſuper venialia; & quòd talis confeſſio eſt quoddam Sacramentale. Qui modus loquendi mihi nullo pacto probatur; Abſurdum enim eſt dicere, Sacerdotem à Layco abſolui, cùm Eccleſia Laycis ergà Sacerdotes nullam dederit poteſtatem quo ad culpas in foro interiori; Nec Laycus dùm dicit, *Miſereatur tui omnipotẽs Deus*, abſoluit Sacerdotem à venialibus, ſed orat pro Sacerdote, ut Deus mediante Sacerdotis diſplicentia, & contritione, illius miſereatur, & dimiſſis omnibus peccatis ſuis, perducat illum ad uitam ęternam. Sacerdos uerò dùm Layco in Confeſſione generali dicit. *Et tibi frater*, nequaquàm ab illo abſolutionem recipit, ſed à Deo mediante ſuo actu, & operatione. Vndè ipſe Sacerdos, & ſibi, & alijs circumſtantibus, & Layco nomine eorum reſpondenti, à Deo Indulgentiam, & abſolutionem impetrat, dicens. *Indulgentiam, & abſolutionem omnium peccatorum noſtrorum, &c.*

CAPVT OCTAVVM.

De Suſpenſione Indulgentiarum in Anno Sancto Iubilæi.

NOvem Dubia in hoc capite diſſoluenda ſunt circà ſuſpenſionem aliarũ Indulgentiarum, quæ conceſſæ ſunt per totũ Orbem; quę ſuſpenſio fit in Anno Sãcto per Summũ Pontificẽ, & ideò, vt ordinatè, & diſtinctè procedamus, ſingula dubia ſuo ordine, & loco diſtinctè explicabimus.

DVBIVM PRIMVM.

Cur cæteræ Indulgentiæ in Anno Sancto ſuſpendantur.

A Tempore Sixti Quarti cœptum fuit, Indulgentias alias in Anno Sancto ſuſpendere, vt facilè ex eius Conſtitutione, quæ incipit, *Quemadmodum*, licet conijcere; Occaſio verò edicti fuit, quòd quamplurimas, & ipſe, & prædeceſſor ipſius Paulus Secundus, conceſſerant Indulgentias, & peccatorum remiſſiones plenarias nonnullis Eccleſijs, Monaſterijs, & pijs locis. Vnde probabiliter timebatur, ne populorum concurſus ad Vrbem redartaretur, aut ipſius Anni Iubilæi celebritas cum animarum non modico detrimento minui, vel intermitti poſſet. Hęc autem ſuſpenſio ob tres cauſas iuſtè, rectèque fit. Initium, & origo ſuſpenſionis Indulgentiarum in Anno Sancto.

Prima eſt, quam Sixtus Quartus in prædicta ſua Bulla aſſignauit, ne propter aliarum Indulgentiarum à Summis Pontificibus conceſſarum effuſionem, (ſic enim ille loquitur) hoc ſanctum opus, ac remiſſionis, & gratiæ Annus Iubilæus intermittatur. Cauſſę huius ſuſpenſionis.

Secunda, ne fideles ipſi ob aliarum Indulgentiarum acquiſitionem retardati, à tanto munere reddantur expertes. Plus enim confert, & tribuit Iubilæus, quàm Indulgentia Plenaria, vt dictum eſt, & hanc quoque Sixtus aſſignat.

Tertia eſt Gregorij XIII. in Bulla, quæ incipit, *Quoniam Sancti Iubilæi*, in maiorem cultum, & celebrationem Sacri Iubilæi; nempè, vt hæc ſola vigeat, hæc ſolummodo floreat, ac denique vt hęc vnica; & non alia Plenaria acquiratur. Neq; enim fas eſſet, vt res celeberrima fidelibus tanto apparatu proponeretur, qui per aliam viam idem conſequi poſſent. Quemadmodum ergò, ſi præcellens aliquis Concionator, vel Lector in Vrbe eſſet, iuſtè præciperetur, vt honoris gratia, reliqui eo tempore, quo ille verba facit, quieſcerent. Sic quoque æquum viſum fuit, eo tempore, quo Romæ celebratio Anni Sancti peragitur, vt cæteræ Indulgentiæ Plenariæ per Orbem diffuſæ ceſſarent, hoc præſertim ſęculo, in quo nulla ferè Eccleſia, etiam in paruis oppidis ſita reperitur, in qua Indulgentia Plenaria non ſit conceſſa. Simile.

DVBIVM SECVNDVM.

Quænam Indulgentiæ ſuſpendantur, Plenariæ ſolùm, an etiam non Plenariæ.

Dico, rem claram eſſe, ſolas Plenarias Indulgentias in Anno Sancto ſuſpendi, non autem alias non Plenarias, ut ex litteris citatis Gregorij Decimitertij diſertis uerbis cognoſcitur; & rectè notauit Nauarrus in Gloſſa, quam prædictæ Extrauaganti adhibuit, uerbo, *Plenarias*; & ex Bulla Sixti Quarti, quæ incipit, *Quemadmodum*, quam interpretatur idem Nauarrus in Comment. de Iubilęo notab. 28. num. 1. Quæ ſuſpenſio procedit ergà Plenarias Indulgentias, quocumque illæ nomine uocentur, ſiue facultates, ſiue conceſſiones, ſiue indulta, ſiue gratiæ: procedit quoque, ſiue nomine proprio, ſiue nomine Sedis Apoſtolicæ concedantur, ſiuè ſint perpetuæ, ſiuè temporariæ, quod eſt ualde notandum; Item pro- In Anno Sancto tantum ſuſpẽduntur Indulgẽtiæ Plenarię. Nauar.

cedit, ſi conceſſę ſunt, ut in articulo tantùm mortis proſint, ſiuè etiam, ut alio tempore vitæ: Item ſi conceſſa ſit Indulgentia in fauorem Hoſpitalis, Monaſterij, Eccleſiæ, Congregationis, Ordinis, Vniuerſitatis, Militiæ, Cõfraternitatis, atque etiam cuiuſcumque perſonæ eccleſiaſticæ, uel ſæcularis, cuiuſcumque gradus, & dignitatis exiſtat, etiamſi per uiam communicationis, uel extenſionis conceſſæ ſint. Item procedit contra omnia Indulta, quouis modo, & quauis cauſa, etiam ob remunerationem, uel compoſitionem, quæ alias reuocari nequeunt, fuerit conceſſa; unde concluditur, uniuerſaliſſimam huiuſmodi ſuſpenſionem eſſe in toto

Bulla Cruciatę etiam ſuſpenditur.

Orbe. Ex quo ſequitur, Bullam Cruciatæ, & alia Indulta perſonalia, quæcumque illa ſint, & cuicumque conceſſa eo anno, quoad effectum Plenariæ Indulgentiæ conſequendę, ſuſpenſa eſſe. Ratio autem, cur id Pontifici facere liceat, ea potiſſimùm eſt, quoniam cùm poſſit ea iuſta de cauſa tollere, à fortiori poteſt ſuſpendere, & ſi alij Principes poſſunt ex ſuæ auctoritatis amplitudine abrogare iuſta de cauſa priuilegia data ſubditis, cur Papę id negandum erit? præſertim cùm id totum faciat in maius bonum, & utilitatem ſuorum ſubditorum; ſed de his fuſiùs le-

Nauarr.

ge Nauarr. locis proximè citatis. Volunt autem Summi Pontifices, quòd ſi Indulgentia Pleniſſima ad inſtar Iubilæi conceſſa ſit, etiam ſuſpenſa cenſeatur.

Dubium Tertium.

An ſuſpendantur facultates eligendi Confeſſorem, vota commutandi, & ſimilia.

Alię facultates ultra Indulg. plenariã etiam ſuſpenduntur.

QVATTVOR facultates, præter Indulgentiam Plenariam, Sixtus Quartus ſuſpenderat in ſua extrauaganti, *Etſi Dominici*; nempe facultatem commutandi vota, diſpenſandi ſuper ea, componendi circà malè ablata, & deputandi Confeſſarios, cùm poteſtate abſoluendi à Caſibus reſeruatis: has quoque facultates, ſeu earum indulta, cùm ea de cauſa conceſſa ſint, ut huiuſmodi Iubilæi Indulgentia commodiùs acquireretur, Gregorius XIII. in ſua extrauaganti citata, *Quoniam*,

Nauar.

ut refert Nauarrus in Gloſſa, in verbo, *Facultates*, ſuſpendit, & ſuſpenſas eſſe uoluit: quod etiam alios Summos Pontifices pro tempore laudabiliter facturos eſſe, credendum erit: benè autem notauit Nauarrus in dicto notabili 28. nu. 8. 9. & 10. per huiuſmodi ſuſpenſionem non auferri facultatem remittendi, diſpẽſandi, componendique circà res incertas reſtituendas, non malè, neque illicito modo ablatas. Hæc enim diuerſa ſunt ab illis incertis reſtituendis, quæ malè, uel illicito modo habentur, ut latiùs oſtendit idem Nauarrus in Cap. *Cùm ſit*, de Iu-

Quę facultates non ſuſpẽdantur in Anno Sancto.
Nauar.

dæis, notabili ſecundo. Nec etiam aufertur poteſtas deputandi confeſſarios ſine poteſtate abſoluendi à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, ut rectè idem oſtendit ibidem num. 10. 11. & 12. Nec aufertur poteſtas elegendi Confeſſores, nec tolluntur quatuor illę facultates, dummodò conceſſæ ſint cauſa acquirendi alias Indulgentias, quàm plenarias, ut rectè notauit Nauarr. in dicto Gloſſ. verbo, *Facultates*, in coroll. 3.

Ex his infertur primò, cum Nauarro in eodem loco coroll. 2. quòd facultates comedendi lacticinia, & oua in diebus Ieiuniorum, celebrandi item extra locum ſacrum ſuper altari portatili, audiendi diuina tempore Interdicti, Miſſas celebrandi per horam ante auroram vel poſt meridiem, recitandi hoc, uel illud officium, facultatem accipiendi ientaculum paulò amplius ſolito, uel matutino tempore, & alia ſimilia, quæ non ſpectant ad conſecutionem Indulgentiæ, non ſuſpenduntur; licèt in eadem Bulla cum facultate Indulgentiæ Plenariæ acquirendæ concedantur. Hæc enim odioſa non extendenda ſunt, Cap. *Odia* de Reg. Iur.

Odia reſtringenda, priuilegia dilatanda.

lib. 6. nec Principum beneficia coarctanda ſunt l. *Beneficium*, *ff.* de Conſtit. Principum. Secundò infertur, facultates, quas Epiſcopi, uel Legati Papę, uirtute generalis Legationis conceſſerunt abſoluendi à peccatis Epiſcopis reſeruatis, non ſuſpendi; cùm non ſint factę Apoſtolica auctoritate. Immò etiamſi ab ipſo Papa

Nauar.

factę eſſent, cum non ſint de reſeruatis Papę. Ità Nauar. in dicto notab. 28. num. 16. & 17.

& 17. Tertiò infertur, neque ſuſpendi facultates, quas Nuncius Apoſtolicus, uel Legatus Papæ fecit etiam de reſeruatis Papę, ut de abſolutione ab excommunicatione percuſſionis Clerici: Cap. *Si quis ſuadente*, 17. quæſt. 4. quoniam has auctoritate ordinaria concedit, cùm Legatus ſit quoque ordinarius Cap. 2. de offic. Legati lib. 6. quamuis extraordinario modo inductus, iuxtà Gloſſ. Clem. 2. de officio ordin. facultates uerò, quæ ei non competunt, niſi uirtute ſpecialium facultatum, quas ei Papa conceſſit, ſuſpenſæ eſſent, & in Bulla ſuſpenſionis comprehenſæ: ità Nauar. ibidem num. 9. Legatus Papæ eſt ordinarius extraordinarie.

Dubium Quartum.

An Religioſis hæ facultates eo Anno ſublatæ ſint.

RESPONDEO, in hoc differre Conſtitutionem Gregorij XIII. quę incipit, *Quoniam*, ab illa Sixti Quarti, *Quemadmodum*. In hac enim ſolùm ſuſpenduntur Plenariæ conceſſæ Vniuerſitatibus, Ordinibus, & alijs, quæ non ſunt perſonæ ueræ, ſed fictæ. Aliud eſt enim Vniuerſitas, & Collegium, & aliud ſinguli de Collegio, & Vniuerſitate, ut rectè dixit Ludouicus Romanus Conſ. 400. & aliud Ciuitas, quàm ſinguli Ciues. Interdicta enim Ciuitate, perſonæ Ciuium non cenſentur interdictę, cùm extrà illam ſacra audire poſſint, Cap. *Si ſententia* de ſenten. excommunicat. lib. 6. Lege Felinum in Cap. *Iam te*, de reſcript. num. 14. & Decium Conſil. 286. In illa autem Gregorij, expreſſis uerbis extenditur illa ſuſpenſio ad quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares, cuiuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis, & in quacumque Orbis parte conſtitutas: cùm autem Regulares, ſiue Sacris Ordinibus ſint initiati, ſiue nõ, ſint perſonę Eccleſiaſticæ, (quod palàm eſt,) ſequitur, illos, ſiuè ſint Monachi, ſiuè Canonici, ſiuè Mendicantes, ſiuè Clerici, uel Laici Religioſi, huiuſmodi ſuſpenſione affici, & affectos eſſe, donec ſuſpenſio illa auferatur; ex quibus ſequitur, omnia indulta perſonalia, quæ Confeſſionalia uocantur, Bullam quoque Cruciatæ nemini (durante huiuſmodi ſuſpenſione) ſuffragari, cùm de plenitudine poteſtatis à Papa auferantur. Ità Nauarrus in ſua Gloſſa uerbo, *Perſonis*, ſuper conſtitutionem Gregorij. Sequitur etiam, grana benedicta ad inſtantiam cuiuſcumque perſonæ Eccleſiaſticæ, nemini quoque eo anno ſuffragari, propter eamdem cauſſam.

Diſcrimen inter Bullas Iubilæi Sixti Quarti, & Greg. XIII.
Ludou. Rom.
Felin.
Dec.
Suſpendũtur, etiam facultates Regularię ex Nauarro.

Dubium Quintum.

An Eccleſia Beatæ MARIAE de Laureto Indulgentiæ, & facultates conceſſæ eo Anno ſuſpendantur.

SI VIS Pontificij diplomatis perpendatur, reſpondendum eſſet huic quæſito, iuxtà eamdem Regulam, omnes Indulgentias Plenarias, durante huiuſmodi ſuſpenſione, etiam in præfata Eccleſia Beatæ MARIAE impeditas eſſe; & ità cùm à S. D. N. Clemente Octauo uiſitantibus ibidem Capellam Beatæ MARIAE conceſſa fuerit Indulgentia Plenaria, nõ niſi uſque ad futurum Annum Sanctum excluſiuè data fuit: quod etiam de quacumque alia Eccleſia dicendum eſt; etiam ſi illa clauſula, non niſi uſque ad præfatum futurum Annum Sanctum, appoſita non eſſet, cùm regulariter hęc ſit mens Papę concedentis. Verùm ex ſingulari beneficio, inſignique Pontificis dono ab hac generali regula una excipienda eſt Ædes Lauretana. Sic Gregorius XIII. in ea Iubilęi celebritate, quę ipſo ſedẽte incidit, declarauit; nec uoluit, ut Romana Iubilęi Indulgentia quicquam Lauretanę plenarię detraheret; quinimmò ut hęc cùm illa eodem Iubilęi anno ius, roburque ſuum obtineret, quod etiam ab alijs Pontificibus in gratiam Ædis Lauretanę declarandum, ſeu concedẽdum, ità maieſtate Lauretani Templi exigẽte, ſperamus. Quòd uerò ad alias facultates ibidem Pœnitentiarijs tàm regularibus, quàm ſæculari-

Ex vi Bullę ſuſpenduntur etiam Indulg. plenarię in Eccleſia Lauretana; ſed tñ Greg. XIII. illam excepit in ſua Bulla.

bus à Sede Apoſtolica conceſſis conſtanter dicendum eſt, illas manere in ſuo robore: poſſunt enim à reſeruatis Papæ, præterquam in Bulla Cœnę Domini, omnes confluentes abſoluere; cùm illę non ob acquirendam Indulgentiam Plenariam in illa Eccleſia conceſſę fuerint, ſed ad commodum ſpirituale eorum, qui deuotionis ergò ad præfatam Eccleſiam peregrinantur.

Dubium Sextum.

An Suſpenſio huiuſmodi duret, elapſo Anno Sancto.

Suſpenſio perſeuerat etiam elapſo Anno Sancto ex Nauar.

ET Dicimus cùm Nauarro locis citatis, durare etiam poſt elapſum Annum Sanctum, niſi Sedi Apoſtolicę aliter placeat, cùm expreſsè ſuſpendantur uſque ad Pontificis ſuſpendentis, & Sedis Apoſtolicę beneplacitum. Quocircà, niſi ſubſequatur noua confirmatio à Sede Apoſtolica, poſt Annum Sanctum impetrata, nulla Indulgentia Plenaria, etiam perpetua, nullęque alię facultates ante illum obtentę, & ut ſuprà conceſſę Eccleſijs, Monaſterijs, Ordinibus, Collegijs, Domibus, perſoniſque quibuſcumque amplius ſuffragantur. Nec mens Summorum Pontificum eſt illas ſuſpendere tantùm in Anno Sancto; quoniam ſpes certa, quã exteri haberent de Indulgẽtia acquirenda ſtatim poſt finem Anni Sancti, retardaret illos ad Romanam peregrinationem aggrediendam, & ſic celebritas Anni Sãcti contrà mentem Pontificis diminueretur. Adde, quòd cùm litterę ſuſpenſionis per plures menſes ante Annum Iubilęi emanent, & publicentur, (litterę enim Sixti per Sexdecim Menſes ante, Gregorij uerò per duos Menſes, emanarunt) à die quo datę ſunt, huiuſmodi ſuſpenſionem operantur. Quapropter etiam finito Anno Sancto illam durare mirum non uideatur. Hùc accedit, quòd lata ſuſpenſio, niſi reuocetur, ſemper durat, ut fusè ibidem Nauarrus. Hęc autem nec tacitè, nec expreſsè reuocata fuit, nec à Summis Pontificibus de facto reuocatur. Placuit Gregorio XIII. etiam durante Anno Iubilęi Anglis, qui Romam petere non poterant, gratiam Sancti Iubilęi concedere, ut uidere eſt in ſua conſtitutione, quę incipit, *Saluator Dominus*, Quod etiam alij Pontifices ad libitum, præſertim ſi grauis cauſſa intercedat, facere poſſunt.

Dubium Septimum.

An Concionatores poſſint publicare Indulgentias tempore Anni Sancti.

SOlent Summi Pontifices in ſuis conſtitutionibus, in quibus aliarum Indulgentiarum, quę plenarię ſunt, præter Iubilęi, ſuſpenſionem faciunt; interdicere, & prohibere, ne interim ullæ alię Indulgentię, quàm indicti Iubilęi, ſiuè publicè, ſiuè priuatim, ubique locorum, & gentium publicentur, prędicentur, uel nuncientur, aut in uſu ſint; Ità Sixtus Quartus in ſua Extrauaganti, *Quemadmodum*, & multò clariùs Gregorius XIII. in ſua, *Quoniam Sancti*, quę profectò diſpoſitio, ſeu prohibitio, ut optimè adnotauit Nauarrus in Gloſſa, uerbo. *Ne ulla alia*, procedit quoad Indulgentias Plenarias tantùm: Non plenarię enim nec publicari, nec prędicari uetantur, nec ante Annum Iubilęi, neque in illo, neque etiam poſt illũ; Quocircà Epiſcopi etiam in Anno Iubilæi poterunt abſq; ſcrupulo ſuas Indulgẽtias quadraginta dierum Populis publicare, & è conuerſo fideles poterunt Eccleſias, & oratoria uiſitare, conciones audire, & uti Roſarijs, aliaque exequi, ob quę Indulgentię non plenarię ſunt conceſſę. Neq; in hoc ulla eſt difficultas, cùm mẽs Pontificis perſpicua ſit. Qui Concionator, uel alius quicumq; publicare, uel prędicare, etiam priuatim, ac ſecretò eo tempore alias plenarias Indulgentias, quàm Iubilęi, tentauerit, præter mortale peccatum, (id enim importat uerbum, præcipimus, & interdicimus) in ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrit, & prętereà ab Ordinarijs locorum, pro eorum arbitrio, puniendus eſt. Hinc ſequitur,

Indulgentię non plenarię publicari poſſunt, ex Nauar. non autè plenarię.

quæſtoribus

quæſtoribus omninò tunc temporis, etiam ſub cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, publicationem Indulgentiarum ab Ordinarijs locorum preſſiùs, & arctiùs interdicendam eſſe, quod Sixtus Quartus in calce illius extrauagantis præcepit.

DVBIVM OCTAVVM.

Quid dicendum, ſi priuilegium Plenariam, & non Plenariam contineat: An vtraque ſit ſuſpenſa.

RESPONDET Nauarrus in Gloſſa, verb. *Facultates*, Corollario 3. quòd ſi priuilegium contineat non ſolùm plenariam, ſed etiam non plenariam coniunctim, atque etiam alias facultates, quæ earum cauſa conceſſæ ſunt; tunc omnia eſſe ſuſpenſa. Dignius enim trahit ad ſe minus dignum Cap. *Quod in dubijs*, de conſecrat. Eccleſ. & principalius minus principale l. etſi non ſint, §. peruenia- mus ff. de aur. & arg. leg. Et ſemper eſt attendendum id, quod principaliter intenditur l. non omnis ff. ſi cert. pet. At cùm plenaria ſit dignior, principalior, & magis intenta, quàm aliæ, meritò cæteræ facultates cenſentur conceſſæ principaliter propter illam. Limitat tamen hoc Nauarrus, niſi ſeparatim facultates illæ, reſpectu utriuſque Indulgentiæ, plenariæ ſcilicet, & non plenariæ, eſſent conceſſæ. Argumento not. in Cap. *A nobis*, & Cap. *Secundò requiris*, de appell. Huic doctrinæ addendum eſt, quòd quando priuilegium continet Indulgentiam Plenariam reſpectu unius Eccleſiæ, uel perſonæ, & iterum coniunctim non Plenariam, reſpectu alterius Eccleſiæ, & alterius perſonæ; tunc cenſendum eſt ſuſpenſum quantum ad plenariam, non autem quantum ad alia, utile enim per inutile uitiari non debet, iuxta regulam iuris.

Indulgentia non plenaria coniuncta plenariæ ſuſpenditur.

Nauarr.

DVBIVM NONVM.

An Indulgentiæ Eccleſiarum extra Vrbem poſitarum ſint quoq; tunc ſuſpenſa.

INDVLGENTIAE etiam Plenariæ Baſilicarum, & aliarum Eccleſiarum Vrbis in Anno Sancto in ſuo robore permanent, nec ullo pacto ſuſpenſæ ſunt, cùm ſint finis, ob quem aliæ Indulgentiæ in toto Orbe ſuſpendantur; & ita in extrauagantibus exprimitur.

Oritur modò Dubium, An Indulgentiæ Eccleſiarum, quæ ſunt extra Vrbem, vel in eius Suburbijs ſitæ, ſint eo anno ſuſpenſæ; cùm appellatioue Vrbis, vel Ciuitatis non includantur ea, quæ ſunt extrà muros ſita.

Reſpondemus cùm Nauarro in dicta Gloſſa, verbo. *Vrbis*, nequaquam ſuſpenſas eſſe, cùm illæ ſint Eccleſiæ Vrbis, quamuis non ſint in Vrbe ſitæ, ſicut cetera prædia illi contigua, quæ quamuis ſint extra Vrbem, dicuntur tamen, & ſunt prædia Vrbis: & ſecundum uulgatum modum loquendi, qui attendendus eſt, res ita ſe habet, argumento Cap. *Ex litteris*, de ſponſalib. l. labeo ff. de ſuppel. le. Et hac phraſi utuntur Sixtus Quartus, & Gregorius XIII. Aliud eſt enim dicere, Eccleſia Vrbis, & Eccleſia in Vrbe; quamuis idem ſit dicere Eccleſia Vrbis, & Eccleſia de Vrbe, ut acutè idem Nauarrus in Gloſſ. extrauagantis Gregorij, quæ incipit, *Dominus*, verb. *de Vrbe*. Adde, quòd ſi appellatione Vrbis, uel Ciuitatis, quo modo loquendi utuntur Summi Pontifices, in hoc caſu ea excluderentur, quæ extra muros Vrbis poſita ſunt; tunc talis diſpoſitio eluſoria, uanaque redderetur; cùm Eccleſia D. Pauli, ac ipſamet Baſilica Sancti Petri extra Vrbem Romæ collocatæ ſint; hæc quidem in Ciuitate Leonina, illa uerò longè ab ea circiter mille paſſus: Vnde aliquantò largius uerba illa, *Vrbis, uel de Vrbe*, accipienda ſunt, iuxta Cap. *Rodulphus*, de reſcript. & Cap. *Si Ciuitas*, de ſententia excommunicat. lib. 6.

Indulgentiæ Eccleſiarum extra muros Vrbis nō ſūt ſuſpēnſæ.

Nauarr.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Quòd dignitas Sacri Iubilæi ex varijs eius Epithetis rectè cognoſcatur.

ANnus Sacer, ſeu Annus Iubilæi varijs epithetis, clariſſimiſque titulis cognominari, & adornari ſolet, qui cùm mirificè eius præſtantiam, & dignitatem declarent, à nobis, currenti tamen calamo, ne eumdem ſæpius lapidem reuoluamus, exponendi ſunt.

Variæ denominatiões, & appellationes honorificæ Anni Iubilęi.

Dicitur hic Annus, Annus Sanctus, Annus Sacer, Annus benignitatis Dei, Annus benedictionis, Annus magnus, Annus purus, Annus firmus, Annus fertilis, Annus germinis, Annus gaudij, Annus coronæ, Annus requietis, Annus plenus, Annus meſſis, Annus omnem Annum ſuperans, Annus ad redimendum datus, Annus Secundus, Annus vbertatis, Annus antiquus, Annus Vitæ, & denique, Annus Dei. Sed iam explicemus ſingula.

Quare dicatur Annus Sãctus. D.Thom. Turrecr. Cornucopia.

DICITVR Sanctus optimis, ac veris rationibus. D.Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 81. art. 8. hoc nomen, Sanctum multipliciter à Scriptoribus tàm Latinis, quàm Grçcis aſſerit vſurpari; quod etiam Ianius Turrecremata explicauit in ſumma de Eccleſia libro 1. cap. 9. & apud Cornucopiæ Commentaria fusè reperies.

Quid ſignificet hoc nomẽ Sanctum. D.Dionyſ.

Primò ſecundùm Grçcos, Sanctũ idem eſt, quod mundum, & huic ſignificationi competit nomen Græcum, Agyos, ideſt, ſine terra, in qua ſignificatione diuiniſſimus Areopagita definiens Sanctitatem, cap. 12. de diuinis Nominibus, ſic dixit, *Sanctitas eſt ab omni immunditia libera, & perfecta, & omninò immaculata.*

Ad Epheſ. 1.

Secundò Sanctum dicitur, quod eſt firmum, atque munitum, ut ad terram proſterni non poſſit. Vnde apud Antiquos ea ſancta dicebantur, quę legibus munita erant, eo quòd violari, uel immutari fas non eſſet; Vnde prædeſtinati à Paulo ad Epheſ. 1. Sancti, ante mundi conſtitutionem electi, & immaculati in conſpectu Dei, vocantur, quòd à Chriſti charitate, ſaltem finaliter, nequeant ſeparari.

Tertiò, quod ferè in idem incidit, Sanctum appellatur, quod lege, ſeu decreto ſancitum, & firmatum eſt; Vnde etiam leges Imperiales ſanctiones ſanctæ nuncupantur.

Iſidorus. Ad Hæbr. 9. Apoc. 1. 1. Pet. 2. Gloſſ.

Quartò Sanctum apud Latinos idem importat, ac ſanguine tinctum, vel reſperſum, ſiuè emundatum. Nihil enim Sanctum apud Veteres dicebatur, niſi quod sãguine hoſtiæ eſſet reſperſum; Antiquitus enim homines, qui purificari uolebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur, teſte Iſidoro in lib. Ethymologiarum; quare ad Hębræos 9. ſcribit Apoſtolus, *Omnia penè ſecundùm legem in ſanguine mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio:* quam ob rem Chriſtiani, quia prçcioſo Chriſti ſanguine à peccatorum ſordibus mundati ſunt, rectè Sancti appellantur; ut Apocal. 1. & 1. Petri 2. *Gens Sancta, & populus acquiſitionis, &c.* Vbi Gloſſ. ideſt, ſanguine Chriſti reſperſa.

Exod. 30. Eſdr. 2. ca. 11. Pſalm. 95. Exod. 30. 2. Eſdr. 10. Exod. 28.

Quintò Sanctum idem eſt, quod diuinis obſequijs mãcipatum, ac dedicatum; quemadmodum homines, loca, dies, vaſa, & ueſtimenta, quæ diuino cultui conſecrantur, Sancta dicuntur: Vnde Exod. 30. de hominibus dicitur, *Aaron, & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos*, & Eſdræ 2. cap. 11. dixit Eſdras miniſtris Domus Domini, *Vos Sancti eſtis Domino.* De loco, Pſalmo 95. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius.* De Vaſis Exod. 30. *Arcam Teſtamenti cùm vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia, vniuerſamque ſupellectilem, quæ ad cultum eorum pertinent, ſanctificabis omnia, & erunt Sancta Sanctorum.* De diebus 2. Eſdræ 10. dicitur, *Sanctus enim eſt dies Domini.* De Veſtimentis, Exodi 28. *Facies Aaron fratri tuo veſtimenta ſancta, & filijs eius.*

Luc. 1.

Sextò Sanctum dicitur Religio ipſa, & obſeruatio quædam Iuſtitiæ eorum, quę ad Deũ pertinẽt, ut Luc. 1. *Seruiamus illi in Sanctitate, & Iuſtitia coràm ipſo, &c.*

Septimò

Septimò Dicitur Sanctum, quod eſt prҫditum ſcientia iuſtorum: Vnde Sapientiҫ primo dicitur, *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*. Sap. 1.

Vltimò Sanctum dicitur, ut Martiano placet, quod ab hominum iniuria defenſum, ac munitum eſt. Exiſtimat enim ſanctum à ſagminibus dici; ſunt autem ſagmina herbҫ quҫdam, quas Legati Populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos uiolaret; quemadmodum Legati Grҫcorum ferebant ea, quҫ ceratia uocantur; Vnde 1. Corinth. 3. ait Paulus, *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis uos*; & ut ſignificaret ab omni iniuria liberum eſſe debere, ſubdit; *Si quis Dei templum uiolauerit, diſperdet illum Dominus*. Martianus. 1. Cor. 3.

Igitvr, ut Sacri Iubilҫi annum uerè Sanctum eſſe intelligamus, quantopere ſingulæ eiuſdem nominis acceptiones ei conueniant declaremus. Munditiem ſummam hic Annus deſiderat, quòd non niſi mundo, ac puro corde eius beneficium quis conſequi poſſit: vbi autem adeptus illud fuerit, mundus totus, puruſque euadit, culpa exutus, atque ab omni pœna liber. Munditiem item continet, quòd fideles eo tempore munditiei, ac puritati cordis intenſiùs uacent, & deſideria carnis non perficientes, orationibus inſtantes, Sanctorum neceſſitatibus communicantes, ſacras Baſilicas frequentantes, terreſtrem, ueteremque hominem exuant, ac quaſi aurum puriſſimum ab omni terrҫ rubigine purgati, nouum hominem induti, in holocauſtum purum, oblationemque perfectam, per caſtam, ac puram uitam Deo ſe ſe offerant. Verùm, ſi ſanctum dicitur, quod firmum, & immobile eſt, quid firmius Iubilҫo, qui ſupra firmam petram, id eſt Chriſtum fundatur? Quid eo immobilius, qui inconcuſſҫ, firmҫque ueritati, hoc eſt, Verbo Dei innititur dicenti, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Nec qui Sacrum Iubilҫum acquirit, comparandus eſt arundini uento agitatҫ, cùm, ſi ritè, ac rectè illum acquirat, tamquam in palmam aſcendens, fructum eius certò apprehendat: qui illum dignè conſequitur, eſt profectò ſimilis ædificanti Domum, & fundamentum iacienti ſupra petram; quam domum nec inundatio hҫreticorum, nec impetus malorum hominum peruertere poteſt. Ruunt Cҫremoniҫ Sectariorum, cecidit domus Hҫbrҫorum, factaque eſt domus illius ruina magna; ſola remanet Chriſtiana Religio immobilis, ueritaſque Sacri Iubilҫi fundata in Chriſti Eccleſia, quҫ eſt firmamentum, & columna ueritatis. Porrò quod non ſolùm humana, & eccleſiaſtica lege, ſed etiam diuina munitum eſt, ut Sacer Iubilҫus, quemadmodum ſuperius probatum eſt, quo modo ſanctum dici non poterit? Ex dictis ſignificationibus Sanctitas maxima anni Iubilæi colligitur. Simile.

Et verò, cùm theſaurus meritorum, & ſanguinis Chriſti, quem in Cruce pro nobis effudit abundè, in Iubilҫi Anno uſquequaque aperiatur, & cumulatiſſimè erogetur, nec non & illius, quem Sancti Martyres pro Chriſto ſuderunt, uerè annus ille ſanguine tinctus cenſendus eſt, prҫſertim, cùm non unus, uel tres dies; ſed omnes ipſius Sacri Anni partes, tempora, dies, horҫ, & momenta prҫcioſo Chriſti ſanguine aſperſa ſint.

Cҫterùm ſi integrum ſҫculum percurramus, non reperiemus tempus, in quo magis fideles Deo optimo maximo egregia obſequia prҫſtent, quàm in Anno Sancto. In eo enim opera miſericordiҫ corporalia, & ſpiritualia maximè exercentur, peregrinationes ad loca ſanctiſſima Vrbis, quҫ omnem aliam peregrinationem ſuperant, frequentantur: Munificentia Romani Populi in cҫteros Chriſtianos clarè ſatis reſplendet, conciones multiplicantur, mores reformantur, Hҫreticorum conuerſio excitatur, Eccleſiҫ Romanҫ fides floreſcit, ac denique obedientia, & auctoritas Apoſtolicҫ Sedis mirum in modum excreſcit: prҫterea in eo ſumma Iuſtitiҫ obſeruatio non ſolùm mandatorum Dei, ſed etiam in pleriſque conſiliorum euangelicorum apud omnes gentes apparet. In anno Sancto homines magis Deo ſeruire ſtudent.

Rurſus Annum illum ſcientijs, ac doctrinis Sanctorum refertum eſſe, nemo negabit, qui vitam, laboreſque Sanctorum recolet; quorum meritis ſanctitas Anni illius innititur; ad horũ actiones, & opera cognoſcenda deducit Dominus omnes peregrinos, qui ad Vrbem per uiam rectam iuſtitiҫ, & deuotionis incedunt, nempè, ut in ea, tamquam in magno ſpeculo, Sanctorum uirtutes intueantur,

Chriſti

Chriſti Domini Charitatem, & patientiam, Beatę Virginis puritatem, Martyrum tolerantiam, Confeſſorum labores, Virginum munditiam, & caſtitatem, ac denique Sanctorum omnium religioſiſſimos, præclariſſimoſque conatus. Hæc contemplari, ac meditari oportet Peregrinos, atque etiam incolas Vrbis, dum ſanctas viſunt Eccleſias, vt de vnoquoque dici poſſit illud Sapientiæ, *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum.*

Aliæ rationes cur dicatur Annus Sanctus.

Tandem quis non videt, in eo anno Peregrinos hiſce meditationibus intentos nullo metu affici, nulloque onere grauari, & domum vxorem, filios, cęteraque negocia propria relinquentes, ut Vrbē ſumma cū deuotione, ac pietate petāt. Quid? quod ab omnibus inſidijs inimicorum diuinitùs proteguntur, ab omnibus diabolicis tentamentis, maliſque cœlitùs defenduntur, vt reuera Deum, diuoſque omnes, tàm in itinere, quàm in Vrbe protectores, propitios, & adiuuantes ſentiant, quibus auxilijs muniti audacter dicunt cùm Apoſtolo. *Quis nos ſeparabit à charitate Dei? tribulatio, an anguſtia an fames, &c.* Quòd ſi quæras, cur ab omnibus etiam illis, qui in remotiſſimis partibus Orbis degunt, Annus hic Sanctus paſſim, tamquam proprio vocabulo uocitetur, Reſpondendum eſt, tum ob rationes paulò ante allatas, tum etiam ob alias, quas nunc in medium proferimus. Sanctus dicitur, quia à Deo ſanctificatus eſt; ità legitur Leuit. 25. *Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſsionem cunctis habitatoribus terræ;* Sanctus dicitur, quia totus ad cultum Dei Sanctum refertur. Sanctus etiam dicitur, quia Sanctas in eo actiones operamur. Si umquam enim dirimuntur lites, dimittuntur iniuriæ, conciliantur inimici, deponuntur ſimultates, erogantur eleemoſinæ, ſanctificantur ieiunia, hoſpitia replentur, Ædes Sacræ reficiuntur, monaſteria reparantur, Xenodochia inſtruuntur, cæteraque pia loca excoluntur; denique ſi umquam Deus piè colitur, honorantur Sancti, inuitantur Gentiles, peccatores ad pœnitentiam excitantur, inſipientes ad profectum uirtutum inflammantur, proficientes ad gradus ſanctificantis gratiæ aſcendunt, perfecti chariſmata meliora æmulantur, donaque Sācti Spiritus uberiora recipiunt; hæc profectò omnia in Sācto fiunt Iubilęi Anno. Adde, quòd ſi Sanctum, iuxtà Antiquorum Latinorum ſententiam, propitium explicemus, hic Iubilęi annus, quòd Deum ſummopere nobis propitiū reddat, maximè Sanctus appellandus erit: &, ſi ea, quę ſancta ſunt, communi omnium conſenſu, vniuerſaliſſimaque omnium Gentium animi conceptione, cęteris omnibus pręferuntur, iure optimo concludendum erit, Annum Iubilęi cuncta alia tempora, ſingulos alios annos dignitate, & pręſtantia antecedere, ſummaque ueneratione, ac pietate proſequendum eſſe.

Leuit. 25.

Quare dicatur Annus Sacer.

Macrobius.

SECVNDO hic Iubilæi Annus Sacer meritò appellatur, quaſi uenerabilis, & cōſecratus. Macrobius lib. 3. Sat. refert, antiquitùs hominem ſacrum dictum fuiſſe illum, qui poſt diras execrationes, peſtis, uel alterius calamitatis expiandę gratia, alicui Deorum immolabatur: At uerò ſi poſt ingentia peccata, enormiavè flagitia, quę in uita ſua quis commiſerit, ad illorum expiationem, cor contritum, & humiliatum cùm operibus in Sacro Iubilęo pręſcriptis Deo in Anno Sancto offerat: nonne uerè homo ſacer dici poterit? Iuxtà illud Prophetę Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c.* Gentiles ſacrum ignem agnoſcebant, ideſt, morbum magna ſecum ulcera ferentem, puſulam Paſtores appellant, vt apud Col. libro 7. cap. 5. & à Plinio lib. 26. cap. 11. Zoſter appellatur, medium hominem cingens, & vbi cinxerit, enecat. Sacrum item montem apud Liuium legimus lib. 2. quē Plebs Romana, expulſis Regibus, cùm nexu potentiorum premeretur, ſeceſſione facta à Patribus, Vrbeque relicta, occupauit; neque niſi impetratis ſuis ſacroſanctis Magiſtratibus, cùm Patribus redijt in gratiam. Sacrum quoque ſerpentem habebant hirſutum quidem, ſed corpore exiguum, vix cubitalem; ſed adeò peſtilentem, ut vel maximi angues uenenum eius reformidarent, eoque aduenientе diffugerent. At Chriſtiani Annum ſacrum agnoſcunt, & pręedicant, quo diuini ignis ardore, & conflagratione ueteris hominis, carniſque opera exuruntur, ac per ſacri Iubilęi conſe-

Pſal. 50.

Colum.
Plin.

Liuius.

læi conſequutionem pœnitùs auferuntur; & ad montem Vrbis, quæ ſeptem colles habet, ueręę fidei Romanæ cultores cõfugientes, non niſi Chriſtianæ Religionis præceptis, ac legibus plenè imbuti, ſanctiſſimiſque exemplis informati, atque inſtructi ex ea ad propriam patriam redeunt. Hic quoque annus eo nomine ſacer dicitur, quòd quamuis bonis, Catholiciſque Chriſtianis ſit vita, malis tamen, & Hæreticis mors, uenènum, & interitus ſit, à quo, tamquam à uenenoſiſſimo ſerpente, ſibi exitium meritò timentes effugiunt, illum blaſphemijs, contumelijſque proſequendo, ac falſis doctrinis, & impoſturis commaculando. Habebat denique ea Gentilitas in Vrbe uiam ſacram, ſic uocitatam, quòd in ea fœdus inter Romulum, & Tatium actum eſſet: Nunc uerò Chriſticolæ ob fœdus inter Chriſtum, & Eccleſiam initum, per quod remiſſio peccatorum certò reprõmittitur, & in Sacro Iubilæo præcipuè pręſtatur, omnes uias Vrbis, & pręſertim, quę ad Baſilicas ducunt, quæ in Anno Sancto uiſitantur, ſacras habent.

Et tandem, ut hunc locum concludamus, ſi ſacrum (ut Trebatius refert) dicitur omne, quod Deorum habetur; cùm hic Annus ſit planè diuinus, & ab ipſo Deo inſtitutus, nomen, & rationem ſacri omninò obtinebit. Trebatius.

Tertio. Annus benignitatis Dei nuncupatur, de quo Dauid in Pſalmo 64. cecinit, quaſi prophetico ſpiritu illum proſpiciens: *Benedices corona anni benignitatis tuæ*; Vbi Euthymius, iuxta Græcam uerſionem legit, *bonitatis tuæ. Sanctificabis*, inquit, *totum illius anni circulum*; *illius anni dico, qui à tua nobis donandus eſt bonitate*: ſed cùm bonitas frequentiùs pro benignitate accipiatur, idem ſenſus redditur, ut ſit Iubilæus, annus benignitatis, liberalitatis, & clementiæ: In eo campi, id eſt, gentes, quæ ex omni mundi parte aduentant, implebuntur ubertate, id eſt, fructuum, & bonorum operum abundantia; in eo pingueſcent ſpecioſa deſerti, id eſt, homines illi, qui ex deſerto peccatorum abeuntes huius anni tempore aptiores, habilioreſque ſe reddent per dolorem, & contritionem, ad fructus Sacri Iubilæi producendos. Pingueſcent item tempeſtiua deſerti; id enim quoque dictio græca, *ὡραῖα*, ſignificat. Nec enim ſolùm ſpecioſos fructus, ſed etiam præcoces, maturoſque producet. Exultatione item colles accingentur, quoniam ex omnibus Vniuerſi partibus homines paſſim exultabunt; in eo induti ſunt arietes ouiũ, Arietes enim, id eſt, greges hominum, tunc induti erunt lanarum copia, quæ ex paſcuorum prouenit pinguedine, hoc eſt, meritis, & ſatisfactionibus Sanctorum, quæ illis tamquam pinguiſſimis ſuperfuerunt. Valles præterea tunc abundabunt frumento, nam homines frequentes tunc erunt ad uſum Sacroſanctæ Euchariſtię; ac denique clamabunt, & hymnum dicent. Hi enim, qui tanta liberalitate, tamque magna frugum ſpiritualium copia donati fuerint, ex intimo corde, Deo gratias agentes clamabunt, laudabuntque illum, ueluti Saluatorem, & benefactorem ſuum.

Cur dicitur annus benignitatis Dei. Pſal. 64. Euthym.

Qvarto, dicitur Annus benedictionis. In hoc anno, & maiorem, & minorem benedictionem Deus clementiſſimè impartitur, culparum ſcilicèt, & pœnarum, ut ſuperiùs expoſitum eſt: & ſicut benedictio, quam Deus dedit Iſaac poſt mortem Abrahæ, deſignabat multiplicationem populi Chriſtiani poſt Paſſionem Chriſti, Geneſis 26. ut D. Baſilius ſuper Pſalmum 44. notauit, & illa quoque, qua Laban ad introitum Iacob benedictus fuit Geneſ. 30. benedictionem per aduentum Chriſti gentibus datam ſignificabat; ità benedictio, qua Deus annum quinquageſimum in ueteri lege ſanctificauit, & benedixit, Annum hunc Sacrum Iubilæi, per proportionem, & analogiam quamdam referebat. *Benedixit Deus domui Iacob*, naſcendo in ea, Pſalm. 27. benedixit terram, per aduentum ſuum, Pſal. 28. *Benedixit diei ſeptimo*, Geneſis ſecundo, deſignans benedictionem quietis æternæ gloriæ; benedixit Anno Sexto, dans ex illo fructum durantem uſque ad octauũ annum Leuitici 25. benedicit quoque larga manu, implens omnem hominem benedictione, qui hoc anno Sancto ad fructum Sacri Iubilæi ſe diſponit. Iacob benedixit Ioſeph filio ſuo, dicens, *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum; ſed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuiderunt que*

Cur, & quomodo dicatur annus benedictionis. Geneſ. 26. D. Baſilius. Geneſ. 30. Pſal. 27. Pſal. 28. Gen. 2. Leuit. 25. Gen. ult.

derunque illi, habentes iacula; ſed in forti arcus eius, & diſſoluta uincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob; inde paſtor egreſſus eſt Lapis Iſrael. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus abyßi iacentis deorſum, benedictionibus uberum, & uuluæ. benedictiones patris tui confortata ſunt benedictionibus patrum eius, donec ueniret deſiderium collium æternorum; fiant in capite Ioſeph, & in uertice nazaræi inter fratres ſuos: hæc Geneſis 49. Quæ benedictio, & prophetia, (ſic enim Ambroſius in libro de benedictionibus Patriarcharum cap. 2. Ruffinus in libro eiuſdem tituli ad Paulinum, & Theodoretus in quæſtionibus in Geneſim quæſtione ultima, benedictiones duodecim Patriarcharum appellant) quamuis ad litteram de Ioſeph filio Iacob intelligatur, ſicut & cæteræ de alijs eius filijs, & allegoricè de Chriſto, cui veriùs, & cumulatiùs cunctæ illæ benedictiones contigerunt: Fuit enim benedictus in Cœlo deſuper, quia ſecundùm ſuperiorem animæ ſuæ partem, ab initio conceptionis ſuæ in Cœlo fuit beatifica Dei viſione fruens; benedictus quoque fuit in abyſſo deorſum iacente, id eſt in carne ſua, quæ abyſſus dicitur deorſum iacens, quòd ſecundùm eam Chriſtus ſeipſum humiliauerit; & exinaniuerit; Benedicta fuit hæc caro in conceptione, cùm ſine fœditate ulla, uel inquinamento concupiſcentiæ, uel maledictione Adæ concepta fuerit, item, quòd unita fuerit Dei Verbo. Triplicem quoque benedictionem Chriſtus habuit in utero matris; primam, quia eſt generatus abſque ſemine uiri; alteram, quòd nouem menſibus geſtatus in utero fuit ſine ulla matris moleſtia; tertiam, quòd clauſo matris utero, & abſque eius dolore editus eſt. Fuit item benedictus in uberibus: nam cùm ſit præter naturam, Virginem lacte impleri; ſanctiſſima tamen eius mater, cùm Virgo eſſet, eum lactauit.

Ambroſ. Ruffin. Theodoret.

Quomodo benedictio data Ioſeph Patriarcha intelligatur allegoricè de Chriſto.

Triplex Chriſti benedictio in utero Virginis Mariæ.

Applicatio pulchra benedictionis Ioſeph ad annũ Iubilæi.

Pagninus. Montanus.

Nihilominus præfata benedictio piè quoque applicari poteſt Chriſtiano Eccleſiæ Catholicæ filio, qui Romanas, diuinaſque benedictiones in Anno Sancto ab Eccleſia, eiuſque ſponſo recepit: Erit hic filius accreſcens, ſanè auctus diuinis donis, ac beneficijs; erit, ut ramus creſcens, (ſic Pagninus uertit uocem, Ioſeph) uel filius fructeſcens, ut Montanus exponit: Erit decorus aſpectu, quòd Hæbraicè redditur, iuxta fontem; Is enim, qui Sacrum Iubilæum dignè conſequitur, ad ſimilitudinem ramoſæ arboris, propè fluenta aquarum ſatæ, incrementa virtutum recipiet; cumque ad propria reuerſus fuerit, filiæ diſcurrent ſuper murum; quilibet enim Ciuium deambulabit per murum, uel per alia loca, unde pulchritudinem illius uidere poterunt, cui inuidentes, quòd ipſi quoque Romam haud uenerint, iacula, ſagittaſque acutas linguarum uibrabunt; ſed ſedebit in forti arcus eius; quoniam omne robur, & præſidium eius in forti, hoc eſt, in Deo collocatum erit, de quo ſcriptum eſt. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Deus patris ſui erit adiutor eius, tùm propter eius merita propria; tum maximè propter merita maiorum ſuorum, id eſt, Sãctorum. Benedictus hic erit benedictionibus deſuper, hoc eſt, quoad animam, recipiendo gratiam, & gloriam; & benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, id eſt, quoad corpus, bona eius, abundantiamque omnium è terra naſcentium cõſequendo; ac denique benedictionibus uberum, & uuluæ. Qui enim, ſuſcepto Iubilæo Roma recedet, exemplo, atque etiam uerbo, dum alijs enunciabit ſanctificationem in Vrbe receptam, filios Chriſto quamplurimos gignet, eoſque lacte bonorum operum educabit. Atque ita confortatæ erunt benedictiones ſuæ. Verùm hæc ad pietatem, & animarum deuotionem dicta ſint.

Quomodo rectè uocetur annus magnus.

Qvinto Dicitur Annus Magnus. Antiqui Annum in breuem, & magnum diuidebant; uocabant magnum, ſolarem annum trecentorum ſexaginta quinq; dierum, & horarum circiter ſex, quo tempore ſol curſum ſuum conficit, & duodecim continet menſes, qui & alio nomine appellatur annus uertens, quòd peractis illis trecentis ſexaginta quinque diebus, & quadrante, ad eadem Syderum loca reuertatur; Vnde Virgilius.

Virgilius.

Interea magnus ſol circumuoluitur annum.

Breuẽ uerò Lunarẽ exiſtimabant, triginta dies habentẽ: menſis. n. unus, lunaris eſt annus, quia Luna paulò minus, quàm menſem, in Zodiaci circuitione conſumit.

Vervm

Verum de Anno magno, ſuo loco copioſè diximus, quibus addi poteſt, Nicolaum de Lyra in Iob cap. 7. & 14. & in Epiſt. primam ad Corinth. capit. 7. ſcribere, Annum magnum Platonicum conſtare triginta ſex millibus annis, in quo redeuntibus omnibus corporibus cœleſtibus ad eundem ſitum, debebant redire omnes effectus ijdem numero; Alios uerò annum Saturni, qui eſt triginta annorum, magnum annum appellaſſe; ſed hæc omnia uana ſunt. Qui plura de ſpacio, & magnitudine magni anni ſcire deſiderat, legat Macrobium ſuper ſomnium Scipionis, & Lilium Giraldum in libro de annis, & menſibus. Cęterum nobis Chriſtianis magnus annus cenſendus eſt, ut libro primo indicauimus, annus Redemptionis Chriſti, de quo Iſaias dixit cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, &c. Vt prædicem annum placabilem Domino*; necnon & annus iſte Sacri Iubilęi, non quòd alijs diuturnior ſit, cum duodecim menſes habeat, ſicut & cęteri alij; ſed ob magnas diuitias cęleſtes, quę tunc hominibus donantur, ob magnitudinem theſauri ſpiritualis, qui eo anno iuxtà plenitudinem ampliſſimam Pontificię poteſtatis aperitur; ob magnas Indulgentias, quę eo anno conceduntur; ob magnas pœnas, quę dimittuntur; ob magnas remiſſiones, quę condonantur; ob magna peccata, quę abſoluuntur; ob magna debita, quę ſoluuntur; ob magna uota, quę commutantur; ob magnum eorum numerum, qui iuſti redduntur; ob egrégia opera, quę patrantur; ac denique; ob ingentem animarum multitudinem, quę ex Purgatorio liberãtur. Angelus Pientinus lib. 3. cap. 4. pulchram addidit huic rei conſiderationem; Annum ſcilicet Iubilęi uerè dici magnum, quoniam ſublimis, profundus, latus, longuſque ſit; his enim dimenſionibus unaquęque res magna nuncupatur: ſicut dicitur mons magnus ob ſublimitatem Danielis 2. chaos magnum ratione profunditatis Lucę 16. campus magnus ratione latitudinis; 1. Machab. 5. & magna uia ob longitudinem. 3. Reg. 19. Eſt igitur Annus Iubilęi ſublimis ob ſingularem cœleſtium bonorum repręſentationem, contemplationem, deſiderium, atque adeptionem: eſt profundus, cùm in ipſius nomine, Ethymologijs, figuris, uaticinijs, ac cęremonijs tot lateant myſteria. Eſt latus ob amplitudinem poteſtatis abſoluendi, & diſpenſandi, quę tunc conceditur. Eſt denique longus, cùm uſque ad finem ſęculi, ut diximus ſit duraturus. Poſtremò magnus quoque dicendus eſt, quoniam in illo, *Magnum Dominum, & laudabilem nimis, & magnitudinis eius nullum eſſe finem* Chriſtiani omnes Catholici uerè cognoſcunt, & confitentur, qui *in Ciuitate Dei noſtri, & in monte Sancto eius*, hoc eſt, Romę, ingentia in Anno Sancto beneficia Dei recipiunt.

Nicol. de Lyra.

Macrobius. Giraldus.

Annus magnus Chriſtianorum.

Iſa. 61.

Angel. Pient.

Annus Iubilæi eſt lõgus, latus, & profundus; & quomodo.

Dan. 2.

Luc. 16.

1. Machab. 5.

3. Reg. 19.

Sexto Dicitur annus purus: Veteres haſtam puram appellabant, quę ferro pręfixa non erat, qua donabant Veteranos, atque emeritos milites: ad cuius rei ſimilitudinem, etiam annum hunc purum appellabimus; cuius beneficijs, ac donis Chriſtiani à Deo electi, militiam huiuſce uitę militantes, quaſi emeriti, & ad cœleſtia uocandi, prius donantur, atque ditantur.

Quibus de cauſſis dicatur annus purus.

Septimo Dicitur annus firmus, id eſt, ſtabilis, & conſtans; ſic à ferendo dictus, quòd conſtanter peregrini Romam tunc properantes, omnia ferant, itineriſque pericula, & incommoda pro nihilo ducant, vt lucrum Sacri Iubilæi acquirant; nec villa empta, nec vxor nuper ducta, nec denique iuga bouum comparata illos retardant, ne ad huiuſmodi cœnam magnam accedant. Adde, quòd Peregrini Romæ in ea peregrinatione ſunt, tamquam in termino, & quiete ab illis exoptata, atque expectata.

Quare dicatur annus firmus.

Octavo, Annus fertilis appellatur; eſt enim ferax, immò omniũ fructuum ſpiritualium fæcundiſſimus: ſi enim in anno ſexto fruges a Deo in veteri lege trium annorum dabantur, ad anni quinquageſimi commodum, & celebritatem; quantò magis rerum ſpiritualium, multiplices benedictiones, dominum dare hoc Anno credendum eſt? ferax tellus, agerque fœcundus in Dei Eccleſia erit anima iuſta, quę tamquam lignum ſecus fluenta aquarum plantatum, copioſos ramos Virtutum, fructuſq; vberrimos ſanctarum operationum profert, & quaſi Terebinthus extendit ramos ſuos, ramique eius honoris, & gratiæ ſunt. In veſtibulo quo-

Cur dicatur annus fertilis.

NOTA.

que horti, & nemoris Romani conuiuium pingue in Anno Sancto cunctis genti
bus præparatum eſſe, in multis ſuperans illud Eſther, ſuperiùs demonſtrauimus.

Quomodo ſit appellatus annus germinis. No no. Annus germinis appellatur; quòd ſemper germinet, nouoſque ſurculos
pullulet, necnon recentes flores, ac fructus nouos progignat. Christiani enim, qui
eo Anno conuertuntur, tamquam nouæ plantæ, nouos flores innouatę vitę oſten
dunt, ità vt ſemper illud tunc temporis Romæ cani poſſit. *Flores apparuerunt in ter*
Angel. Pient. *ra noſtra.* Angelus Pientinus lib. 3. cap. 4. addit, quòd ſicut ad germinationem ter-
reſtrem quatuor neceſſariò requiruntur, ſcilicet, terra, ſemen, aqua, & ſol, vt ex
principijs philoſophicis facilè eſſet oſtendere, ità quoque in ſpirituali germina-
tione hæc quatuor neceſſariò requiruntur; terra videlicet, de qua dixit Propheta
Pſal. 142. Pſalm. 142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*; ſemen, quod eſt verbum Dei Luc.
Luc. 8. 8. Aqua, ſeu humor, ſine quo ſemen natum areſcit; eſt autem hæc aqua humani
cordis compunctio, qua Propheta ſtratum ſuum per ſingulas noctes rigabat: De-
nique virtus ſolis Iuſtitiæ, ideſt, Chriſti, qui dixit, *Sine me nihil poteſtis facere.* Cùm
autem in Anno Iubilæi homines terrenis cupiditatibus affecti, ex præuenientis
gratiæ dono, pœnitentiæ, compunctioniſque aqua largiùs irrigati, lumine, ac ra-
dijs ſupercœleſtis ſolis illuſtrati, & calefacti, fructus dignos pœnitentię faciant;
meritò Iubilæi annus, annus germinis appellatur: in eo arbor peſſima peccatorũ
ſucciditur, rami eius præciduntur, ſolia eius excutiuntur, & fructus eius diſpergun
tur; fugiunt beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres malarum cogitationum de
ramis eius; verumtamen germen radicum eius, ſcilicet ſancti propoſiti, & corre-
ctionis pullulat, vinculoque ferreo ſanctæ perſeuerantiæ in bono alligatur, Da-
Daniel. 4. nielis 4. Lege Riccardum de Sancto Victore de ſecura conſcientia ca. 24. In eo pi
Ricar. de Santo Victore. leus Hieruſalem, ideſt, animæ ad Deum conuerſæ germinat, aptaque redditur ad
Ezech. 16. benè, ac ſtudioſè operandum. Ezech. cap. 16. Lege Origenem in lib. Numer. Ho-
Origenes. mil. 9. In eo germinant ſalices inter herbas iuxtà præterfluentes aquas, vt Eſaiæ
Iſai. 44. 44. ideſt, Infideles, & præcipuè Iudæi ad fidem veniunt, per aquas Baptiſmi rena-
ſcendo; ac denique in anno illo, *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, et fru*
Iſai. 4. *ctus terra ſublimis, & exultatio his, qui ſaluati fuerint.* Iſaiæ 4.

Cur dicatur annus gaudij. Decimo. Annus gaudij appellatur: ſi enim magnum gaudium erit in Cœlo ſu-
per vno Peccatore pœnitentiam agente; quanto magis ſi quamplures, & innume
ri peccatores pœnitentiam agant? Hæc autem conuerſio peccatorum, quæ in An-
no Iubilæi frequentiſſima, & copioſiſſima exiſtit, nedum Eccleſiam Triumphan-
rem; ſed etiam militantem lætificat; in hac peccatores, & iuſtos, in illa verò Ange
los, & ipſammet Beatiſſimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum
vehementer exhilarat: Exultarunt maximè filij Iſrael, vbi ex Gorgiæ manibus e-
Gaudiũ Machabæorum. repti, *Templi faciem coronis aureis, & ſcutulis ornauerunt, offerentes Domino holocau-*
1. Machab. 4. *ſta, & ſacrificium ſalutaris, & laudis cùm lætitia*, vt 1. Machab. 4. legitur. At Chri-
ſtiani ex Diaboli iugo liberati, per pœnitentiam Deo ſacrificium laudis efferen-
tes, mirificè lætantur, dicentes, *Ipſe liberauit nos de laqueo venantium, laqueus contri*
tus eſt, & nos liberati ſumus. Rurſus ſummo gaudio afficiebatur mulier illa, de qua
Luc. 15. in Euangelio Lucæ legitur cap. 15. quòd drachmam vnam præcioſam, quam ami
Lætitia de drachma inuenta. ſerat, reperijſſet. Vnde conuocatis amicis, & vicinis, dixit, congratulamini mihi,
quia inueni drachmam, quam perdideram. Sic iuſti magnâ inuicem voluptate af-
Exultatio de victoria Dauidis cõtra Philiſtæum. ficiuntur, dum peccatoris anima in eorum conſortium per pœnitentiam aggrega
tur. Prætereà Angelos Sanctos ſummopere gaudere de peccatorum conuerſione,
bis Dominus in parabola illa Lucæ explicuit. Si enim, qui Dauidem cùm Phili-
Quid ſignificauerit Columba ex arca emiſſa, & redeũte cum ramo, &c. ſtæo pugnaturum inſtruxerunt, deuicto illo, & interfecto, ſummopere gauiſi ſunt,
cur non, & Angeli, quibus mandatum eſt, vt cuſtodiant nos in omnibus uijs no-
ſtris, & in manibus portent nos, ſuper peccatore pœnitentiam agente non exulta
bunt? Columba quoque, quæ à Noè ex Arca dimiſſa, exiccatis iam aquis, ramum
oliuæ, in ſignum lætitiæ portans, reuerſa eſt; quid aliud ſignificat, ut Tertullianus
Tertullian. in lib. de Baptiſmo, & Origenes ſuper Cantica Homil. 2. & 3. niſi Spiritum San-
Orig. Pſal. 86. ctum, qui aquis peccatorum, quę uſque ád animam intrare dicuntur, Pſal. 86. pe-
nitùs

nitùs exiccatis,atque ſublatis; ad hominem uenit, illique pacem, gratiam, uirtutes, uictoriamque glorioſam deferens, manſionem apud Deum facit? Nec filij Dei,Summi Paſtoris ſudores, atque labores in perquirenda oue deperdita, quam cùm inuenerit,ſumma perfuſus lętitia,in humeros ſuos gaudens imponit,& conuocans amicos,& vicinos dicit; *Congratulamini mihi,quia inueni ouem,quam perdideram,*recolendi ſunt;cùm ipſe de ſe dicat, *Ego ſum Paſtor bonus,& animam pono pro ouibus meis.* At paterfamilias ille,qui filium prodigum reuertentem, tam exultanter ſuſcepit,occurrens illi,cadenſq; ſuper collum eius, & exoſculans eum; an non patrem miſericordiarum,ac totius conſolationis Deum deſignat,qui peccatorem reſipiſcentem,quamuis planè perditum,alacri vultu recipit,illumque ad vituli ſaginati conuiuium admittit,dicens omnibus, epulari, & gaudere oportere, *Quia frater hic mortuus erat,& reuixit,perierat,& inuentus eſt?* Quamobrem rectè Iſaias 49.dixit. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum? etſi illa oblita fuerit,ego tui nõ obliuiſcar.* Vnde D.Gregorius gaudium de conuerſione peccatoris ſic egregiè explicat Homil.34.in Euangelia. *Maius de peccatore conuerſo,quàm de ſtante iuſto gaudium eſt in Cælo,quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus, hoſtem fortiter petit;quàm illum,qui numquam terga præbuit, & numquam aliquid fortiter geſſit:ſic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas, vberes fruges profert, quàm eam,quæ numquam ſpinas habuit,& numquam vberiorem meſſem producit.* Hęc ille. Vndè etiam D. Auguſt.lib.8. Confeſſ.cap.3. in eamdem ſententiam hęc ſcribit: *Deus bone,*inquit,*quid agitur in homine,vt plus gaudeat de ſalute deſperatæ animæ,& de maiore periculo liberatæ,quàm ſi ſpes ei ſemper adfuiſſet,aut periculum minus fuiſſet? Etenim tu quoque miſericors Pater plus gaudes de vno pœnitente,quam de nonaginta nouem iuſtis,quibus non eſt opus pœnitentia:gaudes quippe in nobis,& in Angelis tuis ſancta charitate ſanctis; Conteſtantur & cætera, & plena ſunt omnia teſtimonijs clamantibus,ità eſt. Triumphat victor Imperator;& non viciſſet,niſi pugnauiſſet,& quanto maius periculum fuit in prælio,tantò maius gaudium eſt in triumpho. Iactat tempeſtas nauigantes,minaturque naufragium, omnes futura morte palleſcunt; tranquillatur Cælum, & mare;& exultant nimis,quoniam timuerunt nimis. Aeger eſt carus,& vena eius malum renunciat;omnes,qui eum ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo;fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus,& fit iam tale gaudium,quale non fuit,cum antea ſaluus,& fortis ambularet. Quid? quòd ipſas voluptates humana vita non inopinatis,& præter voluntatem irruentibus,ſed inſtitutis,& voluntarijs moleſtijs homines acquirunt? Edendi,& bibendi voluptas nulla eſt,niſi praecedat eſuriendi,& ſitiendi moleſtia. Ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt,quò fiat moleſtus ardor,quem dum extinguit potatio,fit delectatio. Inſtitutum eſt,vt iam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam,quam non ſuſpirauerit ſponſus dilatam. Hoc in turpi,& execranda lætitia,hoc in ea,quæ conceſſa,& licita eſt,hoc in ipſa ſinceriſſima honeſtate amicitiæ, hoc in eo,qui mortuus erat,& reuixit;perierat,& inuentus eſt;vbique maius gaudium maior moleſtia præcedit.* Hęc Auguſtinus. Ex his igitur manifeſtè patet,Annum Iubilęi, annum eſſe gaudij,& lętitię.

Parabola de oue quæſita, & reportata ſuper humeros, &c.

De filio prodigo.

Iſaias.

D. Gregor.

Simile.

D. Auguſtini pulcherrima ſententia.

Simile.

Et quamuis gaudium eſſentiale Beatorum ſemper in eodem ſubiecto ſit inuariabile; nihilominus accidentale gaudium poteſt eſſe maius, uel minus, intendique,& remitti;immò etiam deſinere eſſe circa res aliquas particulares. Eſt autem hic obſeruandum, in Cœlo eſſe quidem, cęteris paribus, apud Deum, & Angelos maius gaudium de innocentia feruentis iuſti conſeruata,quàm de conuerſione,& Pœnitentia peccatoris: etenim abſolutè, & communiter loquendo, melior eſt innocentia, quàm Pœnitentia; ſicut melior eſt ueſtis integra,quàm reſarcita; Attamen ſi conuerſio peccatoris cum iuſtitia tepidi iuſti comparetur,magis gaudent Deus, & Angeli de peccatore feruenter Pœnitentiam agente, quàm de iuſtis tepidis, etiamſi ſemper benè operentur. Quj enim à maximis peccatis reſurgunt,ſæpè ſæpiùs per pœnitentiam, actuſque ſtudioſos habitu contrario acquiſitos, feruentiores, intenſioreſque ſunt in diuino amore, quàm illi,qui numquam ceciderunt,ſed ſemper tepidi ſunt. Sicut enim ignitum ferrum feruidius eſt ligno

Qua ratione ſit maius in Cœlo gaudiũ de peccatoribus pœnitentibus, quam de iuſtis.

Simile.

accenſo, ratione quidem materiæ magis frigidæ, ignique oppoſitæ, quæ calidior & feruentior redditur, dum ignitur; ſic, licèt non ſemper, accidit peccatori conuerſo, ut Dauidi, Petro, Paulo, Matthæo, Magdalenæ, & cęteris, qui in ſanctitate multos, qui numquam ceciderunt, antecellunt. Adde, quòd peccatores reſipiſcentes, plerique ad maius meritum, & gratiam reſurgunt, quàm fuit illa, ex qua ceciderunt: Vnde meritò de iſtis dicitur, quòd maius gaudium erit in Cœlo, quàm ſupra nonagintanouem iuſtis.

Huc accedat alia ratio, quoniam de iuſtis nullum nouum accedit gaudium Deo, uel Angelis, nec ullam hi rationem nouam gaudendi de illis habent; cùm ſemper illam habeant, nec ſit neceſſe, ut de illa, tamquam de re recenti, gaudeant. At in conuerſione peccatoris noua ratio gaudendi apparet, quia perierat, & inuentus eſt: ſic Iob pòſt multas tribulationes, & ęrumnas, quę illi acciderunt, opulentior, & magnificentior tandem euaſit, quàm ſi in miſeriam numquam incidiſſet. Igitur cùm in hoc Anno Sancto Iubilæi maximè inſignes, ac feruentiſſimæ conuerſiones hominum peccatorum fiant, magnum gaudium in cœleſti Hieruſalem, ſicut etiam in terreſtri fieri ſuper illos, neceſſariò aſſerendum eſt; Vnde rectè annus gaudij nuncupatur.

Cur Annus Coronæ nuncupetur. VNDECIMO. Annus coronę, Iubilęus appellatur. Eſt autem corona, quam Græci *στρόφιον* à latinis olim ſtrophia, ſeu ſtrophiola appellata, capitis ornamentum, inſigneque Victoriæ, habens circularem figuram, de qua dicebat Paulus, *Bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, curſum conſummaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*. Apud veteres militares coronæ multipharię fuere; ſed nobiliſſimæ hæ ferè connumerantur; triumphalis, obſidionalis, ciuica, muralis, caſtrenſis, naualis, oualis, oleagina: hæc autem, quæ in Anno Iubilæi fidelibus repromittitur, omnes illas longo interuallo ſuperat; cùm ſit corona iuſtitiæ, uirtutum, diuinarumque gratiarum ornamentum; ut Auguſtinus ſuper Apocalypſim hom. 3. & Rupertus libro 3. ſuper Apocalypſim. Et illæ quidem erant corruptibiles, hæ autem incorruptæ. Adde, quòd ſicut inter dies, ſanctus dies Paſchæ rectè dicitur corona anni benignitatis Dei, ut Arnobius, & Hilarius annotarunt, ſuper Pſalmum 64. ſic annus Iubilæi corona cæterorum annorum rectè dici poteſt, cùm in eo gloria, ac benignitas remiſſionis Dei præ alijs reſplendeat: & ſicut circulus Sanctorum cũ Chriſto rectè corona dicitur, ut notauit Ambroſius in libro de Iuſtitia Virginum; ità circulus omnium fidelium cùm Summo Pontifice eorum capite in Anno Sancto rectè corona appellabitur.

(Coronæ militares antiquorum. — August. Ruper. — Arnobius. Hilar. — D. Ambr.)

Coronæ malorum & bonorum ex D. Thoma. D. THOMAS Iſa. 28. egregiè dicit, quòd & mali, & boni coronantur; mali quadruplici corona, ſcilicèt corona uanæ lætitiæ, rerum opulentiæ, mundanæ potentiæ, & ſuperſtitioſæ obſeruantiæ; boni uerò quadruplici pariter corona, ſcilicèt corona nuptiali, triumphali, regali, & Sacerdotali, quibus addenda eſt corona glorię, quę ſoli Victorię innixę gratię debetur, ut idem docet in ſecundo, diſtinct. 24. quęſt. 1. artic. 4. ad tertium.

Annus Iubilæi eſt annus requiei, & quomodo. DVODECIMO. Annus requietis appellatur. Eſt enim hic Annus Sabbatum Sabbatorum, ut ſuperiùs expoſitum eſt; tum quia in ſe continet requiem, & ceſſationem à peccato, & abſtinentiam à malis operibus; tùm, quia eſt figura quietis ęternę glorię, qua Deus ſanctos in ſemetipſo requieſcere facit, ut Origenes ſuper Num. Homil. 23. & ſuper Pſalmum 36. Homil. 3. Iſychius ſuper Leuit. 23. & Hieronymus ſuper Eſaiam 58. & 66. de quo Eſaias uaticinatus fuit, dicens in eodem loco; *Et erit Sabbatum ex Sabbato*. D. Hieronymus ſuper Ezechielem ca. 22. & 24. & in Eſaiam 56. & 58. rectè inquit, illum Sabbatũ agere, qui ſpiritualibus uacat, & à prauis operationibus ſe abſtinet. Ceſſatio enim à peccato eſt vera ceſſatio à labore. Omnium enim impiorum, & præſertim Hæreticorum conatus uanum, & infructuoſum laborem continent, de quibus dicitur Luc. 5. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Laborant aliqui in nocte infidelitatis, eorumque labor, ſiue quoad ueritatis ſcientiam, ſiue quoad virtutis actionem, prorſus irritus, & inanis eſt. Vnde Diuus Proſper contra collat. cap. 26. *Græcia ſchola, Romana eloquentia, & totius*

(Origenes. Iſychius. Hieron. — Inanis labor Hæreticorũ, & impiorum. Luc. 5. — D. Proſper.)

& totius mundi inquiſitio, circa inueniendum ſummum bonum, acerrimis ſtudijs, excellentiſsimis ingenijs laborando, nihil aliud egerunt, quam ut euaneſcerent in cogitationibus ſuis, quia ad noſcendam ueritatem ſemetipſis ducibus utebantur. Vnde uariarum ſectarum, & pugnantium inter ſe ſe opinionum diuerſitate Philoſophi ſemper laborantes, numquam ad ſcientiam ueritatis peruenerunt; Et apud Theodoretum de cura. gręca. affecti. libro primo dixit Porphyrius, *Perpetua eſt apud nos logomachia, & uerborum diſceptatio, utpote, qui in boni coniecturam humanis rationibus ducamur. Vt autem, quod melius, & certius eſt aſſequamur, ſemper nobis indagandum relinquitur*: & Plato in perſona Sacerdotis Ægyptij, in Timęo ſuo, lepidè de hoc conqueritur. *Vos*, inquit, *Græci ſemper pueri eſtis. Nulla enim apud vos eſt diſciplina, quæ ſenio incanuerit*; quòd ſcilicèt, ſinguli anni nouos proferrent Philoſophos, cuius diſſenſionis, & inanis laboris cauſam reddens Diuus Auguſtinus libro 18. de Ciuit. Dei cap. 41. dixit; *Non alia de cauſa inter Græcos illos Philoſophos, à magiſtris diſcipuli; & ipſi inter ſe condiſcipuli diſſentiebant, niſi quia, ut homines humanis ſenſibus, & humanis argumentis ueritatem inueſtigarunt*. Hactenus Auguſtinus. Quę ſanè uerba, etſi de Ethnicis Gręcis Philoſophis dicta ſint, ad Hęreticos noſtros profectò egregiè conuerti poſſunt. Laborant hi ſectarij in nocte hęreſis, eſtque eorum labor omninò inanis, & irritus, de quibus dicit Apoſtolus 1. Thim. 6. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri IESV Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum*; ſemper autem laborant, quia ſemper errant, ut dicitur 1. Thim. 3. *Semper errantes, & in errorem mittentes*. Proprius autem labor Hęreticorum eſt in labijs, in ore, & in lingua, iuxta illud Pſalm. 139. *Labor labiorum ipſorum operiet eos. Acuerunt enim linguas ſuas, ſicut ſerpentes, & uenenum aſpidum ſub labijs eorum:* Verba quippè, & mendacia, quibus Hęretici ſuos conantur errores defendere, diffundere, & ſeminare, ſunt labor labiorum eorum, ut eleganter Auguſtinus ſuper eumdem locum, dixit; *Caput circumitus eorum, labor labiorum ipſorum teget eos; Me*, inquit, *umbra alarum tuarum teget; obumbraſti enim mihi in die belli. Ipſos quid teget? Caput circumitus eorũ. Ipſa ſuperbia. Quid eſt circumitus ipſorum? Vt circumeant, & non ſtent: in gyrum eant erroris, ubi iter eſt ſine fine: qui enim in longum it, alicunde incipit, alicubi finit, qui in gyrum it, nuſquam finit. Ipſe eſt labor impiorum, qui demonſtratur in alio Pſalmo euidendentius: In circumitu impij ambulant. Sed circumitus eorum caput ſuperbia eſt: quia initium omnis peccati ſuperbia. Vnde autem ſuperbia labor labiorũ ipſorum? Omnis etenim ſuperbus fictus eſt, omnis fictus mendax: laborant homines loqui mendacium; nam ueritatem magna cùm facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit, quod dicit: nam qui uerum uult dicere, non laborat. Ipſa namque ueritas ſine labore loquitur. De homine ergò dixit Deo; Me proteget umbraculum tuum: ipſos teget mendacium ipſorum; ſed ipſum mendacium ipſorum labor eſt labiorum ipſorum, ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. In omni enim opere malo labor eſt, & omne opus malum cogitatum mendacium ducem habet: non enim eſt ueritas, niſi in opere bono: & propterea, quia omnes laborant in mendacio, ueritas quid clamauit? Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Ipſa eſt uox clamans ad laborantes in alio Pſalmo, filij hominum uſquequò graui corde, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Apertè audi alio loco laborem in mendacio. Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, ut iniquè agerent, laborauerunt. Caput circumitus eorum labor labiorum ipſorum teget eos.* Sic Auguſtinus. Ingenioſiſſimi, ac diligentiſſimi ſunt Hęretici in omnibus uijs ſuis: ſed laborant, ſicut laborauit Moab ſuper excelſis ſuis. Eſaię 16. Et Babylon cùm incantatoribus ſuis. Eſaię 47. Eſt autem omnis labor eorum, ſicut labor Ægypti, totus poſitus in cultu Idolorum, & falſitatis, & defenſione errorum. Eſaię 45. Arnobius ſuper Pſalm. 108. rectè dicit, labores peccatoris eſſe Scripturas Hęreticorum. Verùm omnes hi laborant in multo igne; quorũ enim opera conſumet ignis, ut Habacuch 2. dicitùr; nec ſolùm infideles, uel hęretici laborant in operibus ſuis; ſed etiam mali Chriſtiani, qui onere peccatorum preſſi, ſemper in uitijs, & criminibus deſudantes, nihil capiunt, nullumque laboris ſui

Theodoret. Porphy. Plato. D. Auguſt. Nota contra Hæreticos. 1. Thim. 6. 1. ad Thim. 3. Pſalm. 139. D. Auguſt. NOTA: Iſai. 16. & 47. Iſai. 45. Arnobius. Habacuch 2.

Iſai. 47. fructum percipiunt, de quibus Eſaię 47. dicitur. *Sta cùm multitudine maleficiorum*
tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſsis fieri for
Hag. 1. *tior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum*; & Aggęi capite 1. *Ponite corda ne-*
ſtra ſuper uias neſtras, ſeminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis, & non eſtis ſa-
tiati, bibiſtis, & non eſtis inebriati, operuiſtis uos, & non eſtis calefacti, & qui mercedes
congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. En labor eorum, qui uitia ſectantur; de
Hoſeæ 8. quibus quoque Oſeę octauo dicitur; *In aranearum telas erit uitulus Samariæ, quia*
uentum ſeminabunt, & turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo; germen non faciet
Peccata ſunt onera grauãtia animam. *farinam, quòd ſi fecerit, alieni comedent eam.* Eſſe autem peccata onera, quę grauant,
& premunt animam, dixit Propheta Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſa ſunt caput*
Pſal. 37. *meum, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.* Vnde D. Gregorius illam auream
D. Greg. protulit ſententiam; *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, ſuo pondere in aliud*
trahit, Abyſſus enim abyſſum inuocat, atque hominem uitijs defixum, ac pronum ad
Iſai. 46. terram uſque deijciunt: Vnde Eſaię 46. *onera neſtra graui pondere uſque ad laſſitudi-*
Vanitas rerũ temporaliũ. *nem.* Ambulant autem uoluptuoſi, & ambitioſi gaudenter in uijs ſuis, & lętantur
cùm malè fecerint; pondus uerò peccatorum aliquando non ſentiunt à concupi-
ſcentijs, & uoluptatibus abſtracti, & illecti; uerùm in fine vitę uerè cognoſcent,
omnes carnis illęcebras, omnes mundi honores cupidè uel comparatos, uel ob-
Simile. tentos, omnes denique diuitias auarè acquiſitas, uel detentas, mera onera, eaque
grauia, & acerba fuiſſe; ad inſtar equorum, qui benè falerati, auro, & argento con
tecti, huc, atque illuc tota die decurrunt, ſed finito curſu, cùm domum redeunt,
omni illo ornatu ſublato, nihil illis reſtat, niſi fatigatio, ſudor, & uulnera, quę ex
1. Thim. 6. tantis oneribus, & curſibus acceperunt; de his Paulus 1. ad Thimot. 6. *Deſideria*
multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, in quæ
incidunt, qui uolunt diuites fieri; ſanè hęc omnia, ſiue infidelium, ſiue Hęreticorum,
ſiue peruerſorum Chriſtianorum opera, nequaquam requiem, uel Sabbatum prę
ſtant; ſed continuum dolorem, ſollicitumque laborem. *Non enim eſt pax impijs, di-*
cit Dominus. Mola tota die ſe uertens, ſemper eamdem grauitatem retinet: ſicut
Simile. enim porta in cardine ſemper uertitur, nec inde exit; ſic peccator terminum ſui
doloris non inueniens, ſuo pondere premitur, nec unquam tamen inde eximi-
Sap. 5. Hierem. 16. tur. *Laſſati ſumus in uia iniquitatis, ambulauimus uias difficiles.* Sap. 5. Vnde Hiere-
mias 16. contra hos omnes ſeueriſſimè clamat; *Seruietis dijs alienis, qui non da-*
bunt nobis requiem die, ac nocte. Hos duros labores relinquunt, qui Iubilęum Anni
Sancti acquirunt; nec in uanum laborant, qui peregrinationem eiuſdem Anni aſ-
ſumentes, uel errores ſuos deteſtantur, uel uitia criminoſa deponunt, ut ueram re
quiem, quę in amicitia, & Dei gratia conſiſtit, conſequi ualeant; quod Eſaias ele-
Iſai. 14. ganter pręmonuit, dicens cap. 14. *Et erit in die illa, cùm requiem dederit tibi Deus à*
labore tuo, & à concuſsione tua, & a ſeruitute dura, qua ante ſeruiuiſti, ſumes parabolam
iſtam contrà Regẽ Babylonis, & dices. Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Et in
frà; *Conteram Aſſyrium* (ſcilicèt Diabolum patrem peccati in ſenſu morali) *in ter-*
ra mea, & in manibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius
ab humero eorum tolletur. Hoc conſilium beneficij Sancti Iubilęi, per quod datur
nobis requies, cogitauit Dominus ſuper omnem terram; & hęc eſt manus exten-
ta ſuper omnes gentes, gratia ſcilicèt Anni Sãcti, quę uniuerſis hominibus à San
cto Pontifice mouente Spiritu Sancto, proponitur.

DECIMOTERTIO. Dicitur Annus plenus, cùm in eo fruges ſpirituales pleniſſi-
mè demetantur, quemadmodum in quinquageſimo anno remiſſionis apud Iu-
dæos, & in anno ſexto præſtabatur.

Quomodo annus Iubilæi ſit annus plenus. Præſtantur in hoc Anno opera plena. Sicut enim in Scripturis reperimus, eſſe
aliquem plenum dierum, vel habere dies plenos, ità eſſe aliquem plenum operum
Apoc. 3. vel plena opera habere, vel è contra plena opera non habere, ut Apocal. 3. *Non in-*
Daniel. 5. *ueni opera tua plena coràm Deo meo*, & Daniel. 5. *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es*
minus habens. Huiuſmodi ſanè fuerunt virgines illæ fatuæ, habentes lampades
ſuas ornatas quidem, ſed inanes, & oleo vacuas.

EXPONA-

Exponamvs, quid ſit habere opera non plena, vt ſic ex aduerſo intelligamus, quid ſit habere opera plena; quod argumentum proſequitur etiam Pererius tom. 3. in Gen. cap. 25. Victorinus Martyr interpretatur, opera habere non plena, eſſe velut arborem frondoſam, & floridam, ſed infructuoſam; & talem eſſe, inquit, ſpecioſam Chriſtianę diſciplinæ profeſſionem, bonorum operum ſterilem. Andreas Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus idem dicit eſſe, non eſſe conſtantem, & perſeuerantem in benè agendo; ac habere opera non plena. Ambroſius in Apocal. ea opera, etiam magna, quæ non ex charitate procedunt, non plena, ideſt, inania, & inutilia exponit. Anſbertus, & Haymon idem eſſe affirmant, facere opera non plena, ac facere opera bona, quantum ad ſubſtantiam operis; ſed non benè quantum ad modum, ideſt, rectam intentionem. Beda interpretatur de Epiſcopo, qui non ſolùm debet eſſe bonus; ſed etiam uigilans, ac diligens in paſcendo, regendo, tuendoque grege ſuo. Carthuſianus exponit, facere bona, ſed negligenter, remiſsè, ac tepidè. Haymon alteram affert expoſitionem, uocari opera non plena extenſiuè, quòd quædam ille faciebat bona opera, alia uerò minimè; *Si quis autem offenderit in vno*, ait D. Iacobus, *Factus eſt omnium reus*. Alij interpretantur, non eſſe plena opera; quia charitatem, & miſericordiam, ut uirum Chriſtianum decet, ad omnes, etiam inimicos, non extendebat; ſic ex aduerſo dicimus, opera, quæ in Anno Sancto deſiderantur, & requiruntur, ut unicuique Annus iſte plenus uerè dicatur, & ſolidè, & intenſiuè, & extenſiuè plena eſſe debere. Solidè quidem, quoniam intus plena charitate, recta intentione, ueritate, ac ſinceritate eſſe debent. Intẽſiuè, quia feruenter, uehementiſſimoque affectu, ac deuotione, præſtanda ſunt: extenſiuè, quoniam perſeueranter toto tempore præſcripto ad uiſitationem Eccleſiarum, à peccato abſtinere quis debet, ut inferiùs explicabimus, cùm firma, ac explicita de liberatione de cætero, quoad uixerit, diuina fauente gratia, non peccandi; & quãtum ad uniuerſalitatem bonorum operum, quę hoc Anno faciẽda ſunt, omnis enim ſexus, omniſque hominum ſtatus, nedum peregrinationi, uel uiſitationi Eccleſiarum incumbere debet, ſed etiam orationibus, eleemoſinis, afflictorum ſubuentioni, cęteriſque pietatis operibus, ut dies pleni inueniantur in eis, non ſolùm quantùm ad numerum, ſed etiam quantum ad meritum.

Quid ſit habere opera non plena. Pererius. Victorinus Martyr. Andr. Cęſar. D. Ambro. Anſbertus. Haymo. Beda. Carthuſ. Haymo. D. Iacobus. Qũo opera fideliom in Anno Sãcto plena eſſe debeant.

Decimotertio. Annus meſſis appellatur. Ieremię 5. & quamuis ſemper in Eccleſia, *Meſſis quidem multa ſit, operarij autem pauci*; tamen eo anno, ex diuina gratia, Rectorumque prouidentia; & meſſis quidem multa eſt, nec non & operarij multi: Cùm in omnibus Vrbis Eccleſijs principalibus, & Pœnitentiarij, & Concionatores omnium linguarum, & Sacerdotes, qui rem diuinam agant, ſit reperire: In ea pluuiæ, quibus arida peccatorum corda à Deo irrigantur, largiſſimè tribuuntur. Iuxtà illud Iſaię 30. *Et dabitur pluuia ſemini tuo, vbicumque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis*; quę omnia rectè Anno Iubilęi accommodari poſſunt. Lege D. Gregorium 1. Reg. 12.

Quare dicatur ann⁹ Meſſis. Ierem. 5. Iſai. 30. D. Greg.

Decimoqvarto. Dicitur Annus ſuperãs omnem annum, Eccleſiaſt. 33. dignitate enim, ac utilitate omnem alium annum antecedit: In eo, ſicut dixit Eſaias de die interfectionis; *Lux lunæ erit ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter: ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligauerit dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit*, ob eximium ſplendorem uirtutum, & gratię, ac poteſtatis, quem Eccleſia eo anno in filios ſuos diffundit.

Eccleſ. 33. Qũo annus Iubilæi ſuperet omnẽ annum.

Decimoqvinto. Dicitur annus ad redimendum datus. Sicut enim Leuit. 25. Annus ille quinquageſimus dabatur ad redimẽdam domum; ità Annus Sanctus Chriſtianis ad domum cordis redimendam tribuitur; de qua Allegoria lege longam interpretationem Iſychij lib. 7. in Leuit. Cyrilli Franchi cap. 25. Origenem Homil. 15. in Leuit. & D. Hieronymum ſuper Eſaiam cap. 63.

Leuit. 25. Cur dicatur annus datus ad redimendum. Iſychius. Francus. Orig. D. Hiero.

Decimosexto. Dicitur Annus ſecundus: ſicut enim tempus gratiæ dicitur tempus ſecundum, reſpectu legis; ità Iubilæus Chriſtianus Anni Sancti ſecundus Iubilæus, reſpectu veteris appellatur. Sic annus primus egreſſionis de Ægypto tempus legis ſignificabat. Annus verò ſecundus tempus gratiæ. Exod. 40. Lege Am-

Cur dicatur ano⁹ ſecũdus. Exo. 40.

Ambr. Beda.

broſium lib.2.de Abraham cap.11.& Bedam ſuper Geneſim 17.

Cur annus vbertatis ſit appellatus. Geneſ. 41. Amb. Hiero. Beda.

Decimoseptimo. Annus ubertatis appellatur. Sicut enim anni ſeptem vbertatis Geneſ.41. fertilitatem magnam in vniuerſa terra Ægypti præſtabant, qui per ſeptem ſpicas pullulantes in culmo uno plenas, atque pulcherrimas deſignati fuere: ſic etiam ſignificabant abundantiam donorum Spiritus Sancti, quæ tempore gratiæ, & præcipuè in Anno Sancto, præſtatur. Vide Ambroſium de Ioſeph cap. 7. Hieronymum, ſuper Eſaiam cap.34.& Bedam in eumdem locum Geneſis.

Cur dicatur annus antiquus. Malac. 3. D. Hiero. D. Auguſt.

Decimooctavo. Dicitur Annus antiquus, eò quòd gratos, & caros Deo faciat eos, qui ſacrificium pœnitentiæ, & laudis illi offerunt in Anno Sancto; ſicut erant grati Deo illi, qui in diebus primis ſæculi, & in annis antiquis fuerunt; dies enim ſæculi, & anni antiqui Malachiæ 3. tempus gratię, & ſtatum innocentiæ primorum parentum ſignificant; vt interpretatur D. Hieronymus ſuper eumdem locum Malachiæ, & D. Auguſtinus lib.20. de Ciuit. Dei cap. 26. Etenim qui Sacrū Iubilæum dignè adipiſcitur, innocentiam baptiſmalem, vt aliqui loquuntur, conſequitur, vt ſuperiùs expoſitum eſt.

Qnomodo ſit annus vitæ.

Decimonono. Annus uitæ rectè appellatur, quòd per eum quis mortuus peccato, Deo perfectè viuere incipiat, ita ut cùm Apoſt. dicere poſſit. *Vita noſtra abſcondita eſt in Chriſto*, & iterum, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. Adde, quòd Iubilæus Romæ celebratus, eſt tamquam lignum vitæ in medio Paradiſi collocatum.

Qua ratione dicatur ann° Dei. Iob. 10. Gloſ. Ad Hebr. 1. Pſal. 60. & 73.

Vigesimo. Annus Dei nuncupatur, tùm quoniam ad Deum per rectam, ac cōpendioſiorem uiam deducit; tùm quia homines totaliter, & ex toto corde, omnibuſque uiribus ad uiam mandatorum Dei currendam inuitat; Denique quoniam hic annus, annos Dei, ideſt, æternitatem, eiuſque quietem refert, & repræſentat. Æternitas enim Annus Dei dicitur, ut Iob 10. *Numquid, ſicut dies hominis dies tui, & anni tui ſicut humana ſunt tempora?* Vbi Gloſſa optimè dicit iuxtà prædicta. Lege Caput primum Epiſt. ad Hæbræos, & Pſalmum 60. & 73.

Quòd optime dici poſſit annus Domini accept°. Iſai. 46. Pſal. 68. 2. Cor. 6. Theophil. Beda. D. Hiero.

Ad extremum poteſt quoque conuenienter appellari, Annus Domini acceptis, quòd in eo placeat Deo liberaliter hominibus beneficia largiri, iuxtà illud Iſai. 49. *In tēpore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui*. & Pſal. 68. *tēpus beneplaciti Deus, &c.* quæ loca etſi à D. Paulo 2. Cor. 6. ad tempus publicationis Euangelij accommodantur, & à nonnullis, ut à Theophyl. & Beda ad tempus ſupremi Iudicij referuntur; tamen cum D. Hieron. in Com. in cap. Iſai. 61. magis ad tempus gratiæ, quàm Iudicij ſunt accommodanda, & præſertim ad Annum Iubilæi.

CAPVT DECIMVM.

Quòd Præſtantia Sacri Iubilæi ex varijs Cæremonijs, quæ in eo ſunt, plenè innoteſcat.

EX Sacris Cęremònijs, quę naſcente, procędente, & recedente Anno Sancto, à Summo Pontifice publicè, ac palam, religioſiſſimeque adhibentur, Dignitas, & excellentia Sacri Iubilęi apertè demonſtrabitur. Verùm, ut pro dignitate res hęc pertractetur, nonnulla de Cęremonijs eccleſiaſticis in uniuerſum commemoranda ſunt, ut inde ad eas, quę ſunt propriæ Anni Sancti, deueniamus.

Quid ſit Cæremonia i cōmuni. Iacob. 1.

Eſt autem Cęremonia actus externus Religionis, actui interno correſpondēs, ad Dei honorem, & cultum ordinatus; & quamuis largo modo omnis actus aliarum uirtutum in Dei honorem tendens, Religionis actus dici poſſit, iuxtà illud Diui Iacobi, cap. primo, *Religio Sancta, & immaculata apud Deum hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*; in quo ſenſu. D. Auguſt. in

guſt.in Enchyridion,capit.3. dixit, Deum coli fide, ſpe, & Charitate: nihilominìs ad rationem Cęremonię, de qua modo fit ſermo, propriè, & ex ſe non ſpectat, niſi ut imperatus à uirtute, quę eſt Religio. Nomen autem Cęremonię apud Hębręos propriè legem uel ſtatutum ſignificat, quo externa actio religionis pręcipitur. Vndè etiam in nouo teſtamento nomine legis, Cęremonię Iudaicę nuncupantur, ut Matth.11. *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem*, & ad Galatas 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*. Gręci ſic uerterunt eam uocem Hębraicam, δικαιώματα, ideſt iuſtificationes, erant enim inſtitutę quaſi ritus ad hominem iuſtificandum, & purgandum. Latinus uerò interpres, ut plurimùm in teſtamento ueteri uocem illam Hębræã, cæremoniam interpretatur. Deriuatur autem hoc nomen Latinum, cęremonia, ab oppido Cære propè Romam, vt tradunt Liuius lib.5. Hiſtorię, Valerius Maximus lib.1.cap.1.& D.Thom. prima ſecundæ quæſt.99.art.3.& in 4.diſtin.1.eò quòd tempore, quo Galli Romam diripuerunt, in eo oppido cultus Dei, & ſacra Romanorum aſſeruata fuere; uel ſecundò cæremoniæ dicuntur quaſi Cereris munia, ut ibidem D.Thomas; uel tertiò uenìs cum D.Auguſtino lib.2.retractationũ cap.37.Gellio lib.4.cap.9.Macrobio lib.2.Saturnal.cap.3.& Giral.Syntag.17.à carendo, quod quędam cæremonię in abſtinentia, & carentia quarundam rerum, putà carnis ſuillæ, uini, ſanguinis, ſuffocati, & ſimilium poſitæ eſſent, & ſic Nazaræi abſtinebant à uino; uel certè, quia uſurus ſacrificij cæremonia nõnullis rebus, ut uino, uxoris uſu, & alijs carere debebat. Porrò uarię ſunt differentię, uel ſpecies cęremoniarum; aliæ enim ſunt circà perſonas, ut exorciſmi, aſperſio cineris in capite, & cętera; alia circà locum, ut Eccleſiarum conſecratio; alię circà tempus, ut uigilię, tempora Ieiuniorum, Dies Feſti, Annus Iubilæus, & ſimilia; quędam circà modum, ut quod Miſſa latinè recitetur; quędam denique circà res ipſas, ut benedictio panis, ueſtium, Palmarum, Candelarum, &c. Alię deinde ſunt uniuerſales, alię particulares, ut Ieiunium in diebus Rogationum, quod Mediolani, non autem Romę obſeruatur; Apertio Portę Sanctę in anno Sacro, quę tantùm Romę fit. Item alię ad quoſdam effectus ſpirituales inſtitutę, ut ad expellendum Dęmones exorciſmi, ad remittendum uenialia Aqua benedicta, & cætera; quędam alię ad remiſſionem peccatorum mortalium, & hęc ſunt ſola Sacramenta à Chriſto inſtituta; alię uerò ad ornatum, & ſignificationem tantùm, ut alba Neophytorum, Cerei, & ſimilia. De quibus omnibus fuſiſſimè legendus eſt Auguſtinus in Epiſt.118. ad Ianuarium tom.2. & 2.retractat. cap.20. Et inter recentiores Cardinalis Hoſius tom.1. ſuorum operum; ubi per multa capita de illis pertractat. Poſſunt quoque cęremoniarum genera per omnia prędicamenta ſecundum materiam diſtribui, nam ex illis ſunt aliquę in ſubſtantia conſiſtentes, ut v. g. quòd in Calice admiſceatur uino conſecrando aqua naturalis, & nõ alia, quod quidem non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed ſolùm præcepti, ut innuit D.Tho.3.p.quæſt.74.art.7.ad 3. nam licèt roſacea miſceretur, teneret conſecratio: aliquæ in continua quantitate, ut quòd modica aqua vino infundatur: aut in diſcreta, ut quòd Baptiſmus unica, uel trina ablutione conferatur. Aliquæ in qualitate, ut quòd veſtes talem figuram, uel colorem habeant. Aliquę, quæ ad relationem pertinere poſſunt, ut oleum benedictum, & cætera, quæ ſolùm ſacra extrinſecè, per externam benedictionem, aut deputationem quamdam exiſtimantur. Aliquæ in temporis, aut loci deputatione conſiſtunt, ut feſti dies, & ſacra templa. Aliquæ ad habitum ſpectant, ut veſtimenta ſacra, & decẽtia. Aliquæ ad ſitum, ut genuflexiones, & manuum eleuationes. Aliquæ demum poſitæ ſunt in actione, & paſſione, quæ plurimæ ſunt, ut orationes, geſtus, ſigna Crucis, & cętera; immò omnia ſupradicta ea potiſſimũ ratione ad cæremonias pertinere uidentur, quia in alicuius actionis ſacræ exercitio, & vſu ſeruantur. Eſt autem hic obſeruandum cum D.Auguſtino li.19.contra Fauſtum cap.11.nullam eſſe religionem veram, uel falſam, nullam ſectam ſine cæremonijs; quemadmodum quoque nullam nationem, nullumque hominum genus ſine aliquo genere Religionis inuenire eſt. Diuina uerò fides, &

Religio

D.Auguſt. — Nomen Cęremonia q d ſignificet. — Matth.11. — Ad Galat.5 — Deriuatio huius nominis. — Liuius. — Valeri⁹ Max. — D.Thomas. — D.Tho. — D.Aug. — Gell. — Macrob. — Girald. — Species Cęremoniarum diuerſæ. — D. Aug. — Card.Hoſius. — D.Tho.

Religio eam inter ſe coniunctionem, atque affinitatem habent, ut uix unam ſine altera lædi contingat, ità ut qui fidei aduerſetur, mox quaſi effrenato quodam impetu religionem uiolare contendat; & rurſus, qui ſacrilego pectore Religionem abijciat, in impietatem è ueſtigio, & errores uarios præceps labatur; hinc calamitoſis noſtris tẽporibus uidemus, à Caluiniſtis, cæteriſque hæreticis hanc uniformem, & inconſutilem Chriſti ueſtem, cultum ſcilicèt Religionis externum ſcindi, immutari, varijſque contentionibus diuidi, & lacerari; cum unicam diuinam fidem læſerint, ab eaque ſacrilego auſu diſceſſerint, ſceleratos ritus exercentes, ſeditioſoſque conuentus aduerſus Chriſtum quotidie cogentes; ſed cæci ſunt, & duces cæcorum; primam ac diuinam fidem reliquerunt, & omni uera Religione deſtituti, in peccatis ſuis morientur.

Caluiniſtę aduerſantur ſacris Cæremonijs.

At verò partes iam noſtræ erunt de Cęremoniarum inſtitutione, neceſſitate, ac utilitate, & preſertim earum, quę ad ornandum, & reprę̈ſentandum aliquod myſterium Religionis inſtitutę ſunt, proximè diſputare.

CAPVT VNDECIMVM.

Neceſsitas, & vtilitas Cæremoniarum in Eccleſia Catholica oſtenditur ex ſacrarum Literarum teſtimonijs, Apoſtolorum Traditione, Sanctorum Doctorum auctoritate, & deniq; ratione.

IN Hoc capite Catholicas aliquas ueritates de Cęremonijs eccleſiaſticis proponemus, deinde in ſequenti capite, quę hęretici contra illas obijcere ſolent, Deo iuuante diſſoluemus.

Chriſtus, & Apoſtoli inſtituerunt Cæremonias.

PRIMO igitur ſtatuendum eſt, Chriſtum Dominum, & Apoſtolos aliquas inſtituiſſe Cæremonias, quæ in nulla Scriptura, ſed ex ſola traditione habentur; (Appellamus uerò Cætemoniam, externum ritum, ſeu actum interno correſpondentem, ad Dei cultum, & honorem inſtitutum, & exhibitum, ut diximus.) Probatur autem propoſitio, quoniam Sacroſanctum Chriſma fuit à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, ut materia neceſſaria Sacramenti Confirmationis, ut ex Concilio Florent. in inſtructione Armenorum, Trident. ſeſſ. 7. cano. 2. colligitur ex Paulo 2. Corinth. primo, ex Ioanne Epiſtol. 1. cap. 2. & ex D. Auguſt. ibidem tract. 3. & tamen id ſola traditione habetur, cum in Scripturis nuſquam Chriſmatis fiat mentio: & nihilominus æquè ſanctum, diuinum, & à Chriſto Auctore eſt Chriſmatis Sacramentum, ſicut Sacramentum Baptiſmi, ut tradunt Tertull. libro de Reſur. Carn. & de Præſcript. hæretic. & in libro de Baptiſm. & D. Auguſt. lib. 2. contra litteras Petil. cap. 104. quamuis enim de Confirmationis Sacramento externum ritum, ideſt manuum impoſitionem, promiſſionem gratiæ, eiuſque effectum expreſsè habeamus in Scripturis, Lucæ vltimo, Ioannis 15. & 16. Actorum 1. 8. & 19. tamen eius inſtitutio, & mandatum non expreſsè habetur, licèt ex illis locis eitat. neceſſariò, & euidenter deducantur; quomodò enim Apoſtoli, tàm erebrò, tàm audacter, & confidenter, hanc manus imponendi Cæremoniam uſurpaſſent, ad Spiritus Sancti gratiam certò conferendam, niſi pręceptum Domini habuiſſent? Certè magno temeritatis uitio laboraſſent, ſi abſque Chriſti mandato id feciſſent, cùm in poteſtate hominis non ſit, inſtituere Cæremoniam, per quam Spiritus Sancti gratia communicetur. Chriſma verò, ideſt ſacram vnctionem à Chriſto immediatè in die ultimæ cænæ, tamquam materiam neceſſariam, inſtitutam, & conſecratam fuiſſe docet Beatus Fabianus antiquiſſimus Pontifex, & Martyr Epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales, & habetur Cap. *Litteris*, de Conſecr. diſtin. 3. Nec à Melchiade Papa id inuentum

Cõc. Florent. Conc. Trid. 2. Cor. 1. 1. Ioan. 2. D. Auguſt. Tertull. D. Auguſt. Luc. vlt. Io. 15. & 16. Actor. 1. 8. & 19. D. Fabianus Papa. Melchiad.

fuit;cum ante illum multi Pontifices,& Patres,tam Græci,quā Latini, ut Clem. I.epiſt.4.Vrbanus I.in ſua epiſt. Decretali, Cornel.in epiſt.ad Fabianum Antiochenum apud Euſebium lib.6. hiſtoriæ cap.33.Euſebius Papa epiſt.3. ad fi.Item Dionyſ.cap.4.Eccleſ.Hierar. Origenes Homil.8.& 9.in Leuiticum,Tertull.lib. 1.contra Marci.Cyprianus ſermone de vnctione Chriſmatis, & Iuſtinus q.137. qui omnes præceſſerunt Melchiadem, affirment, ritum confirmandi cum Chriſmate à Chriſto emanatum,ex traditione Apoſtolica haberi.Lege D.Aug.Epiſt. 108. & 118. & lib.4. de Baptiſ.cap.14. D.Hieron.in Dialogo contra Lucifer.& D.Thom.3.par. q.64. art.2.ad primum.

Clem.I. Vrbanus I. Cornelius. Euſeb. Dionyſ. Orig. Tertull. Cipria. Iuſtin. Auguſt. Hiero. D.Tho.

Prætereà Chriſtum pleraſq; actiones externas feciſſe, quæ ad rationem cæremoniæ pertinent, in ſcripturis paſſim habemus, ut quòd præcinxit ſe linteo, quòd lauit pedes Diſcipulorum, in ſignum puritatis præmittendæ ante communionem,Ioannis.13. quòd benedixit, & fregit panem in conſecratione Euchariſtiæ,Matthæi.26.quòd orans in faciem procidit,& ſimilia.

Io. 13. Matt. 26.

Secvndo, idem probatur, quoniam D. Paulus prima Corinth.11.multos ritus,ac cæremonias circà Euchariſtiæ Sacramentum peragendas docuit, & deinde, *Cætera uero*,inquit,*cum uenero diſponam*, quæ cum ſcriptis non commiſerit,traditione haberi fatendum eſt; cum veriſimile non ſit, Apoſtolum quod promiſerat non præſtitiſſe,aut,quæ tradidit,intercidiſſe: Quo circà D.Aug.ex eodem loco Pauli epiſt.118. ad Ianuarium.cap.6.affirmat, ritum ſumendi Euchariſtiam à ieiunis,aliaſq; cæremonias,quæ in eius celebratione ab Eccleſia adhiberi ſolent, à D.Paulo ſine ſcripto traditas eſſe. Origenes Homil.5. in Humeros, inquit, *Euchariſtia percipienda,vel eo ritu,quo geritur explicanda,& eorum, quæ geruntur in Baptiſmo,verborum,geſtorumq́, & ordinum,atq; interrogationum,& reſponſionum,quis facile explicet rationem? & tamen hæc omnia implemus, & aſſequimur, & ut à Magno Pontifice,(Chriſto,)& eius filijs(Apoſtolis,)tradita,& commendata ſuſcepimus*. D.Cyprianus lib.2.epiſt.3.ad Cecilium,apertè dicit,aquam in Calice uino eſſe miſcendam ex Chriſti inſtitutione;quod idem aſſerit D.Aug.lib.3.Doctrinæ Chriſtianę cap.21.Concilium item Carthaginenſe tertium cap.24. Aurel.Quartum cap. 4. Aphricanum cap.4. Bracharenſe Tertium canon.1. & Sexta Synodus, cano. 32.hunc ritum vocant diuinum mandatum, quod ex Chriſti facto,qui vinum aqua delibutum in cœna conſecrauit,ſolùm per traditionem ad nos emanauit: Ita tradunt Clemens lib.8. Conſtitut. Apoſtolicarum cap.12. Irenæus li.4. cap.51. & li.5.ca.2.Damaſcenus li.4.cap.14.Hieronymus in Marcum cap.24. & in quæſtionibus Hębraicis, & in Paralipomenon cap.11. Paſchaſius li.de myſt.corp.& ſang. Chriſti Concilium Florentinum & Tridentinum ſeſſ. 22. cap.7. quidquid Durandus in 4.diſt.q.5.& Vualdenſis, de Sacramentis cap.32.& Roffenſis artic. 16.de hac re ſcripſerint dubitantes, vel negantes, Chriſtum aquam uino in Calice miſcuiſſe.

1.Cor.11. D.Auguſt. Origenes. D. Cipria. D.Aug. Concil. Carthag. 3. Aurelian.4. Aphrican. Bracharen.3. ſexta Synod. Clem. Iren. Damaſc. Hiero. Paſchaſ. Conc. Flor. Trid. Dur. Vualden. Roſen.

Tertio idem probatur ex Baſilio in lib.de Spiritu Sancto cap.27. ubi ſignum Crucis,& alia multa enumerat ab Apoſtolis inſtituta, quæ ad nos ſola traditione,ſine vllo ſcripto peruenerunt, quod idem affirmat Damaſcenus eodem lib.4. capit.13.& ut inquit D.Chryſoſtomus Homil.4. in 2.epiſt.ad Theſſalonicenſes, *Traditio eſt,nil quæras amplius*. Huc ſpectat Aquæ benedictæ à tempore Apoſtolorum inſtitutio, vt refert Clemens lib.8. Conſtit. Apoſtol.cap.35. Dionyſius de Eccleſiaſt. Hierarchia, cap.2.Epiphanius hęreſi 30.Euſebius lib.5. hiſtoriæ,cap. 20.Theod.lib.5.hiſtoriæ cap.21. Niceph.lib.12. cap.27.Cyrillus Homil.18.inter Paſchales,Alter Cyrillus Catecheſi 3.Tertull.lib. de Baptiſ.ca.4. Cyprianus lib.1. epiſt.12. Ambroſius li.4.de Sacramentis cap.5.& de his, qui initiantur,ca. 3.Aug.Homil.23. ex quinquaginta, & ſermone 19.de Sanctis,& in li.6.ad Iulianum cap.8.Huc item ſpectat eleuatio & extenſio manuum in Miſſa,ut ait Chryſoſt.Homil.30. in 2.ad Corinth.& D.Thom.3.part.q.83.artic.5.ad quintum,& deducitur ex Paulo,prima ad Thimotheum 2.ubi uiros orare vult, *leuantes puras manus*, quod etiam apud Iudęos in uſu fuit, Exod.17.ubi Moyſes eleuatis manibus ora-

D. Baſil. Damaſc. Chryſoſt. Clem. Dionyſ. Epiphan. Euſeb. Theod. Niceph. Cyril. Hiero. Cyril. Alex. Tertull. Cipr. Amb. Aug. D.Auguſt. Chryſoſt. D.Tho. Ad Thim.2. Exo.17.

3.Reg.8. Pſal 141. bus orabat, & 3.Reg.8.ex Pſalm.141.*Extollite manus veſtras in Sancta.*Item incli
D.Chryſoſt. natio capitis Deo, & Cruci, quę eſt in altari, ità Chryſoſt.in lyturg.& genuflexio,
quæ fit Sacramento in Miſſa, pertinet enim hęc ad myſterium, & reuerentiam, ut
D.Baſil. Baſil.libro de Spiritu Sancto cap.27.ſic etiam Salomon genibus flexis orauit.Itē
D.Dionyſ. conuerſio Sacerdotis ad Populum, dùm dicit, *Dominus Vobiſcum*, de qua Dionyſ.
D.Tho. Concil. Bracha.2. de Cœleſti Hierchia cap. 3. D. Thom. in citato art.ad 6. & Concilium Bracha-
renſe 2.cap.21.vbi hæc ſalutatio ab Apoſtolis inſtituta dicitur, & licèt ibidem, ſic
Sother. legatur. *Dominus ſit nobiſcum*, tamen Sother, & Anaclerus Papa, in Capitulo, *Hoc*
Anacletus. D.Aug. *quo*, de conſecratione diſt.1. & D. Auguſtinus 15. de Ciuit. Dei, cap.12. & ſuper
Pſalmum 72. illam proponunt, prout hodie eſt in uſu Eccleſiæ. Epiſcopi in prima
D.Iacob. Miſſę ſalutatione, dicunt *Pax nobis*, ex antiquiſſimo uſu, ut conſtat ex Liturgijs D.
D.Baſil. Iacobi, & Baſilij, & ex Cyrillo lib.12. in Ioannem, cap.14. Ambroſio libro de di-
D.Cyrill. D.Amb. gnitate Sacerdotis cap.5. & Chryſoſtomo homil.33.in Matthæum, & homil.3.
D Chryſoſt. ad Coloſ. Nicephorus lib.14.hiſtoriæ, cap.43.refert, corpus D. Chryſoſtom.cùm
Nicephor. poſt mortem à Proclo Patriarcha in throno collocatū eſſet, Populum ſalutaſſe a-
pertis labijs dicendo; *Pax nobis*. Item Thurificatio, quæ in lege Chriſti non eſt ſa-
Canus. crificium, cùm non ſit figura, quidquid Canus lib.12.de locis theologicis cap.13.
dixerit, in Miſſa uerò erga corpus Chriſti, ſeu oblata ritè adhibetur; nec id ex no-
Platina. uo ritu, ut Platina in Sixto I. & Polidor. de inuentoribus rerum, falsò affirma-
Polidor. runt, putantes, Thurificationem in Miſſa Anno Domini 800.à Leone cœpiſſe, cū
Sother. tamen Sother Leone antiquior in Epiſt.2. eius mentionem faciat, D. Iacobus, &
D Iacob. Chryſoſt. in ſuis Liturgijs, & Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.3. Qui
D. Chryſoſt. D.Diony. plura circa hanc rem deſiderat, legat Henriquez libro 9. capit. 15. & alios re-
Henriq. centiores.

Eccleſia poteſt inſtituere nouas cæremonias. SECVNDO ſtatuendum eſt; poſſe Eccleſiam nouas inſtituere Cæremonias, quæ
effectus aliquos ſpirituales habeant, quamuis iuſtificationem impij non efficiant.
Hæc propoſitio, etſi ſuperius à nobis cap.7. quæſt.5. explicata, & probata fuerit,
ubi diximus, Papam poſſe inſtituere Annum Sacri Iubilei, ut quid Sacramentale;
nihilominùs, quoniam eo loco potiùs de modo, quo illa Sacramentalia agunt,
egimus, quàm de poteſtate illa conſtituendi, nunc reſtat, ut in Eccleſia talem eſſe
poteſtatem demonſtremus.

PRIMO igitur probatur noſtra propoſitio ex facto Apoſtolorum, quod enim
Apoſtoli potuerunt tunc ex ordinaria poteſtate Regiminis Eccleſiaſtici facere,
poteſt quoque modo Eccleſia, neque enim eius vires nunc diminutæ, vel per ſe-
Actor.15. nium debilitatæ ſunt. Atqui, legimus Actorum 15. Apoſtolos in Concilio primo
Hieroſolymitano congregatos, nouam cęremoniam inſtituiſſe, nempè, vt Genti-
les conuerſi abſtinerent à ſanguine, & ſuffocato, quod licèt in veteri lege à Deo ſo
lis Iudæis præceptum fuiſſet, tamen per Chriſti mortem lex illa, ſicut & cętera cę
remonialia, abrogata, & euacuata fuerat. Quocircà verè, ut noua illa cęremonia
ab Apoſtolis inſtituta fuit, & ad alium finem, quàm quę Iudęorum erat, ut palàm
Actor.16. eſt: vndè vocatur Dogma Apoſtolorum, Actorum 16. nec id ex noua aliqua reue
latione Apoſtoli decreuerunt, ſed ex auctoritate ordinaria, quam in regimine Ec-
cleſiaſtico habebant: Nam coacto Concilio, ex omnium ſententia ſancitum fuit,
quod Spiritui Sancto, & illis, expedire gentibus viſum fuit.

SECVNDO idem probatur, quoniam Eccleſia in lege naturę, & in lege ſcripta po
tuit nouas cęremonias inſtituere, ergò etiam in lege Euangelica, quo tempore Ec
cleſię ſuę Chriſtus maiorem tradidit poteſtatem, quoad effectus ſpirituales, quam
Gen.8. in alijs. Antecedens autem varijs exemplis veteris teſtamenti probatur: Geneſ.8.
Noè egreſſus de Arca ędificauit Altare Domino, in quo ex omnibus pecoribus,
Gen.28. & volucribus mundis obtulit Domino Holocauſtum. Item Geneſ.28. Iacob an-
tequam eſſet Patriarcha, nullo diuino pręcepto pręcedente, quamuis nō ſine Dei
impulſu, nouam cęremoniam excogitauit. *Erexit enim lapidem in titulum, fundens
oleum de ſuper*, & uocauit nomen loci illius, Bethel, in memoriam uiſionis, quam
in eo loco habuerat; Præterea Mardochæus ſcripſit ad Iudæos, qui in omnibus

Regis

Regis Prouincijs morabantur, ut nouum diem feſtum ſolemnem celebrarent, quartam decimam uidelicet, & quintam decimam diem menſis Adar, & reuertente ſemper Anno, ſolemni celebrarent honore, ut legitur Eſther cap. 9. Iudæos autem in ſolemnem ritum illos dies ſuſcepiſſe, & ibidem, & in cap. vlt. illius libri habetur; Machabæos quoque nouum feſtum dedicationis Altaris inſtituiſſe, legimus lib. 1. cap. 4. ad quod feſtum celebrandum etiam Chriſtus aſcendit in Hieruſalem Ioan. 10. Eſther. 9. 1. Machab. 4. Io. 10.

Tertio, ratione; ſi enim Eccleſia non poteſt Cęremonias inſtituere, id eſſet, uel quia non habet auctoritatem aliquid ſtatuendi; uel, quia Cęremonię repugnãt legi Euangelicæ, cùm uideantur propriæ legis Moſaycæ; vel deniq; , quia nil licet addere cæremonijs à Chriſto inſtitutis; at nil horum obſtat: Eccleſiam enim habere poteſtatem aliquid noui inſtituendi, manifeſtè patet, vel ex eo quòd ab exordio fidei ſingulis ætatibus Concilia congregata ſunt, in quibus diuerſi canones ſtatuti fuere; legi autem Euangelicæ cæremonias non repugnare ex Sacramentis à Chriſto inſtitutis manifeſtum eſt; ex lotione pedum Apoſtolis ab ipſo facta; ex modo, quo cæcum natum, applicando ſputum luto, & lutum oculis, illuminauit; ex ſaliua, qua tetigit linguam muti. Matthæi 7. alijsq; à Chriſto geſtis. Denique nuſquam Chriſtus prohibuit, ne ab Eccleſia adderentur noui ritus ad Sacramenta ipſius utiliùs, & commodiùs adminiſtranda, & ad alia Diuina peragenda; immò, vt doctè dixit D. Auguſt. in epiſt. 118. cap. 6. cùm Dominus modum, & ritus, quibus Sacramenta miniſtrari deberent, non tradiderit, ſine dubio id arbitrio ac prouidentiæ Paſtorum Eccleſiæ reliquit, de quibus dixit, *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Hinc eſt, quòd Eccleſia aliquas cæremonias circa locum, tempus, & modum adminiſtrandi Sacramenta, & alias Eccleſiaſticas functiones, rectè, ac decenter inſtituit; immò, quas ſemel inſtituit, aliquãdò immutare, & variare poteſt; nimirum quandò fidelium utilitas id expoſceret. Quod exemplis nonnullis manifeſtum fiet. Ac primùm, cum initio naſcentis Eccleſiæ eſſent, qui de Sanctiſſima Trinitate male ſentirent, & una ſola merſione Baptiſmum in commemoratione mortis Chriſti facerent: ad auferendum hunc errorem, in Canone 49. Apoſtolorũ, & habetur de conſecratione, diſtinct. 4. Cano. *Si quis Presbiter*, ab Apoſtolis præcipitur, Baptiſmum fieri debere non in commemorationẽ mortis Chriſti, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & non per vnicam, ſed per trinam merſionem: quod poſtea ab Eccleſia immutatũ fuit: cum enim error quorumdam hæreticorum, & ſchiſmaticorum inualeſceret, qui homines rebaptizabant, ut de Donatiſtis narrat D. Auguſt. ſuper Ioannem, in deteſtationem huius erroris, in Conc. Toletano 4. cap. 5. contrarium ſtatutum fuit; videlicèt, vt una ſola merſio in Baptiſmate fieret. Verba Concilij hæc ſunt; *Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici Dogmatis vſum, ſimplam teneamus Baptiſmi merſionem*; quod quidem etiam auctoritate Gregorij Magni factum eſt. lib. 1. epiſt. 41. in Regiſtro. Matt. 7. D. Auguſt. Canon. Apoſtol. Ritus Baptiſmi. D. Aug. Conc. Tol. 4. D. Gregor.

Præterea, Eccleſia contra Hæreticos ieiunantes die Dominica, & die Sabbati, quales fuerunt Manichæi, ieiunium in illis diebus prohibuit: ità Melchiades Papa, & Martyr circà Annum Domini 312. & habetur de conſecratione diſt. 3. Cano. *Ieiunium Dominici*, & D. Ignatius in Epiſt. ad Philippenſes, quæ eſt quarta in ordine, illorum referens errorem, ſcribit, interfectores eſſe Chriſti, qui ieiunant die Dominico, vel die Sabbati. Lege Auguſtinum Epiſt. 86. ad Caſulan. & 118. Concilium Gangren. cap. 18. Carthaginenſe Quartum Cano. 64. Tertullianum de corona militis, & D. Leonem Epiſt. 93. cap. 4. cùm tamen licitè, & cum merito alioquin, & ex deuotione, & ex pręcepto in die Sabbati hodie ieiunemus; quinimmò D. Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. 147. art. 5. ad 3. aſſerit, laudabile eſſe ieiunare omni tempore. Lege Origenem Homil. 10. in Lucam, & D. Hieron. Epiſt. ad Lucianum, qui inquit, D. Paulum diebus Pentecoſtes, & Dominicis cum alijs credentibus ieiunaſſe; ſed conſuluit D. Thom. ieiunium in die Dominica uitandum eſſe, ex conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, ne videamur cum Hęreticis conuenire. Quare prohibitum ſit ieiunium die Dominica. Melch. Papa. D. Ignatius. D. Auguſt. Conc. Gãgr. Carthag. 4. Tertull. D. Leo. D. Tho. Orig. Hiero.

Cõc. Laodic. D.Gregor. Innoc. Auguſt. Leo Papa.

Verùm è contra, aduerſus iudaizantes, ideſt, diem Sabbati ſeruantes, & in eo nõ eſſe abſtinendum aſſerentes, Eccleſia contrarium ſtatuit; in Concilio enim Laodicenſi in Phrygia celebrato, cap.29. & in Epiſt.3. lib.2. quæ habetur de Conſecratione diſtin.3. Cano. *Peruenit*, à D. Gregorio ſtatutum eſt, Sabbatum non eſſe obſeruandum, & in eo ieiunandum eſſe, quod etiam Innocentius Papa in Cano. *Sabbato*, de conſecratione diſtin.3. ſanciuit, & D. Auguſt. Cano. *Illa*, diſtin.12. & contra Fauſtum lib.19. & Epiſt.86. ad Caſſulanum, & Leo Papa de conſecratione diſtin.3. Cano. de eſu carnium.

Conſecratio in azimo, uel fermentato.

Rurſus, cùm Hęreſis Hebionitarum de legalibus cum Euangelio ſeruandis inoleſceret; qui etiam negabant, poſſe in fermentato confici; Eccleſia pręcepit contrarium, in fermentato videlicèt debere conſecrari, quamuis hęreſi extincta redierit ad azimum.

Communio ſub utraque ſpecie. Leo I. Gelaſius Papa.

Item contra Manichæos aſſerentes, Chriſti corpus non verum, & ideò exangue, ac proinde ſub una tantum ſpecie communicandum; Eccleſia ſtatuit, ſub utraque ſpecie ab omnibus communicandum eſſe: ità Leo Primus circà Annum Domini 444. in ſermo. 4. de Quadrageſima, & Gelaſius Papa in ſuis Decretis, licèt poſtea, ceſſante hæreſi, ad priſtinum morem redierit.

D. Hiero. D. Auguſt. Apoc. 1. Canon. Apoſtol. Victor Papa. Euſeb. Epiphan. Athanaſ.

Neque alia exempla in re tam clara adducenda ſunt, cum uel ad hęreſes declinandas, uel ad Iudęorum mores vitandos, uel etiam ad mores Chriſtianos in melius reformandos, non ſolum Eccleſia nouos mores, conſuetudines, ac leges ſtatuerit; ſed etiam aliquandò veteres immutauerit, ut de die Dominico in locum Sabbati commutato, D. Hieron. in ſermone de Dominica die Paſchæ, & D. Auguſt. lib.19. contra Fauſtum aſſerunt. Vndè Apocal.1. de Dominica die fit mẽtio; & de die Paſchatis ante Vernale Æquinoctium minimè celebrando, ſed in ſequẽti Dominica poſt 14. Lunam Martij, ne quid commune cum Iudæis haberemus, ut decernitur in Can.8. Apoſtolorum, quod poſtea Victor Papa apud Euſebium lib.5. Hiſtoriæ cap.25. præcepit, propter quod coactum fuit Concilium Nicænum, vt refert Epiphanius Hæreſi 70. Euſebius lib.3. de Vita Conſtantini, & Athanaſius in Epiſtola de Synodo Ariminenſi.

Cæremoniæ ſine peccato prætermitti non poſſunt. Ad Hębr.13. Ad Rom.13. Caluinus cõuictus conſentit cum Catholicis.

Ex his autem, quæ diximus, unum corollarium notabile ſequitur, nempè huiuſmodi cæremonias, ac ritus ab Eccleſia inſtitutos, prætermitti non poſſe ſine peccato, etiam ſemoto ſcandalo: leges enim Eccleſiaſticæ etiam in conſcientia obligant, iuxtà illud Pauli ad Hæbræos 13. *Obedite præpoſitis ueſtris*, & ad Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtũt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, & inferiùs, *ideoq; neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, quod etiam Caluinus, in hac re conuictus, conceſſit, in lib. 4. inſtitutionum cap.10.§.5. omnis enim poteſtas à Deo eſt; quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt.

Obſeruatio ſacrarum cęremoniarum non eſt ad libitum. 2.Machab.6. & 7. Tertull.

Caeterum, obſeruationem cæremoniarum Eccleſiaſticarum non eſſe omninò liberam, & ad libitum facile eſt oſtendere. Eleazarus (ut ex ueteri teſtamento exẽplum prodamus) lib.2. Machabæorum cap.6. potius uoluit occidi, quàm ſimulare, ſe comediſſe carnem ſuillam, ne uideretur eo modo Religionem ſuam deſeruiſſe; quem poſtea ſeptem fratres Machabæi ſequuti ſunt, ut libro 2. cap.7. Tertullianus in lib. de corona militis narrat, quemdam magis mori elegiſſe, quàm cum cæteris militibus laurea coronari, quòd apud Chriſtianos non licebat.

Bellar.

Bellarminus, qui exactè rem hanc pertractat, in lib.2. de Sacramentis cap.30. & ſequentibus, neceſſariam obſeruationem cæremoniarum, & rituum Eccleſiaſticorum ex eo oſtendit, quòd ob illarum obſeruationem grauiſſimæ diſſenſiones in Eccleſia ſubortæ ſint, ad quarum compoſitionem, & decreta edita, & pœnæ grauiſſimæ impoſitæ fuere, & tandem, qui illis non obediebant, vt Hęretici habiti, & condemnati ſunt.

Actor.15.

Certè verba illa ab Apoſtolis prolata Actorum 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, præter hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos à ſanguine, & ſuffocato*; indicant, decretum illud in conſcientia obligare, ob id enim appel-

latur

latur onus, & res neceſſaria; licèt non à Domino, cum Chriſtus id liberum reliquerit, ſed ab Apoſtolis præcepta fuerit; Quod Decretum ad primam diſſenſionem in Eccleſia ortam ob cæremonias legales pertinet.

De die Paſchatis celebranda, quæ eſt præcipua cęremonia in Dei Eccleſia, ſumma fuit olim controuerſia. Victor Papa Primus, ut dictum eſt, die Dominico Sacrum Paſcha, & diem Reſurrectionis celebrari ſanciuit, & cum Aſiatici diſſentire vellent, totam Aſiam ab vnitate Eccleſiæ voluit ſeparare, ut teſtatur Euſebius li.5. Hiſtorię, cap.25. D. Athanaſius in Epiſt. citata de Synodis Arimini, & Seleuciæ, ſcribit, Concilium Nicænum, quod ob eam controuerſiam pręcipuè congregatum fuit, expreſſis uerbis imperaſſe, ut omnes fideles huiuſmodi legem Paſchæ obſeruarent; immò in Concilio Antiocheno paulò poſt celebrato, Cano.1. tranſgreſſores huius legis de Paſchate celebrando, in Concilio Nicæno ſancitæ, excõmunicantur. Addit Epiphanius Hæreſi 50. & Theodor. lib.3. de Fabulis Hæreticorum, & D. Auguſt. Hæreſi 29. etiam tamquam Hæreticos habitos fuiſſe, qui huiuſmodi ritum non obſeruaſſent. Sed mirum illud eſt, quòd nuſquam magiſtri hæreticorum noſtri temporis docuerint, Paſcha celebrandum non eſſe die Dominico, poſt 14. Lunam, & Æquinoctium occurrenti, cum tamen inter traditiones humanas id etiam reponant; quòd Turrianus notauit li.5. pro Epiſtolis Pontificum cap.17. Animaduertendum hic, quòd Pius Papa, vel Victor non fuerunt auctores, quòd Paſcha die Dominico celebraretur; cùm conſtet, Petrum die Dominico Romę Paſcha celebraſſe. Quod etiam Marcus ex Petri documento Alexandrię fecit; Ità Beda teſtatur in retract. act. Apoſt. cap.20. & in lib. de ratione temporum cap.42. Lege Turrianum, in lib.1. pro Canonibus Apoſtolorum cap.7. & Cardinalem Baronium tom.1.

Explicatur controuerſia de celebratione Paſchæ. Victor Papa. Euſeb. Athanaſ. Conc. Nicęn. Conc. Antio. Epiph. Theod. D. Auguſt. Turrian. Victor. Turrian. Beda. Baron.

FVERVNT quoque alię diſſenſiones de alijs ritibus Eccleſiaſticis, ut de ritu Baptiſmi; An uidelicèt Hęretici verùm conferrent Baptiſmum. De diebus feſtis, de peregrinationibus, de Vigilijs, de ciborum delectu, de ieiunijs, & ſimilibus, quę in diuerſis Concilijs determinatę fuere, & tandem, qui illos deſpexerunt, uel per contemptum, uel per inſcitiam damnarunt, inter Hęreticos connumerati ſunt; ità Donatiſtę apud Euſebium lib.6. Hiſtor. cap.3. & Auguſt. tom.7. ferè per totum. Item Manichęi apud Auguſt. lib.20. contra Fauſtum cap.3. & 4. Item Euſtatiani apud Socratem li.2. cap.33. Deinde Aeriani apud Epiphanium Hęreſi 75. & Auguſt. Hęreſi 53. Prętereà Vigilantius, ut refert D. Hieron. in lib. contra Vigilantium, indè Vualdenſes apud Guidonem in Summa de Hęreticis; ac deniquè Vuiclephus apud Thom. Vualdenſem tom.3. de Sacramentalibus. Atque ità erit Corollarium noſtrum firmis rationibus comprobatum. Quod ſi harum cęremoniarum obſeruatio ad libitum eſſet, nulla in Eccleſia vniformitas, nullus ordo, nullaque certa methodus in actione diuinarum rerum ſeruaretur, contrà illud Apoſtoli 1. Corinth.14. *Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis*; & illud Prophetę, *Qui habitare facit vnius moris in Domo*; ſi enim cuique libera conſcientia liceret, uel mutare, uel non obſeruare cęremonias Eccleſiaſticas, profectò Eccleſia deformaretur, nec, *Vt Caſtrorum acies ordinata* eſſet, nec terribilis, & grauis, ſed eneruata appareret, quod tandem Caluinus confeſſus eſt, lib.4. inſti. cap.10. §.27. quo circà voluit ſuas quoque cęremonias firma lege ſancire.

Aliæ controuerſiæ circa alios ritus & cæremonias Eccleſiæ. Euſeb. Auguſt. Socratem. Epihan. Auguſt. Hieron. Guido. Tho Vuald. 1. Cor.14. Caluinus etiã inſtituit ſuas cæremonias.

MVLTI autem ritus eccleſiaſtici quamuis ad Sacramenti ſubſtantiam non pertineant, nequaquam poſſunt ſine neceſſitate omitti, vel per quoſcumque Papę inferiores mutari, etiam per Epiſcopos, ut optimè definitum eſt in Concilio Tridẽtino ſeſſ.7. Cano.13. Quocircà obligant ſub pęccato mortali, nec contemni nec omitti poſſunt; Eccleſia enim poteſt obligare ſub peccato mortali in rebus præcipuè ad cultum diuinum ſpectantibus; ſic obligat Pius V. in Procemio ſuę Conſtitutionis, quæ præfixa eſt Miſſali Romano, & in Catechiſmo Romano, tit. de Baptiſmo; de qua re legendus eſt Caniſius in Catechiſ. tit. de Sacramentis cap.8. & lib.4. Marial. capite 12. ad finem, Pamel. in Scholijs Epiſtolæ 73. Cypriani num. 6. Durand. libro primo Rationalis capite 8. & libro 6. capite 82. Abulen. in Exod.

Multæ cæremoniæ obligant ſub mortali, ſi omittãtur abſq; neceſſitate. Conc. Trid. Pius V. Miſſal. Rom. Cathec. Ro. Caniſ. Pamelius. Dur. Abulen.

 & Leuit.

Henriq. & Leuit.& alij, quos coaceruat Henriquez lib. 1.cap. 11. & libro 9.cap.35.

Ceremoniæ non iuſtificāt impium, exiſtentem ſcilicet in mortali. Dictvm eſt autem, has cæremonias, exceptis ipſis Sacramentis, non prodeſſe ad iuſtificandum impium à peccatis mortalibus; hoc enim eſſet dare primam gratiam, quod Sacramentorum proprium eſt, ſed ad alios effectus ſpirituales ualere, putà ad pellendos morbos, ad uenialia purganda, ad Dæmones fugandos, ad eruditionem intellectus, & ad mouendum affectum, ut in ſequenti propoſitione dicemus.

Cæremoniæ ſunt utiles, & meritoriæ. Tertio. Statuendum eſt, huiuſmodi ceremonias, ſeu ritus ab Eccleſia inſtitutos, non eſſe res indifferentes; ſed eſſe utiles, meritorias, & ad diuinum cultum, tanquam eius partes, pertinentes. Probemus ſingula.

Multæ illarū utilitates enumerantur. D.Auguſt. Primo. Eſſe res utiles oſtenditur ex eo, quòd per illas interna deuotio fouetur, conſeruatur, & augetur. Ità D.Auguſt. libro de cura pro mortuis cap.5. & lib. 9. Confeſſionum cap.6. & 7. & Epiſt. 119. cap. 11. quod etiam experientia nos docet; ornatus enim Eccleſiæ, & munditie altarium, accenſæ lampades, certus, ac ſolemnis modus pulſandi Campanas, uarietas ſacrorum ueſtimentorum, & alia id genus maximam in homine deuotionem excitant; contrà uerò hæreticorum Templa, ubi parietes albi cum menſa lignea ad Cœnę ſuę uſum, & ſede ad concionandum, prophanum quid ſpirant, ſicut fana Gentilium, atque Turcarum.

Secvndo. illis ob piam ſignificationem intellectus noſter eruditur, & diſponitur ad percipiendum myſterium aliquod Religionis per illas repræſentatum; undè iuuant hominis intelligentiam, quemadmodum imagines, quæ ſunt rudioribus hominibus loco Scripturæ; ità Innocentius Primus Epiſt. 1. ad Decent. D. Leo Epiſt. 81. Conc. Tolet. quartum cano. 2. D. Auguſt. Epiſt. 119. cap. 7. Quocircà rectè idem Auguſt. ex ritu exorciſmi, in quo pueri exorcizantur, & inſufflantur, probat peccatum originale in pueris ante Baptiſmum eſſe lib. 1. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 34. & lib. 6. in Iulianum cap. 2. abrenunciant enim in eo paruuli per ora Patrinorum Diabolo, & operibus eius. Lege Caniſ. de Sacrament. cap. 8. vbi ex Dionyſio de Cœleſti hierarchia cap. 1. & vltimo rectè id demonſtrat. Vide Origenem Homil. 5. Numerorum, & D. Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 9. Rationem autem quam Dionyſius affert non erit iniucundum audire: *Principes*, inquit, *noſtri uiſibilibus ſignis Cœleſtia Sacramenta texerunt, & ſub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in materiali figura maieſtatem ſpiritualem repræſentarunt, ut pro modo, ac ratione captus noſtri figuris uiſibilibus, quaſi adminiculis quibuſdam, ad myſteriorum auguſtiorum intelligentiam ſubueheremur*. Hactenus Dion. Et ut quod aſſerimus pateat euidentiùs, verba Sacri Conc. Tridentini, ubi de Miſſæ ſacrificio agit, legenda ſunt in ſeſſ. 22. cap. 5. *Cumq; natura hominum ea ſit &c.*

(Margin: Innoc. D.Leo. Conc. Tol.4. D.Auguſt. Caniſ. Dionyſ. Orig. D.Auguſt. Conc.Trid.)

D.Aug. Steph. Papa. Tertio, per cęremonias mirificè conſeruatur myſteriorum, & beneficiorum Dei memoria, ut experimento patet; ità docuit D. Auguſt. libro de cura pro mortuis gerenda cap. 5. & Stephanus Papa in Capitulo: *Nunquid*, de conſecratione, diſtinct. 5.

Qvarto, cæremoniæ ſunt exercitium, & armatura fidei contra Diabolum, qui ſigno Crucis, aqua benedicta, veſtibus ſacris, & ſimilibus maximè terretur; dum uidet, nos illis cæremonijs proteſtari, ac certò credere tātam eſſe potentiam Crucifixi, ut ſola eius imago Dæmones in fugam conuertat.

Qvinto. Religionem conſeruant, ſicut cortex medullam arboris, ſicut cutis carnem, ſicut tectum domum, & cinis ignem, niſi enim apparatus cæremoniarum eſſet, utique Religio uileſceret, & contemptui haberetur, & ſic paulatim deficeret. Adde, quòd cùm myſteria noſtræ Religionis ſpiritualia ſint, ſi nuda illa proponerentur, difficillimè ab hominibus, qui corporeis ſenſibus inuoluti ſunt, perciperentur. Vndè ſicut in parabolis myſteria fidei proponuntur, & prædicantur, ut faciliùs à nobis percipiantur; ſic etiam in cæremonijs, ut dignitatem, & maieſtatem illorum cum admiratione, & ueneratione quadam conſpiciamus; quod enim eſt ſal carnibus, folia arboribus, & adminicula uitibus, hoc cæremoniæ Reli-

niæ Religioni. Vndè D. Auguſt.lib. 19. contra Fauſtum cap.11. affirmauit, nul- D. Auguſt.
lam Religionem,etiam falſam,abſque cæremonijs ſubſiſtere poſſe.

Sexto,iuuant cæremoniæ,ut Prælati Eccleſiarum,omniſque Clerus ad ſcien-
tiam rerum diuinarum iugiter incumbant;ſic Moſes Exod. 18.monetur,ut Popu Exod. 18.
lũ doceat cæremonias, & Plato in Dialog.de Regno dixit, Theologi partes eſſe Plato.
ſcire, quæ numina, quibuſuè cæremonijs coli deberent; quarè Innoc. Epiſt. 1. ad Innoc.
Decent. D. Leo Epiſt.4. & D. Baſilius Epiſt.63.conuenienter carpunt Epiſcopos, D. Leo. D. Baſil.
qui ignorant cæremonias.

Septimo,admonent homines,ut ornata,compoſitaque conſcientia,cum ſum
ma munditie, & puritate animæ, & corporis rem diuinam pertractent; iuxtà il-
lud, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*, & illud, *Sancti eſtote, quoniam ego ſan-
ctus ſum.*

Octavo, ad humilitatem exercendam pervtiles ſunt; cum enim homo ob ap
petitum Deitatis, in altum ſe extollens ceciderit, æquum eſt, ut humiliationibus
ſe ſe deijciens,& vſque ad terram proſternens ad diuina eleuetur,iuxtà illud, *Qui
ſe exaltat humiliabitur,& qui ſe humiliat exaltabitur*. D.Auguſtinus Epiſt.119.cap. D. Auguſt.
19. addit, nimium onus cæremoniarum cauendum eſſe, cùm potiùs animum, ſi
multæ ſint, diſtrahant, & impediant, tædiumque, & moleſtiam gignant; ſed ſi ſer
uato moderamine, ac prudenti conſilio fiant, ut ab Eccleſia ſeruatur, ad humili-
tatis, grauitatis, cæterarumque uirtutum exercitia uehementer conducere.

Nono, vt quemadmodum corpore, actibuſq; externis non numquam Deum
offendimus, ſic etiam corpore illi ſeruiendo ſatisfaciamus.

Decimo.cæremoniæ maximè conſeruant vnitatem Religionis, & Eccleſiæ: ſi-
cut enim eiſdem Sacramentis, Scripturis Sacris, Traditionibus, miraculis una in
toto Orbe conſeruatur Religio; ſic etiam alijs ritibus eccleſiaſticis. Ità D. Aug. D. Aug.
lib.10. contra Fauſtum cap. 11. & li.de Relig.cap.17. Baſil.Homil.13.de exhor- D. Baſil.
tat.ad Baptiſmum, D.Thom.3. par.quæſt.61. artic.1.& Echius Homil.2.de Sa- D. Tho. Echius.
cramentis.

Vndecimo.per cæremonias, tamquam per quaſdam notas, Catholici ab hę-
reticis diſtinguuntur; ſicut per Sacramenta ab infidelibus. Vnde à pueritia docē-
tur Chriſtiani frequenter dicere, *Per ſignum Crucis*. Ità D.Aug.tract.118.in Ioan. D. Auguſt.
& ſerm.19. de Sanctis, & lib.1. Confeſſ. ca.11. Hinc Epiphan.in fine librorum, D. Epiph.
quos ſcripſit contra omnes hæreſes, cęremonias Eccleſię enumerat, vt per illas,
tamquam per inſignia, & ſymbola quędam, Eccleſia ab omnibus ſectis diſcerna-
tur; qui enim, uel ſignum Crucis, uel aquam benedictam, uel abſtinentiam à carni
bus in feria ſexta, & ſimilia non adhibet, vtiq; ab hęreticis nõ diſtinguetur. Hinc
eſt, quòd Eccleſia in huiuſmodi cęremonijs, & obſeruantijs diligenter euitat om
ne conſortium, uel apparentem ſimilitudinem cum hęreticis, Iudęis, & alijs infi-
delibus, ut colligitur ex D. Auguſtino in citata epiſt.119. & Epiphanio lib.3.con
tra hęreſes.

Quod autem cæremoniæ ſint Deo gratę, ac proindè meritorię, patet, quoniam Cur cæremo-
omnia virtutum opera, qualia ſunt cęremonię, ſi cum fide, & charitate fiant, Deo niæ ſint me-
accepta ſunt, & pręmium ab illo merentur; ſunt enim actus Religionis, & ſępè ritoriæ.
cum alterius virtutis actu connexę; putà obediētiæ, humilitatis, fortitudinis, &c.
Prӕterea quoniam actus exteriores, qui ſunt effectus interiorum, eadem bonitate,
mercede, & pręmio, ac ipſi interiores, cęteris paribus, gaudent; undè Matthęi 10. Matt. 10.
dicitur, *Qui me confeſſus fueris coram hominibus, &c.* & ad Rom.10. *Ore confeßio fit* Ad Rom. 10.
ad ſalutem.

Iam uerò, quòd cęremonię, etiam ut partes, ad diuinum cultum ſpectent, pro- Quòd Cære-
batur; nam cum homo conſtet anima, & corpore, debet Deum colere, & honora moniæ ſint
re non ſolum animo, quod per actus interiores fit, ſed etiam corpore, quod per partes diuini
actus exteriores, & cęremonias pręſtatur. Vndè Pſalmiſta in Pſalm. 115. dixit. cultus. Pſal. 115.
O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ, & D. Cypr. in ſer Cypr.
mone de oratione Dominica inquit, *Cogitemus nos ſub conſpectum Domini ſtare, pla*

cendum eſt diuinis oculis, & habitu corporis, & modo uocis, ſic ille.

Nazian. Niſſen. Cyril. Hiero. Cyril. Alex. Tertull. Gregor.

Adde, quòd Deus eſt utriuſque auctor, ut inquit Nazianzenus, & Nyſſen. in orat. de Baptiſmo, Cyrill. Hieroſolymitanus Catecheſi 3. & alter Cyrill. Alex. li. 2. in Ioan. cap. 42. Tertull. De Reſurrect. Carnis cap. 15. & Gregor. in primũ Regum lib. 6. cap. 3. ergò & animo & corpore eſt colendus. Prętereà, cùm Deus ſit colendus ſummo modo, cum ſit principium illud, *ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia*, utiq; mente, & corpore colendus erit; cum magis ſit, utroq; modo Deum colere, quàm altero tantum. Adde, quòd ſicut Deus ignominia afficitur, & contumelia non ſolum actu interno, ſed etiam externo; ità quoq; honorari debet non ſolùm internè, ſed etiam externè; ſicut enim oratio externa eſt cultus, quia eſt ſignũ internę, ità adoratio externa erit cultus, quia eſt ſignũ internę adorationis. Vide D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 6. & queſt. 83. art. 3. Deus item colitur ex inſtinctu naturali apud omnes gentes, tamquam auctor non tantum animę ſed corporis; vndè omnes ferè nationes utuntur quibuſdam ritibus in eius cultu, quaſi naturali ſigno, vultu enim erecto in Cœlum, & expãſis manibus, vt Moſes Exod. 17. & flexis genibus, ac tunſione pectoris, & capite detecto illum colunt: ſed iam obiectionibus, quas hęretici contra cęremonias faciunt, reſpondendum erit.

D. Tho.

Exo. 17.

CAPVT DVODECIMVM.

Obiectiones hæreticorum contra Cæremonias, & Ritus Eccleſiaſticos ſoluuntur.

MVLTA hęretici obijciunt contra cęremonias, quæ nos ad quatuor capita reducemus, & diſtinctè ſingula diſſoluemus.

Primum argumentum.

OBIICIVNT primò, Deum cæremonijs, uel ab hominibus inuentis coli non debere, cùm nullus cultus illi placeat, quem ipſe non inſtituerit, quod cõfirmant ex illo Matthęi 15. ubi Dominus reprehendit hominũ traditiones, & ex Iſaia 29. ubi dicitur, *Fruſtra colunt me mandatis hominum*, ità Caluinus li. 4. Inſtit. cap. 10. §. 10. & 15.

Matt. 15. Iſai. 29.

Solutio.

SED facillimè hæc obiectio diluitur, & multis modis. Primò reſpondemus cæremonias, quas Eccleſia docet, non eſſe merè humana inuenta, proprioq; ingenio excogitata, ſed diuina inſpiratione inſtituta, ac principijs doctrinæ Chriſti conformia, & ab ea poteſtate ſancita, & euulgata, quam Dominus Eccleſiæ ſuæ in terris reliquit. Luc. 10. *Qui uos audit, me audit*, quemadmodum Apoſtolus 1. Corinth. 14. mandata tradidit circa uarios ritus in Eccleſia, de modo loquendi, & ut mulieres non loquantur in ea, ſicut nec ille, qui non fuerit interpres, & alia, quæ Dominus expreſsè non mandauit, & tamen hæc omnia Dei mandata uocat, quoniam Deo inſpirante pręcepta & ordinata fuerãt; undè ait, *Si quis Propheta aut ſpiritualis eſt, cognoſcat, quæ ſcribo uobis, quia Domini ſunt mandata*: Domino enim dictante, & ſecundum ſpiritum Domini facta erant, & ideo vult à ſpiritualibus cognoſci; ſi enim Dominus expreſsè illa præcepiſſet, non fuiſſet opus iudicio ſpiritualium ad ea cognoſcenda. *Si quis autem*, ſubdit Paulus, *ignorat*, id eſt, nõ credit, *huiuſmodi, Dei mandata eſſe, ignorabitur, & in die Iudicij*, ut ibidem Ambroſ. *tamquam hæreticus condemnabitur*.

Luc. 10. 1. Cor. 14.

Secundò reſpondemus, quòd non requiritur, ut Deus approbet, uel iubeat in particulari, & expreſsè cultum, quo ipſe coli poſſit, uel debeat; ſed ſufficit, ſi uirtualiter, & in genere ab eo probatus ſit; cultus enim Abel qui obtulit de adipibus gregis ſui, Geneſ. 4. & ad Hębręos. 11. Deo ſine dubio placuit, cum tamen Deus expreſsè, & in particulari illum non imperauerit, ſicut etiam cultus Noè, qui altare Deo ędificauit, & ſuper illud holocauſta obtulit; & Enòs, qui cępit inuocare

Geneſ. 4. Ad Hebr. 11.

nomen Domini, & Zacharię, qui ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij, ſortè exijt,ut incenſum in templum Domini offerret,Lucę primo, & Iacob,qui erexit la pidem in titulum Geneſ.28. & cultus Beatę Virginis, quę ſine ullo Dei mandato Virginitatem Deo vouerat;hę omnes,& cæteræ Eccleſiaſticę cęremonię ſunt honeſtę,& diuinę,& à Deo ſaltem in genere probatę,cùm à Prępoſitis Eccleſię,quibus Deus pręcipit obedire,iubeantur. Adde,quòd in illa Pauli ſententia 1.Corinthio.14.quam veluti ſigillum omnium rituum, de quibus loquutus fuerat,protulit,omnes Eccleſiaſticæ cęremonię comprehenduntur;*Omnia*,inquit,*honeſtè,& ſecundum ordinem fiant in vobis.* Vnde Caluinus lib.4.Inſtit.cap.10. §.30.ex hoc loco Pauli, genuflexionem in oratione, & bonam, & diuinam eſſe affirmat, quoniam in genere in ea Pauli ſententia,ut quid decorum continetur;atqui omnes a- lię noſtrę cęremonię,ut veſtes ſacrę,Incenſum, luminarium accenſio, & id genus alia,ſimiliter in illo Pauli Teſtimonio complectuntur. Luc.1. Geneſ. 28. 1. Cor. 14. Caluinus probat genuflexionem in oratione.

Tertiò reſpondemus ſigillatim ad locum Matthæi,& Iſaiæ,cæremonias Iudaicas tria habuiſſe,quæ Dominus reprehendit;pugnabant enim primò aliquę cum mandatis Dei,vt quòd filij offerrent ſacerdotibus,quæ parentibus erant neceſſaria,vt Matthæi 15.& Marci 7. Deinde quòd pleræque ob traditiones Phariſæorũ vitiaræ,& inutiles omninò eſſent,ut toties lauare manus;Tertiò,quòd licèt quędam aliàs bonæ,& utiles eſſent, modus autem, quo illas obſeruabant, uitioſus erat;cum pluris facerent illarum obſeruationem,quàm mandatorum Dei, ſummã enim Religionem in illarum cultu ponebant,dilatantes fimbrias, & philacteria, & volentes ab hominibus vocari Rabi, de quibus Matthæi 23. Primi, & ſecundi generis cæremonias vocauit Dominus mandata hominum,humanaſque traditiones,cùm nihil niſi humanum continerent,& ab illis iniuſtè,& ſuiliter excogitatæ fuiſſent;tertias verò nequaquam mandata hominum appellat,quamuis modum,quo illas obſeruabant,reprehendat,dicens,*Stulti,& cæci,quid magis eſt,aurũ, an templum,quod ſanctificat aurum?* & iterum,*quid eſt magis,donum,an templum,quod ſanctificat donum?* & ſimilia. Nunc autem dicimus,Chriſtianas cęremonias,ſecundum ordinem Eccleſiæ approbatas, neque primi, neque ſecundi generis eſſe, ut notum eſt;nec Hæretici argumentis veris id probant,vel probare poſſunt, ſed ſolùm mendacijs,& falſitatibus; ſi quis autem Catholicus in modo obſeruandi ueras cæremonias peccauerit,pluris illas faciendo,quàm mandata Dei,correptione dignus eſt; nec enim ex hoc, quòd alicui abſtinendum ſit à carne die Veneris, ob id concedit Eccleſia, vt ſcortando fornicetur; ſicut enim ſtultum eſt attendere quidquid quiſque dicat,ità probandum indifferenter non eſt,quid quiſque faciat; ſed id omninò probandum eſt,quod facit,vel facere debet, ſecundum ſanam Eccleſiæ doctrinam. Cæremoniæ Iudæorũ tria continebant illicita. Matt. 15. Marc. 7. Matt. 23.

Secvnda obiectio eſt,ex loco Pauli ad Galatas 5.*State,& nolite iterum iugo ſeruitutis contineri,& vos in libertatem vocati eſtis*; non igitur licet inſtituere cæremonias, quę obligent in conſcientia; cùm genus quoddam ſeruitutis cenſeantur. Secundum argumentum. Ad Galat. 5.

Respondemvs,Apoſtolum eo in loco ſeruitutem legis Iudaicæ excludere,non autem obedientiã cuiuſcumque alterius iuſtæ legis;undè ad Rom.13. dixerat,oportere ſubditos non ſolum propter iram,ſed etiam propter conſcientiam obtemperandum eſſe; nec lex uetus iugùm ſeruitutis appellatur, quòd in conſcientia obligaret, id enim omni legi iuſtæ competit; ſed quòd ob multitudinem præceptorum non ſine maximo labore,& difficultate obſeruari poſſet,iuxtà illud Act.15.*Quid tentatis,durum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos,neque patres noſtri portare potuimus*: nec ex eius impletione gratia, quæ omnia reddit ſuauia, tribuebatur; ſed tantùm ex Chriſto tunc uenturo creditò. Lege D.Hieronymum, Theodoretum, Adamum, Catharinum, & alios interpretes ſuper eamdem Epiſtolam; neque res hæc longa ſolutione digna eſt, cum per ſe euidens ſit. Solutio. Ad Rom. 13. Act. 15. Hiero. Theodoret. Adam. Catharin.

Tertia obiectio eſt,quòd Romanenſes,partim ex Gentilium delirijs ſibi deſumentes exempla; partim ſimiarum more, temerè imitantes ueteres Iudaicos ritus,has cęremonias inſtituerunt. Hæc ſunt uerba Caluini in §.12. Tertium argumentũ Caluini.

Respon-

D.Aug. D.Hiero. RESPONDEMVS, D. Auguſtinum lib. 20. contra Fauſtum cap. 4. & D. Hieronymum in libro contra Vigilantium abundè huic argumento ſatisfacere, neque enim eſt nouum, ſed à Vigilantio, & à Manichęis priuſquàm Caluinus eſſet, excogitatum, & prolatum: & nox illa, Romanenſis, ante M.C. annos idem erat, ac Catholicus, ut conſtat ex D. Amb. in oratione de obitu Satyri, & Vict. de perſecut. Vuandal. lib. 1. D. Amb. Victor.

Aliquæ Cæremoniæ veterum Romanorum gentilium cõuerſæ ſunt in uerũ Dei cultum. Dicimus autem, multas quidem conſuetudines, & ceremonias veterum Romanorum ad Dei cultum conuerſas eſſe; quod nemo Chriſtianus culpare, ſed maximè laudare debet, ſicut luſtrandi cõſuetudo, quę initio menſis Februarij Februo, idest Plutoni, accenſis cereis ex ordinatione Numæ Pompilij, qui hunc menſem illi dicarit, celebrabatur; ut penitùs aboleretur, & tolleretur, à Sergio Papa Anno Domini 690. ſub Iuſtiniano Secundo in publicam ſupplicationem, in die Purificationis Beatæ Virginis, in qua cerei accenſi deferuntur, conuerſa eſt: ità Beda in libro de Temp. Alcuinus de officijs Eccleſiaſticis, Durandus Ration. Diu. lib. 7. quo etiam modò ad ſuperſtitiones Calendarum Ianuarij abolendas, Circunciſionis Dominicæ, quæ eodem die accidit, feſtum celebrari inſtitutum fuit; & feſtum vinculorum Beati Petri Calendis Auguſti ordinatum fuit, quo die Auguſto Cæſari, ut in Ianuario Iano, epulas, & inferias Gentilitas conſecrabat; Nec ex his, & ſimilibus Eccleſia aliquid deſumpſit, ſed ſublatis illis ſuperſtitionibus gentilitijs, iiſdem diebus Chriſtiani ritus ſuffecti ſunt. Verùm cõcedamus quoque in externis ſignis aliquam eſſe ſimilitudinem inter noſtros ritus, & ritus Ethnicorum, & Iudęorum; ſimpliciter tamen, & abſolutè maximum eſſe diſcrimen, nemo ſanę mentis nõ iudicabit. Etenim externæ actiones ſpeciem ſuam à fine, & intentione deſumunt, ut Philoſophi docent, Gentiles uerò omnem cultum ad Dæmonum adorationem dirigebant; Chriſtiani ad uerum Deum colendum, itaque ritus illorum ſacrilegus, noſter verò ſacer; ille impius, noſter pius; ille diabolicus noſter diuinus: ſicut etiam multa communia, immò eadem ſacrificia erant Gentilium, & Iudæorum; & tamen illa ad Idolatriam, iſta tunc ad pietatem, & Religionem ſpectabant; nec mirum eſt, ſi noſtræ cæremonię ſymbolum aliquem habeant cum iudaicis, erant enim illæ vmbræ, & figuræ rerum noſtrarum, ut 1. Corinth. 10. Gentiles uerò rerum diuinarum, ſicut & Sathan, ſemper æmulos fuiſſe, docet Tertull. in libro de præſcriptionibus, & in Apolog. cap. 47. Iuſtinus Martyr in Apolog. 2. Euſebius lib. 5. de præparatione cap. 7. & 9. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, & nos ſupra diximus. Vnde ſicut è ſpolijs Ægyptiorum tabernaculum Domini rectè exórnatum fuit; ſic Gentilium ritus in veri Dei cultum rectè conuertit Eccleſia. Sicut etiam Templa Idolorum conuerſa ſunt in Templa Sanctorum, vt ait Theodor. lib. 8. de Martyribus. D. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 8. & lib. 19. Epiſt. 71. & Proſper, par. 3. cap. 38. de promiſſionibus Dei, ubi refert, ab Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi, nõ ſine magna omnium admiratione templum inſigne quoddam Gentilium, in Eccleſiam dedicatum fuiſſe, in cuius frontiſpicio diuinitùs iampridem æneis, magniſque characteribus ſcriptum fuerat, *Aurelius Pontifex dedicauit*. Sed quid? nonnè Gentiles vtebantur Baptiſmo, dum Mithręſacris ſuos initiarent? non ne myſterium panis etiam celebrabant? ut refert Tertull. loco citato. Vide Pet. Greg. in Syntag. 17. & D. Auguſtinum lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 12. & 18. Nùm item Iudæis expiationes per aquam, panes propoſitionis, ſacrificia, Templum, Sacerdotes, & Martyres deerant? quæ omnia ſi propter ſymbolum externum cum noſtris communem Chriſtianos ritus inficerent, uel uitiarent; & noſter Baptiſmus, & cęna Dominica, & Sacramenta cætera tollenda eſſent. Caluinus ipſe neceſſitatem cæremoniarum nec ſimulare potuit, nec diffiteri uoluit, in libro enim 4. Inſtit. cap. 14. nu. 17. ſic ſcribit. *Hanc neceſſitatem certo aliquo ſignorum externorum conſortio homines colligandi, quam Deus prouiderat, eam poſtea Sathan ad ſuperſtitioſos cultus transferendo deprauauit. Hinc illa Gentilitia imitatio nes in ſua ſacra, & cæteri degeneres ritus, qui tametſi erroris erant, ac ſuperſtitionis pleni, inditio tamen ipſi quoq; ſimul erant, non poſſe in profeſſione Religionis, homines externis huiuſ-*

Diſcrimen inter cultus. gentilium, & Chriſtianorum.

Beda. Alcuinus. Durand.

1. Cor. 10.

Tertull. Iuſtin. Euſeb. Hiero.

Theod. D.Greg. Proſper.

Tertul. Pet. Greg. D.Auguſt.

Caluinus fatetur, etiam neceſſitatem Cæremoniarum.

nis huiuſmodi ſignis carere. Hæc ille. Lege D. Thom. in prima ſecundę quęſt. 103. ar- [D.Tho.] tic. 3. ad 1. Itaque etſi Eccleſia retineat quoſdam ritus, quibus Gentiles, & Iudæi vtebantur, differt tamen à ſpiritu, & intentione, ut dictum eſt; immò etiam in Lege naturę Melchiſedech panem, & vinum obtuliſſe, legimus in Scripturis, Gen. 14. & Abel cruentum ſacrificium de ouibus Geneſ. 4. & Noè Holocauſtum de [Geneſ. 4. 7. 14.] auibus. Geneſ. 7.

QVARTA obiectio eſt, ex verbis D. Auguſt. in Epiſt. 119. cap. 19. ad Inquiſitiones Ianuarij, qui ait, pleroſque multitudine cęremoniarum Eccleſiam adeò oneraſſe, ut Iudęorum conditio tolerabilior videatur. [Quartum argumentum. D. Auguſt.]

[Solutio.] SED reſpondetur, D. Auguſtinum ibi loqui de ſuperuacaneis cęremonijs, & cōſuetudinibus irrationabilibus, & pręſertim de illis, quas priuati homines, & incōſtantes mulierculæ proprio marte aſſumebant, ut ex eius verbis perſpicuè colligitur, quę referunrur à Gratiano in Decreto diſtin. 12. Cano. *Omnia*, integra autem [Gratianus.] ſententia Auguſtini hęc eſt; *Omnia*, inquit, *talia, quæ neque ſanctarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine Vniuerſalis Eccleſiæ roborata ſunt; ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ità vt vix, aut vmquam omninò inueniri poßint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecāda exiſtimo. Quamuis enim neque hoc inueniri poßit, quomodo contra fidem ſint; ipſam tamen Religionem, quam in paucißimis, & manifestißimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſeruilibus oneribus premunt adeò, vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiam ſi tempus libertatis non cognouerint, legalibus tamen ſacramētis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur*. Sic Auguſ. Vbi uides, illum humanas pręſumptiones damnare, non autem pias cęremonias conſenſu, ac conſuetudine Eccleſiæ Vniuerſalis, & etiam particularis roboratas. Nec dicat Hæreticus, non licuiſſe Summis Pontificibus nouam cæremoniam Anni Sancti alijs Eccleſiaſti- [Prouerb. 30.] cis cæremonijs addere, cùm Prouerbiorum 30. id prohibitum videatur, *Non addas ad Verbum Domini, neque minuas ex eo, ne te fortè arguat, inueniariſque mendax*. Nam in primis reſpondemus, nihil Papam addere Verbo Dei, quantum ad ſubſtantialia, dum Sacrum Iubilæum, & Pleniſſimam Indulgentiam in Anno Sancto concedit; hoc enim poteſtate ſibi à Chriſto tradita facit, nec ſibi vſurpat, quod Chriſtus non dedit, ut D. Ambroſius dixit, 2. Corinth. 2. Secundò dicendum eſt, [D. Ambr.] licere Eccleſię accidentalem aliquam facere additionem, pro temporum, & locorum qualitate; cuius rei etiam à Chriſto poteſtatem accepit, Matthęi 16. & 18. [Matth. 16. & 18.] immò, & quoad ſubſtantialia nouas facere declarationes, vel definitiones, ut notum eſt, in Decretis fidei, in pręceptis moralibus, & legibus, ad Eccleſiæ regimen facientibus. Sicut etiam Iudæis fas fuit, præceptis Pentateuchi alia moralia pręcepta addere; ut ea, quę in Prophetis, & in libris Salomonis continentur. Nonnè Dauid pręceptum de præda ęqualiter diuidenda in bello his, qui pugnabant, & qui ſarcinas cuſtodiebant 1. Reg. 30. addidit? & Eſther 9. Iudith ult. & 1. Mach. 4. [1. Reg. 30.] nouis feſtis diebus nonę quoque cęremoniales leges additę ſunt? Nec prohibe- [Eſther. 9.] tur à Deo additio ulla, quę ad pietatem, & ędificationem facit, ſed illa tantùm, [Iudith. vlt.] [1. Machab. 4.] quę ad corruptelam, & deſtructionem vergit. Plura alia minutiora Caluinus obijcit contra hanc veritatem, quę legenda ſunt apud Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. [Bellarm.] 32. & alios recentiores. Nunc ad proprias cęremonias Anni Sancti explicandas accedamus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Sacris Cæremonijs, quæ in Indictione, & Inchoatione Anni Sancti fiunt.

Conſuetudo Iudæorum in prænunciatione anni quinquageſimi. Leuit. 25.

HÆBRAEI adueniente quinquageſimo Anno, in quo Iubilæũ celebrabãt, ad eius ſolemnitatem præconizandam, in menſe ſeptimo quadrageſiminoni Anni proximè præcedentis, die autem eiuſdem menſis decima, ſolemni ritu, buccinarum ſcilicèt clangore publicè per plateas futurum Iubilæum prænunciabant; vt Leuit. 25. Verùm Chriſtianorum Iubilæum etiam in ſua indictione iudaicum ſuperare æquiſſimum eſt, cum Lex Euangelij, & gratiæ in omnibus Moſaicam antecedat. Appropinquante igitur iam Sacri Iubilæi anno, in glorioſiſſimo, & admirabili Aſcenſionis die Domini Noſtri IESV Chriſti eumdem Iubilæum proximè præcedenti; maximo apparatu, ſummaque pompa in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, in duobus ſuggeſtibus concinnè ornatis, publicè, & latino, & vulgari ſermone Summi Pontificis Diplomata, quibus ſacer Iubilæus indicitur, alta ac intelligibili voce inter Miſſarum ſolemnia leguntur, atq; illicò in quatuor Vrbis partibus affiguntur. Nec vacat myſterio, Iubilæum in iucundiſſimo Aſcenſionis die nunciari; poſt Aſcenſionem enim Domini, dies remiſſionis Sacræ Pentecoſtes adueniunt, & promiſſus Paracletus Spiritus Sanctus donatur, in illo auguſtiſſimo die dona hominibus dantur, captiui liberantur, Porta Cœli Chriſto Regi Gloriæ primo aſcendenti aperitur, deniq; benedictio, facta manuum eleuatione, Apoſtolis, cæteriſq; diſcipulis efficaciſſima impartitur: Conuenientiſſimè igitur hoc eodem die Iubilæus primò pronunciatur, per quem tempus remiſſionis accedit, communicatio Spiritus Sancti in cordibus hominum diffunditur, magnifica munera hominibus cõmunicantur, cœleſtis ianua pœnitentibus aperitur, ac deniq; Chriſti Domini Summi Pontificis, qui æternum habet Sacerdotium, eiuſq; Vicarij in Terris benedictio ſuper omnes populos Chriſtianos impertitur; Qua in re illud quoq; animaduerſione dignum eſt, ut quemadmodum Chriſtus ea die benedicendo diſcipulos, ſeſe ſummum Eccleſiæ Pontificem, Paſtorem, & ſuperiorem oſtendit, (ut enim ait Apoſtolus ad Hæbreos 7. *Qui minor eſt, à maiori benedicitur*) ità per hunc actum indictionis, & publicationis Sacri Iubilæi Pontifex Romanus ſupremum gradum, ac apicem Eccleſiaſticæ auctoritatis, & dignitatis in terris ſe habere declarat. Prætermitto hic lætitiam, ſummamq; Iubilationem, quæ ea die in Vniuerſo populo Chriſtiano concipitur: eſt enim dies illa dies lætitiæ, & exultationis, dies dignitatis, & maieſtatis, dies Poteſtatis, & Dominationis; ad quem enim Angelorum dixit: *Sede à dextris meis?* Vnde iure optimo, in die magno lætitiæ Iubilæus, qui uniuerſis fidelibus gaudium, & iucunditatem affert, pronunciatur: vbi in eorum auribus vox Iubilæi auditur, & reſonat, ſumma in vniuerſo Populo mox lætitia gignitur, ſenes cum iunioribus iubilant, ſe ad huiuſmodi tempus, Deo dante, perueniſſe, omnes ſuperno lumine illuſtrati, atq; exhilarati cœleſti gaudio perfunduntur. Narrat Beda de locis Sanctis cap. 7. feſtiuitatem diei Aſcẽſionis diuinis, ac cœleſtibus prodigijs in eodem loco, ex quo Dominus aſcendit, decoratã fuiſſe; *Nam in die* (inquit) *Aſcenſionis Dominica per annos ſingulos, Miſſa peracta, validè flammea procella deſurſum venire conſueuit, & omnes, qui in Eccleſia fuerint, in terram proſternere; tota ibi ea nocte lucerna ardent, ut non illuſtrari tantum, ſed & ardere mons, & ſuppoſita loca uideantur.* Hactenus Beda. At pronunciato, & indicto Iubilæo, an non Romani Colles flammis benignitatis Dei accenſi ardent? nonne montes exultant? an non corda, & facies Romanorum diuino ſplendore illuſtratę, ut ſtellę Cœli reſplendent?

Annus Sãcti Iubilęi 1 Die Aſcenſionis Domini Romæ promulgari ſolet cũ magna ſolemnitate, & cur.

NOTA.

Ad Hębr. 7.

Beda.

Sed à loco, ubi Pontificia indictio Iubilæi fit, maxima illius dignitas innoteſcit; in

ſcit:in eius enim Baſilica primò enulgatur, cui ſingulariter dictum fuit; *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & cui ſoli ſumma Eccleſiaſtici Theſauri erogatio commiſſa fuit. Et quoniam Chriſtiani omnes duobus Populis conſtant, ut docet Apoſtolus ad Romanos 12. Iudæis ſcilicèt, & Græcis, id circò congruum eſt, ut duobus ſuggeſtibus Iubilæi Diplomata perlegantur, cùm pro utriuſque Populi ſalute publicentur: nomine autem Græcorum illi omnes ac cipiuntur, qui à Iudæis diſtinguuntur: licèt autem diuina officia ac Miſſę celebratio, Sacramentorumquè adminiſtratio, excepto Matrimonio, non vulgari idiomate, ſed latinè in Eccleſia latina fiant, de qua re egregiè opuſculum ſcripſit Doctor Iacobus Ledeſmus ſocietatis IESV; tamen ſicut conciones in lingua materna, ità quoque publicationes Indulgentiarum, & Sacri Iubilæi ea ratione, ut doctis, & indoctis, peritis, & imperitis, uiris, & mulieribus innoteſcere ad eorum commodum, & utilitatem debeant, in communi idiomate ac materno, non ſolum latino, uel græco fieri decentiſſimum eſt. Affiguntur autem ea Diplomata in quatuor Vrbis locis, ut cunctos Chriſtianos à quatuor mundi partibus, nempè ab Oriente, ab Occidente, ab Auſtro, & ab Aquilone Romam ad ipſius Iubilæi celebritatem conuocari ſignificetur. Adijce quòd omnis lex, ut uim & efficaciam habeat, publicatione indiget, quæ à Principe in loco ſuæ reſidentiæ fieri ſolet, & in conſuetis partibus Ciuitatis, ut ea facta promulgatione omnes ſtato tempore, uel beneficijs, uel pęnis afficiat. His peractis literæ indictionis ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Prælatos mittuntur, ut ſi gillatim in unaquaque Prouincia innoteſcant.

Dignitas Iubilæi ex loco, ubi promulgatur. — *Ad Rom. 12.* — *Cur italico & ſermone publicetur Iubilæus.* — *Iacobus Ledeſma.* — *Cur Bulla Iubilæi in quatuor Vrbis locis appendatur.*

Adueniente autem Vigilia Natiuitatis D.N. IESV Chriſti, in qua Iubilæi Annus, eiuſque ſolemnia incipiunt, huiuſmodi Cæremoniæ adhibentur. Primò maximè ſolemnis Proceſſio inſtituitur, ad quam pręter incredibilem, ac numeroſam uirorum, & mulierum multitudinem, conueniunt omnium Principum Oratores, omnes Vrbis Magiſtratus, Pœnitentiarij minores, qui apud Vaticanum reſi dent, Prælati in Vrbe commorantes, ſacrum Illuſtriſſimorum Dominorũ Cardinalium Collegium, ac deniquè Summus Pontifex. In ea autem hic ordo, & ritus ſeruatur. Poſt meridiem hora veſperarum, S.D.N. Papa indutus cum ſuo Pluuiali, & Cardinales cum Prælatis, & alijs officialibus ſuis quibuſque ueſtimentis ornatis, iuxtà ſuum gradum proceſſionaliter incedendo, Cruce in ſuo loco præcedente, eunt ad Cappellam Palatij Apoſtolici, quam ingreſſi, Papa genuflexus ante Sacramentum, & reliqui omnes orant, & interim accenduntur faces tradendæ Cardinalibus, & alijs præmiſſis. Tum Papa etiam adhuc genuflexus imponit incenſum in thuribulo, & incenſat Sacramentum, quo facto præcinit hymnum, *Veni Creator Spiritus*, quem deinde proſequuntur Cantores, & recedendo ab ipſa Cappella, tendunt ad Eccleſiam Sancti Petri, Papa in geſtatoria ſella delato uſque ad Portam Sanctam, quæ adhuc obſtructa apparet, & omnes aliæ Portæ Eccleſiæ ſunt clauſæ, eoque cùm omnes conuenerint, Papa deſcendit, & accipiendo candelam ſuam accenſam aſcendit ad aliam Cathedram ibi paratam iuxtà Portam Sanctam cum tribus gradibus, ſedet in ea aliquantulum, & mox ab ea deſcẽ dens accedit ad Portam Sanctam, præferens manibus malleum, quo ter percutit murum Portæ aperiendę, terq; uerſus ſequentes pręcinit, cui cantores in ſin gulis reſpondent.

Cæremoniæ initio Anni Sancti pro celebratione Iubilæi ad aperiẽdã Portam Sanctam. — *Ordo Proceſſionis.*

Verſ. *Aperite mihi Portas Iuſtitiæ.*
Reſp. *Ingreſſus in eas confitebor Domino.*
Verſ. *Introibo in Domum tuam Domine.*
Reſp. *Adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo.*
Verſ. *Aperite Portas quoniam nobiſcum Deus.*
Reſp. *Quia fecit virtutem in Iſrael.*
Hic Papa ad ſedem redeundo dicit.
Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Et ſtatim

Et ſtatim reuerſus de Porta ad ſedem, murarij fabri,& miniſtri:ſuis artificijs con feſtim Portę Sanctę murum demoliuntur, amotiſq; cęmentis,lapidibuſq;, Papa proſequitur ſuas preces, poſt pręmiſſas dicendo.

Verſ. *Dominus Vobiſcum.*
Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*
Oremus.

ORATIO.

Actiones noſtras quaſumus, &c.

Qua finita cantores cantant Pſalmum. *Iubilate Deo omnis terra*, & alios modulos Iubilationis, & laudis:interim ſtrati muſi reliquiæ à Populo cum maxima auiditate auferuntut, quantumuis minimę, ſeu maximę ſint,deuotionis cauſa. Pœnitentiarij induti presbiteralibus ueſtimentis, ſumpta aqua benedicta lauant Poſtes Portę Sāctę. Aperta Porta ſancta,& lota, ut pręfertur,antequam Papa ingrediatur dicit verſus ſequentes,cantoribus reſpondentibus.

Verſ. *Hac Dies,quam fecit Dominus;*
Reſp. *Exultemus,& lætemur in ea.*
Verſ. *Beatus Populus tuus Domine.*
Reſp. *Qui ſcit Iubilationem.*
Verſ. *Hæc eſt Porta Domini*
Reſp. *Iuſti intrabunt per eam.*
Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te ueniat.*
Verſ. *Dominus Vobiſcum.*
Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*
Oremus.

ORATIO.

Devs *qui per Moyſem famulum tuum Populo Iſraelitico Annum Iubilei,& remiſſionis inſtituiſti, concede propitius nobis famulis tuis,Iubilai Annum hunc,tua auctoritate inſtitutum,quo Portam hanc Populo tuo ad preces tua Maieſtati porrigendas ingredienti ſolemniter aperiri voluiſti, fœliciter inchoare,ut in eo venia,atq; Indulgētia plenæ remiſſionis omnium delictorum obtenta, cùm dies noſtra aduocationis aduenerit, ad Cæleſtem Gloriam perfruendam, tua miſericordia munere perducamur. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.*

Deinde datur Crux in manu Pontificis, qui genuflexo ante Portam ſanctam pręcinit. *Te Deum laudamus*, & intrat Portam Sanctam,proſequentibus cantoribus, *Te Dominum confitemur,&c.* Ingreſſus ponitur in ſua ſella, in qua defertur per Parafręnarios,ueſtibus rubeis indutos, uſq; ad Altare maius ipſius Eccleſię Sancti Petri,& ibi ex ſella deſcendens orat ante Altare,quo facto,ad Cathedram ibi editiori loco paratam aſcendit, ubi ſtans incipit veſperas conſuetas Natiuitatis.

Eadem die, & hora Papa mittit tres Cardinales Legatos ad aperiendas alias Portas Sanctas Eccleſiarum Sancti Pauli, Sancti Ioannis Lateranenſ. & Sanctę Mariae Maioris.

Qui ſinguli eaſdem omninò Cęremonias,& preces adhibent in earum reſeratione: quę Portę per totum Annum Iubilęi apertę permanent, ut omnes Chriſti fideles aſſiduè conſequi ualeant veniam, & Indulgentiam, ac plenariam ſuorum delictorum remiſſionem.

Hic eſt ritus, qui obſeruatur in inchoatione Anni Sancti Iubilęi, dum Porta Sancta aperitur: Nunc miſticę ſignificationes, diuinaq; arcana, quę in huiuſmodi cęremonijs cęlātur,aperiamus; ſed prius illud exponendum eſt, cur in Vigilia Natiuitatis Domini, & antequam veſperæ inchoentur, ſolemnitas Anni Sancti exordiatur. Reſpondeo, totum Sacri Aduentus tempus ſtatum ueteris legis deſignat,eiuſq; imaginem expreſſam refert;hoc enim nomine oracula Patriarcharū, ac Prophetarū in Propheticis Scripturis, quæ uenturum Meſſiam prænunciant, Eccleſia canit,dum dicitur v.g. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur ter-*

Cur Annus Iubilæi in vigilia Natiuitatis Domini incipiat.

tur terra, & germinet Saluatorem, & iterum, *Emitte Agnum Domine Dominatorem terra, &c.* & iterum, *Domine praſtolamur aduentum tuum, ut citò uenias, & diſſoluas iugum captiuitatis noſtræ*, Cum itaque eo tempore ſtatus ille ad ultimum terminum peruenerit, rectè, quemadmodum Synagogæ ſucceſſit Eccleſia, Moyſi Chriſtus, Prophetis Apoſtoli, ſacrificijs Sacramenta, & legi Euangelium; Ità quoque ueteri nouus Iubilæus ſubrogatur, eoque potiſſimùm tempore exorditur, quò umbræ, figuræ, ac Cęremoniæ veteris legis eſſe deſinunt; ſed plures huius rei rationes ſuperiùs adduximus. Iam, quæ myſteria, & ſignificationes diuinæ lateant in hac Cæremonia Portæ Sanctæ, proximo capite declarandum eſt.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De Apertione Portæ Sanctæ.

CELEBERRIMA eſt hæc cæremonia, qua Porta Sancta Romæ Anno Iubilæi reſeratur. Eſt enim peculiaris huius Anni Sacri actio, per quã omnes quatuor cauſę Sacri Iubilęi, videlicèt, efficiens, finis, materia, & forma aptiſſima proportione, & analogia declarantur. Efficiens quidem, cùm à Summo Pontifice manu propria, mallei ictibus Porta adaperiatur, quod eius ſummam poteſtatem in aperiendo Theſauro ſatis aptè demonſtrat: finis verò, vt per illam gentes iuſtæ ingredientes fructum ſacri huius Iubilęi aſſequantur, iuxtà illud Iſaię 26. *Aperite Portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem*; materia verò, quę peccata, vel pœnas peccatorum denotat, quòd impedimento ſint, ne ingreſſus Ianuę Cœleſtis nobis pateat; per murum, ſaxa, ac cœmenta illa, quę diruuntur, haud ineptè ſignificatur; diuidunt enim, & ſeparant peccata nos à Deo iuxtà dictum Iſaię 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter me, & vos*, & illud Pſalmi 17. *In Deo meo tranſgrediar murum*, vt Arnobius, & Auguſt. ibidem. Deniquè forma ipſa exprimitur, dum per lotionem Portę iam apertę, ut dicemus, omnem Iubilęi eſſentiam, & uirtutem à Chriſti ſanguine, in quo lauamur, & mundamur, emanare ſignificatur. Verùm ut diſtinctiùs uim harum Cęremoniarum dignoſcamus, ſequentia octo dubia ſunt hic declaranda.

Per apertionè Portę Sanctæ indicãtur omnes quatuor cauſę Sacri Iubilęi.

Iſai. 26.

Iſai. 59.
Pſal. 17.
Arnob.
Auguſt.

DVBIVM PRIMVM.

Vnde hic ritus aperiendi, & claudendi Portam Sanctam proueniat.

DE PORTA Sancta aperienda in principio Anni Sancti mentionem facit Alexander Sextus, in ſua Bulla, quę incipit. *Inter curas multiplices, &c.* his verbis *Portam dictæ Baſilicæ Beati Petri centeſimo quoque Anno Iubilæi pro maiori fidelium deuotione aperiri ſolitam, adſtante Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ac maxima Prælatorum, Cleri, & Populi multitudine, proprijs manibus aperiemus, facìemuſque aperire alias Baſilicæ Sancti Pauli, ac Lateranen. & Beatæ MARIÆ Maioris de dicta Vrbe Eccleſiarum Portas, etiam de more, Anno Iubilæi aperiri conſuetas.* Hęc ibi. Vnde apparet, hunc ritum aperiendi Portam Sanctam antiquum eſſe, non recentem, ut malè Panuinius ſcripſit; cuius etiam mentionem facit ante Alexandrum Sextum D. Anton. in ſua Chronica. Immò ex uerbis Alexandri pręcitatis colligimus, huiuſmodi cæremoniam etiam quandò Annus Iubilęi in centeſimo quoque anno celebrabatur, (quod ante Clementem Sextum factum fuit) viguiſſe. Illud certum eſt, Portam Sanctam Baſilicæ D. Petri antiquiſſimam eſſe, cęteras uerò poſt Bonifacium VIII. ad inſtar illius conſtitutas. Hęc autem conſuetudo aperiendi Portas Baſilicarum ex vſu antiquiſſimo maiorum noſtrorum deprompta eſt, neque vt diximus, eſt nouum commentum recentioris ſæculi in Eccleſia. Vnde ſciendum eſt, (quòd etiam legitur in Concilio Agathen. 1. & habe-

Alex. VI.

Antiquus vſus aperiendi Portam Sanctam.

D. Antonin.

Conc. Agath.

Antiquus Ecclesię mos eijciendi pœnitentes ab Ecclesia initio Quadrageſimę.

tur in Decretis diſtin.50.Canon. *In Capite Quadrageſima)* pœnitentes, & reos pœnitentiarum in initio Quadrageſimæ ſolitos fuiſſe expelli, ac publicè arceri ab Eccleſiæ limitibus, inſequente eos Diacono, ac canente Reſponſorium, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, qui etiam illis denunciabat, quòd ſicut Adam proiectus eſt de Paradiſo, ità & ipſi pro peccatis ab Eccleſia abijciuntur; & ſicut ille ob peccatum meruit expelli à loco voluptatis, ſic peccatores indignos eſſe permanere in Domo Domini: Quemadmodum enim poſitus erat Angelus ad Portas Cœlicum ignito gladio, vt prohiberet ingreſſum eius, ità claudebantur quoque Portæ Eccleſiæ huiuſmodi pœnitentibus iam expulſis, vt via, & ingreſſus ad Cœlum ob peccata illis impeditus, & occluſus oſtenderetur; vt his ſignis videntes Sanctā Eccleſiam facinoribus ſuis tremefactam, atque commotam, non parui penderent pœnitentiam. In die verò Cœnę Domini à Decanis, ac Presbiteris facta abſolutione, apertiſque Portis, prędicti pœnitentes in Eccleſiam introducebantur, in ſignum, quòd pœnitentiæ, & ſatisfactioni operam dantibus obſtacula, & impedimenta peccatorum ſublata eſſent; & licèt in Eccleſia ſtarent, nihilominus cum alijs fidelibus non communicabant in Euchariſtia, vel oſculo pacis, vt habetur in Can. *Cæna*, de conſecratione diſtin.2.& ſic permittebatur illis ſtare in Eccleſia vſque ad Octauam Paſchæ. Quod ſi ſatisfactio, & pœnitentia abſoluta non fuiſſet, tunc iterum poſt Paſchæ Octauam exibant de Eccleſia, extrà quam manebant vſque ad ſimilem diem ſequentis Anni, & hoc repetebatur vſque ad complementū pœnitentiæ, & quandoque vſque ad finem vitæ extrà Eccleſiam manebant, ut dicitur in Can. *Admonere* 33.quæſt.2. Hunc ritum refert quoque Bruchardus lib.19. cap.26. Iuo par.15.cap.45.& Rhebaldus Cardinalis, qui floruit tempore Paſchalis Pontificis, in libro ſuo de pœnitentia publicè non iteranda, & in Pōtificali Romano ex ordine, ac ſeriatim ponitur. Vnde Atrium Eccleſię proprius locus pœnitentium erat, vt ſuperiùs quoque indicauimus. A quo Sanctiſſimo inſtituto Eccleſia hanc probatiſſimam conſuetudinem Portas aperiendi in plenario Iubilæo recepit. Cùm enim in eo Canonicæ, & aliæ quoque pœnę vniuerſaliter, ſiuè iniunctæ, ſiuè non iniunctæ remittantur; conſtitutis quamplurimis fidelibus ante fores Eccleſiæ Sancti Petri, ac vt verè pœnitentes ſe gerentibus, clauſiſque ianuis, vt in ſtatu pœnitentium poſitos ſe eſſe cognoſcant, Summus Pontifex (prętermiſſa illa Canonum antiqua forma) in Vigilia Natiuitatis Chriſti, clangentibus tubis, maxima cum hilaritate, paternoq; gaudio, has quatuor Maiorum, & Patriarchalium Eccleſiarum Portas, ſua & Legatorum ſuorum manu in Vrbe aperit, quo à pœnis omnibus virtute Indulgentiarum, & efficacia Sacri Iubilæi ab ipſo ſummo Paſtore conceſſi fideles abſolutos, vel mox abſoluendos fore declaret. Vnde illud quoque obſeruandum eſt, quòd ſummo mane in eadem Vigilia Natiuitatis Domini, ex præcepto, & mandato Sanctiſſimi Papæ omnes Portæ Baſilicæ Sancti Petri, & aliarum Patriarchalium deputatarum clauduntur, ac nemini per illas ingredi conceditur, quouſque Portæ Sanctę aperiantur; vt declaretur, ex vniuerſo Orbe ad Iubilęum uenientes, tamquam uerè pœnitentes, ad ſatisfactionem prǫ peccatis ſubeundam deuoto animo, contritoque corde accedere debere; quorum lachrymas, & ſubmiſſiones Beatus Pater à longè reſpiciens, eorumque petitionem ratam, firmamque habens, Portam Sanctam aperit, & uirtute ſuæ poteſtatis conterit, & confringit uectes ferreos peccatorum, & Portas mortis per merita, mortem, & paſſionem D. N. Iesv Chriſti, cuius Natiuitatis Feſta peraguntur. atque hæc de primo dubio.

Brucard. Ivo. Rhebal. Pōtifical.Ro.

Ex more illo pœnitentium orta eſt conſuetudo apiēdi Portā Sanctam anno Iubilęi.

NOTA.

Dvbivm Secvndvm.

De ſignificatione Patefactionis Portæ Sanctæ.

Apertio Portę Sanctę primo ſignāt prę

In quo dicendum eſt, multa per illam ſignificari poſſe. Primum eſt, ut per illam dignitas pręcellens, & inſignis quędam pręſtantia illius anni deſignetur; cui

tamquam

tamquam raro, & non niſi poſt longum temporis decurſum aduenienti, nouę quoque ac rarę Cęremonię conueniunt. Ad ornatum igitur, & decorem Sacri Iubilęi hęc Cęremonia inſtituta eſt.

ſtatiam Anni Iubilæi.

Secundum eſt, ut per illam denotetur concurſus totius mundi Romam petentis, & properantis, & deſiderium uehemens, quo Peregrini auidè à Romanis expectantur, & obuijs ulnis, prolatoque ſinu excipiuntur. Vndè ritè quattuor ſunt Portę, quæ aperiuntur, ut à quattuor mundi partibus, & à quattuor ventis totius Chriſtiani Orbis plenitudo ad Vrbem ſe conuocari intelligat.

Secundo ſignificat concurſum totius orbis ad Vrbē.

Tertium, per illam delineatur reſeratio Theſauri Eccleſiaſtici meritorum Chriſti, & Sanctorum, ut dictum eſt, per quam aditus Ianuæ Cœleſtis patefit. Quemadmodum autem Porta Atrij interioris, quæ reſpiciebat ad Orientem apud Ezechielem cap. 46. certo tempore aperienda erat, non in ſex diebus, quibus opera ſeruilia fiebant, (tunc enim clauſa manebat) ſed in die Sabbati, & in die Calendarum; ſic ſacra hæc Porta Iubilæi non niſi in celebritate quietis Anni Sancti reſeratur.

Tertio ſignificat apertionē theſauri Eccleſiaſtici.

Ezechiel. 46.

Quartum, bonum, ac fauſtum omen Populo Chriſtiano per huius Portæ aureæ apertionem annunciatur: refert Ioſephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 12. inter præſagia, & prodigia, quæ præceſſerunt excidium, & ruinā Hieroſolymæ, illud omnium grauiſſimum portentum, & mirandum fuiſſe, quòd Orientalis Porta vltrò, ac ſpontè aperta inuentā fuerit: ſic autem ſcribit, *Orientalis autem Porta interioris Templi, cum eſſet ænea, atq; grauiſſima, & ſub Veſperam vix à viginti viris clauderetur, ſeris q; ferro vinctis obſeraretur, peſſuloſq; altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, vno perpetuo lapide fabricata, viſa eſt noctis hora ſexta ſponte patescere. His autem curriculo per cuſtodes Templi Magiſtratui denunciatis, aſcendit ille, vixq; eam potuit claudere. Verum & hoc iterum ſignum ignaris optimum videbatur; Deū namq; bonorum Portam ſibi aperuiſſe dicebant; prudentiores verò, Templi tutamen ſponte ſua diſſolutum iri cogitabant, & hoſtium donum eſſe, Portas aperiri; ſolitudinemq; illo oſtento ſignari inter ſe pronunciabant.* Hæc ille.

Quarto ſignificat fauſtum atque bonum omen populo Chriſtiano.

Ioſephus Hębreus.

NOTA.

Rabi Dauid ex antiquorum Hæbræorum traditione refert, Portas Templi quadrageſimo anno antequam Vrbs caperetur, ſponte ſua reſeratas eſſe, tunc verò Ioannem quemdam Zachaiten, inſignē Iudæorum magiſtrum, dixiſſe: *ò Domus, ò Sacra Domus, quid hoc ſibi vult, quòd tu timeas? Equidem ſcio interitum tibi, ac vaſtationem imminere, & etiā olim vaticinium illud de te editum fuiſſe; Aperi Libane Portas tuas.* Eamdem hiſtoriam refert Galatin. lib. 4. cap. 8. Lyranus, atq; alij.

Rabbi Dauid.

Galatinus.

Non ſic accidit D. Petro, vt legimus Actorum 12. cum enim eſſet in carcere vinctus cathenis duabus, ab Angelo ductus, excuſſis cathenis, Porta ferrea, quæ ducit ad Ciuitatem, vltrò aperta eſt eis, & ſic de manu Herodis ereptus eſt: ità quoq; euenit Chriſtianis, quibus à paterna manu Pontificis, ad dona cæleſtia communicanda, lęta ſigna in inchoatione Anni Sancti proferuntur, facta pollicitatione his, qui dignè ad ea ſuſcipiēda ſe accinxerint, Deū, à quo omne datum optimum & donum perfectum deſcendit, Chariſmata diuina largè daturum.

Actor. 12.

Quintum, Hæc Porta eſt Iudæorum, & Hęreticorum à bonis ac Catholicis Chriſtianis diſtinctio; Oſtium enim ſignificat Chriſtum, in quem impingentes Iudæi, & Hęretici, tamquam in lapidem offenſionis, & petram ſcandali, turpiter cadentes conteruntur, ſicut cecidit Heli iuxtà Oſtium, ut 1. Regum 4. & D. Gregorius ſexto moralium cap. 4. annotauit, de quibus rectè Iob cap. 5. dicit; *Longè fient filij eius* (loquitur de ſtulto) *à ſalute, & contererentur in Porta*, ideſt Chriſto, per quem introeuntes boni, ac veri Chriſtiani ſaluantur, & paſcua cęleſtium donorum inueniunt. Sedet in ea nobilis Vir, ideſt Chriſtus, Prouerbiorum 31. vt ſuis diuitijs, ſuoq; ſanguinę fideles tincti, redemptionis beneficium per Iubilęi virtutem acquirant.

Quinto ſignificat diſtinctionem Catholicorum ab Hęreticis, & Iudæis.

1. Reg. 4.

D. Gregor.

Iob 5.

Prouer. 31.

Eſt autem hoc oſtium etiam in ipſo Anno Sācto, & clauſum, & apertum. Bonis quidem, qui Catholicam veritatem ſequuntur, & Chriſtum per bonam vitam imitantur apertum, dicente Chriſto, *ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur:* dirupto enim muro peccatorum, per apertam Ianuam meritorum Paſſionis Chriſti, abſq; vllo impedimento peccatores ſuper Chriſtū irruunt. Iob. 30. *Quaſi rupto muro, & aperta Ianua irruerunt ſuper me.* Clauſum verò Iudæis, & his, qui hæreticam prauitatem profitentur. Hi enim turpitudinem

Iob 30.

infidelitatis, & Apoſtaſię in ſuis mentibus operantes cæcitate à Domino percu-
tiuntur, ita vt oſtium clauſum inuenire non poſſint. Eſt enim velamen in cordibus
eorum tenebroſum, & obſcuriſſimum poſitum; quoniam de foris ſunt, & extra
Geneſ. 19. Eccleſiam Catholicã: ſic legitur Geneſ. 19. *Clauſerunt oſtium, & eos, qui foris erant,*
percuſſerunt cæcitate à minimo vſq; ad maximum, ità ut oſtium inuenire non poſſint.
Franc. Toletus. Cardinalis Franciſcus Toletus, in cap. 19. Iohannis adnotat, non abſq; magno
myſterio eſſe, quòd Iudæus, & Gentilis Chriſto illuſerint, eúq; ceciderint, ſed Iu
Cur Iudæi Christum Dominum uelata facie, gentiles vero detecta percuſſerint. dęus velata facie, Gẽtilis vero aperta; ut ſcilicet in velamine eorũ futura cęcitas uſ
que ad ultimum tempus ſignaretur: aperta autem facies gentium conuerſionem,
& illuſtrem fidem indicaret; grauior enim multo culpa Iudæorum, quàm Gen-
tium in his, quæ in Chriſtum patrata ſunt ſcelera extitit; grauiorią; illi pœna di-
gni fuerunt: Sic Toletus, & rè vera ita eſt. Nam, ut inquit D. Paulus. 2. Corinth.
2. Cor. 3. 3. *Vſq; in hodiernum diem obtuſi ſunt ſenſus filiorum Iſrael, & id ipſum uelamen in Le-*
ctione Veteris Teſtamenti manet non reuelatum, (quoniam in Chriſto euacuatur) ſed vſ
que in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamẽ poſitum eſt ſuper cor eorum: Cum
autem conuerſi fuerint ad Dominum auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt, &
vbi Spiritus Domini ibi libertas. Nos verò, omnes reuelata facie gloriam Domini ſpe-
Hæretici Iudeorum comites. *culantes, &c.* Et licèt Hæretici, ut plurimum, ex Gentilibus deſcendãt, tamen Hæ-
bræorum ſocij in hoc ſunt, quòd Scripturas Sacras non intelligentes, & ad incon
ditos ſenſus illas detorquentes, velamẽ quoq; malitiæ, & cæcitatis in ſuis cordi-
bus habent, Chriſtum in noui Teſtamẽti Euangelio non intelligentes, de quibus
1. Pet. 2. Petrus in Epiſt. 1. cap. 2. ait, *Non quaſi uelamen habentes, malitiæ libertate*: & ſicut
nobilius eſt nouum teſtamentum, quam vetus, & Chriſtus dignior quam Moy-
Grauius peccatũ eſt Hæreticorũ quã Iudæorum. ſes; ità grauius peccatum eſt Hæreticorum, qui in Euangelio Chriſtum, vt decet,
non agnoſcunt; quàm Iudæorum, qui in veteri Teſtamento eumdem Chriſtum
Dominum non agnoſcunt; nemo enim illorum ſiue Iudæus, ſiue hæreticus reue-
lata facie, depoſitoq; velamine myſteria Chriſti, veritateſq; ſcripturarum, doctri
namq; Catholicæ Eccleſiæ intelligere poterit, niſi ad Dominum conuerſus fue-
Ingreſſus in Portam Sanctã diſtinguit impios à probis. rit. Sextum, per huius Sanctæ Portæ aditum improbi à bonis diſcernuntur. Illi
enim ſedent in Porta, nec per eam intrare poſſunt, de quibus Propheta ait, Pſal.
68. *Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in Porta, & in me pſallebãt, qui bibebant vi*
num; ſedent autem impij, & peruerſi Chriſtiani in porta, cùm in ſuis vitijs, & con
Pſal. 68. cupiſcentijs, carnis deſideria perficientes, theſauri ſpiritualis fructum conſequi
D. Auguſt. negligunt; bibunt autem vinum, ut inquit D. Aug, ſuper eumdem locum, nem-
pè vinum erroris, uinum impietatis, & vinum ſuperbiæ. Hæc eſt prima porta, in
qua impij in ſuis concupiſcentijs ſedentes, & quieſcentes, vocem clamoris emit-
tunt, tamquam à Porta piſcium, quæ erat una ex portis Hieruſalẽ, de qua Sopho
Sophon. 1. nias cap. 1. ait, *Vox clamoris à Porta piſcium, & vlulatus à ſecunda, & contritio ma-*
gna de collibus. Etenim in illa fallaci, & veternoſa peccatorũ quiete, diligentes va-
nitatem, & quærentes mendacia, grauiſſimo dolore cordis cruciantur, anguſtijſ-
que arctiſſimis premuntur, dum malum malo addunt: Vnde vlulatus magnus
fiet à ſecunda porta, quæ non vitæ, ſed mortis, & Inferni porta erit; hinc maxi-
mus vlulatus, tunc enim certo cognoſcent mortem ſuam eſſe perpetuam, & tũc
à collibus diuinæ Iuſtitiæ deuoluetur in illos contritio magna, & perpetuus cru-
D. Hiero. ciatus. D. Hieron. in ſermone De Reſurrectione Domini, duas deſcribit portas,
Portam Eccleſiæ, & Paradiſi; per illam in hanc ingredimur, quę numquam ele-
ctis clauditur in æternum. De hac Eccleſiæ Porta, quæ in hoc anno figuratur, lo-
Ierem. 7. cutus eſt Ieremias cap. 7. *Sta in Porta Domus Domini, & prædica ibi verbum iſtud, &*
dic, audite Verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini portas has, vt adoretis Domi-
num; hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael, Bonas facite uias ueſtras, & ſtu-
dia ueſtra, & habitabo uobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicen-
tes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt. Sic ſanè Dominus, in
D. Auguſt. quit D. Auguſt. in ſermone 136. ſtans in Paradiſi Ianua loquitur ad nos, qui ſu-
mus in Domo ipſius congregati, vt vias bonas per ſemitas Iuſtitiæ, & virtutum

in hoc

in hoc mundo ambulemus, ſatagentes per bona opera, & conſequutionem Sancti Iubilęi certam noſtram facere vocationem; nec inanis confidentia à nobis collocanda eſt in Templo Domini, & in Anno Sancto, dicendo, Templum Domini, Templum Domini, Annus Sanctus, Annus Sanctus; nam qui iuſtitia, & ſanctitate caruerit, qui pœnitentiam, & dolorem ſuorum criminum non habuerit, ſine fructu, & merito ſpirituali per hanc Portam Sanctam intrabit, nec ad participationem meritorum Chriſti admittetur, dicente Propheta, *Hæc Porta Domini, iuſti intrabunt per eam*; Sicut autem in oſtio Ciuitatis impingebat, & timpanizabat Dauid, primo Regum 21. ſic, ut exponit D. Auguſt. ſuper Pſalmum 33. Chriſtus circa corda mortalium reſonat, & timpanizat, & pręſertim hoc Sacro Anno, tot ſacris ritibus, ac Cęremonijs, cœleſtibusq; incitamentis, vt ea ad virtutē, & pænitentię cultum excitet, & alliciat. Septimum, ex patefactione harum Portarum moralis ſignificatio deſumitur; nempè, quòd Chriſtiani, qui in Paradiſum ingreſſum habere cupiunt, portas cordis Chriſto ad oſtium ſtanti, & pulſanti abſque mora aperire debent. Pulſat enim continuè, ac clamat. *Aperi libane portas tuas*; per libanum, tropologicè loquendo, anima rectè accipitur, ſicut enim in Terra promiſſionis; ut ait D. Hiero. nil excelſius libano, nil pręcioſius erat; ſic in hac uniuerſitate creaturarum nihil mente, & ſpirituali natura nobilior; huic ergò animæ dicitur, *Aperi libane portas tuas*, ideſt cor, ac ſenſus, atq; potentias, ut in illis gratia Spiritus Sancti, omniumq; uirtutum dona immitti poſſint. Non me latet, Riberam in caput 11. Zachariæ hunc locum expoſuiſſe ad literam de portis Templi Hieruſalem, quas ſponte ſua in die, qua Chriſtus paſſus eſt, apertas fuiſſe dicit; id quod ex verbis Ioſephi ſuperiùs à nobis citatis probat, addit enim Ioſephus, eas ſexta hora noctis patuiſſe, in feſto die, Azimorum, quem Ribera putat fuiſſe, quādo Redemptor noſter in Cruce expirauit, & velūm Templi ſciſſum eſt à ſummo vſq; deorſum; quod etiam perſuadet ex verbis Rabi Dauid in loco ſuperiùs citato, qui dixit, has portas Templi quadrageſimo anno ante urbis excidium reſerandas fore; Chriſtum autem paſſum eſſe in quadrageſimo anno ante illam deſolationem, probat ex Euſebio in Chronicis, qui dicit, Templum deſolatum fuiſſe ſecundo Anno Veſpeſiani, qui fuit ab ortu Saluatoris ſeptuageſimus tertius: probat deinde ex eo, quòd omnes Euangeliſtę ſcribunt, Chriſtum in feſto die Azimorum paſſum fuiſſe, in quo Ioſephus Portas Templi patuiſſe ſcripſit, & hęc ad literam rectè. Sed concionatorum munus erit, hoc anno inceſſanter clamare & & quaſi tuba circa aures cordium fideliū perſonare. *Aperite populi portas veſtras* (ſic enim Paraphraſis Chaldęa habet) *Ecce Saluator noſter aduenit, ecce nūc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, &c.* proclament illud Eſaię 62. *Tranſite, tranſite per portas, preparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, eleuate ſignum ad Populum, &c.*

1. Reg. 21. D. Auguſt.

Moralis ſignificatio aperitionis Portæ Sanctæ:

D. Hier.

Ribera,

Ioſephus.

Rabi Dauid.

Euſeb.

Quid præcipue docere deant Concionatores in anno Sancto.

Paraph. Cald. Eſai. 62.

Dvbivm Tertivm.

Quid referant miſticè Cæremoniæ illæ; quæ dum aperitur Porta Sancta, adhibentur.

TRes miſticæ Cæremonię in reſeratione Portæ ſanctæ principaliter fiunt, habentq; in ſe diuina, atq; arcana myſteria. Primò candelę accenſæ deferuntur à Papa, Cardinalibus, omnibusq; Pręlatis. Secundò, malleus percutiens adhibetur, quo ſummus Pontifex vtitur ad demoliendum murum Portæ Sanctę, illū tribus ictibus cedendo. Tertiò Poſtes Portę iam apertę mox ſpongijs aqua benedicta perfuſis lauantur, & mundantur. Candelę autem accenſæ in argumentum maximè ſolemnis, ac celeberrimę Proceſſionis deferuntur vt Greg. XIII. mihi in pręterito Iubilęo expoſuit; pręterea in ſignum lętitię, & ideo D. Hiero. lib. contra Vigilantium, docet, in Eccleſia Catholica eadem ratione cereos accendi dum legitur Euangelium, etiam fulgente ſole. Vel etiam alia ratione, quia ſcilicet candela accenſa ſignificat Martyres, qui continuis perſecutionibus afflicti, conſumpti,

Quid ſignificet delatio cādelarum accēſarum.

Greg. XIII.

D. Hiero.

& per Chriſtum mortificati, & tamquam cera liqueſcens facti ſunt, quorum alij
ſecti, alij lapidati, alij occiſi fuere. Vt igitur indicetur, hunc annum Iubilæum uir-
tutem, & efficacitatem habere ex paſſionibus, & martyrijs Chriſti, & Sãctorum,
Quid ſignifi-cet malle° argenteus. accenſæ candelæ portantur. Malleus uerò Argenteus poteſtatem ſupremam Sũ-
mi Pontificis deſignat, ut dictum eſt, cuius Cœlum uerbo clauditur, feræque eius
ſoluuntur; ſecundum quam ipſe, & non alius pleniſſimam Indulgentiam Iubilæi
in Eccleſia conferre poteſt. Vnde & ipſe Maior Pœnitentiarius, alijque duo Pœ-
nitentiarij, poſtquam Summus Pontifex tertiò murum percuſſit; eodem malleo
accepto eandem Portam percutiunt, tamquam primi, ſupremique Architecti o-
Quid ſignifi-cet ablutio Portæ Sãctę. perarij. At uerò ablutio illa, qua poſtes Portæ mundantur, triplicem habet ſigni-
ficationem. Prima eſt, ut ſignificetur, mundos iam, ac Sacramento Pœnitentiæ
purgatos dumtaxat conſequuturos beneficium Sacri Iubilæi. Vnde rectè illi ap-
Pſal. 117. plicatur uerſiculus ille Pſalmi 117. *Hæc Porta Domini iuſti intrabunt per eam.* Secun
da eſt, ut oſtendatur effectus, quem operatur Indulgentia magni Iubilæi, talem ſci-
licet, ut reſtituat ferè hominem innocentiæ Baptiſmali. Vnde rectè applicatur
illi alter uerſus illius Pſal. *Aperite mihi Portas Iuſtitiæ, & ingreſſus in eas, &c.* Tertia
eſt, ut reddatur cauſſa tanti beneficij, quod in Anno Sancto præſtatur: habet enim
uim ex Paſſione, & vulneribus IESV Chriſti, cuius liuore mundati, & ſanati ſu-
1. Paralip. 11. mus. Vnde ſicut Ciſterna Bethleem erat in Porta, 1. Paral. 11. ita in hac Porta Sã
cta eſt Ciſterna vulnerum Chriſti, ex quibus, ut de fontibus Saluatoris, Populo
Chriſtiano hoc Iubilæi Anno propinantur aquę remiſſionis. Rurſus rectè Man-
dragorę, ideſt, Sancti dant odorem meritorum ſuorum, & paſſionum in hac Por-
ta; cum ex illorum quoque ſatisfactionibus peccatorum pœnę ſoluũtur. Eſt igitur
4. Reg. 15. hęc illa Porta ſublimiſſima, quę figuratè habetur 4. Reg. 15. eſt Porta excelſa, de
2. Paralip. 27. qua 2. Paral. 27. eſt Porta orientalis ibidem cap. 29. eſt Porta Sacra 3. Eſdrę 9. non
3. Eſdr. 9. eſt Porta ęternalis, non ęrea, non inferorum, ſed Porta Cęli; ante illam igitur non
dormiat Vrias, ideſt, fidelis 2. Reg. 11. Sed ſicut adultera ante portam Ciuitatis
2. Reg. 11. Deut. 17. lapidibus obruebatur, Deuteron. 17. ita adulteria, fornicationes, homicidia, rixę
neceſſe eſt, ut in ea, & per eam deponantur, auferantur, & caſtigentur; eſt enim
hęc Porta conſtructa, & adornata ex Smaragdo, & Saphyro, & lapidibus prę-
cioſis, ideſt meritis Paſſionis Chriſti, per quę ablutionem peccatorum conſequi-
mur. Intremus igitur deuotè per eam, ut tantam gratiam adipiſci mereamur.

DVBIVM QVARTVM.

Quęnam ex quatuor Portis primò aperienda ſit in Anno Sancto.

DESIDERARET quiſpiam, ut hoc in loco quęſtio illa tractaretur, quęnam Eccle
ſia Romę primatum obtineat, Lateranẽſis nè, an Vaticana: ex ordine enim,
& prioritate dignitatis iſtarum exiſtimaret, dubium propoſitum decidendum eſ-
ſe. Verùm res ita non ſeſe habet; quamuis enim Greg. XI. & deinde Pius V. in ſua
Conſtitutione, quę incipit, *Infirma*, ſanciuerint, Eccleſiam Lateranenſem, omnẽ-
Eccleſia Lateranen. præeminet omnibus Eccleſijs Vrbis, & Orbis. que Clerum dictę Baſilicę ſuper omnes alias Eccleſias Vrbis, & Orbis primatũ,
prę eminentiam, ſuperioritatem, & prędentiam in Proceſſionibus ſolemnibus,
& decretis, cęteriſq; omnibus actibus publicè, & priuatim habere. Nihilominus
hoc fallit in multis, & prꝗſertim in illis Pontificalibus actionibus, in quibus
Papalis dignitas, maieſtas, & auctoritas ad omnes Orbis partes ſeſe extendit, ut in
Baſilica S. Petri in multis excedit Lateran. pręſertim in apertione Portæ Sãctę. Canonizatione Sanctorum, Imperatorum, ac Regum excommunicatione, ſeu
benedictione, & ſimilibus, quę regulariter in Baſilica Sancti Petri celebrantur.
Fallit ſimiliter in reſeratione Portę Sanctę: quamuis enim Lateranenſis quoque
Eccleſię Porta aperiatur; tamen ſicut Iubilęus in Vaticana Baſilica primò indici-
tur, & publicatur, ſic in aperiendis Portis eius Porta Aurea ante omnes alias ape-
ritur. Adde, quòd hęc manu Pontificia; cętere uerò per Legatos aperiuntur. Quid?
quòd Indulgentia Iubilęi centenaria, ſi antiquitatem eius cõtemplemur, in ſolius

Vaticanę

Vaticanę Baſilicę gratiam introducta fuit? Vnde hęc Baſilica,& apertio eius Por
tę Sanctæ, vt quid principale; cæteræ verò, vt quid adiunctum,iudicandæ ſunt.
Honuphrius,vt ſuperiùs diximus,ſcripſit,in Baſilica Vaticana quinque tantum
fuiſſe Portas antiquas; Argenteam videlicèt,quæ eſt maior in medio poſita, Rauē
nianam ex latere dextro,& in eodem latere Tertiam, quæ Porta Iudicij appella-
ta eſt. In ſiniſtro verò latere Romanam, & Guidoneam. Sed errauit,ſeptem enim
Portas habet illa Baſilica, nam præter Portam Auream, ſeu Sanctam,quę etiam
antiquiſſima eſt;in Naui,quæ dicitur Sancti Andreę,iuxtà Altare Sancti Grego-
rij,ſeptima Porta erat,quę ob dicti Altaris commodum vſum occluſa fuit. Vnde
vſque ad hodiernum diem in ea ſex Portę vſuales remanſerunt, videlicèt,tres in
media Naui, in cęteris verò Nauibus ſingulæ Portæ.

De portarum S. Petri numero,& ordine.

DVBIVM QVINTVM.

An ſit neceſſarium, ad conſequendum Sacrum Iubilæum, ingredi Portas Sanctas præſcriptarum Baſilicarum.

RESPONDEO, pium ſanè & ſanctiſſimum eſſe ingredi tales Portas; ſicut quo-
que pijſſimum eſt,benedictos lateres, & cæmenta illarum accipere,& aſſer-
uare deuotionis,& memoriæ cauſa: qui tamen relinqueret oblitus,vel multitudi-
ne Viſitationum impeditus,non priuaretur beneficio Iubilæi. Vnde dico, quòd
cum hæc non ſit conditio appoſita in Bulla, neque eſt de neceſſariò requiſitis ad
conſequutionem Iubilęi;ſicut nec viſitare ſeptem altaria D. Petri, vel D. Pauli,ſuf-
ficit enim apud Altare maius orare; ſicut etiam nec gradus Scalæ Sanctæ aſcen-
dere apud Lateranum, cum hæc in Bulla non exprimantur.

Pium & Sanctũ eſt ingredi per Portas Sanctas, non tamen neceſſarium ad cõſecutionẽ Iubilæi.

DVBIVM SEXTVM.

An egredi per Portam Sanctam ſit Peccatum.

NEGATIVE reſpondendum eſt; quamuis enim principaliter ad ingreſſum ape-
riatur,nequaquam tamen peccat, remoto contemptu, qui per illam egredie-
tur: neque de hac re prohibitio vlla, vel cum pœna vel ſine pœna excommunica-
tionis legitur.

Nullum eſt peccatum.

DVBIVM SEPTIMVM.

An qui cum peccato mortali tranſit per Portam Sanctam, iterum peccet.

SIMILITER reſpondeo, nequaquam peccare, remoto contemptu, ſicut etiam
vel manere in Eccleſia, vel eam ingredi in peccato mortali, nouum peccatum
mortale non inducit; ſed tantum indecentiam quamdam ratione loci ſacri.

Non peccat.

DVBIVM OCTAVVM.

An alius, quàm Papa, vel ſine licentia eius, poſſit aperire Portam Sanctam.

DIFFICVLTAS eſt, An Sede Vacante, ob ſummi Pontificis mortem, liceat De-
cano Cardinalium,Epiſcopo videlicèt Oſtienſi, hanc functionem apertio-
nis Portæ Sanctæ peragere; quod etiam Dubium mouet Paulianus in Commen-
tario ſuo de Iubilæo libro 3. Qua in re diſtinctione, (mea quidem ſententia) vten-
dum eſt; vel enim Iubilæus eſt iam à Pontifice defuncto ante mortem indictus,
& denunciatus, vel non; ſi primum, tūc, ſi Cardinales Conclaue ingreſſi non fue-
rint, inſtante die Natiuitatis Domini poſſet Illuſtriſſimus Cardinalis Oſtienſis,

Paulianus. Indicto Iubileo, ſi Papa decedat, Epiſcopus Oſtien. poteſt aperire portã Sanctam.

loco

loco Papę, huiuſmodi Portam Sanctã D. Petri aperire; & ſimiliter tres alij de Sacro Collegio Cardinalium reliquas tres aliarum Eccleſiarum; cùm enim hæc Cæremonia ſit forma quædam accidentalis Iubilæi, quæ interdum mutari, & prætermitti poteſt, ſuppleri quoq; ritè poteſt per alium, qui non ſit Papa, etiam Sede vacãte. Adde, quòd id maxime deceret fieri, ne ſi enunciari Iubilæi ſolita põpa, preces conſuetæ, ſolemniſq;, ac vſitata forma, & Portarum patefactio differretur, vel omitteretur, fidelium deuotio, Religio, ac cultus minueretur, Iubilæique celebratio obſoleſceret. Vulgares enim homines, ſi in Vigilia Natiuitatis Domini Portam Sanctam non aperiri viderent, Sacri Iubilæi ſolemnitatem impeditam, vel ſuſpenſam eſſe crederent, nec illam vllo modo inchoatam facilè ſibi perſuaderent. Si autem Iubilæus indictus non eſſet, (non eſt hic ſermo de Diplomate, ſeu Bulla Iubilæi, ſed de ipſamet Indulgentia Pleniſſima) tunc etiam accedente tempore, quo ſolet Iubilæus indici, exiſtimo à nemine, qui non ſit Papa, poſſe indici, & promulgari Iubileum; Solus enim Papa, & Concilium generale in Dei Eccleſia Indulgentiam Plenariam elargiri poſſunt, ut communiter Doctores in 4. diſt. 21. docẽt. At verò, quoniam hæc Indulgentia Pleniſſima Sancti Iubilæi à proximè defunctis Pontificis prædeceſſoribus ità videtur enunciata, & promulgata, ut non ſolum pro eo Anno, in quo edicitur, ſed etiam ſucceſſiuè, ſtatis illis temporibus, ſcilicet vigeſimoquinto quoq; Anno, conceſſa eſſe videatur, ut ex Bullis Summorum Pontificum, & præſertim Pauli II. Sixti IIII. Alexandri VI. Clementis VII. Iulij III. & Gregorij XIII. non obſcurè colligitur: cùm narrent, hanc Indulgentiam Iubilæi pro vigeſimoquinto quoque Anno à prædeceſſoribus conceſſam eſſe, & ſe eam confirmare, & approbare, atq; etiam innouare; conſtanter pro reſolutione dubij dicendum eſt, Sede vacante, in Vigilia Natiuitatis Domini eius Anni, in quo incipit celebratio Iubilæi, præſuppoſito, ut diximus, quòd Indulgentia pleniſſima à prædeceſſoribus iam enunciatã ſit, rectè poſſe ab Illuſtriſſimis Cardinalibus, uel de eorum commiſſione à quocumq; alio Prçlato, Archiepiſcopo, uel Epiſcopo ſuppleri functiones illarum actionum, videlicet reſerationis Portæ Sanctę, & aliarũ. Immò poſſet quoq; Cardinalis Decanus, cęteris aſſentientibus, literas, & epiſtolas publicas ad vniuerſos Chriſtianos populos dirigere, illis ſignificando inchoationem, & aduentum Sancti Iubilęi à ſuperioribus Pontificibus conceſſi inſtare, eoſq; ad Sanctam Peregrinationem inuitare. Quòd autem abſq; noua alia conceſſione hæc Indulgentia Iubilęi ineunte Anno Sancto incipiat, declarant expreſsè uerba Iulij III. in eius conſtitutione, quæ incipit, *Si Paſtores*: vbi cùm poſt aduentum temporis Iubilęi, qui currebat anno Domini 1550. creatus fuiſſet Pontifex; Bullam circà huius Iubilęi celebrationem edidit, datã Anno Incarnationis Dominicę 1549. Sexto Kal. Martij, Anno ſui Pontif. primo, in qua dicit, Annũ Iubilęi tunc inchoaſſe, & incepiſſe à Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri Iesv Chriſti proximè præterita.

Quid, ſi Iubilæus non fuerit indict' ante mortẽ Papæ. — *Etiã nõ indicto per Pontificem ante mortem Iubilæo, Sede vacante poteſt per Cardinales celebrari & quomodo.* — *Iul. III.*

Sed antequam Portæ Sanctæ tractationem expediamus, ultimo loco conſiderandum, cur Porta illa Sanctitatis nomine decoretur. An quia qui per eam ingrediuntur, uti conuenit, peccatorum ſordibus emundantur, & ab omni pœnarum reatu, & inquinamentis purgantur. An quia per alluſionem quamdam, rectè de ea cantatur. *Hæc Porta Domini; Iuſti intrabunt in eam*, & rurſus, *Aperite mihi portas Iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor Domino*. An quia ad illius patefactionem, Deum nobiſcum eſſe apparet, nouo quodam & eminentiſſimo liberalis ſui beneficij dono. Vnde rectè illi applicatur verſus, *Aperite Portas, quoniam nobiſcũ Deus.* An quoniam ſpeciali benedictione, Aquæ Sanctæ aſperſione, ac lotione benedicta redditur. An deniq; quia dum clauditur, creaturę lapidis, calcis, & ſabuli in Chriſti nomine benedicuntur, & ſanctificantur. Sed de hoc paulò poſt. Nunc ad caput decimumquintum accedendum eſt.

Quare dicatur Porta Sãcta.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Ritibus, qui in decurſu Anni Sancti obſeruantur.

Quid explicetur in hoc ca.

NON AGEMVS in hoc capite de viſitatione Eccleſiarum pręſcriptarum in Diplomate Conſtitutionis Sacri Iubilæi, de hac enim inferiùs ſuo loco tractandum erit; ſed de ſolemni quodam ritu, quo Societates, Confraternitates, Collegia, Capitula Canonicorum proceſſionaliter dictas Baſilicas viſitare ſolent: atque vt ordine progrediamur, nonnulla prius de Proceſſionibus Chriſtianis, ſeu ſupplicationibus in genere dicemus.

Antiquitas proceſſionum & vs° multiplex illarum. Tertul. D.Hiero.

TERTVLLIANVS lib.2. ad vxorem cap.4. hoc nomine procedendi vſus eſt, dum ait, *Si procedendum erit, numquam magis familia occupatio aduentat.* D. Hieron. ſimiliter Epiſt.22. ad Euſtochium, *Martyres*, inquit, *quærantur in cubiculo tuo, numquam cauſſa deerit procedendi, ſi ſemper quando neceſſe eſt, progreſſura ſis.* & in Epiſt.12. ad Gaudentium, *Euangelia, Apoſtolos, & Prophetas ſui cordis Theſaurum faciat, nec liberiùs procedat ad publicum, nec ſemper Eccleſiarum quærat celebritatem*, & in Epiſt.7. ad Lætam. *Nuſquam abſque te procedant in publicum, Baſilicas Martyrum, & Eccleſias ſine Matre non adeant.* En igitur, vocem Proceſſionis, moremque procedendi antiquum eſſe in Chriſti Eccleſia.

Conc. Bracharen.

In Bracharenſi uerò Concilio circà Annum Domini 654. de Ritu progrediendi cum Reliquijs Martyrum in eorum ſolemnitatibus mentio fit, vocanturque ibi progreſſiones ad Sanctorum Eccleſias. Ità in Bracharenſi 3. cano. quinto.

Quænã ſint ſupplicationes.

Supplicationes uerò dicuntur preces illæ, quæ non ſtã do, ſed ambulando, uel circumeundo aliqua loca ab hominibus, & pręſertim his, qui in Dei ſortem uocati ſunt, Domino effunduntur; quę etiam alio nomine Proceſſiones à procedendo, aptiſſimo, & Eccleſiaſtico uocabulo appellantur.

Durand. Similitudo proceſſionis Chriſtianæ cum egreſſione Iſraelitici populi de Ægypto.

Durandus lib.4. diuinorum officiorum cap.6. arbitratur, noſtras Proceſſiones, & præſertim illas, quę in Miſſa ſolemni fiunt, imitari egreſſionem Populi ex Ægypto, in eiuſque egreſſu adumbratas, & delineatas fuiſſe. Sicut enim, inquit, Populus ille ex poteſtate Pharaonis liberatus fuit, ſic per Chriſtum, cuius pro nobis in mundũ aduętus in Miſſa figuratur, de ore Leonis Populus Dei ereptus eſt. Vnde per proceſſionem regreſſus Populi Dei iam liberati ad ſtatum gratiæ, & Cęleſtem Patriã prænotatur; & quemadmodum Populum Iſrael columna ignis præcedebat, ſic cãdelę accenſæ apud nos antè omnia in Proceſſionibus deferuntur; Item ibi ante turmas Iudæorum ſigna deferebantur, hic ante nos Cruces, & uexilla portantur. Ibi prodigia fiebant, hic apud nos miracula non ceſſant. Ibi Leuitæ Tabernaculum fæderis portabant, hic Diaconi, & Subdiaconi uaſa ſacra, & corporalia gerunt. Ibi Arca Domini à Sacerdotibus, hic apud nos reliquiæ à Presbiteris feruntur. Apud illos Aaron Summus Sacerdos ſequebatur ornatus, & apud nos Epiſcopus infulatus. Apud eos Moyſes cum uirga, apud nos Epiſcopus cum baculo paſtorali. Ibi clangor Tubarum, hic ſtrepitus Campanarum. Ibi Populus armatus, hic Clerus ſacris ueſtibus, & Populus uirtutibus adornatus. Ibi populus ſãguine aſpergebatur, hic aqua benedicta ſanctificatur.

Aliæ figuræ veteris teſtamenti applicatæ ad noſtras Proceſſiones.

Præceſsit quoque figura noſtrarum proceſſionum, cùm Dauid Arcam Dei in Tabernaculum, & Salomon in Tẽplum cum hymnis, & canticis induxerunt, & ſub alis Cherubin locauerũt, quod Chriſtus quoque geſsit, ueniens de ſinu Patris in uterum Virginis Matris, de præſepe ad Templum, de Bethania in Hieruſalem, & de Hieruſalem in Montem: ſignificat etiam Proceſsio motum, atque iter militantis Eccleſiæ ad Triumphantem. Cùm enim Eccleſiam proceſsionaliter cantantes intramus, quaſi gaudentes ad Patriam peruenimus. Cùm circà Eccleſiam reliquias cum ſonitu Campanarũ deferimus, tunc Hierico cum Arca, clangoreque Tubarum circuimus. At cùm de Choro ad aliquod Altare itur, animas ad Chriſtum tẽdere denotatur.

Proceſſiones ſignificatæ etiam per ingreſſum Chriſti in Hieruſalẽ, in die Palmarum.

Ritus quoque Proceſsionis adumbratus fuit in ingreſſu Chriſti in Hieruſalem, in quo Turbæ præcedebant, ſternentes ueſtimenta ſua, & ramos cæſos de arboribus in uia,

clamantes,

clamantes, & dicentes; *Oſanna filio Dauid; benedictus, qui venit in nomine Domini*. Vndè huiuſmodi conſuetudo habendi Proceſsiones antiquiſsima eſt in Eccleſia; ſicut etiam mos, quòd in illis præferatur Crux cum ardentibus facibus. Lege So-

Socrates. Sozomen. D. Io. Chriſ. Conc. Gerun. Aurelian. Moguntin. Laodicen. Lugdunen. Toletan. 5. & 6. Bracharen. 2. Valfridus. Strabo. D. Greg. Gregor. Turonen. Paul. Diaco.

cratem lib. 6. cap. 8. & Sozomenum li. 8. cap. 8. qui affirmant, Diuum Io. Chryſoſt. in ſupplicationibus argenteas Cruces cũ ardentibus facibus præferri iuſsiſſe. Item in Conc. Gerundenſi cap. 3. Aurelianenſi 1. Can. 29. Moguntino ſub Carolo Magno cap. 33. Et in Conc. Laodiceno cap. 17. 2. edit. in Conc. Lugdunenſi ca. 6. Toletano quinto cap. 1. Toletano ſexto cap. 2. & Bracharenſi 2. cap. 9. (ſunt autem hæc Concilia ferè omnia ante annos circiter mille celebrata;) indicuntur litaniæ, id eſt inuocationes Dei, & Sanctorum (ut Valfridus Strabo lib. de rebus eccleſiaſticis, cap. 28. declarat) recitandæ, & cantandæ triduò ante Aſcenſionem Domini. D. Gregorium proceſſiones de loco ad locum, quas litanias appellat, ſeptiformes tempore peſtis indixiſſe, lib. 1. Vitæ eius cap. 42. & in Regiſtro lib. 11. Epiſt. 2. & in loco citato Valfridi legimus, quarum etiam meminit Gregorius Turonenſis, de geſt. Francorum li. 10. cap. 1. Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum li. 3. cap. 11. & alij. Idem Greg. urgente aliqua neceſſitate, non tantum Romanis, ſed etiam externis litanias indicebat, ut patet ex li. 9. Regiſtri Epiſt. 45. indic. 4. idem quoque in principio li. 2. Regiſtri de maiori litania, quæ in die Sancti Marci ad Sanctum Petrum procedere ſolet, quam non ipſe Greg. inuenit, cum ſolemnitatem quaſi ſolitam annuæ deuotionis illam appellet, ſed ad Sanctum Petrum eam indixit. Idem in epiſt. 76. li. 7. indic. 2. ad Caſtorem, mentionem facit, quatuor, vel etiam quinq; ſolemnium Litaniarum, quæ in Rauennate Eccleſia

Leo Papa III. inſtituit litanias Rogationum ad quaſdã Eccleſias.

de more celebrabantur. Leo. III. Anno Domini 793. Litanias ante Aſceſionem Domini ità ordinauit, ut 2. feria Summus Pontifex cum Clero, & Populo ex Eccleſia Dei Genitricis ad Præſepe egrediens, pergat cum hymnis, & canticis ad Eccleſiam Sancti Saluatoris, quæ dicitur Coſtantiniana: feria verò 3. ab Eccleſia Sanctæ Sabinę ad Eccleſiam Sancti Pauli: feria autem 4. ab Eccleſia Hieruſalem ad Sanctum Laurentium extra muros, ut habetur ex Chronico Martiniano; ità

D. Antonin. D. Auguſt.

refert Anton. 2. par. hiſtoriali tit. 16. de Summis Pontificibus cap. 1. D. Auguſt. Proceſſionem narrat in li. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. & ſermone ſeptimo de Sancto Stephano, in qua Lucillus Epiſcopus populo pręcedente portauit reliquias S. Stephani, ob quarum vectationem fiſtula, cuius moleſtia iam diu laborauerat, ſanata eſt. Sanctus Porphyrius anno Chriſti 398. ut refert Cardinalis Baro-

Cardinalis Baronius.

nius tom. 5. Proceſſionem inſtituit, præuio ſigno Crucis, ad quam etiam miracula à Deo facta ſubſequuta ſunt. Ex Marco enim Diacono eiuſdem Gazenſis Ec-

Metaphraſt. Surius.

cleſiæ, ut refert Metaphraſt. die 26. Februarij, & Surius Tomo primo, narrat, quòd cum Chriſtiani illi ex locis ſanctis, ad quæ egreſſi erant proceſſionaliter cũ hymnis, tandem reuerterentur in Ciuitatem; cùm propè illam acceſſiſſent, inue-

Inſigne miraculum.

nerunt eam clauſam (erat verò hora nona) iniquitate Idolatrarum volentium diſſipare Populum, ne ſupplicationes perficerentur; cum autem ante portam per duas horas manſiſſent, nec eſſet, qui eam aperiret, uidens Deus Populi, ſanctiq; Epiſcopi patientiam, profuſasq; lachrymas (ſicut tempore Eliæ Prophetæ) magna uentorum perflantium vi excitata, obtectoq; Cœlo nubibus, fulgura & tonitrua immiſit, multusq; imber de Cœlo decidit, ut non guttæ, ſed grando maxima deſcendere videretur. Quod cum Gentiles, ut miraculum, conſpexiſſent, ad Chriſtum conuerſi ſunt, Chriſtianisq; aperta porta commiſti ſunt clamantes, Chriſtus ſolus Deus, ipſe ſolus uicit; & ſimul ad Eccleſiam progreſſi, atq; benedictione à Pontifice accepta, unuſquiſq; ad propria cum gaudio & pace receſſit.

Card. Baron.

Preterea, Anno Chriſti 401. ut narrat Cardinalis Baronius eodem Tomo, idem Porphyrius Epiſcopus ſolemnem aliam Proceſſionem inſtituit, ut nouam Eccleſiam in Marnio conſecraret. Ordo autem Proceſſionis hic erat. Congregato populo cum ligonibus, & raſtris, alijsq; inſtrumentis ad fodiendum in Sancta Eccleſia, quæ appellabatur Irene, iuſſum fuit, omnes ſimul pſallentes proficiſci in Marnium. At Epiſcopus portans Sanctum Euangelium, cum Clero, qui illum

circum-

circumdabat, ſequebatur; præcedebat autem populum Barocas venerandę Cru-
cis portans effigiem. Euntes autem pſallebant, & in verſiculorum pſalmi inter-
ciſione dicebant *Alleluia*. Erat autem Pſalmus, quem dicebant, *Venite exultemus
Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro*, & cætera, vſq; ad finem; alios quoque Pſal-
mos cantabant, donec ingreſſi ſunt in Marnium. Aliam quoque Proceſſionem ſo-
lemnem, eodem Chriſti Anno habitam fuiſſe cum ligno Crucis, & Pſalmorum
cantu in occurſum Epiſcoporum, qui in Maiumam maritimam partem Gazæ eo
rum appulerant, legito apud Cardinalium Baronium, ex Marco. Item Anno — Card. Baron.
Chriſti 410. vt apud eumdem Oroſium libro 7. cap. 39. ſolemnis Proceſſio à Go- — Oroſius.
this habita eſt, dum vaſa ſacra apud Virginem inuenta, ad Principis Apoſtolo-
rum Baſilicam magno ſpectaculo omnium diſpoſita, per ſingulos ſingula, & ſu-
per capita elata palam, aurea atque argentea intacta, vt erant reportantur, exertis
vndique ad defenſionem gladijs, hymniſque Deo Romanis, Barbariſque can-
tantibus. Præterea Archimandritæ, alijque Monachi ſolemnem inſtituunt Pro-
ceſſionem, hymnoſque, & Pſalmos decantantes, ad Theodoſium Imperatorem
pro Conc. Epheſino contendunt, aduerſum Neſtorium, Anno Chriſti 431. ſub
Cęleſtino Papa I. vt ex eodem tomo quinto Cardinalis Baronij. Præterea Mona — Card. Baron.
chos ex conſuetudine, vſuque veteris Eccleſiæ Pſalmos canentes ad celebritatem
Martyrum Machabæorum perrexiſſe, docet D. Ambroſius in Epiſt. 29. ad Theo — D. Ambr.
doſium. D. Baſilius in Epiſt. 63. ad Neocęſarienſes ſcribit, Gregorium cognomen — D. Baſil.
to Thaumaturgum, frequentiſſimè Proceſſiones & Litanias, quę expiationis cau
ſa publicè indici ſolēt, celebraſſe. Similiter Rupertus meminit de Proceſſionibus — Ruper.
Eccleſiaſticis libro 7. de Diuinis officijs cap. 27. Vgo Victorinus libro 4. eruditio — Vgo Victori.
num Theologicarum titu. 14. Anton. parte quarta ſummę tit. 15. cap. 24. Albinus — Antonin. Albin.
multa narrat de Proceſſione in Feſto Purificationis Beatę MARIAE. Beda libro de — Beda.
ſex etatibus Mundi, narrat, Sergium Pontificem, huius nominis Primum, in plu
ribus ferijs Beatę Virginis ſupplicationes fieri iuſſiſſe. Gennadius cap. 99. de San — Gennadius.
cto Honorato Epiſcopo Maſſilienſi ſcribit, Litanias ad ſupplicādum Dei clemen-
tiæ cum plebe ſibi credita pro viribus ſæpiùs egiſſe. Ado Epiſcopus Viennenſis — Ado Epiſc.
in Chronicis, mentionem facit Litaniarum, quę Rogationes appellātur, & à San
cto Mamerto Epiſcopo Viennenſi in Gallijs tempore Valentiniani III. Impera-
toris circa Annum Domini 452. reſtitutas eſſe tradit; quod etiam Alcimus Aui- — Alcimus Auitus.
tus Epiſcopus Viennenſis in quodam ſermone dixit, & Sidonius Appollinaris
in Epiſt. ad eumdem Sanctum Mamertum ſcripta, quæ in libro 7. prima in ordi- — Sidonius Apollin.
ne habetur. Sed ante Sanctum Mamertum D. Auguſt. de Proceſſione Rogatio- — D. Auguſt.
num non obſcurè mentionem facit, in ſermone 173. in Vigilia Aſcenſionis: at de
his omnibus fuſiùs Cardinalis Baronius; in notationibus in Romanum Marty- — Card. Baron.
rologium in die Sancti Marci 25. Aprilis legendus eſt.

VERVM, vſum Proceſſionum, ſiuè litaniarum, quæ procedendo ad ſancta loca — Vſus proceſſionum apud ipſos Hæreticos.
cum publico conuētu Chriſtianorum ſolemniter decantantur, frequentiſſimum,
& antiquiſſimum eſſe, tàm in orientali, quàm in occidentali Eccleſia, ſuperuaca-
nium eſt longa oratione demonſtrare; cùm & ipſi Arriani ſolemni Pompa, cum
Crucibus argenteis per mediam Vrbem Proceſſiones, ad inſtar orthodoxorum,
frequentauerint, vt ſcribit Socrates libro 6. cap. 8. & Sozomenus libro 8. capit. 8. — Socrates.
quas tamen Arcadius Imperator prohibuit, edictoque promulgato interdixit il- — Sozomen.
lis, ne hymnos publicè canerent, vt habetur in l. 30. de hære. Cod. Theod. vbi di-
citur, *Interdicatur his omnibus, ad litaniam faciendam intra Ciuitatem, noctu, vel inter — Lex contra Hæreticos.
diù prophanis coire conuentibus, ſtatuta condemnatione centum librarum auri, &c.*

AT verò cauſæ, ob quas proceſſiones in Eccleſia fiunt, duodecim enumerari — Duodecim cauſę ob quas Eccleſia facit proceſſiones.
poſſunt.

PRIMA eſt aduentus Epiſcopi, vel alicuius Prælati: vt putà Legati Papę, vel ip-
ſiuſmet Summi Pontificis; decet enim hos honorare, cùm in his Chriſtus repræ-
ſentetur.

SECVNDA eſt aduētus Imperatoris, vel Regis in ſuum Regnum; per Proceſſio-
nem

nem enim, dum obuiã itur illis, Chriſtus tamquàm Rex, (fuit enim ſimul, & Rex, & Sacerdos, Apocalypſis 2.) in eis honoratur.

Apoc. 2. TERTIA cauſſa eſt, propter Maris, & fluminis inundationes; confugiunt enim fideles proceſſionaliter tunc ad Chriſtum, recolẽtes ipſius poteſtatem ſuper aquas maris, figuratam per Virgam, qua mare à Moyſe in eius virtute diuiſum eſt,
Exo. 14. Exodi 14.

QVARTA eſt, propter commotionem terræ, ſeù terręmotum; audiuimus enim ab antiquis, & temporibus noſtris vidimus, multas Ciuitates ob ingentes terræmotus maximas ruinas paſſas eſſe: quod Ciuitas Ferrarienſis abundè teſtatur, & multi etiam, qui membris mutilati, ruentiumquè ædificiorum molibus oppreſſi, rerum omnium, vitæque iacturam fecerunt. Proinde ſupplicationibus publicis tunc Chriſtum obſecramus, vt à tanto malo liberemur, & non priùs ſepeliamur, quàm moriamur.

QVINTA cauſſa eſt, propter peſtem, & aeris infectionem. Eſt autem differentia
Differentia inter Peſtem, & aerem corruptum. inter peſtem, & aerem infectum, ſeù corruptum. Tunc enim percutit nos Deus aere corrupto, quandò homines repentina, & improuiſa morte ſtatim exanimes redduntur, ſicut Exodi 12. vna nocte mortua fuerunt primogenita Ægyptiorum
Exod. 12. ab homine vſque ad pecus. Peſte autem Deus nos percutit, quando quis infectus alterum inficit, vt vxor virum, mater filias, & è contra: quo modo percuſſit Dominus Populum Iſrael peſte, & mortui fuerunt ſeptuaginta millia virorum 2. Re
2. Reg. 24. Deut. 28. gum 24. Hæc autem differentia ex ſcriptura colligitur, Deuteronomij 28. dum dicitur, *Si autem non audieris vocem Domini, adiungat tibi Deus peſtilentiam* & paulò poſt, *Percutiet te Deus aere corrupto.* Vndè Eccleſia volens filios ſuos liberare ab vtroque malo, peſte, ſcilicet, & aere contagioſo, per Proceſſiones cum cantu, & pſalmis petit cum Deo reconciliationem, & malorum contagioſorum ceſſationem. Sic tempore D. Gregorij, vt dictum eſt, ſeptiformis litania habita fuit. Sic etiam Leo IIII. vniuerſo populo ieiunium, & precationem Romæ indixit, ad Baſiliſcum extinguendum, qui peſtifero afflatu omnes necabat.

SEXTA cauſſa eſt, ob ſiccitatem terræ, & aquarum penuriam. Penuria verò aquatum poteſt eſſe, vel propter potum, vel propter fructus terræ. Vnde ad Chriſtum, per quẽ facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, & per quem omnia gubernantur, perfugium in Proceſſionibus habemus, vt etiam temporalibus noſtris neceſſitatibus opem ferat; per ipſum enim, cum Cælum tribus annis, & menſi-
3. Reg. 7. bus ſex fuiſſet clauſum, apertum fuit tempore Eliæ. 3. Reg. 7. Per ipſum aquę Ægypti conuerſæ in ſanguinem ad ſuum naturalẽ ſtatum coloris, & ſaporis rediere. Per ipſum filij Iſrael bis aquam de petra ad bibendum hauſerunt. Per ipſum aquæ corruptæ, & amaræ in deſerto ſanatæ, & in dulcedinem conuerſæ fuere.
Exod. 15. Exodi 15. Et è contra, aliquando ob nimiam copiam pluuiarum, ob quas fruges, cæterique fructus marceſcunt: ità anno tertio Conſtantini Imperatoris nepotis Heraclij litaniæ quotidie habitæ ſunt ad imbrium pluuias coercendas, ut nar-
D. Antonin. rat Anton. ſecunda parte hiſtoriali. tit. 13. de Sanctis cap. 6. §. 26.

SEPTIMA cauſſa eſt, propter ignis combuſtionem; ſæpe enim flumina aquarum in ignem conuertuntur; montes igneas exhalationes expirant, ac deniquè etiam Dæmonum peruerſitate, fulgura, quæ in nemoribus, in uallibus, & in locis ab omni humano culto remotis debacchantur, ad loca habitata diriguntur, & peruagante igne, domus, eiuſque habitatores exuruntur, & arbores, ſegetes, Vineæq; flammis abſumuntur. In his extremis, periculoſiſque temporibus conſueuerunt Clerici, Rectoreſque animarum inſtituere ſupplicationes, & hymnos cantando per inuocationem Chriſti, Dei iram placare, poteſtateſque aereas, diabolicasq; coercere, ut ſic flammæ extinguantur, ceſſent fulgura, inſolitaque Cæli tempeſtas depellatur. Chriſti enim imperio Moyſe, & Aaron deuotè orãtibus, ab Ægy-
Exod. 6. pto decem plagarum furor abſceſſit. Exodi 6. Sol ſuum curſum ſuſpendens in me-
Ioſuè 10. dio Cœlo ſtetit. Ioſuè 10. Sol Dei pręcepto decem gradibus retroceſſit pro ſigno,
4. Reg. 1. Ezechiele, & Iſaia orantibus, 4. Reg. cap. 1. Eliæ iuſſu bis ignis de Cœlo deſcẽdit

ſupra

ſupra duos quinquagenarios. Item Abrahamo ſacrificante ignis de Cœlo deſcen dens deuorauit Holocauſtum. Denique Dei voluntate ignis vires ſuas vrendi ſuſpendit, vt conſeruarentur tres iuuenes illæſi in Camino ignis ardentis, quibus ignis velut ros factus eſt, & flamma fornacis ligatos ſuſcipiens, ſolutos reddidit, mortalia excepit corpora, & tamquam ab immortalibus abſtinuit, non agnouit naturam, ſed pietati reuerentiam exhibuit, vinxit pedes Tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt: ſic Chryſoſt. in 4. Homil. ad Populum Antiochenum, huiuſmodi miraculum grauiſſimis, & diſertiſſimis uerbis enarrans, atque exaggerans, ſcripſit: & alia egregia dicit in hanc ſententiam. D. Chryſoſt.

Octava cauſſa habendi proceſſiones eſt, ob inimicorum obſidionem. Mos enim fuit antiquorum Patrum, cùm ad prælium ſe accingerent, Deum ſacrificijs, & orationibus conſulere, quidnam facturi eſſent. Lege caput 21. Num. cap. 2. Deuteron. cap. 3. & 13. Ioſuè, caput 33. lib. primi Reg. cap. 2. ſecundi libri Reg. & cap. 9. Iudith: ſic Eccleſia Sancta ab illis exempla ſumens, cum prælium committendũ eſt, non viribus proprijs confiſa, ſed uerbo Dei hymnis, & precibus ad ipſum cõuerſa, eiuſdem auxilium implorat, dicens, *Non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter*, ipſe enim eſt, qui uictoriam dedit populo ſuo, Ioſuè gladio pugnante in planitie, & Moyſe ſuper Montem manus, & brachia in modum Crucis eleuan te, Exod. 17. Ipſe Angelo pugnante interfectis de inimicis centum octuagintaquinque millibus, uictorem populum ſuum fecit, 4. Reg. 19. Ipſe uociferatione, & tubarum clangore populum ſuum ab inimicis liberauit, primo Reg. 7. & ſtrepitu, fragoreque tonitruorum in medio Cœlo ſuper Philyſthijm excitato, Samuele orante, & pro populo ſuo offerente ſacrificium, eumdem de inimicis ſuis triumphare fecit. Ipſe denique, & magnorum lapidum de Cœlo immiſſione, Ioſuè 2. & ſonitu equorum, & curruum 4. Reg. 7 Populo ſuo uictoriæ palmam conceſſit. Numer. 21. Deut. 2. Ioſuè 3. & 13. 1. Reg. 33. 2. Reg. 2. Iudith 9. Exo. 17. 4. Reg. 19. 1 Reg. 7. Ioſuè 2. 4. Reg. 7.

Nona cauſſa, ſunt ſchiſmata, præſertim Prælatorum, quæ in Eccleſia excitantur; ad quarum ſedationem publicæ Litaniæ ordinantur, poſtulando à Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, ad unionem ſui corporis miſtici ſeruandam, ne permittat corpus ſuum diuidi; cum nec uoluerit, ex ſuis oſſibus minimam partem frangi, uel comminui, nec à capite, uel ab inuicem ſeparari. Vnde Vacante Sede Romana quotidie ſupplicationes à Romano Clero fiunt, tum ad celerem Pontificis creationem obtinendam, tùm etiam ad diſſenſiones in electione euitandas.

Decima eſt, ob ciuiles Populi ſeditiones, hæ enim cùm in perniciem Ciuitatis, uel Regni tendant, (*Omne enim Regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur*, ut Lucæ 11.) debet Prælatus habere perfugium ad Cœleſtem Regem, & ſupplicationibus indictis, à Chriſto, qui eſt Rex Pacificus, pacem ſeditioſo Populo impetrare, ut ſicut in Proceſſione multi uniũtur, ſic quoque Ciues mutuam concordiam per Chriſtum obtineant. Luc. 11.

Vndecima eſt, ob Pacem obtentam, uel ob beneficia accepta. Vnde pro gratia rum actione rectè laudando Deum, & Chriſtum eius filium Proceſſio inſtituitur. Si enim Dauid, cùm poſt mortem Saul totum Regnum obtinuiſſet, illudque pacificè poſſideret, pro gratiarum actione cogitauit ædificare Domum Domino, ideſt Templum Sanctum 3. Reg. 6. Quantò magis Prælati Chriſtianæ Reipublicæ pro beneficijs acceptis gaudenter cum toto Populo preces in Proceſsione Deo Patri luminum, à quo omne donum deſcendit, perſoluere debent? 3. Reg. 6.

Duodecima cauſſa eſt, celebris aliqua ſolemnitas, in magnis enim totius anni ſolemnitatibus Proceſsiones apud fideles haberi ſolent. Sic in Feſto Sanctiſsimi Corporis Chriſti ab Vrbano Quinto Proceſsio laudabiliter inſtituta fuit, ut publicè à populo cultu latriæ, etiam externo, uenerabile Sacramentum Euchariſtiæ adoretur; quod etiam in Concilio Tridentino, ſeſsione decimatertia, Canone 5. decernitur, & comprobatur, & in cap. 5. Per uias, & loca publica reuerenter, & honorificè in Proceſsionibus Euchariſtiam circũferri declaratur, ut Chriſtiani omnes ſingulari, ac rata quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos ergà communem Dominum, & Redemptorem, pro tàm ineffabili, & planè diui- Proceſſio Sãctiſſimi Corporis Chriſti ſolemnis. Conc. Trid.

Conc Bracaren. 3.

Viennen.

Conc. Conſtantien.

Eſpencæus.
Lindan.
Taper
Henriquez.

no beneficio, quo mortis eius uictoria, & triumphus repræſentatur. Idem in Bracharenſi 3. Cano. 5. Anno Domini 654. vbi corrigitur abuſus quorundam Epiſcoporum, qui Euchariſtiam in ſellula ſedentes deportabant, à Diaconis humeris uecta, & decernitur, ut unà cum populo pedeſtri progreſſione Sacramentum deferant, & in Concilio Viennenſi Clemens V. idem confirmauit, ut in Clementina unica, de Reliquijs, & ueneratione Sanctorum, & in Concilio Conſtantienſi Martinus V. idem confirmauit, quamuis expediens ſit, ne frequentès fiant proceſsiones delata palàm Euchariſtia, ne ſint minoris reuerentiæ occaſio, ob nimiam conſuetudinem, ut benè notauit Eſpencæus lib. 2. cap. 4. Lindan. in Apologia cap. 19. Taper art. 14. & Henriquez lib. 8. cap. 32. §. 3.

D. Ambr.

D. Thom.
Tertull.
D. Leo.

Ezechiel. 13.
Gloſſ.

Palud.
Maior.
Nauar.

Matth. 18.

Decimatertia cauſa addenda eſt, ut feruentiùs, & efficaciùs oratio fiat, & per talem orationem faciliùs, quod uolumus, à Domino impetremus. Eccleſia enim, ut inquit D. Ambroſius lib. 1. officiorum cap. 29. ſub finem, quædam forma Iuſtitiæ eſt, commune ius omnium, in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur, in commune gratias Deo agit, ut multorum precibus, & pijs actionibus magis propitium illum habeat, & per publicam, & communem orationē, qualis eſt illa, quæ in ſupplicationibus habetur, præcipuè ira Dei à populo auertatur. Sunt enim ſimul orantes, quaſi in acie precibus dimicantes, & diuinæ ſententię unanimiter reſiſtentes, ut inquit D. Thomas, quodlib. 7. art. 18. Vnde Tertull. in Apolog. cap. 39. ait, *Coimus in Cœtum, & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes.* & Leo Papa ſerm. 4. de Ieiun. 7. menſis. *Tunc* ait, *eſt efficacior, ſanctiorque deuotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ vnus eſt animus, & vnus ſenſus.* Vnde etiam Ezechielis 13. dicitur, *Non oppoſuiſtis vos murū pro Domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini*, ubi Gloſſa ait, precibus dimicantes, & diuinæ ſententiæ reſiſtentes. Adijce, quòd per ſanctam illam conſpirationē, ſicut etiam accidit in Choro, conſeruatur, & creſcit inuicem inter fratres bonum amicitiæ, & charitatis. Quid? quòd orationem multorum per unam hæbdomadā in communi habitam, eum liberaſſe legimus in Vitis Sanctorum Patrum, quem ſingularis, & ſolitaria oratio per quatuordecim annos liberare non potuit. Vnde Paludanus in 4. diſtin. 15. quæſt. 5. concluſ. 1. & 2. Maior in 4. diſtin. 12. quæſt. 6. & Nauar. in Manua. de Oratione cap. 17. num. 25. & 26. dixerunt, abſolutè melius eſſe, recitare canonicas horas in Choro communiter cum alijs, quàm ſolitariè. *Si duo enim*, inquit Dominus Matthæi 18. *ex vobis, aut tres conuenient ſuper terram in nomine meo, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo.* Igitur præcipuè ob hanc cauſſam, quę ultimo loco eſt enarrata, à populis Chriſtianis, in diuerſas Proceſsiones diſtributis, Eccleſię præſcriptę in Anno Sancto uiſitantur. Quare reſplēdet in illis maxima unio, & concordia animorum, elucet uehemens diuerſarum uoluntatum, quaſi ſimul coeuntium, conatus, & deſiderium ad fructum Sancti Iubilei conſequendum; apparet etiam quędam animi fortitudo communis, & indefeſſa conſtantia ad tantum bonum obtinendum; ſpecimen inſignis cuiuſdam internę religionis ſupplicationes illę repręſentant, ità ut nationes ſe inuicem in ſancta ęmulatione ſuperantes, in deuotione, modeſtia, animorumque, & corporum compoſitione in dies non parua faciant incrementa: nec ſolum procedunt communiter in Vrbe ad loca Sancta, ut dictum eſt, uerùm etiam plerumque à ſuis Ciuitatibus, locisque proprijs publicè diſcedentes, per totum iter Romam uſq; proceſsionaliter cùm Cruce, & luminibus accenſis, hymnos, pſalmoſque cantantes, perueniunt. Pulchram de hac re texuit hiſtoriam Angelus Piētinus, ubi in primo libro omnes ferè Proceſsiones tum ex prouincijs, tum alijs ex locis, quæ in Iubilęo proximè elapſo, ad Vrbem aduentarunt, haud infeliciter vulgari idiomate cōſcripſit; nempè, ex Gallia Ciſalpina, ex Æmilia, ex utroque agro Sabino, ex Piceno, ex Vmbria, Tuſcia, Latio, Campania, utraque Appulia, & Calabria, ex Samnio, alijſque Regni Neapolitani regionibus. Nec ſolum exteri, & peregrini hoc faciunt, verum etiam Romani, & incolæ Vrbis maximè ſolemnes eo anno ſupplicationes habent. Multa enim in Vrbe ſodalitia inſtituta ſunt, quæ omnia

Concordia, & alia bona fidelium in anno Sancto ex Proceſſionibus.

Proceſſiones Peregrinantium ad Vrbem in Anno Sācto ex Piētino.

etiam,

etiam pluries in eodem anno proceſſionaliter ad Eccleſias maxima cum deuotione, ſummaq; animi contritione progrediuntur. Nec ſolùm virorum, ſed etiam mulierum cantantium hymnos, præeuntibus vexillis, & ijs maxima cum grauitate, ac ſilentio ſubſequentibus, quemadmodum enarrat dictus Pientinus in lib. 1.cap.44. de ſodalitio mulierum, quæ ex Viterbio, maxima cum pietate, & religione tunc acceſſerunt. Speramus autem, Deo fauente, plures in hoc ſexcenteſimi anni proximo Iubilæo ad Vrbem uenturos. Multa etiam alia egregia, & præclara in ſingulis menſibus illius anni à Romanis, alijſque pijs viris in Vrbe præſtantur; ſed quoniam hęc ad varias pietatis, charitatiſq; exercitationes reducuntur, ideò ad aliam partem noſtri libri reijcimus. Qui autem omnia acta ſingulorum menſium Iubilęi proximè euoluti diſtinctè cognoſcere cupit, legat hiſtoriam Raphaelis Rieræ de geſtis anni illius, qui accuratè ſingulorum menſium acta perſequitur. Pientinus. Raphael Riera.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De Ritibus, & Cæremonijs, quæ in fine Anni Sancti adhibentur.

MVLTAE quoq; Cæremoniæ in ipſa Anni Sancti concluſione peraguntur, quæ ſuam miſticam habent ſignificationem, ſicut illæ, quę in ipſius exordio fiunt. Igitur appropinquante ipſo Natalis Domini peruigilio, (quæ dies ſicut principio, ità etiam fini ipſius Anni Sancti dicata eſt) aliquot ante diebus, publico edicto omnibus ſignificatur, præſcripta die proximè futura Vigiliæ Natiuitatis Dominicæ Portam Sanctam Baſilicæ Vaticanę à Summo Pontifice, peractis Veſperis, clauſum iri. Qua die adueniēte, Supplicatio itidem maximè ſolemnis inſtituitur, quæ à Palatio Apoſtolico, Papa cū Cardinalibus, Epiſcopiſq; infulatis omnibus, Oratoribus Principū, Populiq; Romani Magiſtratu, ad Baſilicam Sancti Petri procedit; ac primùm fuſis coràm Sanctiſſimo Sacramento precibus, recitatiſq; ſolemniter Veſpertinis horis, tres Illuſtriſſimi Cardinales à Papa mittūtur ad claudendas Portas aliarum Eccleſiarum, videlicèt, Sancti Pauli, Sancti Iohannis, & Sanctæ MARIAE Maioris. Qui accepta à Pontifice benedictione, ad eam functionem peragendam cùm magna pompa, ac ſolemnitate equitant. Interim albi cerei accenſi Papæ, cæteriſq; Cardinalibus diſtribuuntur, & præcedente Cruce, ſuis quiq; ordinibus ad Portam Sanctā claudendam progrediuntur; Papa, qui ſub vmbella in ſede defertur, ſubſequente; & vbi ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti deuentum eſt, Pontifex genuflectens, gratias Deo Optimo Maximo peragit, quòd cùm ipſius gloria, & ſpirituali populorum fructu, Sanctæq; Sedis Apoſtolicæ dignitate, ſacer Iubilæi Annus euolutus fuerit. Mox propè Cappellam Innocentij ad locum paratum Pontifex accedit, ibiq; genibus flexis effigiem Domini Noſtri IESV Chriſti, Veronicam dictā, ac Lanceæ Dominicæ cuſpidem adorat. Quo facto, plena voce Antiphonam, quæ incipit, *Cùm iucunditate*, præcinit, & cantores ſtatim illam proſequuntur cū Pſalmo. *Niſi Dominus ædificauerit domum*. Verba autem Antiphonæ uniuerſam ferè ſignificationem huius cæremoniæ referentia hæc ſunt. *Cum iucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini; nam montes, & colles exilient, expectātes uos cum gaudio. Alleluia.* Interim omnes proceſſionaliter è Porta Sancta egrediuntur, tùm Papa poſt reliquos; qui egreſſus, quouſque Cantores preces perſoluant, in ſuo præſidet ſolio; illis abſolutis, conuerſus ad Portam, depoſita Mitra, candelam accenſam manu præferens, ſtans benedicit materiam ibi paratam ad claudendam Portam, dicens verſiculos ſequentes, & orationem.

Solemnis proceſſio ad claudēdū Portam Sanctam.

Ordo claudēdi Portā Sanctam.

Verſ. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.*

Reſp. *Qui fecit cælum, & terram.*

Verſ. *Sit nomen Domini benedictum.*
Reſp. *Ex hoc nunc, & vſque in ſeculum.*
Verſ. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes.*
Reſp. *Hic factus eſt in caput anguli.*
Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Verſ. *Dominus Vobiſcum.*
Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Svmme Deus, qui ſumma, media, imaq; cuſtodis, qui omnem creaturam intrinſecus ambiendo concludis, ſanctifica † & benedic † has creaturas lapidis, calcis, & ſabuli. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Summus Pōtifex ꝓprijs manibus claudit portā Sanctam, & quomodo.

Deinde aqua benedicta aſpergit, & incenſo adolet prædictam materiam; reſumptaq; mitra, præcingit ſe linteo albo; & Trulla argentea inaurata à Maiori Pœnitentiario ſibi porrecta, in manus ſumpta, ex calcaria corbe, quam Magiſter Cæremoniarum præſert, ter calcem ſumit, ac diſtendit in medio ipſo limine primùm, tùm ad dexteram, læuamq;, iiſdemq; in locis in ipſa calce, aurea, argenteaq; numiſmata, varijs notis, inſignibus, ac cælaturis conſignata, conſepelit, iiſq; tres quadratos lapides ſuperponit; ſummiſſa uoce, quæ ſequuntur, conceptis verbis pronuncians; *In fide, & Virtute Iesv Chriſti filij Dei viui, qui Apoſtolorum principi dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, collocamus lapidem iſtum primarium ad claudendam hanc Portam Sanctam, ipſo tantummodo Iubilei anno iterum reſerandam. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus Sancti † Amen.* Quo facto, à fabro murario deducto funiculo, materiaq; in omnem partem aptè conſtrata, Maior Pœnitentiarius trulla itidem argentea ſumpta, alium ipſe lapidem ſuperponit, & à ſubiectis ſibi Pœnitentiarijs adiutus, ipſo inſpectante, ac præſidente Pontifice, opus in ſatis magnam altitudinem educit, intereaq; temporis Chorus canit hymnum, *Vrbs Beata Hieruſalem*; tum Pontifex, manibus ablutis, ſubijcit verſiculum.

Verſ. *Saluum fac populum tuum Domine,*
Reſp. *Et benedic hæreditati tuæ.*
Verſ. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos;*
Reſp. *Quemadmodum ſperauimus in te.*
Verſ. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto;*
Reſp. *Et de Syon tuere nos.*
Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*
Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.*
Verſ. *Dominus Vobiſcum.*
Reſp. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Devs, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus exauditor exiſtis, exaudi nos quæſumus, & præſta, ut inuiolabilis permaneat huius loci ſanctificatio, & beneficia tui muneris in hoc Iubilæo anno Vniuerſitas fidelium impetraſſe lætetur, per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Precibus completis, in ſollio iterum reſidet, & dum à duodecim murarijs, ſenis ab utraque parte, extima ſcilicet, atq; intima, diſpoſitis, tota Porta obſtruitur; Chorus cantat pſalmos; *Lauda Hieruſalem dominum, &c. Lætatus ſum in his, quæ dicta, &c.* aliosq; conſimiles hymnos: tùm uniuerſo opere perfecto, Summus Pontifex benedictionem ſuam cùm pleniſſima Iubilæi Indulgentia, cunctis impertit præſentibus, qui fauſtis illam acclamationibus excipientes, vitam inuicem ipſi, ac felicitatem comprecantur. Poſt hęc hymnus, *Te Deum*, canitur, populusq; vniuerſus dimittitur, Pontifice ad ſua ſeſe domicilia recipiente.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Quid miſticè in his Ceremonijs ſignificetur.

MYSTERIA aliqua non contemnenda, quæ in huiuſmodi Cæremonijs latent, aperienda ſunt in hoc capite. Et vt id diſtinctè agamus, decem interrogationibus uniuerſam rem abſoluemus.

Cur ſummus Pontifex adoret Vultũ, & Lanceã Chriſti, antequam claudat Portam Sãctam.

PRIMA Interrogatio. Cur Summus Pontifex, antequam è templo egrediatur ad occludẽdam Portam Sanctam, effigiem Seruatoris, & Lanceam, qua eius latus apertum eſt, reuerenter adorat? An quia ſicut Sacramenta ex latere Chriſti ad culpas abluendas efluxerunt, ſic quoque virtus, & efficacia Iubilæi ad pœnas peccatorum delendas ex eodem fonte dimanant? An quia ſicut omnis noſtra actio, & operatio à Deo per Chriſtum initium habere debeat, ſic per Chriſtum ad ipſum Deum, tamquam ad noſtrum vltimum finem, referenda ſit? Rurſum. An quia, etſi per Portam Sanctam egrediendum eſt, numquam tamen Chriſtiano liceat, ex Chriſti latere aperto egredi; ſed fide, ſpe, & charitate ſemper ſit in eo commorandum? Vnde Auguſt. vel alius auctor in ſermone de tempore Barbarico, cap. 8. inquit, *Per anguſtam portam lateris Chriſti ingreſſus eſt latro mutatus, pœnitẽs Iudæus, conuerſus omnis paganus, & ab eo exijt foras malus Hæreticus Arrianus.* Vnde, & ſi hæc pro ratione temporis claudatur, illa tamen, licèt anguſta ſit, ſemper aperta eſt, vt ibidem Auguſt. *Contendite* (ait) *intrare per anguſtam portam; quid anguſtius illo foramine? quod vnus è militibus, percutiendo latus Crucifixi, aperuit; & tamen per has anguſtias, penè iam totus mundus intrauit.* An quia, vbi ad finem peruentum fuerit, teſte Philoſopho, ſolemus acquieſcere? nullibi verò Chriſtiano ſecurior quies, quàm ſi in Cauerna maceriæ, ideſt Chriſti latere ſe ſe recipiat. Vnde Auguſt. in 23. cap. ſui Manualis, inquit, *Lancea aperuit mihi latus Chriſti, & ego intraui, ibiq; requieſco ſecurus.*

D. Auguſt.

D. Auguſt.

Cur deferuntur candelæ accenſæ.

SECVNDA Interrogatio. Cur candelæ accenſæ in obſtructione Portæ Sanctæ deferuntur? An quia, & ſi annus ſanctus claudatur, ſemper tamen fides in IESVM Chriſtum filium Dei viui, qui Petro dixit, *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum; quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis*; in nobis ſemper vigere debet? Rurſum. An quia ſeruus in ſeptimo anno liber egrediens, cum tali veſte exire debebat, cũ quali intrauerat ad ſeruiendum, Exo. 21.? candelę igitur accẽſę in fine, ſicut ẽt in exordio Anni Sancti, deferendę ſunt. An deniq; vt Chriſtianus admoneatur, virtutum igniculis, quos eo toto anno in ſe accenſos eſſe cognoſcit, vita ſpirituali durante, cùm Dei gratia ſibi eſſe ardendum, & bonorum operum exemplo proximis prælucendum?

Exo. 21.

Quid ſignificet egreſſio p Portam Sanctam.

TERTIA Interrogatio. Cur omnes, & populus, & Clerus, & ſummi, infimique, atque etiam ipſe Pontifex Maximus per Portam Sanctam exeant? An, vt virtus, & efficacia ipſius Sacri Iubilæi indicetur? quòd uidelicèt hominem, qui illum dignè adeptus fuerit, in eo feliciſſimo ſtatu reponat, ex quo cùm ex hac vita in hũc modum inſtituta egrediendum, & ab Eccleſia militantę ad cœleſtem illam, ac triumphantem Hieruſalem commigrandum fuerit, maxima cum iucunditate, & proprię conſcientię tranquillitate id conſequi poſſit? An verò, quòd omnibus, prudentium Virginum inſtar, accenſis, ornatiſque lampadibus exire obuiam ſponſo, & ſponſæ neceſſe ſit? Matth. 25.

Matt. 25.

Cur cantetur Antiphona in illa egreſſione.

QVARTA Interrogatio. Cur dùm egrediuntur omnes, cantantur verba illa, *Cùm iucunditate exibitis, & cùm gaudio deducemini?* An, ut vniuerſitas fidelium beneficia Sacri Iubilæi ſe per Chriſtum impetraſſe lætetur? An etiam, quoniam mõtes, & colles, ideſt Angeli Sancti, ſummo gaudio, atq; alacritate eis, qui Sacrum Iubilæum dignè acquiſiuerint, obuiam prodibunt vita migrantibus, & in locum cæleſtium voluptatum deducent? id quod, & alia ſequentia verba plenè declarãt,

 Mon-

Montes, & colles exilient expectantes vos cùm gaudio. Alleluia. An verò, lætantur quia portæ inferi, id eſt Dæmonum multitudo contriſtatur, & confunditur, quòd aduerſus Dominum, & aduerſus huius operis ſanctitatem non præualuerit?

Cur apiatur & claudatur manibus Sũmi Põtificis.

QVINTA Interrogatio. Cur Porta Sancta à Sũmo Pontifice aperitur, & à Summo itidem Pontifice clauditur? Sanè, vt ſummi diſpenſatoris Ærarij Eccleſiaſtici voluntas dignoſcatur, qui poteſtate Clauium pleniſſimę Indulgentiæ Theſaurũ, per vnius anni curriculum aperuit; quo elapſo, huiuſmodi beneficij ianua occluditur. Vel etiam, vt per illum annum tempus præſentis vitæ, quod ad ueram pœnitentiam peragendam conceditur, ſignificetur, in quo licet operari. Nocturno enim tempore mortis aduenienre, clauſa erit ianua, nec tempus merendi, uel operandi erit ultrà: Quocircà à Domino, clauſa iam ſalutis ianua, fatuis Virginibus dicetur, *Neſcio vos*. Quid, quòd admonentur ex hoc Chriſtiani, ut fructum Sacri Iubilæi in portis cordis bene obſeratis, & cuſtoditis retineant; nè uel fures, uel latrones diripientes illum, uacuum, & inanem hominem reddant.

NOTA.

Cur tres lateres ponat Põtifex linteo præcinctus in Porta Sãcta.

SEXTA Interrogatio. Cur Papa linteo præcinctus tres lapides in limine eiuſdẽ Portę ponit? Reſpondeo, hoc facit, tum quia eſt ſeruus ſeruorum Dei, & non uenit miniſtrari, ſed miniſtrare, ut fecit Chriſtus, formam ſerui accipiens; tum quia in uirtute, & fide IESV Chriſti filij Dei uiui, qui per linteum, ratione humanitatis, deſignatur, primarios illos lapides collocat, ut ſuper hãc petrã, & confeſſionẽ Apoſtolicæ poteſtatis ab ipſo traditę, quę per trullam ſignificatur, totum corpus Eccleſię ędificetur. Vnde dum hęc agit Pontifex, uerba illa pronunciat, *In fide, & virtute IESV Chriſti &c.* Ponit autem tres primarios lapides, benè politos, ut ſignificet, uniuerſos Chriſtianos, incipientes, proficientes, & perfectos Contritione cordis, oris Confeſſione, & operum Satisfactione iam purgatos, & uirtute Sacri Iubilęi mundatos, dignos eſſe, ut non ſolum in Eccleſię militantis, ſed etiam in cęleſtis Hieruſalem ſtructura, tamquam viui lapides, coaptentur. Adde, quòd in virtute Sanctiſſimę Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti rectè ter ędificat.

Cur ponat aurea, & argentea numiſmata ſub ſingulis lapidibus. Apoc. 21.

SEPTIMA Interrogatio. Cur numiſmata aurea, & argentea, varijs conſignata notis, & figuris ſimul in ipſo pariete inædificentur? Reſpondeo, vt demonſtretur, muros cœleſtis Hieruſalem, qui cap. 21. Apocal. deſcribuntur, ex lapidibus pręcioſis meritorum, & gloriæ eſſe conſtructos; & ad memoriam Summi Principis claudentis in æuum recolendam; atque etiam, vt fideles intelligant, ità Theſaurum Indulgentiæ Sacri Iubilæi claudi, ut non niſi in ſequenti Iubilæo pleniſſimè aperiendus ſit.

Cur Põtifex adiuuetur a Pœnitentiarijs in tali opere faciũdo.

OCTAVA Interrogatio. Cur Pœnitentiarij opem ferant Pontifici in claudenda Porta Sancta? An quia ſunt cooperatores Papæ in Sacramento Pœnitentiæ? An quia etiam, dum Porta Sancta aperiretur, etiam ipſi cooperabantur? ſicut autem Pœnitentiarij Portam Sanctam nequaquam aperuere, ſed coadiutores, & cooperatores ad aperiendum extitere; ſic nec in fine Anni Sancti claudunt; ſed dũ clauditur, cooperantur, & auxiliantur Pontifici, qui ſolus claudit, & aperit. Nõ aliter, atque olim in ſacris literis factum legimus, quandò depugnantibus Iudæis cùm Amalecitis, orantis Moyſis manus, Aarone, & Ioſuè ſuſtentantibus, fulciebantur.

Cur Porta Sancta claudatur lapidibus.

NONA Interrogatio. Cur Porta Sancta lapidibus, & muro, non autem ligneis tabulis claudatur? An quia per illam ædificationem viui lapides, ideſt, Chriſtiani fide, & charitate præditi ad cœleſtem Hieruſalem ædificandam apti ſignificantur? Hac enim de cauſſa hymnus ille decantatur, dum porta muro clauditur, *Vrbs Beata Hieruſalem, dicta pacis viſio, quæ conſtruitur in Cælis viuis ex lapidibus*. & iterum, *Tunſionibus, preſſuris, expoliti lapides, ſuis coaptantur locis, per manus Artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificijs*. An etiam, quia murus Chriſtum ſignificat, qui malignorum ſpirituum vitæ ſpirituali inſidiantium impetus arcet? Vt Gregorius lib. 20. Moral. cap. 23. & ſuper Ezechielem, Homil. 14. Eſt enim Chriſtus murus igneus, qui credentes, & habitantes in Eccleſia protegit, calefacit, ac ſpiritu

D. Gregor.

feruen-

ſeruentes efficit. Zacha.2.& ibi D.Hieronymus. An etiam, quia per murum firmitas, & conſtantia Euangelij, & Pontificię poteſtatis deſignatur, aduerſus quam portæ Inferi præualere non poſſunt? Lege D.Hieronymum ſuper Eſaiam 22.& Nahum cap.3.

Zach.2.
D Hiero.

Decima Interrogatio. Cur Porta Sancta aliam ſignificationem habeat in fine Anni Sancti, & aliam in principio? Huic ultimæ interrogationi ſatisfiet planè, ſi duplicem ipſius templi materialis ſignificationem recolamus. Templũ enim manufactum in ſcripturis aliquando ſignificat Eccleſiam triumphantem, & cœleſtem patriam, ut primo Regum 2.& ibi D.Gregorius, Ionæ 2.Habacuch.2.Malachiæ 3.De quo templo dicitur, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius*, Pſalmo. 100.44.64.& 67. Vnde ſcribitur, quòd in ædificatione templi non eſt auditus ſonitus mallei, vel ſecuris; ad ſignificandum, quòd omnis perturbationis tumultus longè erit à felici Beatorum ſtatu, ut inquit D. Thomas.1.2.q.102. art.4.ad 2.lege D. Auguſtinum ſuper pſalmum.44.& Georgium Venetum, Canticorum 1. tomo.7.cap.33. Aliquando verò ſignificat Eccleſiam militantem, pſalmo.10.47.67.atque in hoc templo Chriſtus reperitur, Lucę 2.ad cuius etiam ædificationem operam ſuam contulere Gentiles ad fidem venientes 3.Reg.5.lege Originem in Matthæum homil.15. Hieronymum, Abacuch.2. Zachariæ 1.& in Epiſtola ad Lętam, Arnobium ſuper pſalmum.74. Quemadmodum enim tabernaculum, quod mutabile erat, Synagogam ſignificabat; ſic tẽplum, eò quòd erat fixum, & ſtabile, Eccleſiam, quæ vſque ad finem mundi duratura eſt. Quando igitur Iubilæi annus inchoatur, & Porta Sancta aperitur; tunc, quoniam omnia impedimenta, quæ ad introitum cœli obſtant, pœnæ ſcilicet, & culpæ, per demolitionem muri repræſentantur, virtute Iubilæi amoueri, Eccleſiæ triumphantis figura refertur; id enim in ea apertione ſignificatur; quemadmodum in oratione, quæ tunc temporis à Papa recitatur, legitur, in illis verbis, *Vt in eo venia, atque Indulgentia plena remiſſionis omnium delictorum obtenta, cùm dies noſtra uocationis aduenerit, ad cœleſtem gloriam perfruendam, diuina miſericordiæ munere, perducamur.* Cùm verò Annus Sanctus clauditur, & per Portam Sanctam, cũ lætitia, & exultatione ſinguli exeunt, (quod non niſi ſemel in eo anno fit) finis Eccleſię militantis ſignificatur. Cuncti enim, qui Sacri Iubilęi fructum adepti fuerint, in gratia Dei vſque in finem perſeuerantes, magno cum gaudio, & iubilatione ex hac mortali vita diſcedentes, ab Angelis Sanctis cùm lętitia ſuſcipiẽtur: Id quod in ea Antiphona, quæ incipit. *Cum iucunditate*, non obſcurè inſinuatur, ubi cum iucunditate exeundum, & cùm gaudio deducendos in ęterna paſcua ab Angelis pronunciatur: nec nouum eſt in ſcriptura, vnam, eamdemq; rem, ſecundum varias proprietates, res diuerſas, immò contrarias ſignificare; vt leonis nomine, nonnumquam Chriſtus, vere leo de tribu Iuda, aduerſus Dęmonem pro nobis pugnans; nonnumquam verò leo rugiens, hoc eſt ipſe Dęmon, qui ſemper circuit, quęrẽs quem deuoret, ſignificatur. Atque hic ſit finis huius libri.

Cur diuerſa ſit Portæ Sãctæ ſignificatio.
Templũ materiale duo ſignificat i ſcriptura.
1.Reg.2.
D.Greg.
Ionę 2.
Abacuch 2.
Malach.3.
Pſal.100.44.64.& 67.
D.Tho.
D.Auguſt.
Georgius Venetus.
Pſal. 10. 47. 67.
Luc. 2.
3. Reg.5.
Orig.
Hiero.
Arnob.

RVTILII BENZONII, ROMANI, EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS,

De Vtilitate, & Fructu Sacri Iubilæi.

LIBER QVINTVS.

Explicatur intentio Auctoris in hoc libro.

DVo In hoc quinto libro circà ſubiectam materiam Iubilæi tractãda ſunt. Primum erit, ipſum fructum Iubilæi proponere, ut fideles etiam, atque etiam ad illum colligendum inflammentur, & ſic cœleſtibus diuitijs ditati, expeditiùs Regnum Beatitudinis conſequi valeant.

Secundum erit, documentã aliqua, monitaque Principibus tàm Eccleſiaſticis, quàm ſęcularibus tradere, vt eorum cura, & induſtria externa impedimenta, quę ſeſe offerunt ad conſequutionem Iubilęi retardandam, remoueantur. Quę omnia in ſequentibus ſexdecim capitibus abſoluemus.

Cap. I. *Quòd in Anno Sacri Iubilæi Dominus germinet Iuſtitiam, & laudem vniuerſis Gentibus.*

Cap. II. *Quod Deus in Anno Sancto germinet Iuſtitiam aduerſus Hæbræos.*

Cap. III. *Quòd in Anno Sancto Deus Iuſtitiam germinet aduersùs Hæreticos.*

Cap. IIII. *Quòd Deus per Iubilæum in Politicos huius ſæculi Iuſtitiam exerceat.*

Cap. V. *Quòd Deus per Iubilæum in ocioſos, & negligentes Chriſtianos Iuſtitiam exerceat.*

Cap. VI. *Quòd Deus his, qui dignè ad Sacrum Iubilæum accedunt, triplicem fructum benignè concedat.*

Cap. VII. *Quòd qui Theſauro Eccleſiaſtico vſi fuerint, amicitia Dei participes efficiuntur.*

Cap. VIII. *Quòd oporteat, Epiſcopum Plebem ſuam bene inſtituere ad Iubilæum Romæ ſuſcipiendum.*

Cap. IX. *Quòd Principes, & Magiſtratus ſæculares multa præſtare debeant, cauſſa Peregrinationis Anni Sancti.*

Cap. X. *De Apparatu Romæ faciendo pro Sancto Iubilæi Anno.*

Cap. XI. *Curandum eſſe omninò, ut Hæretici etiam ſacro interſint Iubilæo.*

Cap. XII. *Quòd omnibus Chriſtianis enixè curandum ſit, vt ſacro interſint Iubilæo.*

Cap. XIII. *Quæ neceſſariò ſeruanda ſint, vt quis fructum Iubilæi conſequi poſſit.*

Cap. XIIII. *Quòd triginta, vel quindecim diebus viſitandæ ſint Eccleſiæ præſcriptæ in Anno Iubilæi.*

Cap. XV. *Dubia triginta dilucidantur, circà adeptionem Sancti Iubilæi naſcentia.*

Cap. XVI. *Quæ animaduertenda ſint, ne fructus Sacri Iubilæi acquiſitus deperdatur; Quòdque pro eius ſuſceptione gratiæ reddendæ ſint Deo, non ſolum verbis, ſed etiam operibus.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quòd in Anno Sacro Iubilæi Dominus germinet Iuſtitiam, & laudem vniuerſis gentibus.

SICVT *terra profert germen ſuum, et ſicut hortus ſemen ſuum germinat; ſic Dominus Deus germinabit Iuſtitiam, & laudem, coràm vniuerſis gentibus.* Iſa. 61. Verba huius Prophetię ad literam vel dę Chriſto intelligenda sũt, ut Gloſſ. Interlinearis exponit, uel de Eccleſia, ut D. Hieronymus, Rupert. Adamus, & alij interpretantur. Sanè Chriſtus eſt Iuſtitia, quam Deus in mũdo germinare fecit ex terra Virginea Glorioſę Virginis, iuxtà illud Hieremię 23. *Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, &c.* de qua Paulus 1. Corinth. 1. inquit, *in Chriſto IESV, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & Iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Dicitur autem Chriſtus iuſtitia, non ſolùm quòd iuſtos, & ſanctos nos efficiat, iuxtà illud Pſalmi 131. *Sancti tui induantur Iuſtitiam*, vt Arnob. & cæteri Patres exponunt; ſed etiam, ut Hierem. cap. 9. dixit, quoniam fecit iudicium, & iuſtitiam in terra: quàm ſententiam D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 10. & 13. de Trinitat. cap. 12. & 13. D. Leo, ſerm. 5. de Paſſione Domini, ac D. Gregorius lib. 17. Moralium cap. 18. & lib. 18. cap. 3. ſic declarant. Quòd quamuis Dæmon non iniuria craſſaretur in homines, tentando, atque in malum impellendo, quos propter peccatum in ſua ditione, ac dominio, non quidem iure proprio; ſed Deo permittente, retinebat; iniuſtè tamen in Chriſtum, qui innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, nec eius poteſtati ſubiectus erat, crudelitatem ſuam exercuit, illum in multis tentando, ac præcipuè ad ſui adorationem incitando, tandemque in illum Iudæorum, & mortis ipſius rabiem immittendo; quam ob iniuſtitiam meruit ille, iuſto Dei iudicio, æquiſſimaque ſententia condemnari, atquę in pœnam, eorum dominio priuari, ſuper quos iure regnabat: in quo etiam diuinæ Iuſtitiæ ius mirum in modum elucet, quòd cùm poſſet Deus ſolo miſerentis volũtatis ſuæ imperio hominem ex Diaboli manibus eripere, nulla eidem iniuria facta; noluerit tamen abſque nota cauſſa illi hanc mulctam irrogare, in qua ipſum bonis partis ſpoliaret. Vnde Iohannis 12. dicitur, *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eÿcietur foràs*; & 16. *Princeps huius mundi iam iudicatus eſt*, & Lucæ 11. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poßidet; ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius, in quibus confidebat, auferet, & ſpolia eius diſtribuet*, quo vno & Chriſti iniuriam vltus eſt Deus, & hominem vindicauit in libertatem; vt Paulus ad Coloſſen. 1. egregiè dixit. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ*, & Iſa. 9. dictum fuit, *Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit, vt confirmet, & corroboret illud in Iudicio, & Iuſtitia.*

Locus Iſaiæ 61. de Chriſto exponit. Gloſſ. Interl. D. Hieron. Ruper. Adamus. Ierem. 23. 1. Cor. 1. Quomodo Chriſtus dicatur noſtra Iuſtitia. Pſal. 131. Arnob. D. Auguſt. D. Leo. D. Gregor. Io. 12. & 16. Luc. 11. Ad Coloſſ. 1. Iſai. 9.

SI VERO de Eccleſia, verba illa Iſaiæ interpretanda ſint, ſenſus erit, iuxtà Adamum; quòd ea largitate, qua terra pluuijs irrigata profert germen ſuum; ſic ſpiritu Chriſti fœcundata Eccleſia germinabit iuſtitiam, quæ poſita eſt in lege ſeruanda, omnibus deturbatis Idolis; quod non ſolùm inter Iudæos, ſed in cunctis etiam gẽtibus faciendum erat: atque in hanc ſententiam Caiet. interpretatur, Dæmonem à ſuo principatu depulſum: per mortẽ enim Chriſti cultus Idololatriæ, & Dæmonis ſublatus eſt; & quamuis mundus ex maiori parte defecerit à fide Chriſti, non tamen redijt ad Idola, nec Diabolo iterùm ſua reſtituta ſunt templa; licèt non ſit à ſeducendo, tentando, & calumniando omninò dimotus, ſed à principatu tantũmodo; quam etiam ſententiam Rupertus videtur amplecti dicens. *Quo modo Agricola plantante, atque irrigante, & Deo incrementum dante, terra profert germen ſuum, & hortus ſemen ſuum germinat; ſic illo vno, & quia homo eſt, euangeliZando plantante, atque rigante; & quia Deus eſt, per ſpiritum ſuum incrementum dante, proferam ego, &*

Idem locus de Eccleſia explicatur ex Adamo. Caietan. Rupert.

germinabo

germinabo iuſtitiam fidei, & laudem Dei, non coràm una tantùm gente Iudæa, ſed etiam coràm vniuerſis gentibus, ut videant opera mea bona, legendo dicta, uel acta Patriarcharum, vel Prophetarum; audiendo uocem, & intuendo lucem Apoſtolorum credant, & glorificent patrem, qui in cælis eſt. Quod Romę Deus per Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, eorumq; prędicationem, doctrinam, & martyrium operatus eſt. Per hos enim tamquàm per primos Eccleſię fundatores, germen iuſtitię, & fidei in Ciuitate Romana prolatum fuit, ac deinde per Petri ſucceſſores euangelica plantatio aucta, & amplificata. Vt enim inquit D. Hieronymus in caput 13. Matthei.

D. Hiero.

Hæc Apoſtolorum prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cùm in anima credentis, vel in toto mundo ſata fuerit; non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem; ità ut uolucres cæli, quas, vel animas credentium, uel fortitudines Dei ſeruitio mancipatas, ſentire debemus, veniant, & habitent in ramis eius: ramos puto euangelicæ arboris, quæ de grano ſinapis creuerit, dogmatum eſſe diuerſitates, in quibus ſupradictarum volucrum unaquæque requieſcit. Hactenus Hieronymus. Excreuit autem hęc euangelica arbor, ramiq; protenſi ſunt, & per diuerſorum Pontificum decreta varij, ac quamplurimi ſurculi nati, & denique in anno Sancto germen iuſtitię, hoc eſt Sacri Iubilęi inſtitutio, ſeſe exeruit, propagataq; eſt. Per illū enim Deus verę iuſtitię germen emittit, per illum glorioſa laus ab vniuerſis gentibus Deo redditur. Et verò Iubilęus, ſi tàm Deum, quàm Christum, atque etiam hominem ipſum reſpiciamus; iuſtitię germen appellari poteſt. Cùm enim per Iubilęum pęnę, quę in diuino foro debentur, ab homine vſque ad minimum quadrantem ſoluantur; quis negabit, Deo plenè ab illo ſatisfieri, qui pleniſſimę Indulgentię beneficio auctus fuerit? Quòd ſi Christum reſpicias; Iubilæum iuſtitiam eſſe, & ab eo tamquam opus iuſtitię proficiſci, omnis bonus Theologus affirmabit; cùm omnis Chriſti actio, nō ſolùm pœnę, ſed etiam culpę remiſſionem de condigno, & ex iuſtitia nobis ſufficienter promeruerit. Fuit enim meritum Chriſti infinitum ex circumſtantia perſonę, ad totam naturam humanam ſeſe extendens, ut inquit D. Tho. in opuſc. 2. cap. 231. & alibi ſępiùs. Si autem ipſum hominem reſpiciamus, quamuis ex alieno in Indulgentijs fiat ſolutio; tamen quoniam ipſemet homo ſoluit, tamquam eius propria, vt optimè Caiet. docuit in opuſc. to. 1. tract. 16. q. 1. uera ſolutio illa cēſenda eſt. Vnde Iubilęus, ſiue Indulgentia vera debiti ſolutio dicitur; quāuis. n. à Chriſto mutuò unuſquiſq; recipiat unde ſoluat, tamen uerè debitum ſuum quiſque ſoluit, ut ſuperiùs fuſiùs narrauimus. Eſt igitur ſacer Iubilęus uerè germē Iuſtitię, ſicut etiā laudis, & iubilationis, qđ Deus in Anno Sancto in Romano Paradiſo voluptatis, pluuijs cœleſtibus irrigato, ſumma largitate, ac benignitate profert. Sed an Iubilęus contra Hębręos, Hęreticos, negligentes, ocioſoſq; Chriſtianos iuſtitiam uindicatiuam germinet, ſequentibus capitibus videndum eſt.

Iubilæus dici poteſt germen Iuſtitię.

D. Thom.

Caiet.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd Deus in Anno Sancto germinet Iuſtitiam aduerſus Hæbræos.

Iubilæus hæbræorum figurabat Iubilęū Chriſtianorum.

Matt. 11.
Luc. 17.
Ad Rom. 10.
Ad Hębr. 7. & 8.
Io. 19.

HÆBRAICVM Iubilæum, ſicut & alia Moſaica præcepta tàm cæremonialia, quam iudicialia, in Chriſto terminatum eſſe, finemq; ſuum accepiſſe, notiſſimum eſt: *Lex enim & Prophetæ vſque ad Iohannem*. Matthęi. 11. & Lucæ. 17. & *Finis legis Chriſtus*, ad Roman. 10. & *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis tranſlatio fiat*, Ad Hębręos 7. & *Nouum teſtamentum inueterauit prius*. ad Hæbræos. 8. & deniq; Ioannis. 19. *Conſummatum eſt*. Erāt enim illa omnia vmbræ, & figuræ Chriſti, atque eorum, quæ in noua lege ab ipſo inſtituenda erant: cultus namque veteris legis non ſolùm erat figuratiuus futuræ veritatis, manifeſtandæ in patria; ſed ipſius etiam, quæ ad illam ducit viæ, ideſt Chriſti, qui

ſti,qui eſt vita, veritas, & via,quæ tunc nondum propalata, ut inquit Apoſtolus
ad Hæbræos 7.ſed tantùm adumbrata, & delineata erat: At in ſtatu nouæ legis, Ad Hębr. 7.
cùm via hæc iam reuelata ſit, (*Notas enim fecit nobis Chriſtus vias vitæ*)figuræ illæ
omnes in hoc impletæ euanuerunt. Veritatis enim præeunte, ac prælucente iam
ſole, vmbræ longè poſt corpus relinquitur, ut Theophylactus, & Oecumen. doctè Theophyl.
annotarunt, ſuper illa verba Pauli ad Coloſſenſes 2. *Vmbra futurorum, corpus au-* Oecum.
tem Chriſti. Habet quidem lex noua figuram, vel veriùs imaginem eorum, quæ in Ad Coloſſ. 2.
patria reuelanda ſunt; ſic Euchariſtiæ Sacramentum dicitur ſignum pręnuncia-
tiuum æternæ Beatitudinis, & Matrimonium coniunctionis æternę, atq; indiſſo-
lubilis animæ Deo gratæ cùm obiecto beatifico: & denique ipſamet Hieruſalem
militans rectè imago dicitur Eccleſiæ triumphantis. Verùm hæc non vmbrę, ſed
potiùs imagines futurorum bonorum appellanda ſunt, unde ad Hæbręos 10. *Vm* Ad Hębr. 10.
bram, inquit Apoſtolus, *habet lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*;
quaſi umbra, ut optimè adnotauit D. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 2. ad veterem legem per D. Tho.
rineat, imago uerò ad nouam; & quamuis hæbraicus Iubilæus cum noſtro con-
ueniat, quantùm ad repræſentanda ea bona, quę nobis danda ſunt in patria: vter-
que enim Iubilæus cœleſtem beatitudinem, ſabbatumq; illud maximè diuinum
referunt; in eo tñ diſcrepant, quòd ille vmbra erat Chriſti venturi, qui ad annun-
ciandum annum placabilem mittendus erat; noſter verò nequaquam, cùm Chri-
ſtum iam habeamus, qui noſtrorum eſt remiſſio peccatorum: veruntamen futu-
rę gloriæ nondum reuelatę effigiem, & ſimilitudinem habet. Iubilęus igitur, atq; Cult^9 Iudęorum non ut malus, ſed ut imperfectus ceſſauit.
omnis cultus Iudaicus ceſſauit quidem, non ut malus, vel falſus; quia tunc proba-
tus, & verus erat, ſed ut imperfectus, & ut figura, & umbra, perfecta adueniente
veritate. Qua in re falluntur Iudęi exiſtimantes, nos eorum cęremonias, ut malas,
& falſas condemnare; neque enim eadem ratione Gentilium, & Iudęorum cul-
tus damnandus eſt; cùm ille ex infidelitate, & errore procederet; iſte uerò ex fide,
quę tunc vera erat. Quamobrem Gentium cultum, ut falſum, atque impium; hũc
verò, quamuis tunc verum, hodie tamen tamquam adimpletum, inanem iam eſſe
docemus. Verùm miſeri, ac cęci Iudęi, qui olim ſummum Deum vero cultu ado
rabant, à facie, & cognitione Chriſti ſe elongantes, abierunt retrorſum, & cecide
runt in terram, perſeuerantesq; poſt Chriſti aduentum in ſuis ſacrificijs, oblatio-
nibus, ac ritibus non ueri, ſed impij, & falſi ſunt adoratores. Ioan. 12. *Venit tẽpus,* Io. 12.
& nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Rectè D. D. Cyrill.
Cyrillus lib. 11. in Ioannem in cap. 33. ex eo quòd miniſtri Phariſæorum dùm cũ
lanternis, facibus, & armis Chriſtum capere vellent in horto, ad unicam poten-
tiſſimam Chriſti uocem, retrorſum ceciderunt; rectè, inquam, colligit, tamquam
à ſigno, futurum caſum Iudęorum; eosq; tamquam aduerſarios, & inimicos nõ
in faciem cecidiſſe, ut Paulus, & Ezechiel, ſed Chriſti potentia depulſos, & eie-
ctos fuiſſe, ità ut retrorſum caderent. Et profectò, ut Diuus Gregorius homil. 9. D. Greg.
in Ezechielem, & lib. 17. moral. ca. 21. & lib. 31. cap. 18. rectè, de iniquis loquẽs,
animaduertit, hunc modum cadendi poſt ſe iniquis conueniſſe Iudęis; quia ibi ce
ciderũt, ubi nõ uidebãt. *Qui enim*, inquit, *ante ſe cadit, ibi cadit vbi videt. Qui aũt poſt*
ſe cadit ibi cadit, vbi non videt. Vnde cadentes retrorſum in inuiſibilibus cadunt, quia ibi
corruunt, vbi in quid impingant, videre non poſſunt.

VERVM, vt obſcuriſſimam Iudęorum cęcitatem magis cognoſcamus, magnam Plurima, & ingentia beneficia a Deo Iudæis exhibita numerantur.
que in illos Dei vindictam, & iuſtitiam, præcipuè ob peccatum cędis Chriſti ab
illis patratum; recolenda ſunt hic breuiter ingentia beneficia à Deo in eos colla-
ta, ex quibus liquebit, quanti Deus gentem illam fecerit. Sunt autem hæc ſumma
tim; quòd ex omnibus alijs mundi gentibus hunc Populum gratuito amore ele-
gerit; quòd electum admiranda potentia conſeruauerit; quòd illum maximis præ
rogatiuis cohoneſtauerit; quòd ſępius peccantem, & à Deo longiùs recedentem
in amicitiam receperit; quòd diutiſſimè in peccato perſeuerantem, tergaq; Deo
vertentem patienter ſuſtinuerit; quòd dulciſſimis verbis ſuum erga eos, vt filios,
amorem expręſſerit; quòd varios Prophetas ad eos monendos, & corrigendos
miſerit;

miſerit; quòd ex ipſis carnem ſumere, naſci, & inter eos conuerſari voluerit; quòd illos proprio ore docuerit; denique, quòd poſt immaniſſimam illã Meſſiæ necem per quadraginta annos integros eos ad ſui ſceleris agnitionem inuitauerit, atque expectauerit; ac poſtremo, quòd illos non niſi in Principis indulgentiſſimi arma incurrere voluerit. Sed ſingula breuiter explicemus.

Electio Populi Iudæorum. Deut. 7.

Deute. 7. Moyſes gratuitam electionem eleganter expreſſit dicens, *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram; non quia cunctas gentes numero vincebatis vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores: ſed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodiuit teſtamentum, quod iurauit patribus veſtris.* Rurſus,

Deut. 10.

Deuter. 10. ſcribit. *En Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra, et omnia, quæ in ea ſunt, & tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitq; ſemen eorum poſt eos, id eſt, vos de cunctis gentibus.*

Amor Dei ſummus ergà Iudæos ex multis prodigijs.

Admiranda quoque portenta, quæ vehementiſſimum amorem Dei in illos declararunt, quis enarrare poterit? videlicèt, cum in terra Chanaam extrema fame laborarent, in Ægypto, quo vno in loco frumentum reperiebatur, dominari Ioſephum permiſerit, qui illis opem tulit. Cùm in Ægypto ſeruitute illis oppreſſis, præualidam potentiæ ſuę manum exeruit, vniuerſamque Ægyptum decem plagis percuſſit, atque vaſtauit, quarum poſtrema omnia eorum primogenita extinxit. Cùm increpuit mare rubrũ, & exiccatum eſt, & deduxit eos in aquis nimijs. Cùm tergo ipſorum inſtantem Pharaonis exercitum fluctibus inuoluit. Cùm gradientibus per deſertum, in columna nubis per diem; in ignis verò pręiuit per noctem. Cùm dedit illis manna de cœlo ad manducandum, & eduxit aquam de petra ad bibendum, ampliſſimasque victorias contulit, Cùm in terram ipſam promiſſionis lacte, & melle manantem introduxit. Cùm ad primum eorum ingreſſum Iordanis aquas ad fontes reuoluit, & Hierichuntinos muros ad tubę ſonitum in terram prouoluit. Cùm è cœlo grãdinis lapides mittens pro eis certauit, ſolemque in medio curſu conſiſtere fecit, vt glorioſiſſimam victoriam reportare valerent. Quòd uerò Deus maximas prærogatiuas genti Hębręorum conceſſerit, cùm eius peculiari ratione Deus, ac Domi-

Beneficia quibus Deus ſe peculiariter Iudęorũ Deũ oſtendit. Eccleſ. 24.

nus eſſet, facilè eſt ex ſcripturis oſtendere. Hic enim Populus ſolus ex omnibus mundi gentibus veram habuit olim Dei notitiam, verumque Dei cultum, ac religionem, cęteris omnibus in obſcuriſſimis errorum, & pręſertim Idolatrię tenebris, ipſoquoque cęcutiente naturali lumine, derelictis. Vnde in capite 24. Eccleſ. diuina ſapientia narrat, ſe in ſolo Hæbręo Populo, tãquam in hęreditate Domini commorari. Præterea in hoc uno populo, ab ipſius penè Orbis cunabulis uſq; ad Chriſti aduentum, uera fides, & cultus inuiolatus permanſit. Iudęis item ſacræ paginę, Dei uidelicèt eloquia, ut inquit Paulus, concredita ſunt; quinetiam ſępenumero Deus ad diuinorum myſteriorum, cœleſtiumque arcanorum illos conſcios faciendos, nec non etiam apud reliquas gentes cohoneſtandos, nedum Prophetas, Reges, ac Iudices, ſed etiam ad illos ipſos quoque Angelos allegauit. Deindè, huic ſoli populo legem ſuo digito ſcriptam dedit, cæremoniasque, & ſacrificia, aliaque præcepta, quibus eorum regimen inſtitueretur, ſapientiſſimè definiuit. Vn-

Deut. 4.

dè Moyſes Deuteron. cap. 4. hoc ampliſſimum beneficium extollens, ſic ſcripſit. *Hac eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coràm populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna; nec eſt alia natio tàm grãdis, quæ hẽat Deos appropinquãtes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, quæ eſt. n. alia gens ſic inclita, vt hẽat caremonias, iuſtaq; iudicia, et vniuerſam legẽ, quã ego proponã hodie ante oculos veſtros?*

Pſal. 147.

Et Dauid in Pſal. 147. inquit, *Qui annũciat verbum ſuũ Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Ex hoc autẽ populo, tamquam ex præpingui, vberrimoq; ſolo, varię, nobilesque virtutum, & bonorum oĩum quaſi plantæ, germinaq; propagata ſunt; in quorum quaſi ſtirpibus radicum firmitas, Patriarcharum pietas, ac ſanctitas fuit; ſtipitum robur, Prophetarum oracula, prodigia, atque admirabilis cùm Deo coniunctio; ramorum ſoliditas, Iudicum, ac Regum, cęterorumque Ducum domi, militięque preclariſſimè geſta; frondium, ac florum amęnitas, maximè

inſignis,

inſignis,atque conſpicua,mulierum pudicitia,ipſorumque adoleſcentulorum inexpugnabilis continentia; ipſa denique fructuum ſuauiſſimorum præſtantia,copiaque uaria piè,ac laudabiliter in Deum,atque homines impensè elaborata,patrataque ſunt;quibus etiam fructibus nec vllius uirtutis odor,nec ipſa etiam rubedo martyrij in cortice deſuit. Tandem ex ipſa Iudaica lege lex noſtra Euangelica, tamquam elephantinus quidam partus, per tot ſæculorum decurſus in eius aluo geſtatus, Chriſto obſtetricante, in lucem, atque in ſalutem populorum omnium proceſſit. Quod Eſaias cap.2.prophetico oraculo apertè monſtrauit. *De ſyon,* inquit, *exibit lex,& verbum Domini de Hieruſalem.* Et apud Ioannem cap.4. Dominus dixit Samaritanæ, *Salus ex Iudæis eſt,* quod etiam Zacharias cap.8. uaticinatus fuerat his verbis, *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium,& apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes, ibimus vobiſcùm,audiuimus enim,quoniam Deus vobiſcum eſt.* En gentis hebrææ prærogatiuæ, & honores,quos Diuus Paulus in cap.9. Epiſtolæ ad Romanos ſtrictim collegit,ſic ſcribens. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem,qui ſunt Iſraelitæ,quorum adoptio eſt filiorum,& gloria,& teſtamentum, & legislatio,& obſequium,& promiſſa; quorum patres,ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem,qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.*

Iſaia. 2. Io.4. Zacc. 8. Ad Rom.9.

IAM verò, quoties delinquentem, pœnitentem tamen, in priſtinam amicitiam admiſerit,non niſi longa oratione enarrari poteſt. Primùm,intercedente Moyſe, pepercit illis Deus peccatum Idolatriæ, quod in deſerto commiſerant, vitulum aureū fabricatum adorando; deinde contra Deum, & Moyſem ſępiùs murmurarunt,& per quadraginta annos Deum tentarunt,& prouocarunt; nec tamen illos deſeruit, ſed in promiſſam terram introduxit:relapſos iterum poſt mortem Ioſuè ad Idolorum cultum,tradidit Deus in manus Regis Meſopotamiæ; ſed per Othonielem, poſt octo annos eos liberauit: tertiò recidentes Eglon Rex Moab annis 18.ſub iugo ſeruitutis oppreſſos tenuit,ex quo per Aod,qui Eglon confodit,liberati ſunt,Iudic.3. ſed quartò relapſi à Iabin Rege Chanaam per annos 20. vexati ſunt,quos tamen per Deboram,& Barach Deus in libertatem vindicauit, Iudic. 4. Prætereà Madianitæ annis ſeptem eos, dum quintò idolatrarent,uaſtant; quos tamen Gedeon in integrum reſtituit, Iudic.cap.7. Rurſum ſextò peccantes annis 28. à Phyliſtæis,& filijs Amon acerbè tractātur,& Iephte armis eripiuntur. Iterū ad Idolatriam reuertentes per 40.annos in manus Philiſtinorum traduntur, qui tamen à Samſone libertate donantur,Iudic. 13. Prætereà,ſpretis Sacerdotum iudicijs,Deum grauiter offendentes, Regem poſtularunt. 1.Reg.8. & tamen Deus vocem eorum audiens, Reges ſuper eos conſtituit; nec diu ſub Regum regimine in Dei cultu perſtiterūt, ſed ſub quarto.i. Roboā filio Salomonis,& decem tribus ſub Ieroboam,vitulos ſibi iterum aureos erexerunt;atque in hac Idolatria ità perſeuerarunt,ut etſi per Eliam,& Eliſæum,alioſque Prophetas, per Baaſa, & Iehu, nouos Principes ad patrium veri Dei cultum decem illæ tribus reuocarentur; ad eum tamen nullo pacto recipere ſe umquam voluerint. Vndè ex patrio ſolo eiectæ,apud Aſſyrios, variaſque alias nationes in perpetuum exularunt, ut in lib.4. Regum cap.17. Reliquas verò duas tribus adhuc etiam peccātes quàm diù Deus ad pœnitentiam expectauerit,colligitur ex eo,quòd per plures annos,miſſis Prophetis,Iſaia ſcilicèt,Ieremia,& Ezechiele,monuerit illas Deus. De quibus etiam Iſaiæ 1.conqueritur dicens, *Filios enutriui,& exaltaui,ipſi autem ſpreuerunt me. Omne caput languidum, & omne cor mærēs, à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. Bos cognouit poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe Domini ſui, Populus autem meus me non cognouit.* & iterum cap.3. *Quid debui facere vineæ meæ,& non feci? expectaui,vt faceret vuas,& fecit labruſcas.* & Ieremiæ 8.& 9.acerbiſſimum fletum,& planctum de hac re faciens,tandem concludit. *Conuertimini filij reuertentes;quia ego vir veſter,& aſſumam vos.* & iterum. *Conuertimini filij Iſrael reuertentes,& ſanabo auerſiones.* & tandem eorum contemptum præceptorum Dei.cap.3. his verbis deſcribit. *Quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſrael,*

Quoties De⁹ populum Hebræorum pœnitentem miſerat⁹ fuerit. Iudic.3. Iudic.4. Iudic.7. Iudic.13. 1.Reg.8. 4.Reg.17. Iſai.1.& 3. Ierem.8.& 9.

Iſai.65. *dicit Dominus*, & Eſaiæ 65. *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur via non bona, poſt cogitationes ſuas.* Sed ampliùs etiam uſque ad ſtomachũ Ierem.6. Iſai.1.& 43. illos paſſus eſt. Vnde Iſaiæ 1. & Ieremiæ 6. *Laboraui ſuſtinens*, & Iſaię 43. *Verùm tamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* At uerò poſt liberationem à captiuitate babylonica, & Templi inſtaurationem, ſub nouis Ducibus, & Pontificibus diù floruerunt, & tandem perſeuerantes in ſua malitia, & iniquitate ſæpè monuit, & verbis, & verò etiam flagellis, vt apud Macha- 2. Machab.6. bæos lib.2.cap.6.legimus, cùm Iudæorum calamitates propter peccata eorum euenire explicans ſcriptura, ait, *Non ſicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cùm Iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ità & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis, ità demũ in nos vindicet; propter quòd numquam quidem à nobis miſericordiam ſuam amouet; corripiens verò in aduerſis populum ſuum non derelinquit.* En igitur, quoties Deus hunc populum rerga vertentem, & quamdiù ſuſtinuerit.

Magn^9 amor Dei ergà populum Iudæorum. Exod.19. Deuter.31. Iſai.51.52. Exod.19. Iſai.5.

SED quàm dulciſſimis, & amantiſſimis verbis ſuum erga illos amorem propalauerit, hæc loca ſcripturæ declarant. Exod. 19. Populum hũc partem Domini Moyſes appellat. Deuter.31. *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, Iſaiæ 51.52. Populus meus dicitur, & vocatur quoque peculium Dei. Exod. 19. *Eritis*, inquit, *mihi in peculium de cunctis populis*: dicitur quoque ibidem Regnũ Sacerdotale, & gens ſancta; vocat quoque illum Deus vineam ſuam, & germen delectabile. Iſaiæ 5. *Vinea Domini exercituum Domus Iſrael eſt, & vir Iuda germen eius delectabile.* Rurſum appellatur filius, non quicumque, ſed primogenitus. Exo. Exod.4. Ierem.2. 3 Reg.2. Iſai.43. 4. *Filius meus primogenitus Iſrael*, & Ieremiæ 2. dicitur, *Numquid ſeruus eſt Iſrael, aut vernaculus?* & 3.Reg.2. Deus dixit Dauidi, *Ego ero ei in patrem, & ille erit mihi in filium*; immò honorabilis filius, & dulciſſimè dilectus vocatur. Iſaiæ 43. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus, ego dilexi te.* & Iſaiæ 49. ſeruus appellatur, in quò Dominus gloriatur. *Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor.* Quid? quòd ea dilectione, quę paternam ſuperat charitatem, illos proſequutum fuiſſe, de- Iſai.49. clarant verba Iſaię 49. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coràm oculis meis ſemper.* Immò (mirabile dictu) animam ſuam Ierem.12. dilectam vocat apud Ierem. 12. loquens de Iudęorum captiuitate. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius*; quid huic amori ſuperaddi poteſt? illud certè addẽdum erit, quòd etiam poſt Chriſti cędem, in quam ipſi ſemper auidiſſimè exarſerunt, per 40. annos ante ex- Ioſephus. tremum excidium expectauit. Lege Ioſephum de bello Iudaico lib.6.ca.11.& libro 7. cap.4.& 10.& ſequentibus, vbi ſub Tito, & Veſpaſiano, anno Chriſti 73. Hieruſalem captam, direptam, & vaſtatam eſſe, ſcribit. Nec in hoc excidio Deus Etiã in extremo excidio Iudæorũ ſub Tito, & Veſpaſian. Deus in eos clementiã exercuit. clementiam ſuam ergà hunc populum depoſuit. Titus enim clementiſſimus, & religioſiſſimus Imperator, ſub quo Vrbs obſeſſa fuit, ex illa fugientes benigniſſimè excepit, ità ut ex populo ſeruarẽtur pluſquam quadraginta millia: omnes hic uias tentauit ne Vrbs diriperetur, ne Templum exureretur, & tandem vaſtatione facta, Iudęos, qui ſupererant, in pace per Orbem viuere, antiquiſque priuilegijs frui Ezech.16. permiſit. Multa alia beneficia huic populo collata legenda ſunt apud Ezech.cap. 16. *Veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacinto, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro, & argento, & ueſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus: ſimilam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum.* Hactenus igitur Hębręum populum à Deo ſuper omnes mundi nationes amatum, & cohoneſtatum eſſe, abundè oſtenſum eſt; nunc proximè quantopere Deus acerrimè illos in ſua impietate perſeuerantes caſtigauerit, breuiter commemorandum eſt; expectauit enim Deus, ut hęc uinea dilecta, & tot beneficiorum pluuijs irrigata, & aucta faceret iudicium, & ecce iniquitas;

quitas;

quitas;expectauit,ut faceret iuſtitiam,& ecce clamor;ac deniqꝫ,ut faceret vuas, & fecit labruſcas,Iſa.5.At uerò Moyſes Deuter.32.uniuerſas eorum calamitates futuras prędixit. *Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſsima; deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis, foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul, ac virginem lactentem cum homine ſene. Et dixi, vbi nam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Quæ omnia, dum decem tribus in captiuitate detinerentur, præcipuè magna ex parte completa ſunt, vt uidere eſt in cap.19.4. lib.Regum. Sed aduerſus reliquas duas Tribus adhuc acerbiora Deus per Hieremiam minatus eſt, cap.15.his uerbis. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coràm me, non eſt anima mea ad populum iſtum, eijce illos à facie mea, & egrediantur; quòd ſi dixerint ad te, quò egrediemur? dices ad eos, hæc dicit Dominus. Qui ad mortem, ad mortē, & qui ad gladium, ad gladium, & qui ad famem, ad famem, & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem, & viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus, gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia Cæli, & beſtias terræ ad deuorandum, & diſsipandum, & dabo eos in feruorem uniuerſis regnis terræ:* & poſt pauca. *Tu reliquiſti me, dicit Dominus,* (loquitur de Hieruſalem) *retrorſum abijſti, & extendam manum meam ſuper te, & interficiam te, laboraui rogans, & diſpergam eos ventilabro in portis terræ, interfeci, & diſperdidi populum meum, & tamen à vijs ſuis non ſunt reuerſi.* & iterum per Ezechielem cap.23. horrendum iudicium in Iudæos his uerbis pronunciat. *Filios Babylonis, & vniuerſos Chaldæos nobiles, Tyrannoſque, & Principes, omnes filios Aſſyriorum, iuuenes forma egregia, Duces, & magiſtratus vniuerſos, Principes Principum, et nominatos aſcenſores equorum, & venient ſuper te inſtructi curru, & rota, multitudo populorum lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique, & dabo coràm eis iudicium, & iudicabunt te iudicijs ſuis, & ponam Zelum meum in te, quem exerceāt tecum in furore; naſum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanſerint gladio concident, ipſi filios tuos, & filias tuas capient, & nouiſsimum tuum deuorabitur igni, & denudabunt te veſtimentis tuis, & tollent vaſa gloriæ tuæ.* Et poſt pauca iterum inquit, *In via ſororis tuæ ambulaſti, & dabo Calicem eius in manu tua, hæc dicit Dominus Deus. Calicem ſororis tuæ bibes, profundum, & latum, eris in deriſum, & in ſubſannationem, quæ eſt capaciſſima, ebrietate, & dolore repleberis: Calice mœroris, & triſtitiæ, Calice ſororis tuæ Samariæ, & bibes illum, & epotabis vſque ad faces, & fragmenta eius deuorabis, vbera tua lacerabis, quia ego loquutus ſum, ait Dominus Deus.* An non quot verba, tot fulmina iuſtitiam Dei, & iudicium contra hunc populum ſignificantia?

Iſai.5. Deuter.32. 4.Reg.19. Ierem.15. Ezechiel 23.

VERVM res tam perſpicua in Prophetis longiorem ſermonem non patitur: pęnas igitur huius populi ſummatim referamus. Primùm nomen populi Dei amiſit; etenim ſignificanter apud Daniel.cap.9.ſcriptum fuit, *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Ciuitatem Sanctam tuam Hieruſalem;* vbi Diuus Hieronym.& Theodoretus, quod etiam Tertullianus in libro contra Iudæos, & Euſebius in lib.8.de demonſtratione Euangelica annotarūt, animaduertunt, ità dictum eſſe, ut ſignificaretur, gentem Hæbræam propter eius ſcelera præterita, atque pręſentia; præcipuè verò propter immanitatem futuri ſceleris cędis Chriſti, indignam fuiſſe, ut populus Dei cenſeretur, ac nominaretur: præterea Dei protectione, religionis gloria, Templo, ſacrificijs, cæremonijs, Iubilæo, Regno, libertate, ſacrarumq; ſcripturarum poſſeſſione ſpoliati ſunt, plurimiſq; alijs ęrumnis, grauiſſimiſq; calamitatibus contriti; quas antequam ex Ioſepho proferamus, ponderanda ſunt verba Hieremiæ cap.13. vbi ſatis expreſsè omnis Iudæorum ſuperbia, & obſtinatio ob oculos quaſi picta proponitur. *Vade, & poſſide tibi lumbare lineum, & pones illud ſuper lumbos tuos, & in aquam non inferes illud; & poſſedi lumbare iuxtà verbum Domini, & poſui circa lumbos meos; & factus eſt ſermo Domini ad me ſecundò dicens; tolle lumbare, quod poſſediſti, quod eſt circà lumbos tuos, & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde illud in foramine petræ, & abij, & abſcondi illud in Euphrate, ſicut præceperat mihi Dominus, & factum eſt poſt dies plurimos dixit Dominus ad me. Surge vade ad Euphratem & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut ab-*

Pœnæ Iudæorū ex ſacra ſcriptura hic recenſentur. Daniel.9. D Hiero. Theodoret. Tertu.l. Euſeb. Ierem.13.

ſconderet illud ibi,& abij ad Euphratem,& fodi, & tuli lumbare de loco, ubi abſconderā illud,& ecce computruerat lumbare, itá ut nulli vſui aptum eſſet;& factum eſt verbum Domini ad me dicens. Hac dicit Dominus, ſic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda,& ſuperbiam Hieruſalem multam; populum iſtum peſſimum, qui nolunt audire verba mea,& ambulant in prauitate cordis ſui, abieruntq́ poſt Deos alienos, ut ſeruirent eis, & adorarent eos,& erunt ſicut lumbare iſtud, quod nulli uſui aptum eſt. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſrael, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, ut eſſent mihi in populum,& in nomen,& in laudem,& in gloriam,& non audierunt. Hactenus Hieremias. Aptiſſima ſanè, & grauiſſima Allegoria, qua declaratur,& amor Dei erga populum Iſrael, quē ſibi, ut lumbare lumbis aſtrinxerat,& miſerrima conditio, in quam ob incredibilē ingratitudinem inciderunt. Sic enim à Deo acerbiſſimè percuſſi ſunt, ut tamquam lumbare putridum, in toto orbe nulli amplius vſui apti ſint; nullam certam ſedem, nullum templum, nullos Pontifices, vel Sacerdotes, nullaq; ſacrificia obtineāt. Sed nondùm finis. Varijs cladibus, & internecionibus à Deo percuſſi ſunt: Ceſtius enim, Albinus, & Veſpaſianus multa Iudęorum millia interfecerunt,& tandem Titus Imperator, dum Paſchalia feſta peragerentur, Hieroſolymam aggreditur, eaq; obſeſſa,& capta, undecies centena millia virorum ad mortem adegit. Ioſeph. lib. 7. de bello Iudaico. cap. 17. ſcribit, fato (diuino uidelicet impulſu) tunc temporis totam gentem in eamdem urbem, uelut in carcerem concluſam fuiſſe. Ex hoſtijs autem tunc immolatis colligit, Hieroſolymis fuiſſe vicies centena, ac ſeptingenta millia hominum,& hos omnes ſanctos,& puros, abſque inquinatis, qui ſacrificiorum participes non erant;& præter cæſos addit, numerum captiuorum, qui toto bello cōprehenſi ſunt, ad nonaginta ſeptem millia aſcendiſſe. Toto autem tempore obſidionis, quæ incidit in Annum Domini 72. vel 73. Veſpaſiano Auguſto, & Tito Conſulibus, ut ſcribit Tacit. hiſto. lib. 4. & à decimaquarta die menſis Aprilis incepit, ut Ioſeph. de bello Iudaico lib. 6. cap. 4. & 16. recenſet, & uſque ad octauam diem menſis Septembris, quæ dies fuit Sabbati, ut author eſt Dio, in Nerone, per durauit, prçter obſidionem variç, atque acerbæ calamitates acciderunt. Nā complures quotidie capiebantur, & ſaltem quingenti per ſingulos dies, qui omnes Crucibus ſuffigebantur, quorum adeò numerus multiplicatus erat, ut, teſte Ioſepho eodem lib. cap. 12. iam ſpacium Crucibus deeſſet, & corporibus Cruces; fame incredibili, atque inexplicabili vexati ſunt, ita ut ex calciamentis, cingulis, corijs,& tandē fimo è ſtabulis quæſito cibum caperent, adeò quòd nec ipſis filijs parcerent. Rurſum noua calamitas; quamplurimi in viſceribus aurum condidiſſe cū putarentur, uentre miſerrime diſſecto perierunt, ità ut ob eam cauſam, una tātùm nocte duorum millium hominum viſcera ferro patefacta, atque effuſa fuerint, idem Ioſeph. lib. 6. cap. 14. & 15. Prætereà cùm ſex millia hominum in Templū ſe recepiſſent, ſalutis gratia, ut mortem euaderent, in ipſo Templo concremati ſunt. Sic Ioſeph. lib. 7. cap. 11. apud quem alia maximè horrenda videre eſt. Capta Vrbe, ex multitudine, quæ ſupererat; alij, nempè maiores ſeptem,& decem annis in Ægyptum miſſi, ad opera damnantur; alij, qui procero, & formoſo corpore erant, triumpho reſeruati ſunt; plurimos corpore robuſtiores per prouincias Titus diſtribuit in theatris ferro, & beſtijs conſumendos; minores uerò decem, & ſeptem annis, uiliſſimo prçcio uenditi ſunt. Sed nec in Iudæa ſolùm hebræorum calamitas conſtitit, varijs enim in locis extra Iudæam eodem ferè tempore perempti ſunt, ità ut diceres, totum penè orbem in eorum necem conſpiraſſe. Narrat Ægeſippus de excidio Vrbis Hieroſol. lib. 5. cap. 53. Cçſarienſes repentino quodam impetu viginti millia Iudæorum necaſſe, fugatis alijs, ità ut tota Vrbs exinanita videretur, & Scythopoli in Syria idem factum eſſe. Damaſcenos etiam octo millia Iudæorum cæſiſſe proditum eſt. Aſcalonitas duo millia,& quingentos. Ptolomaidas duo itidem millia. In Alexandria per exercitum Romanorum ſexaginta Iudęorum millia intrà Vrbem deleta ſunt. Sed & tria millia Iudæorum, qui in Cyrenem Ægypti prouinciam confugerant, à Catulo Præfe-

Allegorica explanatio loci huius. Hierem. 13.

Vaſtatio Iudæorum ſub Imperatorib. Tito & Veſp. Ioſephus.

Corn. Tacit. Ioſephus.

Dio.

Calamitates hæbræorū in obſidione Vrbis Hieruſalem. Ioſephus.

Ioſephus.

Ægeſippus.

cto tru-

ɛ̃to trucidatos eſſe, author eſt Ioſeph. de bello Iudaico lib. 7. cap. 29. & 31. quo ẽt *Ioſephus.*
in loco ſcribit, tria alia millia qui in nemus Iardes nuncupatum, ſe ſe receperant,
ut obſidionis pericula effugerent, à Lucilio Baſſo Legato interfectos fuiſſe. Has
autem omnes calamitates, ob execrandorũ ſcelerum cumulum, & nefandorum
ſacrilegiorum abominationem, quæ in gente Hæbræa percrebuerant, à Deo im
miſſas eſſe, teſtatur Ioſeph. lib. 6. cap. 16. his verbis acerbiſſimo cum dolore prola *Ioſephus.*
tis. Enumeratis enim ſacrilegijs, quæ intrà ipſum templum facta ſunt à Iudæis eo
ipſo tempore, quo Hieruſalem obſidebatur à Romanis, hæc ſubiecit. *Non equidẽ
recuſabo dicere, quæ dolor iubet. Puto ſi Romani contrà tàm noxios noſtræ gentis homi-
nes venire tardaſſent, aut hiatu terræ deuorandam fuiſſe Ciuitatem; aut diluuio ſubmer-
gendã, aut fulminum, ad ſimilitudinem Sodomæ, incendijs ſubijciendam: multo enim ma-
gis impiam progeniem tulit, quàm ea fuit, quæ illa ſupplicia pertulerat.* Sic Ioſeph. Qui
etſi magnitudinem diuinæ ultionis in Iudæos rectè deſcribat, eiuſdem tamen cau
ſam præcipuam non attigit. Cùm nec ob necem Iacobo iuſto illatam; nec ob ea
ipſa ſcelera, quæ narrat, pręcipuè tanta mala illos apprehenderint; ſed ut ſuperiùs
dictum eſt, ob necem innocentiſſimi, atque immaculati filij Dei Chriſti IESV, hu-
mani generis redemptoris, à Prophetis tot oraculis prænunciati, innumeriſq; mi
raculis, atque ſignis illuſtrati: omnis enim gens, & natio confitetur, Iudaicum po
pulum tantopere olim Deo gratum, totq; beneficijs affectum propter ingratitu-
dinem, & impietatem in Chriſtum Dominum, iuſto Dei iudicio, condigna ęquè,
ac miſera pati.

IN Anno igitur ſacro, dum Chriſtiani in Vrbe ſancta celebrant Iubilæum, di- *Quod Deus*
uina in illos iuſtitia exercetur: dum adempta ſibi anni quinquageſimi celebritate, *iuſtitiam ad-*
recolunt ſe ob peccatorum omnium grauiſſimnm id meruiſſe; eſtque noſtri Iubi- *uerſus Iu-*
læi celebratio eorum confuſio. Per hunc Deus illos increpat, redarguit, iterùm- *dęos exerceat*
que condemnat. Numquid enim obliuiſci poterit Iudæus Anni ſui quinquageſi- *in Anno Iu-*
mi, & remiſſionis tantoperè in lege celebrati, dum à Chriſtianis Iubilæi Annus *bilæi.*
tam ſolemni pompa, tantoque totius Orbis concurſu, grauiſſimis, religioſiſſimiſ-
que Cæremonijs peragitur? vbinam Iudæorum tuba? vbi clangor? vbi debitorũ
remiſſio? vbi ſeruorum libertas? vbi agrorum redemptio? vbi gloria? vbi honor
Iſrael? omnia, quæ à Chriſtianis geruntur in hoc ſacro Iubilæi anno, iudicium, &
iuſtitiam contra Iudęos inclamant. Loquuntur contra illos ſcripturæ ſacræ, voci-
ferantur Prophetæ, clamant ſcriptores ipſi; tam prophani, quàm eccleſiaſtici, tã
noſtri, quàm verò etiam hæbræi. Prodit eos quoque, atque accuſat redolens fæ-
tor, qui in perpetuæ infamiæ notam corporibus eorum ſemper inhæret, vt Am- *Ammia. Mar.*
mianus Marcellin. lib. 2. innuit. Clamat ſignum, ad inſtar Cain, à Deo in eis poſi-
tum, in argumentum patrati ſceleris, vt ait Auguſt. in Pſalm. 58. Clamat deniq; *D. Auguſt.*
aduerſus eos noſter Iubilæus, eorum impietatem, & ingratitudinem exprobrans.
At neſcit iniquus confuſionem, Sopho. 3. Interim Deus ſubſannat vaſtitatem ſu- *Sopho. 3.*
per robuſtum, Amos 5. & ſubſannando, vt irę oſtendat magnitudinem, hęc tam *Amos 5.*
magna mala in olim robuſtum, & fortem Iudæorum populum immittit; conuer *NOTA.*
tunt enim Dei iudicium in abſynthium iniquiſſimis ſuis operibus, Deum ad ama
ritudinem, & iracundiam prouocantes; & poſtquam iuſtitiam in terra reliquerũt,
ideſt, Chriſtum abiecerunt, Deus in Cœlo Eccleſię Arcturum, & Orionem oſten
dit, quibus pluuias magnas, & tempeſtates excitat, ideſt, Apoſtolós, cæteroſque
viros apoſtolicos, qui vt ſtellę cœleſtes micantes, corda hominum commouen-
tes, copioſas in ſquallentes mundi agros pluuias prædicationum ſuarum effun-
dunt; tunc in ſecundo mane tenebræ mutatæ ſunt, ideſt, gentes ad lucem Euange-
lij conuerſæ, ad Epheſios. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; & *ad Epheſ. 5.*
dies in noctem mutata eſt, quoniam Hæbręi, verbi diuini luce reſplendentes, ſole
ab ipſis extincto, Chriſto ſcilicèt, in palpabiles Ægypti tenebras detruſi ſunt;
quo etiam ex tempore verè Deus vocat aquas maris, & effundit in terras, quia
diuinæ iuſtitiæ radius ex medijs gentibus, quaſi ex ſalſis pelagi fluctibus vapores
eliciens, Doctores, uidelicèt, in ſapientiæ nubes concreſcere, & in largiſſimos ſan-

ctæ doctrinę imbres eliquari, diuina ſua prouidentia inſtituit. Sed de Iudæis ſatis. Nunc de iuſtitia in Hęreticos, qui malitia, perfidia, atque obſtinatione illis ſuppares ſunt, agendum eſt.

CAPVT TERTIVM.

Quòd in Anno Sancto Deus iuſtitiam germinet aduerſus Hæreticos.

Amos 5. Mos Iudęorū circa iudicia in portis. Zacchar. 8. Ruth 4. 2. Reg 15. Pſal. 126. D. Greg. D. Hieron.

ODIO *habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.* Amos cap. 5. Vetuſtiſſimus Iudæorum mos fuit, vt ex ſcripturis habetur, iudicia in portis ciuitatum exercere, ità Zacchar. 8. *Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis veſtris*, Ruth 4. *Aſcendit ergò Booz ad portam &c.* 2. Reg. 15. *Et mane conſurgens Abſalon, ſtabat iuxta introitum portæ in via, et omnem virum, qui habebat negocium, ut veniret ad Regis Iudicium, vocabat Abſalon ad ſe*, & Dauid Pſalm. 126. *Non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta*; quod D. Gregorius annotauit 21. Moral. cap. 14. Ratio autem, quare apud Iudæos in portis locus attribueretur Iudicijs, redditur à Diuo Hieronymo ſuper citata loca Amos, & Zacchar. Nempè ne agricolæ ad cauſam venientes cogerentur intrare Ciuitatem, ob cuius frequentiam, vel nouo terrerentur aſpectu, vel aliquod aliud ſubirent diſpendium; nè etiam ipſi Vrbis habitatores longè ab Vrbe properarēt, & ſubuectionem quærerent iumentorum; atque etiam ut finito negocio, urbanis, atque ruſticis in exitu, & introitu Vrbis auditis, vnuſquiſque confeſtim ad ſedes proprias reuerteretur. Vnde uerborum Amos, quæ à nobis in principio capitis poſita ſunt, ad literam ſenſus erit, vt Diuus Hieronymus interpretatur, quòd hi, ſuper quos Deus ſubridet vaſtitatem, & affert in eis depopulationem, qui in malo robuſti ſunt, & ad opprimendum potentes, odio habuerunt in porta, ideſt, in iudicio publicè corripientem Chriſtum ipſum, uel alios Prophetas, qui ad eos miſſi ſunt; & loquentem perfectè, ideſt, uerbum immaculatum, ut Symmacus; uel ſermonem ſanctum, quo homines ad iuſtitiam colendam concitantur, ut Theodotio & Septuaginta interpretati ſunt; palàm enim ac publicè ſcelera Iudæorum Chriſtus redarguit, ut Ioannis 8. ipſe teſtatus eſt, *Ego palàm loquutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus ſum nihil*; atque ob id eum, & Patrem eius oderunt, ut cap. 15. Ioa. dicitur, *vt adimpleretur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.*

D. Hieron. Symmacus. Theodotio Septuaginta. Ioan. 8. Ioan. 15.

D. Hieron.

VERVM optime D. Hiero. perpendit, peccatoribus non ſatis eſſe arguentem in portis odiſſe, niſi quoque verbum ſanctum, quod de eius ore profertur, ideſt, Dominum IESVM abhominentur; qui enim non recipit Prophetam, nec recipit eum, qui miſit illum: Nec ſolum Iudæi dicentes anathema IESV, verbum Dei abhominantur, quod & perfectum, & ſanctum, & immaculatum eſt; ſed etiam Ethnici, atque Hæretici, quorum illi ſcripturas ſanctas abhominantur, in quibus verbum Dei eſt; hi verò, dum peruerſe intelligunt, quod legunt, abhominationem ponunt in domo Dei. Sic Hieronymus. Et quidem Hæretici ſummo furore, caninaque rabie perpetuò in ſedentem in Porta Sancta, ideſt, Romanum Pontificē, ipſos eorumque mendacia, & falſitates redarguentem, mirum in modum exardeſcunt. Hunc inteſtino odio, & uerbis, & ſcriptis ſine fine inſectantur, in illum conuicia, blaſphemias, atque maledicta acerbè, ac petulanter ingerunt, adeò vt vix lineam vnam in eorum libris ſit reperire, in qua Papam percuſſum tali modo non legas; in hanc unicam petram demoliendam, & perfringendam omnibus neruis intendunt. Quinimmò furijs agitati; quicquid ſordidum, quicquid fędum, atque cæno ſum in toto Orbe reperitur, non uerentur Papæ nomine compellare. At is ſedens in porta percutit illos virga oris ſui, poteſtate ſcilicèt ſibi à Chriſto tradita, atq;

Quomodo uerba illa Amos intelligantur de Hęreticis.

Furens impudentia hæreticorum in Romanū Pont.

Oecume-

Oecumenicorum Cõciliorum decretis, Pontificijſque definitionibus, vèrbo Dei ſubnixis, quibuſdam quaſi flagellis, ferit, atque contundit. Sic deiecit Arrium in prima Nicæna Synodo, Macedonium in Aquilienſi, Neſtorium in Epheſina, Antimum, & Theodorum in Conſtantinopolitana, Monothelitas in tertia Conſtantinopolitana, Iconomachos in Nicæna ſecunda, Photium Patriarcham in quarta Conſtantinopolitana, & omiſſis alijs, Lutheranos, Zuuinglianos, Caluiniſtas, reliquoſque noſtræ tempeſtatis Hæreticos in nouiſſima Tridentina. Quid? quòd etiam ſine Concilijs Generalibus plures Hęreticos, vt Pelagium, Priſcillianos, Iouinianos, Vigilantios, pleroſque alios Romanus Pontifex in Porta, atque in culmine apoſtolici ſolij præſidens, damnauit, ſtrauitque ad terram.

Concordia Hæreticorũ contra ſummum Roma. Pontificem.

QVAMVIS autem in cæteris dogmatibus inter ſe ſe Hæretici diſcrepent, in eo vno tamen rabies cunctorum Hæreticorum conſpirat, vt totis viribus, ſummaque animi cõtentione Romanum Pontificem ex ſua ſede deturbent. Verùm ipſi, quoniã lutei, fragileſque ſunt, firmiſſimã Eccleſiæ Petram nequaquam lædunt; quin potiùs cõteruntur ab illa, atq; vt à Dauide Philyſthæus, ictu petrę ſternuntur. Vnde D. Leo Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ auream ſcripſit ſententiam, *Quiſquis*, inquit, *huic ſedis principatum exiſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit*. At verò nec ſatis eſt illis iudicia Romani Pontificis ſubuertere, ſed ẽt loquentem perfectè, ideſt, ſanctũ, atq; euangelicũ uerbum abhominãtur. Omnem.n. doctrinam, & definitionem è Cathedra Romana proficiſcentem, quę eſt columna. & firmamentum veritatis, vt falſam, & ſchiſmaticã impudentiſſime reſpuunt. Eſt enim hoc Hęretici hominis maximè proprium, vt numquam eccleſiaſtico iudicio, atque decretis acquieſcat. Vnuſquiſque verò illorum, etſi imperitus, & ignorans ſit, vocat ſe magiſtrũ; unuſquiſque ſibi ipſi eſt Dux, atque Iudex; quiſque ſibi proprium dogma confingit, quod ſequatur: ſicut enim fidei mater eſt humilitas, & obedientia comes; ſic hæreſum progenitrix ſuperbia eſt, & ſoror cõtumacia; ſed fruſtrà, & inaniter laborãt in peccatis, & mirabile dictu eſt, quod D. Auguſtinus ingenioſè adnotauit; Vt enim ſolidiſſima quædã cautes inter medios flantium, ac reflantium ventorum turbines, mariſque inſanientis fluctus, ac tempeſtates immota perſiſtit, omnes irruentium aquarum impetus frangens, ſuaſq; illis ſpumas eliſas regerens; ità etiam Eccleſia, omnibus circumquaque ſtrepentibus, atque irruentibus Iudæis, Ethnicis, Hæreticiſque, immota ſemper obſiſtit, ſuas illis calumnias, fraudes, fallaciaſque tamquam ſpumas fractas, eliſaſque in os feliciſſimè regerens.

D.Leo.

NOTA.

D. Auguſt.

Simile.

Vindicta Dei aduerſus Catholicæ fidei perſecutores.

ET profectò Dei iuſtitia, ac vindicta in catholicæ fidei perſequntores infallibilis, atque grauiſſima ſemper extitit. Legimus enim Carthaginem, Vuandalorum Arrianorum Ciuitatem, à Belliſario Iuſtiniani Duce vaſtatam fuiſſe: tum Conſtantinopolim, cùm in illa Orientales Hæretici contrà Sancti Spiritus veritatem debaccharenrur; à Mahumetanis occupatam fuiſſe, quod etiam vniuerſæ Græciæ ob Schiſma à Romana Sede accidiſſe, experientia teſtatur: at ne dùm in loca, ſed etiam in perſonas ipſas Hæreticorum vindictam Deum exercuiſſe monſtremus. Cõſtantium Arrianum mœrore confectum, dum contra Iulianum proficiſceretur, obſcurè occubuiſſe, ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 21. Hiſtor. Iulianum Apoſtatam, Galilæi inſignem perſequutorem, fulgure cœlitùs emiſſo enecatum, honore ſepulturæ caruiſſe, & à terra vltrò aperta ait Nazianzenus in fine orationis in Athanaſium abſorptum fuiſſe. Valentem Arrianum, qui Iuliano in Chriſtianorum perſequutione ſucceſſit, ab ipſiſmet Gothis Arrianis in tugurio concrematum fuiſſe, ſcribit Ruffinus lib. 11. Hiſtor. cap. 13. Anaſtaſius quoq; Imperator, Chalcedonenſis Concilij hoſtis, fulmine è Cœlo percuſſus interijt, ut refert Zonaras Annal. lib. 3. & Paulus Diac. in eius uita. Conſtantinus Copronymus Iconomachus, inſignis Eccleſiæ perſequutor, cùm æſtu febrium acerbiſſimè uexatus flagraret, ſe adhuc uiuentem coniectum eſſe in ignem uociferabatur, & ſic obijt. Lege ibidem Paulum Diaconum. Leo Armenius Iconomachus, in templo

Infelices fines hęreticorum.

Ammi. Mar.

Nazianz.

Ruffin.

Zonaras.

Paulu. Diac.

in die

in die Natalis Domini à conſpiratis occiditur; ſicut etiam Philippicus Imperator Iconomachus, & Monothelita à ſuis Senatoribus in conuiuio interficitur. Valentinianus quoque iunior, D. Ambroſij perſequutor, à Maximo Tyranno necatur.

Victor.

Hunnericus Arrianus in Aphrica, ſęuiſſimus Eccleſię hoſtis, corroſus à uermibus miſerrimè obijt, ut Victor lib. 3. in fine. Simon Magus, primus Hæreſiarcha, cùm uolatu Cœlum aſcendere uellet, D. Petri Apoſtoli precibus ad terram

Ægeſippus. Arnob.

detractus, fractis cruribus, ſummo cum dedecore mortuus eſt, ut Ægeſippus lib. 3 cap. 2. de excidio Hieroſol. & Arnobius lib. 2. contra Gent. referunt. Manichæus quoque uiuus à Rege Perſarum cute exuitur, non cauſſa fidei, ſed quia filium Regis

Epiphan, Athanaſ. Ruffin.

curaturus occidit, ut Epiphanius Hæreſi 66. ſcribit. D. Athanaſius orat. prima contra Arrianos, & Ruffinus lib. 10. Hiſtor. cap. 13. referunt, Arrium, dum Eccleſiam ingredi uellet, ſubito alui profluuio inteſtina ſimul, atque animam effudiſſe.

Euagrius.

De Neſtorio Euagrius lib. 1. Hiſtor. cap. 7. recenſet, lingua maledica priùs à uermibus corroſa, miſerrimè obijſſe. Montanum quoque Theodotum, & Propheriſ-

Euſeb.

ſas laqueis ſeſe præfocaſſe, narrat Euſebius lib. 5. ca. 16. Nec non Donatiſtas quoſdam, cùm illi canibus ſacram Euchariſtiam proiecciſſent, ab eiſdem canibus lace-

Optatus.

ratos eſſe, teſtatur Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Vides quantopere iuſtiſſima Dei ira in Hæreticos aduerſarios exarſerit.

Ethnicorum Eccleſię Chriſti aduerſantiũ interitus. Ioã. Bapuſta Egnat.

Sᴇᴅ primos illos Chriſtianæ Religionis perſequutores, uidelicèt Neronem, Diochtianum, & alios acerbiſſima, ac ferè omnes uiolenta morte ſublatos, etſi Ethnici fuerint, non ab re erit deſcribere, ex Ioan. Baptiſta Egnatio lib. 1. Nero enim partim ſua, partim aliena manu adiutus, ferro interfectus eſt. Domitianus ſuorum conſpiratione confoſſus occubuit. Adrianus miſerabili fato conſumptus eſt, ità ut in ſe ipſum ſæuire uoluerit, ſi per domeſticos licuiſſet. Seuerus, & Iulius Maximinus filius eius ab exercitu interfecti ſunt. Decius cùm ſuo exercitu à Gothis interimitur, corpuſque eius in palude demerſum, nuſquam inuentum eſt. Valerianus in Perſica ſeruitute obijt, & uiuens Perſarum Regi equum aſcendenti loco ſubſellij inſeruiuit, paniſque micas è menſa eius cadentes comedere cogebatur. Maximilianus Maſſilię captus, Cõſtantij nutu interimitur. Maximianus Chriſtianum ſanguinem inextinguibiliter ſitiens, putredine conſumptis genitalibus, uitæ tædio, ſe ipſum gladio interfecit. Alter Maximianus filius adoptiuus Maximini, Cæſarque acclamatus, in Chriſtianum ſanguinem crudeliter craſſans, ulcere inguinibus innato, uermibus toto corpore ſcatens obijt. Lege Euſeb. in Chronicis, & lib. 8. Hiſtor. cap. ult. & lib. 9. cap. ult. ubi etiam ſcribit, medicos ethnicos cenſuiſſe prædictorum Imperatorum mala diuinam plagam fuiſſe. Omitto hic Pi-

Euſeb.

latum à ſe ipſo interfectum, ut Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 7. & cap. ult. Herodis Aſcalonitę, alterius Herodis Tetrarchę, & tertij Herodis Agrippę miſerrimam

Ioſephus.

uitam, & infelices exitus, qui legendi ſunt apud Ioſephum lib. 17. Antiquitatum cap. 9. & lib. 18. cap. 14.

Infelices hæreticorum noſtri temporis interitus. Cochlæus.

Sᴇᴅ his omiſſis, vindictam tandem Dei in huius temporis Hęreticos recenſere neceſſe eſt, vt qui horum hodie doctrinam, & facta imitantur, illorum exitus perhorreſcant. Lutherus, vt refert Cochlęus in eius vita, cùm ueſperi opiparè cęnatus, lętus, & ſoſpes, facętijſque ſuis omnes ad riſum excitaſſet, repentina morte eadem nocte extinctus eſt. Zuuinglius in bello aduerſus Catholicos necatur. Oecolampadium ab vxore in lecto interfectum fuiſſe, idem Cochlæus in actis Lutheri ſcripſit. Andreã Caroloſtadium à Dæmone occiſum fuiſſe, narrant Miniſtri Baſileẽſes in epiſtola, quam de eius obitu ſcripſerunt. Ioannes Caluinus, ſcatens vermibus, inuocatoq; Dæmone, blaſphemias, & execranda verba pro-

Hiero. Bolſecus. D. Greg. Nazianz.

ferens, infeliciter expirauit. Sic Hiero. Bolſecus in eius uita teſtatur. Verùm de his omnibus illud dici poteſt, quod D. Gregor. Nazianzen. oratione 2. in Iulianum ſcripſit, *Quomodo facti ſunt in deſolationem, repentè deſtituti ſunt, perierunt propter ſcelera ſua, tamquam puluis, qui diſperditur à procella; tamquam arena vento diſiecta; tamquam ros matutinus, ſole ſuperueniente; tamquam ſibilus ſagenæ emiſſæ: tãquam ictus tonitrui, tamquam coruſcatio tranſcurrens*. Sic Nazianzenus. Caſtigat igitur

hos fidei

hos fidei ſuæ perſequutores Deus, ut cæteri eorum exemplo diſcant, hereſes reſpuere, erroreſq; deponere; ne in manus Dei viuentis, ideſt iuſtè punientis incidant. Sed proh dolor, nec Deum timent, nec eius iudicia perhorreſcunt; marmoream enim, & emortuam habent conſcientiam, nec Dei patris amorem, nec filij Dei redemptionem proprio ſanguine factam, nec matris Eccleſiæ uota, nec ſummi Præſulis correptiones æſtimant. Arguit Hæreticos Chriſti Vicarius in Porta, illos primùm monendo, uocando, exhortando, deinde corripiendo, arguendo, ac iuſtitiam denique in illos exercendo; ſed ò miſerrimam cæcitatem: de illis verè dicitur, quod dixit Salomon Prouerb. primo, *Vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*, & ſequitur, *Ego quoque in interitu ueſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm uobis id, quod timebatis, aduenerit; cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas, ingruerit*. Horrendum eſt ſanè incidere, ut dixit Paulus ad Hebr. 12. in manus Dei viuentis, id eſt, iuſtè punientis, ut diximus; ſed multò magis horrendum eſt incidere in manus Dei irridentis, & ſubſannantis, ideſt in furore arguentis, & in ira corripientis. Timeant igitur nouatores huius temporis Pontificiam poteſtatem in Porta Eccleſiæ, ideſt, in Petri Cathedra ſedentem, & Sacrum Iubilæum, verbo Chriſti munitum, ex Diuinæ ſapientiæ theſauris proferentem.

Prouerb. 1.

ad Hebr. 12.

CAPVT QVARTVM.

Quòd Deus per Iubilæum in Politicos huius ſæculi iuſtitiam exerceat.

RECTE dictum fuit, Luc. cap. 2. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum, & in ſignum, cui contradicetur*. Nam Chriſtus non ſua, ſed ipſorum culpa, Iudæis ſcandalum, & gentibus ſtultitia eſt; ità etiam Annus ſacer Iubilæi in iudicium, & ruinam multorum conuertitur, & maximè pſeudochriſtianorum, qui cùm nomine tenùs Chriſtiani ſint, rectè Politici vocantur; in eorum claſſem referendi, qui ad nuptias quidem vocati veniunt, & cùm alijs diſcumbunt, militiæ Chriſti nomina dant, baptizantur, fidem profitentur; ſed veſte nuptiali, quæ locum tribuit in nuptijs, ideſt in Eccleſia Chriſti, carent. Nec enim amicus Chriſti eſſe poteſt, niſi qui ſermones, atque præcepta eius ſeruat, Ioan. 15. & 16. Sunt autem Politici Hæreticis deteriores; immò omnibus infidelibus (etiã Turcis) hoſtes Eccleſiæ pernicioſiores, & ſceleratiores. Chriſtianos enim & Catholicos ſe dicunt, cùm neutrum ſint, atque in vtroque diſſimulent; ſed nec Chriſtum, uel Eccleſiam diligentes, immò temporalis pacis, ac felicitatis bonum utrique præponentes; nec chriſtiano ſpiritu, ſed ethnico potiùs ducuntur, magiſque in impij Machiauelli, qui eis in manibus eſt aſſiduus, quàm in Chriſti ſchola edocti ſunt; omneque ſtudium, & illorum opera in eo poſita eſt, ut & ſi Chriſtianos, & Catholicos appellari ſe maximè velint, nihili tamen religionem ipſam, & Chriſtiana iura, legeſque faciant; ità ut hęc magis Reipublicæ, ſuiſque Præfectis parere cogant, quàm hęc omnia terrena, fluxaque Religioni, vt par eſt, pietatique inſeruire: nec Regnum Deo, & Chriſto ſubiectum eſſe; ſed è contra Deum, ac Chriſtum Regno inſeruire debere contendant. O ſcelus, ò cæcitas, ò præpoſterum, peruerſumque iudicium; ſed illorum ſententias audiamus.

Luc. 2.

Annus Iubilæi ualde contrarius Politicis.

Ioã. 15. & 16.

Peſſima Politicorũ ſecta.

REIPVBLICAE ſtatum, & cõſeruationem potiorem Principi eſſe debere, quàm Religionis cauſſam aiunt. Tum ſtatum ciuilem, & politicum eccleſiaſtico antepomi. Regum decreta, ac placita primum auctoritatis locum tenere. Conſcientias lęthaliter vulnerare, qui in materia Religionis neceſſitatem obediendi imponunt. Virorum fortium hunc ſcopum, hoc ſtudium eſſe debere, uitam lætam, & omnibus bonis circumfluentem ducere; quęſtiones autem de religione Religioſis, &

Dogmata Politicorum.

ſchola-

ſcholaſticis relinquendas; denique vt ſui iuris perpetuò quiſque ſit, & quicquid libet, id liceat, ſumma ope perſuadere nituntur. Hę ſunt uenenatæ, atque peſtiferę eorum poſitiones nonnullę, à quàmplurimis in diuerſis Regnis obſeruatę, atque in praxim redactę; ex quibus audacter concludunt, nequaquam ad ſacrum Iubilęum in Anno Sancto ueniendum, ne Prouincię hominum ſolitudinem patiantur, neuè pecunię ex eiſdem locis extraliantur. Enimuerò ethnicus hic ſpiritus eſt, diabolica cogitatio, uox athea; neque enim aliter Gentiles, atque pagani, cultores, dilectoreſque Deorum ſuorum ſuam falſam Religionem tuebantur, vt do-

D. Auguſt. Vita Ethnicorum, quam Politici ſequuntur.

cet Auguſt. lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 20. vbi eorum uerba referendo, dicit, *Tantum ſtet, inquiunt: tantùm floreat, copijs referta, victorijs glorioſa, vel quod eſt felicius, pace ſecura ſit; & quid ad nos? immò id ad uos magis pertinet, ſi diuitias quiſque ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant; per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſque potentior. Obſequantur diuitibus pauperes, cauſa ſecuritatis; atque vt eorum patrocinijs quieta inertia perfruantur, diuites pauperibus ad clientelas, & ad miniſterium ſui faſtus abutantur: populi plaudant non conſultoribus utilitatum ſuarum, ſed voluptatum largitoribus: non dura iubeantur, non prohibeantur impura: Reges non curent quam bonis; ſed quàm ſubditis regnent: prouinciæ Regibus, non tamquam rectoribus morum, ſed tamquam rerum dominatoribus, & deliciarum ſuarum prouiſoribus, ſeruiant; eoſque nõ ſinceriter honorent, ſed nequiter, ac ſeruiliter timeant: quid aliena vinea potiùs, quam quid ſuæ vitæ quisque noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam inuito fuerit importunus, aut noxius. Cæterùm de ſuis, vel cũ ſuis, uel cũ quibuſcumq; volentibus faciat quiſq; quodlibet: abundent publica ſcorta, vel propter oẽs, quibus frui placuerit; vel propter eos maximè, q habere priuata nõ poſſunt; extruantur ampliſſimæ, atque ornatiſſimæ domus, vbi opipara cõuiuia frequẽtentur; vbi cuique libuerit, & potuerit die, noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, defluatur. Saltationes vndique concrepent, theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus, atque omni genere ſiuè crudeliſſimæ, ſiue turpiſſimæ voluptatis exæſtuent. Ille ſit publicus inimicus, cui hæc felicitas diſplicet: quiſquis eam mutare, vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à ſedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur Dij veri, qui hanc adipiſcendam populis procurauerint, adeptamq; ſeruauerint; colantur, vt voluerint; ludos expoſcant, quales voluerint, quos cùm ſuis, vel de ſuis poſſunt habere cultoribus; tantùm efficiant, vt huic felicitati nihil ab hoſte, nihil à peſte, nihil ab ulla clade timeatur.* Hactenus Auguſt. Sic illi Ethnici quondam; ſic noſtri quoque nunc Politici blaterant, factiſque omnia, quæ dicta ſunt, probant, atque confirmant. Ità in domibus Regum, & in aulis Principum, ubi maxima illi auctoritate pollent, uiuendum, cre-

D. Auguſt.

dendumque decernunt. Aduerſus quos idem Auguſt. hęc uerba ſubiungit, *Quis hanc Rempublicam ſanus, non dicam Romano imperio, ſed domui Sardanapali comparauerit? qui quondam Rex ità fuit voluptatibus deditus, vt in ſepulchro ſuo ſcribi fecerit, ea ſola ſe habere mortuum, quæ libido eius, etiam cùm viueret, hauriendo conſumpſerat. Quem Regem iſti ſi haberent ſibi in talibus indulgentem, nec in eis quicquam illa ſeueritate aduerſantem; huic libentius, quàm Romani veteres Romulo templum, & flamen conſecrarent*: Sic Auguſt. At verò, ſicut Reſpublica nulla diù ſine iuſtitia ſtare poteſt, vt idem Auguſt. in ſequenti cap. 21. eiuſdem libri multis rationibus oſtendit; ità quoque abſque ueri Dei cultu, & ſancta Religione, quam Politicorum Atheiſmus explodit, nulla pax, nullaque concordia in Republica perſiſtere poteſt. Quod

D. Auguſt.

idem Auguſt. in lib. 19. de ciuit. Dei cap. 13. probatis rationibus, ex principijs Philoſophiæ petitis, luculenter demonſtrat. *Pax*, inquit, *corporis eſt ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actioniſq; conſenſio. Pax corporis, & animæ ordinata uita, & ſalus animantis. Pax hominis mortalis eſt Dei immortalis ordinata in fide ſub æterna lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia. Pax domus ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis ordinata imperandi, obediendiq; concordia ciuium.* Hæc ille. Quo loci profectò quærendum eſt à Politicis, cur omnia illa ge-

Pax politicorum.

nera pacis recipiant, præter quintum? Nec aliter reſpõdere poſſunt, niſi quia ſtu-

dium

dium Philoſophiæ,naturaliſq; ratio,quam ipſi amplectuntur,ità docet: Atquin tum tradit diuina lex,quam ipſi reijciunt. Animales ergò ſe eſſe fatentur, non ſapientes ea, quæ Dei ſunt; pollent prudentia carnis,quæ inimica eſt Deo,& quæ legi Dei,ut Paulus ait,ſubiecta non eſt; nec enim poteſt: denique ad terrenam ciuitatem,ut filij carnis,& tenebrarum,pertinent,non ad cœleſtem,ut filij ſpiritus & lucis. Terrenam ciuitatem colunt, omnem uſum rerum temporalium ad fructum terrenæ pacis referentes; nec in cœleſti ciuitate ędificant, in qua omnia ad fructum pacis ęternæ referuntur. Hęc eſt uera Pax,quam Chriſtus nobis reliquit, dicens, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Habet quoque mundus ſuam pacem, quæ in fruitione bonorum temporalium neglecta religione conſiſtit;& hanc nō Chriſtus,ſed mūdus dat ſuis Politicis,de qua Saluator ſubdit, *Non quomodo mundus dat,ego do vobis*. Profitentur Politici terrenam pacem,veri autem Chriſtiani pacem illam,quę hominem Deo religioſè ſubiectum facit. Verùm iſti Politici nedum diuinam, ſed nec naturalem animæ rationalis pacem admittere poſſunt,cùm eorum finis totus ſit,lætam,& affluentem ducere vitam,hominibus placere,carnis deſideria perficere,libidini,atq; luxurię omninò inſeruire,præmia virtutum negligere,pœnas uitiorum non timere. Quam ſentētiam eleganter D. Auguſt.in eodem libro de ciuit. Dei cap. 14. docuit,ſic ſcribens. *Omnis igitur vſus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in ciuitate terrena; in cæleſti autem ciuitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quapropter ſi irrationabilia eſſemus animantia,nihil appeteremus præter ordinatā temperaturam partium corporis, & requiem appetitionis: nihil igitur præter quietem carnis, & copiam voluptatum, ut pax corporis prodeſſet paci animæ. Si enim deſit pax corporis, impeditur etiam rationalis pax animæ, quia requiem appetitionum conſequi non poteſt. Vtrumque autem ſimul eius paci prodeſt, quam inter ſe habent anima, & corpus, ideſt, ordinatæ vitæ, ac ſalutis: ſicut enim pacem corporis amare ſe oſtendunt animantia, cùm fugiunt dolorem; & pacem animæ, cùm propter explendas indigentias, appetitionem voluptatum conſequuntur; ità mortem fugiendo ſatis indicant, quantum diligant pacem, qua ſibi conciliantur anima, & corpus*; & poſt pauca ſubdit; *Sed quia homini rationalis anima ineſt, totum hoc, quod habet commune cùm beſtijs, ſubdit paci animæ rationalis, ut mente aliquid contempletur, & ſecundum hoc aliquid agat, vt ſit ei ordinata cognitionis, actioniſq; cōſenſio, quā pacē rōnalis aīæ dixeramus*. Hactenus Aug. Hanc etiā Politici pacem nequaquam habent,cùm animalem pacem tantùm amplectantur,non rationalem. Quid igitur mirum, ſi eam pacem, quæ in obedientia fidei & legis Dei ęternę ſita eſt, pœnitùs negligant? quę tamen neceſſaria eſt,ut ibidem Auguſtinus dixit; *Sed ne ipſo*,inquit,*ſtudio cognitionis,propter humanæ mētis infirmitatem,in peſtem alicuius erroris homo incurrat, opus habet magiſterio diuino, cui certus obtemperet, & adiutorio, ut liber obtemperet*. Verùm Politici, terrenę ciuitatis membra, ex fide Iesv Chriſti non uiuentes, illam pacem,quę in humanarum uoluptatum ſolatijs poſita eſt,ſemper appetunt: hi ſunt terrę filij,ſemper diligentes uanitates,& quęrentes mendacia;ex carne nati ſunt, non autem ex ſpiritu. Vnde quod quęrunt, caro eſt, quod ſapiunt, caro eſt,quod concupiſcunt,& uolunt,caro eſt;ex principijs carnis ſyllogizantes, carneam concluſionem infallibiliter deducunt. Quod enim de carne natum eſt, caro eſt,ideſt carnalia ſapit,tractat,loquitur:quod autem de ſpiritu natum eſt, ſpiritus eſt,nempè ea,quę ad Dei ſpiritum pertinent,ſapit, amat, agit.

D. Auguſt.

Sed vtriuſq; Ciuitatis,Politicorum ſcilicèt, & Chriſtianorum fines eleganter Diuus Auguſtinus ſic deſcripſit,in eodem libro 19. cap. 17. *Terrena Ciuitas, quæ non viuit ex fide, terrenam pacem appetit, in eoq; defigit imperandi, obediendique concordiam ciuium, vt ſit eis de rebus ad mortalem uitam pertinentibus, humanarum quædam compoſitio voluntatum*.& paulò poſt. *Cæleſtis autem Ciuitas utitur in hac ſua peregrinatione pace terrena, & de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compoſitionem, (quantum ſalua pietate, ac religione conceditur) tuetur, atque appetit, eamq; terrenam pacem refert ad cæleſtem pacem, quæ verè pax eſt, ut rationalis dumtaxat creaturæ ſola pax habenda, atque dicenda ſit, ordinatiſſima ſcilicèt, &*

Finis Politicorum ex D. Auguſt.

licet, *& concordiſſima ſocietas fruendi Deo*, *& invicem in Deo*. Hæc Augu-
Politici non ſunt cenſendi Chriſtiani, & quomodo. ſtinus. Quid huic ſententię, ad exprimendam Politicorum naturam addi po-
teſt? Chriſtiani ſanè cenſendi non ſunt, niſi ſalua pietate, ac religione, (ut
uerba Auguſtini repetam) humanam Rempublicam adminiſtrent. Sicut enim fi
des, atque religio humanam naturam non deſtruit, ſed perficit; ſic natura, ut Deo
ſit grata, fidei, ac Religioni plenè ſubeſſe debet. Hoc enim eſt bonum, quod Do-
minus ab homine, quem formauit, requirit. Nempè timor Dei, & obſeruantia
Mich. 6. mandatorum eius. Vnde Michæę 6. dicitur, *Indicabo tibi ò homo*, *quid ſit bonum*, *&*
quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, *& diligere miſericordiam*, *& ſol-*
Iob 28. Eccleſ. vlt. *licitum ambulare cum Domino Deo tuo*, & apud Iob 28. *Ecce timor Domini*, *ipſa*
eſt ſapientia, *& recedere à malo intelligentia*, & Eccleſiaſtici vltimo ſapientiſſi-
NOTA. mè à Salomone dictum fuit; *Deum time*, *& mandata eius obſerua*. *Hoc eſt om-*
nis homo. Ipſum repræſentant nobis Politici Eſau, qui ſua primogenita pulmen-
to commutauit. Similes item ſunt impio Regi Achab, qui Iſrael conturbabat;
3. Reg. 22. *Non ego*, (inquit Elias 3. Reg. 22.) *turbaui Iſrael, ſed tu, & Domus patris tui, qui dere-*
liquiſtis mandata Domini, & ſequuti eſtis Baal. Sic Politici cultum veri Dei ſubuer-
tunt, Eccleſiam Chriſti perturbant, mandata Dei negligunt, Religionem deſpi-
ciunt, omnem ritum ſanctum contemnunt, voluptatibuſque, ac paſſionum ſuarũ
Politici deteriores hæreticis, & Ethnicis. deſiderijs, tamquam Idolis, litant. Sunt illi Hæreticis deteriores, cùm ipſi nullam
Religionem profiteantur; hi verò aliquam ſaltem, etſi falſam, atque erroneam: il-
li, & practicam cognitionem virtutis, vt omnes iniqui Chriſtiani, & ſpeculatiuã,
vt ipſi infideles amiſerunt; hi verò aliquid ex vtraque retinere ſe iactant. Nec Hę-
reticis ſolùm deteriores ſunt, ſed ipſis etiam Ethnicis peiores, qui naturam ducẽ
ſequuntur. Hi enim numquam id, quod eſt vtile, honeſto præferre audent, ut ab
Athenienſibus factum legimus, cùm Ariſtides, ab ijs Themiſtocli conſultor appo
Plutarcus. ſitus, ſecreta quædam dicturo, ut Plutarcus refert, pulchrè dixit, Themiſtoclis cõ-
ſilio nil Reipublicæ Athenienſi utilius, ſed eodem nil iniuſtius: Illi uerò non niſi
quod commodum, & utile eſt, quamuis iniuſtum, iniquum, & contra Deum ſit,
amplectuntur. Quocircà impij, ac nefarij hominis Heliogabali Imperatoris Ro-
mani, ac Sardanapali exemplum ſequuntur, qui Iudæorum, & Samaritanorum
cultus Romam transferendos cenſebat, ut omnium Religionum procuratio He-
liogabali ſacerdotio ſubderetur; nec aliter noſtri Politici, qui omnes ſectas, atque
doctrinas Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum, Puritanorum in Re-
gnis permittendas eſſe arbitrantur, dummodo pax Regni cõſeruetur; docentque,
regnandi cauſſa omnes ſectas tolerandas, ac recipiendas; ut uidelicèt terrena fœli
citas, quam ipſi pro Deo habent, omnium falſarum religionum cultu patrocinan
te, ac ſuffragante ſeruetur, & teneatur. In corde enim illorum theſes illa, ut maxi-
Pſalm. 13. mè certa habetur, Deum non eſſe, ut Dauid teſtatur, Pſal. 13. *Dixit inſipiens in cor-*
de ſuo, non eſt Deus: iniquum ſanè iudicium, impiaque ſententia; Si enim Deum cre
derent, eius Religionem, mandataque rebus temporalibus non poſtponerent;
cùm Regnum Deante omnia quærendum ſit; nec Chriſtum cùm Iudæis trade-
NOTA. rent Pilato, timore amiſſionis regni; neque enim ob Regni, uel ſtatus Politiã ſer-
uandam, Chriſtus eſt dimittendus, dicente Chriſto filio Dei uiui, qui nos decipe-
re non poteſt, *Si quis diligit Patrem, aut uxorem, aut agros, pluſquam me, non eſt me di-*
gnus, & alibi. *Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſci-*
pulus.

Obiectio Politicorum, & eius ſolutio. Sed Politici cùm Herodianis obijciunt, Cæſari reddenda eſſe, quæ ſunt Cæſa-
ris; quocircà in Cæſaris gratiam omnia eſſe præſtanda. At reſpondendum eſt, ità
Cæſari quidem iura ſua regalia ſeruanda, & reddenda eſſe, ut ſimul etiam Deo ea,
quæ Dei ſunt, reddenda ſint; hoc eſt, ità Cæſari ſua reddantur, ut de ſuo nihil Deo
detrahatur, eiuſque honor, & cultus nequaquam minuatur, ſed ſartus, tectuſque
conſeruetur; immò ut Deo obtemperemus, id totum, quod Principibus, & pote-
D. Chryſoſt. ſtatibus ſæcularibus tribuendum eſt, exequamur: D. Chryſoſtomus, Homil. 71. in
Matthæum de hac re ſic ſcribit, *Tu cum audis, reddenda eſſe Cæſari, quæ ſua ſunt; illa*
ſolum dico

ſolum dici non dubita, quæ pietati, & Religioni nihil officiunt: Nam quod fidei, & virtuti obeſt, non Cæſaris, ſed Diaboli tributum, & uectigal eſt. Hęc Chryſoſtomus, & D. Auguſtinus ſermone 6. de verbis Domini ſapienter, vt omnia, in hanc ſententiã hæc ſcripſit. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quid ſi illud iubeat poteſtas, quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem, timendo poteſtatem; ipſos humanarum rerum gradus aduertite. Si quid iuſſerit curator, nonne faciendum eſt? tamen ſi contra Proconſul iubeat, non vtique contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſeruire. Nec hic debet minor iraſci, ſi maior prælata eſt. Rurſum, ſi aliquid ipſe Proconſul iubeat, & aliud iubeat Imperator; numquid dubitatur, illo contempto, huic eſſe ſeruiendum? ergò ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? ſolue tributum, eſto mihi in obſequium rectè, ſed non in idolo,* (adde tu non in hæreſi, nec in peccato) *prohibet maior poteſtas. Da veniam Imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur.* Hæc Auguſtinus. Cæſar igitur timendus eſt, & Deus quoque timendus eſt: cùm autem Cæſari diſplicent ea, quæ Deo reddimus, putà pietatem, religionem, virtutem; ſi hæc Cęſar legibus interdicat, etiam vſque ad mortem timendus non eſt. *Magis enim oportet obedire Deo, quàm hominibus.* Actor. 4. Nec omnia ſunt Cæſaris, vt Politici ſupponunt; ſatis enim fuiſſet dicere, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari;* nec addendum erat, *Quæ ſunt Dei Deo.* Quocircà vt Cęſarem ipſum Deum faciant, ſacrilegè, atque impiè, quæ Dei ſunt, Cæſari tribuunt; docentque peruersè, omnem veritatis doctrinam, & cultus, ac religionis Chriſtianæ rationem, ipſam quoque fidem à poteſtate regia, à Decretis, ſtatutiſque Regijs dependere, fluere, ac promanare; fidemque Regis iurant, & alios iurare compellunt. Vnde qui eam amplecti, uel ſequi recuſauerit, non Hæreſis, non ſchiſmatis, non violatæ religionis; ſed rebellionis, læſæque maieſtatis crimen incurrere decernũt. Quò abijt Religio? quò diuinum obſequium receſſit? omnia ad humanam poteſtatem redacta ſunt; immò omnia, etiã diuina, ſub humano iudicio, & auctoritate ſubſtrata ſunt. Religionem nil aliud eſſe definiunt, niſi phantaſma ad eludendos, ac terrendos opinione numinis homines: ex eius Athei ſchola edocti, qui ait, *Primus in Orbe Deos fecit timor, &c.*

D. Auguſt.

Actor. 4.

Politici vt Cęſarem colant, Deum contemnunt.

Sed age, Politicorum facinus ingens enarremus; templa Dei prophanãt, ſacra uaſa in domeſticos uſus, eoſque uiliſſimos commutant; Campanas, cæteraque ęnea inſtrumenta Eccleſiarum in bellicas bombardas redigunt. Nec mirum, cùm enim Deum non cognoſcant, nec illi templa conſecranda, uel dedicanda arbitrantur. Verùm in iſtos huiuſmodi ſacrarum rerum prophanatores, facto ex funiculis flagello, immittit Deus uindictam; quemadmodum etiam Chriſtus de Cœlo uenit, ut ſuis proprijs manibus templi ſui prophanatores puniret. Peccauit Adam, & per Angelum è Paradiſo eum eiecit Deus: Sodomitas, & Gomorrhęos igne de Cœlo effuſo concremauit; totum mundum libidinibus, & uoluptatibus immerſũ diluuio, atque aquis de Cœlo fluentibus perdidit; peccatum Dauidis in numeratione populi per Angelum, qui eumdem populum peſtilẽtia percuſſit, uindicauit; ad peccatum Seniorum in Suſannam puniendum Daniel à Deo miſſus fuit, ut iudicium faceret: ſolum peccatum prophanationis templi à Deo proprijs manibus punitur; ex quo grauitas illius flagitij, nefarijque ſceleris elucet.

Facinora, & ſcelera Politicorum.

Ipſemet De⁹, & non per alios punit ſacrarum rerũ prophanatores.

Recolamvs hic, quę Sozomenus lib. 5. cap. 7. & Theodoretus lib. 3. cap. 11. & 12. ſcribunt de acerrima Dei vindicta in prophanatores rerum ſacrarum, vt ſic ẽt Politici admoneantur, non ſolùm vaſa, & ornamẽta ſacra; ſed etiam templa Deo dicata, annumque ſacrum Iubilæi veneratione proſequendum. Iulianus ſenior, Iuliani Apoſtatæ auunculus, cùm vaſa ſacra ab Eccleſia Antiochena Syriæ abripuiſſet, proiectis illis in terram, cępit petulanter, poſt multas in Chriſtum contumelias, ſuper ipſa vaſa ſedere; cui illicò pudenda contabuerunt, & carnes adiunctæ vermibus uſquequaque ſcatentes apparuerunt, quibus ad mortem redactus, fruſtra contra nitentibus medicis interijt. Felix theſauri regij ſub Iuliano quæſtor, ſacrorum vaſorum magnificentiam conſpicatus. Ecce, inquit, quam ſumptuoſis vaſis Mariae filio miniſtratur; qui repente cœleſti flagello percuſſus, ſanguinem dies, noctesq; ex ore perpetim vomuit, quo uniuerſo exhauſto, uitã ſimul

Sozom. Theodoret.

Flagella Dei maxima contra ſacrarum rerum prophanatores.

D. Chryſoſt.

Hiſt. tripart.

exceſſit, antequam ipſo aulæ regiæ limine excederet, vt teſtatur Chryſoſtomus, hanc ipſam hiſtoriam referens in libro contra Gentiles, tom.5. legimus quoque in lib.5. Hiſtoriæ tripartitæ cap.37. quemdam Thymelicum ſaltatorem in ſcæna theatrali, dùm perſonam ageret, ueſtem ſacram in Baptiſmatis adminiſtratione ab Epiſcopo ferri ſolitam, quam Cyrillus Hieroſolimitanus Epiſcopus famis grauiſſimę tempore cùm alijs Eccleſiæ ornamentis diuendiderat, à ſe emptam in contemptum religionis geſtaſſe, atq; illicò diuinitùs in theatro percuſſum interijſſe.

Saluian. Epiſcopus.

Sed quod Aphricanis gentibus accidit à Saluiano Maſſilienſi Epiſcopo deſcriptum, commemoratione dignum eſt. Narrare enim perſequitur, in libro 3. de Prouid. Dei, ſcelera Aphricanorum circà ſacrarum rerum prophanationes, horrendã illam Vuandalorum perſequutionem, quę tamdiù Eccleſiam Catholicam ibi uexauit, commeruiſſe; ſic autem ſcribit; *Eccleſias, vel potiùs templa, atque altaria Dei minori in reuerentia quidam habent, quam cuiuſlibet minimi, ac municipalis Iudicij domum: ſiquidem intra ianuas non modo illuſtrium portarum, ſed etiam Præſidum, aut Præpoſitorum non omnes paſſim intrare præſumunt, niſi quos aut Iudex vocauerit, aut negocium traxerit, aut ipſa honoris proprij dignitas introire permiſerit; ità vt ſi quiſquam introgreſſus inſolenter fuerit, aut cadatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia, atque exiſtimationis ſuæ labe mulctetur. In templa autem, uel potius in altaria, atque ſacraria Dei paſſim omnes ſordidi, ac flagitioſi ſine ulla penitus reuerentia ſacri honoris irrumpunt; non quia non omnes ad orandum Deum currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum: Neque eiuſdem officij eſt, Indulgentiam poſcere, & iracundiam prouocare*. Hęc ille.

D. Chryſoſt. De reuerentia in templis Chriſtianorũ ſeruanda.

D. Chryſoſtomus quoque Homil. 36. in priorem Epiſtolam ad Corinth. horum mores peruerſos appoſitè ſic deſcribit, *Tum etiam* (loquitur de tempore Primitiuę Eccleſię) *domus Eccleſia erant; nunc uerò Eccleſia domus, immò domo qualibet prophana magis: nã in domo quidam ordo ſeruari ſolet. Hera thronum occupat omni cum venuſtate, famulæ tacitæ ſedentes texunt, familiarium quiſque, quod imperatum eſt, in manibus habet: hic verò magnus tumultus, magna confuſio, nihilque à caupona differunt noſtra, tanta turba, tantus riſus, quantus in balneis quantus in foro clamantibus, tumultuantibus omnibus; atque hæc quidem in Vrbe noſtra ſolum, nam alibi nè amicum quidem, in quem poſt longum tempus incidiſti, compellare licet, ſed foris iſta fiunt, & rectè quidem: neque enim tonſtrina, aut unguentaria taberna Eccleſia eſt, aut officina forenſis: ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Dei, Cælum ipſum*. Sic ille. Qui etiam in hanc ſententiam nonnulla ſubnectit, lectu digna. *Quid enim domos ad nugandum non habetis? Eccleſiam Dei contemnitis? ſi ques eſt, qui modeſtus, qui tacitus eſſe velit, corrumpitis? Atqui iucundum colloqui cum familiari. Fiò ſanè, non veto; ſed domi, ſed foris, ſed in balneis fiat; Eccleſia enim non diſceptandi, ſed diſcendi locus eſt. Nunc autem foro nihil differt: & ſi non ſit temerarium dictu, fortaſſi nec ſcænis ipſæ: adeò proſtitutis ſcortis petulantius, quæ huc mulieres congregantur, ſeſe comũt & ſine dubio non paucos etiam hic ſollicitant homines intemperatos. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maximè idoneum putat. Emere quid, aut mercari lubet, magis idonea Eccleſia eſt, quàm forum, ſæpius enim de his rebus hic, quam in ipſis officinis loquuntur. Dicere malè, audire mala vis, etiam hoc frequentius hic, quam foris. Ciuilium, domeſticorum negociorum ſermonem quæris, non eſt, cur ad Iudicium accedas; in ſchola ſedeas medicorum: ſunt enim hic, hic ſunt qui accuratius adeò etiam iſta tibi exponant: omnia denique facilius hic, quam Eccleſiam deprehendas*. Hactenus Chryſoſtomus.

Detrimenta ex moribus politicorũ in Principes emanantia.

En mores Politicorum; en geſta Prophanantium res, & loca ſacra, aduerſus quos ira Dei exardeſcit, & dum Reges, ac Principes hos deprauatos mores Politicorum diſſimulant, & impunè patiuntur, eiſque communicant, iuſto Dei iudicio, dominio, ac regimine populorum priuantur: neque enim qui Deum non timet, is Regem timere, uel ferre poteſt. Hinc Rerumpublicarum euerſiones, hinc Regnorum mutationes, hinc Tyrannides, hinc deniq; Turcarum depopulationes, & quod acerbiùs eſt, eorum tàm diuturnum, & graue in populos chriſtianos Imperium.

QVID igitur mirum, ſi Politici ſacrum quoque Iubilæum contemnant? ſi Annum ſa-

Politici non effugient Dei uindictam.

Iſai.42.

num ſacrum irrideant? ſi peregrinis ad Vrbem properantibus ſubſannent? cùm moleſti ſint & ipſi Deo: expectent hanc ob cauſam grauiſſimum flagellum Dei, qui iuſtitiam, & iudicium in illos ſeueriſſimè exercebit. Silet nunc planè Deus, tacet, patiens eſt, & quaſi ſomno ſepultus adeò diſſimulat, ut Politici cùm Epicureis eius prouidentiam, humanarumq; rerum curam impiè negẽt: ſed veniet tempus, in quo Dominus, ſicut fortis egredietur, ſicut uir præliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur. *Tacui ſemper* (inquit Eſaias.42.) *ſilui, patiens fui; ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul, &c.*

CAPVT QVINTVM.

Quòd Deus per Iubileum in ocioſos, & negligentes chriſtianos iuſtitiam exerceat.

Matth.7. Quam grauè ſit peccatum omiſſionis.

Ioan.15.

Matth.25.

Simile.

OMISSIONIS peccatum grauiſſimum eſſe, teſtatur Dominus Matt.7. dicens, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*; quo in loco ſub metaphora arboris infrugiferæ ſignificatur, homines ſteriles bonorum operum, & infructuoſos, oſcitanteſque, & in cauſa ſalutis negligentes ea ratione, quòd rectè operandi occaſiones omiſerint, & bonos fructus, iuxtà vniuſcuiuſque talenta, & facultates nõ fecerint, excidendos, & igni ęterno tradendos eſſe; iuxtà illud Ioã.15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet pater meus, & in ignem mittet.* Qui enim feruorem, induſtriam, ſtudioſamque diligentiam in exercendis bonis operibus non adhibuerit, tamquàm inutilis ſeruus, in tenebras exteriores conijciendus eſt. Matt.25. Hæc eſt enim pœna negligentibus in Dei ſeruitio lata: *Excidetur*, inquit, *& in ignem mittetur*; ſed & alia pœna afficiendi erunt. Sicut enim ficulnea ſterilis ex pomario ſuccidenda eſt; ſic è ſocietate ſanctorum negligentes, atque in bonis operibus torpentes excidendi ſunt, dicente Domino, *Succide illam, ut quid terram occupat?*

Nomina, quibus appellatur in Scripturis, negligentia in Dei obſequio.

ad Hæbr. 12.

3.Reg.18.

Apocal.3.

D. Ambro.

D.Gregor.

Prouerb. 18.

D.Greg.

Pſal.31.

MVLTIS autem nominibus hæc ignauia in Dei obſequio, & in propriæ ſalutis negocio in ſacris literis appellatur; nempè, remiſſio ad Hæbræos.12. *Remiſſas manus*, inquit Apoſtolus, *& ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris*, ideſt, torporem, & negligentiam excutite, *& ambulate rectè coràm Deo.* Deinde dicitur claudicatio, ut ibidem Paulus, *greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur*, & 3. Reg.18. *vt quid claudicatis in alterutram partem?* Prætereà tepiditas uocatur. Apoc.3. *Vtinã frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo*; quem locum D. Amb. Serm.2. in Pſal. 118. ſic explanat; *Apertè negligentiam grauiori damnat iudicio, quàm imprudentiam; frigidus eſt enim, qui fidem neſcit: calidus, qui Spiritus Sancti feruore ſuccenſus eſt: qui enim calorem fidei non habet, tolerabiliùs illi fuerat, fidem non accepiſſe, quam neglexiſſe, eſt enim tepidus peior frigido*; Hæc Amb. D.Greg.p. 3. curæ paſt.c.35. in eandẽ ſnĩam hæc ſcribit: *Calidus eſt, qui bona ſtudia arripit, & conſumat. Frigidus eſt, qui conſumanda nec inchoat: et ſicut à frigore per teporẽ tranſitur ad calorẽ, ità à calore quoque per teporem reditur ad frigus. Quiſquis ergò amiſſo infidelitatis frigore, ſed nequaquàm tepore ſuperato, exardeſcit, vt ferueat, proculdubio calore diſparato, dum noxio in tepore demoratur, agit, vt frigeſcat.* Item uocatur mollities, & diſſolutio, Prouerb.18. *Qui mollis, & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipãtis.* Vnde D. Grogor. loco proximè citato, hunc locum explanans ſcribit. *In hoc mundo humana anima, quaſi more nauis eſt, contra ictum fluminis contendentis, quæ vno in loco nequaquàm ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur. Hinc per Salomonem dicitur, qui mollis, & diſſolutus, &c. quia videlicet, qui cœpta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentia manum deſtruentis imitatur.* Dicitur prætereà taciturnitas, Pſal.31. *Quoniã tacui, inueterauerunt oſſa mea, dũ clamarẽ to-*

ta die; quamuis.n.tota die clament homines in peccatis, tacent tamen in gratia; & quamuis mundo clament per humanas negociationes & terrenas occupationes; ſilent tamen Deo. Vndè homines negociatores, & circa plurima ſolliciti rectè a
Matth. 20. Patrefamilias Matth. 20. ocioſi uocantur, quòd illud unum ad ſalutem maximè neceſſarium prętermittant. Vndè iſtos in vacuum gratiam Dei recipere dixit Pau
2. Cor. 6. Pſal. 23. Simile. lus 2. Corint. 6. & Pſal. 23. *Qui non accepit in vanum animam ſuam*, id eſt ad finem, ad quem deſtinata eſt, animam ſuam non dirigit: ſicut enim pueri, dùm in fabricandis luteis domunculis occupantur, & in arundine clamantes equitant, videntur ſibi occupatiſſimi, cum tamen ſapientum iudicio meras nugas ocioſè agant; ſic etiam omnes terrenę hominum actiones, quæ vel ad Dei gloriam, vel ad propriam, aut proximi ſalutem non referuntur, quamuis ipſis hominibus ſeria, & grauia negocia videantur; Deo tamen, & Angelis eius, immò cuicumque ſapienti inane ocium, & vaniſſima figmenta videntur, & ſunt. Appellatur item pi-
Prouerb. 6. gritia, Prouer. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Maxima ignominia eſt homini, vt à viliſſima creatura, qualis eſt formica, laborē,
Natura, & diligentia formicę mirabilis. ac ſapientiam ediſcere debeat. Hæc enim ſine Duce, ſine Præceptore, ſine Principe parat in ęſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat: Chriſtianus verò qui, & Chriſti, & Sanctorum ampliſſima exempla habet, nec non Concionatorum documenta, atque Paſtorum monita, ſacrique Iubilæi, & Anni Sancti opportunitatem, non ſine graui culpa immotus, & ocioſus perſiſtit.

D. Bonauen. DIVVS Bonauentura in Diæta ſalutis cap. 28. eleganter formicæ ſapientiam, atque induſtriam, ſic deſcribit; *Eſt animal paruum, in quo laudatur humilitas: grano puro paſcitur, in quo commendatur honeſtas; ſocios laborantes adiuuat, in quo docetur Charitas; ſollicita ſēper curſitat, in quo monſtratur induſtria; prouida eſt de futuro, in quo oſtenditur prudentia: grana collecta detruncat, ne in terra germinent, vel putreſcant, in quo ſignificatur noſtra mortificatio; tempore imbris grana abſcondit, in quo nos docet tentationis fugam; tempore ſereno granum ſoli exponit, in quo docet, uel Deum de bonis ſuis laudare, vel ad Dei gloriam bona noſtra depromere; pondus portat maius quàm ipſa ſit,*
Solinus. Plinius. *in quo monſtrat Zelum compaſſionis; occultas vias, ait Solinus, rectas faciunt, per quas incedunt, in quo docent nos rectas facere ſemitas Dei noſtri.* Adde ex Plinio libro vndecimo capite 30. quòd grana ſibi inuicem communicant, & labores ordinant, in quo documentum dant ordinatæ Charitatis; faciunt denique tritas ſemitas in ſilice, in quo docent nos duras vias cuſtodire. Ergò peccatorum deſidia ac ſterilitas bonorum operum, etiam formicæ exemplo, nedum Reginæ Auſtri, vel Niniuitarum in die Iudicij condemnabitur. Deinde apellatur ſomnus.
Prouerb. 6. Prouerb. ſexto. *Vſquequò piger dormies, quando conſurges de ſomno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, & veniet tibi pauperies, quaſi vir armatus.* Armati enim hoſtes aduerſarios ſuos pigros in bello captiuos facere ſolent; ſic eueniet his, qui dormitant, negligentesq; ſunt ad Sacrum Iubilæum conſequen-
Matth. 13. dum: de hoc ſomno inquit Dominus Matth. 13. *Cùm autem dormirent homines; uenit inimicus eius, & ſuper ſeminauit Zizania.* Sed quis maiori ſomno corripitur, quā
Prouerb. 13. 19. & 22. negligens, indeuotus, & ſuę ſalutis curam non habens? de quo Prouerb. 13. & 22. dicitur, *Piger complicat manus ſuas: vult, & non vult piger. Sicut cardo in oſtio, ſic piger in lecto ſuo vertitur, dicit piger, leo eſt foris; in medio platearum occidendus ſum.* Atque ita ſomno ſuæ pigritiæ indulgens, omnia difficillima, cuncta impoſſibilia concludit; nullum tempus ſurgendi à peccato, nullam benè operandi opportunitatem cognoſcit, nec publica, atque altiſſima acclamatio Iubilæi illos excitat, nec maxima, ac pleniſſima Summi Pontificis uocatio ad Vrbem illos adducit;
D. Auguſt. ſemper procraſtinat piger, atque hodie vult, & cras non vult. Sic Diuus Auguſtinus antequam ad Chriſtum cōuerteretur, huiuſmodi pigritię morbo laborabat. Vnde lib. 8. Confeſſionum capit. 5. ità cùm Domino colloquebatur. *Vndique oſtendenti vera te dicere, Domine, non erat omninò quod reſponderem ueritate conuictus; niſi tantum verba lenta, & ſomnolenta. Modo, ecce modo, ſine paululum; ſed modo, & modo non habebant modum, & ſine paululum ibat in longum.* Poſtremò dicitur ſepul-

tur ſepultura, ſic Auguſtinus ſermone 17. ad Fratres in Eremo, ocium nuncu- D. Auguſt.
pauit viui hominis ſepulturam. Et Seneca Epiſtola octaua. Ocium ſine literis Seneca.
mortem eſſe, & viui hominis ſepulturam: & in Epiſtola.68. refert, Demetrium
vitam ocioſam, & ſine vllis fortunæ occurſionibus mare mortuum reputaſſe. At
ſi lex dormientibus non eſt ſcripta, ut Iureconſulti affirmant, quantò minus Cœ-
lum dormientibus paratur? ità affirmauit Proſper de vita contemplatiua, *Non dor* Proſper.
mientibus prouenit regnum cælorum, nec ocio, & deſidia torpentibus beatitudo æternita-
tis ingeritur. An non Dauid fortis in bello, ac innocens, ocioſus domi, nocens, ac facinoro-
ſus fit; adulterio hmicidiũ iũgẽs? Salomõ itẽ, cũ ſũma pace, & ocio frueretur, libidi-
nibus ſe ipsũ perdidit; & Populus Iſrael in deſerto, nõne ſedit mãducare, & bibe
re, & ſurrexit ludere? natura.n.humana, vt dixit Io. Caſſian. li.10. de ſpiritu Acci Caſſian.
diç, ſicut duris laboribus inſtruitur, ità ꝑ ocia torpẽtia fatuatur. Vnde D. Hier. ad D. Hieron.
Demetriad. *Nihil in ſancto propoſito ocio deterius eſt, quod non ſolummodo non acquirit*
noua, ſed etiam peracta conſumit. Sancta Vita ratio proceſſu gaudet, & creſcit: ceſſatione
torpeſcit, & deficit. Sic pigri, & ocioſi Chriſtiani, ut aquæ, quæ in ſtagno ſine motu Simile.
iacent, omni dulcedine, ac ſalubritate carent, & non niſi noxia, & venenata pro-
ducunt. Ab ocioſis enim, ut Gregor. in Paſtor. ait, ad noxia verba, à leuioribus ad D. Greg.
grauiora venitur. Vnde pigri ex ocio malas cogitationes, blaſphemiaſque proge
nerãt, diſſoluti oreſq; in bonis operibus, & in Sacri Iubilæi cultu quotidie fiunt.
Ocium enim, vt D. Hiero. ait in epiſtola quadam; *parit faſtidium, exercitium famem;* D. Hieron.
fames autem miro modo dulcia reddit, quæ faſtidium facit inſipida; vnde Eccleſiaſtici Eccleſ. 13.
13. rectè dicitur, *Ocioſitas multam malitiam docuit, tota die concupiſcit, & deſiderat.*
An non animalia, quæ ſine motu diu in terra iacent, nec progrediuntur, vngu-
las deperdunt? Aues item, quæ in nidis commorantur, plumas amittunt? Sic qui
ocio ſepulti ſunt, & motu bonorum operum, & ornamentis virtutum deſtituun-
tur. *Ingenium enim hominis*, ut inquit Plutarc. *cancariem, & ſenium in ocio con-* Plutarcus.
trahit propter obſcuritatem; & muta quies, vitaq́; ſedentaria in ocio ſemota, non
corporibus modò, verùm etiam animis marcorem conciliat. Quinimmò ocioſi à
Dęmone facilius feriuntur. Sicut enim auis non capitur, dum mouetur, ſed ubi Simile.
primum ſubſiſtit, ſic Dæmon facillimè eos, qui in ocioſitate ſepulti ſunt, com-
prehendit, vnde verſus.

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

& Diuus Hierony. in ſerm. quodam, *Semper aliquid operis facito, ut te Diabolus inue* D. Hieron.
niat occupatum; Non .n. facilè capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio. Et Seneca in Seneca.
præcitata Epiſt.68. ſapiẽter dixit. *Malo, ut me fortuna in caſtris ſuis, q̃ in delicijs hẽat*
Quis ergò ad anni Sacri argenteas Indulgentiarum perſonantes tubas non euigi
labit? quis ſalutis ſuæ oblitus, ac curæ ſpiritualis negligens, huic uni rei ſollicitus
non incumbet? cùm præſertim non his ſolùm, quæ adnotauimus, malis prema-
tur, ſed ipſam omnium pœnarum maximè horribilem, Dei ſcilicèt maledictionẽ
incurrat. *Maledictus enim homo*, inquit Hieremias, *qui opus Dei facit negligenter.*

Sane ocium eſt valdè graue peccatum, quod Diuus Chryſoſtomus Homil. Ocium graue
16. in Epiſtola ad Epheſios oſtendit, his verbis. *Nihil*, inquit, *boni facere, hoc ipſum* peccatum.
eſt malefacere. Dicas .n. mihi: ſi famulũ haberes, q etſi nec furaretur, nec cõuiciaretur, D. Chryſoſt.
nec contradiceret, immò nec inebriaretur, nec quicquam mali faceret; ſederet tamen per-
petuò ocioſus, nec aliquid eorum, quæ ſeruus hero ſuo præſtare debet, faceret; non fla-
gellares illum? non ut peruerſum caſtigares, dic quæſo? Atqui nihil mali operatus eſt:
Hæc ille. Nec aliter Deus ocioſos eo ſolùm nomine, quòd ocioſi ſint, flagellat:
qui enim auxilia Dei contemnit, media, quæ ad ſalutem proponuntur, negligit,
opportunitates ad benè agendum non amplectitur, occaſiones ad feruenter Deo
inſeruiendum, prætermittit, denique qui omnem induſtriam in animæ ſuæ curã
non ponit; ſegnis profectò, ocioſus, ac negligens ſeruus exiſtit; & licèt nõ omnia
media cuicumque ſint neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, pleraque tamen offerun-
tur à Deo homini ad bene eſſe, quibus faciliùs, ac rectiùs, & ociùs per uiam ſalu-
tis incedere poſſit: meretur tamen aliquando homo, ſi ea neglexerit, ut alijs quo-

Prouerb. 20.

que deſtituatur. Et hæc eſt pœna pigri, & ocioſi hominis. Vnde Prouerb. 20. rectè dicitur, *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergò æſtate, & non dabitur illi*; qui enim in hac vita ignauus eſt in Dei obſequio, in altera uita nil gratiæ, uel fauoris obtinebit, atque etiam in hac vita, ueniente calore, & æſtu tentationis, ope diuina carebit.

Chriſtiani omnino curare debent, ut Iubileum ſuſcipiant. D. Bonauent.

IGITVR omnes Chriſtiani diligenter ſtudere debent, ut omni impedimento remoto, tanto Dei beneficio utantur, quod in Anno Sacro omnibus offertur; Atque ſibi ipſis certò perſuadeant, Deum uitam ad illud uſque tempus illis conceſſiſſe, ut tanto beneficio gaudere poſſint. Diuus Bonauentura in Diæta ſalutis ca. 7. pulchras rationes adducit, quibus omnis negligentia circà ea, quę ad animam ſpectant, depellatur. Si enim iter longum breui tempore conficiendum ſit, niſi quis perpetuò ambulet, ad finem peruenire non poteſt; at longa eſt uia, quæ ducit ad cœlum, multa enim Dei mandatá ſunt ſeruanda, multa bona opera peragenda, multa mala cauenda, multæ denique tentationes ſuperandę, antequam eò perueniatur. Dies vero hominis breues ſunt, nec de craſtino certi ſumus. Quis ergò tempore Anni Sacri; ſi tamen à Deo concedetur, uel ſomniculosè, uel oſcitanter uiam inibit? Deinde, quando à Domino quis expectatur, conueniens eſt, ut feſtinet, nè ſua illi ſit tarditate moleſtus, uel animi ſui deſidiam ei declaret. At omnes Martyres, Sanctiq; uniuerſi, necnon & ipſe Chriſtus expectant, inuitant, uocant Chriſtianos, ut ad Sacrum Iubilæum properent, hauriantq; aquas remiſſionis de fontibus Saluatoris dicentis, *Omnes ſitientes venite ad aquas, properate, emite abſque argento*. Prætereà, cùm quis à Principe viro ad cænam magnam, & opiparam inuitatur, profectò non leuiter peccat, ſi ſerò accedens, cæteris in mora ſit, magnoq; periculo ſe exponit, nè tempeſtiuè non ueniens excludatur. At ad cænam magnam Sacri Iubilæi omnes Chriſtiani ab Eccleſia inuitantur. Rurſum, ſi in via aliqua multa ſint impedimenta, ut latronum inſidię, uel uię confragoſę, atque aſperæ, uel flumina tranſmittenda, neceſsè eſt, ut uiator diligentiùs, & expeditius ambulare incipiat. Atqui in uia ſalutis multæ intercedunt tentationes, multę Dęmonum inſidiæ, multæ difficultates; nunquam igitur dormiendum, ſed via confeſtim arripienda eſt. Iam verò, ubi timetur, nè aduerſarius longa poſſeſſione rem præſcribat; nône in cauſa feſtinandum eſt? At habitum diuturnæ negligentię nè pręſcribat Diabolus, non ſine cauſa timendum eſt: exturbandus eſt igitur tempeſtiuè poſſeſſione, nè præſcriptio currat. Prętereà, cum uaria media in dies ab amico offeruntur, quibus poſſit quis ſe à malo liberare, an nô maximè amicus offenditur, ſi illa media negligantur? At Deus quotidie ſuam gratiam, pręſertim in Anno Sacro, nobis offert, per quam à periculo interitus certiſſimè liberamur: quod etiam maximè negligentiam noſtram arguit, cùm in præſenti diſcrimine ſalutis noſtræ conſtituti; damnationis æternæ, pœnæq; infernalis, aut certè Purgatorij adhuc pericula non vereamur. Poſtremò, qui proprium tempus aliquid comparandi prætermittit, grauiſſimè quidem peccat: at totus Annus ſacer nonne tempus acceptabile, & dies ſalutis eſt? In eo tempus conceditur diuitias cęleſtes acquirendi; in eo debita dimittuntur, redimuntur captiui; omnes igitur, cùm pauperes, captiui, & debitores ſimus, tanto in negocio obdormire non debemus.

Parabola Cœnæ Luc. 14. applicatur Chriſtianis ad Annum Iubilæi uocatis. D. Auguſt.

Enimuerò vtinam id quàm pluribus non accidat, quod inuitatis ad cęnam magnam contigiſſe narrat D. Lucas cap. 14. etſi enim cęna opipara inſtructa eſſet, multique ad illam uocati, omnes tamen ſimul excuſationem confinxerunt; primus villam emptam videre voluit, alter iuga bouum probare, tertius vxoris, quã duxerat, impedimentum obiecit. Nimia enim ſollicitudo terrenarum rerum ingens impedimentum eſt, nè ad cœleſtia uelociter curramus, & ut ſapienter Aug. ait, Serm. 33. de uerbis Domini, *Amor rerum terrenarum, viſcus eſt ſpiritualium pennarum*. Aliqui enim uel ob uanam ambitionem, & libidinem dominandi; uel ob rei familiaris augendę nimiam ſollicitudinem; uel denique ob effrænatę libidinis voluptatem ab obſequio Dei, ſpiritualiumque rerum praxi retardantur; & cum ad cœleſtia ſint uocati, terrenis oblectantur, nec cœleſtia vident, caligine cupiditatis ter-

tatis terrenorum obſcurati; ſicut enim nix perſtringit oculos, ne uia uideatur; ſic
amor, & deſiderium rerum caducarum mentem offuſcat, ne cœleſtia uideantur. Simile.
Hanc rem D. Chryſoſt. in Acta Apoſtolorum Homil. 7. uehementer exaggerat, D. Chryſoſt.
ſic ferè ſcribens. *Si Ethnicus eſſes, & nihil poſt hanc uitam ſperares, difficile forſan eſ-*
ſet rerum terrenarum affectionem deponere. Nunc autem cœlum expectans, & ea, quæ in
cœlis ſunt, hoc tibi difficile uidetur? ſi contrarium dicerem, expete diuitias, potiùs mihi
ſuccenſeres, dicens, quomodo hoc faciam, cœlum expectans, à quo iſta me retardant? iniu-
riam tibi facerem, ſi propoſito auro, & pretioſis lapidibus, plumbum tibi appetendum dice-
rem. Hæc ille. At terrenarum rerum amor excutiendus eſt, vt diuinarum amorē
induamus. Vnuſquiſque enim in eo, quod diligit, totus eſt. Vbi enim eſt theſau-
rus, ibi cor; quod ſcriptura Eccle. 38. atteſtatur dicens. *Qui tenet aratrum, & qui glo* Eccleſ. 38.
riatur in iaculo, ſtimulo boues agitat, & conuerſatur in operibus eorum, & enarratio eius
in filijs taurorum, cor ſuum dabit ad uerſandos ſulcos, et vigilia eius in ſagina uaccarum.
Quibus verbis oſtendit hominem in re amata totum poſitum eſſe: ſic in villa, in
bobus, atque etiam in vxore inuitati adeò poſiti erant, vt cęnam, per quam ſpiri-
tuales dapes denotantur, contempſerint. Vnde D. Greg. Homil. 36. in Euang. ap D. Greg.
poſitè ſic ait, *Si cuncta mundi relinquere non potes, ſic tene, quæ huius mundi ſunt, vt*
per ea non tenearis, vt terrena res poßideatur, non poßideat. Sit res temporalis in vſu, æ-
terna in deſiderio: hæc vt in itinere, illa vt in termino; quaſi ex latere reſpiciatur, quic-
quid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tota mentis intentione illa ſpectemus, ad quæ
tendimus; quam, & omnia reſtituendo relinquimus, ſi ſic temporalia gerimus, vt tamen tota
mente ad æterna tendamus. Hæc Greg. Et verò, qui Iubilæum terrenis poſthabet ne- Quàm malè
gocijs, an non plumbum auro, terrena cœleſtibus anteponit? nonne Eſau imita- faciant, qui Iu
tur, qui primatum benedictionis nihili faciēs, maluit cibum accipere, quàm quæ- bilæum pro
rere. Bonum verò non facere, malitiæ pars quędam eſt, atque ad ocium, & ſegni- terrenis nego
tiem ſpectat; ocium uerò malitiæ pars eſt, immò verò non pars, ſed cauſa, & mala cijs negligūt.
radix, vt rectè dixit D. Chryſoſt. vbi ſupra, & addit pulchram ſimilitudinem de D. Chryſoſt.
agricola, *Sit*, inquit, *agricola quiſquàm, qui nulla in parte lædat noſtra bona, nec illis* Simile.
inſidietur, nec furtum intentet; dumtaxàt compreßis domi manibus ocioſè ſedeat, nec
ſeminans, nec ſulcum proſcindens, nec boues ſubiugans, nec vitem colens, nec a-
lium quemquàm eorum laborum faciens, qui ad terræ culturam pertinent: An huiuſmodi
non puniemus? Atqui nihil iniuriæ intulit, ne culpare talem poßimus. Verùm hoc ipſo,
quòd ocioſus fuit, iniuriam intulit. Iniuriam enim committit communi ratione, qui quam
debet vtilitatem ſuam non præſtat: & paulò poſt, aliam ſimilitudinem affert de hu-
mano corpore: *Vis, vt & ipſum corpus in hanc rationem dicamus? manus igitur, ſi nec*
caput verberet, neque linguam excidat, nec oculum effodiat, nec aliud quicquàm eiuſmo
di mali committat; tantùm verò ocioſa maneat, & miniſterium ſuum, quod debet toti cor
pori non præſtet; an digna non eſſet, quæ amputaretur potiùs, quàm circumferretur ocio-
ſa, totiq; corpori nociua? Quid ſi os nec manderet manum, nec morderet pectus, quæ ve-
rò ſui ſunt officij, omitteret omnia: an non meliùs occluſum maneret? Itaque ſi & in
domeſticis, & in opificibus, & in toto corpore magna eſt iniuria, non ſolum mali quic-
quàm facere, ſed & bona omittere, multò magis iſtud vtique in corpore Chriſti erit.
Sic rectè Chryſoſtomus. Prætereà hieroglyphici appoſitè ocium, & ignauiam ea Imago, & ſi-
imagine deſcribunt, qua pes ſuper pedem ponitur. Ità Valerianus in ſuo opere. militudo ocij. Valerianus.
Vnde & ſalici, quæ infęcunda ſine ullo ſemine eſt, rectè comparatur, iuxtà illud
Pſalmi. *In ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra*, & Prouerb. 26. Piger, & ocioſus de- Pſal. 136. Prouerb. 26.
ſcribitur, ut exponit Beda per hoc, quòd manum abſcondat ſub aſcella. Nazarius Beda.
quoque, ſomnio ſecundo cap. 3. dum pigrum, & tepidum hominem deſcribit, nu- Nazarius.
dum hominem, & perunctum, muſcis coopertum, neſcientemque illas abigere,
ante oculos ponit. Qui igitur in ſacro Anno ocioſorum pœnas, increpationem, at
que flagella, quæ Deus illis minatur, euadere cupit, Anni Sancti peregrinationem
ociùs aſſumat, nec pecunijs parcat, nec labore deterreatur, nec domeſticarum re-
rum cura præpediatur; ſed omni humano impedimento ſemoto, atque corde Dei
gratia dilatato, uiam ſacram alacris & feſtinus percurrat.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Quòd Deus his, qui dignè ad Sacrum Iubilæum accedunt, triplicem fructum benignè concedat.

Locus Iſai. 61. de fructibus Iubilæi explicatur. Quale fuerit munus, & officiũ Meſſiæ.

ET DAREM *eis coronam pro cinere, oleum gaudÿ pro luctu, palliũ laudis pro ſpiritu mæroris, & vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Eſaiæ 61. Officium Meſſiæ duplicem functionem complectebatur; prædicationem ſcilicet, & actionem; vti Eſaias loco citato non obſcurè inſinuat; *Spiritus*, inquit, *Domini ſuper me, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro*; in quibus verbis ponitur Chriſti prædicatio, quæ ſe extendit tum ad annum placabilem, qui fuit annus paſſionis ipſius, in quo Deus placatus eſt humano generi, ſatisſactione accepta pro populi peccato, vt Gloſ. ibidem: tùm etiam ad diem vltionis, quæ eſt dies extremi iudicij, in qua vlciſcetur Deus ſuper eos, ut inquit Ruper. lib. 2. in Eſai. cap. 24. qui non quærunt indulgentiam, & apertionem, ſed amantes ſeruitutem peccati, currunt ad clauſtra mortis, ſurdis auribus contemnentes uocem poſt tergum monentis, & dicentis, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum Dei.* In illis autem uerbis, *vt conſolares omnes lugentes, & ponerem illis conſolationem, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudÿ pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mæroris*; actionem Chriſti exponit ergà illos, qui pœnitentiam agentes, fidem Chriſti amplexi ſunt, quibus pro cinere pœnitentiæ dabit coronam glorię, pro luctu præſentis exilij, oleum gaudij, & cõſolationem Spiritus Sancti, denique pro ſpiritu mæroris, ideſt pro ſacrificio ſpiritus contribulati, gloriam Reſurrectionis. Quæ tria in Anno Sacro his, qui Iubilæum pro dignitate conſequuntur, à Deo clementer præſtantur.

Gloſ. Rupert.

Plena remiſſio eſt primus fructus Iubilæi. Coronæ uincentium in bello apud veteres.

ET primo quidẽ pro cinere, & cilicio, ideſt labore pęnitentię, qui in peregrinatione, & viſitatione Eccleſiarum aſſumitur, corona perfectæ ac pleniſſimæ remiſſionis peccatorum tribuitur; corona quoque in eo conceditur, non ex myrto, qua illi coronabantur, qui leuem victoriam, & potiùs ludicram, quàm martialem habuiſſent; ſed ex auro conflata, qua fortiſſimus quiſque ornabatur, qui primùm ingrederetur vallum hoſtile, uel hoſtium muros ante omnes aſcenderet. Quòd ſi Ethnici corona Cyliſta, quæ ex fronde fici, & roſarum floribus fiebat, ſignificabant uirtutis labores tandem in amabili, & dulci ſuauitate finiri: roſa enim cùm ſpinis uirtutem, ficus verò dulcedinem refert, rectè quoque pro cinere in Anno Sacro coronam, id eſt dulcedinem, quæ eſt fructus uirtutis, tandem tribui dicendum eſt: in hoc enim ſacro tempore labor pœnitentiæ in ſuauitatem virtutis, labor peregrinationis in dulcedinem ſpiritualis quietis commutatur. Prætereà ſi ex palma contextam coronam, (quæ Thiriatica dicebatur) victoribus tribuebant, cur non itidem illis, qui ſui ipſius in tot laboribus uictores fuerint, ſimilis corona adiudicabitur? immò non ſolum Thiriatica, ſed etiam laurea, quę ex lauro confecta uictorem Imperatorem redimire ſolebat. Quid? quod etiam corona Antinoia digni ſunt. Hæc enim ex frondibus lothi contexta, quæ ęternitatem, & diuinitatẽ ſignificabat, denotat eos, qui Sancto Iubilęo digni effecti ſunt, ęternitàtis, ac diuinitatis participes eſſe. Sic enim Arca, Menſa, & Altare, Exod. 25. circulis aureis munita, & ornata erant, vt ſpem æternorum præmiorum ſignificarent, vt ibidem Gloſ. Vndè in Apocalyp. Corona, quæ erat in capite Sedentis ſuper equum album, promiſſionem uitę æternę innuebat. Adde, quòd qui Sacrum Iubilęum ritè acquiſiuit, corona Amaranti rectè coronari poſſet; qui flos cùm minimum nutrimentum è terra, plurimum è cœlo, vt aiunt, hauriat; planè hominem pium, ęquũ, ac rectum ſignificat, ut annotauit Clemens Alexandrinus Pedag. lib. 2. cap. 8. Appoſitè igitur in Anno Sancto pro cinere corona tribuitur: immò cum ex uarijs regionibus, cunctiſque Populorum nationibus fideles tunc temporis Romam accedant,

Exo. 25.

Gloſ.

Clem. Alex.

cedant, rectè ſummus Eccleſię Prępoſitus ad illos conuerſus, dicet cùm Apoſtolo, *Gaudium & corona mea vos eſtis in Domino.*

SECVNDVS fructus eſt oleum gaudij pro luctu. In Anno Sacro non quodcumque gaudium loco luctus peccatorum ſuccedit, ſed gaudiũ illud, quod per vnctionem Spiritus Sancti in cordibus peregrinorum infunditur. De quo dixit Paulus, *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* De hoc oleo lætitiæ dicit Dauid Pſalm.44. *Vnxit te Deus* (loquitur de Chriſto) *oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Hoc oleo peruncti peregrini in Vrbe per Iubilæi gratiam ſperantes in Domino, mutant fortitudinem, aſſumunt pennas, ſicut aquilæ currunt, & non laborant; ambulant, & non deficiunt, Eſaiæ 40. ſicut enim ianua, cùm aperitur, & clauditur, ſi eius cardines oleo inuncti fuerint, nullum ſtrepitum, vel ſtridorem edit; ſic quando oleo Charitatis intellectus, & voluntas hominis perfuſa fuerit, abſque difficultate homo viam mandatorum Dei percurrit, omneque opus bonum, etiam maximè arduum magno cùm gaudio, promptiſſimoque animo exequitur. Sicut enim Orbes Cœleſtes, & ſidera duplici motu mouentur, ſcilicèt motu proprio tardiſſimè, & motu diurno, ſeu raptus velociſſimè ex vi primi Mobilis; ſic etiam anima duplicem habet motum; vnum naturæ, per quem lentiſſimè in bonum fertur; alterum ex oleo lætitiæ ſupernæ gratiæ, per quẽ rapidiſſimè ad virtutem trahitur, iuxtà illud, Cant.1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vnde nomẽ Dei ratione dilectionis, & gaudij, quod in cor hominis diſtillat, oleum effuſum dicitur ibidem, quod delibutæ adoleſcentulæ in illius amorem feruentiùs exardeſcunt. D. Baſilius in lib. de vera Virginitate, affectum animæ ad Chriſtum, qui ex huiuſmodi oleo lætitiæ emanat, elegãter ſic deſcribit. *Qui amore carnali ardet, parietes, & domos audacter aſcendit, & contra ipſos diſtrictos gladios fertur inſanus, ac niſi ſolito cultu incedens perfrui amore poſſit, omiſſo illo, ſordidum aſſumit; denique vt voluptate potiatur, humi ſerpere non recuſaret. Sic qui Deum veraciter diligit, parietes carnalis propinquitatis, & parentum, aut quas habet domos, tranſilire, & ſi ferat occaſio, ad Martyrij gladios currere; ac niſi conſueto habitu viuens, amore ater no frui poſſit, ignobiliorem aſſumere, plurimaq́; mundi improperia tolerare optabit, vt Deo fruatur.* Igitur verè de his, qui ad celebritatem Anni Sacri properant, per analogiam quamdam dici poteſt, *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor.*

> Secundus fructus eſt ſpiritualis lætitia.
> Pſalm.44.
> Iſai.40.
> Simile.
> Simile.
> Cantic.1.
> D. Baſilius.

Hic enim eſt proprius effectus conſolationis, quæ nomine olei figuratur, Spiritus Sancti, vt animam zelo fidei accenſam in labore, & tribulatione incredibili gaudio perfuſam reddat. Vnde Eunuchus Actor.5. accepta gratia Spiritus Sãcti, incedebat per viam ſuam gaudens. Qui enim theſaurum Sacri Iubilæi in agro Romanæ Eccleſiæ reconditum inuenerit, præ gaudio illius vadit, & vendit, ideſt, relinquit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum, Vrbem petens, vt bonis eius perfruatur.

> Actor.5.

Hoc iter, etſi durum fortaſſe aliquibus uideatur, naturæ corruptæ conditione inſpecta; attamen, ſi ſpe fructus ex hoc Sacro Iubilæo percipiendi recreetur, is ſpirituali lætitia repletus, omnem luctum in gaudium conuertens, breuiſſimam omnem uiam exiſtimabit. Qui enim pedibus iter aliquod longum conficere aggreditur, is ſi calceis benè munitis utatur, nonnullorum tamen dierum labore detritos tandem abijciet. Qui autem nudis pedibus iter aggreditur, quo plus ambulat, eò duriorem callum plantis obducit. Ratio autem diſcriminis hæc eſt, quia calceorũ ſolea corium emortuum eſt, pedum uerò uiuum: Sic omnes, quorum animi fortitudo in uiuo conſiſtit, ideſt, in uirtute Spiritus Sancti, quo magis laborant, eo fortiores, & conſtantiores fiunt. Peccatores uerò naturę debilitatæ uiribus freti facilè atteruntur, & quibuſuis etiam leuiſſimis tribulationibus ſuccumbunt. Nec ſine cauſſa oleum in Iubilęo Sacro tribuitur, cùm illud uictoriam laborioſam ſignificet. Qua ratione ad Alexandri tabernaculum duo fontes, unus ex aqua, & alter ex oleo poſiti erant; quocircà & Athletę apud ueteres oleo vtebantur, & uictores olea co-

> Peregrinatio ad Vrbem ob fructum magnum Sacri Iubilæi efficitur breuis, & ſuauis.
> Simile.
> Multiplex uſus, & ſignificatio olei.

Valerianus. Fran. Georg. Pſalm.92. Exo.27. Pſal.125. 2.Thim.4.

olea coronabantur,ut Valerianus refert:immò & in ueteri teſtamento panes azimi oleo conſperſi offerebantur;& apud ueteres, ut Franciſcus Georgius problemate 379.tom.2.ſcribit, in ſacrificio Deo oblato oleum, & thus dumtaxat adhibebatur,ut per oleum,diuinitatem,per thus uerò orationem ſignificarent. Quòd ſi oleum quandoque hilariratem prænotat,ut eſt illud Pſalm.92.*Senectus mea in oleo pingui*;& illud,*vt exhilaret faciem in oleo*, conuenientiſſimè ſanè oleum in anno Iubilationis promittitur. Adde,quòd oleum oliuarum ad Tabernaculum afferre oportebat.Exod.27.ut mentis deuotionem bonis operibus,& præſertim huic peregrinationi Anni Sancti,adiungendam eſſe ſignificaretur. Impinguatur autē in oleo diuinarum conſolationum caput peregrinantium ad Vrbem, ut abundantiam, & confortationem diuinæ gratiæ in anima abundè etiam denotetur. Sicut autem in ſacrificio pro peccato oleum non adhibebatur; ſic peccatores, qui pertinaciter ſuis peccatis adhærent,lætitiam ſpiritualem non habent.Iuſti autem in anno ſacro,nedùm oleum in lenticula,ſed in cornu habent;cùm abundantiam diuinarum gratiarum copioſiſſimè conſequantur,& ſic triſtitia illorū uertatur in gaudium; atque ità de illis dici poteſt, quod cecinit Dauid Pſal.125. *Euntes ibant, & flebant,mittentes ſemina ſua*;ſeminant enim iuſti cum labore,atque triſtitia,& cum patientia magna fructum boni operis deinde reportant.Vnde ſequitur, *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos*. Vndè Paul.2.Thim.4.dixit,*Bonum certamen certaui,fidem ſeruaui,curſum conſumaui, ideò repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,quam reddet mihi in illa die iuſtus Iudex*.

Tertius fructus eſt cumulus bonorum operum. Beda. Num.15. Deut.22. Deſcriptio Pallij. Gloſſ.ordin. Iſai.28. D.Hieron. NOTA. Iſai.3. Simile. Ad templum honoris apud Romanos nō niſi per templum uirtutis intrabatur. Deſiderium honeſtæ laudis prouocat ad bona opera.

Tertivs fructus eſt, pallium laudis pro ſpiritu mæroris. Hic per pallium fructus bonorum operum ſignificatur. Mali enim(ut Beda in caput.25. Prouerb.interpretatur)pallium in die frigoris amittunt,quoniam in die Iudicij bonis operibus nudi apparebunt,& Numer.15.& Deuter.22.Palliū quatuor angulos habere deſcribitur,cum funiculis fimbrias conſtringentibus,in quibus ponebantur vittæ hyacinthinæ, quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, & vt Gloſ.ordinaria exponit, per illum multitudo bonorum operum ſignificatur.Nec Chriſtiano breui pallio utendum eſt, ut enim ait Eſaias cap.28. *Pallium breue vtrūque operire non poteſt*,ſignificatque,ut D.Hiero.ibidem exponit,animā non ualentem ſimul Deum,& Diabolum in ſe recipere, ſed longo,ideſt, charitate,quę operit multitudinem peccatorum.Rectè autem aſcendentis in Cœlum Eliæ pallium in terra relinquitur, ut diſcamus,pallio laudis, quod in Sacro Iubilęo acquiritur, dum à Domino peregrinamur, in hac vita ſemper nobis utendum eſſe. Veh autem animę illi,cui Deus ob negligentiam culpabilem acquirendi Iubilęum,pallium auſert,quemadmodum Eſaię cap.3.dicitur,*In illa die auferet Dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras,& diſcriminalia,& periſcelidas,& murenulas, & olfactoriola,& inaures,& annulos,& gemmas in fronte pendentes,& mutatoria,& palliola,& linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas,& theriſtra*. Quid flebilius anima Dei gratia, decore uirtutum,bonorum operum meritis,ſacra pœnitentia,& Indulgentijs deſtituta?ſanè non ſolùm apud Deum uiri boni,atque iuſti laudem merentur, ſed etiam apud homines in pręſenti uita. Laus enim uirtutem ſequitur,ut umbra corpus.Quemadmodum enim Medici,dum ęgrotum ſalutares cibos faſtidire,& noxios appetere uident,ſalutaria noxijs adiungunt, ut dùm auidè ſumunt,quod noxium eſt,ſumant etiam quod illi ſalutare futurum eſt; ſic etiam Deus,ut homines à uitiorum turpitudine ad honeſtatem traduceret, in illis dedecus, & ignominiā, in hac decus,& gloriam,quam homines naturaliter appetunt, collocauit. Planè Ethnici,vt laudem,& honorem uirtutis comites indiuiduas eſſe docerent, honoris,& uirtutis templa ità coniunxerunt,ut non niſi per uirtutis ad honoris templū introire cuiquam liceret. Eſt autem laudis honeſtę cupiditas ſtimulus benè operādi, quod uidere eſt in tribus illis fortiſſimis Dauidis militibus, qui, ut apud Regē dignitatis, atque honoris exiſtimatione creſcerent, pręſentiſſimo ſeuitę periculo expoſuerūt,& de ciſterna Bethlehem ab hoſtibus circumſeſſa aquam haurientes,

ſuo Prin-

ſuo Principi obtulerunt, 1. Paralip. cap. 11. Vera enim uirtus ex laudis ſemine naſcitur, & laudata creſcit. Laude quippè probatur homo, ut Prouerbio. 27. dicitur, *Quomodo enim probatur in ſufflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis*; Nec ob laudem uir iuſtus ſe extollit, ſed potiùs ſe humiliat. Sicut enim uenti ualidi in agris ſpirantes, ſegetum ſpicas turgentes, quę ſolida grana habent, iuuant, ut grandiora, ac pleniora fiant; inanes uerò, quę tenuia grana habẽt, exiccant, & urunt; ità laus ſolidam uirtutem adauget, cùm animum iuſti ad eius pulchritudinem magis inflammet; extenuatam uerò, ac debilem penitùs perdit; quia dum laude inflatur, euaneſcit: De qua re egregiè D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 9. ſic ait. *Cùm humana lingua atteſtatione laudamur, occulta pulſatione requirimur, quid de nobis ipſis ſentiamus, ut in hoc humiles permaneamus. Superba enim mens etiam cùm de ſe falſa dicuntur exultat, quia non apud Deum, qualiter viuat; ſed apud homines, qualiter innoteſcat, excogitat. At contrà ſi cor veraciter humile eſt, bona, quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit, & quia falſa dicuntur metuit; aut certè ſi adeſſe ea ſibi veraciter ſcit, eo ipſo formidat, nè ab æterna Dei retributione pereant, quo hæc conſiderat hominibus diuulgata. Qua ex re agitur, vt electorum animus magno laudum ſuarum igne crucietur, atque ab omni torporis ſui rubigine, mærore cogitationis excoquatur; cauta enim conſideratione trepidat, nè aut de his, in quibus laudatur, & non ſunt, maius Dei iudicium inueniat; aut de his in quibus laudatur, & ſunt, competens præmium perdat. Vnde plerumque fit, vt ſicut iniuſtus ex laude ſua polluitur, ità vir iuſtus, audita laude ſua, purgetur.* Hactenus Gregorius. Nec ſolùm ipſimet iuſto, ſed etiam alijs laus uirtutis proficua eſt. Qui enim ignaui, & ſegnes ſunt ad uirtutem, ſępenumero pręclaris facinoribus, atque exemplis aliorum ad illam excitantur. Sunt enim exempla uirtutum, quaſi calcaria, quę ad bene operandum mentem hominis extimulant. Vnde D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 7. dixit, *Plerumque ad exercenda bona opera aliena nos vtiliter exempla perſuadent; & cùm mente humili opinionis alienæ bona ſuſcipimus, noſtra, uel ad melius bona perducimus, uel ad bonum mala permutamus. Cumque nos de vita proximi famæ ſplendor irradiat, mens noſtra quæ ad obtinendum virtutis iter ſe dirigit, quaſi in Lunæ lumine greſſus ponit. Sicut enim Luna lumen à Sole mutuatum hæc inferiora, & ſi obſcuriùs, quadamtenus tamen illuminat: ſic proximorum laudabiliter facta, ex diuinæ gratiæ lumine profecta, & ſi tenuiùs, aliquatenus tamen ad virtutem excitant.* Hæc ille. Sunt etiam virtutes quædam ſuauiſſima odoramenta, quæ homines alliciunt, & oblectant. Vnde Apòſtolus ſuos pro Chriſto labores dixit eſſe odorem uitæ in vitam, & D. Baſilius, Homil. in Gord. Mart. inquit; *Quemadmodum ſuauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem continentem ſpirãt, quo præſentes recreantur; ità vir bonus toti ſibi commorantium contubernio ſalutaris iucundus eſt. Sicut enim aromata tunc maximè ſpirant, cùm vel confricantur, vel conteruntur: ſic virtutum opera tunc maximè mouent, cùm laudantis oratione explicantur; Sicut etiam oues Iacob intuentes uirgas maculòſas, & uarias, ſimiles agnos pariebant, ſic iuxtà exempla, quæ cernimus, ſiuè bona, ſiuè mala, voluntas hominis operatur.* Meritò igitur Pallium laudis, & honoris in Sacro Iubilæo proponitur, ut cęteri ad imitationem commoueantur.

1. Parap. 11.

Prouerb. 27.

Iuſtus cum laudatur, ſeſe humiliat.

D. Gregor.

Bona exempla iuſtorum proſunt etiã neglıgẽtibus, & illos excitant.

D. Greg.

Odor virtutis.

D. Baſilius.

Appoſitè verò Pallium in hoc anno Iubilæi datur. Sicut enim Elias pallio ſuo inuoluto percuſſit aquàs, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſiuit cum Eliſæo per ſiccum 4. Reg. 2. ità ex percuſſo Chriſti corpore, dum aquæ remiſſionis, & Indulgentiarum effluxerunt; homines, qui illas acquirunt, quaſi per ſiccum tranſeunt, omnium peccatorum pœnis ſolutis. Hi igitur, qui Iubilæum adipiſcuntur, meritò fortes iuſtitiæ appellantur, & plantatio Domini ad glorificandum.

4. Reg. 2.

CAPVT SEPTIMVM.

Quòd qui theſauro Eccleſiaſtico vſi fuerint, amicitiæ Dei participes efficiuntur.

Explicatio loci Sapiẽ. 7. de fructu Iubilæi. Caiet. Nauar.

ALIVS fructus Sacri Iubilæi proponitur in illis verbis Salomonis Sap. 7. *Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Caietanus tomò 1. tract. 30. q. unica, quem ſequitur Nauarrus in Commentario de Iobelęo notab. 23. exiſtimat, hunc locum ſcripturæ, ſecundum germanum, & literalem ſenſum, debere intelligi de theſauro meritorum Chriſti, qui eſt ipſa diuina ſapientia, & ſons omnis ſapientiæ, quo qui rectè vſus fuerit, efficaciter cõſequendo Indulgentias, ſi perſeueranter id egerit, particeps fiet amicitiæ Dei conſumatæ, quæ in cœleſti patria conceditur, in quam nemo, dùm pœnæ eſt obnoxius, ingredi poteſt: ex quo infert, non impropriè Clementem VI. in ſua Extrauagante, quæ incipit, *Vnigenitus*, pręfatam Salomonis ſententiam ad Indulgentiarum efficaciam, & ueritatem demonſtrandam vſurpaſſe, additq; Caietanus, ſemper Eccleſiã vti in Sacris Canonibus proprio, atque germano ſenſu ſacrarum Scripturarum, dum eas adducit, nec vſquam illis abuti. Sanè hæc verba Salomonis ad literam, ut Diuus Bonauentura, Lyranus, & alij exponunt, intelligenda ſunt de ſapientia creata, quæ ex Dei dono Salomoni infuſa ſuit, vt in contextu verborum illius capitis videre eſt; loquitur enim ibi Salomon de ſapientia, quam ipſe ſine fictione didicerat, & ſine inuidia alijs communicabat, quam ſuper aurum, & argentum, omnemq; lapidem præcioſum, ac ſuper omnes mundanos theſauros adamabat. *Omne enim*, inquit, *aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.*

Clem. VI.

D. Bonau. Lyranus.

Quibus rebus Sapientia infuſa præſtet terrenis theſauris. Iob 28. D. Bernard. Iacob 3. Iſai. 61. Sap. 8.

PRAESTAT autem terreno theſauro hęc ſapientia. Primò ratione originis, quia ille de terra eſt, ut Iob. 28. *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur*, terra ſcilicèt, ut exponit Bernardus, ſapientia verò de cœlo eſt, ut patet Iacobi. 3. Secundò ratione naturæ, quia theſaurus terrenus eſt quid corporeum; ſapientia verò quid ſpirituale. Vnde Eſaïæ. 61. dicitur, *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ.* Tertiò, ratione operationis, quia ille pauca efficere poteſt, hæc autem omnia. Vnde cap. 8. lib. Sapientię dicitur, *Quid locupletius ſapientia, quæ omnia operatur?* Quartò, ratione æſtimationis, quia theſaurus cadit ſub æſtimatione, ſapientia nequaquam, vt Sapientiæ. 7. dicitur, *Præpoſui illam Regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* Quintò, ratione vtilitatis, quia ſapientia ſine diuitijs non minimum prodeſt, diuitiæ verò ſine ſapientia nihil, quin etiam nocent. Vnde Eccleſiaſt. 5. *Diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui.* Sextò, ratione durationis, quia ſapientia non marceſcit, diuitię verò corrumpũtur Iacobi 1. *Diues in itineribus ſuis marceſcet.* & Cap. 5. *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt.* Septimò, rõne inclinationis, quia ſapiẽtia cũ ſit de ſurſum, ſurſum eleuat; ſed aurum, & argentum deorſum trahunt, ſcilicèt ad terram. Vnde Baruch 3. *Qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.* Poſtremò, ratione virtutis, quia humanus theſaurus finitus eſt, ſapientia vero infinita. Vnde loco cit. dicitur, *Infinitus eſt enim theſaurus hominibus quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.* Inexhauſtus eſt enim ſapientiæ theſaurus per communicationem: neq; enim vel minuetur, vel deficiet, ſi communicetur, quo qui vſi fuerint, ſecundum illam ſe gerendo, amicitiæ Dei participes effecti ſunt: hæc enim ſapientia in animas ſanctas ſe transfert, & amicos Dei, ac Prophetas conſtituit, qui per illam commendabiles efficiuntur Deo, & hominibus; undè ſubditur, *propter diſciplinæ dona commendati*, ideſt non propter propriam induſtriam, vel virtutem, ſed ob donorum,

Sap. 7.

Eccleſ. 5.

Iacob. 1. & 5.

Baruch 3.

ſeu gra-

ſeu gratiarum Spiritus Sancti diſtributionem, qui diuidit ſingulis proùt vult, laudabiles effecti.

Locaalia, quę neceſſariò in Scripturis de Sapientia increata intelligenda ſunt.

Prou. 8. & 9.

VERVM multa loca ſunt in libro Sapientię ſicut etiam in libro Prouerb. quæ de ſapientia increata ſecundum ſenſum literalem neceſſariò explicanda ſunt, ut eſt illud Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, vbi Salomon euidenter generationem increatæ ſapientiæ, ideſt Verbi æterni à Deo Patre ſcribit, & cap. 9. eiuſdem libri, ubi dicitur, *Sapientia ædificauit ſibi domum, &c.* vbi de Chriſti Incarnatione, eiuſq; humanitatis myſterijs agit; ſimiliter in hoc eodem 7. cap. lib. Sapientiæ, uerba illa intelliguntur de ſapientia increata. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia, &c.* Et illud, *Omnium enim artifex docuit me ſapientia*. In quã ſententiam ipſe quoque Bonauentura id exponit.

D. Bonauent.

Rurſùs verba illa, *Infinitus enim eſt theſaurus hominibus*, de ſapientia quoque increata explicari poſſunt. Vnde horum verborum hic erit intellectus, quòd Chriſtus æterna Dei ſapientia eſt infinitus theſaurus hominibus, quo qui utuntur, participes fiunt amicitiæ Dei.

Quomodo ſapientia increata dicatur theſaurus infinitus.

Dicitur autem æterna ſapientia increata theſaurus infinitus, iuxtà duplicem ſenſum. Primum eſſentialiter, ſeu formaliter; in Chriſto enim ratione diuinitatis, & increatæ ſapientiæ, ut ad Coloſſ. 2. dicit Paulus, *Sunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*; quam etiam ad Roman. 11. appellauit altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientię Dei.

ad Coloſſ. 2.

Ioan. 7.

Vnde Ioan. cap. 7. dicit de ſe ipſo, *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me*, eamdem enim omninò ſcientiam, & doctrinam, quam Pater habet, Filius habet; ſed non eodem modo, cùm Pater à nullo, Filius autem eam à Patre habeat, ut D. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 2. & tract. 29. in Ioann. exponit, atque etiam Chryſoſtomus Homil. 48. & Cyrillus cap. 42. quos ſequitur Caietanus in eumdem locum; qui obſeruat, dici à Domino, meam, ratione poſſeſſionis, & non meã, ratione originis: quamuis alij de doctrina Chriſti, vt homò eſt, illa uerba exponant, vti Ambroſius lib. 2. de fide cap. 4. & lib. 5. cap. 3. & Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. licèt illa verba, & de diuina, & humana Chriſti ſciẽtia intelligi poſſint, ut doctè Diuus Thomas in eumdem locum notauit.

D. Auguſt.
D. Cyrill.
D. Chryſoſt.
Caietan.
D. Ambroſ.
D. Auguſt.
D. Thom.

Nemo autem ignorat, hunc theſaurum diuinæ ſapientiæ infinitum eſſe; nemo quoque ignorat, quòd homines, qui eam audiunt, eiuſq; præceptis aures accommodant, amicitiæ Dei, quæ per eius gratam in hoc mundo habetur, atque eius, quæ per gloriam in futurò obtinetur, participes fieri. Eſt enim diuina ſapientia *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Secundò incarnata Dei ſapientia, ideſt Chriſtus dicitur Theſaurus infinitus cauſaliter, quemadmodum ad Epheſios 2. & 1. Corinth. 1. appellatur pax noſtra, iuſtitia noſtra, & redemptio noſtra; quoniam ipſe pacis, iuſtitiæ, atque redemptionis noſtræ eſt cauſa.

ad Epheſ. 2.
1. Cor. 1.

Erit igitur ſenſus præfatæ Salomonis ſententiæ, quòd Chriſtus in cauſa ſit, ut homines immẽſum, atque infinitum illum theſaurum meritorum eius obtineant, quo ſi rectè (ut par eſt) uſi fuerint, in Dei amicitiam recipiantur.

Præſtantia theſauri meritorum Chriſti.

Eſt autem hic Theſaurus omnĩ auro, argento, ac lapide præcioſo nobilior, cuius uirtus labefactari non poteſt, cuius communicatio nullatenus exhauriri: eſt deinde eius claritas, & excellentia Sole clarior. Eſt ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, qui nihil uetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, ac attingens ubiq; propter ſuam munditiem, uapor virtutis Dei, & emanatio quædam Charitatis omnipotentis Dei ſincera; quæ omnia & ſingula ſapientiæ diuinæ, que Theſaurus infinitus eſt, attribuit Salomon, ac proinde ipſi quoque theſauro meritorum Chriſti conuenienter attribui poſſunt. Eſt enim Sanctus, cùm ex ſanctiſſimis Chriſti meritis præcipuè cõſtet; eſt unicus, quia nihil illi in virtute, ac copia par eſt: eſt multiplex, quoniam multiplicibus paſſionibus Chriſti, reliquorum quoque virorum iuſtorum paſſiones ſuperadduntur: eſt ſubtilis, quoniam omnes peccatorum noſtrorum pœnas ſubtiliter rimatur, atque perſequitur, & agilitatem animæ, quę illo vſa fuerit, prębet: eſt diſertus, quoniam diſertas facit lingnas eorum, qui Iubilęum ſuſcipiunt, ità ut in cymbalis Iubilationis Dei laudes faciliùs canere poſſint: eſt

Xx mobilis,

mobilis, quoniam homines ad ſe de finibus terræ trahit, inſtar illius Spiritus uitæ, qui erat in rotis, quæ ſpiritum ſequebantur. Ezech. 1. eſt incoinquinatus, cùm maculas peccatorum emundet, & renouet in homine innocentiam baptiſmalem: eſt certus, quia nec fallit, nec fallitur: qui enim dignè Iubilæum conſequitur, certò eius fructum apprehendit: eſt ſuauis, ideſt tranquillus, nihil habens aſperitatis, dulcedine, gaudio, & iubilatione plenus: eſt amans bonum: quia bonis actibus, operationibusq; à Prælatis Eccleſiæ præſcriptis acquiritur: nihil vetat benè facere, quoniam adiuuat infirmitatem noſtram: eſt humanus, quoniam eſt communis omnibus, *Non enim eſt perſonarum acceptor Deus.* Actor. 10. eſt benignus, quoniam omnibus liberaliter, benignè, ac gratis impartitur: eſt item benignus, mala remittendo, bona dando, & ad patriam dirigendo: eſt ſtabilis ſuper petram Chriſti conſtitutus, ſupra quam petram pedes peregrinorum ſtatuuntur, iuxtà illud Pſal. 79. *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos:* eſt ſecurus, ſcilicèt à malo, quoniam portæ inferi non prævalebunt aduerſus eum: omnem habēs virtutem, eſt enim eius ſufficientia maximè vniuerſalis: attingens vbique propter ſuam munditiem; virtus enim paſſionis Chriſti ad omnes mundando, & purgando peruadit: eſt vapor uirtutis Dei, ad calefaciendum frigus humanæ infidelitatis; ſicut enim vapor a calore, ità à Chriſto eius merita, quę in theſauro cōgregantur, emanant: eſt emanatio quædam Charitatis omnipotentis Dei; per Iubilæi enim virtutem de claritate in claritatem meritorum ac perfectionum transformamur. Poſtremò eſt repræſentatio, & imago bonitatis diuinæ; cum enim ſponſam ſuam Chriſtus pręſentia corporali eſſet relicturus, voluit illi theſaurum inæſtimabilem, ac præcioſiſſimum ſuorum meritorum relinquere, ut illo ditata filios ſuos ſubleuare poſſet.

Ezech. 1.

Actor. 10.

Pſal. 79.

Sed ut huiuſmodi theſaurus à Salomone prædicatus ad Iubilæum, & Indulgentias pertinere cognoſcatur, ſubtiliùs ſingula Salomonis verba perpendenda ſunt. Dicit ergò Salomon, *Infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei;* in quibus uerbis immenſitas, neceſſitas perpetuitas, atque vtilitas huiuſmodi cœleſtis ærarij proponuntur; immenſitas quidem, dum infinitus à Salomone pronunciatur. Operationes enim Chriſti, atque eius actus, vel meritorij, uel ſatisfactorij efficacitatem infinitam habebant, cùm proficiſcerentur à Deo ſimul, & homine, ut rectè Diuus Thomas 3. par. q. 1. art. 2. ad 2. vbi etiam annotauit Caiet. dub. 3. quòd quamuis paſſio Chriſti bonum fuerit finitum eſſentialiter, uel entitatiuè; fuit tamen bonum infinitum perſonaliter, & propterea fuit infinita illius efficacia in ſatisfaciendo, quod nulli puræ creaturæ conceſſum eſt. Quod rectè Diuus Ioann. in Epiſt. 1. cap. 2. inſinuauit dicens. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*; Ex quo fit, quòd cùm ærarium Eccleſiaſticum ſatisfactionibus Chriſti præcipue ditatum ſit, iure optimo infinitum à Salomone appelletur. Neque quia infinitum eſt ob Chriſti paſſiones; Sanctorum merita excluduntur, ut ſuperius dictum eſt: quia non repugnat infinito acceſſionem extenſiuè fieri; cùm id in Sanctorum, & Chriſti gloriam maximè redundet, & membra capiti ſimilia eſſe æquum ſit, quorum opera ſatisfactoria, ſi debitum perſonale ſuperent, in aliorum ſatisfactionem cedere conueniens eſt; atque ideò ęrario eccleſiaſtico includi neceſſe ſit, ut ſuo loco abundè dictum fuit.

Immenſitas, neceſſitas, perpetuitas, & utilitas huius theſauri cœleſtis.

D. Thom. Caietan.

1. Ioan. 2.

At ſi petatur, qua ratione Salomon hoc ærarium theſauri nomine appellet. Reſpondendum erit, ut neceſſitas illius demonſtretur: id enim Reipublicæ optima diſpoſitio exigit, ut pro communibus uariarum impenſarum neceſſitatibus theſaurum habeat; & ſi Templum gazophilacio gaudebat. Zach. 4. cur Eccleſia ſuo theſauro ſpiritualibus diuitijs referto carere debeat? Profectò, qui huius ærarij neceſſitatem negant, Chriſti, & Sanctorum merita contemnunt, Eccleſiamq; Dei in maxima egeſtate conſtituunt. Rurſus indeficiens huiuſmodi theſauri duratio, & perpetuitas quoque denotatur, cùm dicit Salomon, *Infinitus eſt theſaurus hominibus*, neque enim ſolùm ex parte ipſius theſauri, qui numquā deficiet, cùm infinitus ſit;

Quare dicatur à Salom. theſaurus.

Zacchar. 4.

tus ſit;ſed etiam ex parte hominum quouſque in Eccleſia militanti fuerint,perpetuum eſſe debere, ſuis locis ſuperiùs copioſè demonſtratum eſt.

Vtrum poſt diem iudicij ſit perſeueraturus theſaurus.

An autem finito Eccleſiæ militantis curſu, poſt diem Iudicij remanſurus ſit, dubitant quidam;mihi tamen veriſimile eſt,theſaurum materialiter tantùm,non autem formaliter manſurum, hoc eſt, remanebunt quidem merita illa,& paſſiones Chriſti, & Sanctorum, nec de hac re fas eſt dubitare; non autem in ratione theſauri, & vt opes congregatæ in unum ad vſum fidelium, quod in ratione theſauri includitur. Si enim poſt finem mundi Sacramenta ceſſabunt,cur non theſaurus?ſi diſpenſator non erit,nec homines illo uti poterunt,cùm iam omnia deciſa, ac definita fuerint, quanam in re, theſauro opus erit? is nempè traditus eſt nunc hominibus,vt illo utentes ad Dei conſortium faciliùs peruenire poſſint. Angelus Pientinus cenſet,non incaſſum remanſurum; ſed id nullo firmo argumento probat,quamuis concedendum ſit, opes illas non in ratione theſauri congregatas remanſuras, ſed ut opes cuiuſcunque Sancti, ad Dei gloriam ſine fine magnificandam. Henriquez tamen in lib.vltimo de fine hominis,ut ſuperius retulimus,exiſtimat, omnes ſanctorum ſatisfactiones in fine mundi conſumendas fore,nihil enim ex eis conteretur, ut inquit Dauid.

Angel.Pient.

Henriq.

Enimuero magna illius vtilitas demonſtratur illis verbis, *Infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt,participes facti ſunt amicitiæ Dei*. Paratus eſt huiuſmodi theſaurus non Angelis,ſed hominibus,cùm illi uel ſummum præmium,vel ſummum ſupplicium iam receperint;hominibus ſanè,qui in hac uita mortali degunt; nec omnibus quantum ad efficaciam,neque enim Infidelibus,vel obſtinatis Hæreticis,cùm extrà Eccleſiã ſint, ſed orthodoxis,atq; Catholicis, quorum cauſa inſtitutus,locupletatus, atque Eccleſiæ collatus eſt,theſaurus iſte communicatur,ſi tamen dignè, vt par eſt, illo uſi fuerint. Qui enim uel ſine debita præparatione, uel cùm lethalis peccati conſcientia ad Sacrum Iubilæum accedit, profectò eo non utitur,ſed abutitur. Nec enim ſacræ res,niſi ſanctè tractandę ſunt; & ſanè illudit Deo,etiam ſi genuflectat ille in Iubilæo,qui cum obice peccati mortalis,abſque contritione ad illum properat; nec eos rectè illo uti dicendum eſt, qui opera in Iubilæo pręſcripta implere non contendunt. Ea enim conditione theſaurus huiuſmodi communicatur,ut ad præſcriptam formam eo utantur (Indulgẽtię enim tantum ualent, quantum ſonant) ut illius diuitijs locupletari ualeant. Sed quiſnam fructus? Sanè amicitię Dei participatio;& quidem ultimus,ac conſumatus, atque pręmaturus eſt hic fructus Iubilæi, qui rectè duplex aſſignari poteſt, unus immediatus, alter mediatus; immediatus eſt omnium pœnarum,quas in pręſenti,aut futuro ſęculo,diuina exigente iuſtitia,ſoluere oporteret, uera, integraque remiſſio;atque hic coincidit cùm ipſa definitione Iubilæi,cùm in moralibus finis, & forma idem ſint, ſecundus eſt perfectæ amicitię Dei participatio: Angelus Pientinus arbitratur,quòd etiam remiſſa culpa peccati,poſtquàm ad Dei dilectionem aſſurrexerit homo,nihilominus quouſque pro criminibus eidem non ſatisfecerit,uerus,ac perfectus illius amicus appellari non poteſt. *Cuius rei argumentum*, inquit, *utique non obſcurum eſſe poteſt, quòd eos, qui eiuſmodi fuerint neque ad cæleſte admittit conuiuium; neque in locum illum, quem ſuis parauit amicis, vnquam recipit. Cùm tamen hæc vſque adeò cum perfecta amicitia pugnare videantur, non enim amicus amicum excludere poteſt, immo verò qui tales ſe ſe nobis exhibuerint, verorum, abſolutorumq; amicorum nomine indignos eſſe putamus. Id quoque in diuinis ſcripturis miſticè deſignatur. Cum enim Abſalon in patrem ſuum Dauid grauiſſimè deliquiſſet mox-que ab eo receptus eſſet in gratiam, noluit tamen, vt ad ſe videndum accederet*. Hæc ille. Caietanus loco citato, exiſtimat, illa uerba debere intelligi de amicitia conſumata in cęleſti patria,in quam nihil pœnę ſubiectum ingredi poteſt. Quia igitur Indulgentię tollunt ab homine impedimenta diuinę amicitię conſumatę, uere,& propriè dicuntur theſaurus,quo qui utuntur, participes fiunt amicitię Dei.

Abutitur theſauro qui cũ peccato mortali ad Iubilæum accedit.

Duplex Iubilæi fructus.

Angel.Pient.

Caietan.

Quòd ſi obijcias,theſaurum diuinę ſapientiæ eſſe antiquiorem Indulgentijs;& inſuper ſine Indulgentijs poſſe quempiam fieri participem diuinę amicitię conſu-

matę; non igitur Indulgentię illum theſaurum reſpicere uidentur.

Reſpondet, benè uerum eſſe theſaurum diuinę ſapientię, qua parte continet in ſe diuinę ſapientię opera, uel attributa, eorumque actus, ut ſapiendi ſecundùm Deum, & ſimilia, priorem eſſe Indulgentijs, & illum non ab Indulgentijs, ſed è contra, Indulgentias ab illo pendere; Qua parte uerò continet merita Chriſti, ut ſatisfactoria, non eſſe Indulgentijs antiquiorem. Ad ſecundam obiectionem reſpōdet, poſſe quidem aliquem fieri participem diuinę amicitię conſumatę, & ſine Indulgentijs, & per Indulgentias. Nec enim docet Romana Eccleſia, Indulgentias eſſe medium, ſine quo diuina amicitia conſummata haberi nequeat; ſed eſſe medium, per quod poſſit haberi, tamquàm remouens prohibens, ut declaratum eſt. Hęc Caietanus & rectè quidem.

An Eccleſia accipiat loca Scripturæ ſēper in ſenſu literali. ILLVD tamen, quod in principio illius quæſtionis vnicæ, tracta. 30. habet, videlicèt, Eccleſiam ſemper iuxtà germanum, ac literalem ſenſum verba ſcripturę adducere, aliqua examinatione dignum eſt: neque enim in vniuerſum verum eſt, in ſacris Canonibus, uel in Pontificijs conſtitutionibus ſententias Sacræ Scripturæ ſecundum proprium, & literalem ſenſum ſemper recenſeri. Multa enim adducũtur in ſēſu allegorico, multa in ſenſu figurato, & metaphorico, alia in ſēſu anagogico, vel tropologico, ut uidere eſt in Capitulo, *In quadam*, de celebratione Miſſarum, vbi ad probandum, quòd ex corpore Chriſti mortui exiuerit aqua, adducitur locus Numer. 20. vbi ſilicem Moyſes virga percutiens, ex ea non flegma, ſed aquam eduxit, & prætereà in Clementina 1. de Summa Trinit. & fide Catholica, quę ex Concilio Viennenſi deſumpta eſt, Chriſti demortui lateri lanceam adactam fuiſſe ex eo probatur, quòd ex dormiente Adamo coſta deſumpta ad Euę ędificationem fuerit, quę omnia in ſenſu figurato dicta eſſe, nemo dubitare poteſt. Quocircà ea diſtinctione vtendum eſt, ut dicamus, ſicut etiàm indicauimus in libro 1. noſtro de Fuga, diſputat. 1. quęſt. 2. art. 1. dubio 3. quòd quando Summus Pontifex, vel Concilium Generale ad probandam aliquam fidei ueritatem de induſtria, & tamquam proprium medium, adducunt aliquem ſcripturę locum; tunc procul dubio locum illum, ſecundum ſenſum literalem adducere, quarè ab omnibus Chriſti fidelibus talis ſenſus literalis cenſendus eſt; neque enim aliter tale argumentũ efficax eſſet, uerbi gratia, Concilium Tridentinum uolens dignam preparationē ad Sanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipiendam docere, decernit, illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò pręmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem; nec aliter doceri, predicari, uel pertinaciter aſſeri, ſeu etiam publicè diſputādo defendi, ſub excommunicationis latę ſententię pœna prohibet; atque hoc in ſeſſ. 13. Canon. 11. Vt autem Concilium efficaciter hoc perſuadeat fidelibus, adducit locum Pauli 1. Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat*; eamque probationem neceſſariam eſſe declarat ex eccleſiaſtica conſuetudine petitam, ut confeſſio ſacramentalis ei, qui ſibi eſt conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus uideatur, neceſſariò adhibenda ſit; atque hodie poſt Concilium Tridentinum illorum uerborum Pauli ſenſus talis proprius, & literalis cenſendus eſt. Qua in re lapſus fuit olim Caietanus, in ſua Sũma, uerbo Abſolutio, dum dixit, non eſſe neceſſariam confeſſionem, ſed ſufficere contritionem. Quando uerò Concilium, uel Papa non dedita opera, neque intendens determinare, uel decidere, talem locum Scripturę, quem adducit, in eum ſenſum, ad quem aſſertur, accipiendum eſſe; ſed uel per figuram, uel per analogiam, uel accommodationem aliquam conuenientem, ac congruam, tunc non illo utitur in ſenſu proprio, uel literali. Intentio autem Concilij, uel Papę tunc conſtabit, quando locis Sacræ Scripturę utitur, ut proprijs medijs ad aliquid probandum, uel quando, ut dictum eſt, intentio Papę, uel Concilij eſt id decidere, & determinare. Lege Canũ in lib. 7. de locis Theologicis, & Bagnem in 1. par. quęſt. 1. art. 10. dubio 4. Neque ex his ſequitur, (quod Caietanum vrgenter premebat) Papam, ſeu Conciliũ abuſiuè tunc vti auctoritate Sacræ Scripturæ, quod erat argumentum Hæreticorum;

Marginal notes: Num. 20. — Conc. Vienn. — Auctoris lib. de fuga. — Conc. Trid. — 1. Cor. 11. — Caietan. — Canus. Bagnes.

Nam cùm

Nam cùm ipſamet Sacra Scriptura etiam in allegorico,& figuratiuo ſenſu alia loca Scripturæ adducat,profectò minimè dicendum eſt,abuſiuè illa adducere. Benè itaque Hæreticorum eſt,hæc ſententia,atque eorum,qui ignorant, Sacrã Scripturam plures habere ſenſus ; qui quamuis non ſint omnes proprij literales, ſunt tamen proprij ſecundùm alios ſenſus, putà, vel ſecundum allegoriam, vel ſecundum anagogiam, &c. Nec abſolutè concedendum eſt, anagogicos, ſeù allegoricos ſenſus improprios eſſe ;ſunt enim veri,& in ſuo genere proprietatem habent, quamuis ſi cum litera cõferantur,vel reſpectu ſenſus literalis, improprij dici poſſint, ideſt, non literales ; numquam tamen concedi debet, abuſiuè vſurpari;cùm nec Eccleſia nec Scriptores ſacri, nec Concionatores verbi Dei Scriptura abutãtur,dum illa in alio ſenſu, quàm in literali vtuntur. Verùm an Clemens VI.loco illo Salomonis, *Infinitus eſt theſaurus,&c.* in ſenſu literali,in ſua Extrauaganti,*Vnigenitus*, vſus fuerit,iam explicatum eſt; atque de hoc capite hæc dicta ſufficiant. Sacra Scriptura plures habet ſenſus. Clem.VI.

Nunc agendum erit de remouendis impedimentis externis,quę ſe ſe offerunt, nè Sacer Iubilæus commodè acquiri poſſit.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd oporteat Epiſcopum plebem ſuam benè inſtruere ad Iubilæum Romæ ſuſcipiendum.

DIVVS Auguſtinus in Epiſtola,quam Beatiſſimo,ac Venerabili Patri Valerio direxit,præclariſſimam, atque auream de officij Epiſcopalis onere conſcripſit ſententiam. *Ante omnia*, inquit, *peto,vt cogitet religioſa prudentia tua,nihil eſſe in hac vita,& maximè hoc tempore,facilius,& lætius,& hominibus acceptabilius Epiſcopi,aut Presbiteri,aut Diaconi officio,ſi perfunctoriè,atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius,& triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita,& maximè hoc tempore,difficilius, laborioſius,periculoſius Epiſcopi,aut Presbiteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius,ſi eo modo militetur,quo noſter Imperator iubet.* Hæc Auguſt.in Epiſto.147.quę verba referuntur in Can. *Ante omnia*, 40.diſtin. Quis autem ſit iſte modus,hic dolor,hic labor. D.Auguſt. Quale ſit onus Epiſcopalis officij.

Porrò notiſſimum eſt, varijs nominibus officium Epiſcopale apud ſacras literas, veteresque Patres deſcribi, vt nominum varietate multiplices quoque eius partes exprimantur. Nec enim illa,vt ſynonima, eamdemque rem eodem modo ſignificantia accipienda ſunt, ſed vt maximè diſtincta,atque diſiuncta;quemadmodum de diuinis nominibus Theologi philoſophantur, vt uidere eſt apud Dionyſium in eius de diuinis nominibus libro,& apud Diuum Thomam in 1.parte quęſtio.13. artic.4. vt ſic multiplex eius muneris ſollicitudo, grauitasque ponderis, quæ ei incumbit, diſtinctiùs perſpiciatur. Varia nomina officij Epiſcopalis, & eorum ſignificationes. D.Dionyſ. D.Thom.

IGITVR Epiſcopus dicitur Paſtor, vt oues verbo,exemplo, & Sacramentis paſcat.Ioann.10.atque pro illis animam ſuam, ſi opus fuerit,ponere non formidet. Ioan.10. Dicitur ſal terræ, ut ſaluberrimis inſtitutis, ſapientiſſimiſque præceptis ſubditorum mores condiat. Lux mundi, vt tenebras ignorantiæ ab hominibus depellat. Lucerna ſuper candelabrum poſita, ut fulgore probitatis,& doctrinæ omnibus, qui in domo ſunt, præluceat. Præco,ſeu Tuba,Eſaiæ 58.vt annunciet populo ſcelera eorum. Iſai.58. Sapiens Architectus,vt dirigat ędificationem domus Dei,quę eſt Eccleſia Eſaiæ.30.& 1.Corinth.3. Iſai.30. 1.Cor.3. Præterea Medicus, vt vulnera ſubditorum uini, & olei temperata infuſione curet. Eſaiæ 3.& Lucæ 10. Iſai.3. Luc.10. Item dicitur Dux, vt ſemitas rectas, & uias uitæ populo ſuo demonſtret ; pluraque alia nomina habet, ut Angelus, Leo, Canis, Cuſtos, Miles armatus, Oeconomus,& ſimilia, quæ à Gregor.Nazianzeno in carmine ad Epiſcopos, & à nobis alibi enumerata ſunt ; immò vt Illuſtriſſimus Cardinalis Palęotus in ſuo Archiępiſcopali Bononienſi,parte pri- Gregor. Nazianz. Card. Paleotus.

te prima, cap. 6. ſapienter dixit, quot ſunt neceſſitates hominum, tot ferè nomina Epiſcopis attributa ſunt, ut ex earum ſimilitudine noſcant, ſe totidem officia obtinere. Verùm vnum illud Epiſcopi nomen, quo Præſules etiam ab Ethnicis appellabantur, (habebant enim illi quoque ſimile officium vt in l. final. de muneribus

Arcad. Iuriſc.
Cicero.

& honoribus Arcadius Iureconſultus teſtatur, & Cicero lib. 7. ad Atticum, Epiſtola 10. ſcripſit) inter omnia præcipuas, primariasque Epiſcopalis officij partes; immò caput ipſum, atque apicem Epiſcopalis officij explicare videtur. Græcum eſt enim, & ſpeculatorem, uel inſpectorem, aut obſeruatorem, immò verò etiam

Vnde dicatur Epiſcopus.
D. Auguſt.

Præſulem ſignificat. Epiſcopus enim ab ἐπὶ quod eſt ſuper, & σκόπος quod eſt intentio dicitur, atq; inde ductum eſt vocabulum, vt ille, qui præficitur, ſit ſuper, atq; intendat, curam ſcilicet eorum gerens, ut rectè dixit Auguſt. lib. 19. de ciuit. Dei cap. 19. Et quamuis Epiſcopus, qui aliorum caput, Dux, & Princeps exiſtit, omnium uirtutum genere ornatus, & comptus eſſe debeat, charitate ſcilicèt, prudentia, caſtitate, ſcientia, munificentia, iuſtitia, fortitudine, hoſpitalitate, cæteriſque alijs uniuerſis, quæ à Paulo in Epiſtola ad Titum, & ad Thimoteum enumerantur; tamen ex ſola vigilantia ab ipſius officij notione, ac natura petita, omnem Epiſcopi perfectionem, potiſſimumque eius ſtudium, atque induſtriam complectitur: neque enim Epiſcopus ſibi tantùm, vel Deo uacare debet, ſed ut animalia illa Ezechielis, quaſi totus plenus oculis, in ſubditorum mores, tamquàm ex edita

Actor. 20.

ſpecula proſpicere, atque intendere debet: ſic Actorum 20. Paulus dixit, *Attendite vobis, & uniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam*

2. Thim. 4.
ad Philipp. 2.
ad Hæbr. 13.

Dei, 2. ad Thimot. 4. *Tu uerò uigila, in omnibus labora*, ad Philippenſes 2. *Qui præeſt in ſollicitudine*; & ad Hæbreos 13. *Ipſi enim peruigilant pro animabus ueſtris*.

D. Dionyſ.
In tribus præcipuè cōſiſtit præſulis ſollicitudo.

Hæc autem circumſpectio, atque uigilantia, perpetuaque ſollicitudo Præſulis circà tria potiſſimùm conſiſtit, ut D. Dionyſ. in lib. de cœleſti Hierarchia, cap. 1. & ſequentibus ſcripſit; debet enim ſummo ſtudio, ſummaque induſtria purgare, illuminare, & perficere populum ſibi commiſſum. Nec enim ſolum ſubditorum ſordes, Sacramentorum adminiſtratione, fraterna correctione, legibus, atque pręceptis eluere debet; ſed etiam illos uerbi Dei prædicatione, pijs colloquijs, ſanctis admonitionibus, & exhortationibus, probatiſſimiſque exemplis illuſtrare; atque inſuper modis omnibus ad uitæ æternę ſalutem gregem dirigere debet; illum perficere, hoc eſt, ad egregia uirtutis opera promouere, ad euangelica conſilia ſuſcipienda excitare, ad opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia exequenda compellere, denique ad ea omnia pietatis officia præſtanda incitare, quę etſi ſimpliciter non ſint neceſſaria ad ſalutem, magnopere tamen conducunt ad illam tutiùs, feruentiùs, citiùs, atque ſecuriùs acquirendam. Quocircà adueniente Anno Sacro, ſummo ſtudio, ſollicitudineque peruigili intendere debet, ne Populus ſibi commiſſus ex ignorantia, uel negligentia, aut otioſitate, uel etiam inopia cœleſtem illum ſpiritualium gratiarum theſaurum acquirere prætermittat. Reco-

Prouerb. 6.

lat Epiſcopus tunc temporis Salomonis uerba Prouerb. 6. quę illum magnopere excitabūt ad huiuſmodi munus ſalubriter obeundum, *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui: fac ergò, quod dico: diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ: eruere, quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis*. Sit ille tunc temporis, ut debet ſemper; uirga vigilans ad excitandos ſegnes, ad compellendum intrare ſua auctoritate cæcos, & claudos, reliquoſque uarijs peccatorum deturpatos mutilationibus ad cœnam illam magnam Romæ à ſummo Eccleſiæ Oeconomo pręparatam. Quæ autem Pręſul, aut Epiſcopus in gratiam Sacri Iubilęi præſtare debeat, ad decem capita ſummatim reuocari poſſunt.

Enumerātur ea, quę debet facere Epiſcopus propter Iubilæum.

PRIMVM opportunè promulgare debet Diploma Summi Pōtificis, quo propoſita ampliſſima peccatorum remiſſione, omnes ad almam Vrbem viſendam inuitantur; atque id præſtare debet non ſine aliqua pompa, & ſolemnitate, vt populus vniuerſus intelligat magnitudinem, atque præſtantiam cœleſtis theſauri, qui aperitur. Quocircà inter Miſſarum ſolemnia aſſiſtente Clero, Magiſtratuque Ciuitatis, ac

tis,ac Populo, lecto Euangelio in alto, atque ornato ſuggeſtu, ab eo Clerico,qui ſacris,præcioſiſque veſtibus indutus ſit,alta, atque intelligibili voce Bulla perlegatur,& euulgetur. Quo facto,mox per diuerſas partes Vrbis, ac Diœcæſis ſacrũ diploma affigi curet; nec abs re erit Synodum uel Prouincialem,uel Diœcæſanã, prout ſtatus Eccleſiæ,quam regit,poſtulat,cogere; in qua omnes Clerici de Iubilæo ſuſcipiendo deliberent,& ſi quæ impedimenta,vel difficultates propoſitę fuęrint,eas remouere,certumque ordinem,ac modum conſtituere,quo Clerici,præſertim animarum Rectores, abſque illarum curæ iactura ad Vrbem accedere poſſint,ideſt,uel ſuffectis idoneis Vicarijs,uel alia ratione,quæ magis expediens pro cuiuſque loci conditione iudicabitur.

Secundo Præſul debet,uel per ſe ipſum concionando, uel etiam per alios inferiores concionatores ſæpiùs,atque in pluribus locis Ciuitatis ipſam Sacri Iubilæi conditionem declarare, populoſque adhortari, ut ad tàm magnam peccatorum remiſſionem inuitati,quàm citiſſimè accedant, nè fortè prærepti morte, tàm maximum beneficium conſequi nequeant;enarret Populis myſteria cęleſtis theſauri Indulgentiarum, annunciet Portę Sanctę apertionem, Romanę Vrbis Sanctitatem,Eccleſiarum Petri,& Pauli dignitatem, Summi Pontificis paternam in omnes ſuos filios clementiam,& charitatem;proponat ſummum deſiderium,ardentemque uoluntatem, qua Summus Eccleſię Paſtor, tamquam ſupremum ſacri,ac miſtici corporis eccleſiaſtici caput, omnes Chriſti fideles ad pedes ſuos expectat; denique pręmoneat illos,ut pręmiſſa integra, atque humili peccatorum confeſſione,refectique cœleſti manna Corporis Chriſti cùm gaudio,& iubilatione huiuſmodi ſanctam peregrinationem ſuſcipiant, ſuſceptam cùm pietate, & deuotione percurrant,atque illam eundo,& redeundo in iuſtitia,& ſanctitate perficiant. Debet quoque Epiſcopus per Epiſtolam uniuerſo ſuo gregi directam,typiſq; mandatam hęc omnia populo ſignificare, ut qui ad conciones conuenire non poſſunt, tanti boni ſignificatione non priuentur,atque etiam,ut omnes,& domi,& in plateis,& in hoſpitijs,& in Monaſterijs arcana Sacri Iubilęi vulgo cognoſcant.

Tertio opportunum erit,vt hęc ſancta peregrinatio ad Vrbem ex ordine fiat, quòd Epiſcopus juxtà ſtatuum,ac ſexuum diuerſitatem,regulas quaſdam,monitaque tradat,quibus vnuſquiſque informetur, & inſtruatur, quàm ſanctè peregrinatio huiuſmodi ſuſcipienda,ac perficienda ſit.

Inſtructio igitur Clericorum hæc erit. Vt antequam diſcedant,peccata ſua confiteantur,Miſſamque pro iter agentibus inſtitutam faciant,vel audiant,ſi non ſint Sacerdotes;in qua etiam communicent,vt fortitudine cibi illius conſortati ad inſtar Eliæ ambulent vſque ad montem Dei. Deindè,ut in itinere Clericali habitu, quamuis breuiori,decenti tamen utantur,tonſuram etiam Clericalem ordini congruentem ſemper habeant,Breuiariumque omninò deferant, comites itineris honeſtos uiros ſibi adiungant,non Hæbræos,non uiros intemperatos, ac uoluptuarios,nec mulieres, quibuſcùm eodem curru numquam uectentur, nec in hoſpitio unà cum eiſdem menſæ accumbant,in omni diuerſorio antequam cibum ſumant menſæ benedicant,ac poſt prandium,uel cœnam gratias Deo agant. Reliqua uerò,quæ ad frugalitatem,& temperantiam Clericalem ſpectant, præſertim Synodalibus legibus præſcripta,ad unguem ſeruent:nuſquam uerò mèdicent, uel oſtiatim,(niſi uoti cauſſa,& non ſinè loci ordinarij licentia)uictum quærant. Pręterea ubi ad oppidum aliquod deuẽtum fuerit,Eccleſiam primùm religioſè adeant,ibique Litanias,uel alias pias precationes genuflexi recitẽt;poſteà ad honeſtum hoſpitium ſe recipiant;& ſi ab ordinarijs loca pro peregrinis Clericis deſtinata fuerint,aliò non diuertant. Rurſus admoneantur,ne itineris cauſſa horas canonicas omittant,uel ieiunia eccleſiaſtica, quantum fieri poteſt, frangant;unoquoque autem die mane priuſquam uię ſe committant, itinerarium Clericorum dicant, & quotidie rém diuinam,uel audiant,uel faciant. Progrediendo uerò à uanis colloquijs,prophaniſque cantilenis omninò abſtineant,ſed Pſalmos, hymnos,ſacraq; cantica animi,& corporis laſſitudini ſubleuandę adhibeant. Poſtremò in tota peregrinatione

Obſeruationes pro Clericis ad Vrbem pro Iubilæo peregrinantibus.

regrinatione adeò religioſè,ac compoſitè ſe gerant, ut etiam Laicis hominibus deuotę,ac modeſtæ peregrinationis exempla præbeant. Cùm autem ad Sanctam Ciuitatem peruenerint, clericales veſtes talares, & decentes induant, & quam primum D. Vicesgerentem Vicarij Sanctiſſimi D. Papę adeant, eiq; dimiſſorias, ac teſtimoniales literas exhibeant; ab eoq; licentiam celebrandi in Vrbe Presbiteri recipiant. At verò antequam Sanctarum Eccleſiarum viſitationem in alma Vrbe Iubilæi gratia conſequendi aggrediantur, Pœnitentiario alicui approbato generalem peccatorum confeſſionem faciant, tùm rem diuinam celebrēt, & qui Sacerdotio inſigniti non ſunt, ſacro audito, Euchariſtiam ſumant: tùm prætereà totiès loca ſacra præſcripta viſitent, quoties in Diplomate Apoſtolico exprimitur, videlicèt decē,& quinque vicibus, ſeruata diſtinctione dierū, ut inferiùs dicetur. Cùm verò ab Vrbe diſcedendum erit, eiuſdem Vicesgerentis, vel alterius deputati, vel ſaltem Pœnitentiarij, qui eorum peccata ſacramentaliter audierit, literas afferant, quæ illorum ſanctæ peregrinationis teſtimonium dent; nec in reditu longius à rectà via declinent. Reuerſi verò Eccleſiam maiorem ſtatim viſitēt,& Deo de animi,& corporis incolumitate in peregrinatione ſeruata, gratias referant; mox cùm literis dimiſſorijs, quas in diſceſſu ab Epiſcopo acceperant, & cùm illis, quæ Romæ eis datæ fuerint, Epiſcopum quàmprimùm conueniant, atque ab eo benedictione recepta, ad propria ſe ſe recipiant. Forma verò literarum dimiſſoriarum in hunc modum ferè erit, quam tradit Illuſtriſſimus Palęotus in ſuo Archiepiſcopali.

Forma dimiſſoriarum pro Anno Iubilæi ex Cardinali Palęoto.

N. N. Dei, & Apoſtolica Sedis Gratia Epiſcopus, &c.

Tibi. N. ſanctam peregrinationem Romanam Iubilai cauſa ſuſcipere cupienti, his noſtris literis facultatem damus, pium animi tui propoſitum attendentes, vt ab hac Ciuitate, vel loco Diœceſis recedere valeas; (Quod ſi Sacerdos curatus erit, addendum eſt) *vt relicto in primis alio Sacerdote à Nobis probato, qui munus tuum, dum peregrinando aberis, integrè praſtet, tu ob eam peregrinationem per duos menſes à die conceſsionis præſentium connumerandos abeſſe poſsis. Te autem in Domino monemus, ut in toto itinere admonitiones à nobis traditas ante oculos habeas, atque ſecundum illas religioſè pregrediaris. His autem noſtris literis omnibus fidelibus teſtatum eſſe volumus, te proùt nobis ſignificaſti, Iubilai cauſa hanc ſanctam peregrinationē ſuſcepiſſe: nec (quod Nos ſciamus) te apud forum noſtrum Epiſcopale ullo crimine accuſatum, delatum, inquiſitum, cōdemnatū, neque vllo excōmunicationis, cēſurane alterius Eccleſiaſtica uinculo irretitū eſſe. Rogantes etiam in Domino tàm Magiſtratus, & locorum Dominos, quàm alios quoſcumque, apud quos te in itinere eſſe contigerit; ut te Chriſtiana beneuolentia complectantur, retributionem apud Deum pro collatis in te officijs habituri. In quorum rerum fidem, &c. Datum Laureti ex Epiſcopali Palatio die, &c.*

Hæ literæ Dimiſſoriales apud antiquos, literæ formatę appellabantur, ſine quibus Clericis ad Comitatum proficiſci fas non erat; & ad fraudes tollendas falſitatis, diem Paſchę adnotatum continebant, vt in Concilio Mileuitano capite vigeſimo, legitur; atque etiam nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Sancti Petri modò infraſcripto habebant, ut ſcribit Atticus Epiſcopus in fine Concilij Chalcedonenſis vbi ſic habetur. *Ne in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos latinus formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, & conſtitutum, ut formata epiſtola hanc calculationis, ſeu ſupputationis habeant rationem, ideſt, ut aſſumantur in ſupputationem prima graca elementa Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc, eſt, π, υ, α, qua elementa octogenarium, quadringenteſimum, & primum ſignificant numerum. Petri quoque Apoſtoli prima litera, ideſt, π qua numerum 70. ſignificat. Eius quoque, qui ſcripſit epiſtolam, prima litera, cui ſcribitur ſecunda litera, accipientis tertia litera, Ciuitatis quoque, de qua ſcribitur quarta, & indictionis quacumque eſt; temporis idem, qui fuit numerus aſſumatur. Atque ita his omnibus gracis literis, qua, vt diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam quacumque fuerit collecta ſummam epiſtola teneat.* Hæc ibi. De formatis epiſtolis lege Optatum Mileuitanum lib. 2. cōtra Parmen. Bru-

Conc. Mileu.

Atticus Epiſcopus.

Conc. Chalc.

Optatus.

men.Bruchardum lib.2.cap.227.Iuonem lib.6.cap.433.& 434.& Sidonium Apollinarem lib. 7. epiſt.2.

Bruchard. Iuo. Sidon. Apol.

Instructio pro uiris, & fœmi nis ſæcularibus in Anno Iubilæi Romam peregrinantibus.

Viris verò,ac mulieribus huiuſmodi monita tradenda ſunt. Primùm admoneantur ſinguli, ſanctas peregrinationes non eſſe ſuſcipiendas, uel recreationis, vel curioſitatis gratia,ſed eo conſilio, ut cum ſincera mentis deuotione pœnitentiam aliquam peragant.In hoc enim vulgus fallitur, quòd huiuſcemodi peregrinationis dies inter lætos, feſtiuoſq; numeret; cùm tamen pœnitentiæ cauſa cum luctu, & lachrymis peragendi ſint.

Secũdò mulieres,præſertim iuniores,& innuptæ, in itinere comites honeſtas, grauesq; alias mulieres habeant,ut ſic remoto omni periculo,& ſuſpicione,accuratè, prudenterq; illud conficiant.

Tertiò,quòd patres,& matresfamilias,dum peregrinari volunt,ità ſuis proſpiciant familijs,ac domibus,ut qui in illis remanſerint,nullam iniuriam animę,uel corporis patiantur.

Quartò,ut antequam ſe in viam dent,peccata Sacerdoti approbato confiteantur, & Sacram Euchariſtiam ſumant; uel ſaltem peccatorum omnium ueram contritionem habeant, ne meritum ſanctæ peregrinationis, & aliorum bonorum operum,quæ fieri ab ipſis continget, deperdatur,ſi in peccato mortali peragantur.

Quintò, ut Peregrini cautè fugiant diſſoluta, atque inhoneſta omnia, quæ in itinere,uel in hoſpitijs ſæpiùs exercentur; atque ideò conſuetudines corruptorũ virorum declinent. Hæc enim omnia ſtudium pietatis, & deuotionis remittunt. Caueant quoque nouarum rerum curioſitates,nè à ſancto peregrinandi propoſito diſtrahantur.

Sextò,ſingulis diebus,antequàm ſe itineri accingant, preces Deo fundant,& Miſſæ ſacrum audiant.

Septimò, dent operam, ut feruorem,& ſpiritualem dulcedinem,qua dum in ipſo peregrinationis exordio caleſcere,ac permulceri cæperunt,non extinguant, ſed conſeruando augeant.Quocircà ſæpiùs in die mentem ad Deum conuertant, atque ex omnibus rebus,quæ eis inter eundum occurrunt, fructum aliquem pietatis eliciant,tamquam mel de petra,oleumq; de ſaxo ſugentes;uerbi gratia,ut ad rem ipſam aliquid redigamus,ſi flores,fructus,uirentes arbores, prataq; ridentia in itinere offendant, felicitatem, atque pulchritudinem cæleſtis gloriæ contemplentur;ſi aues cantantes audiant, Angelorum ſuauiſſimas harmonias in cœlo meditentur;ſi fontes,flumina,aliaq; animum exhilarantia aſpiciant,Paradiſi voluptates,& delicias recolant;& è contrà, ſi rupes,valleſq; profundas,ac præcipitia offendant,pænas inferni conſiderent;ſi æſtum ſudore perfuſi moleſtum experiantur,huius mundi miſerias,calamitates,& pœnas, quas homo per peccatum incurrit,attentè cogitent.

Octauò,admoneat Epiſcopus,ut ſi Sanctæ Crucis Chriſti, Beatæ Virginis,& Sanctorum imagines ipſorum ſeſe oculis obiecerint,recordentur,beneficium Iubilæi ex illorum meritis,doloribus,laboribusq; perfluere. Quocircà præfatas imagines humiliter, ac piè venerari debeant,atque eorum, quos repræſentant,auxilium deuotè implorare.

Nonò,ut eleemoſinas,quibus per facultates licebit, pauperibus, qui in itinere occurrent,elargiantur; *Quod enim uni*, (inquit Dominus) *ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis*.

Decimò,ut qui neceſſitate,& egeſtate compulſi,eleemoſinas petunt in itinere, id faciant abſque ulla importunitate,&ſi illis denegetur,non ægrè, uel impatienter ferant;ſed recolant Chriſti paupertatem,dum in hoc mundo eſſet,qui locum, ubi caput reclinaret,non habebat.Quando verò eleemoſinam receperint,pro benefactoribus preces aliquas ad Deum fundant.

Vndecimò,ſi in itinere laſſitudine,vel tędio afficiãtur,ad animum recreandum hymnos,pſalmos,ſpiritualeſq; cantiones hilariter canteut,quę animum recreant

& deuo-

& deuotionem non ſoluunt.

Duodecimò, vt quemadmodum quotidie magis, ac magis ad locum itineri deſtinatum appropinquantes, viciniores fiunt; ſic memoria repetere debent, ſe in dies ad mortem, quæ vltimus terminus eſt viæ uniuerſæ carnis, propinquiores fieri.

Decimotertiò, vt ſtudeant ſe ſe in itinere ità moderari, vt ante occaſum ſolis in hoſpitijs alicuius Ciuitatis, uel Caſtelli ſe ſe recipiant, iuxtà illud Domini dictum. ***Ambulate, dum lucem habetis***, atque ità pericula, quę in nocte contingunt, euitabuntur.

Decimotertiò, ut poſtquàm uentū fuerit ad locum, ubi eo die quieſcere debēt, Eccleſiam quàmprimùm adeāt, ac Domino de beneficijs hactenùs acceptis gratias agant: poterunt quoque hoſpitale aliquod viſitare, infirmiſque per horam in ſeruire.

Decimoquintò, vt in hoſpitijs, domibus, aut xenodochijs, in quibus recipientur, bono omnibus ſint exemplo, & abſque querela cum ſilentio, & modeſtia, prę cio perſoluto, diſcedant.

Decimoſextò, laudabile erit, ut euntes, & redeuntes, Eccleſias, Reliquias, hoſpitalia, aliaque loca pia inuiſant. Abſtineant verò ab his, quæ vel mentem diſtrahere, uel deuotionis ardorem frigeſacere ſolent, vt à comędijs, ludis publicis, uel priuatis, ſaltationibus, circulis, & ſimilibus.

Decimoſeptimò, ut Romæ Sanctorum Eccleſias religioſè uiſitent, & ex ea uiſitatione reuerſi ad gratiarum actionem, uel *Te Deum laudamus*, uel aliud ſacrum Canticum cùm ſpirituali gaudio recitent.

Vltimò, monendi ſunt, ut nemo ſine commendaticijs literis, quæ etiam ex ueteri Canonum inſtituto laycis peregrinantibus ad loca ſacra dari debent, ut ex Conc. Antiocheno, Canon. 7. & ex Laodiceno, Canon. 41. qui habetur de Conſecratione, diſt. 5. Canon. *Non oportet*, recedat. Hæ autem commendaticiæ literæ ad hunc tenorem formandæ ſunt.

Conc. Antio. Conc. Laod.

N. Dei, & Apoſtolica Sedis gratia Epiſcopus N. Dilecto in Chriſto: N. &c.

Forma literarum commēdaticiarū pro laycis peregrinis ad Vrbem tempore Iubilæi.

Cvm in Iubilæi cauſa ad Sanctam Vrbem, etiam de Parochi tui conſilio, peregrinationem ſuſcipere velis, ac propterea ex veteri Canonum inſtituto noſtras teſtimoniales & cōmēdaticias literas expetieris; Nos ſanctum animi tui propoſitum, pietatemq́ commendantes, & tibi in Domino benedicentes, has teſtimoniales & commendaticias noſtras literas damus, quarum facultate tibi liceat, vbique cuicumque Confeſſario Sacerdoti approbato peccata tua confiteri. Illud verò te paternè admonemus, vt priuſquàm te in viam des, peccata tua confeſſus ſacram Eucharistiam ſumas: benedictionem etiam, quæ religioſis precationibus ex Eccleſia inſtituto peregrinis adhibetur, à Parocho tuo petas, & accipias: peregrinando omnia fugias, quæ deuotionis ſtudium impedire poſſunt; illa ſolùm amplectaris, quibus tua pietas excitetur: ac potiſſimum inſtes orationi, ſanctis meditationibus, pijs colloquijs: elemoſinasq́, ſi per facultates potes, pauperibus diſtribuas, ab omni denique peccato, atq́ adeò peccādi occaſione abſtineas: religioſè Sanctorū Eccleſias, ſacraq́ loca viſites, vt peccatorum tuorum pleniſſimam indulgentiam cum vita emendatione conſequaris: Illud etiam memineris, vt à ſancta peregrinatione reuerſus primò Parochum tuum conuenias, vt tibi ex Eccleſia inſtituto ſanctis orationibus benedicat, & à Deo quæ tibi perpetuò ſalutaria futura ſunt precetur. Datum &c. Die &c.

At verò quoniam multę Sodalitates, ſeù Confraternitates diuerſarum Ciuitatum, & oppidorum proceſſionaliter peregrinationē hanc ſanctam perficere deſiderabunt, operæ præcium erit, ut Epiſcopus etiam illis regulas præſcribat, ordinemq́; ſeruandum indicet, ut omni deuotionis affectu; (querelis, rixis, aliiſque ſimilibus turbis ſemotis) iter conficiant: ad maiorem quoque ſeruorem, & deuotionem in populis excitandam poterit Epiſcopus nouam Cōfraternitatem Ciuium inſtituere ad effectum huius ſanctæ peregrinationis, ut Bononiæ factum eſſe Anno 1575. teſtatur Cardinalis Palęotus, ubi ſuprà; quibus etiam regulæ, quę mox tradentur, inſeruient.

Cardinalis Palæotus.

Pri-

Primùm igitur, Confratres in duobus libris deſcribantur, quorum unus in Epiſcopali Archiuio conſeruetur; alter uerò in Archiuio Ciuitatis ad perpetuam rei memoriam eorum, qui hanc ſanctam peregrinationem ſuſceperunt.

Instructio pro Confraternitatibus in Anno Iubilæi Romam processionaliter euntibus.

Secundò, præficiatur cuicumque Cõfraternitati ſacerdos aliquis magnæ auctoritatis, & probatæ uitæ, qui tamquam caput, & Rector illius ſit, cui etiam quatuor Conſiliarij conſtituantur ab ipſis confratribus electi, proùt ipſorum prudentiæ uidebitur; qui quidem electi, omneſque alij conſcripti ipſius Rectoris mandatis obtemperare debebunt. Et quoniam in hac ſodalitate diuerſorum hominum ſtatus congregabuntur, ut omnes diſſenſionum, & præcedentiarum difficultates effugiãtur, præcipiendum erit, ne quis in quocumque actu locum unum, aut alium prætendere, aut ſibi arrogare poſſit; ſed ad temporum, & locorum ſibi aſſignatorum qualitatem, & ad Conſiliariorum mandata ſeſe accommodare debeant, cùm non intelligatur, aliquod inde præiudicium euenire poſſe; quinimmò contrarium declaretur, omnes uidelicèt in eodem gradu permanere, & futuros in eodem, in quo antea exiſtebant.

Dies quoque diſceſſus ſtatuendus, & indicandus erit; atque pridie eius diei ſummo mane ad Cathedralem Eccleſiam omnes conuenient, & audito ſacro, ab Epiſcopo Sanctiſſimum Chriſti corpus ſument; ſequenti uerò die iterum ad Eccleſiã conuenient, ad ſanctam peregrinationem parati, ubi Epiſcopus illis ſolemniter benedicet, & itinerario deuotè recitato, cùm ſacro cantu, & ſymphonia in Choros diuiſi diſcedent.

Admonendi quoque erunt, ut ſi totum corpus Societatis, ob hoſpitiorum commoditatem, coniunctim procedere non poſſit, in tres, uel quatuor turmas diuidatur, & cuilibet turmæ unus Præfectus aſſignetur à Rectore, & à Conſiliarijs; atque ità ſeparatim iter conficiant. Romæ tandem appropinquantes totum Societatis corpus expectabunt eo loco, qui à prædictis Conſiliarijs deſtinabitur, ut omnes unà cum ſolemni pompa Vrbem ingrediãtur. Quod etiam in ingreſſu Ciuitatum, aut locorum præcipuorum præſtabunt. Cùm autem in loco aliquo hoſpitari debeb unt, antequàm ad hoſpitium ſeſe recipiant, ſupplicantium ritu, habitu quoq; peregrinorum induti, præcipuam eius loci Eccleſiam uiſitent, ubi Deo gratias agãt. Cùm autem ad hoſpitium peruenerint, ante cœnam Litanias dicãt, & mane poſt Miſſam, cui omninò interſint, itinerarium nullo modo prætermittant. Feſtiuis uerò diebus concioni, ſi quæ habeatur, adſint, & ſacram Euchariſtiam ſumant: Vbique modeſtiam, ac ſilentium ſeruent; antequam ad menſam accedant fiat benedictio, & poſt menſam gratiarum actio.

Atque eo ordine, quo in Ciuitatem, vel oppidum ingreſſi fuerint, diſcedant, eumdemque ſeruabunt ſaltem vſque ad quartam partem milliarij. Reliquum itineris vnuſquiſque conficere poterit, prout illi commodius fuerit, ſeù pedes, ſeù eques, & cùm his ſocijs, qui ſibi videbuntur.

Sacerdotes ſaltem feſtiuis diebus celebrent ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium; layci verò frequenter communicent. Antiquis temporibus iter agẽtes, ſiuè in terra, ſiuè in mari, ſecum Euchariſtiam deſerebant, ut ex Beda in Martyrologio 18. Kalẽdas Septembris colligitur, ubi agit de Tarſicio accolutho à Paganis occiſo, quòd noluerit illis oſtẽdere Euchariſtiam, quam portabat; & ex Ambroſ. in funebri oratione de ſuo fratre, qui antequam eſſet Presbiter, ſecum in mari Euchariſtiam portauit. Sed iam hæc conſuetudo immutata fuit, nec hodie licita eſt. Sicut etiam alia, qua veteres Chriſtianis iter agentibus, & peregrinantibus, cum aduentarent, ſacram Euchariſtiam in ſignum Communionis, & pacis obuiã mittebant, quæ in Concilio Agathen. Can. 2. & 5. ob id peregrina communio appellatur.

Beda. Ambr. Conc. Agath.

Omnes præterea in itinere Pſalmis, pijs meditationibus, alijſque bonis operibus vacent, ut remiſſionem peccatorum ſuorum, quam exquirunt, faciliùs obtineant.

Si uerò aliquis ex ſocijs in itinere infirmetur, uel (quod Deus auertat) moriatur Chriſtianæ pietatis officia in illum omni cura exercebunt; nec infirmum derelinquent, niſi

quent, niſi in loco, & apud illos, qui curam illius gerere poſſint.

Camerarium conſtituent, ſeù Oeconomum, in cuius manibus ęquales pecunię ad expenſas pro vita tribuantur, & pro communibus expenſis, quę pręter victum neceſſariæ erunt; veluti pro Muſicis, pro cera, pro vecturis, & ſimilibus; vel de red ditibus Confraternitatis, ſi tamen alio ſingulari onere non ſint grauatæ; vel vnuſ quiſque, uel ſinguli confratrum ſymbolum aliquod pecuniæ ad arbitrium Conſiliariorum deponent. Has uerò pecunias Oeconomus, & Conſiliarij in rebus neceſſarijs, protùt illis uidebitur, expendent.

Quòd ſi quis, ut commodiùs iter cōficiat, equo, curru, & ſeruis uti uoluerit, ſuis impenſis ijs utetur: rogandi ſunt autem omnes, ne plures uno famulo, aut equo ſe cum ducant abſque Rectoris, & Conſiliariorum licentia.

Curent tamen omnes, ut in ingreſſu, & egreſſu Ciuitatum, ſeù locorum principalium, ſaltem per quartam partem milliarij ſimul cum uniuerſo corpore Confraternitatis, habitu peregrinorum induti, ſimul progrediantur, & uel communiones, uel reliqua, quæ à miniſtris præcipientur, coniunctim peragant; quod etiam in Vrbe ſancta, uel dum ad pedum ſanctiſſimi Papæ oſcula, uel ad Eccleſias accedent, uel cùm communicabunt, uel cum ad hoſpitia ſeſe recipient, præſtare debebunt.

Omnes, accepto Iubilæo, per uiam, quæ à Rectore, & Conſiliarijs definienda erit, eodem ordine reuertantur; cumque ad patriam peruenerint, rectà Cathedralem Eccleſiam adeant, ubi de incolumi reditu, alijſque acceptis beneficijs, & Indulgentijs publicè Deo gratias agant, & ab Antiſtite loci accepta benedictione (ſi commodè fieri poterit) ad propria reuertantur. Hæc, & ſimilia erunt ab Epiſcopo conſtituenda, ut Confraternitates recto ordine Romanam peregrinationem ſuſcipiant, quibus addenda erunt, pro qualitate perſonarum, & locorum alia, quæ ipſius Epiſcopi prudentiæ uidebuntur opportuna.

Epiſcopus pauperibus peregrinanti bus pecuniā dare debet. D. Cyprian.

Sed iam quinto loco, Epiſcopi partes erunt, pecuniam tradere pauperibus, qui huiuſmodi ſanctam peregrinationem ob egeſtatem conficere non poſſent, exemplo D. Cypriani; qui peregrinis indigentibus ſumptus de ſuo ſuggerendos præcipiebat; ſic enim in Epiſtola 36. ſcripta ad Clerum, de cura pauperum, & peregrinorum ait, *Viduarum, & infirmorum, & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: ſed & peregrinis, ſi qui indigentes fuerint, ſumptus ſuggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum compresbyterum noſtrum dimiſi: quæ quantitas nè fortè iam uniuerſa erogata ſit, miſi eidem per Naricum Accoluthum aliam portionem, ut largiùs, & promptiùs circa laborantes fiat operatio.* Sic Cyprianus. Verùm Epiſcopi ſaltem collectam aliquam pecuniarum ſummam à diuitibus Ciuitatis opportunè cō parare curabunt, ex quibus huiuſmodi pauperibus, qui uerè, ac piè peregrinari de ſiderant, ſubueniri poſſit, ne ex defectu rei temporalis ſpirituale damnum patiantur. Opulētæ quoque Communitates ex publicis redditibus partem aliquam pro uiatico pauperum Ciuium aſſignare poſſent Epiſcopo, ut deſiderantibus illis ſanctam peregrinationem conficere, pro uniuſcuiuſque neceſſitate opem ferre poſſit. Eſt enim opus maximæ charitatis indigentijs ſpiritualibus proximorum ſuccurrere, atque id bonum regimen Ciuile exigit, ut & ſpiritualibus, & corporalibus pauperum neceſſitatibus occurratur.

Sexto loco, partes erūt Epiſcopi, curam, & ſollicitudinem adhibere, nè familię præſertim puellarum, uiduarum, cæterarumque mulierum, quę remanent in ciuitate, uel oppido, dum parentes, uel conſanguinei peregrinantur, iniuria, dedecore, uel aliquo alio incommodo afficiantur. Eſt enim Epiſcopus Pater Viduarum, & Orphanorum, undè etiam id ex officio præſtare debebit.

Septimò, in Cathedrali, in Monaſterijs, alijſque locis principalioribus preces ad Deum fieri inſtituat pro peregrinantibus, vt ſine impedimentis, vllisque moleſtijs cùm incolumitate corporis, & animi deuotione euntes, ad propria, Deo dante, regredi poſſint.

Octauò, omni ſtudio, & diligentia moneat Regulares, nè permittant, Mona-

chos, ſeu

chos, ſeù Religioſos peregrinos ſui ordinis ad cauponas diuertere; ſed ſuperiores eorum proſpiciant, ut id in Monaſterijs faciant. Eſt enim maximum ſcandalum Religioſum, nulla cogēte neceſſitate, ubi videlicet Monaſteria non deſiderātur, i cauponis commorari; uerùm id à Protectoribus Ordinum iuberi conſultiùs eſſe.

Nonò, opportunum quoque erit, ut ubi Confraternitates ex Vrbe reuertente proximæ fuerint propriç Ciuitati, ſolēni pōpa, atq; omni lætitiæ ſignificatione e cipiātur. Quocircà nonnullos Clericos, & Populares illis obuiam ire maximè c ueniens erit, ut cæteri cognoſcant ex omnibus his circumſtantijs, eos rei grauiſ mæ, atque Chriſtiano homine digniſſimæ operam nauaſſe.

Decimò, procurabit Epiſcopus, ut hi, qui reuerſi fuerint, enarrent alijs conſ cti itineris commoda, Vrbis ſanctitatem, Eccleſiarum amplitudinem, Reliqui rum uenerationem, Concionatorum præſtantiam, in peregrinos benignitaten in exteros hoſpitalitatem, Confeſſariorum prudentiam, Prçlatorum modeſtian & probitatem, Religioſorum uirtutes, denique ſummi Pontificis maieſtatem, uigilantiam, ſic enim cæteri, antequàm annus ille ſacer concludatur, ad huiuſm di peregrinationem ſuſcipendam inflammabuntur, atque accendentur, minore que ętate memorię eorum dicta mandantes, in futuro Iubilęo, ſi ad eum perue rint, cęteris enarrabunt; atque ità maiori deuotionis affectu excitabuntur, ut re currente Iubilęi anno peregrinationem aſſumant.

CAPVT NONVM.

Quòd Principes, & Magiſtratus ſæculares multa præſtare debeant, cauſa peregrinationis Anni Sancti.

HVMANVM genus Imperijs regi, prętantiq́ue aliqua auctoritate, & poteſtate moderari, ac gubernari, neceſſe eſt: neque enim aliter, ut Philoſophi aiunt, communi utilitati per omnia conſultum eſſet; cùm unuſquiſque hominum cum alijs negocium habens, ac diffidens, quę ſua ſunt, quęrat; nec plerique rudes, imperiti, leues, ac imbecilles ſtatum ſuum ab alio rum iniurijs tueri poſſent, niſi Principis auctoritate protegerentur. Vnde Salomon Prouerb. 11. ſapienter dixit, *Vbi non eſt Gubernator, populus corruet.* Quomodo enim pax in Republica, concordia in ſociali uita diù ſeruari poſſet, niſi aliquis omnibus pręſideret, qui commune bonum eis procuraret? quomodo hominum uiuendi licentia cum ab adoleſcentia proni ſint ad malum, cohiberetur, niſi ſapientis, & cordati Pręfecti, qui publica, ac legitima auctoritate polleat, illi in offi cio cōtinerentur? omnia ſanè plena latrocinijs, adulterijs, rixis, & cędibus eſſent; niſi legum, uel Principum habenis effręnati homines cohiberentur; quod etiam ipſimet Philoſophi docuerunt, qui humanam naturam, infirmam, ac debilem cō ſiderarunt, licèt illam è ſtatu innocentię lapſam, & peccato langueſcentem non agnouerint.

Neceſſitas Rectoris, & gubernatoris populorum.

Prouerb. 11.

VERVM Chriſtiani Principis partes ſunt, non ſolùm ea, quę ad humanam pacem, & felicitatem faciunt, populis procurare; ſed etiam, cum eccleſiaſtico regimini, atque imperio ſubdatur, ea remouere, quæ ad finem ſpiritualem conſequendum impedimento eſſe poſſunt: ſęcularis enim poteſtas Eccleſiaſticæ inſeruire, & quaſi ancillari in omnibus debet, materiamq́ue ei ſuppeditare, quam ſpiritualis poteſtas ad certam normam redigere, ac conformare poſſit. Id enim proprium eſt omnium artium, quarum aliæ alijs ſubordinantur, vt tradidit Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 1. & S. Thomas in 1. pat. quæſt. 1. artic. 2. Sicut enim terra cœlo, corpus animæ, caro ſpiritui, humana diuinis ſubduntur; ità ſęcularis poteſtas ſpirituali. Vnde Conſtantinus Magnus Imperator reſponſum illud præſtantiſſimum in ſacra Nicæna Synodo Epiſcopis dedit, *Deus conſtituit uos Sacerdotes, & poteſtatem*

Poteſtas ſęcularis ſubſerui re debet eccleſiaſticæ.

Ariſt. D. Thom.

Notabile dictum Conſtātini Imp.

vobis tradidit in noſmetipſos, & ideò à vobis rectè iudicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Sicut enim Dux belli opifici frænorum imperat, & armorum fabro, ut hac, illauè ratione inſtrumenta conficiant, quatenùs ea belli, præliorumq; vſui futura ſint, quorum poteſtas penès ipſum eſt; ità cum humani Principatus munus regimini eccleſiaſtico ſubditum, ac ſubordinatum ſit, nihil aliud ille rectam adminiſtrandi rationem ſequens ſpectare debet, nihilq; aliud exequi, niſi ut populum idoneum reddat ad eam ſuſcipiendam formam, quam Eccleſiaſticus Dux ad æternæ vitæ bona perfruenda illi neceſſariam eſſe definiet: quapropter etiam in Anno Sacro Iubilæi Principis Sæcularis cura erit, nonnulla præcauere, quibus remotis, populi Chriſtiani aptiores, promptiores, magisq; idonei fient ad ſanctam peregrinationem ſuſcipiendam.

Simile.

Quæ debeāt cõſtituere Sęculares Principes pro Anno Iubilæi.

PRIMVM igitur animaduertendum eſt, ut ſinguli Principes ſedulam nauent operam, ut in omnibus ſuis terris, & ditionibus frumenti, vini, & olei, magna ſit copia, quò populi rerum ad uictum neceſſariarum abundantiæ rumore, & fama exciti, & allecti libentiùs, & alacrius ad peregrinationem ſuſcipiendam ſeſe accingant. Ad id imprimis conducet, ſi panis bonus, utpotè ex puro tritico ſine admixtione alterius rei, & conuenienti prætio venalis iter agentibus proponatur. Qua ex re duo non negligenda commoda conſequētur; quod ſcilicet Peregrini, in quibus Chriſtum Redemptorem noſtrũ debemus intueri, hac ratione meliùs reficientur; & prædicti Principes magnam apud homines laudem, & apud Deũ non mediocre præmium reportabunt: quemadmodum è contra ſummo dedecore, & infamia digni illi iudicandi ſunt Principes, qui ex rei frumentariæ turpi negociatione, & mercimonio ſuas opes augere ſtudẽt; floccifacientes, immò, quod peius eſt, lætantes, quòd hac ratione viatores vexentur, & ſuis pecuniolis miſere ſpolientur. Prętereà curandum eſt, ut fontes, qui publicis vijs in propria ditione interiacent, purgentur, reficiantur, & ad commoditatem viatorum aptentur; locusq; diſtinctus ſit, quo bruta animalia potandi gratia accedant, ab eo ad quem eamdem ob cauſam homines ſe conferunt: pontes inſuper uetuſtate collapſi ad flumina periculoſa tranſmittenda reparentur. Deinde, ut in hoſpitijs res venales iuſto prætio taxentur, lecti ſint mundi, & commodi, & id genus alia, quæ ad reparandas tranſeuntium vires iudicantur neceſſaria, non deſiderentur. Sed ante omnia danda eſt opera, ut impudicæ mulieres ab omnibus hoſpitijs, graui propoſita pœna, arceantur, ne ſuis blanditijs, & illecebris Peregrinis ruinę, & ſcandali occaſionem præbeant. Poſtremò ſatagendum eſt, ut viæ ſecuræ, & itinera tuta à Sicarijs, & Craſſatoribus reddantur, nè ſi ſecus factum fuerit, Peregrini viæ ſe committere non audeant; vel ſi auſi fuerint, bonis à talium improbitate, & interdum etiam uita priuentur. Hæc, & ſimilia pro locorum conditione, & perſonarũ qualitate à Principibus, magiſtratibusq;, quorum prudentiæ reliqua committuntur, animaduertenda erunt.

NOTA.

Rectè Epiſcopi Principum Sæcularũ auxilio utuntur contra hoſtes Eccleſiæ, & ad alia bona. D. Auguſt. Actor. 22. & 25.

Conc. Trid.

ILLVD vnum commemorandum eſt, Epiſcopos rectè agere, dum Principum ſęcularium implorant auxilium aduerſus hoſtes Eccleſiæ, exemplo Maximini cuiuſdam Epiſcopi Catbolici in Aphrica, quod D. Auguſt. pluribus docet in Epiſt. 50. circà medium; exemploq; Diui Pauli comprobatur, qui corâm Felice, & Feſto cauſam ſuę defenſionis in Eccleſiæ Dei commodum peregit; Actor. 22. & 25. cùm enim iniuſtè à Iudæis vexaretur, Romanas leges, ut Ciuis Romanus, implorauit, & ad Cęſarem appellauit: Atque etiam id expedit ad promouendam Religionem Chriſtianam, ad Sacerdotes, Clericoſq; tuendos, ad Decreta Oecumenicorum Conciliorum exequenda, denique ad iura Eccleſiæ protegenda; cuius rei teſtimonium habetur in Cap. *Valentinianus*. 63. diſt. & Can. *Conſtantinus*. & Can. *Boni Principis*, diſt. 96. In Conc. Tridentino, ſeſſ. 25. cap. 20. ubi diuino Sancta Synodus afflata ſpiritu, ſic eloquitur. *Propterèaque admonet Synodus Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes, & ſingulos cuiuscumque ſtatus, & dignitatis extiterint, ut quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctiùs, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tamquam Dei præcipua, eiusq; patrocinio tecta, venerentur;*

nec ab

nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijſuè Dominis temporalibus, ſeu magiſtratibus, maximeq́; miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur; ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, Religionem, Eccleſiarumq́; protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos, religioſiſſimosq́; Principes, qui res Eccleſiæ ſua in primis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt, adeòq́; ea in re quiſque officium ſuum ſedulò præſtet, quò cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in reſidentijs, & officijs ſuis quieti, & ſine impedimentis, cùm fructu, & ædificatione populi permanere valeant. Adde tu, & vt ad ſacrum Iubilæum Romæ conſequendum, ſecurè peregrinando proficiſci poſſint. Legenda eſt de hac re Epiſtola Bonifacij ad Honorium Auguſtũ, quæ refertur in Can. *Eccleſia* 97. diſt. & Clementinam, quæ incipit, *Romani*, de iure iurando, vbi dicitur, quòd Imperator eſt defenſor, & filius Eccleſiæ, & Authen. *Vt omnes obed. prouin. §. & hoc conſiderantes*, col. 5. Denique debent defendi, nè in partibus, dum peregrinantur, contrà eos, in ciuilibus præſertim, procedatur; quamuis enim cauſa voluntariæ peregrinationis non ſuſpendat Iudicis iuriſdictionem, cùm Procuratorem conſtituere poſſit; tamen ob inſignem Anni Sacri, deuotamque peregrinationem hi, qui ad Vrbem peregrinantur, omni commodo, atque defenſione digni ſunt. Lege Pan. in Cap. *Ne minimus* de appellat. & Innocentium, in cap. *Delicti*, & cap. *Ad audientiam*, eodem tit. & Hoſtien. in cap. vnicum de Peregrinis.

Bonifacius.

Panor.
Innoc.
Hoſtien.

CAPVT DECIMVM.

De apparatu Romæ faciendo pro Sancto Iubilæi Anno.

TOTVS Annus proximè præcedens Iubilæi Annum, quaſi eiuſdem peruigilium cenſeri debet; quocircà Romæ, vbi celebrandus eſt Iubilæus, quàmplurima paranda ſunt, nonnulla de integro facienda, alia verò decenti ornatu perapranda, reſarcienda alia ſunt, ut ipſa Romana Ciuitas, tamquàm noua Hieruſalem, de cœlo deſcendens à Deo parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo, vniuerſis Chriſtianis, qui tunc temporis ad eam confluunt, repræſentetur. Sed agè aliqua enumeremus, vt Romanorum pietas, tamquàm Chriſti bonus odor, per vniuerſas mundi gentes effundatur.

PRIMVM igitur, ſumma pax in toto Orbe Chriſtiano, & præſertim in Italia, à Summo Pontifice, qui caput eccleſiaſtici corporis eſt, enixè curari debet, ut populi Chriſtiani abſque iniuria, atque incommodo huiuſmodi ſanctam peregrinationem ſuſcipere poſſint. Sæpe enim Dominus Pace, tamquàm medio opportuno, vel ad Euangelium prædicandum, vel ad diuinas, canonicasque leges promulgãdas, uel deniq; ad Religionem tuendam vſus eſt. Sic Hoſeæ 2. dicitur, *Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terra*. Et Micheæ 4. atque etiam Eſaiæ 2. *Concident gladios ſuos in vomeres; & lanceas ſuas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium*. Quæ loca ad literam intelligenda ſunt de ſumma pace temporali; quæ per vniuerſum Orbem tempore natiuitatis Chriſti fuit, ut Euangelio in toto mundo prędicando uia pateret. Ità Diuus Hieronymus in citatis locis, & in Eſaiam, vbi ſic ſcripſit. *Veteres reuoluamus hiſtorias, & inueniemus, vſque ad vigeſimum octauum annum Cæſaris Auguſti, (cuius quadrageſimoprimo anno Chriſtus natus eſt in Iudæa) in toto Orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contrà vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ità vt cæderent, & cæderentur: orto autem Domino Saluatore, quando ſub Præſide Syriæ Cyrino prima eſt in Orbe terrarum facta deſcriptio, & Euangelica doctrina pax Romani Imperij præparata, tunc omnia bella ceſſauerunt, & nequaquàm per oppida, & vicos exercebantur gentes ad prælia; ſed ad agrorum cultus, militibus tantùm, legionibusq́; Romanis contrà Barbaras nationes bellandi ſtudio*

Quæ Romæ curanda ſint pro anni Iubilęi celebratione enumerantur. Primò vniuerſalis Pax.

Hoſ. 2.
Mich. 4.
Iſai. 2.

D. Hiero.

Tempore natiuitatis Chriſti ſumma erat pax in vniuerſo Orbe.

di ſtudio delegato, quando impletus eſt Angelorum ille concentus; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; & in diebus eius orta eſt iuſtitia, et multitudo pacis. Sic Hieronymus. Tunc etiam templum Iani Quirini clauſum eſt, quod non niſi in ſumma tranquillitate fiebat, vt Oroſius lib. 6. cap. 22. Eutropius, lib. 9. in Gordiano, atque etiam Suetonius in Auguſto cap. 22. & in Nerone cap. 14. ſcribunt, licèt Card. Baron. to. 1. ex Dione colligat, id per aliquos annos ante Chriſtum natum accidiſſe. Lege Euſebium lib. 9. demonſtrationis Euangelicæ, demonſtratione 17. Atque illud Zachar. cap. 14. appoſitè huic rei fauet; *In die illa*, inquit, *erit quod ſuper frænum equi eſt, ſanctum Domino*, ideſt, vt D. Hieron. & Cyrillus exponunt, tunc ſumma pax erit, nec indigebunt equis, qui ad pugnam apti ſunt; ſicut ſcriptum eſt, *Equus paratur ad diem belli*, Prouerb. 21. propterea omnia equorum ornamenta Domino conſecrabuntur. D. Ambroſius in oratione de obitu Theodoſij Imperatoris, Theodoretus lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 18. Sozomenus lib. 2. cap. 1. Nicephorus lib. 8. cap. 29. & Diuus Cyrillus in hunc locum Zachariæ interpretantur hęc verba, de fręno Conſtantini Magni, in quo vnus ex clauis Chriſti ab eo poſitus fuit, vt per ſacrarum rerum venerationem victoriam in prælio obtineret, atque eiuſdem claui præſidio pericula belli euitaret; licèt hæc expoſitio ridicula Diuo Hieronymo videatur.

Oroſius. Eutrop. Sueton. Baron. Euſeb. Zachar. 14. D Hiero. D. Cyrill. Prouerb. 21. D. Ambr. Theodor. Sozom. Niceph. D. Cyrill.

Bellorum incommoda. D. Hiero.

VERVM, bella ſumma incommoda, miſerias, calamitateſque, ne dum Religioni, ſed etiam ipſis Ciuitatibus afferre, teſtatur Diuus Hieronymus in lib. 1. Epiſtolarum, quæ eſt Epiſtola tertia, in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum ſic ſcribens. *Horret animus temporum noſtrorum ruinas proſequi. Viginti & eò amplius anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim, & Alpes Iulias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctaſq; Pannonias; Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni, vaſtant, trahunt, rapiunt. Quot Matronæ, quot virgines Dei, & ingenua, nobiliaq; corpora his belluis fuere ludibrio? Capti Epiſcopi, interfecti Presbiteri, & diuerſorum officia Clericorum, ſubuerſa Eccleſia, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ Reliquiæ, vbique luctus, vbique gemitus, & plurima mortis imago:* & poſt pauca ſubdit, *Ecce tibi anno præterito ex vltimis Caucaſi rupibus immiſſi in nos, non iam Arabiæ, ſed Septemtrionis lupi, tantas breui prouincias percurrerunt. Quot monaſteria capta? Quàtæ fluuiorum aquæ humano cruore mutatæ ſunt? obſeſſa Antiochia, & Vrbes reliquæ, quas Halis, Cydnus, Orontes, Euphrateſq; præterfluunt. Tracti greges captiuorum; Arabia, Phœnice, Palæſtina, Aegyptus timore captiuæ, non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum, ferrea vox, omnia pœnarum percurrere nomina poſſim: neque enim hiſtoriam propoſui ſcribere, ſed noſtras breuiter flere miſerias.* Sic Hieronymus: & apud D. Auguſt. in Epiſtola 186. quæ eſt Honorati Epiſcopi ad Auguſtinum, mala, & incommoda ex bello naſcentia quàmplurima enumerantur, quæ etiam narrat Idem Auguſtinus lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 24. & cap. 30. Sed maximam bellantiũ inſolentiam in Catholicos Epiſcopos longæuos etiam in die ſancta Paraſceue deſcribit Athanaſius in libro ſuo de Fuga, & Nos fuſiſſimè proſequuti ſumus in libro 3. noſtro de Fuga in bello quæſt. 1. & 4. Hinc Theodoſius omne ſtudium, atque conſilium adhibuit, vt firma Pax omnibus Eccleſijs orientalibus reſtitueretur, vt ſic tranquillo, pacificoque Eccleſiæ Catholicę ſtatui ad Dei gloriam conſultum eſſet; ità in Epiſtola eius ad Ioannem Antiochenum Epiſcopum legitur; quæ extat apud Concilium Epheſinum tom. 5. cap. 3. Hinc Eccleſia, pace ab Antonino Pio reſtituta circà annum Domini 154. & à Marco Aurelio anno Chriſti 176. & à Comodo anno Chriſti 182. atque ab alijs in diuerſis temporibus ſemper incrementa habuit. Igitur ipſo quoque anno Iubilęi tranquillum tempus, vniuerſaliſque pax procuranda erit.

Honoratus Epiſcopus apud Auguſt. D. Auguſt. Athanaſius. li. de Fuga Auctoris. Theodoſius. Conc. Epheſ.

Quòd ſi contingat, (tamen Deus auertat) effrenatam dominandi libidinem aliquem adeò excæcare, ut impiè audeat, etiam in Anno Sacro chriſtiana loca inuadere, aut Apoſtoli Petri, eiuſque Sedis patrimonium iniuſtè occupare, uel detinere; aut denique contrà Eccleſiaſticam libertatem inſurgere; comprimenda utique

que erit huiuſmodi audacia, atque etiam ui, & armis prohibenda, belloque oppugnanda per Chriſtianos omnes, etiam eos, qui Sacri Iubilæi gratiam conſequuturi Romam petunt; ut ità Eccleſię bona ab iniquis poſſeſſoribus auferantur. Hoc enim eſt quærere non quę ſua ſunt, ſed quę IESV Chriſti, & Chriſti cauſſam cùm Chriſto tueri; ſic de ore ſedentis in porta gladius ex utraque parte acutus egreditur. Apocal. 1. ut ſignificetur, Romanum Pontificem in Anno Sacro debere non ſolùm uerbo, Indulgentijs, atque clangore Iubilęi fidelium animos alliciendo, & conuocando peccata delere; ſed etiam, (ſi operępræcium fuerit) omnes Eccleſię inimicos, bonorumque eccleſiaſticorum direptores in bello, & gladio conſumere, & deuorare. Sed interim ità omnia erunt per Summum Pontificem prouidenda, ut etiam ijs, qui huiuſmodi bellum gererent, Iubilęi fructus, & gratia communicaretur. Quod quàm ſit omnino certum, ſumma diuinę bonitatis ac prouidentię diſpoſitio nuper apertiſſime demonſtrauit; cùm oborta bellorum, & diſcordiarum ſęuiſſima, atque ingentis calamitatis pleniſſima tempeſtate; uniuerſa ciuilibus armis, & bellorum tumultibus propemodum iam exarſura uideretur Italia, repẽte ſine clade, & ſine ſanguine ſumma uniuerſę Catholicę Eccleſię reddita eſt pax, atque tranquillitas. Id quod etiam perpetuum atque ſempiternum fore bonũ uniuerſo Chriſtiano Orbi portendit optata iampridem ab omnibus; nunc uerò tãdem, Auctore Deo, & Clementis VIII. Pont. Max. bonitate, ac prudentia in primis adiutante; ingenti cum omnium bonorum gaudio inter Chriſtianos Reges compoſita pax, & concordia feliciſſimè conſtituta, ſanctiſſimeqne confirmata. Vnde Euſeb. in hanc ſententiam libro 5. cap. 20. hęc aurea uerba ſcribit. *Commodo Imperatore gubernante noſtra Religio ad pacatum, & tranquillum ſtatum deducta fuit, & pax, diuina gratia largiente, omnes Eccleſias in toto terrarum Orbe occupauit. Quo quidem tempore ſalutaris Dei ſermo hominum mentes cuiuſque generis adeò attraxit ad piam Dei omnium rerum conditoris Religionem, cultumque, ut iam Romæ complures, & genere illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletati una cum omni familia, & cognatione ſua, ad ſuam ſuorumque ſalutem amplexandam ſe reciperent.* Hęc Euſeb. de Romanis, & nos de omnibus Chriſti fidelibus, pace uniuerſali regnante, dicere audemus.

Apoc. 1.

Euſeb.

PRAETERREA cura illa adhibenda erit, vt Eccleſiæ Vrbis, & præſertim illæ, quæ Illuſtriſſimorum Cardinalium titulo decoratæ ſunt, ſiqua indigent reparatione, inſtaurentur. Qua in re plurimorum Cardinalium zelus, & cura ſummopere commendanda eſt, quòd non parcẽtes impenſis etiam ad ſexaginta millia aureorum ſummam aſcenden tibus, vt Hieronymi Cardinalis Ruſticuccij apud Sãctam Suſannam, & Henrici Cardinalis Caietani opera apud Sanctam Pudentianam, & aliorum abundè teſtantur, Eccleſias, quarum titulis ſunt inſigniti, in ſplendidiorem ſtatum redegerunt.

Cardinalis Caietanus.

Cardinalis Ruſticuccius.

Deinde curandum, vt altaria nitidè, & concinnè ornata eluceant, quod in Baſilica Sancti Pauli ſplendidiſſimè hac tempeſtate factum eſſe cernimus. Itẽ vt diuini verbi Concionatores famoſi, atq; excellentes vocentur, qui verbum Dei in inſignioribus Vrbis Eccleſijs prędicent, quod aliqui etiam Gallicè, Hiſpanicè, Germanicè, atque Anglicè in proprijs ipſarum nationum templis faciant. Inſuper doctiſſimos Viros, præſertum ex Ordinibus mendicantium, ad ſacras confeſſiones audiendas conuocentur: curandum etiam erit, vt omnium rerum temporalium annona Vrbs affluenter munita ſit, ut uię Ciuitatis rectè ſternantur, vt in peregrinantium ſuſceptione à Magiſtratu Romano publicis cauponis optimæ leges conſtituantur, ut Confraternitas Sanctiſſimæ Trinitatis, atque aliæ, quæ in Vrbe conſtitutæ ſunt, & præſertim nationum, amplas ædes, locaque ſpacioſa adiungant ad recipiendos peregrinos, quos benignè, fraterneque ſuſcipiant, eis per plures dies neceſſaria adminiſtrando, Chriſtum in illis agnoſcentes, & eius amore charitatis officia ergà illos humaniter exercendo, memores prẽmiorum à Chriſto promiſſorũ. Item ne cenſus domorum augeantur; ac denique ſeuerè prohibeatur, ne mulieribus inhoneſtis, vel improbis hominibus domus, vel cauponæ locentur: quinim-

mò hoc genus hominum, ac mulierum publico edicto, ſub pœnis grauiſſimis expellatur; & quoniam ut peregrini confluentes condignè recipiantur, mul ta pecuniarum ſumma neceſſaria eſt, vt in præterito Iubilæi anno experiẽtia docuit; ideò Sũmus Pontifex, Illuſtriſſimi Cardinales, cæteriquè Vrbis Prælati, ac reliqui Magnates ampliſſimis eleemoſinis, largiſſimiſque pecuniarum, frumenti, vini, olei, cæterarumque rerum humano uſui neceſſariarum contributionibus ſuccurrere debent, ut prædictæ Confraternitates tantam prouinciam laudabiliter ad Dei gloriam, ad utilitatem animarum, ad Sedis Apoſtolicæ Romanæ honorem, ac tandem pro ſua, Vrbiſque Romanæ dignitate ſuſtinere poſſint: reliqua minutiora, quæ ordinanda erunt, prudentum iudicio relinquuntur.

CAPVT VNDECIMVM.

Curandum eſſe quocumque modo, vt Hæretici quoque ſacro interſint Iubilæo.

Prouerb. 24.
Quænam hominum genera diuerſis tẽporibus Eccleſiã Dei ꝓcipuè perſecuta fuerint.

EXCELSA *ſtulto ſapientia, in Porta non aperiet os ſuum.* Prouerb. 24. Quinq; genera hominum ex eccleſiaſticis hiſtorijs enumerare licet, qui Eccleſiam Sanctam varijs perſequutionibus, diuerſis tamẽ temporibus, inſigniter inſectati ſunt. Iudæorum primum, qui Eccleſiam in ſua infantia, & ortu perſequentes, primordia naſcentis Chriſtianę Religionis opprimere conati ſunt. Gentilium deinde, qui Chriſtianos exquiſitiſſimis, & acerbiſſimis tormentis crudeliter cruciarunt, uarijs in eos perſequutionibus excitatis, quas decem enumerat D. Auguſt. à Nerone vſq; ad Conſtantinum Magnum in lib. 18. de ciuitat. Dei. cap. 52. Præterea Hæreticorum, veritatem, & ſinceritatem fidei catholicæ impugnantium; tum ſchiſmaticorum, vnitatem Eccleſiæ diſcerpentium, & obedientiam vnius capitis, atque Paſtoris abijcientium: poſtremò malorum Chriſtianorum, integritatem, probitatemq; morum, quantum in ipſis eſt, diſſoluere, ac labefactare conantium.

D. Auguſt.

Hæreticorũ perſecutio inter omnes alias atrocior.

Inter hæc autem perſequutionum genera, nulla atrocior, & exitialior, quam illa, quæ ab Hæreticis infertur. Hęc enim ab initio naſcentis Eccleſiæ incepit, & per varios Hęreſiarchas peſtiferum, atque exitiale venenum falſæ doctrinę diffundentes uſque ad hęc tempora propagata eſt, & uſque ad finem ſęculi perdurabit. Vnde Apoſtolus 2. ad Thimot. 3. dixit, *Hoc autem ſcuote, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, in quibus erunt homines ſe ipſos amantes.* Et poſt multa dicit, *Qui reſiſtunt veritati, corrupti mente, reprobi circa fidem.* Dauid Pſalm. 79. de Hæreticis uineam Domini, ideſt, Eccleſiam deuaſtantibus, ſic dicit, *Exterminauit eam Aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam;* & apud Iohelem, cap. 1. dicitur. *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis, & innumerabilis, dentes eius, ut dentes leonis, & molares eius ut catuli leonis. Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit: nudam ſpoliauit eam, & proiecit, albi facti ſunt rami eius.* Quę uerba D. Hieron. ſecundum ſpiritualem intelligentiam etiam de Hæreticis accipienda eſſe dicit. Surrexit enim contra Eccleſiam gens fortis robore, & potentia huius ſęculi, ut Iudęi, Tyranni, & Imperatores idololatrę, Hęreſiarchę, Turcę, cęteriq; infideles, ac denique ipſe Antichriſtus copijs Tartarórum ſuccinctus in pręlium magnum deſcendet: quę ultima perſequutio Apocal. 20. ſub nomine Gog, & Magog apertiſſimè demonſtratur, de quorum etiam innumerabili multitudine inquit Dauid Pſal. 68. *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Occupant autem ſatis magnam orbis Chriſtiani partem Hęretici; quorum dentes meritò dentibus leonis comparantur; quoniam magna potentia, armis, uiribus, atque fallacijs inſtructi ſunt ad nocendum, & uineam Domini, ideſt Eccleſiam in deſertum adducunt, ut hodie Caluinus exterminat in multis Re-

2. Thim. 3.
Pſal. 79.
Iohelis 1.
D. Hiero.
Apocal. 2.
Pſal. 68.
Impietas, atque ſumma puerſitas hæreticorum.

gnis vineam Chriſti. Cuius etiam vineę vites quàmplurimas Lutherus inſignis uaſtator Eccleſię exuriт;ficus decorticat, cùm plurimos magiſtros, Doctores,ac Religioſos peruertit;denique hi omnes ſpoliant ſanè Eccleſiã, cùm res ſacras ludibrio,& contemptui habent,templa prophanant, altaria deſtruunt,ſacras imagines confringunt,ac delent, Sãctorum corpora comburunt,uel eorum reliquias conculcant, Sacramenta contemnunt, vaſa diuino cultui conſecrata ad impuros, & flagitioſos uſus conferunt, bona eccleſiaſtica dilapidantur, monaſteria demoliuntur, Virgines Deo dicatas proſtituunt, Sacerdotibus illudunt, Monachis ſubſannant,ſacras Scripturas corrumpunt,eorumq; verba ad iocos,& ad ſchommata ſceleratè detorquent,ac demum omnem cultum, externasq; eccleſiaſticas cęremonias,tanquam verè ficum decorticantes, damnant, ut re vera Eccleſia ferè nudata relinquatur,eiusque rami albi facti exareſcant. Mandunt enim Hęretici arborum cortices, & herbas, ut Iob.30. dum Eccleſiam Sacramentalibus, immò Sacramentis ipſis expoliant. Quocircà meritò locuſtę aſſimilantur, de qua Iohelis 1.dicitur, *Reſiduum erucæ comedit locuſta.* Sicut enim locuſta corrodit omnia ligna, & fruges, quę in agris germinant; ſic Hęretici omnia Sacramenta, cunctasq; canonicas ſcripturas rodunt, comminuunt, lacerant, atque peruertunt. De fumo enim putei, ideſt infernalis, & ſathanici conſilij, exeunt locuſtę, ideſt Hęretici in terram ad nocendum, Apocal.9.

Iob 30.

Iohel 1.

Apocal.9.

Hvgo Sancti Victoris allegoricè exponens verba illa Iohelis; *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo;* appoſitè in his quatuor excogitauit, ſignificari quatuor Eccleſiæ perſequutiones, quæ primò ab idolatris, ſecundò ab Hæreticis, tertiò à malè, carnaliterq; viuentibus Chriſtianis impugnata eſt,& impugnatur, quartò ab Antichriſto ſæuiſſimè impugnabitur. Idololatra enim erucæ comparatur, propter ſpurcitiam, & varietatem Idololatriæ. Hæretici verò locuſtæ dicuntur propter volatum ſcientiæ, agilitatem ingenij, elationem ſuperbiæ. Carnales verò Chriſtiani bruchi nomine deſignantur propter æſtum,& immunditiam carnalis concupiſcentiæ. Antichriſtum verò rubigo ſignificat propter immanitatem ſæuitiæ. Rectè quoque Hæretici locuſtæ comparantur. Sicut enim illæ *in ſepibus concidunt in die frigoris; cum autem ſol ortus fuerit, auolant, nec locus cognoſcetur earum, ubi fuerint.* Nahum. 3. ſic Hæretici dogmatibus inanium Philoſophorum inhærentes, atque in frigidis corruptæ naturæ rationibus perſiſtentes, cùm ſol veritatis catholicæ oritur; & per euangelicam prædicationem eis proponitur, euaneſcunt, & abeuntes tacent. Vnde rectè ſapiens de illis dixit, *Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum.*

Expoſitio loci Iohel 1. allegorica ex Vgon. de Sãcto Victore.

Hæretici aſſimilãtur rectè locuſtis.

Nahum 3.

Qvis enim Hæreticorum non confundetur, dum maximè vniuerſalem gentium omnium concurſum in Anno Sacro Romam properantem conſpicit? Quis eorum non erubeſcet, dum Gallos, Hiſpanos, Germanos, Polonos, Anglos, Pannones, Dalmatas, Aſiaticos etiam non paucos, atque extremos Orientis, Occidentiſque cultores, ipſoſque pedibus noſtris ſubiectos Antipodas, Romani Pontificis pedes humiliter ad terram uſque proſtratos oſculari cernit? Quis denique pertinaciam, temeritatem, & audaciam non deponet, dum ſummum Eccleſię Pręſulem in Porta Sancta ſedentem intuetur? taceant profectò à tanta maieſtatis gloria oppreſsi,& os ſuum in porta non aperiant, contraque Iubilęi ianuam non oblatrẽt; cum pro illis quoque aperiatur, ſi ſuos errores deteſtantes, ad gremium Romanę Eccleſię reuerti uoluerint: neminem enim eijcit Eccleſia, omnes uerè reuertentes ſuſcipit; ſinum ſuum nemini, etiam ſi ſępè relapſus ſit,(dummodo non fraudulenter accedat) claudit, omnibus obuias manus porrigit, quin omnes ad ſalutis ſpiritualis ſtudium euocat, omnibus illud Apoſtoli inclamat, *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.*

Confuſio Hæreticorum in Anno Sãcto.

Conſueuit ſanè Eccleſia Romana Hæreticos relapſos non ſine longo examine, ac diuturna probatione recipere, præſertim illos, qui ſimulationis, ac fraudis vehementi ſuſpicione laborant. Sic Innocentius Pelagium etiam in Concilio Palęſtino

Conſuetudo Eccleſię circa Hæreticos relapſos.

n

lęſtino

læſtino abſolutum, & Epiſtolis Synodalibus tamquam Catholicum commenda
tum reiecit, quem poſtea Zoſimus ſucceſſor Innocētij, eius ſallacia, & ſimulatio-
ne detecta, cùm Cęleſtino eius ſocio, tamquam doloſos, fucatosq; pœnitentes ab
Eccleſia reſpuit. Sic Sixtus lupum illum rapacem, Iulianum nempè, Pelagianorū
Anteſignanum, fidem catholicam ſimulantem in ouile Chriſti meritò recipere
noluit. Vndeapud Eccleſiam Oriētalem Synodali Canone, qui in Photij Biblio-
theca ſeruatur, cui etiam inter cæteros Epiſcopos Siſinnius Cōſtātinopolitanus
Epiſcopus, & Theodotus Epiſcopus Antiochenus viri clariſſimi ſubſcripſerunt,
rectè ſancitum ſuit; nè Meſſaliani Hæretici ſæpè recepti, & ſępè relapſi crebrò Ec
cleſiam Catholicam deludentes, ullatenus amplius reciperentur, etiam millies
pœnitentiæ libellis oblatis, quòd ſcilicèt cuncta illi agerent ſimulatè: ſola enim
fictione diuinę clementiæ ſontes exareſcunt, ob quam pręcipuè Simon Magus,
Ananias, & Saphira, apoſtolico gladio percuſſi ſunt. Igitur aliquando Eccleſia
vt horum verſipellium hominum condtionem cognoſcat, optimè agit, ſi cum il-
lis repulſam ſimulat, vt hac arte cautiùs experiatur, fictè ne, vel ſimulatè accedāt.
Qui enim verè, atque ex corde pœnitentes ſunt etſi ſæpiùs ab oſtio Eccleſiæ re-
pellantur, non ceſſant pulſare, ut illis fores Eccleſię aperiantur, inſtantiùs petunt,
in dies efficaciora ſigna conuerſionis oſtendunt, feruentiùs peccata ſua deplorāt,
ac tamquam filij verè, non fictè, ſinum matris deſiderantes, inuicta perſeuerantia
fores Eccleſiæ ſibi aperiri contendunt; hac induſtria repulit Dominus mulierem
Matt. 15. chananeam, ut eius magnæ fidei propter nos experimentum ſaceret, Matth. 15.
ſic etiam diſcipulis peregrinantibus finxit ſe longius ire, ut eorum amor erga ip-
Simile. ſum certior, & vehementior appareret; ſic ſæpè pia mater panē filijs petētibus ab
negat, & refugit, ut prouocet eos ad ſecum longiùs progrediendum, atq; ita dul-
cedinem amoris in eo oſtendat. Vult quidem pia Mater Eccleſia Hæreticos reci-
pere; ſed numquam, quoad fieri poteſt, vult ſalli.

D. Auguſtini doctrina de recipiēdis hęreticis. DIVVS Auguſtinus admirabilem diſciplinam tradit in lib. 2. retractationum
cap. 56. quę etiam in Epiſtola 101. habetur, de recipiendis Hęreticis; alio videli-
cèt modo agendum eſſe cum illis, qui recenter in hęreſim lapſi ſunt, nempè maxi-
Ad Galat. 6. ma lenitate, manſuetudine, ac dexteritate, juxtà illud Apoſtoli ad Gal. 6. *Si præoc-
cupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpi-
ritu lenitatis.* Vnde cum ipſe Auguſtinus Epiſcopum quemdam in Antropophor-
mitarum hęreſim delapſum duriùs, ac ſeueriùs reprehendiſſet, in alia deinde Epi-
ſtola ad eum miſſa mitiùs egit, eum rogando, ac commonendo. Cū illis verò Hę-
reticis, qui penitùs obduruerunt, ac pertinaci obſtinatione diù in hæreſi inuetera-
uerunt, ſeueriſſimè tractandum eſſe; immò vi etiam compellendos eò redire, un-
dè exierunt, ſæpiſſimè idem Auguſtinus docet; ſic enim ſcribit in Epiſt. 48. *Putas,
neminem debere cogi ad iuſtitiam, cùm legas, patrem familias dixiſſe ſeruis, quoſcumque
inueneritis, cogite intrare? cùm legas etiam ipſum primò Saulum, poſtea Paulū, ad cogno
ſcendam, & tenendam veritatem magna uiolentia Chriſti cogentis eſſe compulſum?*
Sic ille, & rurſus in Epiſt. 50. *Vbi eſt,* inquit, *quod iſti clamare conſueuerunt; liberum
eſt credere vel non credere? cui vim Chriſtus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum
Apoſtolum: agnoſcant prius in eo cogentem Chriſtum, & poſtea docentem, prius cæcitate
ferientem, & poſteà verbo veritatis conſolantem.* Mirum eſt autem, quomodo ille,
qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui ſolo
uerbo vocati ſunt, in Euangelio laborauit: neque uerò Hæreticos etiam relapſos,
dum ad Eccleſiam redire compellimus, virga ad fidem illos cogimus, ſed eorum
Iuſtè hæretici puniuntur. perfidiam, & Apoſtaſiam caſtigamus, & ad hæreſes diſſeminandas viam præcidi-
D. Auguſt. mus. Vnde D. Auguſt. lib. 2. cap. 83. contra lit. Petil. ſic egregiè ſcripſit. *Ad fidem
nemo cogendus eſt, ſed perfidia caſtiganda eſt; mores optimi libertate voluntatis eligun-
tur; tamen mores peſſimi legis integritate puniuntur.* Quæ igitur aduerſus Hæreticos
leges conſtituuntur, non per eas benè facere coguntur, ſed malè facere prohiben-
tur. Quid? quòd cùm hæreſis crimen æterna morte dignum ſit, etiam temporali
iuſtè puniri aſſerendum eſt, vt argumentatur idem Auguſtinus lib. 1. contra Par-
men. cap.

men.cap.7.ſic ſcribens, *Iuſtè Hæretici patiuntur* (de mortis paſſione loquitur) *cùm ex altiſſimo Dei præſidentis, & ad cauendum æternum ignem talibus flagellis admonentis iudicio patiuntur, & merito criminum, & ordine poteſtatum*: Et poſt pauca; *Cur in veneficos vigorem legum exerceri iuſtè fatentur, in Hæreticos autem, atque ſchiſmaticos impias diſſenſiones nolunt fateri, cùm in eiſdem iniquitatis fructibus, auctoritate Apoſtolica numerentur?* & li.2.cap.23.cõtra Petil. *Si ſchiſma*, inquit, *feciſti, impius es; ſi impius, vt ſacrilegus morieris, cùm pro impietate puniris*. Quid clarius? preterquam quod ratio iuſtitiæ exigit, ut ob maius malũ vitandum, minus iuſtè infligi poſſit; at qui maius damnum hæreſis eſt, quàm mors corporalis; maior item iactura eſt, animas occidere, quàm corpora. Vnde Auguſtinus contra Parmen. Donatiſtam lib. 1.cap.7. *Nihil*, inquit, *tale Hæretici patiuntur, quale faciunt: niſi quia hominum multitudo non in corde cor habet, ſed in oculis: nam ſi ſanguis exit de carne mortali, quiſquis aſpicit, exhorreſcit; ſi à pace Chriſti præciſa anima in hæreſis ſacrilegio moriuntur, quia non videtur, non plangitur*: Porrò Hæreticos obſtinatos, atque in diebus malis inueteratos haud mitiùs tractandos eſſe, exemplum Neſtorei decet, qui cum benignè tractatus fuiſſet; in monaſterio enim ſuo ſancti Euprepij dicto liberè agere, & quibuſcum uellet conſuetudinem habere permiſſus eſt: nonnulli deinde minoris pœnæ timore non territi, certamẽ pro eo inierunt, vt refert Cardinalis Baronius to. 5. anno Chriſti 433. Verùm flagella à Deo immiſſa, & præſertim triduanum incendium Conſtantinopolitanæ Ciuitatis, declararunt, quantopere perniciosum fuit, damnatum Neſtoreum permittere liberè inter Catholicos agere. Ità verò conſuetudo eccleſiaſtica habet, ut omnibus verò pœnitentibus brachia adaperiat, & eos unicè complectatur: nec enim mater Eccleſia in perditione morientium, uel filiorum periclitantium iactura delectatur, atque in ſacro Iubilæi Anno auſteritatis, acerbitatiſque uia derelicta, per ſemitas manſuetudinis, miſericordię, atque clementiæ incedens, eos per publica edicta, per Sacri Iubilęi indictionem, per ſacri Anni celebritatem ad ueniam, emendationem, & pœnitentiam inuitat; ſic olim, vt Tertullianus in lib. de pudicitia refert, publicis affixis edictis, delinquentes ad ueniam inuitare cõſueuit; ſic imagines Paſtoris ſuper humeros ouem portantis in ſacris uaſibus exculptas, uel pictas ante oculos proponere ſolebat, ut faciliùs ad pœnitentiam improbi allicerentur. Sic hodie ſummus omnium Chriſtianorum Pater in Porta Sancta ſedens, vultum ſuum benignè etiam ad Hæreticos reſipiſcentes conuertit, ut tandem in Romanum ouile per oſtium, quod Chriſtus eſt, illos introducat ad ſuauiſſima paſcua catholicę ueritatis deguſtanda. Eſt planè Eccleſia in Anno ſacro tota in hoc poſita, vt benignitatem, manſuetudinem, atque clementiam etiam in ſuos hoſtes oſtendat, dummodo illi nõ doceant, uel ſeducant: quę ratio benignitatis in præterito Iubilęi Anno pleroſque Hęreſiarchas, alioſque inſignes Hęreticos, qui tunc temporis Romam acceſſerant, abiuratis, deteſtatiſque hęreſibus, ad veritatem catholicam amplectendam adduxit; quod etiam in hoc proximè aduentanti Anno ſacro (Dei gratia) futurum ſperamus. Redeant, obſecro, ad cor Hæretici, & ſcelerum ſuorum grauitatem attentè perpendant, ut ſic neceſſitatem pœnitentię, & remiſſionis ſibi incumbere omninò deliberent; conſiderent ſe extra ouile Catholicę Eccleſiæ eſſe, extrà quam non eſt ſalus, vt ſic ad illam hoc pręſertim anno, in quo per materialis Portę apertionem inuitantur, ingredi contẽdãt: ſi hęſitent de ueritate Iubilęi, Romam accedant, & in Porta non aperient os ſuum; doctrinis enim ſacris, argumentis ſanctorum Patrum, ſolidiſſimęque Petrę, ideſt Romanæ Cathedrę cædere illis neceſſe erit: ſi de antiquitate Iubilæi dubitent, accedant Romam, & in Porta non aperiẽt os ſuum; ſilentio enim linguam inuoluent, immò lingua faucibus eorum omninò adhęrebit, dum antiquiſſima Iubilęi monumenta conſpicient; quę oẽm dubitationem repellere ex corde animis neceſsè omnino ſit. Si de peregrinatione ſuſcipiẽda ambigant, Romã ſe conferant, & ibi in Porta non aperient os ſuũ, cùm oium nationum, quę ad Vrbẽ ſacri Iubilęi cauſa ſuſcipiendi progrediuntur, quaſq; elapſis ſęculis ad eãdem ueniſſe uariorũ monumentorũ teſtimonio cernent, cõfundentur,

D. Auguſt.

Baron.

Pietas Eccleſiæ in oibus pœnitentibus recipiendis.

Tertull.

Clementia Eccleſiæ in Anno ſancto etiã ergà ſuos hoſtes.

ibique

ibique maiores fortaſſe ſuos,proauos,abauos uel literis, vel pictutis notatos repe rient;qui uel in centeſimo,uel in quinquageſimo,uel in uigeſimoquinto Anno Iu bilæi gratiā,ſumma cū pietate,inſigni fide,feruidaq; religione ad Vrbem cōfluxe runt; eorum exempla imitentur, illos interrogent, qui etſi non uerbis, cum è uita diſceſſerint,operibus tamen,atque exemplo reſpondebunt,ipſos quoque, ut legi- timos hęredes,eorum fidem,ac ueſtigia ſequi debere. Numquid Pater condemna bit filium? Numquid Auus nepotem,uel Proauus Pronepotem corripiet? D.Pau

2.Thim.1. lus 2.ad Timoth.cap.1.contra hos aurea hęc uerba ſcribit. *Recordationem accipiēs eius fidei,quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua*

D.Hieron. *Eunice,certus ſum autem,quòd & in te*,& D.Hieronymus dixit, *illam ſenex teneb{o} fi- dem,in qua puer natus ſum*.

Verę fidei no tæ. Profectò antiquitas Doctrinę, uetuſtas religionis, priſcorumque rituum uſus, & traditio catholicę ueritatis, ueręque fidei certiſſimę notę ſunt: ſicut etiam noui- tas doctrinę,dogmataque recenter excogitata,& conficta hęreſum,nouarumque religionum inſignia ſunt. Hoc argumento ab antiquitate ſemper ueteres Patres

Tertull. aduerſus Hęreticos uſi ſunt ad demonſtrandam ueram Eccleſiam; ità Tertull. in libro de pręſcriptionibus ſcribit. *Quis eſtis vos,vnde,& quando veniſtis,vbi tam diu latuiſtis?* & in lib.4.aduerſus Marcioniſtas ſic habet, *Ego meum Euangelium dico ve- rum, Marcion ſuum: quis inter nos determinabit,niſi temporis ratio ei præſcribens auctori tatem,quod antiquius reperietur, & ei praiudicans uitiationem, quod poſterius reuince- tur. Inquantum enim falſum eſt corruptio veri,in tantum pracedat,neceſſe eſt ueritas fal*

Optatus. *ſum*. Optatus lib.2.contrà Parmenianum, in eamdem ſententiam ſic ſcribit; *Ve- ſtra Cathedra originem oſtendite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vendicare*. D.

D.Cyprian. Cyprianus in lib.de unitate Eccleſię huiuſmodi notam aduerſus ſui temporis Hę reticos animaduertit; *Conſtat*, inquit, *Nouatianos cum corpore Eccleſia non conueni- re,non enim nos ab illis,ſed illi à nobis receſſerunt, & cum hæreſes, & ſchiſmata poſtmo- dum nata ſunt,dum conuenticula ſibi aduerſa conſtituunt,ueritatis caput,atque originem reliquerunt*.intelligens per ueritatis caput,atq; originem ipſam Eccleſiam Catho licam; unde paulò inferius ſubdit, *Rami arboris multi,ſed robur vnum tenaci radice firmatum; ſic Eccleſia ramos ſuos in vniuerſam terram extendit. Vnum tamen caput eſt,*

Optatus. *& origo vna*.Idem Optatus contra Parmen.lib.1.Hæreticos à Catholicis ex ratio ne nouitatis diſcernens.*Videndum*,inquit,*quis in radice cum toto Orbe manſerit,quis foras exierit, quis Cathedram ſederit alteram, qua ante non fuerit, & quis altare con-*

D.Hilar. *tra altare erexerit*. Diuus Hilarius libro ſexto de Trinitate, circà medium, nouos magiſtros irridet, ſic ſcribens; *Tarde mihi hos pijſſimos Doctores atas nunc huius ſaculi protulit, ſerò hos habuit fides mea, quam tu erudiſti magiſtros; inau-*

Greg.Nazianzenus. *ditis ergò his omnibus in te credidi, &c.* Gregorius Nazianzenus in Epiſtola ſe- cunda ad Cledonium, eodem modo aduerſus Apollinariſtas agit; *O miram*, in- quit, *abſurditatem; abſconditam poſt Chriſtum ſapientiam nobis annunciant. Res la- chrymis digna. Si enim triginta his annis fides originem habuit, cùm 400.ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Chriſtus palàm conſpectus eſt, inanis tanto tempore fuit Euange- lium,inanis etiam fides noſtra, & Martyres quidem fruſtrà martyrium ſubierunt, fru- ſtrà etiam tales,tantiq; Antiſtites populo præfuerunt*,Cui ſentētię addēda ſunt,quę D.

D.Hieron. Hierony.in Epiſt.ad Pammachium,& Oceanum cōtra Origeniſtas ſcribit. *Quis quis*,inquit, *aſſertor es nouorum dogmatum, quaſo te, ut parcas Romanis auribus, par- cas fidei, qua apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus, uſque in hanc diem ſine veſtra iſta doctrina Chriſtianus mundus fuit*.Idem in fine Dialogi contra Luciferianos ait; *Breuem tibi,aperiamq; animi mei ſententiam proferam; in illa Eccleſia eſſe permanendum; qua ab Apoſtolis fundata vſque ad hanc diem durat. Alij verò omnes hoc ipſo, quòd poſtea inſtituti ſunt; Hareticos*

D.Auguſt. *ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pronunciauit*. Lege Diuum Auguſti- num de Symbolo ad Cathecumenos, libro primo, capite quinto, & lib. contrà Epiſtolam fundamenti cap.4. vbi antiquitatem inter notas Eccleſiæ enumerat. Sicut enim Deus antiquior eſt Diabolo, ſic vera Eccleſia falſam vetuſtate antece

dit, ut

Tertull. D. Auguſt. Irenæus.

dir, ut Tertull. in apologetico cap. 19. & 20. & Diuus Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 37. & 38. Sed Sanctus Irenæus vetuſtiſſimus ſcriptor omnium accuratiſſimè contra Valentinianos, & Marcioniſtas rem hanc explanat in lib. 3. cap. 4. dum profert hęc verba: *Non fuit apud eos congregatio, neque doctrina aliqua inſtituta, Ante Valentinum enim non erant, qui ſunt à Valentino; neque ante Marcionem, qui ſunt à Marcione;* Et poſt pauca *omnes hi poſteriùs, mediantibus iam Eccleſiæ temporibus, inſurrexerunt in ſuam Apoſtaſiam*. Nec Caluini reſponſio aliquid valet, dum affirmat, ſuam Eccleſiam eamdem eſſe, quam Chriſtus fundauit, ac proinde antiquiſſimam; non tamen eſſe viſam per multa tempora, nunc autem tandem erupiſſe. Sed eo argumẽto, quo D. Auguſtinus contra Donatiſtas lib. 3. de Baptiſmo, cap. 2. utitur, reſponſio hæc euaneſcit; *Aut enim, inquit, eius Eccleſia, quæ nunc apparuit, antea perierat, & nunc reſurrexit; aut non perierat, ſed tantùm latuerat, & nũc caput extollit; nõ primũ, quia ipſi renaſci nõ potuiſſent, ſi mater perierat; ſi perijt, unde* inquit Aug. *Donatus apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo cælo cecidit?* Nec ſecundũ, quia ſi latebat, quõ fidem ſuam profitebatur. Confeſſio. n. eſt veræ Eccleſiæ ſignum, iuxtà illud Pauli, *Ore confeſſio fit ad ſalutem*. Vnde uel iſta Eccleſia latens nulla eſt, uel ſi eſt, manifeſta eſſe debet; & ſi tamdiù latuit, non ne peior, & miſerabilior Eccleſia fuiſſet ipſo populo Hæbræorum? Iudęi enim etiam poſt excidium Hieruſalem ſuas habuerunt Synagogas, vbi ritus exercuecuerunt, ut videre eſt apud Diuum Gregorium lib. 7. Epiſt. 5. & moderna experientia docet. At latẽs Caluini Eccleſia per mille ferè annos, nec unum angulum terræ habuit, ubi ſuos actus religionis exerceret, immò cùm in diuturna captiuitate fuiſſet, ſine templis, ſine ſacrificijs, ſine Epiſcopis, immò Idolis ſeruiens, Deosq; alienos adorans, miſerior ipſis Iudæis cenſenda fuiſſet. At vbi eſt gloria maior huius ſecundę, quam primę? quomodo Chriſti pollicitatio firma extitiſſet, qua dixit, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi?*

Obiectio quædam Caluini diſſoluitur.

D. Auguſt.

D. Gregor.

Tertull.

Concludendum eſt igitur, ueteres mores, antiquamq; doctrinam amplectendam eſſe, quam Patres noſtri docuerunt. Vt enim rectè docet Tertullianus in lib. de præſcriptionibus contra hæreticos cap. 31. *Ex hoc enim quod bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum primò conſtituitur, auenarũ autẽ ſterilis feni adulteriũ ab inimico Diabolo poſteà ſuper ducitur, ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe dominicũ, & uerum, quod ſit prius traditum; id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſũ.* Quid ergò, an non Iubilæi celebratio antiquiſſima eſt, cùm Bonifacius atteſtetur, antiquorum & annoſorum virorum fidam relationem habere, centeſimo quoque anno confluentibus ad Baſilicam Beati Petri, magnas peccatorum remiſſiones conceſſas eſſe? Non id Bonifacius adinuenit, ſed annoſi illi, ac centum annorum diuturnioriq; ætate viri quamplures teſtimonio ſuo confirmarunt; nec ab aliquo Sacerdote, vel Epiſcopo miſſi, ſed uetuſtiſſima traditione inſtructi ſua ſponte Romam petierunt. At numquid tot Sacerdotes prędeceſſores noſtros condemnabimus? numquid vniuerſum Orbem erraſſe dicemus? Sic Hilarius in libro de Synodis, aduerſus Arrianos diſputabat; *Cogitemus tot Sacerdotes ſanctos, & iam quieſcentes, quid de nobis Dominus iudicabit, ſi nunc anathematizentur à nobis?* Verũ accedant hi ad Dominum, & illuminabuntur, proficiſcantur Romam, & ibi depoſita ſuperbia, atque obſtinatione, catholica veritate conuicti in Porta non aperient os ſuum.

Celebratio Iubilei antiquiſſima.

D. Hilar.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

Quòd omnibus Chriſtianis enixè curandum ſit, vt ſacro interſint Iubilæo.

Hominis verè Chriſtiani partes.

DECET Chriſtianum hominem multa in Dei cultu, atque obſequio, uel
etiam in propriæ ſalutis ſtudio, ex voluntaria pietate, & ſpõtanea de
uotione offerre: nec enim ea duntaxat, quæ Deo debentur, exequenda
ſunt, ſed etiam pleraq; ultrò facienda, quæ aliàs non debita ſunt,
vel ex conſuetudine Chriſtianorum, uel ex pio quodam propriç deuotionis affe-

Simile.

ctu Deo offerenda. Etenim quemadmodum in domibus, ubi habitamus; in men-
ſis, uel cibis, quibus paſcimur: in veſtitu, quo operimur, non ſolum neceſſitatem
ſpectamus, uerum etiam honeſtatem, ornatum, urbanitatem, commoditatem: ſic
quoque in Dei obſequio non ſolùm ijs, quæ neceſſitatis, & obligationis ſunt, con

Summa B. Virginis, & Chriſti religio.
Luc. 2.
Exo. 34.

tenti eſſe debemus, ſed multa quoque ex uolunaria deuotione addenda. Sic Bea-
ta Virgo cum puero IESV Hieroſolymam aſcendit ad feſtum diem cohoneſtan-
dum, Lucæ 2. quamuis enim Ioſeph ex præcepto legis, quæ Exodi. 34. iubebat,
ut ter in anno omne maſculinum in templo coràm Domino præſentaretur, (quo
rum temporum præcipuum erat Paſcha) aſcenderit Hieroſolymam, & debitam
hac in re deuotionem præſtiterit; Beata Virgo tamen, & puer IESVS; cum nec mu
lieres, nec paruuli lege illa obligarentur, uoluntariam deuotionem oſtenderunt,
dum ſecundùm conſuetudinem diei feſti ex Galilæa Hieroſolymam contende-
runt. Erat ſanè hæc via ſatis longa, ut quæ ferè 30. milliaria contineret, quod ſpa
cium ab iter agentibus 10. horarum interuallo confici ſolet. Nec ob itineris lon-
gitudinem, uel laborem prętermiſerunt deuotionis tantùm cauſa ad huiuſmodi
feſtum accedere. Sic Chriſtianos decet facere, ut ad pia opera, ad ſanctas peregri
nationes, ad Indulgentias acquirendas; ad Sacramentorum frequentationes, ad
eleemoſinas erogandas, etiam ſi nullo præcepto, uel obligatione obſtringantur,
prompti, & parati ſint.

Bona opera non ex metu pœnarũ ſunt facienda.

Nec expectandæ ſunt cenſuræ eccleſiaſticæ, aut excommunicationis virga ad
hoc, vt homo bonum aliquod operetur; nec articuli extremæ neceſſitatis, vt elee-
moſinæ diſtribuantur: nec dies feſti, ut ſacrum, vel diuinum verbum audiatur: eſt

Seruilis timor.

enim id proprium ſeruorum, qui timore commouentur, ac flagelli metu, & tor-
menti formidine omnia peragunt: eſt proprium Iudęorum, qui veteris teſtamen-
ti filij ſunt, huiuſmodi affectum ſeruilem habere. At nunc, ut dicit Paulus ad Ro-

Ad Roma. 6. & 8.

manos 6. & 8. noui teſtamenti filij effecti liberè ſeruimus Iuſtitiæ, nunc iuſto lex
non eſt poſita, nunc ſpiritum adoptionis filiorum Dei accepimus, in quo clama-

Ioan. 1.
Ad Galat. 4.

mus Abba pater. An non Chriſtianus filius Dei dicitur Ioan. 1. & ad Galat. 4.?
at filius patris præcepta expectare non debet, ſed quod Parentibus gratum, ac iu-
cundum fore exiſtimat, alacriter exequi. An non Chriſtianus, ciuis, & domeſti-

Matth. 28.
Ad Epheſ. 2.

cus eſt Dei? immò & amicus, & frater Chriſti? Matth. 28. & ad Epheſ. 2. vt quid
igitur nihil boni faciat, niſi præceptum vel obligatio intercedat; niſi mortis eter-

Etiam ſerui multa faciũt, ad quæ non obligantur.

næ, aut damnationis periculo compellatur? At multa non ſolum filij ſed etiam ſer
ui ipſi præſtare debent, quæ iuſſu Domini non præſcribuntur. Ægro enim animo
famulũ aleret Dominus, qui nihil, niſi iuſſus faceret; immò moleſtiſſimus, atque
grauiſſimus Domino ſeruus ille cenſendus eſt, à quo nullum ſeruitium, niſi ui prę
cepti, uel minarum, & flagrorum terrore extorqueri poteſt. Dauid nullum à Deo

2. Reg. 7.

præceptum acceperat 2. Reg. 7. ut templum Domino ædificaret, vt arcam Dei in
domum ſuam inferret, ut ante illã diſcoopertus ſaltaret; quæ tamen omnia cum
maxima laude, tamquàm Deo gratiſſima, præſtitit, tantaque ſollicitudine animi
circà hęc premebatur, ut diceret, *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dor-*

Pſal. 131.

mitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Pſal. 131. Fuit

Magda-

Magdalenę obſequium,& pia deuotio ergà Chriſtum ſummopere commendata,
Lucæ 7. dum Simoni Phariſæo Chriſtum ad cœnam excipienti, nec huiuſmodi Luc. 7.
obſequia exhibēti dictum fuit, *Aquam pedibus meis non dediſti, caput meum oleo non*
unxiſti; hæc autem,ex quò intraui,non ceſſauit oſculari pedes meos. Similiter laudauit
Dñs Viduam illam,quę duo minuta in gazophylacio poſuit;& D.Paulus prom-
ptum animum Corinthiorum ergà miniſterium in Sanctos 2. Corint. 9. ſed ſicut 2. Cor. 9.
Michol filia Saul deſpexit in corde ſuo Dauidem ſaltantem ante arcam coràm
Domino 2. Reg. 6. ſic Hæretici, quorum typum illa gerebat, piorum deuotiones 2. Reg. 6.
irrident. Quocircà mirandum non eſt, ſi ſteriles fiant,& nullum pietatis Chriſtia-
nę partum,ac fructum edere poſſint: eam enim ob cauſam,ut inquit ſcriptura, *Mi-*
chol non eſt natus filius uſque in diem mortis ſuę.

Certè ipſemet Chriſtus ad hanc ſpontaneam deuotionem nos commouet,
dum Lucę 6. dixit, *Qua menſura menſi fueritis, remetietur uobis.* Et Paulus 2. Corin. Luc 6.
6. *Qui parcè ſeminat, parcè metet,& qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus et* 2. Cor. 6.
metet. Qua enim fronte rogabit quis Deum,ut non intret in iudicium cùm ſeruo Chriſti cle-
ſuo. Pſal. 142. ideſt ne ex rigore legis nos iudicet, quando ex rigore legis cum mētia nos ad
Deo agere audemus,nec alia obſequia, niſi quæ lege præcipiuntur,ei præſtare vo deuotionem
lumus? At quæſo cur Deus peccantem ſuſtinet? Cur illum patrato peccato non in prouocat. Pſal. 142.
profundum demergit? certè ut eius non debita miſericordia,& ineffabilis elemen
tia ergà hominem appareat. *Miſericordia enim Domini*, inquit Hieremias Thren. 3. Thren. 3.
quòd non ſumus conſumpti. Igitur Chriſtianum quoque erga Deum obſequia,quæ
aliàs non debentur,præſtare decet;iudicium enim ſine miſericordia fiet ei,qui nō
fecit miſericordiam,& profectò illud in auribus Chriſtianorum ſemper inſonare
deberet, *Miſerere animæ tuæ,placens Deo.*

Quiſquis enim ad Iubilæum ſuſcipiendum non accedit,an non crudelis,ac ini- Qui Iubilæū
micis in ſe ipſum iudicandus eſt? vinctus eſt,& in captiuitate poſitus, nec à ſeruitu nō ſuſcipit in
te eximi contendit; immò eum, qui vltrò, ac gratis prætium ad redimendum of- ſeipſum cru-
fert,ſpernit, atque cum ingratitudine maxima eius gratiſſimam voluntatem exci delis eſt.
pit. Quod ut clarius fiat,ſit Rex v.g. ditiſſimus,ac munificentiſſimus,qui omnibus Simile.
ſui Imperij Regnis,atque Prouincijs,miſſis nuncijs,ſignificet, ſe locupletiſſimum
pecuniarum coegiſſe Theſaurum eo animo, ut omnibus ſubditis, qui ære alieno
obſtricti ſunt,tantum gratis,ac benignè tribuat,quantum pro illis ſoluendis opus
ſit,ea tamen adiecta cōditione,ut ſtata die ad Regiam Ciuitatem,in qua Theſau-
rus offerendus ſit, vnuſquiſque conueniat. Quis profectò tam ignauus,tam iners,
ac ſtultus ſit, qui ad Vrbem illam quantociùs non properet, quò regio beneficio
ad ſui commodum,cunctorumque debitorum ſolutionem vtatur? Sic Summus
Eccleſiæ Rex, Pontifex Romanus,omnibus mundi partibus Sacrum Iubilæum
Romæ ſuſcipiendum in Anno Sacro per ſuos nuncios intimat, ærarium Eccleſia
ſticum ad peccatorum debita ſoluenda cuicumque indigenti proponit. Quis tam
erit inſanus,ut ſuæ neceſſitatis oblitus, Romam, vbi illius diſtributio parata eſt,ac
cedere prætermittat? Cogitandæ ſunt purgatoriæ pœnæ,earumque grauitas,atq;
acerbitas expendenda, vt per ſuauem Indulgentiarum acquiſitionem illarum du
ritiem euitemus. Sic Scriptura nos hortatur Eccleſiaſtici 9. *Quodcumque poteſt fa-* Eccleſ. 9.
cere manus tua,inſtanter operare, ſcilicèt,ut pœnam peccatis tuis debitam in futuro
ſæculo exoluendam euites;& ſequitur, *Quia nec opus,nec ratio,nec ſapientia,nec ſciē*
tia erunt apud inferos, quò tu properas, hoc eſt, poſt hanc uitam nihil homo operari
poterit, nulla illum iuuabit aut ſapientia, aut ſcientia, ut opus aliquid faciat, per
quod pœnæ in illo ſæculo debitæ alleuientur; nec ullam miſericordiam illic inue-
niet. At forſitan dicet aliquis,qui ſe iuſtum, & ſapientem reputat,uel minimo,uel
nullo ſe debito obnoxium eſſe; quocircà ſe Iubilæi Theſauro non indigere. Stulta Stultum eſt
eſt hæc cogitatio,temerariaque prȩſumptio,nec ſanctitatem ſapit,ſed ſuperbiam, exiſtimare, ſe
& peruerſitatem; ecquis enim in hoc mundo ſine peccato uiuit? nonne *Septiès in* non indigere
die cadit iuſtus? Recogitet pro uno ſolùm mortali crimine longam, ac diuturnam Iubilæo.
pœnam in Purgatorio ſoluendam eſſe. Recolat,etiam uenialium pęnas ibidē per

ſoluendas, & ſaltem pœnam damni expendat, quę antequàm pęna ſenſus integrè perſoluatur, remitti non poteſt. Nec iſtos Soti opinio conſoletur, qui in 4. diſt. 19. quęſt. 3. art. 2. dixit, neminem in Purgatorio manere ad decem annos; cùm illę pœnę ſint intenſiſſimę, & in infinitum grauiores, quàm noſtrę. At tempus illud non miſericordię, ſed iuſtitię ſeueriſſimę erit; ità ut animę aliquorum Defunctorum etiam uſque ad diem Iudicij in Purgatorio manſuræ ſint, ut ex Beda li. 5. Hiſt. cap. 13. colligitur. Cur, rogo, probata conſuetudo Eccleſiæ habet, vt pro Defunctis ſacra celebrentur anniuerſaria, etiam ſi conſtet, eos ante centum, vel ducentos annos ex hac vita migraſſe, niſi vt nobis certiſſimè perſuadeamus, Purgatorij pęnas, vt intenſiſſimas, ſic etiam maximè diuturnas eſſe? Quòd ſi neque ob pœnę, vel ob culpæ conſcientiam quis ad Iubilæum ſuſcipiendum commoueatur, ſaltem ea ratione illum ſuſcipere debet, vt meritum illarum actionum, quæ pro illo acquirendo præſcriptæ ſunt, non deperdat. Si enim illi non proderunt, vt ſatisfactoriæ, vtiles profectò erunt, vt meritoriæ. Sed nonnè iucundiſſimum, atque homine Chriſtiano digniſſimum eſſet, paſſionibus Chriſti cum Apoſtolo aliquid addere, atque in ſacrum Eccleſię Theſaurum nonnullas inferre diuitias? Rectè in lege Moſaica, Exod. 16. ſcriptum fuit, *Qui pridie Sabbati non collegit, in Sabbato non comedet*. In die enim ſexta duo gomor, ideſt; duæ menſuræ Manna per ſingula capita populo colligendæ erant, eò quòd in ipſo Sabbato Manna in agro non reperiebatur, & qui ante Sabbatum duplicem menſuram nõ collegiſſet, in ipſo Sabbato, quod comederet non habebat. Sic Chriſtiani, niſi in pręſenti vita, quæ quaſi dies ante Sabbatum mortis eſt; (in ea enim peregrinamur à Domino 2. Corinth. 5.) duplicem mẽſuram collegerint, ſcilicèt mandata omnia ſeruando, & futuras pœnas per Indulgentias alleuiando, multaque alia bona opera, iuxtà vniuſcuiuſque talentum, vel facultatem faciendo, in futuro Sabbato requiem non inuenient. Relinquitur enim, vt ait Paulus ad Hæbræos 4. Sabbatum populo Dei; *Feſtinemus ergò*, inquit, *ingredi in illam requiem*. Vnde iterum ad Philippen. 4. idem ſubdit; *De cætero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque bona fama, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiuiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum*. Numquam enim à bonis operibus etiam aliàs non debitis ceſſandum eſt, ſed omnia tentanda, in quibus vel Deo placere, vel nobis, & proximo prodeſſe poſſimus, iuxtà illud Eccleſiaſtici 11. *Manè ſemina ſemen tuum, & veſperè ne ceſſet manus tua; quia neſcis quid magis oriatur, hoc, aut illud: et ſi vtrumque ſimul melius erit*; nec enim ſcimus, quęnam opera noſtra magis Deo ſint grata; quòd ſi vtraque ſimul, ſcilicèt, & hæc, & illa, tanto melius, ideſt tanto vberiorem laboris fructum recipiemus.

Sotus.

Pœnæ Purgatorij valde diuturnæ.

Beda.

Exod. 16.

2. Cor. 5.

Ad Hæbr. 4.

Ad Philip. 4.

Eccleſ. 11.

IGITVR vir probus omnes difficultates ſuperabit, itinerum labores, peregrinationum pericula, domeſticaque negocia nihili faciet, vt omnem induſtriam, atq; ſtudium ponat ad Sacrum Iubilæum conſequendum. Sic enim ſapiens hortatur, dum ait Eccleſiaſtici 11. *Qui obſeruat ventum, non ſeminat; & qui conſiderat nubes, numquam metet*. Exemplo nobis ſint tres illi robuſtiſſimi, ac fortiſſimi viri, qui aciem Philiſtinorum non timentes, per media caſtra perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quę erat in porta, quæ ubi ad Dauid allata fuit, eam Domino libauit. Sic Chriſtiani, vt aquam gratiarum, & remiſſionem ex ipſius Portæ Sanctæ quaſi ciſterna hauriant; nulla mala, nulla aduerſa, non gladium, non famem, non nuditatem, non perſequutionem timere debent; ſed forti animo, omni timiditate expulſa, ſanctam peregrinationem ſuſcipere, atq; ad Romanam Bethlehem accedentes, ex ciſterna meritorum Chriſti, & Sanctorum aquas Indulgentiarum, in ſuorum peccatorum ſolutionem, Deo offerre debent.

Pro Iubilæo conſequendo omnia incommoda cõtemnenda ſunt.

Eccleſ. 11.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Quæ neceſſariò ſeruanda ſunt, vt quis fructum Iubilæi conſequi poßit.

Quatuor ad Iubilæi conſecutionem neceſſaria numerantur.

QVATVOR neceſſariò requiruntur, quæ quiſque exequatur, qui Sacrum Iubilæum acquirere deſiderat. Primum, ut in vigeſimoquinto anno, in quo tempus ſacrum illud Iubilæi inciderit, Romam ſe conferat, niſi ibi fuerit. Secundum, ut is peccatorum ſuorum ſacramentalem confeſſionem faciat, eorumque veram pœnitentiam agat. Tertium, vt quibuſdam diebus quatuor Eccleſias Vrbis deuotè iam penitens, & confeſſus viſitet. Quartum, & ultimum, ut pias ad Deum precationes fundat, pro ſua, totiuſque populi Chriſtiani ſalute; quæ ſingula in ipſo Apoſtolico Diplomate diſertis verbis exprimuntur.

Qualis déat eſſe anim° peregrinãtis ad Vrbem anno Iubilæi.

PRIMVM igitur Vrbs petenda eſt, non ea quidem ratione, vt admiranda illius monumenta uideant, non vt vetuſtatis exempla conſpiciant, non vt Thermas, Circos, Amphiteatra, altiſſimas Columnas, celſos Obeliſcos, ſuperbasque Pyramides, Arcem Capitolinam, Molemque Adrianicam cernant; quæ omnia plurimùm obſunt, minimum proſunt peregrinis; ſed ut Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilieas viſitent, eorumq; corpora ueneranda, ſanctitatemque ſpirantia humiliter adorent, cæterasque reliquias, quæ in Vrbe religioſiſſimè conſeruantur, pijſſimè venerentur. Nec cum hac pia peregrinationis deuotione admiſcenda eſt ambitionis, vel litium, & appellationis cogitatio. Multi enim ambitionis ergò limina frequentant Apoſtolorum, de quibus Bernardus in libro 3. de Conſiderat. ſic ſcribit, *An non limina Apoſtolorum plus iam ambitio, quàm deuotio terit? an non vocibus eius veſtrum tota die reſultat palatium? an non quæſtibus eius tota legum, Canonumq; diſciplina inſudat?* multi quoque litigandi, & appellandi cauſa, de quibus ibidem Bernardus, *Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in teſtimonium ſingularis primatus tui, & vtinam tàm fructuosè, quàm neceſſariè*. Et infrà, *Appellare quidem licet, non ut graues, ſed ſi graueris; appellandum à ſententia ante ſententiam improbè omnino, niſi ob manifeſtum grauamen præſumitur appellatio. Qui igitur non grauatus appellat, liquet quia aut grauare intendit, aut tempus redimere: non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium. Quantos nouimus appellaſſe pulſatos, quò d interim liceret, quod numquam licet? nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuiſſe appellationis ſuffragio nefaria ſcimus; verbi gratia, inceſtum, adulterium: quale eſt hoc, turpitudini patrocinari, quod uel maximè formidari à turpibus oportebat? quouſque murmur vniuerſæ terræ aut diſsimulas, aut non aduertis?* Hæc ille ad Eugenium Tertium loquens. Vtinam iuſtæ appellationis tãtùm cogitatio adiungeretur, at crebrò, (proh dolor) etiam iniquæ: quorum appellantium abuſum, atque malitiam idem Bernardus diſertè ſic deſcribit. *Præter ius, & fas, præter morem, & ordinem fiunt; non locus, non modus non tempus, nõ cauſa diſcernitur, aut perſona: præſumuntur leniter paßim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, non ne his potiſsimum terreri ſolebant? nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum verſum in venenum, non mutatio dexteræ excelſi hæc. Appellantur boni à malis, vt non faciant bona: & ſuperſedent à voce tonitrui tui formidantes. Denique appellantur Epiſcopi, ne illicita audeant matrimonia ſoluere, vel prohibere: appellantur nè rapinas, nè furta, nè ſacrilegia, & quæ eiuſmodi ſunt, punire vllatenus, vel cobibere præſumant: appellantur, nè indignas, & infames perſonas à ſacris officijs, beneficijsve repellere, ſeu amouere queant. Quod tu inuenis remedium morbo huic, nè quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? Zelatus eſt Dominus domum orationis factam ſpeluncam Latronum. Tu eius miniſter diſsimulas miſerorum refugium, datum arma iniquitati. Videas prærupi paßim partes oppreſſorum, & prorumpere ad appellandum non tàm grauatos, quàm grauare volentes: quid hoc myſterij? tuum eſt conſiderare, non meum*

D.Bernard.

D.Bernard.

commentari iſtud: & cur, inquis, malè appellati non ueniunt oſtenſuri ſuam innocentiã, malitiam conuicturi? Dico quod dicere ad hoc ſolent: nolumus vexari fruſtra; in Curia eſſe qui procliuius faueant appellantibus, foueant appellationes. Ceſſuris Romæ, domi ſedere ſatius. Fateor me non omnino decredere his. Quem das mihi in tam crebris appellationibus, quæ hodie fiunt, qui pro expenſis itineris, vel nummum reſtituerit illi, quem forte appellarit? Mirum verò ſi ita omnes, & appellantes iuſti, & appellati Rei veſtro examine inuenti ſunt. Diligite, inquit, iuſtitiam qui iudicatis terram. Hæc ille..

Peruerſa quorundã ad Vrbem proficiſcentium intentio.

Sed hæc minora mala eſſent. Pleriq; enim Romam proficiſcuntur etiam in Anno Sacro (quod nõ niſi flebiliter ſcribi poteſt) non ut veterem illam à Patribus commendatam Romanæ Vrbis pietatem in Martyrum frequentiſſimis memorijs viſitandis inſpiciant; nec ut innumera opera miſericordiæ, quæ in varijs Xenodochijs, & hoſpitalibus præſtantur; nec ut Romanam modeſtiam, ac grauitatem in ſacris locis viſendis animaduertant; nec ut doctiſſimorum virorum, qui ibi ex omni genere diſciplinarum multi ſunt, conſilio, aut eruditione inſtruantur; nec ut Prælatorum religioſiſſimos, atque ſanctiſſimos mores conſpiciant; nec ut Monachorum, & Religioſorum diſciplinam perluſtrent; ſed ad externa tantum oculos conuertẽtes, uel ut notent; uel ut Vrbis pro diuerſarum gentium colluuie, humanæq; imbecillitatis fragilitate, quaſi neceſſaria, uel ſaltem neceſſariò toleranda mala, ſordesq; ſcrutentur; uel ut ventilent minutiora quædam Sacerdotũ, Clericorum, & Monachorum offendicula. Sed ſic quoque Phariſæi Chriſtum obſeruabant, quorum mores Hęretici ſemper imitati ſunt. Quicquid enim in doctrina, & moribus Catholicorum deficere videtur, in calumniam auidiſſimè conuertunt, & mirificè exagitant. Quę verò ſapienter dicta, uel facta ſunt, & laude digniſſima penitùs diſſimulant: nec aliter Phariſæi Chriſtum carpebant, dum eius miracula, atque admiranda opera cælabant. Si quid verò preter Moyſis legem committebatur, acutè obſeruabãt, & odioſè exagitabant. Ad Vrbem igitur tamquam filij ad matrem, tamquam membra ad caput, tamquam riui ad fontes, tamquam flumina ad mare, deuotionis cauſa fideles in Anno Sacro accedere debẽt.

Hæretici imitatores Phariſæorum.

Romana Eccleſia omniũ eſt mater Eccleſiarum. D. Athanaſ.

Eſt enim illa caput, & mater omnium Eccleſiarum, vt Athanaſius in Epiſtola ad Marcum Papam rectè dixit. Et quamuis quouis anni tempore, immò ſingulis ferè menſibus, & diebus Romæ Indulgentiæ, ſtationesq; in diuerſis Eccleſijs à Põtificibus copioſiſſimè offerantur, modò maiores, & modò minores pro perſonarum, locorum, & caſuum diuerſitate, ac grauitate; tamen ut pleniùs aliquo tempore Chriſti fidelibus conſuleretur, præcipuè quoad pœnarum relaxationes, antiquitùs inſtitutum fuit, ut poſt certam, ſtatamq; annorum ſeriem, omnibus indifferenter gratiarum porta aperiretur, undè pleniſſima indulgentia ad ſingulos permanaret, qui ſe idoneos ad illam accipiendam præberent. Quod tempus in vigeſimum quintum quemque annum nunc incidit, licèt alijs temporibus, ut ſuperiùs dictum eſt, maiori ſpatio includeretur.

Confeſſio actualis neceſſario pręcedere debet conſecutionẽ Iubilæi anni Sãcti.

Grego. XIII.

Caiet.

Qvod autem ſecundò præſtandum eſt ab his, qui Iubilæum volunt accipere, eſt vera contritio, & confeſſio peccatorum. Etenim etſi in alijs extrauagantibus Pontificum fortè confeſſio poſt viſitatas Eccleſias fieri permittebatur, cum per verba de futuro loquantur: nihilominùs hodiè actu, & de facto confeſſio præcedere debet, ut uidere eſt in extrauagante Gregorij XIII. de qua re diſtinctiùs deinde agemus. Caietanus tomo. 1. opuſcul. tract. 10. q. 2. huius rei pulchram affert rationem, quoniam ſicut Theſaurus ciuilis non niſi pro ciuili cauſa diſpenſatur, ut pro bono Reipublicæ, pro ciuium neceſſitate, pro Ciuitate defendenda, uel reparanda, & ſimilibus; ità vitalis Theſaurus non niſi pro ſola vitali cauſa erogandus eſt. Cùm igitur Theſaurus Indulgentiarum vitalis ſit (ex paſſionibus enim viuis Chriſti, & Sanctorum conſtat, & vitæ æternæ impedimenta remouet,) nequaquam pro opere mortuo, quale eſt opus extrà gratiam patratum, communicari poterit; cùm neceſſarium ſit, ut ea opera, quæ ad Iubilæum adipiſcendum præſcribuntur, vitam habeant, ſicut & cætera omnia, quæ ad Indulgentiam, vel Iubilæum requiruntur. Viuit enim Chriſtus ſummus Sacerdos, qui eſt principalis

diſpenſa-

diſpenſator,atque largitor, immò auctor Indulgētiarum:uiuunt & Sancti Martyres,quorum *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis,qui viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace:* uiuunt,& illorum tormenta,ac paſſiones,quas prò Chriſto, & pro corpore eius, quod eſt Eccleſia perpeſſi ſunt. *Reddet enim Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum.* Viuant ergò operæpræcium eſt,& ipſi Chriſtiani;atque idcircò verè pœnitentes, ac in Sacramentali Confeſſione abſoluti eſſe debent, qui Indulgentiarum, & Sacri Iubilæi participes eſſe volunt;immò & ipſum opus,ob quod Indulgentia conceditur, oportet eſſe viuū. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras, & vitæ ad mortem? nec enim Indulgentia eſt mortua,ſed viua ſatisfactio; quocircà & medium, quod ad illam dirigitur, ut debita proportione gaudeat, viuum eſſe debet.

Sed cur quatuor Eccleſiæ viſitandę ſunt, quod tertio loco poſitum fuerat, exponamus. Certum illud eſt,antiquitùs,vt ſæpiùs inculcauimus,ſolam Beati Petri Baſilicam ad effectum Iubilęi celebratam fuiſſe,reliquas ſupperadditas,tùm ad illarum piam venerationem,ac cultum,tum etiam ad laborem peregrinationis augendum,ex quo ſatisfactio,& meritum magis creſcit. Solet enim Eccleſia ſua incrementa habere, & aliquando auroræ, dum videlicèt exordia ſua prima habebat,comparatur Canticorum 6.aliquando Lunę,quæ in ſuo plenilunio plenè, ac perfectè illuminata,magis, magiſque elucèſcit; quem ſtatum Eccleſia habuit in ſuis primis ſeculis,inquibus tam in dogmatibus,quàm in ritibus eccleſiaſticis maximis lucis incrementis reſplenduit. Denique Soli aſſimilatur, cùm iam Eccleſia ampliſſimis diuini luminis radijs illuſtrata, toti Orbi, & in fidei documentis, & & in morum inſtitutione,atq; etiam in cęremoniarum Eccleſiaſticarum dilucidationibus emicat, atque coruſcat. An fortè alio futuro ſeculo, & quinta Eccleſia a ddenda erit? Panuinius hóc,vt conuenientiſſimū,perſuadere nititur,ſed id ſcientię,atque prudentię ſummorum Pontificum committendum eſt. Cur autem quindecim vel triginta diebus præſcriptę Eccleſię viſitandæ ſint in ſequenti capite dicemus.

Quatuor Eccleſiæ in Vrbe uiſitari debēt,& ob quā cauſam.

Cantic.6.

NOTA.

Panuinius.

Qvarto loco,ut Iubilęum conſequatur,quiſque debet preces pro ſui,ac populi ſalute ad Deum effundere:rectè Nauarrus annotauit, in Commen. ſuper Extrauagantem Iubilæi Gregorij XIII.in gloſ. verbo; *preces*, quòd non ſolùm requiritur acceſſus ad Eccleſias præfatas, nec ſolùm deuotè,ac reuerenter, quæ duo tātùm olim exprimebantur, uidelicèt in extrauaganti Bonifacij, & Clementis VI. ſed etiā hodie requiruntur precationes ad Deum faciendę ab his,qui eas viſitant, ad ſui, ac totius populi Chriſtiani ſalutem porrectas;& cū nulla certa forma precum in Diplomatibus præſcripta ſit, id totum relinquitur arbitrio pij,prudentis, ac cordati viri. Vnde piū erit in qualibet Eccleſia coram altari maiori quinquies *Pater noſter, & Aue Maria* dicere,ſeu aliàs orationes pro cuiuſque deuotione ad libitum, ac uiſitando ſeptem illa altaria priuilegiata Eccleſiarum, ſeptem pſalmos pœnitentiales diſtribuendo illos ſingulariter per altaria, denique reuertendo ad altare maius,litanias cū adiectis precibus,& orationibus recitare,ut ſic peccatorū remiſſionem vberiùs quis conſequatur. Poterit autem ſecretò, ac ſubmiſſa uoce quis orare,ſicut etiam hæbraicè,gręcè, latinè, italicè, gallicè, hiſpanicè,germanice &c. Adde,quòd etiam ſola mentalis oratio ſatis eſſet,cū ſola oratio in Diplomate iniungi ſoleat,nec ad vocalem ſe coarctet,iuxtà Hieronymum in Capitulo, *Cantantes*,diſtin.92.unde verſus;

Quæ oratio facięda ſit ad conſecutionē Iubilæi.

Nauar.

NOTA.

D.Hieron.

Non vox, ſed votum, non muſica cordula, ſed cor.
Non clamans, ſed amans, clamat in aure Dei.

Vnde etiam Auguſt.Epiſt. 29. præcipuè ad hoc genus orationis reſpiciens dixit, *Deus non colitur, niſi amando*; cùm id præcipuè in quocumque opere, quod ad Dei cultum pertinet, requiratur.

D.Auguſt.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Quòd triginta, vel quindecim diebus viſitandæ ſunt Eccleſiæ Vrbis in Anno Iubilæi.

Numerus dierũ pro Eccleſiarum uiſitatione cõſtitutus.

ANTIQVISSIMVS mos fuit uiſitandi Baſilicas in anno Iubilæi triginta ad minus diebus continuis, ſeù interpolatis, ſi fuerint Romani, uel quindecim, ſi Peregrini, aut externi, ut ex prima Bulla Iubilæi, quæ à Bonifacio VIII. edita fuit, conſpicere licet, qui numerus à nullo ſubſequentium Pontificum eſt mutatus: neque id temerè ordinatum fuiſſe, ſed ſapientiſſimè, ut omnia, quæ à Romana Cathedra Spiritus Sancti illuſtratione edocta proficiſcuntur, credendum eſt. Quod triplici ratione appoſitè ſuaderi poteſt, & primò

Cur talis numerus fuerit impoſitus.

quidem, ut eò amplius Beatiſſimorum Petri, & Pauli Baſilicæ honorentur; quò frequentiùs, & deuotiùs à fidelibus fuerint uiſitatæ; atque hæc ratio eſt Bonifacij

Bonifacius VIII.

in ſua Extrauaganti: ex frequenti enim, ac repetita illarũ uiſitatione, Sancti maiori cumulantur honore, gloria accidentalis accreſcit, ſtudium, atque imitatio eorũdem in animis fideliũ augeſcit, & quaſi geminato tributo, duplicataque oblatione debita in illos ſeruitus repræſentatur. Sicut enim Ioſeph fratres ſuos honoris gratiã viſitauit, & Beata Virgo Eliſabeth; ſic ad honorem, quem Sanctis exhibere debemus, ſpectat eorum Baſilicas non ſolùm ſemel, atque bis, uel tertiò, ſed etiam crebriùs inuiſere. Sed alia quoque ratione id conueniens eſſe demõſtratur. Cùm enim inter effectum, & cauſſam proportionem aliquam intercedere neceſſe ſit, indè fit, ut ex maiori effectu maior cauſſa arguenda ſit. At cum effectus Indulgentię pleniſſimæ Iubilæi maximus ſit, ut ſuperiùs demonſtratum eſt; quis negare poterit, Summum Pontificem maxima ratione motum, maximaque cauſa adductum, præſertimque utilium operum exhibitione propoſita, Iubilæum conceſſiſſe? Diebus autem triginta prędictas quatuor deuotè adire Eccleſias, opus eſſe ualdè arduum, maximè pœnale, & laborioſum, & conſequenter mirificè ſatisfactorium, nemo, qui æqua lance, ſanoque iudicio rem perpendat, negare poteſt. Vndè conſequitur, ut magna etiam ſapientia id à Summo Pontifice, tamquàm ob grauem cauſſam, ordinatum ſit.

De iuſta cauſſa cõceſſionis Indulgentiarum.

Quęreret hic Theologus, an ſemper iuſta cauſſa in concedendis Indulgentijs exprimatur, vel deſideretur. In Bulla enim Cruciatę in Regno Hiſpanię pro eleemoſina duorum argenteorum maxima Indulgentia comparatur. Aliqui exiſtimarunt, diſpenſationem Indulgentiarum ab eo factam, qui auctoritatem habet, eſſe validam, quamuis ſine cauſſa ſufficienti fiat: requiri verò cauſſam, ne conferens

Paludan. Mayron. D. Antonin. Ciſtercien. Supplemen. Gabr. Tabien. Turrecr. Medin. Argoman.

peccet. Sic Paludanus in 4. diſtin. 20. Mayronius, & Durandus ibidem quęſtio. 4. Sanctus Antoninus 1. par. tit. 10. Ciſtercienſis quæſt. 3. Supplementum Gabriel. diſtin. 25. quęſt. 2. art. 5. propoſit. 2. Tabien. verbo, Indulgen. §. 10. Turrecremata in Cap. *Si quis aliquando. § item in Leuit.* de pœniten. diſtin. 1. num. 22. Medina de Indulgen. diſputat. 9. cap. 43. ad ſextum, Argoman. de Indulg. conſider. 9. qui omnes à ſimili id probant, de collatione beneficij, uel diſpenſatione in lege poſitiua, quę ſi fiat à Papa, uel Epiſcopo ſine cauſſa, & cùm culpa, tenet factum. Alij uerò in alio extremo ſunt, & aſſerunt, quòd quamuis Papa magnam habeat cauſſam, quando generalem cõcedit Indulgentiam, nemo tamen illam acquirit, niſi iuxtà

Altiſſiod. Alen. D. Bonauen. Riccar. Gerſon. Augu. de Ancon. Gabr. Sotus.

facultatem, proportionem, & diſpoſitionem propriam; ità habet Altiſſiod. Alex. de Ales. D. Bonau. & clariùs Riccard. diſtin. 29. Gerſon 2. par. de Indulg. alphab. 25. litera 23. Auguſt. de Ancona de poteſtat. Eccleſiaſtica quęſt. 23. art. 4. & quęſt. 32. Gabri. in Canonem Miſſę, lectione 57. quos ſequitur Soto in 4. diſtin. 21. quęſtio. 2. art. 2. concluſ. 4. Sed facilè hi auctores conciliari poſſunt, ſi diſtinctio huiuſmodi adhibeatur; etenim quando in conceſſione aliquid indeterminatum pręſcribitur à Papa, nempè ut quiſque manus adiutrices porrigat, uel orationes fundat.

iuxtà cuiuſcumque facultatē, & deuotionem, tunc procedit ſecunda opinio, prout optimè Nauarrus in dicto. §. *In Leuit*. notabili 15. num. 17. & Corduben. libro 5. quęſt. 29. quod tamen limitandum eſt, niſi concedens intendat, ut quacumque eleemoſina erogata, integrè Indulgentia acquiratur. Quandò uerò pręſcribitur opus certum, ut peregrinatio ad limina Petri, & Pauli, quicumque illud opus exequitur, totum Indulgentię effectum conſequitur, ut D. Thomas in additionibus ad tertiam par. quęſt. 25. art. 2. in corpore, & ad 4. & hęc eſt communior opinio, ut notauit Corduben. quæſt. 20. oppoſit. 4. & verior, ut doctè Caietanus tom. 1. tra. 9. quæſt. 2. quæcumque enim Indulgentiarum cauſſa, dummodò pia ſit, ex hoc ipſo, quòd in Bulla exprimatur, (niſi manifeſtus ibi error contineatur,) ſemper rationabilis cenſenda eſt, quamuis in ſe ipſa conſiderata rationabilis non eſſet: neque enim vt Nauarrus loco citato, num. 8. notauit, requiritur æquipollens cauſa; ſed ſatis eſt ſufficiens, ut Adrianus quoque aduertit; ſufficiens autem illa iudicari, & præſumi debet, quæ in Diplomate à Papa præſcribitur. Hinc ſequitur, quòd ſicut dare eleemoſinam in ſubſidium Bullæ Cruciatæ, & inſuper facere ea opera, quæ in ea Bulla præſcribuntur, putà, ieiunium uoluntarium, & orationes ad quinque altaria, & ſimilia, ſunt cauſæ idoneæ ad indulgentias, quæ in ea conceduntur; ſic onus viſitandi quatuor Eccleſias per quindecim, uel triginta dies, & confitendi, & orationes fundendi eſt grauiſſima cauſa, ob quam concedi debeat Iubilæus pleniſſimus in Anno centeſimo, vel uigeſimo quinto. Sicut enim contritio, etiam parua, eſt diſpoſitio ſufficiens ad omnes culpas mortales delendas, & aliquando etiam ad totam pœnam Purgatorij expungendam, ſic etiam præſcriptorum operum exhibitio erit diſpoſitio ſufficiens ad remittendas pœnas temporales, quod facit Indulgentia. Vtrumque enim fit ex uirtute clauium Chriſti, qui liberaliſſimè Eccleſiæ infinitum Theſaurum conceſſit.

Nauarr. Cordub. — D. Thomas. — Cordub. Caiet. — Quælibet pia cauſſa ſatis è pro Indulgentia concedenda. — Nauar. — Adrianus.

NVNC adijciendum eſt, huiuſmodi ſtatutas Eccleſias non quouis modo ad Iubilæum conſequendum viſitandas eſſe; ſed deuotè, ac pio animo: nec enim Deus ſolùm, more Phariſaico, labijs eſt honorandus, ut Eſaiæ. 29. & Matth. 15. dicitur, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, & ſine cauſa colunt me.* Terere enim pedibus Baſilicas Sanctorum abſque deuotione, non Dei gloriam, & honorem, ſed propriam quęrendo utilitatem, atque animi fructum, oleum eſt (ut dicunt) ac operam perdere. Nec enim deſunt, qui Eccleſias inuiſunt, ut uideantur, uel ob alios fruſtratorios fines, qui tamen ſi principaliter ob id faciant, fructū Iubilęi non acquirunt. Sed an peccatum ueniale impediat fructum Iubilęi, proxime videndum erit.

Quō Eccleſiæ ſint uiſitādæ. — Iſai. 29. — Matth. 15.

ILLVD in calce huius capitis obſeruandum eſt, Peregrinis, ſeu externis onus dimidiatum, reſpectu Romanorum, in uiſitatione Eccleſiarum iure optimo iniunctum eſſe: cùm enim in itinere labores, ſudores, incommoda, pericula, impenſas, grauesq; alias moleſtias patiantur, meritò uiſitatione quindecim dierum pleniſſimum Iubilęum conſequuntur, perinde ac ſi diebus triginta eaſdem Eccleſias viſitaſſent. In poteſtate enim Papę eſt, plures, uel pauciores dies ea in re pręſcribere, quemadmodum etiam ipſius Iubilęi tempus, ſi liberet, immutare. Adijce, ne Peregrini diutiùs in Vrbe morando grauioribus impenſis onerentur, dimidiato uiſitationum tempore Sacri Iubilęi fructum ab ijs obtineri. Ioan. de Anania refert in tractatu ſuo de Iubilęo, quòd Nicolaus V. qui etiam celebrauit Iubilęum anno 1450. propter maximam multitudinem hominum Romam concurrentium, multotiès abbreuiaſſe numerum quindecim dierum, diſtinguendo etiam vltramontanos à citramontanis, & aliquando reduxit ad quinque dies, aliquando ad tres, & aliquando ad duos.

Quare peregrinis ſtatuatur minor numerus dierū pro Eccleſiarum uiſitatione. — Ioan. de Anania. — Nicolaus V.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Dubia quædam dilucidantur, quæ circa adeptionem Sacri Iubilæi naſcuntur.

IN Hoc capite operæpręcium eſt, aliqua dubia, quę circà conſequutionem Iubilęi oriri poſſent, explicare; tùm ut plena de Iubilęo doctrina tradatur; tùm etiam ut omnis ſcrupulus, atque hęſitatio ex animo eorum, qui Iubilęum ſuſcipiunt, amoueatur: ſunt autem hęc dubia numero triginta, quę ſequuntur.

DVBIVM PRIMVM.

Num vicini, qui proximè Eccleſiam, verbigratia, Diui Petri Romæ morantur, tantum de Indulgentia conſequantur, quantum illi, qui longè diſtant, atque ab Indis eò veniunt.

RESPONDEO, quòd in Indulgentia, & remiſſione poenæ peccatorum, quãtum ad eſſentiam Indulgentiæ, & ad rationem ſatisfactionis, regula eſt Theologorum certiſsima, quòd non attenditur quantitas operis, ſed genus operis. Eandem enim conſequitur remiſsionem poenæ peccatorum, ſeù Indulgentiam conceſſam facientibus eleemoſinam, qui dat centum, quam is, qui dat vnum aureum. Hinc eſt, quòd æquè conſequitur Iubilęum uicinus, atque longè paſitus: ità expreſſe habet D. Thomas in additionibus ad tertiam par. quæſt. 25. art. 2. ad quartum. *Vicinus*, inquit, *Eccleſiæ, & Eccleſiæ Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam Indulgentiam, ſicut illi, qui venirent à mille dietis*; & dat rationem huius dicti, quoniam Indulgentia non proportionatur labori operantis, ſed meritis Chriſti, & ſanctorũ, quę diſpenſantur. Ioann. Monachus aliam rationem aſsignat, in Gloſſa magna Extrauagantis, *Antiquorum*; quoniam ſcilicet Indulgentia principaliter reſpicit gratiam, non meritum proprium, aliàs non diceretur Indulgentia: nomine uerò gratię intelligit benignitatem, & clementiam Chriſti. Solet autem quandoq; Eccleſia aliter in conceſsione Indulgentię exprimere, ſicut Papa in generalibus abſolutionibus, tranſeuntibus mare quinque annos Indulgentiarum concedit, tranſeũtibus uerò montes tres; alijs autem unum. Addit D. Thomas, quòd quantũ ad meritum ex parte operis iniuncti, & ex deuotione operantis, & quantum ad augumẽtum gratiæ, & glorię, cęteris paribus, plus meretur, qui plus laborat; & ad hoc omnes fideles uehementer ſunt exhortandi, ut pedeſtres, atque ieiuni, ſeruata diſcretionis menſura, conficiant Eccleſiarum uiſitationem. Abſolute tamen dicendũ eſt cum Henriquez lib. 7. cap. 14. §. 4. quòd non minùs digni ſunt conſequi plenariam Indulgentiam, qui ex proximis locis aut uicina domo ueniunt uiſitare pręſcriptas Eccleſias cum paruo labore, & ſumptu, quàm qui è longinquo cùm magnis expenſis, & laboribus peregrinantur Romam, cùm in utroque ęquè ſubſiſtat principalis cauſſa recognoſcendi Sedem Apoſtolicam Petri, & uenerandi Papam.

Æqualem indulgentiã cõſequitur uicinus & de longe uetiẽs, ſed maius meritum habet q magis laborat.

D. Thomas.

Io. Monac.

Henriquez.

DVBIVM SECVNDVM.

Qui appellandi ſint externi, & Peregrini, & qui Romani, & Incolæ.

NOMINE Romanorum, & eorum, qui Vrbem incolunt, ex mente Nauarri in Gloſſa, verbo, *Incolæ*; Comment. in extrauaganti Gregorij XIII. illi dumtaxat intelligendi ſunt, qui perpetuò, uel ſaltem per longum tempus habitationem, & domicilium in Vrbe habent, ſiuè originarij, ſiuè aduenæ ſint, & ſiuè habeant

Nauar.

Quinam cenſeantur nomine Romanorum.

animum

animum perpetuò in Vrbe commorandi,ſiue non. Illud autem longum tempus, vel annus,uel ad minus medietas eius intelligi debet; per ſpacium enim ſex menſium quis, ut ſapiens quicumque arbitrabitur,dici poteſt inhabitator, licèt careat domicilio,argumento l. hæres abſens, §. proinde,ff.de Iudic.ubi dicitur, poſſe ibi conueniri,qui habet tabernam, uel pergulam , cùm ſit habitator , non autem qui uiator,& peregrinus eſt. Hinc ſequitur rectè Ioan.Monachum in Gloſſa extrauagan.Bonifacij,uerbo,*forenſes*,dixiſſe,ex mente Sixti Papæ,quòd curiales omnes, litigantes,Procuratores,Aduocati , Officiales Curiæ, omnes curiales,ſeu in Curia manentes,Cardinales,Epiſcopi,qui ad tempus incertum manent in Vrbe animo ab ea diſcedendi,teneri ad uiſitandum trigeſies,ſeu per triginta dies Eccleſias præſcriptas: ij enim omnes non uerè peregrinantur; nec uerè ſunt forenſes,ſed ut moraturi in Curia ad Vrbem accedunt: & quamuis in extrauaganti Bonifacij de incolis non fiat mentio, tamen illi in alijs Diplomatibus exprimuntur , cùm pro habitatoribus habeantur; quamuis ſtricto modo tantùm incola cenſendus ſit ille,qui cùm ſit aduena,in aliquam Vrbem eo conſilio habitatum uenit,ut ibi perpetuò commoretur,ſummamque rerum ſuarum habeat , ut doctè Panormitanus in cap.fin.de Paroch. & Ioan. de Plat. Cod.de Incol.lib. 10. & eruditiſſimus Alciat.in l.pupil.§.Incola.ff. de verb. ſignifi.

Io.Monac.

Panormit.
Io.de Plat.
Alciat.

Nomine autem Peregrini clarum eſt , omnes illos ſignificari , qui ad Vrbem cauſa ſuſcipiendi Iubilæi accedunt; argum.textus in capitulo,*Conquerente*,de Clericis peregrinantibus ; & textus capitulo , *Tua nos* , cum ſequentibus, de Clericis peregrinis;ſub quo etiam nomine comprehenduntur forenſes, de quibus expreſſis uerbis fit mentio in extrauagante Bonifacij,& Clementis VI. Quamuis enim forenſes,ut inquit Gloſſa,uerbo,*forenſes*, in extrauag. *Antiquorum*,de Pœnitentijs, & remiſſionibus,appellentur illi,qui uenientes de foris,non uenerunt cauſa peregrinationis;uidentes tamen hanc Indulgentiam uolũt illam acquirere , attamen largo modo etiam ij ſub nomine peregrini complectuntur ; Vnde omnes uiatores,qui in Vrbem ſe recipiunt,ut ſtatim receſſuri, ſub uoce peregrini comprehenduntur,& hi omnes,cum à Romanis,& incolis Vrbis diſtinguantur,per quindecim dies uiſitando Eccleſias,adhibitis cæteris neceſſarijs,Iubilæum acquirunt,atque ſub eo quoque uocabulo uagi homines etiam includuntur.

Quinam ſint intelligẽdi nomine peregrinorum.

Gloſſa.

Dvbivm Tertivm.

An qui Romanus eſt,non tamen Vrbem habitat , accedens ad Iubileum debeat Eccleſias viſitare triginta , vel quindecim diebus.

Navarrvs, verbo, *Romani*, & uerbo, *Peregrini*,loco citato,in ea eſt ſententia, ut is Romanus originarius,qui habet domicilium extrà Vrbem, ad eam tamen appulit alia de cauſa , quàm peregrinationis,cum quaſi uiator cenſendus ſit, quindecies uiſitando Eccleſias ſatisſaciat: Quæ tamen opinio tuta mihi non uidetur,ac proinde huiuſmodi Romanum arbitror ad trigeſies uiſitandum teneri, cũ in Diplomate lex de Romano expreſsè habeatur ; atque etiam quoniam domicilium originis præferendum eſt domicilio habitationis,iuxtà notata in l.cùm quędam puella,ff.de Iuriſd.omnium Iudic.facit textus in capitulo,*Cùm nullus*,de tẽporibus ordinationum lib. 6. propriè enim Romani ſunt , qui ex Vrbe originem trahunt l.ciuem facit origo, C.de Incol.li.10.& l.aſſumptio.ff.ad municipalem. Adde,quòd per ea, quæ dicit Boer.deciſ.13.nu.3.quòd Domicilium ſuæ originis non poteſt quis per mille annos mutare, nec illi renunciare:quocircà ſemper prę ualet,quamuis alibi diù habitauerit. Vide Innoc.in caput primum nu.2.de Clericis peregrinantibus,& Panormi.Capitulo,*fraternitatis*,nu.2.& 3.de Clericis non reſidentibus. Nec ratio illa conuincit,quòd ad euitandum laborem, & impenſas debeat is peregrinorũ priuilegio gaudere ; turpe eſt enim, Virum Romanum,uel auaritiæ,uel accidiæ, ſeu torporis uitio laborare, pſertim in eo anno,in quo Vrbs tota gaudio,iubilatione,munificentia , atq; ſingulariſſima feſtiuitate refulget.

Nauar.

Romanus nõ habitãs in Vrbe tenetur uiſitare Eccleſias , ſicut ſi Romæ degeret.

Boer.

Innoc.
Panor.

DVBIVM QVARTVM.

Quando facienda ſit confeſſio peccatorum, ante ſcilicet vel poſt viſitationem Eccleſiarum, aut in ipſa viſitatione.

Io. Monac.

IOAN. Monachus in eadem Gloſſa magna, uerbo. *Confitebuntur*, uerſ. *item quæritur*, affirmat, poſt uiſitationem Eccleſiarum poſſe fieri confeſſionem ſacramentalem peccatorum, durante tamen anno Iubilæi, illamque ſuffragari ad hoc, ut Iubilæum quis lucretur; cui fauet doctrina Diui Antonini 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 5. uerſi. 6. quęritur. Felini in ſerm. de Indulg. Ioan. Tabien. uerbo, Indulg. quęſt. 4. & Ioan. Maior. in 4. diſtin. 20. quęſt. 2. atque etiam uſus quorūdam, qui incipiunt uiſitationes, non pręmiſſa confeſſione; quod etiam uidetur fieri in alijs particularibus Iubilęis; qui pro tempore à Pontificibus conceduntur his, qui feria ſecunda, quarta, & ſexta preces, eleemoſinas, & ieiunia fecerint, & die ſequenti Dominica communicauerint, in quibus non uidetur neceſſariò requiri, ut confeſſio ſacramentalis pręmittatur, ſed ſufficit, ut ante ſumptionem Euchariſtię fiat.

D. Antonin. Felin. Ioan. Tabien. Io Maior.

VERVM hæc doctrina fortè ſine ſcrupulo currebat eo tempore, quo in Diplomatibus Pontificum ponebantur verba illa, *vel pænitebunt, & confitebuntur*, vt in extrauaganti Bonifacij videre eſt. At vbi illa verba amplius non apponuntur, ſed abſolutè dicitur, quòd his cōceditur Indulgentia Iubilæi, qui verè pœnitentes, & confeſſi Eccleſias præſcriptas deuotè per tot dies viſitauerint, vt in Extrauaganti Clementis VI. & ſubſequentibus legitur; non videtur quomodo res hæc in dubium verti poſſit, cùm expreſsè ante inchoationem viſitationum Eccleſiarum vera contritio, & Confeſſio Sacramētalis pręſupponatur, ità ut bona fide quis arbitretur, ſe benè confeſſum eſſe; & hanc mentem Gregorij XIII. fuiſſe teſtatur ipſemet Nauarrus in Cōmentario eius Bullæ num. 39. Cui reſolutioni mirificè fauet doctrina Caietani ſuperiùs citati, aſſerentis, opera illa, quæ ad Indulgētiam conſequendam præſcribuntur, viua non autem mortua eſſe debere, hoc eſt, in ſtatu gratiæ debere fieri, quicquid dicat in hoc Nauarrus in notabili. 19. Commentar. de Iubilæo. Exigitur enim opus viuum, & Chriſto gratum ad hoc, ut ſit proportionata diſpoſitio ad meritum Chriſti applicandum, nulla enim eſt proportio, ſeu diſpoſitio mortis ad vitam, & conuentio Chriſti cum Belial. 2. ad Corinth. 6. & cap. *Si enim*, de pœniten. diſtin. 2. cui etiam doctrinæ ſubſcripſit Adrianus de Indulgen. col. 12. verſi. *Quarta concluſio*:

Cōfeſſio præmittenda eſt ante uiſitationem Eccleſiarum. Greg. XIII. Nauar. Caietan. Nauar. 2. Cor. 6. Adrian.

AT verò, ut vniuerſa hæc materia ad viuum examinetur, tria puncta hic videnda ſunt. Primum. An tempore, quo Iubilæus, vel Indulgentia acquirenda eſt, debeat eſſe homo in gratia per confeſſionem.

Secundum. An opera iniuncta debeant fieri in gratia, ut acquirantur Indulgentiæ.

Tertium. An in Iubilæo omnes illæ viſitationes Eccleſiarum iniunctæ debeant fieri in gratia.

An qui conſequitur Iubilęum, dēat neceſſariò tunc eſſe in ſtatu gratiæ.

QVAOD primum, ſunt nonnulli, qui arbitrantur, quòd quando in Diplomate Indulgentiarum explicatur, eas concedi contritis, & confeſſis, intelligi de confeſſione facta tempore Quadrageſimæ per Eccleſiam præſcripto, ille enim cenſetur eſſe confeſſus ſecundum ius; dùm verò Indulgentias acquirit, ſatis eſſe, ſi habeat contritionem cùm voto Sacramenti. Fuit olim hæc ſententia valdè communis, & à grauiſſimis viris aſſerta, ut à Diuo Antonino 1. par. Sum. tit. 10. cap. 3. à Supplemento Gabrielis in 4. diſtin. 45. q. 3. art. 3. dubio. 1. Roſel. verbo, Indulgen. Paludano in 4. diſtin. 20. q. 4. art. 3. conclu. 1. Gerſone alphabeto. 33. litera G. & in tract. de Indulgen. conſilio 3. Felino ſerm. de Indulgen. col. 6. Ioan. Andrea, capitulo, *Quod autem*, de pœnitentijs, & remiſſionibus, & Gloſſa in Clementina unica de reliquijs, & veneratione ſanctorum, Imola, & Cardinali ibidem, Panormitano in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœnitentijs, & remiſſionibus. Turrecremata ibidem, & Syluestro, verbo Indulgentia. q. 7. nu. 20. qui addit, id fuiſſe ità declaratum à Patribus Concilij Conſtantienſis, ut refertur in quodam libello manu-

D. Antonin. Supplemen. Gabr. Roſell. Palud. Gerſon. Felin. Ioan. Andr. Gloſſ. Imola. Cardinalis. Panor. Turrecr. Syluest. Concil. Conſtant.

ſcripto

ſcripto Fratris Ioann. de Galoſia ordinis Prædicatorum, & hanc opinionem fatetur Angelus verbo Indulgen. §. 17. eſſe probabilem, ut re vera illis temporibus erat; quoniam in Bulla conceſſionis Indulgentiarum ponebatur, *vel qui pœnitebunt, & confitebuntur in forma Eccleſiæ conſueta.*

Ioan. de Galoſia.
Angel.

Verum hęc opinio hodie diſceſſit ab aula, nec uſquam conſtat apud Eccleſiam illius Conſtantienſis Concilij declaratio. Vnde abſque dubio ſequenda eſt altera Doctorum opinio, quæ habet, quòd quando in Diplomate Iubilæi, expreſſis uerbis, dicitur, *verè pœnitentes, & confeßi*, intelligi debeant hæc uerba, ut tunc actu, tempore ſcilicèt ipſius Iubilæi, peccata mortalia confiteantur, niſi quis legitimè impeditus eſſet, ut inferiùs dicemus; hanc ſequitur Caietanus in 2. quodlib. in tract. de Indulgen. q. 10. Adrianus in 4. in tractatu de Indulgen. Soto diſtin. 21. q. 2. art. 3. in principio, Angelus loco citato, Nauarr. notabili 18. in commentario de Indulgen. licèt olim contrarium cum communi tenuerit, & Corduben. q. 27. de Indulg. opinione 4. Indulgentiæ enim explicandæ ſunt, ut ſonant. Additur autem hodie à Summo Pontifice actualis confeſſio in huiuſmodi Indulgentijs, tùm ut pars operis iniuncti, & ut præcipua cauſa ad tantam Indulgentiam concedendam; tùm etiam, ut inquiunt Nauarr. Corduben. & Viualdus in tract. de indulgen. nu. 14. ut Chriſtiani inducti ad fructum Sacramentorum, certiùs ſint in gratia, quò faciliùs conſequantur remiſſionem pœnarum. Quòd ſi confeſſio fieri non poſſit, uel ex defectu confeſſoris, uel ex obliuione, uel ex alia impotentia, uel cauſa alia legitima, tunc ex ſententia Angeli, & Cordubenſis locis citatis, ſufficit cōtritio, uel ſtatus gratiæ ad lucrandam Indulgentiam, quia ea præſumitur Papæ intentio in illo caſu, ut inquit Gloſſa in extrauaganti, *Antiquorum*, de pęnitentijs, & remiſsionibus. Hinc ſequitur communiſſima cōcluſio ab omnibus recepta, quòd tempore, quo quis intendit acquirere Indulgentiam Iubilæi Anni Sancti, debet eſſe iam confeſſus, & in ſtatu gratiæ, ut tamquam Dei amicus beneficio remiſſionis pœnæ temporalis peccatorum affici poſſit per meritorum Chriſti communicationem: membrum enim mortuum nullum ſuſcipere poſſe viuentis influxum, perſpicuum eſt; immò nec ratio iuſtitię, qualis inter hominem, & Deum, dum per ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum Indulgentias ſuſcipit, intercedit; intelligi poteſt, niſi gratiæ Dei innitatur, ut rectè Sotus diſtin. 19. & 21. q. 2. artic. 3. dixit. Nec Chriſtus, & Sancti, ſuas ſatisfactiones, atque paſsiones, quantum ad efficaciam operati ſunt, niſi ad utilitatem membrorum uiuorum corporis Chriſti; quia pro membris Diaboli, id eſt, exiſtētibus in mortali, intentionem non habuerunt applicandi efficaciter ſua opera ſatiſfactoria, quæ eſt ratio Adriani in materia de Indulgen. concl. 3. Vndè certum relinquitur, nihil Iubilæum prodeſſe (quoad pęnæ remiſsionem) illis, qui eum ſuſcipiunt in ſtatu peccati mortalis, in quo Mayronius peccauit diſt. 19. q. 2. & fortè Scotus in eadem diſtin. contra quos eſt Doctrina D. Tho. in 4. diſt. 20. & Gerſonis in tract. de abſolut. Sacramentali, & de Indulgentijs, & omnium Doctorum communis ſententia. Atque hæc de primo.

Debet homo eſſe in gratia tempore Iubilæi, & ideò eſt neceſſaria cōfeſſio mortalium peccatorum.
Caiet.
Adrian.
Soto.
Angel.
Nauar.
Cordub.
Viuald.
Exiſtente legitimo impedimento ſatis eſt contritio.
Gloſſ.
Sotus.
Adrian.
Mayron.
Scotus.
D. Thomas.
Gerſon.

Qvoad ſecundum. Doctores in hoc conueniunt, quòd quando eſt idem tēpus acquiſitionis Indulgentiæ, & operis iniuncti, tūc opus in ſtatu gratiæ fieri debeat; & confeſſionem ſacramentalem his, qui cōſcientiam peccati mortalis habent, neceſſariò pręmittendam eſſe; ut quando Indulgentia conceditur viſitanti talem Eccleſiam, dum eam viſitat, vel quando nouæ Miſſæ quis adeſt, vel dū facit eleemoſinam, & ſimilia; cuius dicti hæc ratio euidens aſſignatur; quia ſi tempore acquiſitionis Indulgentiæ debet eſſe in gratia, tempore quoque quo tale opus præſcriptū facit, debebit eſſe in gratia, cùm fructus Indulgentiæ ad illud opus immediatè cōſequatur; atque in hoc dicto nullus ferè diſſentit, vt affirmat Corduben. quęſt. 24. de Indulgen. propoſit. 1. Hinc Nauarr. notabili 19. num. 20. infert, paucos eſſe, qui acquirant Indulgentias; & ſic ego puto, paucos eſſe, qui acquirant Indulgentias ſtationum, quæ Romæ habentur in Quadrageſima; cùm enim illę in ipſamet viſitatione præſcriptarum Eccleſiarum acquirantur, & non antea, nec poſt; ſi tunc tēporis non ſint in ſtatu gratiæ, (quod paucis contingit) nihil de illa Indulgentia acquirunt,

Ad opera ꝓ conſecutione Iubilæi faciēda ſint neceſſariò i gratia.
Cordub.
Nauar.

quirunt, etiamſi poſtea confiteantur. Quando verò aliud eſt tempus acquiſitionis Indulgentiæ, & aliud tempus operis, vt cùm ieiunia, eleemoſinæ, vel orationes iniunguntur per tres, vel quatuor dies; & deindè ut certo die ſubſequenti fideles communicent, & ſic Indulgentiam cõſequantur, ut in Iubilæis particularibus fit.

Sentẽtia aſſerentium, opera pro conſequenda indulgẽtia fieri nõ debere in gratia. Corduben. Greg. de Valent.

In Hoc triplex eſt opinio Doctorum. Prima eſt, quòd non requiritur, ut opera iniuncta fiant in ſtatu gratiæ, nec ante illa pręmittendam eſſe neceſſariò confeſſionem, quam ſententiam Corduben. in dicta quæſt. 23. dicit, eſſe communem, uerã, & magis piam, atque cateruа Doctorum illam aſſerentium ſtipatam eſſe oſtẽdit, citatque Antoninum, Paludanum, Siluеſtrum, Felinum, Tabienam, & Sotum: eſt quoque hæc ſententia Gregorij de Valen. in lib. de Indulgen. cap. ultimo. Probat autem illam Corduben. quadruplici ratione; tùm quia Papa, cuius beneficium latiſſimè eſt interpretandum, id intẽdit in ſuo Diplomate; tùm quia praxis Eccleſię in multis Indulgẽtijs ad inſtar Iubilęi conceſſis id habet; tùm etiam, quia nec pręcepta Eccleſię obligant, ut fiant in ſtatu gratię; ſicut ieiunare in Quadrageſima, dies feſtos obſeruare, recitare officium, &c. tùm quartò, quia ſicut ſi quis exiſtens in mortali pro alio faciat opus, quod iniungitur, putà eleemoſinam, lucrabitur alteri, qui tamen in gratia exiſtat, Indulgentiam, ſic etiam ſi pro ſe ipſo intendat acquirere, tale opus opportunum, & utile erit.

Opinio dicentium, eſſe neceſſarium, ut fiãt in gratia. Caiet. Nauar.

Secunda opinio eſt, quòd omnia opera iniuncta debeant fieri in ſtatu gratię, & pręmiſſa confeſſione, ſi grauetur quis peccato mortali; ità Caietanus in Quodlibeto de Indulgen. cap. 9. & quęſt. 2. ſuperiùs citata; & Nauar. notabili 19. §. 16. & 19. idque tribus rationibus ſuperiùs tactis ab illis comprobatur. Cauſſa enim Indulgentię debet eſſe opus pium, atque Deo gratum, cuiuſmodi non eſt opus in mortali peccato factum. Deindè quoniam Theſaurus ſpiritualis debet diſpenſari pro opere in gratia facto, non autem in peccato. Denique quia id in Diplomate Pontificio innuitur, ut pręmittatur confeſsio, ſeù pœnitentia, deinde uerò opus, ſcilicèt uiſitatio Eccleſiarum.

Satis eſt opus principaliter intẽtum fieri in gratia, iuxtà tertiã opinionem.

Tertia opinio, quę eſt communior, habet, quòd ſatis eſt ad Indulgentiam conſequendam, ut homo ſit in ſtatu gratię tempore operis principaliter iniũcti; uel certè tempore ultimi operis, quo poſito, immediatè ſequitur Indulgentia. Ex quo infertur, ante hoc poſtremum opus neceſſariò pręmittendam eſſe confeſsionem. Antecedentia uerò opera, quę hoc ultimum pręcurrunt, iniuncta eſſe, ut ſint quaſi diſpoſitio quędam remotè pręparans ad gratiam, & ad effectum Indulgentię; uerbi gratia, ſi peregrinantibus Romam, & uiſitantibus ſemel Eccleſiãm Sancti Petri concedatur Indulgentia, tunc non erit neceſſe, peregrinationem illã, pręmiſſa confeſsione, uel in ſtatu gratię conficere; quia illa peregrinatio eſt cauſa remota, & minus principalis Indulgentię: tempore autem uiſitationis unicę, cùm principalis, & proxima cauſſa ſit illius, debet homo eſſe in gratia.

Viualdus.

Hanc Viualdus de Indulg. num. 18. dicit, eſſe opinionem magis communem, & citat Antoninum, Felinum, locis ſuprà citatis, Syluеſtrum quęſt. 10. uerſ. 9. Sotum diſtin. 21. quęſt. 1. & 2. art. 3. Ledeſmam 2. par. quęſt. 29. art. 1. Corduben. quęſt. 21. concluſ. 2. & quęſt. 24. & 25. & etiam Nauarrum; qui tamen, meo iudicio, in hac re cõfuſiſſimus, & diuerſiſſimus eſt, modò enim tenet partem negatiuam, ut uidere eſt in Gloſſa Bullę Gregorij XIII. uerbo, *Durante*; modo affirmatiuam, ut notabili 19. Commentarij de Indulgentia.

Sentẽtia Auctoris. Henriquez.

Puto autem, (ut meam etiam ſententiam in hac re interponam) hanc ultimam opinionem eſſe ueriſsimam, atque ſufficere, ut opus fini proximum impleatur in gratia; ita quoque ſentit Henriquez lib. 7. cap. 12. §. 1. & cap. 9. §. 5. primo tomo ſuę ſummę Theologię Moralis. Eſt enim id, ut ultima diſpoſitio ad Iubilęum; nec de cauſſa remota conſideratio habenda eſt, cùm per accidens ad effectum Iubilęi ſe habeat: atque in hoc puncto nemo aliter affirmare poteſt, quoniam eo in caſu tẽpus Indulgentię, & tempus talis operis idem uidetur eſſe, cùm ad tale ultimum opus effectus Indulgentię immediatè ſequatur. Sed an omnes illę uiſitationes per triginta dies diſtinctę ſint in Anno ſacro tamquam ultimum opus, & finalis diſpoſitio

ſpoſitio ad fructum Sacri Iubilæi conſequendum, videndum eſt.

Circa tertium igitur, an in Anni Sancti Iubilæo omnes illæ viſitationes Eccleſiarum debeant fieri in gratia, dico aliqua. Et primò, quòd ex doctrina Corduben. in q. 24. in fine primæ opinionis, dicendum eſſet, omnes illas viſitationes per triginta dies habendas, debere fieri in ſtatu gratiæ; quoniam ſingulæ illę ſunt principalis, & ut proxima cauſa illius Indulgentiæ; & ſicut dicitur, quòd peregrinantes Romam non obligantur in ſtatu gratiæ viam conficere, quamuis melius eſſet; ſed ſatis eſſe, ſi Romam peruenientes, in ſtatu gratiæ & confeſſi Eccleſias pręſcriptas viſitent; ſic in propoſito dicendum eſt.

An Eccleſiarum uiſitationes fieri debeant in gratia. Corduh.

Dico ſecundò, Viualdum tit. de Indulg. nu. 15. (qui ibidem hoc dubium de Iubilæo anni centeſimi loquens proponit) ex mente plurimorum Doctorum, qui de hac re fuerunt conſulti, quos tamen ipſe innominatos reliquit, reſpondere, Sacramentalem Confeſſionem non eſſe ante primam viſitationem neceſſariò præmittendam; atque id probare ex extrauaganti prima de Pœnitentijs, & remiſſionibus.

Viualdus.

Dico tertiò, Nauarrum loco proximè citato, & Corduben. in dicta q. 24. falli, dum dicunt, quòd ſi quis decies viſitet Eccleſias in ſtatu gratiæ, & decies in peccato mortali, quòd hic acquirit mediam partem Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus tales Eccleſias: hoc enim meo iudicio nouum eſt, nec vnquã effectus Indulgentiæ plenariæ, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, niſi affectus complacentiæ, vel alius obex intercedat, diuidi poteſt, cùm in ea Papa intendat concedere remiſſionem omnium peccatorum, non autem mediæ, vel tertiæ partis peccatorum; vnde ex mea ſententia, vel nihil acquirit, vel totum acquirit, cùm totum concedatur: ſed de hoc exactiùs inferiùs.

Nauarr. Corduh.

Dico quartò, quòd ſaltem vltima viſitatio Eccleſiarum quæ erit trigeſima, vel decima quinta, neceſſariò debet fieri in ſtatu gratiæ, & præmiſſa confeſſione propter rationes ſuperiùs adductas: tempus enim vltimi operis, & tempus acquirendę Indulgentiæ Iubilæi idem eſt. Vnde vtrumque ſtatum gratię requirit, atque ante illud confeſſio præmitti debet: ita quoq; expreſsè Henriquez. lib. 7. cap. 9. §. 5. loquens de vltima viſitatione Iubilæo præſcripta.

Poſtrema Eccleſiarũ uiſitatio fieri debet neceſſario in gratia. Henriquez.

Dico quintò, quòd in Iubilęo Anni Sancti valdè probabile eſt, omnes viſitationes Eccleſiarum prærequirere confeſſionem ſacramentalem, & ſtatum gratiæ, tum quia omnes illæ viſitationes apponuntur, & præſcribuntur à Pontifice, ut principalis cauſa, & opus principaliter intentum ad Indulgentiam conſequendam; nec remotè, uel minus principaliter ſe habent ad illam, ſicut cætera opera, quæ in particularibus Iubilæis præſcribuntur: tùm etiam, quoniam omnes illæ viſitationes ſunt eiuſdem ordinis, atque opera eiuſdem generis, unde æquè ad fructum Iubilæi requiruntur, & ſi unum debet eſſe uiuum, cur nõ aliud? Adde, quòd incongruum, & turpe quid apparet, ut quis debacchetur per Eccleſias, & uiſitet eas per 29. uices in ſtatu peccati mortalis abſque contritione, immò addendo in ipſiſmet Eccleſijs peccata peccatis, & tandem ante ultimam uiſitationem confitendo peccata fructum Iubilæi conſequatur; denique quia uerba Pontificis in Diplomate poſita hunc ordinem uidentur exigere, ut homines præmiſſa confeſſione Eccleſias uiſitent. Nec ualet reſponſio Corduben. nempè, quòd hic ordo uerborum ponitur non ad ſignificandum ordinem operum piorum agendorum, ſed ad meliorem congruitatem modi loquendi; quia ſic meliùs explicatur, quod intenditur, & imponitur. Hoc enim gratis dicitur, immò eſt Gloſſa contraria textui, ut patet ex uerbis Bullæ. Nec eſt ſimile de Iubilęis particularibus, & Iubilęis Anni Sancti, cùm in illis ieiunia, & eleemoſinæ non proponantur ut principalia opera ad Indulgentiam conſequendam, ſed ipſa ſumptio corporis Domini Noſtri Iesv Chriſti; & mens Papæ explicitè in eis deſcribatur, quod ante ſumptionem Euchariſtiæ, uel in ipſo triduo ſatis ſit confiteri. In hoc autem Iubilæo Anni Sancti, confeſſionem pręmittendam eſſe ante inchoationem uiſitationum, apertè indicatur in Bulla.

Probabile eſt, ante omnium uiſitationem Eccleſiarũ eſſe neceſſariam confeſſionem.

Satis eſt con trito cũ propoſito confitendi ante ultimam uiſitationem.

Dico ſextò, ad tollendas ex animis fidelium dubitationes, ſeu ſcrupulos, quòd ſatis erit, ſi tempore, quo uiſitatio incipienda eſt, contrito cum propoſito confitendi ante poſtremam uiſitationem habeatur; quod etiam ex uerbis, quę in Diplomate ſolent apponi, non obſcurè colligitur, dum ibi dicitur, *Quo quidem anno durante, qui verè pœnitentes, & confeſſi Baſilicas per triginta dies deuotè uiſitauerint, &c*, ubi uidetur imponi, ut quis durante Anno Sancto hęc tria faciat, nempè ut ſit uerus pœnitens, legitimè confeſſus, & impleat uiſitationes decretas. Videtur igitur ſatis eſſe, ut in eo anno confiteatur, quod tamen ex alio capite faciendum erit ante ultimam uiſitationem, ut dictum eſt: nec uidetur, maiorem pœnitentiam, & confeſſionem ad Indulgentiam Iubilęi conſequendam hodie requiri, quàm tempore Bonifacij exigebatur. Vndè ſequitur, quòd omnium, & ſingulorum peccatorum remiſſio per Iubilęum obtinetur, quę uſque ad illam horam, qua Iubilęus acquiritur, ſiue ante peregrinationem, ſiue poſt commiſſa fuerint.

Tutius & magis pium eſt confiteri ante quã inchoentur uiſitationes.

Dico ſeptimò, quòd tutior, & magis pia opinio eſt, ut antequam quis uiſitationes Eccleſiarum aggrediatur, tamquam is, qui à Deo ſummum beneficium recipere cupit, Chriſtique meritorum particeps fieri deſiderat, ut omnino confiteatur. Hoc enim in practica ſeruandum eſt, & ad illius obſeruationem omnes Chriſtiani exhortandi; licèt ſpeculatiuè loquendo, & talia opinio probabilis ſit, cùm illa opera, ideſt, Eccleſiarum aditio, & preces in illis fundendę, &c. non ad meritũ, ſed ad pœnalitatem, ad laborem, & ad ſatisfactionem principaliter pręſcribãtur.

Henriquez.

Addit Henriquez, quòd ſi in Iubilęo exprimeretur, ut quis ante omnia confiteatur, licèt tutiùs eſſet, pręmittere confeſſionem ante reliqua opera Iubilęi; attamen ſatis eſt poſt opera confiteri; quia intentio Papę non uidetur niſi ut intrà tempus Iubilęi, ante uel poſt cęteras diligentias fiat confeſſio ab eo, qui poteſt, tamquam res inter cęteras pręcipua.

DVBIVM QVINTVM.

An ſingulæ quatuor Eccleſiæ ſimul, atque eodem die viſitandæ ſint.

DVBIVM eſt. An ſicut dies viſitationum Eccleſiarũ poſſunt diuidi, & interpolari in ſuſceptione Iubilęi; (neque enim eſt neceſſe quindecim, vel triginta diebus continuis eas adire) ſic ipſæ quoque quatuor Eccleſiæ poſſint diſiunctim, neq; ſimul omnes eodem die viſitari, ità ut hodie D. Petri, cras D. Pauli, poſtridie Diui Ioannis, & deinceps templum Diuæ MARIAE viſitando, iſtæ quatuor non continuæ, nec in vno, eodemque die factæ viſitationes computentur pro vna die viſitationis.

Io. Monac.

Vbi difficultatem faciunt verba Gloſſæ Ioannis Monachi, in citata Extrauagãti prima, verbo, *Et ſaltem ſemel in die:* quæ dicunt, Bonifacium auctorem illius Extrauagantis in Conſiſtorio declaraſſe, quòd non eſt neceſſe ſimul, & eadẽ die omnes deputatas Eccleſias viſitare, ſed quod interpolatè quatuor itinerationes diuerſis diebus factæ ad Eccleſias, inſeruiant pro vna die. Rurſus huiuſmodi morem uiſitandi quatuor illas Eccleſias ſeruatum fuiſſe tempore Iulij III. nõnulli ſcribunt, cuius ſtylo cùm non ſit derogatum, vidèntur Eccleſiæ viſitandę in forma conſueta. Adde, quòd ſi ſecus fieret, multi etiam Romani non valerent ſuſcipere hanc gratiam Iubilęi, vt ſenes, decrepiti, mulieres, ſcholares, & alij occupati, quibus nõ eſt ocium, ut vno die illas quatuor Eccleſias adire poſſint: ſed quamuis ego, dum perlegerem hanc materiam Iubilæi Anno Sancto proximè elapſo 1575. apud D. Petri Baſilicam, in qua Canonicum, & Theologum agebam, in ea fuerim ſententia, vt quolibet die eſſent illæ omnes quatuor Eccleſiæ viſitandæ, & ſi una illarum relinqueretur, nullatenus dies illa utilis eſſet ad Iubilęum conſequendũ; tum quia in textu Diplomatis non conceditur alia interpolatio, niſi dierum; nequaquam uerò uiſitationum Eccleſiarum; tùm etiam quoniam benè ponderatis uerbis Gloſſæ patet, declarationem illam non fuiſſe ſcriptam de mẽte Bonifacij; quo

Iulius III.

Sententia Auctoris, dũ eſſet Theologus, & publice legeret in Baſilica Sãcti Petri ſuperiori anno Iubilæi.

circà

circà potius additio Gloſſæ, quam interpretatio Papę eſt iudicanda. Nihilominus his non obſtantibus ad maiorem huius rei dilucidationem, & tutiorem animarũ ſalutem, Gregorium Papam XIII. tunc ſedentem adiui, petens ab eo huius dubij plenam reſolutionem; mẽtemque ſuam declarauit, nullo pacto diuiſionem illam uiſitationis Eccleſiarum admittendam eſſe; ſed quòd in ſingulis diebus, quos quis uiſitationi deputauerit, quatuor Eccleſias eodẽ die uiſitare deberet; res igitur hodie certa eſt; neque enim eſt recedendum à communi ſenſu uerborum. l. non aliter. ff. de legat. 3. C. ex literis de ſponſal. Verba autem illa, quæ ſolent apponi in Bulla. *Qui quatuor Eccleſias ſemel ſaltem in die viſitauerit*, illum germanum, & uerũ ſenſum reddunt, ut aditio earum quatuor Eccleſiarum in die uno ſemel fiat: nec enim dicitur in diebus, ſed in die. Et quemadmodum duæ itinerationes eodem die factæ ad Eccleſias deputatas non computantur pro duorum dierum uiſitationibus; ſic nec diuiſæ illæ itinerationes, diſtinctis diebus factę, numerari debent pro unius diei uiſitatione: ità quoque Nauar. de Indulgentijs notabili 31. num. 35. & Henriquez lib. 7. cap. 14. §. 5. facit D. Thom. in 4. diſtin. 20. quæſt. 3. art. 4.

Viſitatio quatuor illarum Eccleſiarũ eſt eodem die cõficienda.

Nauar. Henriquez. D. Thomas.

DVBIVM SEXTVM.

An qui non habet Conſcientiam peccati mortalis, teneatur confiteri pro Iubilæo conſequendo.

RESPONDETVR breuiter, nequaquam teneri. Cùm enim ſit in ſtatu gratiæ, nec materiam neceſſariam habeat ad Confeſſionem, non obligabitur pro Iubilęo conſequendo ad illam: Vnde cùm neque diuino, neque poſitiuo pręcepto obligetur quis ad Confeſsionem, quando peccatũ mortale non habet, neque tempore Iubilæi obligabitur. Eſt enim à Deo Pœnitentię Sacramentum inſtitutum ad recuperandam eius gratiam, & amicitiam, iuxtà illud Lucę 13. *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Lege Sotum in 4. diſt. 1. quęſt. 6. art. 6. uerſus finem. Quare ſi quis in Quadrageſima careat mortali crimine, nec dubius ſit de illo, non obligatur etiam ratione pręcepti eccleſiaſtici ad Confeſsionem, ut inquit D. Thomas 3. par. quęſt. 65. art. 1. & quęſt. 84. art. 2, Durandus diſtin. 17. quęſt. 9. & Paludanus diſtin. 17. quęſtio. 2. Quicquid dicat in hoc Alexander de Ales 4. par. quęſtio. 77. memb. 2. art. 5. Scotus diſtin. 17. quæſt. unica, Bonauent. in 4. diſtin. 17. 3. par. artic. 2. quęſtio. 1. & Sylueſter uerb. Confeſſ. 1. §. 14. Vnde quando in Iubilęis ieiunium iniungitur, intelligitur iniunctum eſſe more Eccleſiaſtico, ut ſic tunc ieiunandum ſit, ſicut in diebus, in quibus Eccleſia pręcipit, ieiunandum eſse; ideſt, tũc ſumptionem ientaculi licitam eſse, uel butiro veſci, &c. vbi eſt conſuetudo: ſic etiã ubi confeſsio iniungitur, intelligenda eſt ubi, & quando materia neceſsaria, nempè peccatum mortale adeſt. Ità Henriquez lib. 7. cap. 12. §. 2. ubi citat D. Anton. Nauar. & alios in hac ſententia, licèt tutiorem ſententiam dicat eſse, ut intrà tempus Iubilęi ſaltem aliquod ueniale confiteatur, ut tutiori remedio in gratia conſtitutus fructũ Indulgentię acquirat. Poſſet autem Papa, ſi uellet, expreſsis uerbis iniungere, ut qui Indulgentiam conſequi uellet, uenialia peccata confiteretur, ſicut iniungit alia opera ſupererogationis; neque tamen hoc eſſet facere uenialia materiam neceſſariam Confeſsionis; ſed cùm aliàs uenialia ſint congrua materia confeſsionis, illam quoque exigeret, ſi uellet, in acquiſitione Indulgentię: ſicut etiam poſſet quis ſe obligare uoto ad uenialia confitenda, ut benè Henriquez lib. 4. cap. 4. §. 4. in fine, pręſertim uenialia alicuius generis, putà circà concupiſcentiam carnis, uel ambitionem. Quid? quòd etiam Eccleſia poſſet obligare, ſi uellet, fideles ad Confeſſionem uenialium, non quidem faciendo illa materiam neceſſariam, ut dictũ eſt, Confeſsionis; (materiam enim, uel formam ſacramentorum inſtituere ad eius auctoritatem pertinet, cuius eſt inſtituere ſacramentum, ideſt Chriſti,) ſed pręcipiendo, ut confiteremur illa, ità ut peccaret, qui non confiteretur ea, etiam ſi alia uia poſſent remitti. Poteſt enim Eccleſia determinare materiam ſacramenti aliquo,

Qui eſt ſine mortali nõ tenetur confiteri.

Luc. 13. Sotus.

D. Tho. Durand. Palud. Alen. Scotis. Bonauen. Sylueſt.

Henriquez.

Henriquez.

Eccleſia poſſet præcipere confeſſionem etiam uenialium.

Aaa 2 pręcepto,

præcepto, quæ aliàs eſt de iure diuino; quemadmodum potuit præcipere, ut ſub mortali nemo baptizaretur, niſi in aqua pura naturali; ſimiliter, quòd in Eccleſia latina nemo latinus conſecraret, niſi in azimo: ſic etiam poſſet præcipere, ut peccata venialia quis confiteretur, quod ſenſit Alexander, & Bonauentura locis citatis contra Paludanum diſt. 17. q. 2. art. 4. quem ſequitur Sotus diſt. 18. q. 1. art. 3. immò Caiet. tract. quinto de Confeſſione q. 1. exiſtimat in Clementina, *Nè in agro*, præceptum datum eſſe Monachis nigris, ut ſingulis menſibus cōfiterentur, quod clarum eſt, non de mortalibus, ſed de venialibus eſſe, licèt Sotus eodem loco dicat, neque ibi confeſſionem venialium præceptam eſſe, ſed tantùm commune præceptum fidelium, quod eſt ſemel in anno, iniſictum eſſe, vt duodecies fiat in anno, quod etiam placuit Nauarr. cap. 2. nu. 9. & Greg. de Valen. in tract. de confeſ. cap. 4. Sed in hoc falluntur, ſicut enim poteſt fieri preceptum, ut Sacramentum Eucharistiæ ſemel in menſe ſumatur; ità etiam ut Sacramentum Pœnitentiæ frequentetur octauo quoque die, aliquod ſaltem veniale confitendo; & eſſet preceptum magnæ perfectionis ad tantum bonum Sacramenti acquirendum, & fortè hoc ſibi voluit conſtitutiones illæ Regularium, quæ ſuis ſubditis frequentiam confeſſionis præſcribunt, qui ad id obligantur ſaltem ſub veniali, vt Cano de Pœnit. par. 5. & Henriquez lib. 4. cap. 4. igitur cum peccata venialia iure diuino ſint materia legitima, quamuis non neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, vt definitū fuit in Cōc. Triden. ſeſſ. 14. cap. 5. & Canon. 7. & qui hoc negaret, Hæreticus eſſet, poſſet Eccleſia in aliquo caſu, ſi vellet, obligare ad illorum confeſſionem, non materiam inſtituendo, ſed determinando; cùm illa à iure diuino non excludantur. Et quàmuis de confitendis omnibus venialibus eſſet ferè impoſſibile præceptum, cùm innumera ſint, tamen præcipere poſſet, ut aliquod veniale quis confiteretur; abſolutè tamen non poſſet Papa facere venialia materiam neceſſariam confeſſionis, cùm ex iure diuino non ſit neceſſaria, in quo benè dixit Sotus loco citato.

(Margin: Alex. Bonau. Palud. Sotus. Caiet. Nauar. Valentia. Cano. Henriq. Conc. Trid. Sotus.)

DVBIVM SEPTIMVM.

An Eccleſiarum viſitatio nocturno tempore in Iubilæo fieri valeat.

VIVALDVS rectè reſpondet in tract. de Indulgen. nu. 11. quòd valeat, & addit, id colligi ex conſuetudine fidelium, qui in Iubilæo anni Sancti 1575. etiam nocturno tempore Eccleſias, & altaria viſitabant, & ratio eſt aperta, quoniam durante Anno Sancto id efficitur, tempus autem tàm nocturnum, quàm diurnum ſunt partes integrales eiuſdem Anni Sacri: ità quoq; ſentit Henriquez lib. 7. cap. 14. nu. 5. licèt quando Indulgentia datur pro certo die feſto, intelligatur à primis veſperis vſq; ad ſecundas incluſiuè, vt dicit Mandoſ. in Praxi ſignaturæ titulo, Gratia. Vbi & nocturnum tempus, quod primas veſperas ſequitur cōprehenditur.

(Margin: Poteſt quis uiſitare Eccleſias noctu, ut conſequatur Iubilæum. Viuald. Henriquez. Mandoſ.)

DVBIVM OCTAVVM.

An peccatum veniale impediat fructum Indulgentia.

NAVARRVS in Gloſſ. verbo, *deuotè*, in Bulla Iubilæi Gregorij Decimitertij, ſic ſoluit hanc quæſtionem; quòd actus aliquis ex genere ſuo moraliter bonus dupliciter poteſt veniali culpa inordinatus reddi, vel ſcilicet ex defectu interno, uel ex defectu externo; vocat autem internum defectum finis, vel alicuius circumſtantiæ, quæ ad bonitatem moralem illius ſit neceſſaria; verbi gratiâ, cum quis in malum finem malitia veniali vitiatum, aliquem actum facit, ut putà ob uanam gloriam, ad lucrum, ad alterius leuem iniuriam viſitat præfatas Eccleſias, vel nimio riſui, & prophanis negocijs incumbens id agit, vel cùm habitu, & comitatu ſuæ perſonæ indecenti, vel tempore incongruo, cùm ſcandalo ſaltem veniali aliorum, & in hoc caſu dicit, actum ſic ueniali

(Margin: Qua ratione culpa uenialis impediat fructum boni.)

malitia

maliția affectum impedire fructum Iubilæi,& qui illum operatur, nequaquam actum facere ad acquirendam Indulgentiam ſufficientem . Externum uocat,defectus illos ueniales,qui non reſpiciunt ſubſtantiam ipſius actus;exempli gratia,dũ quis uiſitat Eccleſias,etiam in ſtatu gratiæ conſtitutus , uel ad iracundiam , uel ad honorem,& gloriam alicuius alterius rei ab ipſo patratæ excitatur, uel uoluptati carnis non pro uiribus reſiſtit,& ſimilia;& tunc quoniam huiuſmodi non ſunt de ſubſtantia,uel circumſtantia illius uiſitationis, affirmat ea non impedire fructum Iubilæi;ſed per illos actus,tamquam utiles,hominem ſatisfacere, per ea,quæ ſcribit Sanctus Thomas in 2.ſententiarum diſt.38.q.1.ar.4. ad 4.& Iacob.Almayn. de moral. cap.11. Quidem Auctor Angeſt.in moral.cap.8.alijs uocabulis rẽ hãc opportunè declarat,dicens,quòd circumſtantia adiacens,uel aſſiſtens actui morali,ipſum non afficiens,non uitiat actum,tamquam ei impertinens, ut cùm quis ieiunat cum uana gloria;ſi autem afficiat actum,uitiaret illum,ut ſi ieiunaret, uel uiſitaret Eccleſiam propter uanam gloriam principaliter:ex quo infert Corduben. in q.25.de Indulg.contra Nauarrum,quòd actus pius,pro quo conceditur Indulgentia,non eſt neceſſe ad illam acquirendam,ut ſit ſimpliciter , & perfectè ex genere , & ex circumſtantijs moraliter bonus ; cùm neque id in præceptis Eccleſiæ adimplendis requiratur , ut de ſe patet , ſed ſufficit, quòd ſit ex genere ſuo bonus, & principaliter ex intentione actuali, uel uirtuali fiat ad acquirendam Indulgentiam . Si enim non fieret hac intentione principali ; ſed ſi quis ex recreatione,uel ex auaritia,uel ad colloquium habendum cum amico, adiret Eccleſiam,utique talis actus ſuſceptioni Iubilæi non inſeruiret. Si uerò æquè principaliter accederet propter utrumque,ſecundum Corduben. ſuffragaretur, quia illi duo fines mutuò non ſe excludunt , & ſe inuicem patiuntur . Rurſus,nec eſt neceſſe,ut opus pium, quod fit ad lucrandam Indulgentiam, ſit meritorium, etiamſi ab exiſtente in ſtatu gratiæ fiat,niſi id ſpecialiter ex tẽpore Indulgentiæ requiratur;exempli gratia, cùm iniungitur ſuſceptio Euchariſtię , uel confeſſio ſacramentalis , & ſimilia.

D.Thomas. Almay. Author Angeſt. Corduben.

Vnum hic addit Nauarrus mirabile dictu,& contrarium his,quæ in principio docuit;(eſt enim in hac re ualdè confuſus,& inconſtans)uidelicet,quòd per actũ, qui ſit peccatum mortale,poteſt quis acquirere Indulgentiam,idq́; probat ex doctrina Maioris,qui in 3.diſt.37.q.15. ponit exemplum de Pręsbitero,qui ex pręcepto aliquo obligatur ad Miſſę ſacrum faciendum, quod ſi in mortali crimine faciat , utique pręceptum implet, nec iterũ tenetur, ſacrum iterare;per Capitulum, *Sanè*,cum Gloſſa, & Doctoribus,de celebratione Miſsarum ; quod etiam accidit in ieiunio Quadrageſimę , & in recitatione officij diuini , & in multis alijs pręceptis Eccleſiæ .

Nauar. ait, & per actũ peccati mortalis acquiri poſſe Indulg. Maior.

Sed meo iudicio nequaquam hæc doctrina recipienda eſt:quamuis enim decẽ legis præcepta,quantum ad ſubſtantiam actus,& ad effectum euitandi nouũ peccatum,quod incurreretur, ſi non adimplerentur;poſſint impleri ab illo, qui eſt in peccato mortali,per ea,quæ dicit Sanctus Thomas in prima ſecundæ quæſt.100. art.10.& 2.2.quæſt.44.art.1.& vltimo, Soto lib.1.de natura,& gratia cap.22.& Medina ſuper citatum articulum 10. Sancti Thomæ ; nihilominus cùm in Iubilæis, ſeù Indulgentijs acquirendis iniungantur à cõcedente operationes, quę ſint actus virtutis,ſaltem ex genere, & circumſtantijs, non video quomodo per opus mortiferè malum poſſit homo diſponi ad beneficium Indulgentię acquirendum: ſicut enim nullus peccando,etiam venialiter, vitam æternam meretur;ſic nec peccando etiam venialiter,quando circumſtantia venialis eſt afficiens, vel informãs actum,vel intrinſeca,nullo modo eſt diſpoſitio, immò impedimentum, ad fructũ Indulgentiæ conſequendum:etſi peccatum veniale in ſuſceptione Sacramẽti;pręſertim Euchariſtiæ,ſecundum aliquos impedit effectum ſacramenti,ut Caietanus in 3.par. quæſt.79. art.1.Durandus in 4.diſtin.12. quæſt.4.ad ſecundum argum. Paludanus in 4.diſtin.4. quæſt.5.art.2.Bonauentura in eadem diſtin.par.2.art.1. quæſt.1.Alex.4.par.q.41.membr.3.& D.Tho.eadem diſtin.q.2.art.1.quæſtiunc. 3.aſſerunt;quomodo etiam non aſſerendum erit,impedire effectum Indulgentię?

Doctrina poſita Nauarri reiicitur. D.Thomas. Sotus. Medina. Caiet. Durand. Palud. Bonauent. Alex. D.Thom.

Quotuplex ſit ueniale peccatum.

AT VERO, vt reſolutio diſtincta huius dubij habeatur, animaduertendum eſt, veniale peccatum duplex eſſe, vnum antecedens ipſum opus Indulgētię, alterum concomitans. Rurſum, antecedens duplex eſt, vnum, quod extrinſecè ſe habet ad ipſum opus; alterum, quod intrinſecè ſe habet ad illud, vt negligentia in exequendo opere. Prætereà concomitans eſt multiplex; primum, quod ex ſe eſt quidem veniale, tamen per accidens concurrit cum ipſo opere, quia eodem tempore fit, ut ocioſa cogitatio ex ſe ſine tali opere veniale peccatum eſt. Aliud eſt concomitans per ſe, quia ex ipſa concomitantia cum tali opere fit peccatum, aliàs non, vt in ipſa viſitatione Eccleſiæ cogitare aliqua argumenta philoſophica, vel mathematica. Tertium eſt, quando pro materia peccati homo accipit operationem ipſam, nē pè quando habet vanam quamdam gloriam de ipſa viſitatione, vel pro forma, ſeù fine operis peccatum ipſum veniale ſtatuit, vt quando viſitationem ad recreationem corporis principaliter dirigit. Quartum eſt, quod ante opus quidem eſt, ſed refertur ad ipſum opus, vel virtualiter, vel habitualiter. Hac poſita diſtinctione dico aliqua.

Veniale præcedens uiſitationē non impedit fructū Iubilæi.

PRIMO dico, peccatum veniale antecedens ipſam viſitationem, nequaquam impedit fructum Indulgentiæ; quoniam ſicut tale veniale poteſt per actum ſubſequē tem charitatis, vel feruorem eius deleri; ſic poterit deleri per actum ordinatum ad Indulgentiam ſuſcipiendam, præſertim, ſi talis actus ab eo fiat, qui ſit in gratia; ſic etiam nec huiuſmodi veniale impedit vllo pacto effectum Sacramenti Euchariſtiæ, ſcilicèt augumentum gratiæ, uel eius feruorem.

Veniale ſolū tertij generis impedit.

SECVNDO dico, quòd nullum ueniale concomitans impedit fructum Iubilęi, niſi illud tertij generis; cùm per illud actus intrinſecè uitietur, & principaliter nō ad acquirendam Indulgentiam, ſed uel ad uanam gloriam, uel ad aliquid ſimile dirigatur. Vnde neque hęc omnia genera uenialium, etſi in illis homo complacentiā habeat, impediunt augumētum gratiæ in ſuſceptione Sacramenti, licèt feruorem charitatis in toto, aut ex parte remittant: non eſt enim peccatum ueniale obex gratiæ, uel eius augumenti, ut Sotus doctè ait in 4. diſtin. 6. quæſtio. 1. art. 7. & diſtin. 11. quæſt. 2. art. 8. quem ſequitur Medina prima ſecundæ quæſt. 20. art. 6. in ſolutione 3. ſic intelligendus eſt Adrianus de Indulgen. colum. 12. verſic. *Quarta concluſio*, dum dicit, quòd ſi in opere conficiendo uenialiter quis peccat, non acquirit Indulgentiam.

Sotus. Medin. Adrian.

Quidnam impediāt uenialia, & quomodo.

TERTIO dico, quòd omnia hæc genera uenialium, licèt neminem impediant à ſalute, cum gratiam non tollant; nec à totali fructu Indulgentiæ, ut ſuperiùs dictū eſt; ſi quis tamen affectum, & complacentiam ad illa habeat in ſuſceptione Iubilæi, impediunt remiſſionem pęnarum pro huiuſmodi uenialibus debitarum; quoniam pœna non remittitur, culpa remanente, etiam veniali, ità Syluester docet, uerbo, Indulgen. num. 27. & 33. immò nec talis culpa per Sacramentum remittitur, ut doctè Soto in fine præcitati articuli 7. dixit, & ante illum D. Thomas 3. par. quæſt. 87. art. 1. & ſequentibus.

Syluester. Soto. D. Thomas.

DVBIVM NONVM.

An qui incepit Eccleſias viſitare in gratia, & poſtea peccat mortaliter, teneatur denuò incipere viſitationes.

Qui peccat mortaliter poſt inchoationem uiſitationum, non tenetur iterū inchoare.

HOC DVBIVM procedit in eorum opinione, qui exiſtimant, opera iniūcta pro Indulgentia conſequenda debere fieri in ſtatu gratiæ; nam in alijs ſententijs dubitatio locum non habet. Vnde dicendum eſt, ad omnes ſcrupulos remouendos, quòd qui cœpit illas in ſtatu gratię, & deinde poſt quartam, uel quintam uiſitationem, &c. peccat mortaliter, non tenetur iterum illas inchoare: poteſt enim confiteri, & ſic omnia opera facta in gratia iam mortificata reuiuiſcent, non ſolùm quantum ad meritum, ſed etiam quantum ad ſatiſfactionem, & conſequenter quantum ad diſpoſitionem quoad Indulgentias, ſecundùm communem omnium

omnium Theologorum opinionem: *Quacumque enim hora ingemuerit peccator, amplius peccatorum ſuorum non recordabor.* inquit Dominus Ezechielis 38. Ezechiel 38. nec enim eſt neceſſe ad Iubilæum, ut nullum peccatum mortale committatur toto tempore Anni Sacri, uel uiſitationum Eccleſiarum, quamuis laudabile ualde ſit ab illis abſtinere. Vnde nemini dubium eſt, quòd qui nondum ſuſcepit Iubilæū, licèt inceperit uiſitationes, poſſit uel eas iterum repetendo, uel continuando, pro ut libuerit, illum adipiſci: actus enim primus, ſi nullus eſt, uel inutilis, ſecundùm iura ciuilia repeti poteſt, etiam ſi res in primo actu finiatur. l. hæc conditio. ff. de condit. & demonſtrat. & per illud, quod communiter dicitur, utile per inutile uitiari non debet, de regulis iuris lib. 6.

DVBIVM DECIMVM.

An Romani, qui morte impediti fuerint, ne viſitationes perficere valeant, Iubilaeum conſequantur.

EX VERBIS, quę in Diplomate apponi ſolent, clariſſima huius dubij dilucidatio habetur: neque enim Romani, & incolę Vrbis tanto priuilegio gaudent, ut cœptis uiſitationibus, ſi aliquo impedimento, ne ualeant illas perficere, infirmitatis nempè, uel mortis prepediti ſint, etiamſi promptam, ac piam uoluntatem habeant, ac uerè pœnitentes, & confeſſi ſint, Iubilæi beneficium acquirere poſſint; quod ſolùm ſpeciali fauore conceditur his, qui poſt iter ad Vrbem huius deuotionis cauſa ſuſceptum, ſimiliter impediti fuerint. Ratio autem huius diuerſitatis illa aſſignari poteſt, ut benigniùs, ac faciliùs exteri ad peregrinationem ſuſcipiendam excitentur. Votum enim in hoc caſu pro facto reputari debet, cùm à Papa pro facto ipſo acceptetur, Capite; *Magna*, de pœnitentia, diſtin. 1. Lege Nauar. in Commentario de Iubilæo, notabili 19. num. 4. & in Gloſſ. uerbo, *Poſt iter*, ſuper Bullam Gregorij XIII.

Peregrini & exteri gaudēt hoc priuilegio, & nō Romani.

Nauar.

DVBIVM VNDECIMVM.

In qua parte Anni Sancti fructus Iubilæi acquiratur.

RESPONDEO cōpleta ultima uiſitatione: immediatè enim poſt illam fructus Iubilæi communicatur, cùm poſita ultima diſpoſitione forma, ſecundùm Philoſophos, introducatur. Sic benè cenſuit Nauarr. in Gloſſa, uerbo, *durante*, nu. 39. uerbo, *conſequentur*, ubi inquit, ipſo facto, poſt ultimum uiſitationum momentum, adhibitis cæteris neceſſarijs, ut dictum eſt. Indulgentiam Iubilæi acquiri, abſque ulla alia, uel Confeſſoris, uel alterius abſolutione, conceſſione, uel declaratione. Conditionalis enim diſpoſitio ſtatim poſt impletam conditionem ſuum ſortitur effectum, & non ante, Cap. *Si pro te*, de reſcriptis, l. cædere diem. ff. de uerborum ſignificationibus. Ex his infert Nauarrus, illum, qui in ultimo illo momento poſtremę uiſitationis non eſset in ſtatu gratię, oleum, ac operam perderet, laborem ſcilicèt uiſitandi, & fructū Indulgentię. Infert ſecundò in not. 19. nu. 22. maximè expedire ad reddendos homines ſui ſtatus certiores, quoad gratiam, ut in die ultima uiſitationis paulò ante, uel poſt Sacram Euchariſtiam ſumeret. Infert tertiò, quòd ſi ſecluſa ignorantia culpabili, quis bona fide, uel (ut dicitur) ignorantia craſſa exiſtimauerit, ſe benè confeſsum, & abſolutum fuiſſe, completis triginta, uel quindecim uiſitationibus, & deinde admoneatur de defectu aliquo contritionis, confeſſionis, uel abſolutionis; confeſſiones, quas fecerit, nō fuiſſe legitimas, nec effectum Sacramenti, idest gratiam illi contuliſse. Poterit is ſiue in Vrbe, ſiue extrà illam exiſtat (dummodo intrà ipſum Annum Sacrum defectū ſupplear) iterum confiteri, & ſic in Dei gratiam, mediante Sacramento, redire, & fructum Iubilęi tunc conſequetur: quod dictum ſolùm in benignitate Principis, atque in

Poſt ultimā uiſitationem acquiritur Iubilæus.

Nauar.

NOTA.

Optimū conſilium.

atque in eius clementi uoluntate inhęret, atque etiam quoniam bona fides culpam excludit,

Dvbivm Dvodecimvm.

An Indulgentia Iubilæi proſit concedenti.

Io. de Anan. Cardinalis. Io. And. Gaſp. Io. Cal. Sotus. Cordub. Indulgentiæ proſunt concedenti. Caiet.

IOANNES de Anania in tract. ſuo de Iubilæo, proponens hoc dubium, recenſet Speculatorem, in tit. de Pœnitentijs, & remiſſionibus, tenere partem negatiuã, quam etiam tenet Matthæus quidam, ut refert Cardinalis in Clementina 1. §. *quibus*, verſ. *quartò quaro*, quod etiam idem Cardinalis narrat, ſe dixiſſe, in Capitulo, *Cùm ex eo*, eodem tit. in 5. q. Contrarium tamen refert ſenſiſſe Ioan. Andream, & Gaſpar. & Ioan. Cal. in dictis iuribus. Verùm ut Doctor Sotus in quarto. diſt. 21. q. 1. art. 4. dubio ultimo, & Corduben. in q. 23. de Indulgen. dubio 3. rectè notãt, non eſt dubium inter Doctores, an Indulgentiæ proſint concedenti, excepto uno Caiet. qui tomo 1. tract. 15. cap. 5. concedit, quòd dans Indulgentiã alijs, ipſe non acquirat illam; eſſet enim à ratione prorſus alienum, ſi Prælatus, qui eſt caput Eccleſiæ, à tanto beneficio excluderetur, ea præcipua ratione, quòd caput ſit Eccleſiæ. Præterea, ſi Prælatus diſpenſat in ſua ciuitate nè ieiunetur in aliquo die ieiunij, cur non ipſe eodem priuilegio gaudebit? Deinde quoniam Princeps, ſi diſtribuat bona communia, poteſt & ipſe ſuam portionem accipere; ſic cõferens Indulgentias, tamquam pars Reipublicæ poterit beneficio Indulgentiarum potiri. Poſtremò, ſi Prælatus decernat ieiunium, uel feſtum ſeruandum in Eccleſia, an non quoque, & ipſe eadem lege, non quidem coactiuè, ſed directiuè, ut ſcholaſtici loquuntur, obligabitur? ſicut igitur in odioſis res ſe habet, ſic quoque in re fauorabili iudicandum erit, ut is, qui confert Indulgentias, earum ipſe particeps ſit. Adde, quòd tunc Papa, uel Prælatus eſſet peioris conditionis quàm alij.

AT uerò illud, quod inter Doctores in dubiũ uertitur, eſt; qua ratione, ſeu quomodo poſſint dicti Prælati Indulgentias ſuis ſubditis conceſſas acquirere, etiam faciendo ea opera, quæ iniunguntur.

Explicãt modus quo concedentes Indulgẽtias poſſint illas conſequi.

Aliqui exiſtimant, Prælatum Indulgentias poſſe conſequi ex hoc, quòd poteſt dare alteri poteſtatem, & abſoluat illum eò modo, ut ab eadem pęna, quo modo, & à qua ipſe abſoluit alios: ſicut igitur Papa ſubijcit ſe abſolutioni ſacramentali per conceſſionem, quam ipſe huiuſmodi Sacerdoti concedit; ſic etiam extrà Sacramentum ſubmittit ſe abſolutioni Indulgentię alterius, cui ipſe id committit. Vnde ſequitur, quòd ipſi Prælati nequaquam ſint peioris conditionis, quàm alij, etſi enim per propriam abſolutionem, quæ ſubditis impertitur, hoc non habeant; habent tamen idem per alienam abſolutionem ſua auctoritate conceſſam: nemo enim ſe ipſum iudicialiter abſoluere, uel ligare poteſt, cùm nemo ſimul iudex, & reus eſſe poſſit, ut l. penult. ff. de recept. arbi. & l. ille à quo §. tempeſtiuum. ff. ad Senatuſconſul. Trebell. ità Caietanus tom. 1. tract. 15. cap. 5. Archidiaconus in cap. de Indulgen. de Pœnitent. & remiſſion. lib. 6. Felinus in ſuo ſerm. de Indulgent. Vincentius, cap. cùm ex eo, de Pœnitent. & remiſſ. & Auguſtinus de Ancona, de poteſtate Eccleſię q. 29. artic. 2. quod etiam Durandus uidetur dixiſſe, in quarto, diſt. 20. q. 5. At hi à Nauarro ſic refellũtur in Cõment. de Indulg. notabili 20. nu. 9. & 18. ſicut. n. nemo poteſt ſe ipſum abſoluere, uel condemnare; ità nemo poteſt alteri poteſtatem communicare ſe abſoluendi, vel ligandi; qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, de regulis iuris lib. 6. & cùm nemo habeat poteſtatem ſe abſoluendi, vel ligandi, quomodo eamdem poterit alteri ergà ſe ipſum cõmittere? l. ſi vniuerſæ, C. de legatis, & Cap. *Quod autem*, de iure patronatus. Vnde infert, nec Papam, dum Sacerdoti confitetur, vllam ei committere iuriſdictionẽ, ſed ad Sacerdotem, tamquam ad Iudicem Cartularem Dei accedere, ut latiùs, & profundiùs ſcripſit, de poenitentia diſtin. 6. Canone, *Placuit*, num. 19. Verùm, ut in eo benè dixit Nauarrus, Indulgentiam non eſſe propriè abſolutionem, quę per

Caiet. Archid. Felin. Vincent. Aug. de Anc. Duran. Nauar.

ſententiam

ſententiam fertur, quod erat fundamentum Caietani. (Hoc enim expreſſe aſſerit D. Thomas in 4. diſtin. 20. quæſt. 4. ad primum, & ad tertium, ubi inquit, quòd Indulgentia non per modum ſententiæ, ſed per modum diſpenſationis cuiuſdam, quam homo poteſt facere ad ſe ipſum datur) ſic in illo peccauit, dum Iudicẽ Cartularem reſpectu Papæ in Scholam Theologicã introduxit: peregrina uiſa eſt Soto hæc doctrina, in diſtin. 18. quæſtio. 4. art. 2. Nobis autem indigna Theologo, & docto uiro. Nec enim Theologica gymnaſia, ut forenſia, ac ſtrepitoſa Iudicia metienda ſunt; quid Confeſſario cùm Cartulario Iudice? eſt nè uox Cartularis uſquam, uel in Scripturis Sacris, uel in Concilijs, aut uoluminibus Sanctorum Patrum reperta? Nec Theologi legiſtarum uocabulo indigent, ut rem declarent. Et quonam quæſo modo Papa Sacerdoti confitetur, niſi eidem, quem ipſe elegerit, iuriſdictionem ergà ſe ipſum tribuat? eſt ſanè Papa, dum confitetur, ſubditus ei Sacerdoti, cui per huiuſmodi electionem tribuit iuriſdictionem in ſe, quàm antea nõ habebat, eique Papa obtemperare tenetur, ſicut cęteri fideles. Sed argumentum Caiet. Sotus in diſtin. 21. quęſt. 1. art. 4. rectiùs ſoluit, dicẽs, neminem quidem poſſe iuriſdictionem in ſe exercere, cogendo ſe ipſum; ſicut ſe excommunicare, ſe ipſum ſacramentaliter abſoluere, & ſimilia; poſſe tamen per Clauem iuriſdictionis extrà Sacramentum aperire, uel diſpenſare Theſaurum, quo etiam ipſe diſpenſans, tamquam pars Reipublicæ, frui poſſit.

D. Tho.
Grauis error Nauarri.
Sotus.
Sotus.

Alij dixerunt, Prelatos Indulgentias à ſe alijs conceſſas acquirere, utendo, ac participando de theſauro Eccleſię communiter fidelibus diſpenſato, atque ità D. Thomas in additionibus ad tertiam pat. quęſt. 27. art. 4. & in 4. diſtin. 20. artic. 5. quęſt. 4. Paludanus in 4. diſtin. 20. quęſt. 4. art. 3. Supplementum Gabriel. in 4. diſt. 45. quęſt. 3. concluſ. 7. Geminian. in Canon. Indulgen. de pœnit. & remiſſio. lib. 6.

D. Thom.
Palud.
Supple. Gabr.
Gemin.

Alij dixerunt, id Prelatos efficere poſſe per viam diſpenſationis, vt quemadmodum Prælatus alijs diſpenſat Theſaurum, ſic & ſibi; atque ità ſenſit Nauar. not. 20. num. 18. & Calder. in Cap. *Noſtro*, de pœnit. & remiſſ. col. 7. 8. 18. & 19. Sed ſi nomen diſpenſationis preſſiùs ſumatur, fortè hic modus dicendi non ſubſiſteret, cùm nec Prælatus in irregularitate, & ſimilibus auctoritate ſua ſecùm diſpenſet, ſed vel auctoritate iuris, vel ſuperioris: ſi verò accipiatur pro diſtributione, ſeù cõmunicatione communium bonorum, verus eſt, & coincidit cum ſecundo. Vnde abſolute dicendum eſt, Prælatum, ſeù Papam participare, vt membrum corporis miſtici Eccleſiaſtici, de fructu eorum bonorum, quæ ex theſauro Eccleſiæ omnibus fidelibus ab ipſo communicantur. D. Thomas in 4. diſtin. 20. art. 5. quæſt. 4. dicit, quòd nullus poteſt ſibi ſoli dare Indulgentias, ſed poteſt vti ea, quam pro alijs dat [illegible]

Nauar.
Calder.
Solutio quęſtionis propoſitæ.
D. Thomas.

An Avtem Papa teneatur adimplere opera præſcripta in Diplomate Iubilæi. Aliqui in dubium reuocarunt. Supplementum Gabriel. in 4. diſtin. 45. quęſt. 3. art. 2. propoſit. 7. exiſtimauit, non obligari Prælatum ad executionem operis pręſcripti, & iniuncti in Iubilæo, ſed poſſe ſua auctoritate illud in aliud opus pium cõmutare, quod faciendo, Iubilæum acquirit. Sicut enim Papa de facto huiuſmodi opera iniuncta cùm infirmis, aut in carceribus conſtitutis, aut monialibus in clauſura uiuentibus commutat in alia pia opera; ſic ſe ipſum reſpiciendo, uel per ſe, uel per Confeſſorem ſuum, ea commutare poteſt, dummodo ſint cauſſa ſufficiens ad Iubilæum. Caietanus huic ſententiæ fauet in 1. 2. quæſt. 96. art. 5. dicens, quòd Prælatus poteſt ſecum diſpenſare in lege, & ſtatuto ſuo.

Suppl. Gabr.
Caietan.

E contra alij affirmant, Papam ſub ea ipſa forma, quam alijs præſcribit, Iubilęũ conſequi debere, cunctaque opera præſtare, quæ alijs in Diplomate iniuncta ſunt. Ità Riccardus in 4. diſtin. 20. art. 4. quæſt. 3. & Paludanus eadem diſtin. quæſtio. 4. art. 3. Cùm enim Prælatus ui directiua legis obligetur, non eſt cur ipſe ab exhibitione huiuſmodi operum excludatur: tenetur enim uerbo, & exemplo gregem dirigere. Vnde ſicut in ieiunio tenetur Papa abſtinere ab eiſdem cibis, eaque forma ieiunare, qua cæteri Chriſtiani tenentur, niſi rationabilis cauſſa excuſet; ſic iniuncta opera in Indulgentia tenetur implere, niſi iuſta cauſſa commutationis exiſtat,

Pontifex debet opera in Iubilæo iniũcta præſtare, ut conſequatur illum.
Riccar.
Palud.

ſi fructum

ſi fructum Iubilęi conſequi vult:nec enim poteſt participare Indulgentias abſque alicuius pij operis exhibitione,de qua re lege Corduben.in quæſtio.31.de Indulgentijs, & nos alibi diximus.

Cordub.

DVBIVM DECIMVMTERTIVM.

An talis Indulgentia proſit Mortuis.

Io. de Anan.

MOVET hoc dubium Ioann. de Anania, nec illud ſoluit, niſi referendo ſe ad ea,quæ dicuntur in Cap.*Anima Defunctorum*.23.quæſt.2. Sed iam à nobis in 2.lib.abundè declaratum fuit,hanc Indulgentiam Iubilęi pro defunctis conceſſam non eſſe. Quocircà dicendum eſt,illis in ratione Indulgentię pręciſe non prodeſſe,ſed eos per orationes,ieiunia,peregrinationes,atque alias Indulgentias pro mortuis datas,quę in Vrbe frequentes ſunt,poſſe per modum ſuffragij à fidelibus mirificè in Anno Sancto adiuuari. Id enim eſt baptizati pro mortuis,ut inquit Apoſtolus 1.Corinth.15.in Baptiſmum pœnitentię,opera nimirum afflictionis,& pœnitentię pro animabus Defunctorum facere,ut ad literam Dionyſius, Hugo, Gagneius,& alij exponunt. Pœnitentia enim quintum Baptiſma à Gregorio Nazianzeno,in Oratione de Epiphania,appellatur, & ante illum à Cypriano in ſermone de Cœna Domini,& in procœmio libri de exhortatione Martyrij. Alexander Sextus in Anno Sacto, qui in ſuum tempus incidit, uidelicèt in anno milleſimo quingenteſimo, etiam ad animas Purgatorij hanc Iubilęi Indulgentiam extendit,data eleemoſina ad arbitrium alicuius Pœnitentiarij,pro reparatione Baſilicę Sancti Petri, ut uidere eſt in ſua Bulla.

Non eſt conceſſus annus Iubilæi pro defunctis.

1.Cor.15.

Dionyſ.
Vgo.
Gagneius.
Nazian.
Cyprian.
Alex. VI.

DVBIVM DECIMVMQVARTVM.

An proſit Epiſcopo, qui ſine expreſſa licentia Papæ accedit ad Iubilæum.

Epiſcopi poſſunt abſque ſpeciali licentia peregrinari ad Vrbē anno Iubilæi.
Io. de Anan.

QVAMVIS Epiſcopus ſine licentia Papę regulariter peregrinari non poſſit, ut in Cap.*Magna*,de uoto,& in Cap.*Non oportet*,de conſecratione,diſtin.5.tamen in Anno Sacro Papa in ſuis Bullis omnibus generalem licentiam tradere uidetur ad Vrbem peregrinandi, deuotionis cauſſa. Quocircà, ut bene concludit Ioann. de Anania, loco citato, alia licentia non requiritur, ad hoc ut fructum Iubilęi acquirat.

Epiſcopi in itinere, rogati concionari debent.
Cōc. Cartha.
Actor.13.
Ciril. Alex.
Amb.
Niſſen.
Euſeb.
Taper.
Soteall.

ILLVD autem in peregrinando obſeruare debent Epiſcopi, ut ſi inuitentur ab eius Ciuitatis,per quam tranſierint, Epiſcopo ad concionandum, vel ut Populo adhortatorium ſermonem faciant,alacriter,hilariq; animo id præſtent, iuxtà veterem,ac laudabilē Eccleſiaſticam conſuetudinem,quæ in Conc.4. Cathaginenſi Can.33.habetur,& refertur 7.quęſt.1.Can.*Epiſcopi*.ſic Paulus Act.13.rogatur, vt populo ſermonem faciat,ſic apud Cyrillum Alexand.Epiſcopum Homil.7.& 8.apud Ambroſium,ſerm.48.obſeruatum reperies,& iuſtè Gregor. Nyſſenus cōqueritur cùm Amphilochio, quòd Helladius Epiſcopus Cæſarienſis eum ad id agendum non inuitauerit. Refert Euſeb.lib.5.Hiſtor.cap.24. Antiquam fuiſſe conſuetudinem piam quidem,ac laudabilem,quòd Epiſcopus,quando in ſuam Ciuitatem alium Epiſcopum excipiebat, ſalutandi gratia Sacram Euchariſtiam ad illum mitteret: quod etiam in ſignum fœderis olim Pontifex faciebat Epiſcopis Romam aduentantibus,ut colligitur ex eodem lib.4.cap.39. Taper artic.14. Soteall. verb. Euchariſtia §.9. & Miſſa. §.4.

DVBIVM DECIMVMQVINTVM.

An proſit Clerico, præſertim curam animarum habenti, qui ſine licentia Epiſcopi vadit ad Iubilæum.

QVICQVID ſit de articulo illo. An Clericus uolens Romam accedere ad Iubilæum,teneat̄ nō ſine licentia Epiſcopi diſcedere,de qua re in auth.de Epiſc. & Cler.

& Cle. §. *Interdicimus*, & in Capitulo, *Licèt*, de reſiden. & in Cõc. Laodiceno, Canon. 42. ubi dicitur, *Non oportet miniſtrum altaris, uel quemlibet Clericum præter iuſſionem Epiſcopi, ad peregrinandum proficiſci*; tamen etiamſi abſque licentia diſcedat, & Romæ requiſita adimpleat, fructu Iubilæi non priuatur, ut idem Ioann. de Anania eo loco rectè concludit. Quæ autem Curatus præmittere debeat, ne gregem ſuum damno in ſpiritualibus afficiat, ſuperiùs dictum eſt.

Conc. Laodicen.
Clerici ſine Epiſcopi licẽtia peregrinãtes ad Vrbem fructu Iubilæi non priuãtur.
Io. de Anan.

DVBIVM DECIMVMSEXTVM.

An proſit Monacho, uel Religioſo, qui ſine licentia Abbatis, uel ſuperioris proficiſcitur.

ET DICO cũ eodẽ Ioan. de Anania prodeſſe, quãuis ſi accedat ſine licẽtia, fortè peccet. Ioan. Monachus in dicta Gloſſa magna, uerſus finem, quærit: An Abbas poſſit iuſtè hanc licentiam peregrinandi Romam in Anno Sacro Monacho concedere; & reſpondet, non ſolùm iuſtè poſſe, cùm hæc Indulgentia per ſemitam compendij, non per communes tramites remiſſionem pœnarum tribuat; ſed eò magis conuenire, quia Religioſus eò efficaciùs recipiet Indulgentiam, quò magis eſt diſpoſitus interiùs per virtutum exercitia, quæ in Religione fiunt. Nemini igitur neganda eſt, qui eam humiliter petit, & ſe illa indigere profitetur.

Regulares ſine ſuperioris licẽtia ad Vrbem accedentes conſequũtur Iubilæũ.
Io. de Anan.
Io Monac.

SED ea quæſtio hoc in loco diſſimulanda non eſt. An dare operam ſuſcipiendis Indulgentijs ſit opus perfectionis, uel imperfectionis.

An ſuſcipere Indulgentias ſit opus perfectionis.

Diſputant hanc quæſtionem Caiet. tomo 1. tract. 16. q. 2. Cordubenſ. de Indulgent. q. 40. Nauarrus notab. 5. num. 2. Auguſtinus de Ancona de poteſtate Eccleſiæ q. 31. art. 3. & Sotus in 4. diſt. 21. q. 2. art. 1. dubio penult. ex quibus aliqua in hac re dicenda ſunt.

Caiet.
Cordub.
Aug. de Anco.
Sotus.

DICO primò, ſuſcipere Indulgentias non dicit per ſe imperfectionem, immò perfectionem: uti enim remedijs, quæ Chriſtus, & Eccleſia proponit nobis ad ſoluendas pœnas, quas debemus, actus perfectionis eſt. Deinde etſi Indulgentię formaliter ſatisfactoriæ tantùm ſint; tamen uelle illas acquirere, atque ſe in ſtatu gratiæ ponere, uel conſeruare, ut illam quis conſequatur, eſt actus meritorius, & viro perfecto dignus. Præterea, ut inquit Caiet. aliquid facere pro Indulgentia ſatisfactoria eſt meritorium non ſolùm ex genere operis, putà, Eccleſiam ſubuenire, aut preces fundere; ſed etiam ex intentione facientis, qui mouetur ex charitate ad remouenda impedimenta ſui ingreſſus in Cœlum, quod magnopere viro perfecto dignum eſt. Inſuper quãuis ex genere ſuo perfectius ſit proprijs operibus pro ſuis delictis ſatisfacere, cùm maius meritum homo habeat ſatisfaciendo per ſe, quàm ſi Indulgentias ſuſcipiat; tamen ſi utrumque homo uelit facere, & per proprias, & alienas pœnas ſatisfacere, perfectiſſimum erit: ſatisfacere enim Deo per Indulgentias non impedit uoluntatem ſatisfaciendi ei per proprias pœnas, neq; executionem conſilij de implendo pœnitentiam per Indulgentiam condonatam. Quamuis enim hæc ad ſatisfaciendum non prodeſſent, proſunt tamen ad merendum, ad medendum peccatis, ad ea maiori odio proſequenda, atque ex beneficio Indulgentiæ accepto homo perfectus magis impellitur, & mouetur ad bonũ. Ex quo infert S. Thomas, & communiter alij Doctores, etiam ſuſceptis Indulgẽtijs, hominem pœnitentiam à confeſſario iniunctam adimplere expediens eſſe, aliaq; opera ſatisfactionis facere; reliquiæ enim peccatorum, ac pronitates ad peccandum relictę ex priori peccato, non niſi labore proprię ſatisfactionis ſanantur: in 4. diſt. 20. art. 3. q. 1. ad quartum, & quodlibeto 2. q. 8. art. 16. ad 3.

Indulgentias conſequi, eſſe opus perfectionis.
Caietan.
D. Thomas.
NOTA.

DICO ſecundò, imperfectorum eſſe Indulgentias ſuſcipere eo conſilio, ut ſuſceptis illis, tepidè Chriſto inſeruiant, vel labori in eius obſequio parcant, uel ut minus cautè impedimenta peccatorum euitent, uel ut minus ſtudioſè uitiorum radices euellant; quod, ut benè Nauarr. notauit loco citato, quàm plurimos in hoc ſæculo facere dubitandum eſt.

Quomodo dicat imperfectionẽ acquiſitio Indulgẽtiarum.

DICO

Ignorantia quorundam male publicātium Indulgentias.

Dico tertiò, ignoranter ab aliquibus, dum Indulgētię euulgantur, dici tantum meritum tribui Indulgentiam ſuſcipientibus, ſi eleemoſinam portigant, putà duorum aureorum, ac ſi Romam, uel Hieroſolymam, uel Lauretum perſonaliter accederent. Ex natura enim operis longè magis meritorium eſſe cognoſcitur longā per ſe ipſum peregrinationem peragere ad loca ſancta, quàm datis duobus aureis Indulgentia potiri. Quod nec etiam, ut Sotus loco citato dixit, auctoritate Pontificis mutari poteſt; cùm meritum, opus ipſum, & quoad qualitatem, & quoad quantitatem gratię (cęteris paribus) ſequatur: licèt uerum ſit, Papam per Indulgentiam poſſe facere, ut quis ab ea Purgatorij pœna liberetur, quę pœnitentię illi reſponderet, qua iniunctum fuiſset, ut Hieroſolymam, uel Lauretum iret.

Pro Regularibus maioris eſt perfectionis regularis obſeruātia, quam cōſecutio Indulgentiarum. D.Thomas.

Dico quartò, pręciſe loquendo, maioris perfectionis eſſe Religioſo obſeruare Regulam, quam acquirere Indulgentias: per illam enim præmium eſſentiale uitę ęternę meretur, quod prę ſtat remiſſioni cuiuſcumque pœnę etiam Purgatorij, atque hoc dictum eſt Sancti Thomę in 4. diſtin. 20. art. 5. queſtio. 2. Vnde ſequitur, quòd quando Indulgentias exquirendo regularis obſeruantia diſſoluitur, tunc Indulgentię à Religioſis perquirendę non ſunt, quoniam minus bonum efficiunt, quàm regularis obſeruantia.

Malū eſſe uotum de nō' accipiendo Indulgentia.

Dico quintò, uotum, ſeù conſilium de nulla accipienda Indulgentia, etiam eo animo ne liberetur quis à pœna Purgatorij, malum eſſe, nec tenere; ut tādem optimè Soto uiſum fuit, licèt aliàs contrarium ſenſiſſet, ut in calce præcitari articuli primi refert. Quamuis enim ſi in pœnis Purgatorij ſola pęna ſenſus conſideretur, ingentis pœnitentiæ actus ex egregio Dei amore procedēs uideatur ille, quo quis pœnas Purgatorij, quibus dignus eſt, ferre eſt paratus; nihilominus ſi pœna damni, quæ animam à diuina uiſione retardat, conſideretur, multò maioris amoris erga Deum indicium eſt, uelle hominem à Purgatorij pœnis quamcitiſſimè liberari, & eſſe cùm Chriſto.

Indulgentia eſt mediū per quod hō celeriùs a pœnis liber efficit, quā per omnia alia. D.Tho. D.Bonau. Aleng. Gabr. D.Anton. Aug.de Anc. Gerſon. D.Tho. Angeſt. Cordub.

Dico ſextò, inter omnia media, ac ſuffragia Eccleſiaſtica quibus homo celeriùs à pœnis liberatur, præſtantiora, & utiliora ſunt Indulgentię, ex doctrina D. Thomę in 4. diſtin. 20. D. Bonauenturę ibidem queſt. 5. Alexandri de Ales. 4. par. Sum. queſt. 42. art. ultimo, Gabri. in Can. lect. 57. D. Antonini 3. par. Sum. tit. 22. cap. 5. Auguſtini de Ancona loco citato, & Gerſonis in tract. abſolut. Sacrament. alpha. 33. litera K. Hinc ſequitur, quòd cęteris paribus, fructuoſior, & magis Deo grata eſt operatio bona cum Indulgentijs, uel Iubileo, quàm altera ſimilis ſine illis. Ità D. Thomas in 4. diſtin. 20. Gerſon in 2. par. Sum. tract. de Indulgen. conſideratione 12. alphab. 34. litera A, & Angeſtus in Moralibus cap. 8. quos citat Corduben. in citata queſtio. 40.

DVBIVM DECIMVMSEPTIMVM.

An proſit uxori, quæ acceſſit ſine licentia viri, vel è contra.

Vxor non habens a uiro ſuo licentiam peregrinādi, conſequitur Iubilæum. Io. de Anan.

BREVITER reſpondet Ioan. de Anania, quod etiam communiter tenetur; licèt peccet mulier ſine licentia viri ad Iubileum accedens, & è contrà; tamen gaudet Indulgentia; nec res vllam habet difficultatem; præſertim quia nec illos ſic accedentes peccare credendum eſt, niſi ex cauſa rationabili negetur acceſsus.

DVBIVM DECIMVMOCTAVVM.

An proſit iniuſtè retinenti bona aliena.

Io. de Anan. Volens, & nō potens reſtituere, conſe-

IN Hoc dubio, (ut benè inquit Ioan. de Anania) diſtinguendū eſt; uel enim pœnitet Petrum bona aliena retinere, & poteſt reſtituere; & ſic reſtituendo debet abſolui, & Iubileum, cęteris neceſſarijs concurrentibus, conſequetur; uel non pœnitet, nec vult reſtituere, & ſic nullo pacto conſequetur fructum Iubilei, qui non

acquiritur

acquiritur niſi ab eo, qui eſt in gratia, & cui iam remiſſa ſunt peccata. Peccatum autem non remittitur, niſi reſtituatur ablatum. Impotenti autem ad tunc temporis reſtituendum inſeruient regulæ generales, quæ traduntur à Theologis in materia reſtitutionis. Faciunt ad hoc ea, quæ Canoniſtæ ſcribunt in Cap. *Cùm tu*, de vſuris, & Summiſtæ verbo, Reſtitutio.

quitur Iubilæum, non autẽ cõtrario modo ſe habenti.

Dvbivm Decimvmnonvm.

An proſit Excommunicatis.

PAvcis reſpondet idem Ioan. de Anania, quòd ſi quis iniuſtè eſt excommunicatus, prodeſt illi Indulgentia, per Cap. *Cum æterni*, de ſententia, & re iudicata lib. 6. cui addenda ſunt, quæ communiter tradunt Doctores, & Summiſtæ circà ligamen iniuſtæ excommunicationis, quæ ſicut ſuffragijs Eccleſiaſticis neminem priuat; ſic etiam neque fructu Indulgentię. Si verò quis iuſtè excommunicatus ſit, nullo pacto fructum Sacri Iubilæi conſequi poteſt, ut notiſſimum eſt. Verùm ſi contritione iuſtificatus ſit, nec potuit confiteri, vòluit tamen; tunc ſi contendat lucrari Indulgẽtias non peccat, & illas fortaſſe lucratur, cum omnibus iuſtis proſint ex operato. Ità Nauar. notabili 18. num. 14. & Henriquez lib. 7. cap. 18. §. 2. & lib. 23. cap. 12. num. 3.

Iniuſtè excõmunicatus cõſequitur Iubilæum.
Io. de Anan.
Iuſtè excõicatus quomodo conſequatur Iubilæum.
Nauarr.
Henriquez.

Dvbivm Vigesimvm.

An proſit illis, qui inceptum iter perficere non poſſunt.

ET Respondetvr prodeſſe, ſicut ex Bulla Iubilæi notum fit, dummodò legitimum impedimẽtum adſit, ut infirmitas. Nauarrus in Gloſ. verbo, *poſt iter*, in Bulla Greg. XIII. dicit, illum, qui eſt impeditus, etiã iuſto impedimento ab executione operis, propter quod datur Indulgẽtia, illam non poſſe conſequi; quod tamẽ fallit, ut diximus, in eo, qui poſt iter arreptum impeditur. Addit autem, quòd ille, qui eſt impeditus confiteri, uel alia facere, ob quæ non conceditur Indulgentia, licèt ad eam acquirendam requirantur, acquirit illam, quod etiam dixit in nu. 10. eiuſdem Gloſſæ; extra hunc caſum in Diplomate expreſſum, operæprecium eſt ei, qui vult fructum Iubilæi adipiſci, adimplere conditiones, ſeu opera, quæ in illo iniunguntur, ut rectè tradit D. Thomas in additionibus ad 3. par. q. 30. art. 3. & Paludanus diſt. 20. q. 4. art. 3. Idcircò ſi quis ex infirmitate, paupertate, uel ex quacumque alia cauſa omittat, vel iter ſuſcipere ad Vrbem, uel Eccleſias uiſitare, ſi Romanus ſit, nequaquam Iubilæum acquirit, etiamſi magnam voluntatem habeat ſuſcipiendi illum. Voluntas enim pro facto, quoad illa beneficia, quæ uoluntariè, & ſub conditione à Principe offeruntur, non reputatur, neque coràm Deo, quoad accidentalia præmia, uoluntas hominis ſine facto coronatur, licèt quantũ ad præmium eſſentiale pro eodem à Deo acceptetur efficax uoluntas, & factum. Vnde ut rectè D. Antoninus in 2. par. ſum. tit. 10. cap. 3. Paludanus loco citato, & Corduben. q. 23. ſubiungunt, non ſatis eſſe partem operum, quæ iniunguntur, adimplere, ut quis partem Indulgentię lucretur; ſed aut totum, & eo modo, quo imponitur, aut nihil: ſemper enim attendendus eſt modus conceſſionis. lege Bonauenturã in 4. diſt. 20. q. 4. art. 2. & Hoſtien. extra de Iudęis, Capitulo, *Ad liberandã*.

Legitimè impeditus pdeſt Iubilęus.
Nauar.
D. Tho.
Palud.
D. Antonin.
Palud.
Cordub.
D. Bonau.
Hoſtien.

Dvbivm Vigesimvmprimvm.

An proſit illi, qui per ſe ipſum non accedit, ſed mittit alium.

AFfirmative reſpondet Ioan. de Anania in dubio 10. eius tract. quem de Iubilæo fecit, dicens, communiter teneri, quòd ſi iuſtè eſt impeditus, ei prodeſt, alias

Io. de Anan.

 deſt, alias

Non prodeſt Iubilæus mittenti pro ſe alium. deſt, aliàs ſecus. Verum hæc doctrina in Indulgentia Iubilæi non eſt vera; requiritenim illa tam quoad peregrinos, quàm quoad Romanos perſonalē induſtriā, propriæ ſcilicèt perſonæ laborem in peregrinando, uel uiſitando Eccleſias præſcriptas; atque hoc in Diplomate ſatis clarè habetur.

DVBIVM VIGESIMVMSECVNDVM.

An ità proſit illi, qui init eques, ſicut illi, qui init pedes.

Io. de Anan. SECVNDVM doctrinam Io. de An. qui hoc dubiū decimotertio loco ponit, attendenda eſſet qualitas perſonę; & ſic is, qui ſanitate gaudet, ſi equo, uel curru uectus accederet, fructum Iubilæi non acquireret. Sed profectò hęc doctrina recipienda nō eſt; quamuis enim quoad meritum magis mereatur, qui plus laborat, Vtriq; æqualiter prodeſt, ſed non eſt æquale meritū. cæteris paribus; tamen quoad effectum Indulgentiæ, dummodo neceſſaria ad illam requiſita adimpleat, æquè acquirit illam, qui curru, uel equo vehitur, atque ille, qui ſuis pedibus, uel Romam petit, uel Eccleſias uiſitat.

DVBIVM VIGESIMVMTERTIVM.

An Indulgentia Iubilæi toties quoties acquiri poſſit.

Io. de Anan. IOAN. de Anania proponens hoc dubium, reſpondet, quòd is, qui pluries accedit Romam in Anno Iubilæi, & pluries uiſitat Eccleſias, ut ex Bulla Bonifacij VIII. colligitur, plus meretur, & efficaciùs Indulgentias conſequitur. Vnde ex Pluries acquiri poteſt Iubilæus in anno ſancto. his concludendum eſt, pluries in eodem anno hanc Indulgentiam Iubilęi obtineri poſſe. Nauarrus in Gloſſa, uerbo, *deuotè*, Commentarij ſuper Bullam Gregorij Nauar. XIII. nu. 46. in utramque partem hanc difficultatem diſputans, tandem concludit, partem affirmatiuam veriorem eſſe, ità ut quis poſſit bis, uel ter, uel pluries faciendo uiſitationes requiſitas in eodem Anno Sacro acquirere ſibi Indulgētiam Iubilæi. Beneficium enim Principis pręſertim tertio non præiudiciale, uel nociuū Palud. latiſſimè interpretandum eſt. Adducit quoque doctrinam Paludani in 4. diſt. 20. q. 4. col. 6. quæ habet, quòd Indulgentia in perpetuum, uel in tempus aliquod certum, uiſitantibus aliquam Eccleſiam conceſſa acquiri poteſt quolibet anno, quolibet menſe, & qualibet die. Vnde ſicut ſi per decem annos omnibus Dominicis diebus conceſſæ ſint Indulgentiæ alicui Eccleſiæ, pluries certè gratia illa acquiri poteſt; ſic quoque cùm Indulgentia Iubilæi toto Anno Sacro durante proponatur, poterit ab eodem homine pluries, immò quolibet menſe, viſitatis ſæpius Eccleſijs, per quindecim, uel triginta dies, acquiri. Cui doctrinæ fauent ea, quæ ſcri-Angel. Roſel. bunt Angelus, verbo, Indulgen. §. 4. & Summa Roſella, §. 12. quòd quando conceditur Indulgētia pro determinato tempore, pluries acquiri poſſit, immò toties quoties, etiam in eadem die, vt conſuetudo eccleſiaſtica interpretatur in multis Indulgentijs, & præſertim in Eccleſia Sanctæ MARIAE de Angelis propè Aſſiſiū, Cordub. & alibi, quod etiam Corduben. placet in quæſt. 33. de Indulgentijs. §. *Sed his non obſtantibus*, vbi habet, quòd iam conſuetudo interpretatur, vt quando Indulgentia cōceditur per multos dies, putà per octo dies viſitantibus, vel orātibus, &c. poſſit quilibet quolibet die illam lucrari ſemel in die: ſic puto, quòd qui Romę commorantur, poſſent ſaltem duodecies acquirere Iubilæum, videlicèt in fine cuiuſcumque trigeſimæ viſitationis, quæ ſi incipiantur à die Vigiliæ Natiuitatis Domini, in quo Porta Sancta aperitur, & vſque ad ſequentis Anni ſimilem Vigiliam, in qua illa clauditur, opportunum ſpacium præſtant, vt Iubilæus duodenis vicibus Obiectionis dilutio. ſuſcipiatur. Nec huic doctrinæ aduerſantur ea, quæ ſcribit D. Thomas in 4. diſtin. D. Thomas. 20. quæſt. 3. art. 2. ponens differentiam inter perennem, ſeu perpetuam, & non perpetuam Indulgentiam, quòd illa toties quoties; hæc verò ſemel tantùm acquiri Nauar. poſſit; vel enim loquitur, (vt Nauarrus vult) de Indulgentijs ad certum dierū tempus dum-

pus dumtaxat determinatis; vel certè interpretandus eſt, niſi mens concedentis, vel conſuetudo Eccleſiaſtica ſecus interpretentur. Paludanus rectè animaduertit, quòd etiam in perpetuis Indulgentijs non fas eſt, qualibet hora, vel momento diei illas ſuſcipere; tunc enim ludibrio eſſent, & fraudem, atque irriſionem cauſarét; quod dictum aliqua limitatione indiget: nam qui ſtatutis horis, vel alijs accedit ad Eccleſiam, quæ beneficio talis Indulgentiæ ornata eſt, orandi, vel audiendi verbum Dei cauſſa, vtique fructu huiuſmodi Indulgentiæ priuandus nõ eſt, cùm nec id contra mentem concedentis ſit. Qui verò ſępiſſimè eodem ferè momẽto ingreditur, & egreditur; vel etiam circulos peragit, vt mulieres faciunt, cùm talis modus ludicrus, & irriſorius ſit, atque à concedentis mente alieniſſimus, nequaquam Indulgentiam acquirit; & ſic exponendi ſunt Doctores Theologi, vt Durandus diſtin.20.quæſt.4.& Canoniſtæ, vt Felinus in tract. de Indulgen. & alij in Cap. fi. de pœnit. & remiſſ. lib. 6. & in Extrauaganti Cap. *Quod autem*, & in Cap. *Cùm ex eo*, eodem titulo. Facit etiam quòd ſcribit Henriquez lib. 6. cap. 16. §. 3. quòd quandò conceditur Iubilęus pro vna ex duabus hębdomadis, poteſt quis bis illum lucrari, in prima ſcilicèt, & ſecunda hębdomada, & iterum à nouo caſu Cęnę abſolui, dum ſecundò illum adipiſcitur.

Palud. Duran. Felin. Henriq.

Dvbivm Vigeſimvmqvartvm.

An peccans ſpe Indulgentiæ conſequendæ poſſit Iubilæum conſequi.

OPinio fuit Ioan. de Anania, huiuſmodi nequaquam conſequi poſſe Iubilęi fructum, in dubio enim vltimo ſic dicit. *Qui confidens de Indulgentia, committit aliquod delictum, communiter tenetur, quòd Indulgentia non profit illi.* Nauarrus tamen in notab.34. Commentario de Indulgen. num.6. diſputans in utramque partem de hac re, tandem docet contrarium, & uidetur uerum dicere, dummodò ille confiteatur, & conteratur de uana illa ſpe, & confidentia: qui enim peccat ſpe uenię, non grauius committit peccatum, quàm qui ſine illa peccat, imò minus. Vnde Religioſis, qui cum ſpe habendi abſolutionem, in cẽſuras, & irregularitates incidunt, abſolutio ab eorum Pręlatis paſſim non negatur. Corduben. quęſt. 37. de Indulgen. propoſit. 2. & Martinus Ledeſmius in 2. quarti quęſt. 29. art. 1. eam limitationem huic doctrinę adhibent, ut ſemper uera ſit, niſi exprimatur in Diplomatibus, ne ſpe Iubilęi peccantes, eo ad huiuſmodi peccata uti poſſint; quòd ſi nihil excipiatur, in re fauorabili gratia latè eſt interpretanda: nec priuilegium ipſo facto amittit, qui conceſſa ſibi abutitur facultate, quamuis dignus ſit illius priuatione. Vnde Silueſter, uerbo, Indulgen. num. 28. ex doctrina Archidiaconi, in forma abſolutionis docet ſolere addi clauſulam illam, *Præterea quæ ex confidentia huius indulti commiſiſti*, quod etiam procedit in diſpenſatione Irregularitatum, ſi circà has detur facultas, & in abſolutione uotorum, & cenſurarum, niſi contrarium in Indulto exprimatur.

Io. de Anan. Nauar. Peccãs ſpe Indulgentiæ illam conſequitur, ſi de hoc confiteatur. Cordub. Martin. Ledeſm. NOTA. Sylueſt.

Dvbivm Vigeſimvmqvintvm.

An liceat pro delicto futuro Indulgentiam accipere.

NEmini dubium eſse debet, dum conceduntur Indulgentię à Papa, illas concedi pro peccatis etiam poſt ſuam conceſſionem perpetrandis uſque ad eam horam, qua quiſque illas ſuſceperit, niſi aliter in conceſſione expreſsum fuiſset, quamuis in utramque partem multa diſputet Nauarrus ſatis perfunctoriè, in notab.34. num. 1. 2. & 3. Nec ueniam ei, qui non eſt correptus, Papa tribuit, contrà regulam iuris, lib. 6. quę habet, *Peccati venia non datur, niſi correpto:* nam non promittit, nec offert remiſſionem delicti, niſi pro tempore, quo aliquem uerè illius pœniteat. Felinus in cap. fin. de conſtitut. verſus finem, refert, Dantem famoſum Poe-

Valet Indulgentia p peccatis cõmiſſis uſq; ad tẽpus conſecutionis ipſius Indulgentiæ. Nauar. Felinus.

Saliceti. Iacob. Butr.

tam deriſiſſe Eremitam, qui deſiderabat à Deo ueniam peccati, antequàm illud admitteret, atq; ex doctrina Saliceti poſt Iac. Butr. in l. Caſtitati. C. de adulterijs, dicit, quòd reſcriptum dans remiſſionem pœnæ inſligendæ ante delictum commiſſum non ualet; quia inuitat ad delinquendum, & quia remitti non poteſt id, ad quod quis non eſt adſtrictus; & quia remiſſio fit penitenti; ſed pœnitere, & malè operari ſimul non poteſt fieri, non conſentiente oppoſitorum contradictione. Hæc ille. Sed Monachus nequaquam deriſione dignus erat, cùm in eo deſiderio, & humanæ naturæ labentem fragilitatem cognoſceret, & Dei uberrimam miſecordiam prædicaret, eaq; pia exercitatione tutiùs peccata præcaueret, quæ perenni odio inſectabatur. Quæ autem Iuriſperiti illi dixerunt de remiſſione pœnæ ante delictum non inſligendæ, locum habet in foro exteriori, & in remiſſionibus pœnarum ex beneficio Principis conceſſis, ne uia delinquendi faciliùs pateat.

Cordub. Roſell.

Corduben. q. 27. de Indulg. & Summa Roſella tit. de Indulg. §. 16. affirmant, huiuſmodi Indulgentiam reſpicere commiſſa, & committenda peccata uſque ad tẽpus, quo talis Indulgentia ſuſcipitur, non autem futura. Quod intelligi debet, quando Indulgentia ſemel tantùm acquiri poteſt; nam quando pluries in eodem anno ſuſcipi poteſt, ut Indulgentia Anni Sacri, tunc etiam ſi poſtquam illam bis, uel ter ſuſceperit, peccet mortaliter, poterit rurſus quartò illam acquirere, & eius peccati remiſſionem habere.

Sotus ponit diſcrimen inter facultatẽ abſoluendi a reſeruatis, & commutandi uota.

Sotus lib. 7. de Iuſtitia, & Iure. q. 4. art. 3. ponit diſcrimen inter facultatem abſoluendi à peccatis reſeruatis, quę in Diplomatibus Cruciatæ concedi ſolet, & inter facultatem diſpenſandi, ac commutandi uota; nam illa extenditur, inquit, etiam ad peccata, quæ poſtquam Bullam ſuſceperit, quiſque commiſerit; Priuilegium uerò diſpenſandi in uoto, aut illud commutandi, non niſi de illo uoto intelligitur, quod ante edideras, quàm Diploma ſuſceperis: putat enim Sotus, aliam eſſe rationem in foro fori, aliam in foro pœnitentiæ, ad quod nil attinet uoti diſpenſatio: ſed quicquid ſit de uotis, certum eſt, circa peccata, eorumq; remiſſionem doctrinam, quam tradidimus, locum habere.

DVBIVM VIGESIMVMSEXTVM.

Quod remedium dandum eſt illi, qui completa viſitatione Eccleſiarum peccat mortaliter, & ad patriam vult redire.

Nauar.

NAVARRVS in notab. 34. in q. 4. nu. 7. huic quæſtioni reſpondet, quòd, licèt is ob mortale peccatum, quod poſt completas viſitationes commiſerit, non amittat, vel extinguat remiſſionem peccatorum præcedentium per Iubilæum acquiſitam; nihilominus illud vnum habebit remedium, vt vel iterum repetat viſitationes, & denuò ſuſcipiat Iubilæum, vel certè ſuppliciter, atque humiliter expoſcat à Papa, ut attenta itineris longitudine, atque etiam impenſarum onere, uel item ſociorum comitatu, quem ſequi debet, abbreuiatis, aut diminutis diebus viſitationum Eccleſiarum iterum ſuſcipiat Iubilęũ, cui rei in foro conſcientiæ benignisſimus, ac clementiſſimus Pater fauere ſolet.

Vel iterũ ſuſcipiat Iubilæum, uel Pontificis auxiliũ petat.

DVBIVM VIGESIMVMSEPTIMVM.

An Sanctimoniales tàm exteræ quàm Romanæ priuentur fructu Iubilæi in Anno Sancto.

ET Dico quòd, ſi verba Diplomatis Apoſtolici attendamus, utique illæ priuantur, cùm opera iniuncta adimplere non poſſint; & quamuis legitimo impedimento detentæ ſint, nec enim ſepta Monaſterij egredi poſſunt, tamen quia cõditionem conceſſionis adimplere non poſſunt, fructum Iubilæi nõ acquirunt. At uerò ſpeciali fauore, atque gratia dignæ ſunt. Vnde ad illarum ſupplicationem, & humillimam petitionem ſolet Pontifex, præſcriptis alijs operibus, & viſitatis Altaribus,

Priuilegium Monialiũ, & clauſtraliũ, ꝑ Iubilæi conſecutione.

Altaribus,vel Oratorijs,quæ intra clauſtra Monaſterij continentur, pleniſſimam Anni Sancti Indulgentiam illis impartiri, præſertim Monialibus Romæ exiſtentibus.

Dvbivm Vigesimvmoctavvm.

An Cathecumeni poßint acquirere Indulgentiam Iubilei.

ET Qvidem Nauarrus de Indulg. not.31. num.48. & not.32. nu.8. opinatur, Cathecumenos nondum baptizatos, habentes tamen gratiam per contritionem, & baptiſmum flaminis, poſſe acquirere Iubilæum. Quòd ſi obijcias, de illis non verificari poſſe ea verba, *contriti, & confeßi*; cùm is, qui non eſt baptizatus, nullius Sacramenti ſit capax, Capitulo, *Veniens*, de Præsb. non baptiz. reſpondet, illud uerbum *Confeßi*, interpretandum eſſe piè de his, qui poſſunt confiteri, iuxtà legem, *impoßibilium non eſt obligatio*; ff. de regulis Iuris, & Capitulo, *Nemo ad impoſſibile obligatur*, eodem tit. lib.6. lex enim diuina, & Canonica, quæ iubent confiteri ſemel in uita, uel ſemel in anno, eos tantùm obligant, qui id facere poſſunt. Hanc Nauarri doctrinam ſequitur Henriquez lib. 7. cap. 18. At contrarium uerius eſſe putant D. Antonin. & Auguſt. de Anco. locis inferius citandis. Sed cum diſtinctione hac in re procedendum eſt, & quidem de Cathecumeno, qui fidem, charitatem, uotumq; Baptiſmi habet, (nam de eo, qui illis caret, cum res certa ſit, ſermonem non faciemus,) aliqua dicenda ſunt.

Nauar.

Henriq.
D. Antonin.
Aug. de Anco.

Et Primo dico, perfectum Cathecumenum, ideſt qui gratiam gratum facientem habet, nedum hæretico baptizato, ſed etiam malo Chriſtiano baptizato anteponendus eſt, ut habet D. Auguſt. lib.4. contra Donat. cap.21. & habetur de conſecratione diſt.4. Can. *Non dubito*; Nec ob id Sacramento Baptiſmatis fit iniuria; nam & Centurio nondum baptizatus Simoni Mago baptizato Act.10. anteponitur. Ille enim ante Baptiſmum Spiritu Sancto repletus fuit, hic autem etiam poſt Baptiſmum immundo Spiritu inflatus.

Bonus Cathecumenus præfertur malo Chriſtiano, & Hęretico.
D. Auguſt.
Act.10.

Secvndo dico, Cathecumenum Catholicum, Dei gratia informatum, eſſe aliquo modo membrum Chriſti, atque Eccleſiæ, eſſeq; Chriſto, & Eccleſiæ aliquo modo incorporatum, non tamen ſimpliciter, & perfectè. Explico. Eſt membrum Eccleſiæ talis Cathecumenus non numero, ſed merito: Numero enim dicitur Chriſto quis incorporatus, cùm per Baptiſmum actu efficitur de Eccleſia; merito uerò etiam ante Baptiſmum actu ſuſceptum, ſed non ante Baptiſmi propoſitum: ità exponit D. Thomas in 4. diſt.4. & Turrecr. de conſecr. diſt.4. Can. *Ad hoc*, quæſt. 1. Incorporatio enim cum Chriſto eſt effectus Baptiſmi, ut docet D. Tho. 3. par. q.69. art.5. per Baptiſmum quippe regeneramur in ſpiritualem uitam, & incorporamur Chriſto, quaſi membra eius, & ei conſepelimur: ità quoque D. Auguſtinus in lib.1. de Baptiſmo paruulorum; cap.26. à medio tom.7. Hinc ſequitur, neminem ante Baptiſmum actu receptum admitti ad perceptionem Sacramentorum Eccleſiæ, cùm hactenus inter eius membra non connumeretur; ut in Can. *Ad hoc*, de conſ. diſt.4. habetur. Vnde D. Chryſoſt. tom.5. in Symbolum, Homil.4. ad Baptizandos, in principio, ait, *ò quam dulcis iſta fratrum caterua conuenit; ò quàm ſuauis dilectißimorum cœtus inſpicitur; fratres enim uos, & ante dolores partus nomino, & ante cognationis affectionem uocabulo charitatis appello.*

Cathecumenus in gratia exiſtēs, eſt uerum Chriſti, & Eccleſiæ membrum, & quomodo.
D. Tho.
Turrecr.
D. Auguſt.
D. Chryſoſt.

Tertio, Cathecumeni credentes in Chriſtum ſunt ei incorporati, ante ſuſceptionem Baptiſmi mentaliter tantùm, ſed poſtquam baptizati ſunt, incorporati ſunt ei quodammodo corporaliter, ſcilicèt per uiſibile Sacramentum, ſine cuius propoſito, nec mentaliter Chriſto incorporari potuiſſent. Ità Diuus Thomas in 3. par. q.68. art.2. in corpo. & q.69. art.5. ad 1. Diuus Chryſoſt. tom.5. Homil.3. ad Neophitos, fructus, & honores Baptiſmi enumerat, ſic dicēs; *Benedictus Deus, iterum dicamus, qui facit mirabilia ſolus, qui facit uniuerſa, & conuertit uniuerſa: Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui, & Ciues Eccleſiæ*

Cathecumeni ante Baptiſmū mētaliter īcorporati ſūt Chriſto, at poſt Baptiſmum realiter.
D. Thomas.
D. Chryſoſt.
Fructus, & ornamenta Baptiſmi.

 ſunt,

ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim ſunt tantum liberi, ſed & ſancti; non tantum ſancti, ſed & iuſti, nec ſolum iuſti, ſed & filij, nec ſolum filij, ſed hæredes, nec ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti: nec tantum fratres Chriſti, ſed cohæredes; non ſolum cohæredes, ſed & membra; non membra tantum, ſed & templum, nec tantum templum, ſed organa Spiritus. Benedictus Deus, qui facit mirabilia ſolus. Vides, quot ſunt Baptiſmatis largitates? ſed multis quidem videtur, cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere. Nos autem honores computauimus decem. Hac de cauſſa etiam infantulos baptizamus, vt non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, vt eius membra ſint omnes, vt ſpiritus habitatio fiant. Sic eleganter Diuus Chryſoſtomus.

Cathecumenus cum uoto Baptiſmi moriēs ſaluatur, & qũo.

D. Auguſt.

D. Thom.

QVARTO dico, Cathecumenus cum uoto Baptiſmi, deficiente eius copia, ſi martyrium ſuſcipiat, & ſic moriatur, ſtatim ad Cęlum euolat; ſine martyrio uerò, ſi in gratia è uita diſcedit, nec pœnas ſoluendas habeat, ſtatim etiam peruolat ad Cœlum. Prima pars huius dicti patet ex Can. *Cathecumenum*; de conſecr. diſt. 4. & eſt D. Auguſt. uel alterius Auctoris libri de Eccleſiaſticis Dogmatibus, cap. 74. Martyrium enim Sacramenti perfectionem complet, ut D. Thomas in 3. par. quęſtio. 66. art. 11. & 12. cæterique Doctores in 4. docent. Sic Beata Emerentiana Beatæ Agnetis collactanea adhuc Cathecumena proprio ſanguine baptizata ad Cœlũ euolauit. Et confirmatur, quoniam martyrium nõ ſolùm adultis aliàs benè diſpoſitis, ſed etiam ipſis infantibus pro Chriſto occiſis, ſiuè Chriſtianorũ, ſiuè Iudæorum, ſiuè Gentilium filij ſint, ex opere operato, hoc eſt, ex Chriſti pollicitatione, & inſtitutione dat gratiam, immò primam gratiam; ut dilucidè tradit D. Thom. in 4. diſtin. 4. art. 3. quæſt. 3. ad primum, & quęſt. 4. per totum, & communiter alij. Ergò cum martyrio etiam Cathecumenus iuſtificabitur, & ſi illicò moriatur, ſaluabitur. *Qui enim*, inquit Dominus, *confeſſus fuerit me coràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo.*

Innoc. III.

Secũda pars, quòd etiam ſine martyrio, & Baptiſmo aquę actu ſuſcepto uitam conſequatur ęternam, dummodo Baptiſmo flaminis ſit baptizatus. De fide eſt, & definita ab Innocentio Tertio in Can. *Apoſtolicam*, de Presbitero non baptizato, contra Hęreticos aliquos illius temporis, qui contrarium ſentiebant: eſt autem Baptiſmus flaminis perfecta ad Deum interna conuerſio, contritionem, charitatem, deſideriumque Baptiſmi includens. Hoc etiam affirmat idem Innocentius, in Cap. *Debitum*, de Baptiſmo, & eius effectu, ubi habetur, quòd Iudęus, qui ſe ipſum baptizauit, ſi tunc ſine ullo alio Sacramento è uita migraſſet, protinus in cœleſtem patriam continuò euolaſset, propter fidem Sacramenti, ſine Sacramento fidei; idemque in Concilio Tridentino ſeſs. 7. capite 4. definitum fuit, ſcilicet poſse quemquam per Sacramentum, in re uel in uoto ſuſceptum ſaluari. Ità quoque docet D. Auguſtinus in lib. 4. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 22. & habetur de conſ. diſtin. 4. Cap. *Baptiſmi vicem*, ubi ait, Baptiſmum inuiſibiliter compleri, quãdo myſterium Baptiſmi, non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Idem docet D. Ambroſius de obitu Valentiniani, qui ſine aquæ Baptiſmo in re, Cathecumenus ſaluatus eſt, & D. Bernardus Epiſt. 77. & id ex pacto, & promiſſione Dei infallibiliter, perfectè pęnitentia facta, Ezech. 18. neceſsariò colligitur: Impius enim per pœnitentiam iuſtificationem à Deo ipſo obtinet, poſt quam ſi continuò moriatur, nulla remanente pœna, Cœlum attingit. *Si enim impius egerit pœnitentiam peccati ſui, iniquitatum eius non recordabor amplius*, dicit Dominus: & iterum, *Cùm auerterit ſe impius ab iniquitate ſua, & fecerit iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit*. Nec huic ueritati obſtat, quod dicitur in dicto Cap. *Cathecumenũ*, diſtin. 4. ubi ſic habetur, *Nullum Cathecumenum, quamuis in bonis operibus defunctũ, vitam habere credendum eſt, excepto martyrio.* Hęc enim uerba uel intelligẽda ſunt, ut exponit Turrectemat. de eo Cathecumeno, qui nec actu, nec in uoto habet Baptiſmum, uel certè de eo, qui eſt in mora ſuſcipiendi Sacramentum, quod recipere poterat, & ſi morte pręoccupetur, condemnari pręſumitur; uel ut exponit Sanctus Thomas

Conc. Trid.

D. Auguſt.

D. Ambroſ.

D. Bernard.

Ezech. 18.

Turrecr.

ctus Thomas

ctus Thomas 3.par.quęſt.68.art.2.ad ſecundum,& Soto in 4.diſtin.5.quęſt.unica art.2.de eo,qui in gratia quidem moritur,non tamen ſtatim ad Cęlum euolat,ſed cum pœnas peccatorum exoluere debeat, nec Martyrium, nec Sacramentum in re ſuſceperit, per ignem Purgatorij totam pœnam ſoluendo ſaluabitur. Vnde in Concilio Bracharen.cap.35.legitur, in Eccleſia pro Cathecumenis, qui ſine baptiſmo diſceſſerunt, preces multas fieri debere.

D.Thom. Soto. Conc. Brac.

Hic adnotanda ſunt aliqua. Primùm,quòd ſola attritio cum voto Sacramenti non poteſt dici Baptiſmus flaminis, nec ſaluat Cathecumenum decedentem:hoc enim proprium eſt Sacramenti in re ipſa ſuſcepti, nempè vt ex attrito faciat contritum. Secundò,quòd vera,& eſſentialis contritio,non tamen feruida,& ignita, cum deſiderio Sacramenti eſt quidem Baptiſmus flaminis, ſed imperfectè, & ſaluat Cathecumenum, ſed per ignem,non enim tollit totam pœnam temporalem ſi adſit. Tertio quòd vera contritio feruens, & perfectè intenſa cum voto Sacramenti eſt ſimpliciter,& abſolutè Baptiſmus flaminis. Hæc enim ſola ſuppiet effectum Baptiſmi aquæ, cum dimittat totam pœnam, ut bono Latroni, atque alijs accidit.

Quędam valde notãda de Baptiſmo flaminis.

Qvinto dico,Cathecumenos nõ eſſe directè ſub poteſtate Papę, ſed indirectè, vel reductiuè,ut bene dixit Auguſtinus de Ancona in lib.de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt.32.art.3.& D.Anton.3.par.tit.22.cap.5.§.6.& Dominicus Cap. *Romana*.§.*In vniuerſos*:de ſenten.excommunicationis li.6.quicquid dicat Nauarrus in notabili 31.num.48.& notabili 32. num.9.& 10. Vnde nec excommunicari Cathecumenus poteſt, nec interdici, cùm iuriſdictioni ſpirituali Eccleſiæ per ſe non ſubſit, quamquam indirectè, in ordine ſcilicèt ad Sacramentum Baptiſmi, aliqua circà illos Eccleſia conſtituerit,vt quòd certo tempore baptizentur,Can. *Duo*,& Can. *De Cathecumenis*, de conſ. diſtin.4. & quòd ſtatis diebus certa quædam faciant,ut in Can. *Ante Baptiſmum*,& Can. *Ante viginti dies*, eadem diſtin.& quòd Baptiſmum nè nimium differant Cap. *Quando*,eadem diſt.

Cathecumeni ſunt indirectè ſub poteſtate Papæ. Aug.de Anc. D.Anton. Dominic. Nauar.

Sexto dico, Cathecumenos etiam in gratia,& charitate exiſtentes,ante ſuſceptionem actualem Baptiſmi non eſſe capaces Indulgentiarum, quæ dantur per modum abſolutionis,ſeu de iniunctis,& probatur. Primò quoniam cum non ſint capaces aliorum Sacramentorum,ut de ſe patet, Baptiſmus enim eſt ianua illorũ Cap. *Veniens*,de Presb.non baptizato; nec erunt capaces eorũ,quæ ab illis Sacramentis,vel ſaltẽ à Clauibus dependent. Cùm igitur Indulgentiæ hmõi ſint actus, & effectus Clauium,& aliquo modo,ſaltem per extenſionem,ad forum pœnitentiæ pertineant,ut Magiſter in 4.diſt.21.dixit,& Soto ibid.q.1.art.1. non videtur, quòd qui non eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ,poſſit eſſe capax Indulgentiarũ.

Cathecumeni ante Baptiſmũ in re ſuſceptũ non ſunt capaces Indulg. Magiſt. Sent. Soto.

Secundò,ex doctrina Alexandri de Ales,vt refert Turrecremata in Cap. *Quando*,de conſec.diſtin.4.qui dicunt, quòd ante Baptiſmi ſuſceptionem priuatur quis beneficijs,& ſuffragijs Eccleſiæ,cum adhuc non ſit membrum Eccleſiæ,unde nec Indulgentiarum uel Iubilæi eſt capax,abſolutè loquendo.

Alen. Turrecr.

Tertiò, quia capitis uirtus non perfectè communicatur, niſi membro perfectè unito,ex Sancto Thoma in 4.ſentent.& Turrecr.ſuper Can. *Ad hoc*,de conſec.diſtin.4. At nemo perfectè incorporatur, & unitur Chriſto, niſi per Baptiſmum,ut ex illis orationibus, quas Eccleſia in die ſãcto Paraſceue pro Cathecumenis Deo fundit, uidere eſt: non enim ante Baptiſmum regenerati ſunt, nec niſi poſt illum ipſi inueniuntur in Chriſto Iesv Domino Noſtro,nec niſi renati fonte Baptiſmatis adoptionis Chriſti filijs aggregantur.

D.Thom. Turrecr.

Quartò,quoniam expreſsè in Bulla Iubilęi Pontifex ſolet loqui de his,qui poſt regenerationem Baptiſmi ſubſidio ſecundæ tabulæ indigent, propter quos Chriſtus Eccleſiæ poteſtatem dimittendi peccata pleniſſimè reliquit, & theſauro immenſo meritorum ſuæ, ac Sanctorum paſſionum Eccleſiam ſuam ditauit. Adde, quòd confeſſio iniungitur his,qui mortale peccatũ habent;non igitur Iubilæi erit capax,qui confeſſionem facere non poterit. Hoc argumento Nauar.conuictus vr contraria docuiſſe in d.not.32.nu.10.§.*Quamuis hanc huius Anni Iobeli non poſſet*.

Nauar.

Quintò,

D. Thomas.

Quintò, quoniam Eccleſiæ Clauis, & poteſtas extendit ſe ad ſolos baptizatos, ut eos ſoluat per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per Indulgentias, aut eoſdem liget per pœnitentias iniunctas, præcepta canonica, & cenſuras, vt D. Thomas in Addit. q. 22. art. 1.

D. Thom.

D. Dionyſ.

Sextò quoniam Cathecumeni non ſunt propriè ſubditi Eccleſiæ; undè ſicut non poſſunt ab eadem ligari, aut excommunicari ita neq; abſolui, & per conſequens, nec erunt capaces Indulgentiarum, quæ per modum abſolutionis applicantur. Quamuis igitur Cathecumeni poſſint Eccleſias uiſitare, ſicut etiam Miſſæ officio uſque ad certam quamdam eius partem intereſſe, Cap. *Epiſcopus*, de cõſecr. diſt. 1. non poterunt tamen eſſe participes Indulgentiarum, vel Iubilæi, ſicut nec cæterorum ſuffragiorum Eccleſiæ, quæ pro congregatione fidelium tantùm fiunt; cui corporaliter non aggregatur quis, niſi per ſuſceptionem characteris baptiſmalis, ut ait D. Thomas. 3. par. q. 63. art. 3. & in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3. q. 3. Character enim baptiſmalis eſt id, per quod diſtinguitur fideles Chriſti ab infidelibus, & per quod ad actus conuenientes in præſenti Eccleſia deputantur, atque in hoc ſigno etiam Cathecumenus in gratia decedens à fideli, qui ſimiliter cum charitate ex hac vita diſcedit, in cœlo diſtinguetur. Mos autem ille laudabilis, & antiquiſſimus in Eccleſia, quem etiam refert D. Dionyſius Areopagita, de eccleſiaſt. Hierar. cap. 3. quòd Cathecumeni à myſterijs arcerentur, & ab Eccleſia tempore conſecrationis excluderentur; nonne apertè demonſtrat, illos adhuc ſuffragiorũ Eccleſiaſticorum non eſſe participes? Sane Cathecumeni fructum, qui ex Miſſarum ſacrificijs ex opere operato emanat, nequaquam participãt, ut docet D. Tho. 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. & D. Auguſt. lib. 1. de anima, & eius origine, cap. 9. & lib. 3. cap. 2. & Demochar. lib. 4. de ſacrifi. altar. cap. 18. Nec receptio Euchariſtiæ prodeſt eis, quamuis bona fidei reputarent, ſe baptizatos, ut docet D. Tho. 3. p. q. 68. art. 6. ad 1. ubi Caiet. & alij, & colligitur ex Augu. tract. 11. & 96. in Ioannẽ, & li. 2. de peccat. merit. capite 20. facit Cap. *De hoc* diſtinct. 32. ubi gloſſa errauit exiſtimans, Euchariſtiam prodeſſe ei, qui bona fide putaſſet, ſe baptizatum: in quo etiã errauit Dionyſ. Alex. apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 8. & Niceph. lib. 6. cap. 9.

D. Thom.
D. Auguſt.
Democh.
D. Tho.
Caiet.
D. Auguſt.
Diony. Alex.
Euſeb.
Niceph.

Aug. de Anc.

VERVM non baptizatis Indulgentias applicari nequaquam poſſe, docet Auguſtinus de Ancona in lib. de poteſtate Eccleſiæ. q. 32. art. 3. & q. 33. art. 1. 2. 3. Non enim, inquit, meritum perſonale tantùm, ſed etiam meritum Sacramentale, in applicatione, & participatione Indulgẽtiarum attendendum eſt. Sed hæc ratio meo iudicio non conuincit, immò petit principium, niſi ad Indulgentias, quæ per modum abſolutionis applicantur, coarctetur. Vnde infert quòd nec animæ illæ Cathecumenorum, quæ in Purgatorio ſunt, cùm careant merito Sacramentali, Indulgentiarum, quæ mortuis per modum ſuffragij conceduntur, participes ſunt. Quod tamen falſum eſſe arbitror.

Quomodo Eccleſia poſſit applicare Cathecumenis Indulgentias ante Baptiſmum.

D. Auguſt.
D. Chryſ.
Clem.

Henriquez.

SEPTIMO dico per modum ſolutionis, & ſuffragij poſſe cathecumenis iuſtis nõdum baptizatis applicari ab Eccleſia Indulgentias, & ſatisfactiones ex theſauro, non ſolùm dum uiuunt, ſed etiam dum ſunt in Purgatorio: ſunt enim membra uiua Chriſti, & pertinent ad Communionem Sanctorum, unde à communicatione iuſtorum priuata aut communi exludendi non ſunt, & aliquo modo publicarũ orationum & ſuffragiorum Eccleſię participes ſunt. Vnde pro eis ſpecialiter orat Eccleſia in die Paraſceues, & quis ſuam eis ſatisfactionem vt priuatus, applicare poteſt, & forte Sacerdos illam, quę in Miſſa ſibi contingit ex opere operantis. Vide D. Auguſt. de Eccleſiaſticis dogma. cap. 30. & in Epiſt. 107. ad Vital. ubi dicitur, ex Apoſtolorũ traditione orandum eſſe pro Cathecumenis, & Chryſ. Hom. 2. in 2. Corint, & Clem. lib. 8. conſt. Apoſtolicarum cap. 6. 12. & 15. Animæ verò illorũ in Purgatorio nõ peioris cõditionis ſunt, quã illæ, quæ ante mortẽ Chriſti migrarunt, & ibi manent. lege Henriquez lib. 2. cap. 19. & lib. 7. cap. 18. & lib. 9. cap. 15. At vero Cathecumenus, etiamſi in gratia, & cùm uoto Baptiſmi diſcedat, in Eccleſia vel cæmeterio Chriſtianorum non ſepelitur; locus tñ ei cõceditur propè Eccleſiam uel cæmeterium. Nec enim decet, ut qui uiuens adoptionis Chriſti

filijs

filij s numero aggregatus non erat, mortuus cùm illis admiſceatur, quamuis in cęlo ſimul diuina viſione fruatur.

DVBIVM VIGESIMVMNONVM.

An irregulares, ſuſpenſi, uel interdicti impediantur à conſecutione Iubilæi.

NVLLA ferè huius rei dubitatio eſt apud Theologos, ſed ut à puſillorum animis omnem hæſitationem remoueamus, placuit etiam penultimo loco hoc dubium annectere, quare per tres propoſitiones ſingulis dubij partibus ſatisfaciemus.

Irregularis poteſt conſequi Iubilæū.

PRIMA igitur Concluſio ſit. Irregularem quemcumque, ſiuè occultum, ſiuè publicum, nequaquam impeditum eſſe a conſecutione Iubilæi; quamuis enim Irregularitas nō purgetur Sacramēto Pœnitētiæ, ut habet Gloſſa, in verbo, *Cicatrix*, cap. *Ventum*, 1. q. 1. Nec enim irregularis ad ſecretū pœnitētiæ forū pertinet, cùm irregularitas plerumque pœna ſit, non culpa, ut doctè Caiet. in ſum. ver. Irregularitas, in principio, Card. Alexand. in cap. *Maior*. diſt. 50. & Nauarr. in Manuali, cap. 27. nu. 194. nihilominus nullum affert impedimentum ad ſuſcipiendum Iubilæum; reddit enim Irregularitas hominem indignum, & inhabilem dumtaxat ad quædam miniſteria Eccleſiaſtica exequenda, vel ſuſcipienda, putà Ordines Sacros, & ſimilia; nec vnquam hominem ab ingreſſu Eccleſiæ arcet. Quocircà etiā non habita diſpenſatione Irregularitatis, poterit quis Eccleſias Vrbis pręſcriptas viſitare, confiteri, & Sacrum Iubilæum acquirere. Illud hoc in loco adijcendum eſt, utile eſſe pœnitentibus etiam ſuas irregularitates Pœnitentiario, quem pro abſolutione peccatorum elegerint, aperire, ut faciliùs remediū, quod in anno ſacro ex benignitate apoſtolica omnibus Romam accedentibus promptiſſimum eſt, inueniant. Debet quoque Confeſſarius omnia genera Irregularitatum plenè cognoſcere, ut neceſſitatibus confitentium opportunè conſulere poſſit, atque etiam nè ipſe aliquid quod non poſſit faciendo, irregularitatem incurrat. Eſt enim talis cognitio Confeſſario vtilis, ut rectè dixit Franc. Polanc. in Direct. Confeſſorum in tit. de Irregularit. & Simon Maiola in opere de Irregul. lib. 5. cap. 51. num. 7. Debet prætetea Confeſſarius omnes Irregularitates benè noſcere, non ut ſoluat, ſed potius ut ligatum demonſtret eſſe confitentem.

Caiet.
Card. Alex.
Nauar.
Conſiliū pro Irregularib⁹ in conſequeudo Iubilæo.
Nota pro Cōfeſſarijs.
Polancus.
Simon Maiola.

Suſpenſio nō impedit acquiſitionem Indulg.

SECVNDA Concluſio. Suſpēſus ab officio, & beneficio, & vniuerſaliter quicumque ſuſpenſus liberè poteſt uiſitare Eccleſias, confiteri, & Iubilæum acquirere; quæ concluſio probatione non indiget, cùm apud Summiſtas præſertim Syluest. in verb. ſuſpenſio, latiſſimè pateat; nec enim ſuſpenſiones huiuſmodi Indulgētias, vel Iubilæum reſpiciunt. Quod ſi quæras, quid de illo dicendum, qui ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenſus eſt? num is poſſit uiſitare Eccleſias præſcriptas in Vrbe. Reſp. Syluest. uerb. Suſpenſio, q. 5. §. *Si verò ſuſpenſio ſit ab ingreſſu Eccleſiæ*; quòd poterit, orandi cauſa in eam tempore, quo ibi diuina non celebrantur, ingredi, & viſitare altaria; atque id probat ex doctrina Calder. & Gemin. in Cap. *Is cui*, de ſententia excommunicationis, lib. 6. poteritq́; in ea percipere Eccleſiaſtica Sacramēta ſecundum com. opin. cùm extrà Eccleſiam ſic ſuſpenſus celebrare poſſit; eſt tamen per huiuſmodi ſuſpenſionem quis priuatus poteſtate exercendi actum aliquem Ordinis in ipſa Eccleſia, & ſi in ea peragat diuina, quaſi ſuo officio utens, efficitur irregularis, ſecundum Gemin. loco citato, cui addas ea, quæ notat Ioan. Andreas in addit. ad ſpecu. in tit. de diſpenſat. §. *Iuxtà*, in verbo, *concedimus*: eſt quoq; priuatus poteſtate audiendi ibidem diuina; quòd ſi audiat, licèt peccet mortaliter, non tamen efficitur irregularis, niſi ipſe celebret, ex Gemin. & Syluest. ibidem; nec priuatur poteſtate exercendi iuriſdictionaria circà Eccleſiam, uel eligendi, aut celebrandi extrà illam. lege ſum. Angel. in verbo, ſuſpenſio. 3. uerſ. *qui ſi interdictus*, & Simonem Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 19.

Sylueſter.
Doctrina pro ſuſpēſo ab ingreſſu Eccleſiæ.
Calder.
Gemin.
Io. Andr.
Gemin.
Silueſt.
Angel.
Simon Maiola.

Ruſus, ſi quæras, quid de illo dicendum, qui ſuſpenſus ſit à ſuſceptione Sacramentorum,

mentorum,

Ex Silueſtri doctrina q̃d faciet ſuſpenſus à ſuſceptione Sacramentorum, ut ſuſcipiat Iubilæum.

Innoc.
Hoſtien.
Simõ Maiol.

mentorum, numquid poterit in Iubilæo confiteri? Reſpondet Sylueſter eodem loco quòd ſuſpenſus à Sacramentorum perceptione, vel participatione, etiam contrafaciens non efficitur irregularis, per Cap. *Si celebrat*, de Cler. excommunicato miniſtrante, quoniam participare nõ eſt actus ordinis, vel officij, cùm etiam Layci participent, vt Innoc. & Hoſtien. in cap. 1. de ſentẽtia excommunicationis; quã doctrinam ſequitur Simon Maiola loco citato, num. 16. nec etiam peccat ad Sacramentum Pœnitentię accedendo, cùm illum pœniteat, & ampliſſima Pœnitentiarijs deputatis facultas circà huiuſmodi ſuſpenſiones, quoad effectum ſuſcipiendi Sacramenta, Romę in Anno Sancto conferatur. Quocircà, ſic etiam ſuſpenſus, remotis impedimentis, Iubilæum ſuſcipere poterit. Suſpenſio enim non eſt peccatum, ſed eius pęna, vt omnes Doctores tradunt, vt ait Nauar. in Manuali, cap. 27. num. 152. attamen ſine culpa vel mortali, vt Aret. in Cap. *Cùm ab homine*, de Iud. uel ueniali, ut Caiet. in Sum. uerb. ſuſpenſio ferri non poteſt; nec prætereà ſine ulla culpa propria, cuius eſt pœna, arg. cap. 2. de conſtitut. Vnde confeſſario omnino aperienda eſt.

Nauar.
Aret.
Caiet.

Tertia Concluſio nunc de Interdicto ſubijcienda eſt. Et de locali Interdicto hic ſermo non erit, cùm ad rem non faciat; ſed de perſonali, quo quis ab ingreſſu Eccleſiæ impeditur. Eſt enim Interdictum cenſura Eccleſiaſtica, ut in Cap. *Querenti*, de uerb. ſignificatione, qua quis tamquam pœna afficitur, nè actum aliquem eccleſiaſticum operetur; nec ſolùm particularis perſona, ſed etiam Congregationes Laycorum, ſeù Confraternitates interdicuntur, ut palàm eſt.

Quid ſit interdictum.

Sit igitur tertia Concluſio, quòd quando quis ſpecialiter eſt interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, poteſt abſque peccati, uel alicuius Cẽſuræ Eccleſiaſticæ periculo priuatim in Eccleſia etiam interdicta orare extrà tempus celebrationis officiorũ diuinorum. Ità aſſerit Guglicl. quem ſequitur Armil. uerb. Interdictum, num. 57. Eſt autem hic ex Caietano adnotandum, quòd Interdicti Eccleſiaſtici uiolatio uidetur eſſe peccatum proprium Clericorum; quoniam illis ſolis, ut pęna indicitur, nec ipſi Clerici illius uiolatores ſunt, niſi functionem aliquam ordinis exercẽdo, quam ſi faciant, mortaliter peccant; ut ex grauitate pœnarum, quæ iniunguntur, facile eſt percipere; Layci uerò non propriè uiolant Interdictum, niſi cùm ſunt in cauſſa, ut Clerici illud uiolent, & tunc non minus, quàm Clerici peccant. At uerò laycas quoque perſonas interdici, ex corpore Iuris negari non poteſt, & obligatur quis hoc modo interdictus ſub peccato à diuinis abſtinere, putà ab auditione ſacrorum officiorum, Miſſæ, & ſimilium: debet autem perſona, quæ interdicitur, denunciari, nominari, & ſpecialiter ſignificari ad hoc, ut Interdicti ſententia afficiatur, ut ex Concilio Conſtantien. ſub Martino V. habetur, ut Caiet. & Simon Maiola lib. 3. de Irregul. cap. 20. rectè adnotarunt. Quòd ſi Clericis ſolus ingreſſus Eccleſiæ eſt interdictus, ſi hi ſolùm illam ingrediantur, nec ipſius Interdicti ſunt uiolatores, nec peccant, nec etiam fiunt irregulares, ut apertè colligitur ex Cap. *Is cui*, de ſententia excommunicationis lib. 6. ubi per huiuſmodi ingreſſum Eccleſiæ prohibitum ſola diuinorum celebratio in Eccleſia interdicta cenſetur; quod etiam ex Cap. *Epiſcoporum*, de priuilegijs, in 6. apertiſſimè colligitur, ubi interdictos ad diuina officia, ſeù Eccleſiaſtica Sacramenta, uel Eccleſiaſticam ſepulturam nequaquam admittendos decernit. Priuatim igitur orare Clerico, uel Layco ab ingreſſu Eccleſiæ interdicto, nõ uidetur eſſe prohibitum, & eſt doctrina certiſſima Archidiac. & Dominici, & aliorum in dicto Cap. *Is, cui*, & Nauarri in Manuali cap. 25. num. 75. quocircà licet quis etiam ab Interdicto non abſolueretur; quod tamen non eſt in Anno Sacro Romæ difficile obtinere, poſſet Eccleſias uiſitare, & confiteri, atque etiam à culpa abſolui, priuataſque preces in illis tempore, quo diuina non celebrantur, fundere, & ſic fructum Sacri Iubilæi acquirere. Plura alia, quæ de Interdicto, eiuſque pęna, uel moderatione eſſent dicenda, relinquimus conſultò, cùm ad rem noſtram non faciant, atque huic dubitationi finem imponimus.

Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ q̃uo acquiret Iubilæum.

Guglicl.
Armil.
Caiet.

Interdicti violatio eſt proprium peccatum Clericorum, licet etiã Layci interdici ſoleant.

Conc. Conſt.
Caiet.
Simõ Maiol.

Clericis interdictis ingreſſu Eccleſię ſola diuinorum celebratio ꝓhibetur in Eccleſia interdicta.

Archidiac.
Dominic.
Nauar.

DVBIVM TRIGESIMVM.

An qui aliàs debet viſitare Eccleſias, vel ex voto, vel ex alia neceßitate, poßit per illos actus acquirere Iubilaeum.

SENSVS eſt, utrum Canonicus, v.g. qui ratione diſtributionum tenetur Eccleſiã Sancti Petri adire, poſſit quando tempore obligationis accedit, illum actum computare in numerum earum uiſitationum, quæ ad ſuſcipiendum Iubilæum requiruntur. Simile dubium eſt de Monacho, qui ad Chorum tenetur ire in Eccleſiam v.g. Sancti Paulij, & de illo, qui uotum habet peregrinandi Romam, & uiſitandi ſeptem Eccleſias Vrbis. Quæritur igitur, num hæ uiſitationes aliàs debitæ ſuffragentur ad Iubilæi ſuſceptionem.

Silueſter uerbo, Indulgentia, nu. 18. in 6. quæſt. uerſic. *Tertium:* dicit, Indulgentiam non poſſe dari, uel acquiri per actum aliàs debitum. Vnde infert, non poſſe dari pro remiſſione iniuriarum, atque id probat ex doctrina D. Bonauent. in 4. diſtin. 20. art. 2. quæſt. 4. qui dicit, quòd in huiuſmodi largitione Indulgentiarum debet attendi aliquid, quod ſit meræ uoluntatis, & non neceſſitatis, cuiuſmodi eſt dicta remiſſio. Vnde conſequitur, ſecundum ipſum, nullo modo poſſe cõcedi Indulgentiam pro actionibus alioquin præceptis. Quòd etiam aſſerit Angelus, uerbo, Indulgentia num. 16. Cordubenſis tamen in quæſt. 18. de Indulgentijs, propoſ. 3. & Gregorius de Valentia, in lib. de Indulgentijs, cap. 7. exiſtimant optimè contrarium eſſe uerum, negantque, D. Bonauenturam ullo modo ſenſiſſe, ut Silueſter exiſtimauit, uidelicèt per actus alioquin debitos, uel neceſſarios Indulgẽtiam acquiri non poſſe. Cùm enim Indulgentia concedatur generaliter ob opus pium, quod in utilitatem Eccleſiæ, & Dei gloriam cedat; (id quod ſatis eſt, ut ſecundum Chriſti, & Sanctorum intentionem, Eccleſiaſticus Theſaurus diſpenſetur) non eſt cur negari poſſit, per opera aliàs debita dari, uel acquiri Indulgẽtiam. Adde, quòd Summi Pontifices in particularibus Iubilæis, quos pro diuerſis neceſſitatibus Eccleſiæ concedunt, ſolent inter ieiunia, quæ iniungunt, etiam ieiunia aliàs debita connumerare, ut quatuor Temporum, Vigiliarum, & etiam Quadrageſimæ. A ſimili igitur dicendum eſt, uiſitationes illas Eccleſiarum, quę ex pręcepto, uel neceſſitate aliàs fieri deberent, poſſe quoque computari, & ſuffragari ad Iubilęum acquirendum.

Silueſter.
D. Bonauen.
Angel.
Cordub.
Greg. de Val.
Indulgẽtiá acquiritur p bona opera aliàs debita.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quenam animaduertenda ſint, ne fructus Sacri Iubilei acquiſitus deperdatur: Quòdque pro eius ſuſceptione gratiæ reddendæ ſint Deo non ſolùm verbis, ſed etiam operibus.

DIVVS Chryſoſtomus tom. 5. in ſerm. de gratijs reddendis Deo, & Homil. 25. ad Popul. Antioch. de uita recta; animaduertit, Deo gratias reddendas eſſe ab illis, qui ex Dei beneficio cùm his, qui ſalui fiunt, annumerantur; & quoniam eam, quam ex noſtræ uitæ, actionibus haudquaquam eſſemus ſalutem emeriti, Dei ſimus munere ſingulari conſequuti. *Quocirca,* inquit, *vt gratias illi reddamus, non ſolum verbis, verum etiã & opere contendum, poteritq́; tum vera quædam gratitudo dici, ſi noſtris ex actibus Deus laudem cõſequatur, caueritmusq́;, ne in eadem illa recidamus, quæ ante improbata cuiſimus. Nam ſi ipſi fortè Imperatorem aliquem fuerimus conuicio, & probris inſectati, iſq́; nos contrà pro pœna emerita honoribus auxerit, nonne, & meritò ſupplicia prioribus atriora eſſent ferenda, ſi rurſum, quemadmodum ingratitudinis, ità etiam procacitatis cõuicti, eumdem conuicijs inceſſerimus,*

Quinam teneantur Deo gratias agere ex D. Chryſ.
Simile.

inceſſerimus, neq; enim adeò nos prior illa in Principem illata contumelia quàm quæ poſt ſuſceptos honores, & commoda ingeſta iniuria ingratos argueret: quocircà fugienda erũt, quibus antehac liberati fuerimus diſcrimina, neque ore dumtaxat gratia ſunt Deo habenda, ne fortè de nobis illud pronuncietur, Populus iſte labijs me honorat, corde autem longè à me abeſt. Sic Chryſoſtomus; Cuius ſententia etiam ad illos, qui fructum Sacri Iubilæi, Dei munere; adepti ſunt, appoſitè conuerti poteſt; debent enim hi tanta gratia, tamq; prægrandi beneficio affecti omnem nauare operam, ut non modò verbis, ſed etiam continuis actionibus, perenniq; probitate uitæ Deo gratias reddant; quod facillimè ab eis præſtabitur, ſi diligenter ſtudeant ea, quæ virtute Iubilæi acquiſierint, conſeruare. Quid enim prodeſt aurum, atque argentum in ſacculum pertuſum ponere? Quid prodeſt ſemen verbi Dei recipere, nec illud ab auibus cœli, alijsq; iniurijs tueri? Quid lõgam peregrinationem peregiſſe, multasque merces naui deportaſſe, magnaq; alacritate uelis expanſis multum maris emenſum eſſe, immò in ipſummet portum feliciter ingreſſum eſſe, ſi procella repentè exorta, nauiq; in latens aliquod ſaxum impacta, totum onus deperdatur, merceſque omnes à mari deglutiantur? Eſt hoc ſanè incaſſum, & inutiliter laborare.

Sẽtẽtia Chryſoſt. pertinet etiã ad illos, qui Iubilæi gratiam conſecuti fuerũt.

Simile.

Quapropter perſeueranter ſtudendum eſt, nè fructus Sacri Iubilæi acquiſitus depereat; id quod minimo labore, Deo adiuuante, effici poterit, ſi hæc ſex monita, quæ mox ſubijciemus, ſæpenumerò mente, atque animo reuoluamus; nempè virtutis præſtantiam; conſcientiæ puritatem, onus, & grauitatem peccatorum, pœnarum Purgatorij acerbitatem, quamq; ſit exoptabilis poſt hanc uitam, acceleratus ingreſſus in Cælum, poſtremò donum perſeuerantiæ quantoperè ſit Chriſtiano neceſſarium; at ſingula nunc paulò latiùs explicemus.

Sex monita memoria retinenda pro fructibus conſecuti Iubilæi conſeruãdis.

Recte Plato, in Prot. pronunciauit, quòd virtus neque naſcitur, neque caſu cõtingit; ſed doctrina; ac ſtudio comparatur: illud tamen verum eſt, quòd omnibus natura dedit fundamenta, ac uirtutum ſemina. *Omnes enim ad omnia iſta nati ſumus*. Senec. epiſt. 109. uitium autem, ut dixit Auguſtinus de libero arbitrio, contra naturam eſt adeò, ut ex eodem, de Ciuitate Dei, non poſſit niſi ſemper nocere naturæ. Vnde Marſil. Ficinus lepidè dixit, *Virtus omnes animæ partes, ut natura, ſtatuit, diſponit, ac ſeruat; uitium uerò contra naturæ ordinem confundit, ac perturbat*; quinimmo uitium, uel iniquitas ipſa, ut bene dixit Chryſoſt. to. 5. in ſerm. De nequitia depulſa, nullum habet à natura ortum, natura enim, cum à Deo facta ſit, ex ſe bona eſt; ſic nec virtus natura nobis ineſt, quamuis uirtutum ſemina ut diximus, à natura omnibus inſita ſint. Vnde ut rectè Philoſoph. 1. Ethicorum dixit, neque natura, neque præter naturam inſunt nobis uirtutes, ſed nos natura ad illas recipiendas apti quidem ſumus, & conſuetudine perficimur. Virtutes enim agendo acquirimus, quemadmodum, & in alijs artibus, quæ enim oportet, poſtquam didicimus facere, ea faciendo diſcimus; ceu fabricando fabri, & cytharam pulſando Cytharædi, ſic iuſta agendo iuſti, & modeſta modeſti, & fortia fortes efficimur. Quare nec Progenitorum uirtutibus confidendum eſt, ſicut etiam nec eorum uitijs trepidandum, ut optimè D. Chryſoſt. in ſerm. quem de eadem re conſcripſit, enarrauit; *Quin, inquit, vel ſi admirandum habeas genitorem, neque id quidem exiſtimaueris futurum tibi, aut ſaluti ſatis, aut gloriæ, niſi fueris & ipſe illi & vita coniunctus & moribus: uti contrà, ſi improbum fueris parentem nactus, nihil ex eo poſſe tibi uel ignominia, uel dedecoris obuenire, ſi te laudabiliter geſſeris; nec enim filij Dei dicendi ſunt, qui ex ſanguinibus uel uoluntate carnis, uel uoluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Quam rem expendens idem D. Chryſoſt. homil. 23. in Geneſ. annotauit, non abs re in cap. 9. dum deſcribitur generatio Noe, à ſcriptura ſic dici, *Iſtæ ſunt generationes Noe. Noe vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.* Si enim carnalis progenies Noe ſubtexenda erat, cur virtutes, iuſtitia, & perfectiones illius deſcribuntur? an certè quia præcipua hominis nobilitas, & genealogiæ claritas non ex maiorum aut poſterorum gloria, ſed ex uirtutum præſtantia ſpectari, & & æſtimari debeat? Verba Chryſoſt. hæc ſunt. *Rarus*, inquit, *& alienus genealogiæ modus hic eſt, nam, ut ſcriptura dixit. Iſtæ ſunt generationes Noe, & aures noſtras ſpe quadam im-*

Multa de virtutis præſtantia, & utilitate.

Seneca.

D. Auguſt.

Marſil. Ficin.

D. Chryſoſt.

Ariſtot.

D. Chryſoſt.

Progenitorũ virtutes aut vitia ad nos nequaquam ſpectant.

D. Chryſ.

Vera nobilitas præcipuè ex uirtutib⁹, non ex genere deſumitur ut in Noe.

D. Chryſoſt.

dam im-

dem implenit, quaſi genealogiam illius narratura, & quis eius Pater fuerit, & vnde genus duxerit, & quomodo in hanc vitam editus fuerit, & alia, quæ mos eſt, genealogias narrantibus recenſere; relictis tamen illis omnibus; etiam ſuperiori conſuetudine inquit, Noè homo iuſtus, & perfectus in generatione ſua, placuit Deo. Vidiſti admirabilem generationē? ſequamur igitur, & nos diuina ſcripturæ regulas, & quorum genealogias enarramus, eorum non patres, & auos, atque abauos in mèdium afferamus, ſed uirtutes, & benefacta exponamus. Hic optima genealògia mos eſt: quæ enim vtilitas ex claris, & probis parentibus originem ducere, ſi tu bona vita, atque virtutum ſis expers? aut quod damnum fuerit, ſi parentes, & maiores tui fuerint iguobiles, & obſcuri; ipſe autem virtutibus floreas? Talis enim fuit Noè, neque enim Parentes eius, vt virtute nobiles, commemorat ſcriptura, ipſe tamen conciliauit ſibi gratiam Dei, & cum multa haberet bene agendi obſtacula, & impedimenta, ad ſummum tamen virtutis, & perfectionis peruenit faſtigium. Sic Chryſoſt.

D Ambroſ. D. Ambrosivs in lib. de Arca, & Noè, cap. 4. ſimilem ſententiam ſcribit. *Noè*, ait, *non generationis nobilitate, ſed iuſtitia, & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus virtutis proſapia eſt, quia ſicut hominum genus homines, ità animarum genus virtutes ſunt: etenim familiæ hominum ſplendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia ſplendore virtutum.* Hęc ille. Etenim licèt negandum non ſit, ut henè Pererius tomo ſecundo in Geneſim, libro nono, diſput. prima animaduertit, uerba illa. *Iſta ſunt generationes Noè*, eius carnalem progeniem deſignare, cùm poſt pauca Moyſes generationem trium filiorum eius enarret; illa tamen uerba, *Noè vir iuſtus, &c.* interiecta fuere, ut ſignificaretur qualis, & quanti uiri generatio deſcriberetur, cuius merito ipſe, totaque eius progenies cladem diluuij euaſerit. Pererius.

Igitur uirtus ipſa homines nobiles facit, eoſque extollit, ut Ariſt. in 4. Polit. immò, ut dixit D. Augnſtinus in lib. de Ciui. Dei, in hac uita nihil uirtute melius poſſideri poteſt, & in Pſal. 58. *Totum, quod pulchrum eſt, id animæ virtus eſt, ac ſapientia.* Vnde idem Auguſtinus in lib. de quantitate animę, uirtutem circulo ſimilem dixit; nam neque in alijs bonis quicquam inuenitur, quod màgis ex omni parte ſibi conſentiat, quàm uirtus; neque in planis figuris magis, quam circulus, & Auer. 10. Ethic. comm. 6. dixit, uirtutem omnium rerum eſſe menſuram: ſicut enim rei quātitas per menſuram cognoſcitur, ità per uirtutem rerum naturę in bonitate, & malitia cognoſcuntur; ſola uirtus, ut Senec. dixit in Epiſt. 26. gaudium perpetuum, & ſecurum præſtat, & ut 4. Ethic. dixit Ariſt. quod fit per uirtutem iucundum èſt, uel ſine moleſtia, minimeque dolòrem affert, & Senec. Epiſt. 68. *Nihil eſt uirtute præſtātius, nihil pulchrius, & bonum eſt, & optabile quicquid ex illius imperio geritur*, & Epiſt. 88. *Virtus extollit hominē, & ſupra cara mortalibus collocat, nec ea bona, nec ea, quæ mala vocantur, aut nimis cupit, aut expaueſcit*, & de uit. beat. *Virtus eſt quoddam altum, excelſum, regale, inuictum, & infatigabile.* Ioan. Pontanus lib. 2. de prudentia, *Virtus*, inquit, *eſt ſolius hominis bonum, eiuſdemque ſolius poſſeſſio, atque patrimonium.* Vnde Seneca in lib. de tranquillitate dixit, *Nihil eripit fortuna, niſi quod dedit, virtutem autem non dedit, ideò eam non poteſt eripere; libera eſt virtus, inuiolabilis, immota, & inconcuſſa.* Plutar. de uerò cultu, dixit; *Virtutis ratio præcipuè conſiſtit in his rebus comparandis, quæ nec vllus homo, nec mors ipſa nobis auferre poteſt. Denique virtus dignitate, & auctoritate ſua omninò eſt ſumma, & pro maieſtatis amplitudine, ac præſtantia habenda eſt pulcherrima, & maxima omnium humanarum rerum, eademque etiam auguſta.*

Ariſtot. D. Auguſt. Auer. Seneca. Ariſtot. Seneca. Io. Pontanus Seneca. Plutar.

Quòd ſi de uirtute per humanos actus acquiſita tàm pręclara, atque etiam alia maiora, quę nos conſultò relinquimus, dicuntur; quid de uirtutibus illis Chriſtianis à Deo infuſis dicendum erit? Quid de fide, ſpe, & charitáte? Quid de temperantia, fortitudine, munificentia, atque iuſtitia Chriſtiana? Hę diuinę nos faciunt conſortes naturę, hę hominem in gradu adoptionis filiorum Dei conſtituunt, hę hominem per peccatum obliquatum, atque è Cœlo ad terram retortum, rectum, & ad cœleſtia erectum reddunt; hę denique Deo coniunctiſſimos, atque affines nos faciunt: ſit huius rei exemplum Patriarcha ille antiquiſſimus Noè, de quo Moyſes illuſtre pręconium cecinit, quod nulli alij priorum Patriarcharum, non Seth,

Præſtātia uirtutum diuinitùs infuſarū.

D. Chryſoſt.

Maxima uirtus, & perfectio Noè.

non Enos, nec ipſi Enoch tributum fuit. *Vir*, inquit, *Noè erat iuſtus, perfectus, & ambulauit cum Deo*; quod encomium D. Chryſoſt. Homil. 23. in Geneſ. luculenter interpretatus eſt, dicens; per hęc uerba Noè omnibus uirtutibus inſtructum, atq; ornatum ſignificari; *Ecce*, inquit, *& aliam maximam præconij ſpeciem; iuſtus appellatur Noè, quæ appellatio omnem virtutem complectitur. Hoc enim nomen iuſti conſueuimus uſurpare de his, qui omnigenam exercent virtutem; poſtea, vt diſcas, quomodo ad ſummū faſtigium peruenerit; id quod & tunc exigebatur à natura noſtra, inquit, iuſtus, perfectus exiſtens in generatione ſua; omnia, inquit, impleuit, quæcumque facere conuenit eum, qui virtutem amplexatur. Hic enim eſt perfectus, nihil enim intermiſit, in nullo claudicauit; non in hoc benefaciebat, in illo verò peccabat, ſed in omni virtute perfectus erat, qua tunc pollere illum congruebat. Præterea, vt ex tempore quoque, & ex collatione cum alijs illuſtriorem nobis iuſtum exhiberet, inquit, Perfectus in generatione ſua, in tempore illo, in generatione illa peruerſa, quæ adeò in malum declinauit, vt neque veſtigium virtutis præ ſe ferre voluerit. In illa igitur generatione, in illis temporibus iuſtus ille non ſolum virtutē præ ſe tulit, ſed etiam ad tantum peruenit virtutis culmen, vt eſſet perfectus, & in omnibus abſolutus, & id, quòd ante dixi, bene agere inter virtutis hoſtes, & inter eos, qui virtutem prohibent, maius ſemper virtutis pondus teſtatur. Vnde hac ratione iuſtus ille maiores laudes nactus eſt: neque hic finem laudandi illum facit diuina Scriptura, ſed adhuc virtutis illius excellentiam demonſtrat, & quòd diuino calculo probatus fuerit, quia poſtquam dixit: Perfectus in generatione ſua, addit, Deo placuiſſe Noè; tanta erat virtutis illius gloria, vt & à Deo laudari promeruerit. Deo enim, inquit, placuit Noè; vt ſcias, quòd approbatus fuerit à Deo: placuit illi oculo, qui falli non poteſt, & illius ſibi fauorem tātum conciliauit per bona vitæ opera, vt eum non ſolum ab indignatione in omnes effundenda liberarit; ſed & alijs prodeſſe fecerit*; Sic Chryſoſt.

Viæ virtutis diuerſę, & initio laborioſæ.

Lactant. Firmia.

Vias autem, quę homines ad virtutem perducunt, non eiuſdem rationis eſſe demōſtrat Lactantius Firmianus lib. de vero cultu. Etenim primo aditu laborioſę, atque arduæ ſunt, ſuperata autem difficultate, facillimæ, iucundiſſimæ, atque amæniſſimæ; ut quid enim Chriſtus uolens aliquid ſuæ gloriæ Apoſtolis in Transfiguratione oſtendere, duxit eos in Montem excelſum ſeorſum? niſi ut viam virtutis, qua ad gloriam aſcenditur, non planam, ac facilem; ſed arduam, atque ſtrenuam demonſtraret. Sic Moyſes in Monte Sinaì, qui & Oreb, tabulas legis accepturus aſcendit. Sic Elias in eodem Dei colloquio fruitur. Sic in monte Syon, qui & Moria dictus eſt, Spiritus Sanctus datus eſt. In Olivueti item monte Cœlum Chriſtus aſcendit. In monte etiam Caluariæ exaltatus in Cruce omnia traxit ad ſeipſum, ut his documentis inſtrueremur, nos brutalem vitam deſpicere, terrenaq; cōtemnere, atque ad excelſa conſcendere oportere, ut uirtutis palmam, & gloriam acquiramus: nec enim qui belluinam uitam agunt, ad Deum aſcendere poſſunt, iuxtà illud Moyſis Exod. 19. *Beſtia, quæ tetigerit montem, morte morietur*. Quid? quòd hac ſola ratione Dæmonis inſidias, quas ille perpetuò virtuti ſtruit, effugimus; cùm enim ex diuina maledictione ſerpens, ideſt Diabolus, ſuper pectus ſuum per terram ſerpendo gradiatur, ſi longè à terra eleuemur, laqueos eius euademus; quā rem concinnè D. Chryſoſt. proſequitur in Homil. 8. ſuper Epiſtolam ad Roma.

Exod. 19.

D. Chryſ.

Diabolus, inquit, *formam ſerpentis gerit, deorſum trahitur, ab inferiori loco depugnat: id eſt à rebus, quæ infrà nos ſunt, à voluptate, diuitijs, rerum terrenarum amore: quod ſi quē viderit, volatu ad Cælum ferri, primò eò uſque pertingere non poteſt, deinde id aggreſſus celeriter labetur. Neque enim pedes habet, ne formides; non alas, nè terreare; ſuper terram trahitur, nihil tibi ſit cum illo commune; veluti ſerpens ſpinis occultatur, intra diuitiarum impoſturas aſsiduè latitans: quòd ſi ſpinas incenderis, aufugiet timidus; ſi incantationes diuinas noueris, cæleſtium amore tactus, ſtatim vulnerabitur*. Hactenus Chryſ. Igitur hæc uia uirtutis laborioſa eſt, cùm aduerſo itinere aſcendatur; *Per multas enim tribulationes oportet intrare in Regnum Dei*. Actor. 14. Vnde Canticorum 3. uia virtutis aſcenſus purpureus nominatur; quoniam per ſanguinem, per laborem ſcilicèt ſuſceptum uſque ad ſanguinem, ad verticem montis virtutis conſcendere oportet: eſt item laborioſa, quoniā eſt via Pęnitentiæ, & via Crucis, de quā Lucę. 9.

Actor. 14.

Cantic. 3.

Lucæ 9.

Dominus

Dominus dixit, *Qui vult uenire poſt me, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* D. Baſil. D. Baſil.
in regul. bre. reſp. ad 6. quæſt. explicat eleganter, quænam ſit hæc noſtra Crux.
*Præparatio ad mortem pro Chriſto, mortificatio membrorum ſuper terram, ad omne peri-
culum pro Chriſti nomine ſuſcipiendum ſedato animo accedere, & ad hanc præſentem ui
tam magnopere affectum non eſſe, hoc eſt ſuam crucem poſt Chriſtum tollere.* Hãc viam
virtutis, viam duram appellauit Dauid Pſal. 16. dicens; *Propter verba labiorum tuo-* Pſal. 16.
rum, ego cuſtodiui vias duras, & ſe exponens ſubdit, *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis
ut non moueantur veſtigia mea.* Hanc uiam nobis demonſtrat Paulus in 2. Corinth. 2. Cor. 4.
4. *Semper mortificationem* IESV *Chriſti in corpore noſtro circumferentes, ut & vita* IE-
SV *manifeſtetur in corporibus noſtris.* Et ad Coloſſ. 3. *Mortificate,* ait, *membra veſtra,* Ad Coloſſ. 3.
quæ ſunt ſuper terram. Vnde Sapientiæ 10. dicit Scriptura; *Iuſtum deduxit Domi-* Sapient. 10.
nus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Quæ autem ſint hæ viæ rectæ, ſtatim
ſubdens declarat. *Honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.* Verùm ſu- Via uirtutis
peratis laboribus, via virtutis facilis, & expedita redditur. Calcatis enim paſſioni poſt laborem ſit facilis &
bus, vitiorumque aculeis retortis, menteque hominis per charitatem dilatata, via ſuauis.
mandatorum Dei curritur. Vnde Prouerb. 3. de virtute loquens Scriptura ait, *Viæ* Prouerb. 3.
eius, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ, ideſt faciles, nulliſq; turbarum im-
pedimentis præſeptæ, de quibus etiam Prouerb. 4. rurſus dicitur; *Iuſtorum ſemita,* Prouerb. 4.
*quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem; via impiorum tenebro-
ſa, neſciunt vbi corruant:* quamuis enim impiorum via lucida, ac ſplendida ob vo- Via impiorũ
luptates, diuitias, & honores appareat; tamen in fine obſcuriſſima, ac valdè tene- tenebricoſa, licet ſplendi-
broſa reperitur. Quòd ſi neget quis, has eſſe tenebras, dicatque, diuitiarum, ac glo da videatur.
riæ ſplendore potius illuſtratam viam impiorum in hoc mundo clareſcere; tamẽ
is negare non poterit, hoc ipſo fallaci, futilique ſplendore animorum noſtrorum
oculos repercuſſos cæcutire, & calamitatum, multarumq; miſeriarum infortu-
nijs, quaſi teterrimis quibuſdam tenebris offuſis, in ipſo falſæ lucis fulgore miſe-
ros impios cæcutientes infeliciſſimè corruere. Quod & frequentes, & graues iſto-
rum hominum caſus, & crebrerrimę, quibus ſæpiſſimè obruuntur, calamitates in
hac vita declarant, quibus ſi rerum terrenarum ſplendor præluceret, & non po-
tiùs tenebras ipſorum offunderet oculis, non id profectò tam ſæpe, tamq; pericu- Simile.
losè contingeret; quibus omnino idem ſolet accidere atque illis qui per agros ni-
ue coopertos incedunt, qui cum hoſpitium ingrediuntur, nihil vident, oculis diu-
turno illo, & nimio fulgore perſtrictis, undè facillimum eſt, illis deorſum cadere;
quoniam impij, poſt diuturnas huius vitę peregrinationes, & poſt aſſiduas per vo
luptatum, & illecebrarum fulgentes quaſi niues concurſationes, cùm defatigati
tandem ad vitæ metam peruenerint, per mortis ianuam in futuri ſęculi hoſpitium
ingreſſi, tamquam ipſa rerum terrenarum luce obcœcati, in profundiſſimum ma-
lorum omnium, & perpetuarum calamitatum oceanum pręcipites corruent. Vn- Prouerb. 14
dè Prouerb. 14. dicitur: *Eſt via, quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius ducunt
ad Infernum:* At iuſtorum via ità in ſplendore continuo creſcit, ut ad perfectum
diem cœleſtis viſionis perducat.

NEC ſolùm viæ iuſtorum ſunt faciles, pulchræ, & pacificæ, ſed etiam iucundæ, Pſal. 118.
& delectabiles, ut teſtatur Propheta Pſal. 118. *In via teſtimoniorũ tuorum delecta-
tus ſum, ſicut in omnibus diuitijs, qui enim ſpiritu ambulant, mutabunt fortitudinem, aſſu
ment pennas, ſicut aquilæ current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Eſa. Eſai. 40.
40. & ſi enim obſcuritatem laborem, uel aſperitatem extrinſecùs præſeferant, in-
trinſecùs tamen ſplendorem, atque iucunditatem præſtant, ut Paulus 2. Corinth. 2. Corinth. 6.
6. ſcribit, *Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem, per infa
miam, & bonam famam, ut ſeductores; & ueraces; ſicut qui ignoti, & cogniti, ut caſtiga-
ti, & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autem
locupletantes, tamquam nihil habẽtes, & omnia poſſidentes, tamquam morientes, & ecce
viuimus;* & D. Bernardus in declarat. de bonis deferend. præclarè dixit; *Quid labo-* D. Bernard.
*rioſa quæque, & humilia conuerſationis noſtræ tam ſedulo numeratis? ſagacilicina
ſunt, & pelles arietum rubricatæ, quibus interna tegitur gloria, ut illæſa à pulueris, & im*

bris iniuria conſeruetur. Nolite mirari, neque enim triſtitia, aut neceßitatis eſt exterior iſte neglectus, ſed occulti ſplendoris, & exaltationis internæ. Hæc Bernardus.

Difficultates uirtutis ad maiorem fortitudinem faciunt.
Exod. 17.
Iudic. 11.

HABET ſanè virtus ſua impedimenta, & difficultates, quæ aliquando ex Dei beneplacito ad maiorem fidelium fortitudinem comparandam offeruntur. Sic filijs Iſrael profectis in deſertum, iuxtà ſermonem Domini Exod. 17. ſæpè defecit aqua, multi hoſtes, multa aduerſa occurrere, & Iudi. 11. vndecim tribus ex Dei prę cepto bello in Beniamin ſuſcepto, in duobus prioribus prælijs maximam cladem acceperunt, ſed tertio prælio eum penitùs debellarunt. Aliquando verò ex Diaboli induſtria, peruerſorumque hominum artibus obijciuntur; ille enim eſt *Coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Geneſ. 49.

Geneſ. 49.
Didac. Stella.
Diabolus venatori ſimilis

Stella in Lucam cap. 18. ſimilem facit Diabolum venatori, qui feram ſpontè in retia incurrentem non ſollicitat, neque vlla vociferatione adigit; ſi verò diuertentem abire uidet, ſeſe illi in via opponit, cogitque terroribus, & minis in laqueos redire; ſic Diabolus, quos ſpontè uidet, aut perire, aut ocioſam uitam ducere, non moleſtat, illos verò, qui ſalutem ſuam diligenter procurant, aut opus aliquod virtutis egregium, ac laudabile moliuntur, omnibus modis infeſtat, ut à propoſito deterreat, & ad laqueos ipſius, peccatum ſcilicèt, & ociū reducat. Igitur ſiuè à Deo percutiente, ſiuè à Dæmone tentante, ſiuè ab impio perſequente homo uexetur, & tentetur, id totum ad uirtutis exercitium electis Dei cædit, ſic enim illi à malis liberati ad maiorem gratitudinem, & Dei amorem excitantur: quemadmodum enim ferrum uſu ad argenti inſtar ſplendeſcit, ſi uerò diutius in terra iaceat, rubiginem contrahit, & tandem in terram cōuertitur, ſic exercitatione uirtutum homo

Exercitia tentationum uirtutem augēt.

donorum ſupercœleſtium fulgore ſplendeſcit, & fortitudine, atq; patientia in tribulationibus, & rebus aduerſis cęleſtis, ac totus ſpiritualis euadit; ſic arbor uentis agitata, radices altiùs figens, ſolida, ac robuſta euadit; & equis duriores ungues

D. Auguſt.

fiunt, qui per montium anfractus incedunt; unde D. Auguſt. agens de huiuſmodi Sanctorum exercitatione, in Pſal. 91. ſic ſcribit. *In tubis ductilibus, in voce tubæ corneæ; Ductiles tubæ areæ ſunt, quæ tundendo producuntur; ſi tundendo, ergò vapulando eritis tubæ ductiles in laudem Dei producta, ſic cum tribulamur, tribulatio, tunſio, profectus, productio eſt. Quomodo ſonuit, & quam ſuauiter tuba ductilis, qui in tribulatione percuſſus gratias agit? Ecce, inquit fabricator Deus, illam tubam perficere volo: non perficiam niſi tundam, malè ſonabat antequam produceretur: Nunc productus, & factus tuba ductilis, laudes Dei ſonabit, qui antea blaſphemias intonuit.* Hæc ille.

Simile.

Sicut enim arbor, uel uitis, ut meliùs creſcat, magiſque fructificet, uarias patitur inciſiones, & multas palmitum reſecationes ferre debet; ſic homines, ut Deo magis, ac magis grati

Iſai. 5.

ſint, diligenter per tribulationes exerceri, & purgari debent, unde Deus Eſa. 5. in Iſraelitas inuehitur dicens. *Dimittam vineam, & non putabitur, neque fodietur;* quæ

D. Baſil.

uerba D. Baſilius ſic explanat; *Quemadmodum qui vineam putant, aſtringunt eius vites, & internè continent, vt maiore cum temperamento procedant ad proferendos vtiles fructus: ad eumdem modum contingit animæ aſſiduitate afflictionum incurnatæ, quodam modo in ſe contrahitur, ſeque humiliter demittit, & humiliat; atque ad ſui diligentiorem cuſtodiam retrahitur, è contrario anima, quæ indulgenter, ac remiſſè viuere ſinitur, perinde atque vinea neglecta luxuriat, & ſilueſcit ſarmentis, ſeque effundens cir. à incommoda, nec vllam afferentia frugem, natiuo ſucco exhauritur.* Hæc ille.

Vtilitas tentationum.

Tentationes uerò, ſeù tribulationes non ſolum, ut Paulus ait, magnum operantur futuræ gloriæ pondus in nobis; ſed etiam in hac uita ſuauiſſimos uirtutis fructus, ut fortitudinem, conſtantiam, rerum terrenarum contemptum, & cætera id

D. Chryſoſt.

genus in anima gignunt, undè Chryſoſt. in homil. de Reſur. ità eleganter ſcripſit: *Sicut enim, qui mare nauigarunt, & innumeras procellas tulerunt, multaſque hyemes perpeſſi ſunt, antequam merces referant: non paruum peregrinationis ſuæ lucrum reportant, eò quòd aliquantò fidentiores ſunt, ac pelagi ſauitiam minus horrent, adeoque intrepidè, & cum voluptate quadam tranſmarinas peregrinationes aggrediuntur, ità & qui in præſenti vita propter Chriſtum multas fert afflictiones, etiam antequam Regni Cælorū magnam illam retributionem aſſequatur, magna hic patitur fiducia, animamque ſuam ità*

excelſam

excelſam efficit, vt poſt hac grauia omnia quaſi è ſublimi derideat. Hęc ille, qui etiam in Epiſt. 4. ad Epiſcopos, & Presbiteros ob pietatem in carcere incluſos, quæ in fine tom. 5. habetur ſimilia ſcribit. *Beati nos ob carcerem, ob catenas, ob iniecta uincula; beati, inquam, & ter beati, immò ſapius: totum Orbem nobis conciliaſtis, etiam longè abſentes amicos nobis feciſtis. Vbiq; terrarum, & marium canuntur neſtra praclara facinora, fortitudo, conſtans ſententia, animuſq; minimè ſeruilis. Nihil quod alijs uidetur graue, vos deterruit, non tribunal, non carnifex, non tormentorum coaceruationes; non mina, qua innumeras mortes nunciabant, non Index, qui ignem ab ore flabat; non aduerſarij, qui frendebant dentibus, & innumeris alijs inſultandi modis geſtiebant; non tanta calumnia, non impudentiſſima accuſationes, non mors ante oculos quotidie propoſita; ſed hac omnia vobis vberem potius, ac ſufficientem conſolationis materiam praſtitere. Et idcircò clari quidem nos; & celebrant, ac pradicant nos omnes non amici ſolùm, ſed & inimici ipſi, qui hac effecerunt. Eorum ſi quis introſpiciat conſcientiam, licèt non manifeſtè fateantur, inueniet etiam apud ipſos veſtrum miraculum magnificari; tanta res eſt uirtus, ut illam etiam impugnantes admirentur, tanta res eſt malitia, ut etiam ij, qui eam operantur, condemnent.* Hæc ille.

Quibus adijciendum eſt, tribulationes mirificè deſiderium perſeuerandi in ſtudio uirtutis augere, iuxtà illud Pſal. 15. *Multiplicata ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt;* Vnde D. Chryſoſt. Hom. 10. in Matth. ità ait, *Deus tribulationes irruere permittit, vt ad ipſum, & frequentiùs confugiamus, & expreſſiùs. Tale aliquid faciunt amantiores filiorum parentes, cùm paruulos ſuos uiderint à ſe quidem ſæpè diſcedere, aqualium autem ſuorum luſibus detineri, pracipiunt famulis terribilia multa ſimulare, ut exagitati metu paruuli ad maternum ſinum confugere feſtinent: ita etiam Deus non modò ab alijs nos ſapè tribulari ſinit, ſed nonnumquam etiam ipſe plagas minatur, non vt eas in nos inducat, ſed ut nos ad ſe potius adducat.* Sic Chryſoſtomus. Ità Iob maximè cùm tribularetur effulſit, Ioſeph Deo in tribulatione plus placuit, Thobias, & eius pater, cęterique iuſti clariores de tribulationibus texuerunt coronas, uictoreſque proclamati ſunt: ſic etiam Paulus per ſtimulum carnis ſuę, & Angelum Sathanæ, qui eum colaphizabat, maxima commoda ſpiritualia colligebat; unde nec potuit à Deo impetrare, ut tentatio illa ab eo diſcederet, 2. Cor. 12. etenim ſicut pluuia in terram cadens erigit ſemina; ſic tribulatio animum ingreſſa erigit deſiderium: ſunt hæc verba Chryſoſt. Homil. 14. ex varijs in Matthęū. Nam ſicut granum tritici incluſum in palea foras non egreditur, niſi fuerit trituratum, ſic & homo impedimentis mundialibus, & rebus carnalibus, quaſi paleis inuolutus, difficilè egreditur, niſi fuerit aliqua tribulatione uexatus. Solet autem Deus eatenus hominem tribulatione exercere, donec perfectè purgetur, & emundetur; de qua re idem Chryſoſt. Homil. 4. ad Popu. Antioch. ſic ſcripſit. *Poteſt enim certè Deus omnia grauia hodie ſoluere, ſed donec nos purgatos uideat, & firmam, atque inconcuſſam conuerſionem, tribulationem non diſſoluit; etenim aurifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit; nec Cytharadus neruum intendere prius deſinit, quàm harmonia concentum perfectum aduerterit, ſic Deus non abducit tribulationis nubem, donec nos penitùs emendauerit.* Ex his facilè percipiemus, quantoperè uirtutis natura admiranda ſit, atque etiam amanda, & amplexanda; Qua conſideratione homo in agro cordis ſui fructum Sacri Iubilæi mirificè conſeruabit.

Sed ſi conſcientiæ quoque puritatem, tranquillitatem, ac ſerenitatem contemplemur; quæ ex conſequutione Iubilæi emanat, fructum eius acquiſitum cautiùs, ac ſtudioſiùs conſeruabimus. Eſt enim ſecura mens quaſi iuge conuiuium; Prouerbior. 15. vndè Plotinus Enead. 1. inquit. *Vir bonus ſemper ſerenus eſt, ſtatuſque ipſius quietus, & nihil eorum, qua mala dicuntur, eum perturbat.* & Senec. Epiſto. 116. *Si boni viri animum nobis inſpicere liceret, ò quàm pulchram faciem; quàm ſanctam, quàm ex magnifico, placidoque fulgentem videremus? hinc iuſtitia, illinc fortitudo, hinc temperantia, prudentiaque refulget.* D. Auguſtinus in tractatu ſuper caput vltimum Prouerbiorum, de ſtatu bonæ conſcientiæ ſic inquit. *Bona conſcientia facit bonum opus amare, & quid dulcius bona conſcientia? quaſi non eſt, & mala*

Tribulationes deſideriũ in ſtudio virtutis perſeuerandi augent.
Pſal. 15.
D. Chryſoſt.
2. Cor. 12.
Simile.
D. Chryſoſt.
Simile.
Conſcientiæ puritatis cõſideratio Iubilæi fructum conſeruabit.
Prouerb. 15.
Plotinus.
Seneca.
D. Auguſt.

eſt, pungit, & amara ſunt omnia, & in lib. de Cathechizãdis rudibus inquit, *Verius, atque iucundius eſt, gaudere hominem de bona Conſcientia inter moleſtias, quàm de mala inter delicias.*

D. Chryſoſt.

D. Chryſ. to. 5. in ſermone de nequitia depulſa, & uirtute inducta, pulchram de hac re ſcribit ſententiam. *Neq; illud ſpectandum quàm laborioſa ſit uirtus; ſed quàm poßit facilè comparari, ſi ſtudio, & diligentia incubuerimus, conſiderandum; Quòd ſi vitiorum voluptatem abſtuleris, & finem, qui ducit ad mortem, vbi è contrà uirtutes ad vitam explicabis, videbimus plurimum vitijs ineſſe doloris, virtutibus verò voluptatis non parum, ſi fuerint hæc diligentiùs vtraque diſcuſſa. Nam quid improba conſciẽtia moleſtius, quid ſpe meliori ſuauius? nihil profectò. Nihil adeò nos frangere, vel vrgere conſueuit, quàm rei aduerſæ, aut mali imminentis expectatio, nihil vmquam nos adeò ſubleuat, & quaſi volitare facit, quàm recti conſcientia.*

D. Bernard. Bona conſciẽtia quantum valeat.

D. Bernardus ſapienter, ac lepide, in libro de conſcientia ſcripſit: nil iucundius, nil ſuauius homini in hac uita cõtingere poſſe; quàm ab omni culpa, & pœna immunem eſſe; *Magna*, inquit, *diuitiæ bona, & tranquilla conſcientia; quid enim in rebus ditius? quid in corde dulcius? quid in terra quietius, atque ſecurius bona, & tranquilla conſcientia?* & rurſus in cap. penult. *Conſcientia bona lætificat animam, eamque exhibet Deo gratam, Angelis, & hominibus reuerendam, & ſibi ipſi pacatam, & quietam. Conſcientia bona titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, reclinatorium aureum, gaudium Angelorum, Arca fœderis, theſaurus regius, Aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus, etiam clauſus, & in die iudicij aperiendus, nihil enim in hac vita ſecurius, nihil iucundius poßidetur bona conſcientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, illa tamen ſemper erit ſecura; futuræ beatitudinis nullum certius teſtimonium bona conſcientia; & qui cuſtodierit illam, ſemper erit in gloria cum Angelis in cæleſti patria. Bona eſt conſcientia ſi habeat in corde puritatem, in ore veritatem, in actione rectitudinem; munda eſt cùm nec de præterito iuſtè accuſatur, nec de præſenti iniuſtè delectatur. Pura eſt, cui nec Deus peccata ſua imputat; quia non fecit; nec aliena, quia non approbauit; nec negligentiam, quia non tacuit; nec ſuperbiam, quia in vnitate permanſit. Secura eſt quando accuſationem non patitur; vel pro tempore boni, vel pro præſumptione mali. Recta eſt, cui peccatum ſuum diſplicet, nec aliena peccata diſsimulat, & cum corripit, non inſultat. Talis eſt bona conſcientia.*

Vgo.

Sic Bernardus: idem ferè Hugo, lib. 2. de Anima, cap. 9. Igitur; cùm ſuſceptio Sacri Iubilæi aptiſſimum medium ſit ad huiuſmodi conſcientię puritatem acquirendam, qui illum, Deo fauente, adeptus fuerit, quonam modo tantum bonum diligentiſſime non conſeruabit?

Conſideratio grauitatis peccati, & oneris illius cõducit ad cõſeruationem fructus Iubilæi.

At ſi grauitatem, atque onus peccati intimè conſideremus, fructum Sacri Iubilæi acquiſitum ne deperdamus, omninò ſtudebimus. Etenim peccatum non ſolum premit, & grauat animam ſuo pondere in hac vita, ſed etiam, ni prius per Sacramenta, & Indulgentias diluatur, ſecum poſt mortem pertrahit homines ad locum pœnarum, qui quamuis illa etiam inuiti hic morientes dimittant, ipſi tamẽ, & ſua ſecum peccata portant, & ab illis ſuo pondere, & grauitate pertrahuntur,

D. Auguſt.

vt rectè dicit Auguſt. in lib. 50. Homiliarum, Homil. 42. tomo 10. omne enim peccatum, quod à Regno Dei ſeparat, & in ignem mittit æternum, non leue, ſed graue cenſendum eſt, ut idem Auguſt. lib. 2. contra Petilianum reſponſ. 23. tomo 7. ſcripſit.

Debita peccatorum.

At ſi ingentia debita peccatorum contemplemur, an non ſummæ felicitatis genus iudicabimus, nulli obnoxium eſſe culpæ, vel pœnæ debito exſoluendo? eſt enim ſarcina peccatorum, uti onus alieni æris infeliciter cor hominis premens:

Simile.

quemadmodum enim, qui acceptam mutuò pecuniam, ſtato tempore, ſua culpa non perſoluit, ex ratione iuſtitiæ cogi poteſt, ut luat in corpore carcere tradatur, ſi in ære luere non poteſt; ſic ratio diuinæ iuſtitiæ poſtulat, ut qui diuinam uoluntatem illi obediendo non fecit, eiuſdem voluntatis pœnas ſubeat, & qui debitum obedientiæ non perſoluit, debitũ pœnæ luat; ſic Lucæ 12. dicitur.

Luc. 12. & 13.

Tradidit eũ tortoribus, quoad vſque redderet uniuerſum debitum. & Lucæ 13. *Non exies inde, donec ſoluas nouiſsimum quadrantem.*

Quomodo peccata dicãtur debita ex Chryſoſt.

Dicuntur autem peccata debitum effectiuè, quoniam huius debiti cauſa ſunt, iuxtà illud: *Dimitte nobis debita noſtra.* Vndè Chryſoſtomus Homil. 9. ex varijs in Matthæum locis dicit; *Quæ ſunt debita noſtra? quid*

debemus,

debemus Deo, niſi imaginem, & ſimilitudinem eius ſeruare illæſam? Sunt alia debita, quæ debemus Deo, peccauimus illi grauiter, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Verùm non ſolùm peccatum ratione pœnæ graue onus eſt, ſed etiam ratione culpæ; Vnde Diuus Gregorius rectè in Ezechielem, Homil. 11. ſcripſit, *Peccatum ſuo pondere in aliud trahit, niſi pœnitentia deleatur*, ex conuerſione enim ad creaturam, peccatū mentem hominis terræ defixam perpetuò tenet, vnde Zachar. 5. appellatur talentum plumbi, & maſſa plumbea, quæ in os peccatoris mittitur, quoniam difficillimè peccator ad pœnitentiam reſurgit. Erat autem talentum pondus 60. minarum, ſiue ſex mille drammarum, vt Riberà eo loco annotauit. Quocircà, & quatriduano Lazaro lapis magnus impoſitus erat, ut peccati grauitas, & pōdus ſignificaretur: hinc peccatores Camelis, & aſinis Zacha. 14. comparantur, eſt enim camelus animal tortuoſum, atque oneribus aptum, quod etiam in lege immundū erat, quòd ruminaret, & vngulam fiſſam non haberet, atque hypocritas præcipuè ſignificat, qui & Deo ſimul, & hominibus placere ſtudet, atque ita Deo inſeruire curant, ut eius cauſſa hominibus diſplicere nullo pacto intendant. Vndè partim mundi apparent, partem immundi, ut Cameli, qui cum animalibus mundis ruminant, ſed cum immundis non findunt vngulam; atque ideò immundi ſunt. Quemadmodum autem Cameli ob eorum proceritatem ſe ipſos inclinant, ut onera paruo imponentium labore ſuſcipiant; ſic in mundo Proceres, ac magni viri repetiuntur, qui ſe vltrò peccatorum grauiſſimorum oneribus ſupponunt, uel in populos iniuſtitias exercendo, vel Dei iniurias, & contumelias fouendo, uel deniqùe ſe ipſos in pernicioſiſſimum exemplum tradendo: comparantur quoque eadem ferè ratione Aſinis, qui vltrò, magnaque facilitate ſupponunt dorſum ad portandum, quibus quoque Diabolus pro libito imponit onera peccatorum. De his Geneſis 49. ſub figura Iſſachar dicitur, *Aſinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem, quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factusque eſt tributis ſeruiens.* Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ioan. 8.

Grauitas peccati quoad culpam.
D. Gregor.
Zachar. 5.
Ribera.
Zachar. 14.
Simile.
Hypocritarum ſtudiū.
Simile.
Geneſ. 49.
Ioan. 8.

At verò ut peccatum inteſtino quodam odio proſequamur, deteſtemur, ac fugiamus, paucis eius turpitudinem, infamiam, peſtilentesq; fructus addūcamus: Opponitur peccatum omni bono, ſcilicèt utili, honeſto, & delectabili, undè ſummum malum eſſe à ſapientibus definitur. Vtili quidem quoniam maximè damnoſum eſt, eoque bono nos priuat, de quo dictum fuit Moyſi: *Oſtendam tibi omne bonum*, ſcilicèt Deum: Vnde Eſai. 59. dicitur: *Peccata veſtra diuiſerunt inter me, & vos*; Et quid eſt anima ſine Deo per gratiam gratumfacientem in ea diuerſante, niſi Ciuitas Rege regaliq; Curia deſtituta? niſi nauis ſine clauo malo, ac ipſo rectore, validiſſimis tempeſtatis fluctibus agitata? niſi Ciuitas ab hoſtibus obſeſſa, ſine Cuſtode, ſine militum, ac murorum præſidio? Diuus Cyprianus in ſermone 8. de lapſis, damna peccati appoſitè ſic deſcribit. *Hoc ſunt peccata lapſis, quod grandò frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod nauigijs ſæua tempeſtas.* Sic ille. Deſtruit enim peccatum omnes fructus bonorum operum, animi facultates deprauat, ac denique totum hominem ad interitum deducit: rectè Eccleſiaſtici 21. rhomphææ bis acutæ iniquitas comparatur: *Quaſi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas*, ferit enim tùm culpa, tùm pœna peccatum & pleraque alia damna efficit in anima, eius decorem, ac pulchritudinem denigrat; *ſicut putredo*, inquit, Diuus Bonauentura in Diæta ſalutis, cap. 2. *aufert pomo decorem, colorem, odorem, & ſaporem, ſic peccatum aufert animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & ſaporem gloriæ*, honorem inquam ac gloriam ab ea auſert, qui enim Dei filius, amicus, & coniunctus erat, per peccatum Diaboli filius, & mancipium abiectiſſimum efficitur; ſicut enim barba dum in mento hominis coniuncta eſt, faciem eius decorat, quòd ſi à Barbitonſore abſcindatur, conculcatur, ac nihili fit; ſic anima dum Deo per gratiam coniuncta eſt, tamquam eius ſponſa honore digna eſt, at per peccatum ſeparata, deſpicabilis, & ignobilis efficitur; ſicut barba reſecta, quę igni tantùm, aut fimeto apta eſt. Præterea ſicut vitis niſi coniuncta ſolo ſit, fructum afferre non poteſt, ſecta verò, atque à terra reuulſa nulli uſui

Turpitudo & infamia peccati.
Peccatum bono utili contrarium.
Eſai. 59.
D. Cyprian.
Eccleſ. 21.
D. Bonau
Simile.
Simile.

nulli uſui apta eſt, niſi ut in ignem mittatur; ſic anima ſi Deo per uirtutes, & gratiam coniuncta ſit, ſpecioſiſſimos atque pulcherrimos fructus progignit, ſeparata uerò per peccatum turpiſſima res eſt, & quauis creatura deformior; quę res Ezechiel. 15. egregiè ſic deſcribitur, *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſiluarum? numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus; aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque uas? ecce igni datum eſt in eſcam.* Nec ſolùm decorem, & pulchritudinem amittit anima per peccatum, uerũ etiam deformitatem, ac turpitudinem induit; ſicut etiam ſuauitatem uirtutum amittens acerbitatem, atque amaritudinem, dentiumque ſtuporem acquirit, iuxtà illud Hierem. 31. *Omnis, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.* Vnde alios quidem panẽ manducantes uident, & fortè laudant, ipſi uerò manducare non poſſunt, ut rectè Gregorius lib. 3. in Iob cap. 15. dixit. Huc accedit, quòd peccatum pigritiam, ac tædium quoddam generat ad mandata Dei explenda, quod rectè D. Baſilius in regulis fusè diſputatis ad quęſt. 174. dixit; *Quemadmodum enim per morbum in corpore appetitus deiectio, & ciborum inſuaue faſtidium; ſic in animo circà explẽda mandata Dei pigritia, ac lentitudo ex peccato generatur*; Sic Baſilius. Adde quòd pręter damna, quę quantum ad ea, quę ſunt gratię, in anima cauſantur per peccatum, multa quoque quoad facultates, & uires naturales eas vulnerando, ac debilitando infert; quemadmodum de Adam in ſtatu innocentię cõſtituto, dum poſtea peccaret, philoſophantur Theologi. Atque inter alia, de ipſius libidinis ſordibus, cladibuſque, quas corpori affert, dicamus. Ariſtoteles in lib. de longi. & breuit. uitæ, inquit, quòd animalia, quę multum coeunt, citò ſeneſcũt, & Plato, in 4. de Rep. inquit, quòd ardor concupiſcentię uniuerſam uitam peruertit; D. Auguſt. lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 16. ſpiritum hominis uoluptuarij in carnem conuerſum, non niſi carnis deſideria perficere, docet his uerbis; *Libido non ſolùm totum corpus, nec ſolùm extrinſecùs, verum ẽt intrinſecùs vendicat ſibi, totumq́; commouet hominem animi ſimul affectu cum carnis appetitu coniuncto, atq́; permixto, ita ut momento ipſo temporis, quo ad fœdiſſima eius voluptatis peruenitur extremum, penè omnis acies, & quaſi vigilia cogitationis obruatur.* Hæc ille. Huic ſententiæ concinunt verba Ambroſij in commentarijs prioris ad Corinth. cap. 6. dum explicat illa uerba. *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat; Cætera*, inquit, *peccata, & ſi per corpus fiant, non tamen animam ità carnali concupiſcentia faciunt obſtrictam, & obnoxiam, quemadmodum commiſceri facit animam cum corpore, quaſiq́; et immergi uſus libidinis, agens in opere fornicationis, tunc enim ita agglutinatur anima corpori, ut in ipſo momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipſam mentem captiuam ſubdit ipſa ſubmerſio, & abſorbitio libidinis, & concupiſcentia carnalis.*

Ezech 15.
Deformitas peccati.
Ierem. 31.
D. Gregor.
D. Baſil.
Peccatum & uires naturales debilitat, & frangit.
Libidinis mala.
Plato.
D. Auguſt.
D. Ambroſ.

SED bono quoque honeſto peccatum aduerſari longa oratione demonſtrandũ non eſt, cùm ſit res per ſe turpis, & uitioſa: quod ex eo præcipuè perſuadetur, quoniam peccatum ſemper latere vult, & latebras quærit. *Qui enim malè agit* (inquit Saluator Iohannis 3.) *odit lucem, & non uenit ad lucem, ne arguantur opera eius*: ſic Adam Geneſis 3. cùm primùm peccauit, à facie Dei ſe abſcondit. Sic Dauid 2. Reg. 11. adulterium cùm Vria varijs modis tegere conatur. At peccatorum deformitates eleganter D. Auguſt. in libro meditat. cap. 4. deſcripſit; *Coarctat*, inquit, *auaritia, diſtendit ſuperbia, conſumit inuidia, inflãmat concupiſcentia, infeſtat luxuria, dehoneſtat gula, ebrietas confundit, detractio lacerat, ambitio ſupplantat, rapacitas obiurgat, diſcordia diſſipat, ira perturbat, leuitas diſſoluit, torpor opprimit, hypocriſis fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calumnia pungit*; & Proclus de An. & Dem. dixit. *Quid miramur, multos quidem ſecundum vitam eſſe lupos, multos verò porcos, plurimos autem alia quadam brutorum ſpecie circumfuſos? cum terrenus locus Circes ipſius ſit diuerſoriũ, animæq́; multæ ob immoderatam concupiſcentiam venenoſis poculis captæ ſint; illud potius miramur, ſi qui reperiuntur huiuſcemodi potionibus non permulcti, nec irretiti.*

Bono honeſto peccatum aduerſatur.
Ioan. 3.
Genes. 3.
2. Reg. 11.
D. Auguſt.
Proclus.

QVOD autem bono delectabili peccatum contrarium ſit, iam demonſtrandum eſt; in ipſis enim uoluptatibus, ob quas homines peccant, non niſi amariſſimá, ac acerbiſſima inueniuntur. Vnde Hieremiæ 2. dicitur: *Scito, & vide quàm malum, &*

Delectabili bono peccatum aduerſatur.
Ierem. 2.

amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te, dicit Dominus. Vnde Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 12. dixit; *Voluiſti Domine, & ita eſt, ut omnis animus inordinatus ſibi ſit pœna,* & Plutarcus de uirt. & uit. *Vbi eſt delectatio vitijs? ſi nullibi vacuitas curarum, & dolorum, nullibi ſe ipſo contentum eſſe, nullibi tranquillitas animi, otiumuè conceditur.* Filij Iſrael in Ægypto uix cepas, & allia deguſtant, & ſtatim lachrymæ per oculos defluunt. Num. 11. *adhuc eſca in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos;* quæ uindicta externa typus fuit internæ, quæ nulli peccato deeſt. Sic Amnon 2. Reg. 13. cum uitiaſſet ſororem ſuam Thamar, ſtatim eam ita horrori habuit, ut eius conſpectum ferre non poſſet; porrò ſicut in ulcere unguis ſcalpens iuuat, atque delectat, deinde erueiat; ſic peccatum dum perpetratur uoluptatem habet, poſtea moleſtiam, & anxietatem: ad inſtar quoque febricitantis, qui dum aquam gelidam bibit, releuari uidetur, ſed mox in maiorem moleſtiam ex noxij humoris cruditate incidit.

D. Auguſt.
Plutar.
Numer. 11.
2. Reg. 13.
Simile.

BENEDICTVS Pererius tomo 1. in Geneſim, lib. 6. tractans verba illa, *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius, &c.* quinque amariſſimos, & pernicioſiſſimos peccati fructus ex Adami exemplo colligit. Primus eſt apertio oculorum; ante peccatum enim, vel etiam in peccando planè cæcus eſt homo, quantum mali in peccato ſit nequaquam cernens; at continuò poſt peccatum aperiuntur ei oculi, clariſſime enim videt pro exigua, & breui peccati voluptate, maximum, & ſempiternum malum ſibi comparatum.

Pererius.
Quinque amariſſimi fructus peccati.

Secundus fructus eſt nuditas, propter peccatum enim ſpoliamur plurimis, & maximis Dei ornamentis, & precioſiſſimis virtutum cœleſtium veſtibus. Vnde Exodi 32. legimus, Hæbræum Populum poſt adorationem Vituli nudum fuiſſe, & Apocalypſis 3. peccatori dicitur; *Neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus; ſuadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.*

Exod. 32.
Apoc. 3.

Tertius fructus eſt pudor, & confuſio animi; & ad ſupprimendum dolorem ex peccato contractum ad inanes mundi conſolationes perfugium. Hoc enim eſt conſuere ſibi ex ficulneæ folijs pudendorum ſubligacula, de quo Paul. ad Rom. 6. dixit. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?*

Ad Rom. 6.

Quartus fructus eſt iudicium, ac teſtimonium conſcientiæ, vehementer hominem patrati ſceleris accuſantis, & condemnantis; de quo Paulus ad Rom. 2. *Teſtimonium,* inquit, *reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus;* hæc autem vexatio, quaſi morſus, ac villicatio conſcientiæ, eſt grauis homini pœna, utilis tamen, & ſalutaris, de quo Iob 15. dixit; *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius. Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille inſidias ſuſpicabitur.*

Ad Rom. 2.
Iob 15.

Quintus fructus eſt pauor, ac tepidatio, diuinique Iudicij, & vindictæ metus, quod de Adam, & Eua in illis verbis ſignificatur: *Abſconderunt ſe à facie Domini Dei, in medio ligni Paradiſi; Improbi enim homines,* vt, in cap. 17. lib. Sapient. legitur, *frequenter præoccupant peſſima, redarguente conſcientia, cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis; ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Hunc perpetuum conſciētiæ ſtimulum, & cruciatum Philoſophi quoque, & Poetæ cognouerunt. Iuuenalis enim in Saty. 13. ſic ſcribit.

Sapien. 17.
Iuuenalis.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet Auctori, prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur, &c.

Vnde Oreſtes ille matricida ob ſcelus in matrem commiſſum nullam quietis partem, nullo loco conſiſtere, nuſquam reſpirare poterat; ſed cruentæ matris ſpecies, & flammiuomi oculi per magnam Orbis partem vagum, & profugum, & velut exulem agebant: ſic Cain quoque ob fratricidium totam vitam pauidus, trepidus, ac profugus vixit. Geneſis 4. *Ecce eijcis me hodie à facie Terræ, omnis igitur, qui inuenerit me, occidit me;* & tamen ſolus pater eius Adam tunc ſuperuixerat, tanta eſt terroris, ac ſtimuli conſcientiæ vis. Vnde Eſaię 57. rectè dicitur. *Cor impij, quaſi mare feruens,*

Geneſ. 4.
Iſai. 57.

Simile. D. Chryſoſt.

re feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem, & luctum; ſicut enim qui per tenebroſam noctem iter faciunt, ſemper pauent, metuque perpetuò concutiuntur, licèt nihil metuendum occurrat; ſic qui ſcelera perpetrantur, & ſi nemo videat, nemoque reprehendat, omnia tamen formidant, omnia ſuſpicantur, perpetuis conſcientię ſtimulis agitati. Lege Chryſoſt. Homil. 4. in Ioan.

Grauitatis pęnarum conſideratione hóſacile bonum Iubilæi conſeruabit. D. Auguſt. De grauitate pœnæ Purgatorij.

SED & ſi hæc omnia magnopere hominem in boni acquiſiti ſtudio firmare debent, contemplatio tamen grauitatis pœnarum Purgatorij hanc rem mirifice iuuabit. Tradiderunt multi patres, Purgatorij pęnam omnibus alijs pœnis huius mundi longe grauiorem eſſe. D. Auguſt. in Pſal. 37. de illa ſermonem faciens, inquit, *Et quia dicitur ſaluus erit, contemnitur ille ignis; grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid poteſt homo pati in hac vita*, & in lib. de uera, & falſa pœnit. cap. 18. & refertur in Canon. *Qui in aliud*, diſt. 25. *Hic ignis & ſi æternus non ſit, miro tamen modo eſt grauis, excellit enim omnem pœnam, quam vmquam paſſus eſt aliquis in hac vita*; & rurſùs in ſerm. 41. de Sanctis; *Dicet aliquis non pertinet ad me, quamdiù moras habeam, ſi tamen ad vitam æternam perrexero; nemo hoc dicat fratres, quia ille Purgatorius ignis durior erit, quàm quicquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut ſentiri*. D. Greg. in Pſal. 3. pęnit. *Illũ*, inquit, *trãſitoriũ ignẽ omni tribulatione præſenti exiſtimo intolerabiliorẽ*. Anſel. in c. 3. prioris ad Corint. idẽ ſcribit, & Beda in Pſal. 37. pluribus dicit, nulla Martyrũ, vel Latronũ ſupplicia, cũ illis purgatorijs pœnis cõferenda eſſe, quod idem anteà dixerat Aug. in lib. de Pęnit. c. 17. & habetur in Canon. *Nullus*, de Pœnit. diſtin. 7. atque id idem Beda etiam in lib. 3. ſuæ hiſtoriæ, ex multis reuelationibus oſtendit. D. Bernardus in ſerm. de obitu Humberti, idem aſſerit, & Dionyſius Carthuſ. in lib. de quatuor nouiſſimis.

D. Greg. D. Anſel. Beda. D. Auguſt. Beda. D Bernard. Carthuſian.

Quomodo pœnæ Purgatorij ſuperẽt omnes pęnas huius vitæ. D. Thom. Riccard. Gabriel. Suarez.

AT verò licèt omnes Doctores concedant, aliqua ratione pœnas Purgatorij ſuperare omnes pœnas huius vitæ, in hoc tamen explicando diuerſi diuerſa dicunt. D. Thomas in 4. diſt. 20. q. 1. art. 2. & in 3. par. q. 46. art. 6. ad 3. docet, non ſolùm pœnam damni maiorem eſſe omnibus alijs pęnis, quæ in hoc ſæculo accidere poſſunt, quod etiam dixit Ricchar. in 4. diſt. 20. ar. 2. q. 1. ſed etiam minimam pœnam ſenſus Purgatorij, ſeù dolorem animæ ſeparatæ patientis, excedere omne malum huius vitę; quod etiam ſenſit Gabriel in 3. diſt. 15. q. vnica, addens, dolorem Purgatorij ſuperare dolores etiam Chriſti, quos paſſus fuit in hac vita, quẽ ſequitur Suarez ſuper locum citatum D. Thomę tom. 2. diſpu. 33. ſectio. 2. in fine, vbi pro certo ponit, quantùm ad genus pœnę, & doloris, dolorem Purgatorij maiorem eſſe, cùm ſit eiuſdem ordinis cùm pœna ſenſus Inferni, licèt quoad intenſionem probabile ſit, poſſe aliquam pœnam Purgatorij eſſe minùs intenſam, quia poteſt eſſe propter cauſam leuem.

D. Bonauen. Bellarm. Medin.

At D. Bonauent. in 4. diſt. 20. art. 1. q. 2. docet, Purgatorij pœnas in eo dumtaxat ſenſu maiores eſſe pœnis huius vitæ; quoniam maxima pęna Purgatorij eſt maior, quàm ſit maxima pœna huius vitæ; licèt aliqua pœna Purgatorij reperiatur minor aliqua pœna huius uitæ; & addit, pœnam damni in Purgatorio non eſſe maiorem omni pęna ſiuè Purgatorij, ſiuè huius vitæ: cuius ſententiam ſequitur Bellarm. in lib. 2. de Purgatorio, cap. 14. & Medina 3. par. q. 46. art. 6. dub. pen. ubi expreſsè dicit, quòd dolor Chriſti intenſiuè fuit maior, quàm dolor aliquarum animarum, quæ ſunt in Purgatorio; & quòd aliquæ animæ ibi exiſtentes leuiſſima puniuntur pęna, meritis earum non magnum cruciatum expoſtulantibus.

Vera ſententia de grauitate pœnarum Purgatorij. Sotus.

VERVM, illud in hac difficultate certum eſſe exiſtimo, cum Soto in 4. diſt. 19. q. 3. art. 2. concluſ. 2. pœnam damni in Purgatorio ob abſentiam ſummi boni deſiderati, omnes pœnas alias Purgatorij, & huius vitæ ſuperare; ſicut enim poſſeſſio deſiderati boni gaudium, & delectationem generat, ita abſentia deſiderati boni gignit dolorem; & cùm bonum, quod animæ Purgatorij deſiderant, ſit ſummum; maxima quoque erit triſtitia, qua dùm illud non poſſident, afficiuntur. Quod ſi dicas, huiuſmodi triſtitiam mitigari ex certa ſpe, quam animę illæ habent conſequẽdi illud bonum aliquando. Reſpondemus, hoc tantum concludere ſummam, &

maximam

maximam pœnam damni ſolùm in Inferno reperiri,cùm & æterna ſit,& certiſſi-
mẹ deſperationi connexa, dẹ qua loquutus fuit D. Auguſt.in Enchyridio, capit. D.Auguſt.
112.dicens:minimam pœnam damni, ſi tamen ẹterna ſit,maiorem eſſe omnibus
pœnis huius uitæ; non tamẹn concludere, quòd deſiderium illud uidendi Deum
cum certitudine ſpei, & conſolatione illa admixta nequaquàm in anima generet
triſtitiam, quæ ex abſentia ſummi boni, omnes pœnas huius vitæ excedat; uis e-
nim amoris omnem exuperat conſolationem. Nec ualet quod Bellarminus obij- Bellarm.
cit,quòd tunc Patres in limbo grauiſſimam pœnam paſſi fuiſſent,quod illi falſum
uidetur, cùm Lucæ 16. dicat Abraham diuiti damnato de Lazaro, *Tu cruciaris,* Luc.16.
hic verò conſolatur; hoc enim intelligendum eſt de conſolatione illa,quam ob cer-
titudinem ſpei uidendi Deum habebat,& reſpectu pœnæ Inferni, quæ abſque du-
bio illa grauior eſt; quo etiam ſenſu explicanda ſunt uerba Auguſt. Epiſtola 99. D.Auguſt.
ad Euodium,ubi negat,uerba illa Actorum 2. *Solutis inferni doloribus*,intelligi poſ- Actor.2.
ſe de Patribus,cum non in doloribus,ſed in requie Chriſtus illos inuenerit, & D. D.Gregor.
Gregor.lib.13. moral. cap. 22. dum aſſerit, Patres in Inferno non tormenta ulla,
ſed requiem habuiſſe: huiuſmodi enim modi loquendi nullo pacto excludunt pœ-
nam damni,qua etiam Patres in limbo temporaliter afficiebantur; ſed ſignificant
pœnam ſenſus, & inſuper requiem, & conſolationem ex firmitate in bono, & ex
certitudine ſpei futuræ gloriæ,ut bene explicauit D. Chryſoſt. in Homil. de diui- D. Chryſoſt.
te,& Lazaro,& D.Thomas 3. par.queſt.52.art.5.ad primum,ubi in hunc ſenſum D Thom.
interpretatur Auguſtinum,& uerba illa Ioan.8. *Abraham exultauit, ut uideret diem* D.Auguſt.
meum; interim tamen diuina uiſione carebant, & omnibus bonis, quæ illam in- Ioan.8.
trinſecè conſequuntur; ex quo dolorem, triſtitiamque patiebantur, ex dilatione
gloriæ ob peccatum primi parentis cauſatam, ut eleganter D.Thomas 3. par. q. D.Thom.
52.art.2. ad ſecundum, & Caietanus in dicto artic.5. in reſponſione ad primum. Caiet.
Vnde D.Greg.lib.13.Moral.cap.16. aliàs 21. *In ipſis*, inquit, *Inferni locis iuſtorum* D.Gregor.
animæ ſine tormento tenebantur; graue tamen adhuc illis fuit, poſt ſolutionem carnis
adhuc ſpeciem non uidere Creatoris. Vide Suarez tomo 2. queſt. 52. diſput. 42. ſe- Suarez.
ctio.prima dub.4.

Certum quoque exiſtimo,cum Suarez,quòd quantum ad genus pœnæ, & do- Pœna ſenſus Purgatorij.
loris, maior eſt Purgatorij dolor, quàm omnis pœna huius uitæ; cùm pœnæ illæ
ſint eiuſdem ordinis cum pœna ſenſus Inferni; anima enim ſeparata, ut inquit D. D.Thom.
Thomas, habet perceptionem, ſeu ſenſum alterius ordinis, & ideò ex ſui ratione D.Auguſt.
dolor ille acerbior, & intenſior eſt; atque in hunc ſenſum citati Patres Auguſtin. D.Gregor.
Gregor. Beda, Bernard. & Anſelmus dicunt,pœnam Purgatorij,ideſt ignem eſſe D.Bernard.
maiorem omni pęna huius uitę. Medina exiſtimat, D. Thomam tantùm loqui de D Beda.
dolore damnatorum, non autem Purgatorij: at ſi rectè expendiſſet argumentum D.Anſelm.
tertium art.6.id non ſcripſiſſet, ubi etiam disertè de pęna Purgatorij loquitur. Medina.

Quantum autem ad intenſionem, probabile eſt, aliquas pęnas Purgatorij mi- Intenſio earũ pœnarum.
nus eſſe intenſas,quàm pęnam aliquam huius uitę, uel cum ob leuem cauſam, pu-
tà, uerbum ocioſum infliguntur; incredibile enim eſt, propter unicum uerbũ ocio-
ſum puniri aliquem intenſiori, ac maiori ſupplicio omnibus pęnis præſentis ſæcu-
li; uel quoniam pęnæ illæ iam propè finem diminutæ, ac remiſſæ ſint; pęnæ enim
Purgatorij non æquè grauiter ſemper cruciant, ſed ab initio uſque ad finem pur-
gationis paulatim remitti,ueriſimile eſt; immo propè exitum ſemper pęnam miti-
gari ante introitum gloriæ docet Henriquez lib.ult.cap.25.nu.3. Vndè Beda lib. Henriq.
5. Hiſtor.cap.13.ex certis reuelationibus refert,aliquorum animas ueſtibus albis Beda.
indutas,atque in locis amænis,& lucidis ſpatiari uiſus eſſe, quod inditio erat,ſen-
ſus pęnam in illis adeò exiguam fuiſſe,ut ualde parum pati uiderentur, & D. Ber- D.Bernard.
nard. in uita Sancti Malachiæ narrat, ſororem Beati Malachiæ ipſi fratri ſuo pro
ea oranti ter apparuiſſe; ac primò quidem in ueſte pulla,& extrà Eccleſiam; ſecun-
dò in ueſte ſubcandida, & intra Eccleſiam, ſed longè ab altari; tertiò in ueſte can-
dida,& apud ipſum altare, cætui candidatorum aggregata; ex quo intellexit, pau-
latim remittentibus ſe pęnis animã ſororis finem purgationis attigiſſe. Sed quic-
quid

Pœnę Purgatorij ſunt atrociſſimæ.

quid de hac re ſit, illud certiſſimum eſt, Purgatorij pęnas, & atrociſſimas, & grauiſſimas eſſe, cum enim anima ab omni ſenſu denudata torqueatur, dolores maximè percipere, ac ſentire neceſſe eſt, ignis uerò acerrimè, tamquàm diuinæ Iuſtitiæ inſtrumentum, etiam naturalem ſuam uirtutem exercendo in illam agit. Nec contactum aliquem, ſeù coniunctionem ſecundùm partes ſuperficiales, & extimas reperire eſt, ſed intimè animam ipſam ignis ille penetrabit. Quocircà ſtultiſſimus erit, ſuiſque commodis inimiciſſimus, qui cùm per Sacri Iubilæi ſuſceptionem huiuſmodi intolerabiles Purgatorij pęnas effugere poſſit, id opportuno tempore non efficiat, uel etiam ſi ſemel id præſtiterit, fructum Sacri Iubilæi deperdendo, in eaſdem anguſtias, & incommoda iterum prolapſus fuerit. Iam verò ſi nihil coinquinatum in Regnum Dei intrat, pęnas peccatorum ab ingreſſu Cœli retardare, neceſſe eſt; quanam ergò ratione potiùs quis eliget impedimenta ad propriam ſelicitatem, in miſeriaque ac triſtitia aliquandiù eſſe, quàm citiùs illam conſequi? Certè Paulus diuino ſpiritu afflatus dicebat, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, ad

Ad Philip. 1. Phillipp. 1. nec è uinculis carnis ſolui deſiderabat, niſi ut ſtatim conſortio Chriſti

D. Chryſoſt. in Cœlis frueretur, ſuper quæ uerba Chryſoſt. homil. 4. dicebat, *Nihil animo Pauli beatius, quandoquidem nil generoſius:* & infrà. *Quis mercator nauem habens multis rerum copijs plenam, cùm liceat iam ad portum appellere, tutoq; quieſcere; adhuc tamen in mari nauigare mallet? Quis athleta cupiet ampliùs certare, cum iam liceat coronari? Quis pugilum eliget denuò certamen ingreſſus de ſuo ipſius capite periclitari, cum iam, ſi vellet, coronam poſſet accipere? Quis eſt ille miles, qui cum liceat iam cum celebritate, & & tropheis à bello liberari, cumque Rege in ipſis quieſcere, ac refocillari delicijs regijs, ſuſtineat adhuc in bello ſudare, & in acie collocari?* Hæc verba Chryſoſt. eò refert, vt generoſitatem D. Pauli demonſtret, qui etſi longè melius exiſtimabat diſſolui, & eſſe cum Chriſto; tamen potius, tamquam magis neceſſarium elegit, manere in carne, vt ſeruos Chriſti lucriſaceret, eoſque expeditiores, & ſolidiores in via Domini conſtitueret, eligens ſibi ipſi ex mora, & dilatione libenter damnum inferre, quò aliqua poſſet illis obtingere ſalus. Nos verò ea verba ad noſtrum ſenſum conuertimus, vt oſtendamus, neminem ea, quæ retardant, & præpediunt felicitatem, amplecti, uel amare debere.

Quam ſit neceſſaria perſeuerantia in bono.

Luc. 9.

SED quantopere in bono perſeuerare neceſſarium ſit ad ſalutem, oſtendit Dominus, Lucæ 9. dicens: *Qui mittit manum ſuam ad aratrum, & reſpicit retrò, non eſt aptus Regno Dei*. Quæ verba licèt de virtute, & uitij fuga, quæ neceſſarię ſunt ad ſalutem, intelligi debeant; appoſitè tamē ad omne virtutis ſtudium, per quod Chriſtiana perfectio augetur cōuerti poſſunt, iuxtà illud Apoſtoli. 1. Theſ. 5. ad Ephe. 3. & ad Gal. 6. *Facientes bonum nè deficiatis*. *Qui enim* vt inquit idem ad Philipp. 1. *incepit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem* IESV *Chriſti*; ad illum enim uſque diem, idest extremi Iudicij, vel mortis, ſemper in bono, quod incepimus, perſeuerandum eſt: ad inſtar eorum, qui ob curſum in ſtadio perpetui ſunt, atque quoniā ſine vlla reſpiratione, vel intermiſſione, uno ferè impetu, ad metam currunt, laude ſumma à ſpectatoribus efferuntur; ſic Apoſt. admonet, Chriſtiano currendum eſſe; 1. Corint. 9. *Neſcitis, quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus brauium accipit? ſic currite, vt comprehendatis*. Vita enim Chriſtiana tota in uelociſſimo curſu uirtutum poſita eſt, iuxtà illud Apoſtoli, 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate ſemper, quod bonum eſt, ſectamini inuicem, & in omnes*, & Marci. 13. *Semper vigilate*, & ad Philippen. 4. *Ea, quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea, quæ priora ſunt, me extendo*. In lege ueteri nullum animal ſine cauda offerebatur, ut perſeuerantia operis cum fine optimo in omnibus noſtris actionibus, & ſacrificijs neceſſaria eſſe ſignificetur, finis enim opus coronat, quocircà typicè Deus nec in principio, nec in medio, ſed deorſum in calce tunicę ſacerdotalis coronam malorum punicorū, & aureorum tintinabulorum poni iuſſit; unde in ipſa oratione Dominica quotidie perſeuerantiam petimus, in illis uerbis; *Sanctificetur nomen tuum*, ut inquit D. Auguſt. in lib. de bono perſeuerantię, cap. 2. *In ipſa oratione Dominica*, ait, *quando oratur à ſanctis, nihil penè aliud, quàm perſeuerantia poſci intelligitur*. Diogenes rogatus, cur

Margin notes: 2. Theſſal. 5. — Ad Epheſ. 3. — Ad Gal. 6. — Ad Philip. 1. — 1. Cor. 9. — 1 Theſſal. 5. — Marci 13. — Ad Philip. 4. — D. Auguſt.

tus, cur in ultimo ſenio dolium ſuum adhuc uolueret, nec adhuc philoſophari deſineret; reſpondit, ſi in ſtadio currerem, utrum iam metę uicinum curſum remittere, an magis intendere oporteret? ne uidelicèt in tàm propinqua uictoria alius brauium auferat; quo ſapientis reſponſo docemur, quòd & nos Chiſtiani debemus in dies in uia Dei proficere, & quotidie ſancta propoſita in Dei obſequio uiriliter renouare; in uia enim ſalutis non progredi, regredi eſt; & ſicut qui in uia diù ſubſiſtit, pulueris, & luti aſperſione non carebit; ſic etiam qui retrò reſpicit, cum uxore Loth peribit; ſalus enim à Chriſto ſolis perſeuerantibus uſque in finem repromittitur.

Sapiens Diogenis ſententia.

IGITVR ex his omnibus capitibus enumeratis poterit Chriſtianus, qui Iubilæi ſuauiſſimam gratiam prægustauit, diligenter ſtudere, omnemque operam impendere, ne retrò reſpiciens tanti doni oblitus, amittat donum cœleſte, quod accepit: ſed cum timore, & tremore ſalutem ſuam operans uſque in diem Chriſti, in perfectum, & conſumatum ſacrificium ſeſe Deo offerat; ut ſic à Iubilæo in Iubilæum, hoc eſt àb hoc temporali ad æternum, ab hoc terreſtri ad cœleſtem feliciſſimè ualeat peruenire. Eſt ſanè donum perſeuerantiæ maximum bonum omnium, quę in hac vita à Deo homini communicari poſſint; nec ſub meritum hominis cadit; ſed penitùs ex gratuita Dei bonitate, ac uoluntate pendet, de quo loquutus eſt Deus Abrahæ dicens; *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*; perſeuerantiæ enim donum nil aliud eſt, quàm ſingularis quædam Dei aſſiſtentia protegentis hominem prædeſtinatum à malo, & aut non permittentis eum labi in peccatum mortale, aut ſi labi permittat, erigentis eum rurſusque in gratiam ſuam reponentis, ſemperque eum in bonum promouentis; ac denique ità cum regentis, & cuſtodientis, ut in extrema uita non deficiat, ſed ſine peccato mortali, & in Dei gratia decedat.

Quid ex omnibus hucuſque dictis colligi debeat.

Quid ſit perſeuerantia.

RVTILII BENZONII, ROMANI, EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

De Peregrinatione ad Loca Sancta.

LIBER SEXTVS.

Intentio Auctoris in hoc ſexto libro.

HVIc tractationi de magno Iubilęo ualdè congruum eſſe duximus, ſi nonnulla de peregrinatione ad loca ſancta adiungeremus; tribus præcipuè rationibus adducti. Tùm quòd hoc argumentum à paucis pro dignitate fuerit explicatum. Tùm quòd celebritas, & obſeruatio Sacri Iubilæi ipſam quoque peregrinationem includit, ut ſuperiùs indicatum fuit. Tùm denique, ut in defenſionem almæ noſtræ Eccleſiæ Lauretanæ maximè impio Petro Paulo Vergerio hæretico Pſeudoepiſcopo reſpondeamus, qui machinis quibuſdam ſathanicis, atque ex ipſo Tartaro petitis, uno & viginti ſcilicèt argumentis ueritatem, & ſanctitatem Sacelli Beatæ Virginis Lauretanæ ſubuertere, & demoliri conatur in quodam ſuo uenenato libello, qui de Idolo Lauretano inſcriptus eſt; cui rei eò libentius operam dare decreuimus, quòd non ſolum Beatę Virginis honorem defendemus, verùm etiam perditi, ac peruerſi hominis ſcelus, atque impietatem omnium oculis perſpectam faciemus. Quę autem in hoc ſexto, & poſtremo libro circà peregrinationem tractabimus, ad uigintiocto capita reducemus.

Vergerius Hæreticus.

Cap. I. *Quòd peregrinationes ad ſacra loca non inanes, ſed pia, & religioſa ſint.*
Cap. II. *Quòd ante mille, & ducentos annos veteres Chriſtiani ad Sanctorum loca peregrinati ſunt.*
Cap. III. *Quænam ſint cauſſæ ob quas homines peregrinantur.*
Cap. IIII. *Cur quis magis ad unum, quàm ad alium locum ſanctum peregrinetur.*
Cap. V. *Quæ ſeruanda ſunt, ut peregrinatio cum pietate, ac fructu ſpirituali fiat.*
Cap. VI. *An Peregrinis humanitatis officia ſint impendenda.*
Cap. VII. *Quænam ſint celebriora Loca Religionis Chriſtianæ, ad quæ deuotionis cauſa ſit peregrinatio.*
Cap. VIII. *De utili profectione ad Sacram Aedem Lauretanam.*
Cap. IX. *Proponuntur argumenta Vergerij aduerſus Domum Lauretanam.*
In Cap. X. & ſequentibus decem & octo, ponuntur reſponſiones ad ſingula prædicta argumenta Vergerij.

CAPVT PRIMVM.

Quòd Peregrinationes ad ſacra loca non inanes, ut Hæretici cenſent, ſed pia, ac religioſæ ſint.

Sanctas peregrinationes hæretici contemnunt, & damnant.

HÆRETICI ſemper Chriſtum, & Eccleſiam eius perſequentes, damnant, immò rident catholicorum morem ad templa Sanctorum, aliaque loca ſacra deuotionis cauſa proficiſcentium, illumque uocant uel ſtultitiam, vel ſuperſtitionem; atque de his Chriſtum vaticinatum fuiſſe affirmant, dũ Matth. 24. prędixit futuros eſſe ſub mundi finem aliquos, qui dicerent, *Ecce hic, ecce illic eſt Chriſtus; ecce in deſerto eſt, ecce in penetralibus eſt*. Quocircà neque illis credendum, neque eò loci exeundum, cum expreſsè Chriſtus dicat; *Nolite exire; nolite credere*. ita Munſterus in lib. de Coſmographia peruerſè hunc Euãgelij locum detorquet aduerſus ſacrarum peregrinationum inſtitutum, quaſi qui Sanctorum templa religionis gratia petunt, Chriſtum in deſerto uel in penetralibus quærant. Magdeburgenſes centuria 4. & 7. cap. 10. eodem ferè argumento vtuntur ſic ſcribentes; *Quid mortuis eſt negocij cum Templis ſaxeis aut ligneis? Verbo Dei ſcriptum eſt, in omni loco Deum rectè inuocari, & Matth. 24. Chriſtus monet, ſi dixerint, hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere, nolite exire. Non igitur alius locus alio ſanctior ad orandum.* Addunt quoque, Greg. Nyſſenum multis rationibus hunc morem peregrinandi damnaſſe. Ioan. Caluin. lib. 4. inſtit. cap. 13. has quoque votiuas peregrinationes, & inanes, & manifeſta impietate plenas eſſe, affirmat; quem errorem ante hos docuit quidam Claudius Taurinen. vt ſcribit Ionas lib. 3. de cultu imaginum, & deinde eum aſſeruerunt Petrobruſiani, inter quos fuit quidam Henricus Tholoſanus olim monachus, vt refert Guglielmus Abbas, in vita Sancti Bernardi lib. 3. cap. 5. & Vuiclephiſtę, vt teſtatur Thomas Vualdenſis to. 3. tit. 15. qui addunt, huiuſmodi peregrinantes etiam Idolatrię uitio non carere, & hos ſequutus eſt etiam Eraſmus in colloquio de peregrinatione religionis ergò, & in præfatione Enchyridij; qui error fuit etiam Vigilantij anno Chriſti 386. vt annotauit Cardinalis Baronius tom. 4.

Math. 24.

Magdeburgenſium falſa doctrina.

Matth. 24.

Greg. Nyſſ.

Ionas.

Guglie. Abb.

Vualden.

Cardinalis Baronius.

Argumenta hæreticorum cõtrà ſanctas peregrinationes.

ARGVMENTA, quibus hi omnes peruerſè nituntur, hæc ferè ſunt. Primùm, quoniam Chriſtus Matth. 5. inter beatitudines non numerauit peregrinationes; immò ex loco citato Matth. 24. vituperandæ ſunt.

Secundò, quoniam peregrinationes multá pericula ſpiritualia ſecum ferunt, vt animi diſtractiones, caſtitatis diſcrimina, pleroſque abuſus, & alia, quæ mulieribus præſertim varia infortunia afferunt; & eſt argumentum Eraſmi.

Tertiò, cum Deus ſit ubique, non erit, cur vel Hieroſolymam, vel Romam accedamus; in omni enim loco Deus æquè inuocari poteſt, cùm vbiqꝫ æqualiter operetur, nec ullus locus alio, ut diximus, ſanctior ſit cenſendus.

Nyſſen.

Quartò, Auctoritate Gregorij Nyſſeni, qui longa oratione huiuſmodi morẽ vituperat, cuius teſtimonium hac in re Magdeburgenſes magni faciunt, & extollunt; cui addenda ſunt teſtimonia D. Baſilij, qui ad Monachum lapſum inquit, eũ increpando, *Totus ſublimis, & ad tranſitum conuerſus, velut peregrinus Eremo agros, & Vrbes permutans, ad Hieroſolymam decurrebas*, & D. Hieronymi in Epiſt. ad Paulinum, de inſtitutione Monachi, vbi multis rationibus perſuadet, nequaquam expedire huiuſmodi peregrinationes aſſumere: exemplo item Sãcti Antonij, & aliorum Monachorum, qui etſi regiones non admodum à ſanctorum locorum ſitu diſtantes incolerent, numquam tamen ad illa acceſſere.

Baſil.

Hieron.

Quintò, quoniam omnis voluntarius cultus Deum non delectat: & eſt domeſticum argumentum Caluini.

Sextò, & vltimò. Quoniam hic mos proficiſcendi ad loca ſancta recens, & nouus eſt, nec veteri Eccleſiæ cognitus.

Statuitur cõtra Hæreticos, peregrinationes ad loca ſancta, bonas, pias & fructuoſas eſſe.
Conc. Trid.
Conc. Gang.
Conc. Nic. 2.
Conc. Cab. 2.

VERVM hi omnes, cęterique nouatores, qui eos ſectantur, abſque dubio hallucinantur. Eſt enim certiſſimum, iuxtà catholicam doctrinam, huiuſmodi peregrinationes & pias, & religioſas eſſe, Chriſtique fidelibus maximè fructuoſas; prout definiuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, ubi eos, qui affirmant, opis impetrandæ cauſa, Sanctorũ memorias fruſtrà frequentare, omninò damnat; prout iampridem eos Eccleſia damnauit, videlicèt in Concilio Gangrenſi in regione Pelagiorum habito, vbi Euſtechiani loca Sanctorum Martyrum, & omnes, qui illuc conueniebant, reprehendentes anathemate damnati ſunt; & in Concilio Niceno 2. & in Concilio Cabilonenſi 2. tempore Caroli magni celebrato can. 45. ubi dicitur, deuotionem illorum, qui Apoſtolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum loca, pœnitentiæ cauſa inuiſere deſiderant, collaudandam eſſe. Sed agè, rationibus eandem veritatem probemus; & primo ex locis clariſſimis ſcripturæ.

Deuter. 16.
Rationes pro ſanctis peregrinationib⁹, ex Sacra Scriptura.
1. Reg. 1.
Luc. 2.
Ioan. 12.
Actor. 8. & 20
D. Hieron.
Matth. 11.
B. Virgo.
Luc. 1.
Matth. 2.
NOTA.

Deuteron. 16. ex diuino inſtituto, atque præcepto ter in anno omnes filij Iſrael in ſolemnitate ſcilicèt Azimorum, in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate tabernaculorum ad tabernaculum, vel templum Domini peregrinari tenebantur. Et 1. Regum cap. 1. laudatur Elcana, & Anna vxor eius, quòd de Ciuitate ſua per ſingulos annos anniuerſarijs diebus aſcenderent ad templum Domini, & Lucę 2. & Ioan. 12. Chriſtum cum MARIA matre eius, & Ioſeph in die ſolemni Paſchę in Hieruſalem legimus peregrinatum eſſe; immò per ſingulos annos parentes eius id egiſſe affirmat ibidem Lucas. Nec ſolum Iudæi, ſed etiam Ethnici ex longinquis regionibus veniebant adorare in Hieruſalem, ut de viro Æthiope Act. 8. habetur, & D. Paulus, Act. 20. feſtinanter Hieruſalẽ peregrinabatur, ut ſi poſſibile eſſet, ibidem diem Pentecoſtes faceret. Quo exemplo vtitur D. Hieronymus in Epiſt. 17. ad Marcellam, ut demonſtret, quàm bonum ſit ad loca ſancta proficiſci. Ad ſanctos quoque viros viſendos peregrinari laudabile eſſe non obſcurè oſtendit Chriſtus Matth. 11. dum Iudæos laudauit, quòd ad Ioannem in deſerto habitantem inuiſendum, relictis domibus, profecti fuiſſent. *Quid*, inquit, *exiſtis in deſertum videre?* quibus in verbis Dominus non ſolum ipſum Ioannem vitam eremiticam in deſerto agenteni, ſed etiam Iudæorum peregrinationem ad uidendum ibidem Ioannem magnis laudibus eſt proſecutus. Quid? quòd Beatam Virginem in montana Iudææ ex Nazareth cum feſtinatione peregrinatam eſſe, ad Eliſabeth cognatam ſuam inuiſendam, teſtatur Lucas in cap. 1. ſui Euangelij; immò Matth. 2. tres Magos ex lõginquis Orientis partibus ad puerum IESVM adorandum cum muneribus acceſſiſſe, omnibus compertum eſt. Fuit enim hęc Magorum profectio, uera religioſę, ac peregrinationis Chriſtianæ forma; Venerunt enim adorare, non uidere, ideſt religionis, non curioſitatis cauſa, & uenerunt cum muneribus, ſicut in peregrinatione Chriſtiana nemo ad loca ſancta vacuus accedere debet.

Auctoritates Sanctorũ Patrum.
D. Epiphan.
Euſeb.
D. Hieron.
Euſeb.
D. Ambroſ.
D. Baſil.

PROBATVR ſecundo ex teſtimonijs Patrum. D. Epiphanius in libro de uitis Prophetarum ſcribit, atque commendat maximam fidelium copiam, quæ cum ipſe uiueret, ad Ezechielis Prophetæ monumentum miraculis clariſſimum precum, & deuotionis gratia confluebat. Non igitur in incertum currit, qui peregrinatur.

EVSEBIVS libro 6. hiſtor. cap. 9. de Alexandro Epiſcopo Hieroſolymitano, & Martyre ſanctiſſimo, inquit, *Alexander Hieroſolymam adorandi, & viſendi loca Sanctorum cauſa properauit.* Quod idem ſcribit B. Hieronymus in libro de viris illuſtribus in Alexandro. Idem Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini, & D. Ambroſ. in oratione de obitu Theodoſij, Helenam commendant, quòd religionis cauſa Hieroſolymam profecta fuerit.

D. BASILIVS homil. 19. in Gordium Martyrem, militem Cæſarienſem, morem narrans populorum confluentium ad Martyrum Baſilicas, dicit, eos tamquam apes ex aluearibus è Ciuitate ad flores, ideſt Martyres, magno examine erupiſſe. Verba illius ſunt hæc. *Natura lex eſt apibus innata, fratres dilectiſſimi, ut niſi Rex prius agmen præcedat ab aluearibus nuſquam diſcedant. Vos autem Dei populum, cum nunc primum ad Martyres, tamquam ad flores cæleſtes exeuntes, & hic frequentes con-*

uenire

uenire niderim, quo id Duce feceritis exquiro. Quis ingentem hunc aſtum excitauit? Quis hyemalem hanc triſtitiam in uernam ſerenitatem commutauit, ut populus ex Ciuitatis ædificijs, tamquam ex apum aluearibus hilaris egreſſus, ad ſuburbanum decus, præclarumque Martyris ſtadium confluxerit? Quoniam igitur, & nos infirmitatis noſtræ oblitos celebritas Martyris excitauit, agè & ipſi quoque quantum uoce contendere licet, ueluti bombilantes apes uernantibus floribus circumfuſæ, præclara ipſius geſta perſonemus; rem quidempiam agentes, ſimul & gratam ijs, qui adſunt.

D. Chryſoſt.

D. IOANNES Chryſoſt. tom. 3. in ſerm. in Iuuentium, & Maximum Martyres, ad viſitationem Baſilicarum Martyrum hortatur his verbis. *Iccircò ſæpè eos inuiſamus, tumulos adoremus, magnaque fide eorum reliquias contingemus, ut inde benedictionem aliquam aſſequamur.* Idem homil. 66. ad populum Antiochenum uerſus finem luculentiſſimum huius rei dat teſtimonium, comparans ſepulchrum Alexandri cum ſepulchris ſeruorum Chriſti, ubi inquit; *Illius quidem loculum, & proprij neſciunt, horum autem ſciunt & Barbari, & ſeruorum Crucifixi ſepulchra regijs aulis ſunt clariora, non magnitudine, et ædificiorum pulchritudine (nam, & in hoc quidem ſuperant) ſed quod multo maius eſt, conuenientium ſtudio:* & ſtatim etiam ſubiungit Regum peregrinationes. *Nam & ipſe, qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, ut pro ſe apud Deum intercedant, & ſcenarum fabrum, & piſcatorem, etiam mortuos, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit,* & infrà, *multo namque cæteris regalibus ſepulchris hæc monumenta ſunt pulchriora, ac clariora, nam illic magna quidem ſolitudo, hic autem magnus concurſus;* & in fine ſic ſcribit: *Itaque quo regias quidem aulas videat, nullus vmquàm peregrinatus fuerit; multi uerò Reges plerumque huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt, futuri namquè iudicij ueſtigia, & ſigna Sanctorum ædes exhibent, vbi Dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.*

D. Hieron.

D. HIERONYMVS hanc Chriſtianam pietatem peregrinandi pluribus in locis ſignificat; in Epiſtola 13. ad Paulinum, de inſtitutione Monachi agens, uocem illam admirãdam protulit, *De toto huc Orbe concurritur, plena eſt Ciuitas uniuerſi generis hominum, & tanta vtriuſque ſexus conſtipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum ſuſtinere cogaris.* & in Epiſt. 17. Marcellæ ſcribens, ut commigret Bethlehem, *Longum eſt*, inquit, *nunc ab aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam, putantes minus ſe religionis, minus habere ſciẽtiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe uirtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primùm Euangelium de patibulo coruſcauerat.* Et rurſus poſt pauca, *Qui in toto Orbe ſunt primi, huc pariter congregari, ad quæ nos loca, nõ ut prima ſed ut extrema uenimus:* nomine enim Paulæ, & Euſtochij ſcripta eſt Epiſtola, *vt primos in eis omnium gentium cernamus. Certè flos quidam, & precioſiſsimus lapis inter eccleſiaſtica ornamenta Monachorum, & Virginum chorus eſt: quicumque in Gallia fuerit primus, huc properat, diuiſus ab Orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum fama ſibi tantum, & ſcripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenos? quid Perſas? quid India, quid Aethyopum populos, ipſamque iuxtà Aegyptum fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Cochlem, & Meſopotamiam, cunctaque Orientis examina? quæ iuxtà Seruatoris eloquium dicentis. Vbicumque fuerit corpus, congregabuntur illuc aquilæ; concurrunt ad hæc loca, & diuerſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt; vox quidem diſſona, ſed una Religio.* Et iterum in Epiſtol. 27. de obitu Paulæ ait, *Cuius gentis homines ad loca ſancta non ueniunt?* Item in Epiſt. 46. ad Ruſticum, qui una cum vxore ad loca Sancta Palęſtinæ peregrinari Deo promiſerat. *Redde*, inquit, *quod præſente Domino ſpopondiſti, incerta eſt uita mortalium, ne ante rapiaris, quàm tuam impleas ſponſionem.* Poſtremò in Epiſt. 154. ad Deſiderium, monens illum, ut ad loca ſancta accedat, dicit, id partem fidei eſſe. *Certè*, inquit, *adoraſſe vbi ſteterunt pedes eius, pars fidei eſt.*

Sydon. Apollin. Epiſcop.

SYDONIVS Apollinarius Aruernenſis Epiſcopus, in Epiſtola, quam ad Hieronymum ſcribit de ſua peregrinatione, quæ eſt quinta in libro 1. Epiſ. D. Hierony-

mi dicit, ſe Apoſtolorum limina viſitaſſe, ibique ualetudinem exoptatam recuperaſſe, & tom. 2. Epiſt. 13. tamquàm quid ingenti laude dignum refert, quòd cùm Archadius Imperator Prophetæ Samuelis oſſa, iampridem humata, poſt multorum annorum curricula ex Iudæa in Thraciam transferri curaret, Epiſcopi ſacras illas Reliquias ſericis linteis, aureiſque uaſibus repoſitas, proprijs humeris extuliſſent; & quòd omnium Eccleſiarum populi, qui quaſi uiuentem, præſentemque prophetam ueneraturi occurrerant, ita ut è Palæſtina Chalcedonem uſque populorum examina iungerentur, cum incredibili gaudio animique voluptate Chriſto Domino laudes, hymnoſque decantantes, ſacros illos cineres deduxiſſent.

Sulpitius. SVLPITIVS libro ſecũdo ſacræ hiſtoriæ recenſet illud Hieroſolymis maxima admiratione dignum eſſe, quòd in loco, ex quo Saluator Cœlum aſcendit, adhuc veſtigia pedum eius ſeruentur, & cùm ad eum locum undique fideles confluant, & rapiant aliquid calcati pulueris, damnum tamen arena non ſentiat.

Paulinus. PAVLINVS Epiſt. 11. ad Seuerum de peregrinatione hieroſolymitana loquens, ait, *Neque præter hanc diem, quà Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſaque Sacramentorum cauſſa eſt, quaſi quoddam ſacræ ſolemnitatis inſigne profertur, niſi interdum Religioſiſſimi poſtulent, qui tantùm cauſſa peregrinandi aduenerint, ut ſibi eius reuelatio, quæ ſi in pretium longinquæ peregrinationis proferatur*; Et rurſus. *Non aliter*, inquit, *affectus homines ad Hieroſolymam rapit, niſi ut loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, uideant, atque contingant*. Et in Natalitio 3. Sancti Felicis canit, quamplurima examina populorum ad ſepulchrum Sancti Felicis ex longinquis partibus peregrinari ſolita. Vnde & Nicetam Epiſcopum ea de cauſa è Dacia Nolam acceſſiſſe dicit, & in Natalitio 9. Sancti Felicis, atque etiam in hymno in reditu eiuſdem Nicetæ canit, illum ad ſancta loca luſtranda in Occidentem peregrinatum fuiſſe: Idem in Epiſtola ſecunda ad Delphinum ſignificat, iam ſuo tempore, ſedente Anaſtaſio Papa I. ſolemnem fuiſſe conſuetudinem populorum ad Natalem diem Beatorum Apoſtolorum Romam religioſiſſimè concurrere; ſic autem ſcribit, *Deinde nos ipſos Romæ eum ſolemni conſuetudine ad Beatorum Apoſt. Natalem ueniſſemus, tàm blandè, quàm honorificè excepit*. Et in Epiſt. 13. ad Seuerum, *Romam*, inquit, *ad venerabilem Apoſtolicæ ſolemnitatis diem profecti ſumus*, Et infrà, *ipſum tempus ante meridiem in votis noſtris, quorum cura neneramus, per Apoſtolorum, & Martyrum ſacras memorias conſumentes*. En iſti æſtiuo tempore, quo maximi calores in Vrbe eſſe ſolent, nulla habita eorum ratione, Romanam peregrinationem quotannis ſuſcipiebant.

Prudentius. PRVDENTIVS in hymno de Sanctis Hemiterio, & Chelidonio ſic inquit.

Exteri necnon & Orbis
Huc colonus aduenit,
Fama nam terras in omnes
Præcurrit proditrix,
Hic patronos eſſe Mundi,
Quos precantes ambiant, &c.

Ioan. Patriarcha Hieroſolymit. IOANNES Patriarcha Hieroſolymitanus in vita Ioannis Damaſceni ſic ſcribit. *Et primum profectus Hieroſolymas, factaque in uenerabilibus locis adoratione decenti, mox velut Ceruus ſitiens Deum, in deſerta abijt, & ad Beati Sabbæ monaſterium perrexit, eomite eiuſdemque inſtituti ſocio Beatiſſimo Coſma, qui ei antea, & conuictu, & magiſterio coniunctus fuit. Rectè diceres, ipſos ſacrum par currere ad iugum Dei ceruicibus ſuis ferendum.*

D. Auguſt. DIVVS Auguſt. in Epiſt. 137. ad Clerum, & Populum Hypponenſem, iuxtà cõmunem tunc Chriſtianorum conſuetudinem, ad dubij cuiuſdam criminis explorationem duos ſuos Clericos, quorum unus accuſabat, alter accuſabatur, ex Aphrica in Italiam ad Sancti Felicis Martyris monumentum, Nolæ in campania ſitum, ut dictum eſt, peregrinari iuſſit; *Elegi*, inquit, *aliquid medium, vt certo placito ſe ambo conſtringerent, ad locum ſanctum ſe peregrinaturos, vbi terribilia Dei opera non ſanam cuiuſque conſcientiam multò faciliùs aperirent*: idem in explicatione Pſalmi 36.

mi 36. de peregrinatione: *Ad Vrbem Romam venerunt, non ierunt ad Templum Imperatoris, ſed ad memoriam piſcatoris*. Idem in libro 22. de Ciuitate Dei cap. 8. narrat, in Aphrica reliquias Sancti Stephani Protomartyris ob multa miracula, quæ illic diuinitùs præſtabantur, magno hominum concurſu uiſitatas fuiſſe.

Caſſianus.

CASSIANVS libro 4. de Inſtitutis renunciantium c. 31. narrat, Monachos quoſdam orationis cauſa ad loca ſancta Ægypti perrexiſſe. *Quidam*, inquit, *fratrum ad loca ſancta de Aegypti partibus orationis cauſa conuenerant*.

Socrates.

SOCRATES lib. 7. cap. 46. refert, Eudoxiam Auguſtam Theodoſij iunioris uxorem, uoti ſoluendi cauſa Hieroſolymitanam peregrinationem inijſſe, his uerbis, *Theodoſius Imperator deinceps poſt tranſlationem reliquiarum, Ioannis Chryſoſtomi ſcilicèt, preces Chriſto offerre, quibus gratias pro acceptis beneficijs agat; Chriſtique nomine hoc munere obeundo eximijs honoribus decorare cœpit; quin etiam Eudoxiam coniugem Hieroſolymam miſit; quippè pollicitus erat, illam hoc uotum perſoluturam, ſi filiam in matrimonium collocatam cerneret. Quin illa ipſa, & Eccleſiam Hieroſolymorum, & omnes alias, in Vrbibus verſus Orientem ſitis, tùm eò proficiſcendo, tùm domum redeundo varijs ornamentis honorificè illuſtrauit*. Quod idem ſcribit Euagrius lib. 1. cap. 20. & Metaphraſtes die 31. Decembris, qui addit, perſuaſione Sanctæ Melaniæ iunioris eò profectam eſſe. Lege Surium die 31. Ianuarij. Nec ſemel ſolum, ſed etiam iterum poſt obitum Theodoſij Hieroſolymam Eudoxiam peregrinatam eſſe narrat idē Euagrius lib. 1. cap. 21. vbi uitam finiuit, ut etiam notauit Card. Baron. tom. 5. Anno Chriſti 438.

Euagrius. Metaphr. Surius. Baronius.

Metaphr.

SIMEON Metaphraſtes, in uita Sancti Alexij, narrat, illū ad illuſtriores Eccleſias mundi peregrinatum fuiſſe, atque etiam Sanctum Nicolaum ex uoto Hieruſalem petijſſe.

Beda.

BEDA duorū Regū peregrinantium exempla conſcribit in ſua hiſtoria; alterum lib. 5. cap. 7. Regis Ceeduallæ, qui cupiens Romæ Baptiſmum ſuſcipere, & eo ſuſcepto, ſtatim ex hac vita migrare, peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcepit, & à Sergio Papa, cùm eò perueniſſet, in Sabbato Sācto baptizatus, in ipſa Paſchæ hæbdomada in albis poſitus, leui morbo correptus migrauit ad Dominum. Alterum in cap. 20. Regis Cenredi qui relicto Regno ad Apoſtolorum limina peregrinatus eſt, apud quæ etiam in ieiunijs, & precibus uſque ad uitæ finem permanſit.

NOTA.

Nicolaus Primus.

NICOLAVS Primus in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, ut ſuperiùs quoque indicauimus, ſcribit, ex omnibus Mundi partibus infinitam ferè hominum multitudinem ad limina Apoſtolorum religionis cauſa confluere ſolitam eſſe.

Palladius.

PALLADIVS in hiſtoria lauſiaca cap. 113. narrat, Philoromum Presbiterum uoti cauſa Romam ad Martyrium Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli pedeſtri itinere acceſſiſſe, & Alexandriam ad reliquias Athletæ Marci etiam ex uoto perueniſſe, atque etiam bis proprijs pedibus ex uoto ad honoranda loca ſancta Hieroſolymam ſuis impenſis adijſſe.

Petrus Cluniacen.

PETRVS Cluniacenſis lib. 1. epiſt. 2. liberè teſtatur, totum Orbem Chriſtianum ex uetuſtiſſima Eccleſię conſuetudine Sanctos inuocare, Deum illorum precibus & meritis exorari, & placari, atque hinc orthodoxi populi morem emanaſſe, ad Sanctorum monumenta undique concurrere, frequenterque à mortuis citiùs audiri, ſuaque uota faciliùs impetrare, quàm à uiuente audiri potuiſſent. Quocircà uir eximia ſanctitate, ſummaque tùm diuina, tùm humana ſapientia prędítus, P. Ignatius de Loyola, fundator Societatis IESV, inter documenta, quæ ſcripſit in regulis ſeruandis, ut cum orthodoxa Eccleſia uerè ſentiamus, illud ſexto loco ritè adiunxit, uidelicèt; *Laudare præterea reliquias, venerationem, & inuocationem Sanctorum, item ſtationes, peregrinationesq; pias, Indulgentias, Iubilæos, candelas in templis accendi ſolitas, & reliqua huiuſmodi pietatis, ac deuotionis noſtræ adminicula*.

Ignatius de Loyola.

Exēpla multorum Sācto rum, & Principū, qui pias peregrinationes ſuſceperunt.

PROBATVR tertiò, hunc uſum peregrinationum ſanctiſſimum, & religioſiſſimū eſſe exemplis piorum uirorum, qui huiuſmodi peregrinationem obierunt ad ſacra Palęſtinę loca, in quibus redemptionis noſtrę myſteria à Chriſto celebrata ſunt.

ſunt. Quamplurimi ex omnibus prouincijs acceſſere, ut cuncta illic loca Dominicis impreſſa ueſtigijs, & diuinorum erga nos operum ſignata monimentis deuotè luſtrarent. Hanc igitur ſuſceperunt peregrinationem Nicolaus, Baſilius, Epiphanius Epiſcopi, Hieronymus Presbiter, Ephræm Diaconus, Euthymius Abbas, Caius, Adrianus, ac plures Pōtifices; Fridericus Imperator, Ludouicus Galliç, Riccardus Angliæ Rex, alijque Principes, ut Helenam, Eudoxiam, Paulam, Melaniam, illuſtriſſimas fœminas omittamus. Origenes, ut refert Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 11. eòdem proficiſci uotum habebat.

Euſeb.

Romanam verò peregrinationem, quàm illuſtriſſimi viri aggreſſi ſint, non eſt cur hoc loco repetamus, cum & Imperatores, & Reges, ac denique vniuerſum mundum ad Apoſtolorum limina feſtinaſſe, ſuperiùs locupletiſſimè demonſtratum ſit; illa dumtaxat uox Ioannis Chryſoſtomi repetenda eſt, quæ in homil. 32. in Epiſt. ad Romanos ſic habet. *Romam, quæ Vrbium eſt regaliſſima, relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris, & Pellionis currunt, & Reges, & Præſides, & milites*. Quanto aũt ipſe Chryſoſt. deſiderio Romã peregrinandi teneretur, paulò poſt dicemus; cętera verò loca, ad q̃ multi Sancti viri accedere cõſueuerunt, deinde numerabimus.

D. Chryſoſt.

Probatio à ſimili.

QVARTO idẽ probatur ex analogia, & proportione, ſicut enim laudabile fuit illud peregrinationis genus, quo Sancti viuentes uiſitabantur, quemadmodum in hiſtorijs eccleſiaſticis frequenter legimus, vt in vitis Sancti Antonij per Athanaſium, Sancti Pauli primi heremitæ, & Sancti Hilarionis per Hieronymum, Sancti Arſenij per Simeonem Metaphraſtem, & quampluribus alijs, ut apud Lippomanum, & Surium uidere eſt; cur quoque non laudabile erit Sãctorum defunctorum reliquias, monumenta, memorias, ſeu loca viſitare? numquid Sancti, qui hodie in Cœlo cum Chriſto coniuncti ſunt, Deumque facie ad faciem uident, minùs amabiles, potentes, atque ergà nos mortales grati ſunt, quàm cùm in hoc terreſtri corpore peregrinarentur? immò peregrinari ad Regiones ob fidem prædicandam, uel alia opera in Religionis Chriſtianæ commodum facienda, religioſiſſimum, meritorium, ſatisfactorium, ac gratiſſimum Deo opus eſt. Sic Paulus in Hiſpaniam acceſſit, ad Romanos 15. aliaſque, ut cæteri Apoſtoli, peregrinationes fecit. Sic Hieronymus ex Oriente cum alijs Sanctis Epiſcopis, Paulino ſcilicet, & Epiphanio, eccleſiaſtica ductus neceſſitate, ad Romanam Synodum ſub Damaſo uenit, ut in Epiſt. 61. ad Principiam indicat: ſed quid plura? nonne Paulus acceſſit Hieroſolymam uidere Petrum, cum quo per dies quindecim permanſit? ad Galatas 1. atque iterum poſt annos quatuordecim nonne aſcendit Hieroſolymam cum Barnaba, & Tito ſecundum reuelationem, & contulit cum illis Euangelium, quod prædicabatur? numquid hæ, cæterorumque Apoſtolorum peregrinationes uitio uertendæ ſunt? quis, niſi ſtultus, uel impius hoc affirmabit?

Lippoman. Surius.

Ad Rom. 15.

D. Hieron.

Ad Galat. 1.

Argumẽtum ex fructu, & vtilitate Sanctarum peregrinationum

VLTIMO probatur quoque ratione deſumpta ex fructu, & utilitate peregrinationum. Hæ enim primò, & maximè in Dei, & Sanctorum honorem, & gloriam cædunt, cùm eorum memoria, ac ueneratio ſpontè, uel ex uoto, omnibus periculis poſtpoſitis, omnibus impenſis poſthabitis, omnibus denique incommodis deſpectis, alacriter aſſumantur; præſertim cum ibidem homines experiantur maxima beneficia, ſeu miracula, quæ cum diuinitùs exhibeantur, maximè Deum, eiuſque Sanctos honorant. Secundò, præcipuè homini ad ſanctificationis, & pœnitentiæ functionem inſeruiunt: ſunt enim laborioſę, & pœnales, corporiſque afflictiuæ exercitationes. Denique ſummam in homine deuotionem, ac pietatem adaugent; vt enim dignè homines illas perficiant, Sacramentis ſe purgant, patientia ſe muniunt, animi item, ac corporis compoſitione ſe præparant. Sed iam argumentis hæreticorum, initio capitis propoſitis, reſpondendum eſt.

Reſpõſiones ad argumẽta Hæreticorũ. Locus Mat. 5 exponitur.

AD primum ex Matthæi 5. dicimus, ex illo loco tantùm deſumi, peregrinationem non eſſe opus neceſſarium uel ad ſalutem, uel ad perfectionem; quemadmodum etiam inter opera miſericordiæ non enumerauit Chriſtus ſepelire mortuos, & tamen illos ſepelire pium, & aliquando neceſſarium eſt; præterquam quòd argumentum negatiuum nihil valet.

Ex altero verò loco Matth. 24. tantùm abeſt, ut peregrinationum vanitas, vel inanitas concludatur, ut nihil commune locum illum cum peregrinationibus habere clariſſimum ſit. Vndè paulò fuſiùs uerba illa Matthæi explananda ſunt. Prædixit ibi Chriſtus, futuros pſeudoprophetas in extremis mundi temporibus; qui ſpiritu peruerſæ doctrinæ adducti conarentur homines à Chriſto, eiuſque Eccleſia abducere, atque illum in deſertis, vel penetralibus, ideſt falſis; peregrinisque doctrinis quærere; quemadmodum moderni hæretici perſuadent. Nõ enim Chriſtus habitat in deſertis, ideſt in locis abditis, atque remotis, nec in quadam Orbis parte, ut Donatiſtæ dogmatizabant, illa videlicèt, quam ipſi habebant pro Regno Chriſti; neque in penetralibus, hoc eſt in loco ſecreto, occulto, uel inuiſibili. Eſt enim Chriſti Eccleſia viſibilis, atque per vniuerſum Orbem terrarum diffuſa; Quocircà Chriſtus admonet illis in verbis, ne pſeudoprophetis, & nouatoribus credamus, qui dicunt, non Romæ eſſe Chriſtum, ſed hic, aut illic, prout ipſi indicant, & deſignant, his profectò credendum non eſt, eorum vox aſpernanda, dicente Chriſto; *Nolite exire, nolite credere*; Quid eſt enim Vigilantij, Lutheri, aut Caluini doctrina, niſi deſertũ quoddam omnibus ſacramentis vacuum; non vniuerſali, ſed ſolitaria doctrina refertum; omni denique virtutum ſpecie ſpoliatum? Deſertum ſunt templa illorum ſacris imaginibus denudata, ubi nec inuocatio Sanctorũ perſonat, nec cæremoniarum ritus ſplendet, nec Chriſti Euangelium, niſi mutilatum, deprauatum, atque corruptum prædicatur. Nonne deſertum appellatur rectè Synagoga, cùm Pontificibus, Sacerdotibus, ac cæremonijs ſpoliata ſit? Sic Iſaias minatus eſt; *Ponam te vineam deſertam*; quæ ſingula hæreticorum conciliabulis, ac Synagogis appoſitè quadrant; nõ hic Chriſtus habitat, ſed Sathan. Nec in obſcuris, uel penetralibus; eſt enim Eccleſia catholica ad inſtar fulguris coruſcantis, & ab Oriente, in Occidentẽ uſque ſplendentis, ut ibidem Chriſtus ſubiungit; omnibus ſcilicèt manifeſta, toto Orbi cõſpicua, ut ab omnibus (cęcis tamen exceptis) agnoſci, & ſicut Ciuitas ſuper Montem poſita perſpici facilè poſſit; quare Chriſti fidelibus ad ſupradicta monſtrorum latibula, ac ſpelea accedendum nõ eſt. Igitur hic locus Matthæi maximè ferit hæreticos, cùm uerbo Chriſti doceamur ipſum nec Chriſtum neque in deſerto, neq; in penetralibus, cuiuſmodi ſunt eorum doctrinæ, quærendum eſſe. Sic Origenes, Hieronymus, & Auguſt. in lib. 1. quæſt. Euangelicarum cap. 38. hunc locum Matthæi in Hæreticos conuertunt. An non deſertum habitant immum, qui ſanctas peregrinationes negant? An non in penetralibus habitant, qui Eccleſiæ catholicæ ritibus non communicant? Ibi erratur, ubi non eſt uia. *Errauerunt enim*, inquit Pſaltes, *in inuio, et non in via*; ibi erratur, ubi ſolitudo eſt, & ſingularitas; ſapientia enim non in occulto, ſed palam in plateis clamitat.

Explicatio dilucida loci Matth. 24. cõtra Hæreticos.

NOTA.

Origen. Hieron. Auguſt.

Divvs Cyprianus in libro, de exhortationib. martyrij, diuerſimodè legit hũc locum Matthæi: *Si dixerint vobis, ecce in ſolitudine eſt; nolite exire; ecce in cubiculis, nolite credere*; Sed eundem ſenſum facit, cum per cubiculum, ſicut per penetralia, locus occultus, & ſecretus deſignetur: ſunt autem uerba Chriſti benè perpendenda, cùm mores hæreticorum inter ſe diſſidentium mirificè declarent. Vnuſquiſq; enim illorum apud ſe Chriſtum habet, cum tamen diuerſi, & contrarij inter ſe ſint. Quomodo autem Chriſtus in contrarijs locis habitare poteſt? *Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial, & lucis ad tenebras?* Lutherus dicebat, ecce hic eſt Chriſtus, ecce in deſerto eſt, in quem uos credere debetis. Caluinus contrà dicit, non in deſerto eſt, ſed in cubiculis, uel penetralibus, apud me ſcilicèt uerus Chriſtus eſt, eiuſque Euangelium, ſicque uarijs, & peregrinis doctrinis, iuxtà Paulum ad Hebręos 13. adducunt plebem, contra quos omnes Chriſtus clamitat, admonẽs nos; *Nolite exire, nolite credere*.

D. Cyprianus

Quam bene verba Chriſti Matth. 24. feriant Hæreticos.

Ad Hebr. 13.

At uerò catholica doctrina, quæ pias peregrinationes fructuoſas, utileſque eſſe docet, tamquam ab uniuerſa Eccleſia, communique fidelium conſenſu recepta, in columna ac firmamento ueritatis innixa, perpetuò retinenda, & conſeruanda eſt. Familiare eſt Hæreticis, argumentum ex eodem loco Matthæi petere contrà

Peruerſitas Hæreticorũ.

catholicas ueritates, cùm eo nō ſolùm peregrinationes, ſed etiam, ut fecit Petrus Martyr in libro contrà Gardinerum 1. par. obiect. 9. ueritatem Euchariſtiæ deturbare conentur: ſed utrumque uanè. Quid enim locus hic Matthęi cùm Euchariſtia? Hæc non in deſerto, nec in abditis, cauernoſiſque locis clàm conficitur, & aſſeruatur, ſed in eminentibus, patentibuſque aris conſecratur, palàm, & conſpicuè in Eccleſijs in medio locorum poſitis adoratur.

Ad ſecundum dicimus, Argumentum ſolùm probare ob pericula aliqua, quæ in itineribus imminent, peregrinationem non omnibus conuenire, ſed tantùm uiris maturis, probatiſque, & quibus parum, aut nihil periculi impendeat: Abuſus uerò, & corruptelæ quædam, quæ in huiuſmodi peregrinationibus immiſcentur, nil detrahunt pio, ac ſancto earum inſtituto, ut in ſimili Hieronymus in lib. aduerſus Vigilantium dixit; *Paucorum*, inquit, *culpa non præiudicat religioni*; & D. Auguſtinus lib. 20. contrà Fauſtum, cap. 21. eorum uitia reprehendens, qui peregrinationes ad Martyrum ſepulchra eo ſæculo obibant, dixit, *Aliud eſt, quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, alia diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum*: Vnde in citata Synodo Cabilonēſi huiuſmodi abuſus eo decreto compeſcuntur, ne uel ob mēdicandi cupiditatē, uel ob uagandi deſiderium eò pergant, uel etiam ne adeò ſint uecordes, ut putent, ſe ſanctorum locorum ſola uiſione à peccatis purgari, non attendentes quod ait B. Hieronymus, *Non Hieroſolymam vidiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe, laudandum eſt.*

(D. Hieron. — D. Auguſt. — Synod. Cabi. — D. Hieron.)

Ad tertium, reſpondet D. Auguſt. in dicta Epiſt. ad Clerum, & populum Hipponenſem; Deum eſſe quidem ubique, nulloque loco contineri, uel includi eum, qui condidit omnia, à veriſque adoratoribus in ſpiritu, & veritate oportere illum adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet, & coronet; attamen quoniam illi beneplacitum eſt, ſecundùm ſuæ prouidentiæ conſilium, & arcanum aliqua operari Hieroſolymis, & non Romæ, aliqua Romæ, & non Hieroſolymis, & alia in uno loco, & non in alio; hinc efficitur, ut ad illam Dei potentiam magnificandam, & glorificandam, & ad gratias, quæ in quibuſdam locis à Deo mortalibus communicantur, percipiendas Chriſtiani eò loci peregrinentur. *Cur enim ex Aphrica*, inquit Auguſtinus, *ad Beati Felicis Nolenſis corpus accedebant fideles, niſi ob notiſſimam ſanctitatem loci?* ſed nos de hoc argumento latiùs inferiùs.

(D. Auguſt.)

Secundò reſpondendum eſt, negari non poſſe, quamuis Deus ſit ubique, longiorem peregrinationem magis laborioſam, & pœnalem eſſe, quocircà magis etiam ſatisfactioni, & pœnitentiæ inſeruire. Quòd autem dicunt, Deum vbique æqualiter operari, falſum eſt, ut de ſe patet, & inferiùs dicemus.

Ad quartum, aliqui exiſtimarunt, Epiſtolam illam, ſeù libellum non eſſe Gregorij Niſſeni, cùm nec inter eius opera habeatur, nec quis illam in ſermonem latinum uerterit ſciatur; nec fortè etiam græcè reperiatur; ſed concedamus ultrò, à Gregorio ſcriptam eſſe; quibus autem perſonis ſcribat, & circà quodnam argumentum in ea uerſetur, intimè conſiderandum eſt: totus enim ibi poſitus eſt, ut viris, qui monaſticam uitam profitentur, atque fœminis, & præcipuè ſanctimonialibus, (de his enim ſolùm eo loco agit) diſſuadeat peregrinandi ſtudium; in quo benè dicit; quamuis enim peregrinatio in ſe bona ſit, tamen non omnibus conuenit; ſicut nuptiæ in ſe quidem bonæ ſunt, ſed Clericis, uel Religioſis uiris non conueniunt; ſic etiam nec mulieribus, niſi fidos comites habeant, nec Monachis, qui in arctiori clauſura in ſilentio orationibus, & pœnitentiæ uiuunt, peregrinatio accommodata eſt, cum illis minus bonum ſit peregrinari, quàm proprium inſtitutum obſeruare. Vnde illorum Monachorum ſententiam Gregorius reprehendens, qui putabant ad perfectionis gradum ſe aſcendere non poſſe, niſi ſancta loca luſtrarent; benè aſſerit, peregrinationem à Domino præceptam non eſſe, nec homines ad illam teneri; ſimiliter illis multa pericula imminere, ſi iter faciant; multa enim illis ex inſtituto cauenda ſunt, in quæ ex neceſſitate in itinere incurrunt, quod etiam fœminis, & præcipuè ſanctimonialibus accidit. Addit quoque Gregor. nihil eſſe Hieroſolymis, quod non ſit alibi. Deus enim eſt ubique; Sacra-

(Quibus non expediat peregrinatio.)

menta

menta, altaria, templa ubique reperiuntur, atque etiam cætera neceſſaria ad ſalutem, & quæ ad religionem pertinent; quod uerum eſt, ac benè dictum, ut Monachis, & Virginibus diſſuadeat ſollicitudinem aſſumendi iter Hieroſolymitanum; non tamen ob id negandum eſt, multa eſſe Hieroſolymis, quæ maximè deuotionem promouent, ut ſepulchrum Domini, & alia loca ſancta, quæ alibi non reperiuntur, ad quæ loca, certis perſonis ob maius bonum peregrinari non licet. Simili modo Baſilius uago illi Monacho, qui loco ſtare neſciebat, atque infeliciter lapſus erat, Hieroſolymitanum iter uitio uertit. Hierony. quoque Paulinum Monachum à peregrinatione diſſuadet, cùm inſtituto monachali magis ſtabilitas, & quies accommodata ſit, & tamen alibi ad peregrinationem, etiam fœminas adhortatur. Vnde inter cætera in Epiſtola 13. ità ſcribit: *Re vera, ut ſimpliciter motus mentis meæ fatear, conſiderans, & propoſitum tuum, & ardorem, quo ſæculo renunciaſti, differentias in locis arbitror, ſi Vrbibus, & frequentia Vrbium derelicta, in agello habites & Chriſtum quæras in ſolitudine, & ores ſolus in monte cum IESV, ſanctorumque tantum locorum vicinitatibus perfruaris; ideſt vt & Vrbe careas, & propoſitum Monachi non amittas, quod loquor non de Epiſcopis, non de Presbiteris, non de Clericis loquor, quorum aliud officium eſt; ſed de Monacho, & Monacho quondam apud ſæculum nobili; qui tecirco pretium poſſeſſionum ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuit, docens pecuniam eſſe calcandam, ut humiliter, & ſecretò victitans, ſemper contemnat, quod ſemel contempſit.* Hæc ille. Et licèt exemplo quoque Sancti Antonij illum à propoſito peregrinandi remouere conetur, quòd is cùm Monachum ageret, numquam ad ſancta loca perrexerit; attamen Hilarionem, cùm in Palæſtina moraretur, narrat, ſemel ad ea acceſſiſſe, ne eorum locorum religionem contemnere uideretur, in quorum vicinia erat. Hęc autem hodie cùm inſtitutum Monachorum non tàm rigidum, & arctũ ſit, locum non haberent; niſi in anachoretis, & cęteris, qui in arctiori ſolitudine, & clauſura uiuunt, quibus nullo modo laudabile eſſet, concedere facultatem, uel Hieroſolymam, uel ad Vrbem peregrinandi. Baſilius. Hierony.

Ad quintum, rectè reſpondetur, ut ſuperius quoque dictum fuit, quòd omnis cultus, qui per uirtutum exercitia Deo offertur, etiam ſi non ſit à Deo præceptus, non dicitur uoluntarius, ut uidere eſt Num. 30. ubi Deus exigit rerum, quæ aliàs non præceptę erant, uota adimpleri; ſed cultus ille ſolùm dicitur uoluntarius, qui ſine recta ratione, uel temerè ſuſcipitur: ut ſi quis voueret, ſe ad menſam non iturum, niſi prius bis, uel ter lotis manibus. Vnde omnis cultus, qui per peregrinationum exercitia Deo exhibetur, etiam à Deo non præceptus, non dicitur uoluntarius vel arbitrarius ad eum ſenſum, quò Caluinus accipit uoluntarium; & cùm rectæ rationi, ac pietati coniunctus ſit, Deo nequaquam diſplicere poteſt. Num. 30.

Ad ſextum dicimus, inſtitutum peregrinationum uetuſtiſſimum eſſe in Dei Eccleſia, & ante Conſtantinum iam diù frequentatum, quod quidem Magdeburgenſes impugnant, nos verò multis exemplis mox demonſtrabimus.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd vetuſtiſsimum ſit in Dei Eccleſia Peregrinationum Inſtitutum.

LOca Sancta in Palæſtina, in quibus Dominus noſter ſalutis myſteria operatus eſt, ab Hadriano Imperatore, ſub quo bellum Iudaicũ, quod in Palæſtina gerebatur, rebus penitùs Iudæorum extinctis, finem accepit, ut Euſebius in Chronicis & Dio in Hadriano, Anno Chriſti 137. prophanata, atque gentium impuriſſimis dijs ibidem poſitis, non ſolùm in contumeliam Iudæorum, ſed etiam in odium Chriſtianorum ibi commorantium polluta fuere: quod luculenter ſic ſcribit Paulinus, Epiſtola 11. ad Seuerum; *Nam* Euſeb. Dio. Loca ſancta Palæſtinæ prophanata. Paulinus.

Hadrianus

Hadrianus Imperator exiſtimans, ſe fidem Chriſtianam loci iniuria perempturum, in loco Paſsionis ſimulachrum Iouis conſecrauit, & Bethlehem Adonis fano, ac ſimulachro prophanata eſt, ut quaſi radix, & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in iis locis idola colerentur, in quibus Chriſtus natus eſt, ut pateretur; paſſus eſt, ut reſurgeret; ſurrexit, ut regnaret; iudicatus eſt, ut iudicaret. Me miſerum etiam iſta pro nobis Dominus omnipotens perpeti non recuſauit, ut ubi pro ſalute generis humani crucifixus penderat, ibi hominum ſacrilegio ſperneretur, & ſuper Crucem, ad quam Orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſsilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat; ſtabat ſimulachrum Dæmonis, & ara ſimulachri pecudum buſto fumabat, & Dei nomen deferebatur ſtatuis mortuorum, cùm ipſe uiuorum Deus, qui & reſurrectio mortuorum eſt, non ſolum mortui; ſed & crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio; in Bethlehẽ quoq; ubi agnouerat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, ibi Principes hominum inficiati ſaluatorem Deum, infames hominum amores, morteſque coluerunt: prodita nouo ſydere Regis æterni, ubi cunabula ſupplices cum ſuis opibus adorauerunt Chaldæi, ibi barbaras libidines ſacrauerunt Romani; ubi natum ſaluatorem cum exercitu Angelorum concinentes cœleſti gaudio ſalutauerant illuſtrata nocte paſtores, ibi Veneris Amaſium mixta ſemiuiris planxere meretrices. Proh dolor, quæ pietas hominum hanc impietatem compenſare poterit? ubi ſacra uati Saluatoris infantia uagierat, illic Veneris lamenta fingentium laſciuis luctibus, infamis ritus ululabat: & ubi Virgo pepererat, adulteri colebantur: manſit hoc ſæculi prioris nefas in tempora noſtris proxima Conſtantini, qui Princeps eſſe Principibus Chriſtianis, non magis ſua, quàm matris Helenæ fide meruit, quæ diuino (vt exitus docuit) inſpirata conſilio, cum Hieroſolymam agnoſceret nomine, quo regnabat, ut ſibi facultatem daret, cuncta illic loca dominicis impreſsa veſtigiis & diuinorum erga nos operum ſignata monimentis purgare, deſtructis templis, & Idolis ab omni prophanæ impietatis contagio, & religioni ſuæ redderet, ut Eccleſia tandem in terra originis ſuæ celebraretur. Hactenus Paulinus.

D. Hieron.

DIVVS Hieronymus, ad eumdem Paulinum ſcribens, Epiſt. 13. eiuſdem prophanationis meminit; *Ab Hadriani,* inquit, *temporibus, vſque ad Imperium Conſtantini, per annos circiter cẽtum octoginta in loco Reſurrectionis ſimulachrum Iouis, in Crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris à gentibus poſita colebatur, exiſtimantibus perſecutionis auctoribus, quòd tollerent nobis fidem reſurrectionis, & Crucis; ſi loca ſancta per Idola polluiſſent. Bethlehem nunc noſtram, & auguſtiſsimum Orbis locum, de quo Pſalmiſta canit; veritas de terra orta eſt; lucus inumbrabat Thamuz; ideſt Adonidis, & in ſpecu, vbi quondam Chriſtus paruulus vagiit, Amaſius veneris plangebatur.* Hæc ille.

Seuerus Sulpit. D. Ambroſ.

SEVERVS, lib. 2. Hiſt. ſcribit, in loco Paſſionis dominicæ, ſimulachrum Dæmonis poſitum fuiſſe, & D. Ambroſius in Pſal. 43. locum Caluariæ, in quo paſſus eſt Dominus, mutato nomine, Venarium nuncupatũ fuiſſe à Veneris ſimulachro, ibi collocato; quorum etiam meminit Dio, in Hadriano, & Beda de ſex ætatibus mũdi to. 2. in Caio inquit; *Caius in Deos ſe referens, Iudæorum loca ſancta ſordibus Idolorum prophanat.* Hæc dixerim, ut uetuſtiſſimã, ac religioſiſſimam Chriſtianorũ conſuetudinem demonſtrem ad loca ſancta peregrinandi; quamuis enim hæc loca ſic prophanata, & deturpata fuiſſent, vt dictum eſt, numquam corũ memoria à Chriſtianorum mentibus abolita fuit, numquam eorum deſiderium illa inuiſendi, atq; cernendi in eorum pectoribus extinctum fuit: ab ipſo enim exordio naſcentis Eccleſię hic mos uiſitandi ſacra loca Hieroſolymitana cæptus fuit, nec umquam amplius in Eccleſia catholica intermiſsus, ut benè notauit Cardinalis Baronius to. 2. Anno Chriſti 199. Quid? quòd etiam gentilibus tunc temporis Bethlehem ſpeluncæ fama, & memoria celeberrima fuit; atque ab illis ſpeluncam illam viſitatã fuiſſe, veriſimile eſt, etiam antequam à Conſtantino loca illa expurgarentur, ut ex Origene dignoſcitur, libro primo contrà Celſum, ſic ſcribente. *In Bethlehem ſpeluncam oſtendi, vbi ille ſit natus: quod vtique, & in illis locis percelebre eſt, vel apud eos quidem, qui à fide ſunt alieni, fama, & nomine circumfertur; eademmet in ſpelunca* IESVM *quemdam, quem Chriſtiani adorent, & demirentur, genitum eſſe.* Hęc Origenes, qui per annos plures Conſtantinum anteceſſit. Quod igitur Hadrianus ad obſcuranda

Loca Sancta Palæſtinæ licet prophanata à Chriſtianis peregrinis frequentabãtur.

Dio. Beda.

Card. Baron.

Origen.

ea ſacra

ea ſacra loca molitus fuerat, nequaquam ei feliciter euenit, cùm illorum memoria etiam apud Ethnicos diù percelebris atque illuſtris perſeuerauerit.

VERVM, quoniam Magdeburgenſes in Centuria quarta, ca. 6. contendunt abuſum peregrinationum (eo enim nomine illas dehoneſtant) ad ſancta loca tempore Conſtantini cœpiſſe, multorum exemplis in medium adductis, atque in eorum oculis poſitis, operæprecium eſt oſtendere, non ſolùm poſtea, ſed etiam ante ipſa tempora Conſtantini has ſanctas peregrinationes à Chriſtianis ſuſceptas fuiſſe, id quod factis multorum Illuſtrium Virorum ex hiſtorijs petitis demonſtrare difficile non erit. Oſtēditur antiquitas ſācta rum peregrinationum cōtra Magdeburgen. exemplis multorū Sanctorum.

S. ALEXANDER, Narciſſi Epiſcopi Hieroſolymitani coadiutor, & deinde eius ſucceſſor, qui ſpacio centum annorum ante Conſtantini tempora floruit, circà annum Chriſti 199. Hieroſolymitanam peregrinationem, ut ſuperiùs ex Euſebio, & Hieronymo demonſtratum eſt, religionis cauſa ſuſcepit; quod etiam refert D. Antoninus, prima par. Hiſto. tit. 7. cap. 6. §. 15. Surius die 29. Octobris, & Card. Baronius tom. 2. Maturus in præfatum locum D. Antonini bene notat, quòd ſi Deo diſpliceret peregrinatio, numquam Epiſcopum peregrinantem cælitùs dato reſponſo honoraſſet, ut in eius hiſtor. videre eſt; fuit hic Alexander circà tempora Seueri Imperatoris, & Victoris Papæ. D. Anton. Surius. Baronius. Maturus.

ORIGENES, qui per centum annos ferè ante Conſtantinum floruit, videlicèt à Chriſto 200. uotum emiſit, ſe Romam profecturum, ad limina Apoſtolorum uiſitanda, quod etiam adimpleuit, ut affirmat Euſebius lib. 6. Hiſtor. Eccleſiaſticæ capite 11. Origen. Euſeb.

ANNO Domini 286. Beatiſſima Zoë coniux Caſtoris, etiam vrgēte perſecutione gentilium in Chriſtianos, in Apoſtolorum Natali ad confeſſionem Sancti Petri accedit, & orat. Baronius tom. 2. ex actis Sanctorum Martyrum. Baron.

ANNO Chriſti 300. Sancta Helena mater Conſtantini grandæua viſitat Sanctam Terram. Euſebius Cæſarienſis de vita Conſtantini lib. 3. cap. 41. apud Surium 18. Auguſti. Euſeb. Surius.

CIRCA Annum Domini 300. peregrinationis ad Sanctum Sergium nobilem Rom. Martyrem, ſub Maximiano Imperatore in Araphas, habetur mentio in 2. Sinodo Nicæna, act. 5. & in Prato Spirit. cap. 180. De hoc autem lib. i. de Prato Spirituali fit mentio in 7. Synodo act. 4. & apud Damaſc. in 3. Oratione de Cultu Imaginum, atque apud alios probatos auctores. Theodoret. de Euang. veritate li. 8. in fine: apud Baronij Martyrologium. 7. Octobris. Nicæna Syn. Pratum Spirituale. Sept. Synod. Damaſc. Theodor. Baronius.

ANNO Domini 304. ex Perſide Sanctus Marius, & eius vxor Martha, cum duobus filijs, ſcilicèt Audiface, & Abachum Chriſtiani viri Romam ad adorationem Apoſtolorum acceſſerunt. Vinc. Specul. Hiſt. lib. 12. D. Antoninus. 1. par. Hiſt. tit. 8. cap. 9. Vinc Beluac. D. Anton.

ANNO 304. Martyrio affectus fuit Demetrius Procōſul ſub Maximiano apud Theſſalonicam, ad cuius Sepulchrum frequens Chriſtianorum concurſus fuit, ex quo unguentum medicum ſcaturire iugiter conſueuit, de quo Glicas in annal. lib. Cedren. in compendio hiſt. & Zonaras in Michale IIII. Imperatore, qui eius Martyris ope eſt liberatus à Dæmonio eum arripiente, qui etiam Bulgaros profligauit. Baron. in Martyro. 8. Octobris. Glicas. Cedren. Zonar. Baron.

CIRCA Annum Chriſti 316. quo Anno Zoſimus lib. 2. Dioclitianum Imperatorem mortuum eſſe ſcribit, Mennas Ægyptius miles in perſecutione Dioclitiani Martyrio coronatur, & ad eius ſepulchrum magnus fuit concurſus, ut in vita Sanctæ Appollinaris Virginis apud Metaph. 5. Ianuarij habetur, Card. Baron. in Martyrol. 11. Nouembris. Zoſimus. Metaphr. Baron.

CIRCA Annum Domini 322. Ruffinus, & Melania Romana clariſſima fæmina Hieroſolymam peregrinantur, & iterum in Ægyptum ad inuiſendos illic degētes Sanctos Monachos nauigant. Hieronym. Epiſto. 5. ad Florentium, & 41. ad Ruffinum, Sanctus Paulin. Epiſt. 9. ad Seuerum, Palladius in Lauſiaca, cap. 33. Ruff. lib. 2. cap. 4. Lipomanus tom. 3. Baronius tom. 4. D. Hieron. D. Paulin. Pallad. Ruffin. Lippoman. Baron.

Conc. Gang. Pro peregrinationibus.

CIRCA annum Domini 324. celebratum fuit Concilium Gangrenſe, ubi de Eccleſiarum uiſitatione, & de Chriſtianorum conuentu in illis, quæ ſpecies quædam eſt peregrinationis, contrà Euſtechianum, & alios Chriſti hoſtes multa utiliter decernuntur, uſusque uniuerſalis, tùm Occidentalis, tùm Orientalis Eccleſię circà huiuſmodi templa uiſitanda, tunc etiam temporis uigens declaratur, & dignoſcitur.

Metaphr. Iuſtinian. Venetus. Lyppoman.

ANNO Chriſti circiter 326. Sanctus Nicolaus Epiſcopus Myrenſis ante Imperium Conſtantini, dum adhuc adoleſcens eſſet, Hieroſolymam ad loca ſancta profectus eſt. Auctor eſt Simeon Metaphraſtes, Iuſtinianus Patritius Venetus in eius vita, Lyppo. tom. 1.

Baron.

ANNO Domini 356. Sanctus Cyriacus Anconitanus Martyr, ſub Iuliano Apoſtata, loca ſancta Hieroſolymitana uiſitauit. Baron. in Martyrolog. 4. Maij.

Amphil. Surius. Baronius.

ANNO Chriſti 369. Sanctus Baſilius peregrinatus eſt Hieroſolymam, ut Amphilochus, uel potius alius quiſpiam. Auctor in eius uita, quæ habetur apud Surium die prima Ianuarij fol. 1. qui ordinatus eſt Epiſcopus 14. Iunij. Anno Domini 369. Valentiniano, & Victore Coſſ. Baron. 14. Iunij in Martirologio.

Surius. Baron.

ANNO Domini 379. Ephræm Syrus Edeſſam pergit ad ſacras adorandas reliquias. Simeon Metaphraſtes in eius vita, & Surius prima Februarij, obijt hic vir, iuxtà notas Baronij in Rom. Martyrologium, Anno à partu Virginis 378.

Baron.

ANNO Chriſti 386. Sanctus Gaudentius Epiſcopus Brixianus in Orientem religionis ergò peregrinationem ſuſcipit, & per Cæſaream Cappadociæ tranſiens, à ſacris Virginibus in Monaſterio degentibus reliquias 40. Martyrum à D. Baſilio eis traditas accepit: ipſemet Gaudentius hoc teſtatur in ſerm. de dedicatione Baſilicæ. Baronius tom. 4.

Greg. Niſſen. Surius. Baron.

ANNO Domini 394. Olympius Monachus Hieroſolymam peregrinatur. Gregor. Niſſen. in uita S. Macrinæ ſororis ſuæ: extat etiam Epiſt. eius ad Olympium Surius 19. Iulij, Baron. Martyrolo. 9. Martij.

Paulin. Baron.

ANNO Chriſti 397. Nicetam Nolam ad Sanctum Felicem, & Romam ad limina Apoſtolorum peregrinatum fuiſſe, narrat Paulinus Epiſt. 10. & in Natalitio 9. Baronius tom. 5.

Baronius. Vrianus.

ANNO Chriſti 398. Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus Romam ad limina Apoſtolorum acceſſit, ut ſuperiùs dictum eſt. Obijt hic, iuxtà Baron. in Martyrol. 22. Iunij, Anno Domini quadrigenteſimo trigeſimo primo, ut Vrianus ſcribit. Baſſo, & Antiocho Coſſ.

D. Auguſt. Lucian. Nicet. Baron.

CIRCA hæc tempora ad reliquias Sancti Stephani in Aphricam infinitus hominum concurſus fuit, quas primus omnium ad oras occidentales detulit Paulus Oroſius Presbiter Hiſpanus, Sancti Auguſtini diſcipulus, qui illis temporibus peregrinatus eſt Hieroſolymam, tantiſque pignoribus ditauit, illuſtrauitque Eccleſiam Aphricanam, dum tot, tantaque ex illis edita ſunt miracula; quæ D. Auguſt. pluribus in locis fideliſſimè recitat, ut lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. ſerm. de diuerſis 31. 32. & 33. Epiſt. 103. ad Quintianum Epiſcopum; inuentio autem corporis Stephani protomartyris, & SS. Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, ſicut Luciano Presb. diuinitus reuelatum eſt, Honorij tempore accidit, circà annum Domini 400. ex libris Luciani ab omnibus comprobatis, & Nicetę in oratione de ea re. Baron. Martyr. 3. Auguſti.

D. Anton.

ANNO Chriſti 400. Mulier nobilis è Gallia ad limina Apoſtolorum uiſitanda pergit, & cùm unicus filius, quem ſecum duxerat, Feria 2. poſt Paſcha diem clauſiſſet extremum, D. Zenobius, qui cum Clero, & populo proceſſionaliter ad Eccleſiam Sancti Petri maioris procedebat, illum ad vitam reuocat. D. Antonin. in 2. par. Hiſt. tit. 10. cap. 12. §. 1.

Sigebert. D. Hieron. Pallad. D. Anton.

ANNO eodem 400. Paula Romana nobiliſſima Hieroſolymam religionis cauſſa acceſſit. Sigeb. in Chron. Hieron. in Epitaphio Paulæ Matris, Epiſt. 27. tom. 1. Palladius uit. 125. Antoninus 2. par. tit. 10. cap. 15.

ANNO Chriſti 401. Sanctus Porphyrius Gazæ Epiſcopus ex Aſia nauigauit

ad ado-

ad adorandum loca ueneranda Hieroſolymis ſita. Auctore Simeone Metaphraſte, ex Marco eius familiari. Surius 26. Februarij; obijt autem Sanctus Porphyrius, ut acta ipſius indicant, Anno poſt Chriſtum natum 480.

Metaphr. Surius.

Circa annum Domini 408. Sancta Apollinaris virgo peregrinata eſt Hieroſolymam. Sim. Metaphraſtes apud Surium 5. Ianuarij. Fuit hæc non Antemij Imperatoris Occidentalis imperantis anno Domini 470. vt vult Metaphraſ. ſed Antemij Conſularis viri filia, qui ſub Arcadio Imperatore geſſit Conſulatum, ad quem extat Ioan. Chryſoſt. Epiſtola 147. de quo & Theodoretus lib. SS. Patrum cap 8. habitus autem hic ueluti Imperator, defuncto Arcadio, pro Theodoſio impubere imperium adminiſtrauit. Baron. in Martyrol. 5. Ianuarij. Theodoſ. autem Iunior, ſub quo hæc virgo floruit, cępit imperare, ut in 6. Ann. Eccleſiaſticorum legitur, Anno Domini 408. Innocentij Papæ ſeptimo, & Honorij eius patrui Imperatoris decimoquarto.

Metaphr. Surius. Chryſoſt. Theodor. Baron.

Anno Domini 438. Eudociam bis Hieroſolymam ad loca ſancta uiſitanda profectam eſſe, ſcribit Socrates lib. 7. cap. 46. & alij, quos ſuprà citauimus.

Socrates.

Anno Chriſti 450. Ioannes Calybita, Tribuni militū Rom. filius, peregrinatus eſt Hieroſolymam. Niceph. lib. 15. cap. 23. ſub Leone, aut ſub Theodoſio. Baron. in Martyrol. die 15. Ianuarij, de quo Lippomanus tom. 7. Surius 15. Ianuarij: eius uitam ſcripſit Metaphraſt. corpus aſſeruatur in paterna domo Romæ in Eccleſia illius nomine conſecrata, in inſula Tyberina.

Nicephor. Baron. Lippoman. Surius. Metaphr.

Anno Domini 451. S. Seruatius ad flagellum Dei, id eſt furorem Attilæ anteuertendum, peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcepit. Auctore Gregorio Turonen. licèt Cardinalis Baronius ante annos ferè centum illam iniſſe cenſeat, tom. 6.

Greg. Turon. Baron.

Circa Annum Domini 456. Sanctus Amandus, & Humbertus cum Venerabili viro Nicaſio Romam ad Apoſtolorum limina, deuotionis gratia pergunt. Surius die 7. Septembris, temporibus Childerici Regis Francorum; regnare autem is cępit anno Chriſti 456. Leonis Papæ ſeptimo, & Marciani Imperatoris ſeptimo. Fuit hic Humbertus de Macerijs Villa, ex Beato Euerardo Patre, & Popita matre, claris Francorum Proceribus; atque iterum hic Sanctus Humbertus ſolus Romanam aſſumpſit Peregrinationem, & in Oratorio, uel confeſſione Sancti Petri orationi diu incumbenti, miniſterio Angelico ſignum Dominicæ Crucis ſuper eius verticem, cernentibus omnibus aſtantibus, expreſſum fuit.

Surius.

Ante annum Domini 496. Sanctus Epiphanius Thicinenſis Epiſcopus, ſingula Sanctorum habitationum loca uiſitabat, ut ſcribit Euodius eius ſucceſſor in eius vita. Surius 22. Ianuarij; obijt hic Epiphanius anno Chriſti 496. Anaſtaſij Papę primo, Anaſtaſij Imperatoris ſeptimo, Theodorici Regis quarto, Baron. in 6. tom. Annal.

Euodius. Surius. Baron.

Circa Annum Domini 520. multi ad feſtum exaltationis Sanctæ Crucis Hieroſolymam concurrebant, inter quos fuit Maria Ægyptiaca, temporibus Iuſtini Senioris Imperatoris. Surius 9. Aprilis, in vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ à Paulo Diacono ſcripta. Cardinalis Baron. in Martyrolog. 2. Aprilis.

Surius. Paulus Diac. Baron.

Anno Chriſti 561. S. Germanus præſul Pariſiacæ Vrbis, ad ſancta loca Hieroſolymam pergens, inſignes reliquias Sanctorum à Iuſtiniano recipiens, reuerſus in nobilem Baſilicam à Childeberto Pariſijs erectam collocauit. Ita Aimoinus de geſt. francorum lib. 6. cap. 9. & Card. Baron. tom. 7.

Aimoin. Baron.

Ante Annum Domini 661. Sanctus Amandus Epiſcopus Traiectenſis vir ſanctiſſimus, atque religioſiſſimus Aquitanus, uno comite tantummodo ſecum accepto, ſquallida, & deuia luſtrans loca, tandem Romam peruenit, ibique ſancto ſatiatus deſiderio, prædulcia in liminibus Apoſtolorum figens oſcula, de die aliarum Eccleſiarum Dei circumibat loca, nocte uerò ad templum Sancti Petri reuertebatur: ità ſcribit Milo, qui claruit anno Chriſti 870. Surius 6. Februarij: natus eſt hic Beatus Amandus, ut Sigibertus in Chron. ſcribit, anno Domini 571. obijt uerò anno 661. nonagenarius.

Milo. Surius. Sigebertus.

D.Gregor.

Anno Chriſti 619. circiter, tempore uidelicet D. Gregorij peregrinationes ad loca ſancta, ut ad Montem Sinaì, & alia ſancta loca frequentiſſimæ erant, ut in Epiſt.44. li.3. regiſtri, ubi Cyro reuertenti ex ſacris locis reſcribit, ſe non bene de il lo ſuſpicari, quia quod corporaliter uidit, ex corde minimè attendit. *Ego*, inquit, *potuiſſem uobiſcum ire, ſed uobiſcum minime redire*, & lib.6. Epiſt.19. & lib.7. Epiſt. 77. iubet, Epiſcopos certo tempore ad limina Apoſtolorum accedere, & libro 9. Epiſt. 69. Presbiterum ad limina Apoſtolorum reuerti deſiderantem, atque etiam alios incitat.

Paul. Diac.

Circa eumdem annum 619. Eduardus Rex Angliæ Romam peregrinatur, & ibidem à Gregorio Magno baptizatur, ut à Paulo Diacono ſcribitur.

Surius. Sigebert.

Circa annum Domini 670. Amabilis Presbiter profectus eſt Romam Sanctorum Apoſtolorum limina uiſitaturus. Surius prima die Nouembris; floruit is, ut colligitur ex eius actis, tempore Sancti Proiecti Aruernorum Epiſcopi, & Martyris, quem paſſum refert Sigibertus in Chron. Anno Domini 670. ſub Childerico Secundo francorum Rege.

Duo Reges peregrinati Romam, ibi fiunt Monachi.

Anno Domini 689. Ceaduualla Præpotens Angliæ Rex, & Offa Rex Cantuariorum Romam profecti, relictis Regnis temporalibus, ut cæleſtis Regni aditum ſibi aperirent, à Sancto Sergio Papa in Monachos attonſi, Regi Regum deuotè militarunt. Surius in uita Sancti Suuiberti cap.4. die 1. Martij.

Surius. Surius. Trithemius.

Anno Chriſti ſeptingẽteſimo circiter, Sãctus Deſibodus Epiſcopus, & confeſſor ex Hybernia, pro vita æterna, iucundo animo à ſede ſua pulſus, nonnullis ſibi religioſis viris adiunctis, peregrinationem ad diuerſa ſacra loca ſuſcepit, & tandem in Alemaniam peruenit. Surius die 8. Iulij. Claruit autem hic Deſibodus, ut Trithemius ſcribit, lib.3. de Viris illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti, cap.288. circà annos Domini ſeptingentos.

Surius.

Circa annum Chriſti 741. Sanctus Riccardus Angliæ Rex, qui floruit, ut ſuperiùs dictum eſt, tempore Zachariæ Papæ, qui ſedere cœpit anno Domini 741. dimiſſo pro Chriſto Regno cum filijs, longinquam peregrinationem religionis ergò trans Alpes ſuſcepit, & in Italia in Ciuitate Lucenſi, in Beati Fridiani Baſilica ſepultus, miraculis coruſcat, cuius feſtiuitas ſeptimo idus Februarij celebratur. Surius die 7. Februarij, ex eius epitaphio ſculpto in eadem Eccleſia, ubi requieſcit.

Surius.

Anno Chriſti 753. Pipinus Rex Francorum, qui à Papa Zacharia deficiente ſtirpe Clodouei, ob defenſionem Romanæ Eccleſiæ vnctus fuit, dum inter uenandum Aruernenſem perluſtraret ſyluam, Deo diſponente, ad Eccleſiam Sãcti Monotis martyris in Aſſonia, Lodionenſis Diœceſis quieſcentis deuenit, eamque deuotionis cauſa oraturus intrauit, proſtratoque corpore, deuotè eum exorauit, multaq; dona eidem Eccleſiæ contulit ex Breu. Naxonienſi. Surius 18. Octobris.

Surius. Trithem. Democheri.

Anno Chriſti 791. Sanctus Burcardus Anglus ex nobiliſſima familia ortus, poſtea Epiſcopus Herbypolenſis in Germania, perpetuæ peregrinationis ſtudiũ amplexus, primùm in quodam ſatis humili Galliæ loco aliquandiù ſub habitu peregrini delituit, poſtea cum Sancto Bonifacio Epiſcopo Moguntino Romam venit, à Zacharia Pontifice Epiſcopus Herbypolenſis factus, dum ſediſſet annos 30. obijt anno Domini 791. Surius ex Trithemio de Viris Illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti lib.3. cap.186. & lib.4. cap.284. Democherus in tabulis de Miſſæ ſacrificio.

Surius. Sigebertus.

Circa annum Domini 844. Sanctus Gedregrandus Sagienſis Epiſcopus, ob amorem cœleſtis patriæ, Romam ad limina Apoſtolorum, & diuerſa Sanctorum loca cauſſa orationis circumire deliberat; ita legitur in vita Sanctæ Opportunæ Virginis, edita à Sancto Adolelino Sagienſi Epiſcopo apud Surium 22. Aprilis: Floruit autem hic Sanctus Gedregrandus, ſi acta eius ſequi uelimus, vel circa, vel non multò ante tempora Ludouici Regis, Caroli inuictiſſimi Imperatoris fratris; qui regnare cœpit, vt Sigibertus in Chronico eſt teſtis, anno 844. Sergio Summo Pontifice.

Circa annum Domni 800. celebratum fuit ſub Leone Tertio, & Carolo Magno Concilium Cabilonenſe ſecundum, in quo abuſus in peregrinationibus remouentur, & laudabiles, ac piæ itinerationes commendantur.

Conc. Cabil.

Circa annum Domini 924. Sanctus Vuambertus, non infimus in Gallia, ad Taruanenſium fines Comitum, cum Hombarga coniuge ad limina Sancti Petri, & Pauli ueniunt. Surius. 5. Februarij, in vita Sancti Bertulphi, cap. 3. & 10. Iterũ Romam, poſt longa terrarum emenſa ſpacia, ad patrocinia Apoſtolorum ueniunt ibidem cap. 16.

Surius.

Anno Domini 1000. circiter, Otho Imperator Roma ad montem Garganum nudis pedibus perrexit, monitu Sancti Romualdi affinis, ut crimen paulò ante commiſſum ea corporis afflictatione expiaret. Petr. Damia. in uita Sãcti Romualdi apud Lippom. to. 8. Baron. Martyr. die 8. Maij.

Petrus Dam. Lippoman. Baron.

Martinvs Cromerus lib. 3. hiſtor. Polon. Cranezius lib. 4. hiſtor. Saxon. cap. 36. Matthæus Meconienſis lib. chron. polon. ſcribunt, Othonem eumdem Tertiũ Imperatorem pedeſtrem, cum Boleſlao, cognomẽto Crobri, Rege Poloniæ ad reliquias Sancti Adalberti Gneſnam Ciuitatem Metropolitanam Poloniæ acceſſiſſe, & milliaria italica circiter 35. pedibus confeciſſe.

Marti. Crom. Cranetius. Matt. Mecou.

Circa annum Domini 1095. multa miracula facta apud Sepulchrum Beati Iacobi Apoſtoli erga illud viſitantes, narrat Vincentius Speculator libro 27. hiſtoriæ.

Vinc. Specul.

Circa annum Domini 1027. ad Sepulchrum Sancti Romualdi Abbatis, ex longinquis terrarum partibus, toto anno, & præcipuè in eius feſtiuitate, fidelium multitudo confluebat: teſtatur id Beatus Petrus Damianus in prologo eius vitæ, quam ipſe ſcribit.

Sepulchrum Sancti Romualdi. B. Petr. Dam.

Tempore Gregorij VII. Anno Dominicæ incarnationis 1074. admonetur Lãzelinus Beluacenſis miles, ut illæſum dimittat Follerum Carnotenſem, quem dũ ab Apoſtolorum liminibus reuerteretur, cepit in Gallijs, & in Epiſt. 5. hęc ſcribit, *Quod ſi facere contempſerit, ſpiritualibus armis eum inſequi, & urgere non prius deſiſtatis, quàm relictò Sanctis Petri peregrino.* Idem Greg. in Epiſt. 5. to. 3. Epiſtolarum decretalium Romanorum Pontificum.

Gregor. VII.

Anno Domini 1112. Sanctus Guido Brabantenſis Epiſcopus, Romæ Apoſtolorum liminibus uiſitatis, inde Hieroſolymã ad loca ſancta adijt, ac deinceps per ſeptennium Sanctorum Eccleſijs toto penè Orbe uiſitatis, Romam iterum reuerſus, ut Surius 12. Septembris, migrauit ex hac vita Anno Domini 1112. ut eius acta teſtantur: Card. Baron. 12. Septembris in Martyrologio.

Surius. Baron.

Anno Dñi 1157. Agnes Henrici Imperatoris uxor, eo uita defuncto, tãdiu Imperio ex viri uoluntate adminiſtrato, dum filius infans ad annos duodecim perueniret, quo tempore, & Imperio, & Bauariæ Ducatu, qui ei proprius erat relicto, Romam petens monaſticam humilitatem eſt profeſſa. Platus lib. 1. cap. 27.

Platus.

Circa annum Domini 1108. In Regione Galliæ uir quidam ad Sanctum Iacobum accedit, ut ex ſterili uxore filium precibus Beati Iacobi ſuſciperet, quod in reditu conſecutus eſt; cùm autem puer decimumquintum annum ageret, & à parentibus ad Diui Iacobi limina duceretur, in uia moritur, & iterum precibus Sancti Iacobi viuens matri reſtituitur. Antonin. 3. parte tit. 17. cap. 1. §. 2. Refert idem Antoninus quòd Ioannes, honorabilis, & honeſtus Clericus Lugdunenſis, naſcenti Ciſtercienſi Ordini uolens ſe aggregare, deinde propoſitum mutauit, & pro eius recompenſatione peregrinationis Sancti Iacobi iter aggreſſus fuit, atque ex ea reuerſus dum in ſomno quieſceret, in uiſu apparuit ei Dominus Iesvs Chriſtus, cum duobus Apoſtolis, Petro, & Iacobo; & tunc Petrus ex Chriſti præcepto, libro, in quo prædeſtinatorum nomina aureis literis exarata erant, aperto, nomen illius Ioannis ibi legit, cui Dominus, dele, inquit, illum, & tolle de libro, quia meum ſe futurum promiſerat, & à propoſito reſiliuit. Tunc Beatus Iacobus propiùs accedens, Dominum pro eo exorabat, dicens: Domine, meus eſt peregrinus, ne deleas, obſecro, nomen eius; cui Dominus, meus, inquit, non peregrinus,

D. Anton. B. Ioannis Abbatis Miraculum notabile.

 ſed Ciuis

ſed Ciuis eſſe debuerat; nonne maius eſt, eſſe ciuem meum, quam peregrinum tuum? Verùm perſiſtente Apoſtolo in ſupplicatione, ne deleret illum à libro uitę; atque facta pro Ioanne fideiuſſione, quòd intrà quindecim dies propoſitum Religiones impleret, obtinuit; & mox expergeſactus Ioannes, ſolo proſternitur, & fideiuſſori ſuo cum vbertima lachrymarum effuſione dixit: faciam rursùs Apoſtole Sancte quod tàm miſericorditer pro me pollicitus es, & cum iterum ſomno ſe dediſſet, rurſus apparuit illi Dominus, & Petro librum aperiēte, audiuit Ioannes Petrum legentem uerba illa, *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*; mox Ioannes ſurgens, & ad præfatum diem ueniens adimpleuit uotum. Hic Ioannes fuit primus Abbas Cœnobij bonæ Vallis, & deinde Valentianæ Eccleſiæ Antiſtes, multis miraculis in vita, & in morte clariſſimus.

Beda. Inſigne miraculū apud ſepulchrum D. Iacobi.

ANNO Domini 1124. Beda præclarum refert miraculum contigiſſe apud Sepulchrum Sancti Iacobi; *Quidam*, inquit, *temporibus Beati Theodori Compoſtellanenſis Epiſcopi graue peccatum commiſerat, quod nec Sacerdoti, nec Epiſcopo auſus fuit confiteri, quo circà ab eodem Epiſcopo ob enormitatem peccati non abſolutus, homo ille cū ſchedula, in qua peccatum illud deſcriptum erat, ad Sanctum Iacobum miſſus eſt, atque cum eò perueniſſet in die feſto Sancti Iacobi, præfatam ſchedulam ſuper Altare poſuit, cum lachrymis Sanctum rogans, ut meritis ſuis huiuſmodi peccatum deleret; interea dùm ad celebrandam Miſſam Theodumirus Epiſcopus accedit, uiſa ſchedula ſuper altare, quærit cur & à quo ibi poſita eſſet? at vir ille protinùs occurrens rei ſeriem cunctis audientibus enarrauit; cartula euoluta, cum nihil ibi ſcriptum repertum fuiſſet, omnes peccatum illud ei dimiſſum intellexerunt.*

Platus.

Anno Chriſti 1209. Chenredus Merciæ in Anglia Rex, Romam profectus, à Conſtantino Pont. habitum monaſticum ſuſcepit. Platus li. 2. cap. 26.

B. Silueſter Abbas inſtitutor Silueſtrinorum.

CIRCA hęc tempora B. Bonfilius Epiſcopus Fulginas Ordinis Silueſtrinorum ſacram peregrinationem hieroſolymitanam ſuſcepit, relicto Epiſcopatu, ut teſtatur B. Silueſter Abbas eiuſdem ordinis inſtitutor, in vita ipſius B. Bonfilij à ſe conſcripta, quæ extat apud Silueſtrinos.

Anno Domini 1240. Inas Rex Orientalium Saxonum in Anglia artibus belli, & pacis inclitus, pietate autem in Rom. Sedem adeò memorabilis, ut totum ſuum Regnum ei tributarium ſua ſponte fecerit, Romam ſe contulit, religioſam uitam profeſſus: idem Platus.

Platus.

EODEM Anno 1240. Carolus totius Germanię Rex, multiſque operibus clarus, Pipino fratre ad Regnum adſcito, Romam priuatus, & pauper uenit, ubi à Zacharia Pont. ſacros ordines, & religioſum habitum ſuſcepit, deinde Cœnobio in Soracte Monte ædificato, illic aliquamdiù habitans, ne à viſitantibus impediretur, in Caſſinatem montem ſe tranſtulit. Platus lib. 2. cap. 26.

Platus.

Boniſac. VIII

Anno Domini 1300. ex toto Orbe ad limina Sancti Petri homines Romam acceſſiſſe ad Indulgentias conſequendas, teſtatur Bonifacius Octauus in ſua Extrauag. quæ incipit: *Antiquorum*, de Pęnit. & Remiſſ. in 6. de qua re multa ſuperiùs diximus.

NOTA.

CIRCA Annum Domini 1350. admonita à Chriſto Beata Brigida, laborem peregrinationis ſuſcepit, quam Chriſtus ſic allocutus eſt; *Proficiſcere Romam, ubi illic earum plateæ ſunt auro inſtratæ, & Sanctorum ſanguine rubricatæ; ubi propter condonationes, ſiue Indulgentias, quas promeruere Sancti, compendio uenitur ad Cœlum; manebis autem illic, donec uideas Sanctum Pont. & Imperatorem*, & poſt annos multos præcepit illi Chriſtus, ut iret Hieroſolymam, ubi mira audiuit à Domino de ſtatu Regnorum, & de Natiuitate, & Paſſione eius. Cùm autem Beata Brigida Romæ degeret, Catharina filia eius promiſſa marito, qui erat cognatus Regis Suetiæ, Romam uenit, anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, qui Iubilæus erat: venere cum illa multæ aliæ Dominæ, & peregrinæ, & familia magna, ut poſſent Romę obtinere condonationes, ſiuè Indulgentias Iubilæi; ita legitur in vita eius apud Suriū die 25. Iulij, & in Bulla Canonizationis eius à Bonifacio IX. edita. Hæc quoque cùm marito ſuo è patria exiens, profecta eſt in Hiſpaniam ad San-

Surius.

ctum Ia-

ctum Iacobum, quæ tandem Romæ mortua eſt anno Domini 1373. Corpus translatum eſt in Suetiam. Bonifacius Nonus eam in Sanctorum numerum adſcript.

Anno Chriſti 1400. ad Iubilæum à Bonifacio IX. indictum Romam itur, anno 1450. tempore Nicolai Quinti, & anno 1475. tempore Pauli II. anno 1500. tempore Alexandri VI. anno 1525. tempore Clementis VII. anno 1550. tempore Iulij III. anno 1575. tempore Gregorij XIII. ad Sacrum Iubilæum innumera multitudo populorum Romam confluxerunt. Adde quòd tempore eiuſdem Gregorij XIII. illa celeberrima peregrinatio ad Sedem Apoſtolicam, atque limina Apoſtolorum inuiſẽda accidit, in qua ex nouo Orbe Regum Iaponiorum Legati profecti ſunt ad Vrbem, & inde ad Sacram Lauretanam Ædem, cum ſumma omnium populorum, & totius Chriſtiani Orbis lætitia ſimul, & admiratione, ut noſmetipſi etiam vidimus.

Peregrinationes in Annis Iubilæi.

Quattuor Legati Iaponij.

Beda tom. 2. de ſex ætatibus mundi in Theodoſio ſcribit, illis temporibus multos Anglos nobiles, & ignobiles, viros, & fœminas, Duces, ac priuatos diuini amoris inſtinctu, de Britannia Romam venire conſueuiſſe, inter quos Abbas Ceolphridus annos natus ſeptuaginta quattuor acceſſit. Idem to. 3. lib. 5. hiſt. Anglorum cap. 7. præter Ceadullæ Regis Saxonum Romæ aduentum, ſub Sergio Papa, à quo etiam baptizatus nomen Petri recepit anno Domini 689. narrat, peregrinationem ſucceſſoris eius Regis Huu, qui poſt 37. annos ſui Imperij, eo relicto, ad limina Apoſtolorum ſub Gregorio Primo profectus eſt.

Beda.

Ex Epitaphio autem quod iuſſu Pontificis Ceadullæ ſepulchro appoſitum fuit, eius deuotionis, ac religionis ſtudium, quo Romanam peregrinationem ſuſcepit, non obſcurè cognoſcitur. Placuit autem hoc loco illud apponere.

Culmen, opus, ſobolem, pollentia Regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares:
Quaq́; patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,
Ceadualla armipotens liquit amore Dei.
Vt Petrum, ſedemq́; Petri Rex cerneret hoſpes,
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas:
Splendificumq́; iubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo viuificus fulgor ubique fluit.
Percipiensq́; alacer rediuiuæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen & inde ſuum,
Conuerſus conuertit ouans, Petrumq́; uocari
Sergius Antiſtes iuſſit ut ipſe pater.
Fonte renaſcentis, quem Chriſti gratia purgans,
Protinus ablatum uexit in arce Poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Chriſti,
Cuius conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim ueniens ſupremo ex Orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perq́; vias,
Vrbem Romuleam uidit, templumq́; uerendum,
Aſpexit Petri miſtica dona gerens.
Candidus inter oues Chriſti ſociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe uides.

Multæ aliæ peregrinationes enumerandæ eſſent, ut illa Anglorum ad Sancti Iacobi limina, quæ legitur apud Surium quinta Auguſti in uita S. Dominici, & quæ legitur ad oſſa inuenta SS. Geruaſi, & Protaſij apud D. Ambro. Epiſt. 85. & ſer. 91. apud Surium 19. Iunii, & quæ ad terram ſanctam in feſto exaltationis Sanctę Crucis apud Surium 1. Iulij in uita Simeonis Abbatis cognomento Salis à Leontio Epiſcopo Neapolis inſulę Cypri ſcripta. Sed hoc eſſet numquàm finire.

Surius.
D. Ambroſ.
Surius.
Leontius.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quænam ſint cauſſæ, ob quas homines peregrinantur.

Sex cauſſæ, ob quas peregrinatiões à multis aſſumũtur, ex Pererio.

V. OLDISSIMVS Pererius præceptor meus tom. 3. in Geneſim cap. 12. ſex cauſſas colligit, quibus ſæpe multi adducuntur, ut longinquas, & laborioſas peregrinationes ſuſcipiant. Prima eſt naturalis quędam multorum vanitas, & inſtabilitas; eſt enim quorumdam adeò mobile ingenium, & inquietus animus, ut nullo poſſint loco diù conſiſtere, ſed auidè, curioſèque varia loca peruagentur atque pererrent. Altera cauſa eſt neceſſitas, videlicèt, quò magnum aliquod malum uitetur, vel famis, uel ſupplicij propter ſcelus aliquod patratum impendentis. Tertia cauſa eſt utilitas, cuius generis ſunt mari, terraque peregrinationes militum, atque mercatorum. Quarta cauſa eſt inſatiabilis quorumdam, eorum præſertim, qui excellenti ſunt ingenio, cupiditas diſcendi res nouas, & abſtruſas, comparandæque multiiugis doctrinæ, atque prudentiæ variarum gentium ingenijs, moribus, inſtitutis, ac diſciplinis cognoſcendis, ac percipiendis. Hanc ob cauſam memoriæ proditum eſt, Pythagoram, Empedoclem, Democritum, & Platonem lõginquas Orbis regiones perluſtraſſe, exilijs verius, ut inquit Plinius lib. 30. cap. 1. quàm peregrinationibus ſuſceptis: legimus in veteribus hiſtorijs, ait B. Hieron. ad Paulinum Epiſt. 103. quoſdam luſtraſſe Prouincias, nouos adijſſe populos, maria tranſiſſe, ut eos, quos ex libris nouerant, coram quoq; uiderent: ſic Pythagoras Memphyticos Vates, ſic Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragrauit, & cætera, quæ deinceps ille diſertiſſimis verbis ſubdit. Quinta cauſa eſt ardẽs ſtudium iuuandi quàmplurimos & ad veri Dei cognitionem adducendi. Hoc zelo incenſi Apoſtoli toto propemodum terrarum Orbe peregrinati ſunt; ſic enim præceperat eis Dominus Marci vlt. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sexta cauſa eſt ſancta quædam, & religioſa cupiditas, atque curioſitas viſendi, ac venerãdi ſacra loca, in quibus Saluator noſter, & Beatiſſima eius Mater, dum in terris erant, verſati ſunt, uel vbi Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, aut Martyrij, aut ſepulturæ, & reliquiarum monumenta ſunt; hanc ob cauſſam Terra Sancta, Ædes Lauretana, Compoſtella, & Apoſtolorum limina à fidelibus celebrantur. Hæc Pererius. Hæ verò cauſæ, penultima, & vltima exceptis, ad curioſas, ac vanas peregrinationes ſpectãt. Nos, qui de ſtudio ſanctæ peregrinationis agimus, nouas alias adducemus.

Plinius. D. Hieron. Marc. vlt.

Aliæ cauſſæ ſacrarum peregrinationũ ab Auctore afferuntur. Prima eſt amor Dei. D. Chryſoſt.

PRIMA igitur cauſa, ob quam Chriſtianus animus ad peregrinandum ad loca ſancta incenditur, eſt amor, & charitas quædam ſingularis erga Deum, & Sanctos; quemadmodum enim ipſos Sanctos, & Deum, ſic ea, quę ipſius ſunt, quęque ad eos ſpectant, libenter uidere, atq; ſummo honore, & veneratione proſequi cupimus; huiuſmodi amore D. Chryſ. ergà D. Paulum flagrãs, optauit vehementer Romã peregrinari, vt eius illic reliquias inuiſeret, atq; veneraretur. Vnde homi. 8. in Ep. ad Epheſ. os aureũ ſic loquitur: *Vellẽ nunc ẽt in eis eſſe locis, in quibus iſta dicũtur eſſe uincula, cuperẽ uidere catenas illas, quas quidẽ verẽtur, & horrent dæmones; venerantur verò Angeli*; Et infrà: *Quòd ſi liberum fuiſſet per curas eccleſiaſticas, & corpus habuiſſem validum, nihil utique cunctatus fuiſſem, quominus, tanta ſuſcepta peregrinatione, catenas dumtaxat illas, & carcerem, ubi ligatus fuit, uidiſſem.* Rurſus Homil. de patientia Iob tom. 1. *Vellem nunc viri illis locis verſari, in quibus vincula illa manent, & catenas videre, quas timuerunt quidem Dæmones, & horrent; Angeli autem venerantur; ſi eccleſiaſticis curis eſſem vacuus, corpuſque robuſtum haberem; nequaquam peregrinationem tantam ferre recuſarem, quò catenas ſolum viderem; ò Carcerem, quo Paulus vinctus erat, ò beata vincula, ò beatas manus, quas ornauit catena illa Paulo circumdata; non tàm precioſæ erant manus, quæ claudum in Lyſtris erexerunt, quàm uinculis circumdatæ:*

cumdatæ: ſi per illa tempora ipſe fuiſſem, tunc potiſſimum fouiſſem eas, & ante meas oculorum pupillas ponens, numquam deſiiſſem deoſculari manus dignas effectas pro Domino meo uincti. Sic Chryſoſt. Hoc deſiderio ardens Paula nobiliſſima Romana matrona, vbi Hieroſolymam peruenit; *Tanto ardore, ac ſtudio cuncta loca* (ſunt verba Hieron. in Epitaphio Paulę ad Euſtochiũ, Epiſt. 2. to. 1.) *circumiuit, ut niſi ad reliqua feſtinaret, à primis non poſſet abduci, proſtrataque ante Crucem, quaſi pendentem dominum cerneret, adorabat; ingreſſa Sepulchrum Reſurrectionis, oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amouerat Angelus, & ipſum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat; quid ibi lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, teſtis eſt cuncta Hieroſolyma, teſtis eſt ipſe Dominus quem rogabat; inde egrediens aſcendit Sion, quæ in Arcem uel ſpeculam uertitur;* Et infrà, ipſam loquentem inducens, *Introibimus in Tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes eius. Et ego miſera, atque peccatrix digna ſum iudicata deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagijt? orare in ſpelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini mei patria eſt; hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam, paraui lucernam Chriſto meo, anima mea illi uiuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.* Hæc Hieronymus. Hoc eodem amore compulſi Palæſtini, & Cyprij erga corpus Sancti Hilarionis, ſanctam, & maximam altercationem inter ſe habebant, apud quoſnam illorum reſidere, ac quieſcere deberet: de qua re meminit Diuus Hieronymus in uita Hilarionis, ſic ſcribens. *Cernas vſque hodie miram inter Palæſtinos, & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis ſpiritum ſe habere certantibus, & tamen in utriſque locis magna quotidie ſigna fiunt, ſed magis in hortulo Cyprij; forſitan, quia plus illum locum dilexerit;* ſic Hieronymus, qui etiam vitam Sancti Pauli primi Eremitæ ſcribens, ſummum Diui Antonij deſiderium, quo illum videndi tenebatur, narrat: vnde longo ſuſcepto itinere illum inuiſit.

D. Hieron.

Contentio Palæſtinorũ, & Cypriorũ pro corpore Sancti Hilarionis ex D. Hieron.

Secvnda cauſſa, ob quam ad Sanctorum monumenta inuiſenda properatur, eſt honor Dei, & Sãctorum; ſicut enim Deus optimus maximus crebrioribus miraculis, continuiſque beneficijs Sãctos ſuos certis in locis honorat, ſic gratiſſimũ eſt illi, vt homines pręſertim illi, qui eorum beneficia recipiunt, honoribus, laudibus, obſequijſque eos proſequantur; qui enim ad templa Martyrum accedit, eorũ geſta glorioſiſſima recolit; carceres, verbera, paſſiones, ac mortem pro Chriſto perpeſſam contemplatur; eorum fortitudinem, atque conſtantiam admiratur; eoſque tàm in Eccleſia militanti, quàm triumphanti clariſſimos, atque illuſtriſſimos prædicat. Vnde Chryſoſt. tom. 3. ſerm. in Iuuentium, & Maximum Martyrès, ſic ſcribit. *Heri Beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat, hodie verò par Sanctorum militum in acie exercituum Chriſti oſtendit; heri quadriga Martyrum, hodie biga ſe oſtendit. Impar eſt eorum ætas, ſed par fides. Varia certamina, ſed eadem fortitudo, illi tempore ſuperiores, iſti recentiores, & cum tantus Theſaurus ſit Eccleſiæ nouas, & veteres habentis margaritas, una omnium eſt gratia eorum ſtus, neque langueſcit, neque defluit tempore. Neſcit actuſtatis rubiginem ſplendoris iſtius natura temporis accesſione; opes, quæ ad corpora ſpectant, facilè intereunt, ueſtimenta abſumuntur, domus deſtruuntur, & aurum rubigine conſumitur, & denique omnium ſenſibilium facultatum natura tempore tandem aboletur, & intercidit. At non ſic ſe res habet in ſpiritualibus theſauris, de Martyribus, inquam, qui ſemper in eodem manent uigore, ſemper in eodem iuuentutis flore ſunt, ſemper ſua gloriæ fulgorem emittunt, & radios: quod ſcientes, non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos, ſed eadem alacritate omnes. Non enim exploratis tempus, ſed requiritis animi fortitudinem, fidem, zelum feruidum, & eas uirtutes, quas præſeferunt Sancti, ob quorum honorem hodie conuenimus.* Hactenus Chryſoſtom.

Gratiſſimum eſt Deo, loca ſancta à Chriſti fidelibus uiſitari.

D. Chryſoſt.

Tertia cauſſa eſt, ad excitandam noſtram fidem erga Deum, & ad oſtendendum communem nos fidem cum Sanctis habere: hanc cauſſam tradit D. Auguſt. lib. 20. contrà Fauſtum cap. 21. *Ipſorum loſtrum admonitione maior affectus exurgit ad acuendam charitatem, & in Sanctos, quos imitari poſſimus, & in Deum, quo adiuuante poſſimus;* atque ità de Sancta Paula D. Hieron. in eius Epitaphio ſcribit, quòd proſtrata ante Crucem Domini in Monte Caluario, quaſi pendentem Dominum

Ex locorum Sanctorum viſitatiõe fides, & deuotio excitatur. ex D. Auguſtino. D. Hieron.

num

num cerneret, adorabat. Idem Hieron. aduerſus Vigilantium to. 2. epiſt. eumdem Vigilantium arguendo dicit: *Stulti omnium Eccleſiarum Populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemq́; Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina uſque Chalcedonem iungerentur Populorum examina, & in Chriſti*

D. Auguſt. *laudem una uoce reſonarent?* hæc ille. D. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. dum narrat miraculum factum ad reliquias Sancti Stephani, reſtituta ſanitate fratri, & ſorori horribili morbo laborantibus, Paulo ſcilicèt, & Palladię; hanc cauſſam tangit, dum ait. *Exultabant in Dei laudem voce ſine uerbis, tanto ſonitu quantum noſtræ aures uix ferre poſſent: quid erat in corde exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis fuſus eſt?*

D. Chryſoſt. Hæc ille; & D. Chryſoſt. plurima geſta ab Apoſtolis ea de cauſa ſcripta fuiſſe, dicit, ut ex eorum actionibus ad virtutes promptiores reddamur, ſic dicens. *Non modò enim tàm paruas Epiſtolas, & pro rebus adeò neceſſarijs oportuit ſcribi; ſed vtinam non defuiſſet, qui nobis Apoſtolorum hiſtoriam diligentiſſimè traderet, non tantùm quid ſcripſerint, quidué locuti ſint, ſed ut ſeſe per omnem uitam habuerint, quid, & quando comederint, quando ſederint, quò ierint, quid diebus ſingulis geſſerint, & in quibus partibus uixerint, quam introierint domum, quo nauigauerint, ubinam applicuerint, atque omnia diligenter exponeret; adeò illorum omnia, eximia utilitate referta ſunt. Verum quoniam ignorant plurimi, quantum hic lateat lucri, idcirco culpare contendunt: ſi enim cum loca tantùm cernimus, ubi ſederunt, ſeu uincti ſunt, loca, inquam, inanima, illuc ſæpè dirigimus animũ, uirtuteſque illorũ conſpicimus, et expergiſcimur, et promptiores euadimus, multò id profectò magis fieret, ſi verba illorũ, et reliqua geſta audire contigiſſet.*

Ex peregrinatione ad loca ſancta ſpiritualecommodum animarũ conſurgit ex D. Chryſoſt.

QVARTA cauſſa eſt, ut ex peregrinationibus preces, atque orationes fundendo Sanctis, qui eorum locorum, quę viſitantur, patroni ſunt, commodum, utilitatemque ſpiritualem reportemus: Hanc cauſſam tangit D. Chryſoſt. in fine ſermonis in Iuuentium, & Maximum, ſic ſcribens. *Idcirco ſæpè eos inuiſamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contineamus, ut inde benedictionem aliquam aſſequamur. Etenim ſicut milites vulnera, quæ in prælijs ſibi inflicta, Regi monſtrantes fidenter loquuntur; ita & illi in manibus deſecta capita geſtantes, & in medium afferentes quæque uoluerint apud Regem Cælorum impetrare poſſunt. Proinde magna fide, promptitudineque huc ueniamus, quo & viſis Sanctorum monumentis, & conſideratis eorum præmijs, inde uarios theſauros undequaque colligamus, & per præſentem uitam ita iuxta uoluntatem Dei tranſeamus, vt in patriam æternitatis cum multis mercibus ingrediamur.* Sic Chryſoſtom.

Satisfactio p peccatis.

QVINTA cauſſa, ad ſatisfaciendum pro peccatis commiſſis. Cùm enim peregrinationes laborioſæ, atque pœnales ſint, in pœnitentiam, & ſatisfactionem peccatorum rectè aſſumi poſſunt. Vnde etiam à Confeſſarijs in ſatisfactionem peccatorum iniunguntur.

Conſecutio Indulgentiarum.

SEXTA cauſa ad Indulgentias conſequendas, multæ enim inſigniotibus Sanctorum Baſilicis remiſſiones peccatorum conceſſæ ſunt.

Perſolutio votorum.

SEPTIMA cauſa, ob vota Deo facta exoluẽda; ſic fideles ad Sanctum Iacobum in Compoſtella, ad nóſtram Cathedralem Beatæ MARIÆ de Laureto, & loca ſimilia, quæ infrà enarrabimus, accedunt.

CAPVT QVARTVM.

Cur quis magis ad vnum, quàm ad alium locum ſanctum peregrinetur.

Hęretici delectum ſanctorum locorum ęgre ferunt.

MOLESTISSIMVM eſt hæreticis, Catholicos, viroſque pios delectum aliquem inter Sacras Ædes in Orbe terrarum conſtitutas habere, dum hanc potius, quàm illam adire, & viſitare deliberant; ęgreque ferunt, vnam alteri anteponi, frequentiorique populorum concurſu illuſtrari, atque

ri, atque

ri, atque magnificari. Conantur verò perſuadere, Deum vbique æqualiter operari, ſimilemque effectum omnibus in locis cauſare, & impetrationes votorum à Deo ex æquo ubicunque obtineri. Quocircà non magis ad hoc, quàm ad illud tēplum accedendum eſſe, affirmant; veniet enim tempus, inquit Ioannes cap. 4. dū Chriſtus Samaritanæ loquebatur, in quo nec in Monte hoc, neque in Hieroſolymis oportebit adorare, ſed in ſpiritu, & veritate, cùm Deus ſpiritus ſit, & tales quærat, qui adorent eum. Immò preces certo loco non alligādas eſſe, docet Chriſtus, Matthæi 6. dicens; *Tu autem cùm oraueris intrà Cubiculum tuum*; & Paul. 1. ad Thimoteum 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus*; nec enim Deus in Templis manufactis habitat, Acto. 7. ſed Cœlum, & terram implens, ut Iſaiæ 66. vbique ex æquo adorari, & inuocari poteſt: Sic Hæretici philoſophantur. Manichæi apud Auguſtinum lib. 20. cap. 3. & 4. contrà Fauſtum, Meſſaliani apud Damaſcenum lib. de centum Hæreſibus. Euſtathius apud Socratem lib. 2. hiſt. cap. 33. Petrobruſiani apud Petrum Cluniacenſem, in Epiſt. aduerſus illos ſcripta, & Guglielmum in uita Diui Bernardi lib. 3. cap. 5. Albigenſes apud Bernardum Lutzemburgenſem in Cathalogo, Vualdenſes apud Claudium Couſſordium lib. cōtrà Vualdenſes cap. 6. Vuiclephiſtæ apud Thomam Vualdenſem tom. 3. tit. 17. Taboritæ apud Æneam Siluium de origine Bohemorum, cap. 35. Anabaptiſtę, ac denique Lutherani, Puriores, Caluiniſtæ, & Magdeburgenſes in ſuis Centurijs, & præſertim, centur. 4. cap. 6. quamuis enim Caluinus admittat Templa ad concionandum, & ad Sacramenta miniſtranda, & ad communes preces fundendas; reprehendit tamen templorum ornatum, conſecrationes, uirtutem, & ſanctitatē, eaque Dei habitaculum eſſe negat, institutionum lib. 3. cap. 29. num. 30. ubi ſic ſcribit. *Cauendum eſt, ne templa, quemadmodum ſæculis aliquot haberi cæperunt, propria eſſe Dei habitacula ducamus, vndè propiùs nobis aurem admoneat*; ubi euidenter negat, priuatas preces melius in templo, quàm extrà fieri. Sed hi omnes patrem mendacij recognoſcūt, qui etiam Arrianos, atque Donatiſtas in religioſa templa commouit, ut refert D. Athanaſ. in Apologia pro Fuga ſua, Theodoret. li. 4. hiſt. cap. 19. & 20. & Optat. lib. 6. contrà Parmen. Quorum mendacia, ut rectiùs detegantur; primò ſtatuendum, & probandum eſt, in templis Deo dicatis ſanctitatem quamdam ineſſe, peculiaremque in eis Dei uirtutem Chriſtianos experiri, quam Deus extrà illa ſæpenumero non communicat. Deinde hanc uirtutem non æqualiter in omnibus templis Deum operari.

Argumenta Hæreticorū.
Ioan 4.
Matth. 6.
1. Thim. 2.
Actor. 7.
Iſa. 66.
Hæretici, qui templa, & loca ſacra non admittūt, hic enumerātur.
Confutatio p dictorum hæreticorum.
D. Athanaſ.
Theodoret.
Optatus.

SIT igitur Prima Propoſitio. Templa conſecrata ſunt loca ſancta, ueneranda, diuinaque uirtute munita. Hæc propoſitio ex ſolo ritu Eccleſiaſtico, quo templa Deo dedicantur, & conſecrantur, notiſſima eſt: Cæremoniæ enim illæ, quæ in eorum conſecratione adhibentur, ea intentione, ac ſignificatione inſtitutæ ſunt, ut loca illa non prophana, uel communia, nec actionibus ſordidis, ac vulgaribus deſtinata eſſe ſignificetur. Primò enim ſignum Crucis Chriſti pingitur, ut locus ille Chriſto dedicatus eſſe oſtendatur; immò Cruces numero duodecim fiunt, ſic diſtributæ, ut omnes templi parietes illas habeant; ſingulis autem Crucibus accenſæ candelæ adhibentur, ut oſtendatur duodecim Apoſtolos Chriſtum Crucifixū, eiuſque uexillum per uniuerſum Orbem prędicaſſe, atque euangelica doctrina illuſtraſſe. Secundò templum oleo inungitur, ut ob id denotetur, domum illam Deo dedicatam, & conſecratam eſſe: liquor enim ille nobiliſſimum etiam apud Ethnicos conſecrationis ſymbolum fuit, quo etiam ſigno à prophanis communibuſque locis diſtinguitur. Prætereà aqua benedicta aſpergitur, thus adoletur, quò ſignificetur, locum illum diuinis ſacrificijs, ac precibus, alijſque pijs functionibus, non autem ſæcularibus negocijs deputatum eſſe. Rurſus Alphabetum hæbraicè, græcè, & latinè in pauimento deſcribitur, ut denotetur, domum illam ad Verbum Dei euangelizandum, & Chriſti fidem, quæ omnis iuſtitiæ fundamentum eſt, Iudæo primum, & græco prædicandam: Deinde fit commixtio aquę, cineris, ſalis, & uini, ut homines inflammentur ad uitę reformationem, & nouitatem per uirtutum ſtudium. Poſtremò pulſatur oſtium, & iubetur Diabolus recede-

Conſecrata tēpla eſſe Dei loca peculiaria, & ueneranda.
Ritus Eccleſiæ in templorum conſecratione.
Signum Crucis.
Vnctio ſacri olei.
Aqua benedicta.
Inſenſum.
Alphabetum Græcum, Latinum, & Hæbraicum.
Commiſtio cineris, aquæ, ſalis, & uini.

re, ac

re, ac reliquiæ Sanctorum introducuntur, ut omnes cognoſcant, Dęmonem ex eo loco eijci, neque in eo habitare, & è contrà Deus, ac Sancti inuocantur, ut eo in loco habitare dignentur. Ad hęc Altare ipſum ex lapide conſtructum inungitur, ac alto, & eminenti loco ponitur, reliquiæque Sanctorum Martyrum ſub eo collocantur: Chriſtus namque, qui per altare inſinuatur, petra dicitur 1. Corinth. 10. oleoque lętitię Spiritus Sancti præ conſortibus ſuis unctus Pſal. 44. & caput totius Eccleſię conſtitutus, ad Coloſſenſes 1. atq; in ipſo uita, & gloria Sanctorum eſt abſcondita, ad Coloſſenſes 3.

Vnctio Altaris. 1. Cor. 10. Pſal. 44. Ad Col. 1. & 3

Ex his, alijſque cæremonijs, quæ in templi dedicatione adhibentur, ſatis firmũ argumentum deſumitur ad perſuadendum illi loco ſanctitatem, Deique virtutem ineſſe, ac proinde venerationem, atque diuino honore dignum eſſe. Ritus enim tẽpla conſecrandi probatiſsimus in Eccleſia fuit, vt ex Con. 5. Carthaginenſi Can. 6. Agathenſi Can. 14. ex Conc. 2. Bracharenſi Can. 6. & ex alijs decretis, quę Gratianus refert de conſecratione diſtin. 1. quod etiam Gelaſius Papa Epiſt. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ, & Aprutij cap. 6. & Felix IIII. in Epiſt. ſua decretali ante mille annos ſcripta probarunt, & Ambroſ. lib. 1. Epiſt. 5. ad Felicem; & in Epiſt. ad ſororem, quæ inter ſermones nonageſima ſecunda connumeratur. Gaudentius in tractatu de dedicatione, & D. Auguſt. in ſermone de tempore 251. vſque ad 256. D. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 30. multa miracula in dedicatione Baſilicæ diuinitus eſſe facta oſtendit, quæ profectò à Deo facta non eſſent, niſi huiuſmodi conſecratio illi grata fuiſſet.

Ritus conſecrandi Eccleſias apud Chriſtianos fuit ſẽper probatiſſimus. Conc. Car 5. Agathen. Bracharen. 2. Gratianus. Gelaſius. Felix IIII. Ambroſ. Gaudent. Auguſt. Gregor.

VERVM, vt Hæreticorum ora compeſcamus, alijs medijs propoſitionem præmiſſam confirmemus.

ET Primò ex Scriptura, in qua quod Deo dicatur, & offertur, ſanctum dicitur: ita Leuitici vltimo. *Animal, quod immolari poteſt Domino, ſi quis uouerit ſanctum erit*, & infrà. *Quicquid ſemel fuerit conſecratum Domino, Sanctum Sanctorum erit*, & Matthæi 23. templum lapideum auro templi præponitur, ob relationem ſanctitatis ad Deum; quamuis ipſum aurum ex ſe, & nobilius, & præcioſius ſit ipſis lapidibus; dicitur tamen à Domino ſanctitatem à templo recipere; *Veh vobis*, inquit, *duces cæci, qui dicitis, quicumque iurauerit per templum nihil eſt, qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti, & cæci; quid enim maius eſt, aurũ, an templũ, quod ſanctificat aurum?* Adde, ꝙ ſi templum ſanctificat aurum, multò magis hominem ſanctificabit.

Concluſio ſupra poſita ex ſcripturis probatur. Leuit. vlt. Matth. 23.

SECVNDO, idem oſtenditur ex benedictione Epiſcopali, multiſque precibus, quę in eius conſecratione adhibentur: & ſi menſa ſimplici benedictione ſanctificatur per verbum Dei. *Nihil enim*, inquit Paulus 1. Thimot. 4. *abijciendum eſt, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per uerbum Dei, & orationem*; quomodo parietes Baſilicarum non ſanctificabuntur, cùm per perſonas Deo ſacratas publicis orationibus, ſummique Sacerdotis benedictione conſecrantur? Adde, quòd Salomon ſuis precibus templum Deo ſanctificauit 3. Regum 9. *Exaudiui*, inquit, *Dominus, orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti.* Cur ergo Eccleſia Chriſti in eius nomine templa ſanctificare non poterit? numquid preces Salomonis magis efficaces erunt quàm Eccleſiæ?

Probatur idẽ ex Epiſcopali Benedictione 1. Thim. 4. 3. Reg. 9.

TERTIO auctoritate D. Auguſtini tom. 7. lib. 4. contrà Creſconium Grammaticum cap. 40. *In Muſticana poſitus Ciuitate* (loquitur de Feliciano) *Deo omnipotenti parietes conſecratos, Eccleſiam uenerandam, quaſi quadam obſeſſione credidit retinendã.*

Probatur idẽ ex D. Auguſt.

QVARTO, multa ſunt in templo, quæ ei ſanctitatem, ac diuinam virtutem tribuunt. In primis præſentia corporis Domini Noſtri IESV Chriſti in Euchariſtia, quam etiam Angeli uidentes, propter emicantem inde ſplendorem, horreſcunt, & admirantur, ut inquit Chryſoſtomus homil. 60. & 61. ad populum Antiochenum. Secundò, corpora, & reliquiæ Sanctorum, qui in Cœlis beati ſunt. Tertiò, materia benedicta Sacramentorum, ut Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ Vnctionis, aqua benedicta, & ſimilia. Quartò, Imagines Chriſti, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum.

Idem probatur ex rebus ſanctiſſimis, ꝗ in tẽplis Chriſtianis aſſeruantur. D. Chryſoſt.

QVINTO,

QVINTO, Beatorum Angelorum præſentia, quæ frequentiſſima eſt in ſacris locis; ut docet D. Chryſoſt. homil. 1. ſuper verba illa Eſaiæ: *Vidi Dominum ſedentem in throno excelſo*, ferè in principio, tom. 1. *Non cogitas*, inquit, *quòd Angeli huic ſtupendæ aſſiſtunt menſæ* (de altari loquitur) *quanta reuerentia hanc circumuallāt*; & homil. 36. in primam ad Corint. verſus finem, *Eccleſia*, inquit, *locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Cæli, Cælum ipſum eſt*: Vnde in Templo Salomonis, ut narrat Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. paulò ante eius euerſionem huiuſmodi voces Angelorum auditæ fuerunt; *Migremus hinc*, quibus ſignificabant, ſe locum illum Deo ſic iubente deſerere. Vndè de Eccleſijs uerè dici poteſt, quod Exod. 3. dicitur, *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*.

- Angeli ſunt peculiariter in Templis.
- D. Chryſoſt.
- Ioſephus.
- Exod. 3.

SEXTO, quoniam Deus ipſe ſingulari quadam virtute, adiutorio, & protectione in Eccleſijs adeſt, ut cap. 3. ſecundi Machab. legitur. In loco illo eſt uerè Dei uirtus quædam; nam ipſe, qui habitat in Cœlis, uiſitator, & adiutor eſt loci illius; cuius rei indicium eſt, quod Exodi vltimo legitur: Cùm enim dedicatum eſſet Deo tabernaculum à Moyſe, ſtatim caligo, ſeu nubes quædam gloriæ Domini tabernaculum texit, & 3. Regum 8. dedicato templo à Salomone, nebula gloriæ impleuit domum Domini & 2. Paralip. 6. Dominus pollicitus eſt, ut habitaret in caligine. *Ego autem ædificaui domum nomini eius, ut habitares ibi in perpetuum*, & cap. 7. *Cum compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de Cælo, & deuorauit holocauſta, & victimas, & maieſtas Domini impleuit domum, nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini; eo quod impleſſet maieſtas Domini templum Domini, ſed & omnes filij Iſrael uidebant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper Domum, & currentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum lapide adorauerunt, & laudauerunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*. D. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 30. in Eccleſia conſecrata ſuo tempore ſimile quid accidiſſe, ſcribit, *In magna*, inquit, *ſerenitate aeris, ſuper altare Eccleſiæ nubes cælitùs deſcendit, ſuoque illud uelamine operuit, omnemq; Eccleſiam tanto terrore, ac ſuauitatis odore repleuit, ut patentibus ianuis, nullus illuc præſumeret intrare*: & D. Chryſoſt. loco citato inquit, *Non cogitas, ipſum hic inuiſibiliter adeſſe Dominum*, (de Eccleſia loquitur) *qui uniuſcuiuſque motum metitur, & conſcientiæ rationem habet*.

- Deus peculiari ratione eſt in ſacris Templis.
- 2. Machab. 3.
- Exod. vlt.
- 3. Reg. 8.
- 2. Paralip. 6.
- Ex D. Greg. inſigne miraculum in templo Chriſtianorum ſicut fuit in tẽplo Salomonis.
- D. Chryſoſt.

SEPTIMO, quoniam templa Deo dicata ſunt verè Dei habitaculum, non quòd Deus, ut Hæretici cauillantur, in templis includatur, uel quaſi certo loco comprehendatur, ita ut alibi à pijs viris inueniri non poſſit, ſicut mendax Caluinus falsò catholicis impingit; ſi enim Deus in Templis manufactis non habitat, ut rectè Actorum ſeptimo, Stephanus dixit; nec Deus indiget templo, ſicut homo indiget domo ſua, ut rectè Paulus apud Athenienſes Actorum 17. expoſuit; ſed quòd in templis præcipuè conſecratis peculiari quadam ſua præſentia, uirtute, ac protectione, gratijſque ergà Chriſtianos illic orantes preſto ſit; Sic Salomon 3. Reg. 8. à Spirituſancto edoctus dixit in ipſa dedicatione templi, *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc diè, ac noctè: ſuper domum, de qua dixiſti; erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſeruus tuus; ut exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael, quotcumque orauerint in loco iſto, tu exaudies in loco habitaculi tui in Cælo*. Vnde ipſemet Chriſtus Lucæ 19. templum domum ſuam appellat, *Domus mea domus orationis uocabitur*: & Matth. 13. inquit, *Qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in illo*; ideſt in Deo. An non Deus elegit Syon in habitationem ſibi? ut in Pſal. 131. dixit Dauid, & in alio Pſal. *Dilexi decorem Domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ*. Eſt ne mẽtitus Salomon, uel blaſphemauit, cùm dixit 4. Reg. 8: *Aedificans ædificaui domum in tabernaculum tuum?* num Dauid mendacium dixit, canens Pſal. 73. *Mons Syon, in quo inhabitaſti in eo*; & 77. *Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum ſuum ubi habitauit cum hominibus?* in his enim duobus locis, primùm in Sylo uſque ad Samuelem, deinde in Syon per Dauidem Arca teſtamenti collocata hæſit, per quam Arcam, ut inquit D. Auguſt. ad Simpl. lib. 2. q. 4. ſacratior, & commendatior quædam præſentia Domini accipi poteſt.

- Qua ratione Templa, & loca ſacra verè ſint Dei habitacula contrà Caluinum.
- Acto. 7. & 17.
- 3. Reg. 8.
- Luc. 19.
- Matth. 13.
- Pſal. 131.
- 4. Reg. 8.
- Pſal. 73. & 77.
- D. Auguſt.

OCTAVO, & vltimò, templa ſancta eſſe probatur, eo quòd Dæmoni ſint interdicta;

- Templa ſacra ſunt interdi-

[Margin: cta malignis ſpiritibus, & dæmonibus. D.Gregor.]

dicta; ſicut enim gentilium delubra prophana, & polluta eſſe verè dicuntur, quia Dæmonum obſeſſa præſtigijs, & quaſi preſentia ſint domicilia, ut uidere eſt apud D.Greg.lib.3.dialog.cap.7.ſic è contra Chriſtianorum templa ſancta ſunt, quòd procul ab his ſint Dæmones. Vnde eodem lib.3.cap.30. narrat idem Pater, poſtquam conſecratum fuiſſet templum, quod anteà Arrianorum fuerat, Diabolum inuſitato quodam fragore ſtrepentem manifeſtè inde erupiſſe. Quemadmodum autem Regum palatia Aſyla ſunt, & à ſatellitum vexationibus libera; ſic etiam Eccleſiæ à Dæmonum incurſionibus, non enim permittuntur illi in eiſdem tentare, debaccharique eo modo, quo alibi.

[Margin: Orationes factæ in Eccleſia ſunt Deo gratiores, & homini vtiliores.]

Secvnda Propoſitio, orõnes ét priuatæ factæ in Eccleſia magis Deo gratę sũt, & magis utiles, ac ſalutares hoĩbus, q̃ illæ, quæ domi, uel in agro, uel alibi fiunt.

[Margin: Quinque ſacrarum Ædiũ nomina.]

Ante quam hanc propoſitionem probemus, notandum eſt, ſacras ædes quinq; nominibus appellari, ob quinque fines, propter quos eriguntur. Primò dicuntur Eccleſiæ; eo quòd Populus ad Sacramenta, & Dei verbum percipiendum eò conueniat. Secundò dicuntur Baſilicæ, eo quòd iura inde diuina à Domino Deo, & ipſius interpretibus Sacerdotibus reddantur, & accipiantur. Tertiò, memoriæ, confeſſiones, ſeù martyria, quòd in illis Martyrum reliquiæ honorificè conſeruentur. Quartò, dicuntur templa ob ſacrificium, quod in eis Deo offertur, & ſacrificatur. Quintò, & vltimo dicuntur oratoria, ex eo quòd ad orandum pręcipuè

[Margin: Templa peculiariter ad orandum inſtituta.]

inſtituta ſunt. Et quamuis hæc quinq; à nobis diffusè probari poſſent, tamen ſolum hanc vltimam partem proſequemur, cùm ea ad rem noſtram maximè faciat; reliqua apud illos, qui controuerſias tractant, legenda ſunt.

[Margin: Hæreſis Caluini in hac materia.]

Caluinus, ut dictum eſt, æquè gratam Deo, æquè vtilem, ac ſalutarem docebat eſſe orationem in cubiculo factam, atque illam, quæ in templis Deo dicatis, & in oratorijs fit, ſic ſcribit in libro 3.inſtit.nu.36. *Cauendum eſt, ne ſecretam neſcio quam templis affingamus ſanctitatem, quæ ſacratiorem apud Deum orationem reddat; vera enim Dei templa cùm ſimus ipſi, in nobis oremus oportet, ſi in templo ſancto ſuo Deum uolumus inuocare; illam uerò craſsitiem Iudæis, aut gentibus relinquamus, qui præceptum habemus de inuocando citrà loci diſcretionem in ſpiritu, & ueritate Dominum.* Hæc Caluinus. Sic etiam Meſſaliani apud Damaſcenum dicebant, viros ſpirituales contentos eſſe debere precibus, quas in ſacellis, & oratorijs priuatis explerent; quæ vox fuit quoque ſchiſ-

[Margin: Ioſephus.]

matici Ieroboam, cùm peccare fecit Iſrael, vt Ioſephus lib.8. antiquit.Iud.cap.3. commemorat. *Viri*, inquit, *populares, notum vobis exiſtimo, quòd nullus locus Deo eſt vacuus, & quòd is nullo certo loco includitur, ſed vbique nos exaudit, ubique cultores ſuos reſpicit.* Hæc ille. Sed iam probemus, templa etiam ad priuatam orationem fundendam inſtituta eſſe; deindè vtiliùs in illis orari demonſtrabimus.

[Margin: Templa ad priuatas orationes fundendas etiã inſtituta. 3.Reg 8. 2.Paral.6.]

Et primò Sacrarum Scripturarum teſtimonijs agamus 3.Reg.8.& 2.Paralip.6.expreſſis verbis dicitur, templum ad orationes populares faciendas, & exaudiẽdas dedicatum eſſe: ſic legitur in libro Paralip.loco citato, nam verba libri Regũ paulò ante adduximus. *Ergò ne credibile eſt, vt habitet Deus cùm hominibus ſuper terram? cælum, & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus iſta, quam ædificaui, ſed ad hoc tantum facta eſt, ut reſpicias orationem ſerui tui; & obſecrationem eius Domine Deus meus, & audias preces, quas fudit famulus tuus coram te; vt aperias oculos tuos ſuper domum iſtam diebus, ac noctibus, ſuper locum, in quo pollicitus es, ut inuocaretur nomen tuum, & exaudires orationem, quam ſeruus tuus orat in eo, & exaudias preces famuli tui, & populi tui Iſrael, quicumque orauerit in loco iſto, exaudi de habitaculo tuo, id eſt de cælis, & propitiare.* Non igitur orare potiùs in templo, quàm alibi ſuperſtitio,

[Margin: 3 Reg.9. Iſa.56. Matth.21. Mar.11. Luc.19. Pſal.67. 1.Reg.1. 2.Reg.7. Daniel.6.]

vel uanitas eſt; cùm etiam Deus 3.Reg.9.apparuerit Salomoni, & omnia illa, quę ab eo petita ſunt, approbauerit. Prætereà Eſaiæ 56.dicitur, *Domus mea Domus orationis vocabitur cunctis populis*, quod etiam Matth.21. Mar.11.& Lucæ 19.Dominus repetijt, & Dauid Pſal. 67. *In Eccleſijs benedicam te Domine*: Sic Anna 1.Reg.1.dum priuatam orationem Deo fundere vellet, ad Tabernaculum, in quo erat arca accedit, & ibi orans exaudita eſt; quod etiam Dauid feciſſe legitur 2.Reg.7. Daniel quoque, ut in eius cap.6.legitur, aperta feneſtra, ad eam partem, quæ tem-

plum

plum reſpiciebat, conuerſus orabat, dum in Babylonica captiuitate detineretur;
quod etiam Anna filia Panuelis, Lucæ 2. legitur feciſſe; Publicanus, Lucæ 18. Pe- Luc. 2.
trus, & Ioannes Actorum 3. & Eunuchus Reginę Æthiopum, Actorum 9. Immò Actor. 3. Actor. 9.
& MARIA mater Domini cum vndecim Apoſtolis perſeuerans in oratione in cæ
naculo, in quo diuina Myſteria peracta fuerant Act. 1. Adde quòd ipſimet Apo- Actor. 1.
ſtoli, cum adhuc Chriſtiani propria templa non haberent, ipſum Iudaicum tem-
plum orationis cauſſa adibant, ut ex loco citato Actorum 3. euidentiſſimè co- Actor. 3.
gnoſcitur. Quocircà rectè D. Auguſt. adnotauit in lib. 3. de doct. Chriſtiana, cap. D. Auguſt.
6. quòd tàm Apoſtoli, quàm alij primi credentes in templo veteri Deo ſeruiebāt.
D. quoque Iacobum Apoſtolum Fratrem Domini, & Epiſcopum Hieroſolymita
num multis annis poſt Chriſti aſcenſionem in Templo Iudaico aſſiduis oratio-
nibus Deum coluiſſe teſtantur Euſebius lib. 2. cap. 22. & Hierony. in Cathalogo Euſeb.
de ſcript. eccleſiaſticis: huic vni conceſſum erat Sancta Sanctorum ingredi, cui e- D. Hieron.
tiam aſſiduitas orādi ita callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imi-
taretur: exemplum quoq; D. Iohannis prætereundum non eſt, qui in vltima etiā
ſenectute per diſcipulorum manus in Eccleſiam, in qua aſſiduè orabat, deferri ſo-
lebat, ut Hierony. in catal. Virorum Illuſt. ſcribit.

VERVM hoc Patrum teſtimonijs confirmare non erit difficile. Phylo Iudęus a- Patrum teſtimonia.
pud Euſebium Cæſarienſem lib. 2. Hiſtor. cap. 16. narrat, primos Chriſtianos ha-
buiſſe in ſingulis locis loca aliqua orationi conſecrata, quæ nos Eccleſias, ſeu tem Phylo Iudæus.
pla appellamus. *Eſt autem*, inquit, *in ſingulis locis conſecrata orationi Domus, quæ* Euſeb.
σεμνεῖον. i. auguſtum templum, vel μοναστήριον dicitur, μοναστήριον autem in noſtra lingua
ſignificare poteſt, ſolitarius, ſeparatuſque locus, in quo ſecedentes, honeſtæ, & caſtæ vitæ
myſteria celebrant. Hæc Euſebius Phylonem ſcripſiſſe narrat. Fuit autem hic Phy-
lo tempore Beati Petri, quem Romæ vidit tempore Claudij Imperatoris.

ORIGENES Homil. 2. in Exod. ſic ſcribit, exponens illa verba: Exod. 1. *Quia ti-* Origenes.
muerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis Domos, ait, *Secundùm Scripturas noui, ac ve-* Exod. 1.
teris teſtamenti, timorem Dei docentes, domos Eccleſiæ faciunt, & vniuerſum Orbem Ter
ræ orationum domibus; ideſt Eccleſiis replent.

DIVVS Chryſoſt. homil. 3. contrà Anomæos tom. 5. prope finem, *Sed ò frigidā* D. Chryſoſt.
excuſationem, inquit, *quam à compluribus reddi audio, orare vel domi poſſumus, dicunt,*
ſed homiliam, doctrinamque audire non niſi in Eccleſia poſſumus, te homo decipis, ac ma-
gno in errore verſaris; nam ſi & domi quoque datur orandi facultas; tamen fieri non po-
teſt, vt domi tàm bene ores, quàm in Eccleſia, vbi tot Patres, vbi clamor felici ſocietate ex
citus ad Deum immortalem refertur, non pariter exoras, cum ſolus Dominum obſecras,
atque tuis cum fratribus; eſt enim in hoc plus aliquid, videlicèt, concordia, conſpiratio, co-
pula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores; præſunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut
populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexa ſimul in Cælum eue
hantur. Hæc ille; & in homil. 79. ad Populum Antiochenum idem refert; *Vis*, in-
quit, *diſcere quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? &c.* Et infrà, *& domi qui-*
dem orari poteſt, ſic autem vt in Eccleſia non poteſt, &c.

DIVVS Baſilius ſerm. 2. vel lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. homil. 3. pulchrè idem do
cet, cum enim demonſtraſſet hæbręis quędam loca diuinis obſequijs dedicata fuiſ D. Baſilius.
ſe, ſubiungit. *Nobis quoque periculum eſt malè obiti mandati, ſi loci rationem neglexeri-*
mus, maximè ſi Sacerdotij myſteria in locis prophanis celebrauerimus; propterea quòd ea
res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro va-
rietate affectionum multipharium, propter variam multorū in rerum diuinarum ſcien-
tia infirmitatem, ſi verò quiſque obijciat: quid igitur eſt, quòd Apoſtolus dixit; volo viros
precari in omni loco, ob id, quod Dominus ipſe poteſtatem dedit, adorandi Deum in omni
loco, vbi dixit, neque Hieroſolymis poſthac, neque in monte iſto adorabitur pater, &c. Hoc
dicendum eſt, quòd illud, in omni loco, non comprehendit eos locos, qui humanis vſibus, re-
buſque immūdis, & prophanis deputati ſunt, ſed dilatat, ac deducit adorationem ab arcto
Hieroſolyma ambitu in omnem totius Orbis locum; eum videlicèt, qui iuxtà ſacrificij do-
ctrinam, & rationem accuratè Deo conſecratur, ad Sacerdotium glorioſi myſterij obeun-

dum; Sic Baſilius. Vides hic quantopere locus ad orandum conferat. Lege eumdem Baſilium in quęſt. fuſè explicatis, quęſt. 40, vbi affirmat, ad Eccleſias non ob negocia peragenda, ſed ad orandum accedendum eſſe.

D. Ambroſ.

DIVVS Ambroſius, in orõne de tradendis Baſilicis, ſcribit, ſe Martyrũ Baſilicas orationis cauſa ferè quotidie frequentaſſe, quod ẽt D. Hiero. de Marcella ſcribit, in eius epitaphio. *Apoſtolorũ*, inquit, *et Martyrũ Baſilicas ſetreus celebrat orationibus*,

D. Hieron.

DIVVS Hieronymus etiam tom. 4. ſuper Ezechielem cap. 4. ſtudium ſuum ſcribit in uiſitandis cryptis, & ſepulchris Martyrum, dùm puer Romę eſſet, idque ſingulis Dominicis diebus deuotionis, & orationis cauſa, *Dum eſſem*, inquit, *Romæ puer & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis, & propoſiti diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circumire, crebroque criptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium per parietes habẽt corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur, Deſcendant in infernum viuentes; & raro deſuper lumen admiſſum, horrorem temporis tenebrarum, ut non tàm feneſtra, quàm foramen dimiſſi luminis putes, rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror vbique animos ſimul ipſa ſilentia terrent.

Ruffinus.

RVFFINVS lib. 2. hiſtor. cap. 33. de Theodoſio idem ſcripſit, ſcilicèt circuiſſe omnia orationum loca.

D. Auguſt.

D. AVGVSTINVS lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. multa de hac re ſcribit, & pręcipuè narrat, ꝙ ipſe cum Epiſcopo Syniſtenſis Eccleſiæ ſuo collega, locum orõnis fecerit, ubi ẽt Chriſtiani poſſent ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari, ad quẽ locũ ſãctũ, poſtquã paraliticus allatus orauit, inde cõtinuò pedibus ſuis ſanus abſceſſit.

Rationes probantes ſuprà poſitam concluſionem.

QVOD ſi hoc idem rationibus confirmandum eſſet, illa potiſſimum ſatis eſſe deberet, quæ ex nomine ipſius Eccleſiæ peti poſſet. A Gręcis enim ἐκκλησίαι, & à latinis Oratoria uocantur: hoc argumento utitur D. Auguſt. Epiſt. 109. dicens, *In Oratorio nemo aliud agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit*. Adde, ut rectè Baſilius loco citato ait, quòd orationi, quæ eſt res nobiliſſima, aptiſſimus eſt locus ſacer, cùm ipſe quoque ſit nobiliſſimus; ibi enim pręter Dei, qui ubique eſt, aſſiſtentiam, eſt realis, & corporalis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; ibi & non alibi reperiuntur altaria, reliquiæ, imagines, ac Cruces, aliaque ſacra, quæ orantem ad pietatem, & deuotionem uehementer mouent.

D. Auguſt.
D. Baſil.

Cur oratio facta in Eccleſia plus apud Deum valeat.

Ex his colligitur, ob tres cauſſas pręcipuè orationes in templo factas plus apud Deum valere, quàm priuatim domi. Prima eſt ob cõiunctas plurium fratrum orationes, quæ Petrum à vinculis Actorum 12. liberarunt. Vnde Paulus Corinthios rogauit 2. Corint. 1. vt pro eo ſimul, & communiter orarent, de qua communi oratione loquitur Tertul. in apolog. cap. 29. ſic ſcribens, *Coimus in cætum, & aggregationem, ut ad Deum quaſi manu facta ambiamus orantes, hæc uis Deo grata eſt*: & Sanctus Leo in ſerm. 4. de ieiunio ſeptimi menſis. *Tunc*, inquit, *eſt efficacior, ſanctiorq́; deuotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus eſt animus, & unus eſt ſenſus*.

Actor. 12.
2. Cor. 1.
Tertull.
D. Leo.

Petrus Cluniacen.

Secunda eſt propter Sacroſanctę Euchariſtiæ præſentiam; ſic Petrus Cluniacenſis Abbas doctiſſimus ſcripſit contrà Henricianos; *Multo enim*, inquit, *vehementiùs ad admirandum, atque amandum Chriſtum accendit eius demonſtrata præſentia, quàm prædicata abſentia*, de qua re D. Chryſoſt. in homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura, uerſus finem, loquens de tempore oblationis ſacrificij, & conſecratione Corporis Chriſti inquit, *Tempore illo, mi frater chariſſime, non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt; ſed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant; habent ſibi tempus idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauorem; itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere Reges conſueuerunt, eóq; arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem; ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis, corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant; pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, ut pro eorum ſalute mortem obires, animam in Cruce efflares; pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus immolaſti*. Hactenus Chryſoſt. qui in lib. 3. de Sacerdotio ferè

D. Chryſoſt.

in principio, iterum dicit: *Dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem, preces fundentem, totam verò turbam circumfuſam precioſo illo ſanguine intingi, ac rubeſieri, etiam ne in terra uerſari, atque inter mortales conſiſtere te cenſes? an non potius è veſtigio in Cœlos transferris? an non carnis cogitationes omnes abijciens, nudo animo, mente pura circumſpicis, quæ in Cœlo ſunt?*

Tertia cauſſa eſt Sancti Leonis Magni, loco citato, quòd publicę orationes in Eccleſia plus ualent, quoniam ex obedientia, & præcepto Eccleſiæ fiunt, quàm illæ, quæ domi priuatè habentur, ſic dicens. *Diuinarum reuerentia ſanctionum inter qualibet ſpontaneæ obſeruantiæ ſtudia habet ſemper priuilegium ſuum, ut ſacratius ſit quod publica lege celebratur, quàm quod priuata inſtitutione tenetur*; Hinc eſt quòd orationes fuſæ in Templo citiùs à Deo exaudiuntur; ſic Deus Salomoni pollicitus eſt in erectione templi 3.Reg.9. quod etiam petit Eccleſia, dum noua dedicat templa, ſcilicèt ut eo in loco Deus aures aperiat, & deprecantium uoces benignè exaudiat: quas Eccleſię preces Deum exaudire dubium non eſt, cum preces ſimiles Salomonis exaudiuerit.

D.Leo Magnus.

3.Reg.9.

Tertia Propoſitio. Deus in ſuis templis non æqualiter uirtutem ſuam operatur; explico propoſitionem. Deus arcano quodam ſuo conſilio, incomprehenſibilique ſua uoluntate in aliquibus locis etiam ſacris aliqua miracula facit, quæ in alijs locis ſacris non operatur; beneplacitumque eſt illi, uota hominum magis in vno, quàm in alio templo exaudire. Doctrina eſt D. Auguſt. in Epiſt. 137. ad Clerum, & populum Hipponenſem, cuius uerba hic repetere neceſſarium eſt: *Vbique quidem Deus eſt*, inquit, *& nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu, & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet, & coronet; Verumtamen ad iſta, quæ hominibus uiſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? multis enim eſt notiſſima ſanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt.* Et paulò poſt, *Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum uenerat, ut falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere; numquid non & Aphrica Sanctorum Martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri.* Hactenus Auguſt. Vides uno in loco Deum mirabiliter, & terribiliter operari, non item in alio, etiam ſi Sanctorum Martyrum reliquijs magis refertus ſit.

Deus magis in uno loco, quàm in alio preces exaudit; & miracula operatur.

D.Auguſt.

Et quamuis tota huius inæqualitatis ratio ad Dei incomprehenſibilem uoluntatem referenda ſit; Quis enim conſiliarius eius fuit, aut ſcrutator cogitationum Dei? nonnullas tamen rationes adducemus, quibus Deum, & in Sanctis ſuis, & in templis magis in uno, quàm alio hominibus ſe mirabilem, munificentiorem, atque clementiorem oſtendat.

Prima eſt D. Auguſt. qui eodem in loco ſic ait; *Sicut enim quod Apoſtolus dicit 1. Corinth. 12 non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum, ità nec in omnibus memorijs Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria unicuique prout vult.* Hæc ille. En optima, & acutiſſima eſt ratio Auguſ. ſicut enim non omnes Sancti dona curationum habent, ità nec omnia templa eamdem Dei virtutem, & operationem, placuit enim Deo huic templo, uel Sancto ſingularem quamdam ſuæ gratiæ uirtutem, & non illi attribuere.

Cur Deus ſe magis mirabilem, & miſericordem in uno, quàm in alio loco demonſtret.

D. Auguſt.

1. Cor. 12.

Secunda, quoniam ex hac inæqualitate operationum diuinarum maior auctoritas Chriſtianæ religionis, tàm apud fideles, quàm apud infideles exurgit; præſertim circà ea, quæ ad Chriſtum totius Eccleſiæ caput, & ad veneranda Sacramenta ſpectant, & eſt ratio Caniſij li.5.cap.24. ſui Marialis, ex hoc enim quoque accidit, ut Deus per Sacramentum Euchariſtiæ aliqua mirabilia operetur, quæ non facit per Sacramentum extremæ unctionis, uel matrimonij, licèt poſſet, ſi uellet.

Caniſius.

Tertia, eadem, ac diuerſa operandi ratione Sanctorum virtus, & gloria magnopere toto Orbe percrebreſcit; cùm enim ad inuocationem Sanctorum, etiam ſi ſæpè loca illorum reliquijs careant, Deus mirabilia manifeſta quadam virtutis

 ſuæ ſi-

ſuæ ſignificatione omnibus edat & prodat, atque in huiuſmodi locis preces cle-
menter exaudiat, omnes etiam, qui in remotiſſimis partibus morantur, glorioſiſſi-
mum Deum cognoſcunt in Sanctis ſuis; ſicut etiam in naturalibus accidit, quòd
Balnea illa, quæ efficaciorem uirtutem habent, ſiuè aquæ & fontes, quæ peculia-
rem uim obtinent, ſama, atque hominum opinione illuſtriores ſunt, magisve in
præcio habentur; ſic etiam templis, ac locis ſanctis pro diuerſa, magiſque vel mi-
nus uberi diuinæ uirtutis largitate idem contingit.

QVARTA, quoniam dum Deus in quibuſdam Sanctis, uel locis ſacris magis, &
frequentiùs operatur, ingentior concurſus fidelium excitatur; & ex eo maior, &
communior charitas Chriſti fidelium, Deum ſubinde excitans adhuc, vt libera-
lior fiat; ex quo relucet quantopere ſit Deo grata orthodoxorum ſocietas in
eumdem locum piè coeuntium, atque communis oratio, qua ſeſe fideles eo in lo-
co mutuò iuuant.

QVINTA, quoniam pro diuerſitate regionum, & uniuſcuiuſque populi indigen-
tia ſpirituali placet Domino hoc, uel illo tempore, hic & non ibi, coram imagine
huius, & non alterius Sancti virtutes ſuas operari. Hinc ſequitur, rectè orthodo-
xos delectum ſacrorum locorum habere in peregrinationibus, nec irridendos eſ-
ſe, qui potius Lauretanam Ædem petunt, quàm alium locum ſacrum; cum enim
NOTA. ibi Deus magis, & efficacius ſua munera liberaliter largiatur, ut toto Orbi notiſſi-
mum eſt, huic rei contradicere, uel Dei offerentis munera non ſuſcipere, inſani,
uel certè ingrati animi eſſet. An non in omni Regno, uel Prouincia loca quædam
pęculiaria ſunt, quę pręrogatiuas aliquas habent, in quibus Rex uel uirtutem, uel
benignitatem, uel iuſtitiam, uel etiam uoluptatem animi ſui oſtendat? Cur Ethni
ci ad Templum Hieroſolymitanum quotannis properabant, ſicut Ioan. 12. & A-
Ioan. 12. ctor. 8. legitur, niſi quoniam illic peculiarem Dei uirtutem experiebantur? Sed
Actor. 8. iam argumentis Hęreticorum ſatisfaciendum eſt.

Responſiones ad argumēta hæreticorum AD primum ex Ioan. 4. pręter ſolutionem Diui Baſilij, quam ſuprà attulimus,
dicimus, Chriſtum ibidem non locum adorandi, ſed modum adorationis, qui in
lege noua euangelica ſeruandus erat, ſignificare; voluiſſeq; illis uerbis docere, cul
tum Iudaicum, & gentium ceſſaturum, & nouum euangelicum non vnico aliquo
loco coarctatum, ſed in totum Orbem dilatatum atque diffuſum ſuperuenturum.
Vnde neque adorandum eſſe ait, in monte Garizim, ideſt ritu Samaritanorum,
quo utebantur illi in eo monte adorantes; neque in Hieruſalem, hoc eſt ritu Iudai
co, in ſuo itidem templo, ſed in ſpiritu, & veritate; ideſt nouo ritu perfectiori, qui
non in corporalibus, & externis ſolum cęremonijs, vel umbris, & figuris ſed pręci
puè in interna, & ſpirituali Dei cognitione, & dilectione conſiſtit, atque in diſtin
cta adoratione trium diuinarum perſonarum, quod nec Iudęus, nec Samaritanus
fecit, ut optimè notauit Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 91. ponderans illud verbum,
D Cyril. *Adorabitis Patrem.* Lege Euthymium, D. Thomam, Caietanum, & Cardinalem
Euthym. Toletum in hunc locum Ioan. Nec Dominus illis verbis intelligere uoluit, tem-
D. Thom. pore nouæ legis, uel in Hieruſalem, uel in monte Garizim neminem Deum ado-
Caiet. raturum, cum legamus, Petrum & Ioannem, Actor. 3. poſt acceptum Spiritum
Toletus. ſanctum aſcendiſſe in Templum Hieroſolymitanum, ut orarent; de ritu igitur, nō
Actor. 3. de loco uerba Chriſti accipienda ſunt, quemadmodum etiam uerba Malachiæ 1.
Malac. 1. *Non eſt*, inquit, *mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſci-
piet de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gen
tibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum
eſt nomen meum in gentibus.*

AD locum Matthęi dicimus, Dominum ibi pręcipere, ne oremus, ſicut Phariſęi
faciebant, ideſt ob inanem gloriam; illi enim in angulis platearum orabant, ut ab
hominibus viderentur; in cubiculo igitur, ideſt abſque inanis glorię intentione
orandum eſt, & qui ſic orat, ſiuè in ſoro, ſiuè in Eccleſia, ſiuè in uijs oret, in cubicu
lo orat; & è contrà qui in cubiculo cum appetitu inanis glorię orat, extrà cubicu-
D. Chryſoſt. lum orat, ut egregiè D. Io. Chryſoſt. in hunc locum dicit. Quidam per cubiculū,

ſecretum

ſecretum cordis interpretantur, diſtractioneſque, & peregrinationes mentis uolunt à Domino tempore orationis prohibitas eſſe, ſic Ambroſ. lib. 1. de Cain cap. 9. Hieronymus in cap. 6. Matth. & Auguſt. lib. 2. cap. 6. de ſermone Domini in Monte.

D. Ambroſ.
D. Hieron.
D. Auguſt.

Ad tertium ex Paulo ad Timotheum, dico quòd ſenſus uerborum Pauli eſt, ſacrificium, & orationem publicam tempore legis Euangelicę non uni loco, ut Iudęi; ſed in pluribus Eccleſijs per Orbem erectis habendam eſſe; de his enim publicis orationibus, quas ſuperiùs Paulus obſeruationes, orationes, interpellationes, poſtulationes, & gratiarum actiones appellauerat, & pręſertim de his, quę in officio Miſſę recitantur, loquitur, ut D. Auguſt. in Epiſt. 59. ad Paulinum q. 5. cęteriq; Gręci expoſitores tradunt; uerba Auguſt. ſunt hęc: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Eccleſia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum cõminuitur, quam totam petitionem, ferè omnis Eccleſia Dominica oratione concludit*, & paulo poſt. *Porrò ſi vſitatius, ut dixi, in ſcripturis votum appellatur εὐχὴ, excepto nomine generali orationis, ea propriè intelligenda eſt oratio, quam facimus ad uotum, ideſt προσευχήν; Vouentur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè ſancti Altaris oblatio*. Et infrà, cùm multa alia in hac ſententiam dixiſſet, ſubnectit; *Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apoſt.* Hęc ille. Tertull. antiquiſſimus Auctor in lib. de oratione cap. 14. ſacrificium Chriſtianorum orationem appellans, ſic ſcribit. *Quæ oratio cum diuortio ſancti oſculi integra? quem Domino officium facientem impediat pax? quale ſacrificium, à quo ſine pace receditur?* D. Baſilius ſerm. 2. de Baptiſ. cap. 8. cuius uerba ſuperius adduximus, hæc uerba Pauli ſimiliter interpretatur, ut orationis, ideſt ſacrificij locus Chriſtianorum non Hieroſolymę definitus ſit, ut olim Iudęorum, ſed vbique terrarum templa, & oratoria ad Sacerdotium glorioſi myſterij obeundum erigenda eſſe. Nec negamus, priuata oratione in omni loco fas eſſe orare Deum, dummodo loci turpitudo non obſiſtat, in quem ſenſum Ambroſ. Anſelm. Haymo, & alij uerba Pauli accipiunt; at id non ſolum Chriſtianis licet, ſed etiam Iudæis licuit, iuxtà illud Matth. 6. *Amant in Synagogis, & in Angulis Platearum ſtantes orare*: uidetur igitur ad literam Apoſtolus propter Iudæos, qui ſolum in uno loco publicè orabãt, poſuiſſe illa uerba, *in omni loco*; Quocircà præſcribens etiam mulieris habitum, quo ad orandum proficiſci deberent in templum, ſubdit, *Similiter mulieres in habitu ornato*; quæ eſt autem neceſſitas domi, dum ſolitaria agit, in habitu ornato mulierem orare?

D. Auguſt.
Tertull.
D. Baſil.
Ambroſ.
Anſelm.
Haymo.
Matth. 6.

Ad ultimum, Deum quidem eſſe ubique nõ omnibus modis, ſed per eſſentiam, præſentiam, atque potentiam; & ſicut in cœlis eſt aliquo peculiari modo; ideſt eſſentiam, & gloriam ſuam oſtendendo Beatis; unde dicimus, *Pater noſter, qui es in cœlis; & Dominus in cœlo ſedes eius*, & ſimilia; ſic aliquo modo eſt in templis, quo nõ eſt in alijs locis, putà per exauditionem orationum, per oblati ſacrificij acceptationem, quæ propriè in templis fiunt; unde rectè dicitur Domus Dei, & Domus orationis, quòd in iſtis locis magis exaudiat, magiſque dona concedat; ſicut enim in ueteri teſtamento ſolùm ex Propitiatorio ſuper Arcam exiſtenti reſponſa ſemper dabantur, ſic in ſolis locis ſacris multa beneficia à Deo hominibus conceduntur, quos etiam magis in uno loco, quàm in alio exaudit.

Ex dictis concludendum eſt, rectè fideles potius ad hunc, quàm ad illum locũ peregrinari; ubi enim cumulatiora, & ampliora dona à Deo dantur, eò plures concurrere æquum eſt: & licèt ubique terrarum ſint aliqua loca ſancta, tamen ſæpè in alijs mundi partibus aliqua reperiuntur loca ſanctiora, ad quæ utile erit peregrinari; uel certè ſi non ſint ſanctiora, cùm ſint diſtincta ab illis, quæ in noſtris partibus exiſtunt, ex ipſa nouitate rei homo ad deuotionem feruentiùs excitatur. Adde, quòd ſæpè, licèt domi celebriora loca habeamus, vehementiori tñ affectu, peculiarique amore trahimur ab alicuius Sancti memoria, quæ procul à nobis diſtat,

Iure optimo fideles potius ad unum quã ad alium locũ peregrinãtur.

quocircà

quocircà eò peregrinari maximam homini utilitatem affert. Qui plura, & exactio ra circà hanc materiam, quam in primo & 3. cap. tractauimus deſiderat, legat Caniſium loco citato, & Illuſtriſſimum D. Robertum Bellarminum, qui dum hæc excuderentur, in ſacrum Cardinalium S.R.E. Collegium eſt cooptatus à S.D.N. Clem. VIII. 1. tom. controuerſia 7. vbi multa de hac re proſequitur, quorum nonnulla etiam nos hic delibauimus.

Caniſius. Card. Bellar.

CAPVT QVINTVM.

Quæ ſeruanda ſint, ut peregrinatio cum fructu ſpirituali, & pietate fiat.

Peregrinorũ conditio ex D. Chryſoſt.

DIVVS Chryſoſt. Hom. 24. in Epiſt. ad Hæbræos, exponens illa verba in cap. 11. *Quia peregrini ſunt, & hoſpites in terra*; inquit, *Prima virtus eſt & tota uirtus eſt, peregrinum eſſe huius mundi, & hoſpitem, & nihil commune habere cum rebus ſæculi, ſed remoueri ab eis, ſicut peregrinum. Sic Sãcti plerique circumientes in melotis, in pellibus caprinis, egentes, tribulati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, peregrinos ſe exiſtimabant, eaque uirtute sũmoperè prædıti erant; At Paulus, qui apicem perfectionis attigerat, amplius quid dixit, nec ſe ipſum peregrinum duntaxat, ſed ſe mundo, & mundum ſibi mortuum eſſe dicebat; mihi, inquit, mundus crucifixus eſt, & ego mundo: è contra nobis accidit; cum enim huius mundi ciues uiuentes eſſe uolumus, cunctaque in hac uita negociari, fit, ut quod erant illi mundo, hoc eſt peregrini, & mortui, hoc ſimus nos Cælo; & quod illi erant Cælo, hoc eſt uiuentes, & ciues, hoc ſimus nos mundo. Semper enim terrenis inhiamus, & à terrenis nolumus abſcindi; ſed veluti vermes quidam ex terra in terram, & iterum ex alia in aliam circumrepimus, nec modicum recipere uolumus, nec auferre nos à cauſis hominum, ſed ueluti quadam ſatietate, & ebrietate demerſi, & perculſi obſtupemus.* Aduerſus hos D. Petrus in prima ſua canonica, cap. 2. dixit: *Obſecro uos, tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.*

1. Pet. 2.

D. Bernard. D. BERNARDVS ſerm. 7. in Quadrageſima, cui titulus eſt, de Peregrino, de mortuo, & crucifixo; perutiles enarrat Peregrini proprietates; *Peregrinus*, inquit, *via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ſi fortè iurgantes uiderit, non attendit; ſi nubentes, aut Choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus tranſit, quia Peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriã tendit; ueſtitum, & uictum habens, non vult alijs onerari. Beatus planè qui ſuum ſic agnoſcit, ſic deplorat incolatum, dicens Domino: quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Sic Bernard. Verùm etiam hoc gradu alium altiorem

D. Chryſoſt. agnoſcit Chryſoſt. *Nam & Peregrini aliquando, & ſi Ciuibus non admiſcentur, delectantur tamen ſæpè ea uidere, aut audire, quæ ab alijs fiunt, vel etiam narrare, quæ uiderint, & ſic vel detinentur, vel retardantur ab itinere; Vnde qui mortuus mundo eſt, hac caret moleſtia; ò felix, inquit, mors, quæ ſic immaculatũ ſeruat, immò pœnitus alienũ facit ab hoc ſæculo. Sed & hoc perfectionis gradu alius ſuperior eſt, in quo mundus ipſi crucifixus eſt, & ipſe mundo; nec enim mori mundo ſatis eſt, ſi ſummam perfectionem aſſequi uelimus, ſed ignominioſum genus mortis ſubeundum eſt. Vnde Paulus de hac altitudine perfectionis loquens, dicebat, ad Galat. 6. mihi abſit gloriari, niſi in Cruce D. Noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; ac ſi diceret, omnia, quæ mundus amat, crux mihi ſunt, delectatio carnis, honores, diuitiæ, vana hominum laudes. Quæ verò mundus reputat Crucem, illis affixus ſum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.*

Ad Galat. 6.

Quæ meditãda ſunt à Peregrinis hoc loco enarrantur.

Status vitæ præſentis.

Igitur primum, quod meditari debemus in peregrinationum exercitatione, eſt ſtatus, quo à Domino in hoc mundo peregrinamur, atque in hac mortali conuerſatione ita uerſari, ut tamquàm aduenæ, ad Patriam cœleſtem ſuſpiremus, quæ prædeſti-

prædeſtinatis parata eſt ante mundi conſtiturionem. Sic Dauid Pſalm. 118. canebat, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*. Pſal. 118.

Secundò, ut onus itineris peregrinantium ſpirituali dulcedine ſubleuetur, aliqua puncta ex uita Chriſti, & B. Virginis meditanda ſunt, atque ea præcipuè, quę peregrinationis effigiem præſeferunt. Primùm enim meditandum eſt, Chriſtum Saluatorem Noſtrum verè in die carnis ſuæ in hoc mundo peregrinum fuiſſe, atque ſæpiſſimè, dum uiueret, peregrinatum. Vnde Hieremiæ 14. dicitur, *Expectatio Iſrael, Saluator eius in tempore tribulationis; quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum; quare futurus es velut vir vagus?* ſic D. Hilarius, ſuper Pſal. 68. exponens illa verba; *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ*; dicit, Chriſtum peregrinum fuiſſe filijs matris ſuæ, ideſt Iudæis ipſum perſequentibus. D. Hierony. interpretans hæc verba Hieremiæ, duas affert expoſitiones; Iudæorum primam, qui hunc locum ſic intelligunt; *Quare ſegregas te à populo tuo, & quaſi uiator propter unius horæ refrigerium, non curas qualitatis hoſpitio, ſed ad alia tranſiturus non ſaluas populum tuum, & templum quondam inclitum deſeris? Noſtri verò de futura Chriſti diſpenſatione dici putant, quòd futurus ſit peregrinus in terra, & paruo tempore terræ vſurus hoſpitio, & quaſi vir pertranſiens, ac robuſtus, relicto Iſrael, tendat ad gentium multitudinem, ut de loco ad locum, de Populo ad Populum, de templo ad Eccleſiam tranſeat*. D. Greg. addit, *quoniam Iudæi non audierũt Chriſtum, ut Dominum, non agri poſſeſſorem, ſed colonum crediderunt, qui quaſi viator ad manendum tantummodo declinauit, quia paucos ex Iudæa abſtulit, & ad gentium uocationem pergens iter captum peregit*; quem locum etiam exponens D. Auguſt. ait, *Filijs Synagogæ hoſpes factus eſt; In patria quidem ipſius dicebat. Nonne nos ſcimus, eum eſſe filium MARIAE, & Ioſeph, & unde ſit? Et alio loco; Hunc autem neſcimus unde ſit? factus ſum ergo hoſpes filijs matris meæ. Non ſcierunt vnde ſim, de quibus erat caro mea, nõne ſciebant, de fæmore Abraham natum? vnde caro mea occulta erat, quando ſub ipſo fæmore manum ſeruus ponens iurauit per Deum Cœli, Hoſpes, inquit, factus ſum filijs matris meæ; quare hoc? quare non agnouerunt? quare alienum dixerunt? quarè auſi ſunt dicere; neſcimus unde ſit?* Et Euthymius dicit, fratres ſuos Chriſtum extraneum reputaſſe, cùm dicerent; *hunc neſcimus vnde ſit*, & rurſus. *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes?* atque ideò ipſe etiam Ioann. Euangeliſta dicebat: *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Iſychius in cap. 19. Leui. exponens illa uerba: *Pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes. Ego ſum Dominus Deus veſter*; ſic dicit de Chriſto, *Primùm quidem illum manifeſtans, qui diuites facit, deinde eum, qui pro nobis pauper effectus eſt, & qui proſelytus in terra ſua factus eſt: in ſuis enim, uelut in alienis, peregrinatus eſt, nec locum habens in terra diuerſorij: non enim pauperis, & proſelyti ſuſciperet perſonam, ſi eis aduerſaretur. Vnde per Dauid dixit; propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus*. Hæc ille. Cui congruunt quæ ſcribit Origenes Homil. 34. in Matth. D. Ambroſ. Apol. de Dauid, & in ſer. 32. & D. Gregor. 14. Moral. cap. 21. Huius Chriſti peregrinationis, per quam è Cœlo uenit ad peregrinandum in terra, figura fuit peregrinatio Abraham in Geraris, Geneſis 20. & illa, qua inter filios Heth tamquam aduena, & peregrinus uerſabatur Geneſ. 23. peregrinatio Iſaac Geneſ. 26. Iacob Geneſ. 32. & 36. & 48. atque illæ peregrinationes, quæ leguntur Ruth 1. vbi narratur Hiſtoria de Elimelech, qui peregrinatus eſt de Bethlehem Iuda in regione Moabitide, & 4. Reg. 8. Thobiæ 12. & 20. & Iob 19. atque aliæ multæ, quæ in Scripturis habentur.

Meditatio peregrinationis Chriſti. Ierem. 14. D. Hilarius. D. Hieron. D. Gregor. D. Auguſt. Euthymius. Iſychius. Origen. D. Ambroſ. D Gregor. Geneſ. 20. 23. 26 32. 36 48. Ruth 1. 4. Reg. 8. Thob. 12. & 20. Iob 19.

Præcipuè autem in vita Chriſti meditandum eſt, non ſolùm illum peregrinari cœpiſſe, cùm primùm natus eſt, ſed etiam antequam illum pareret Beata Virgo, dùm illum in vtero geſtaret: ſic in Montana aſcendens, concepto iam Chriſto de Spiritu Sancto, Beata Mater Eliſabeth cognatã viſitauit, atque etiã ex Nazareth ad Bethlehem perueniens, ad præſepe ut illum pareret declinauit, cùm non eſſet ei locus in diuerſorio: ex quo facto Peregrini documentum ſumant, anguſtias, atque incommoda itineris, uel hoſpitij patienter ferendi.

Meditationes præcipuæ de vita Chriſti domini pro peregrinis.

Præterea in mentem reuocanda ſunt alia itinera, quæ Dominus ab incunabulis ſuſce-

CAPVT TERTIVM.

Quanam ſint cauſſæ, ob quas homines peregrinantur..

Sex cauſſæ, ob quas peregrinatiões à multis aſſumſitur, ex Pererio.

DOCTISSIMVS Pererius præceptor meus tom.3. in Geneſim cap.12. ſex cauſſas colligit, quibus ſæpe multi adducuntur, ut longinquas, & laborioſas peregrinationes ſuſcipiant. Prima eſt naturalis quędam multorum vanitas, & inſtabilitas; eſt enim quorumdam adeò mobile ingenium, & inquietus animus, ut nullo poſſint loco diù conſiſtere, ſed auidè, curioſèque uaria loca peruagentur atque pererrent. Altera cauſa eſt neceſſitas, videlicèt, quò magnum aliquod malum uitetur, vel famis, uel ſupplicij propter ſcelus aliquod patratum impendentis. Tertia cauſa eſt utilitas, cuius generis ſunt mari, terraque peregrinationes militum, atque mercatorum. Quarta cauſa eſt inſatiabilis quorumdam, eorum præſertim, qui excellenti ſunt ingenio, cupiditas diſcendi res nouas, & abſtruſas, comparandæque multiiugis doctrinæ, atque prudentiæ variarum gentium ingenijs, moribus, inſtitutis, ac diſciplinis cognoſcendis, ac percipiendis. Hanc ob cauſam memoriæ proditum eſt, Pythagoram, Empedoclem, Democritum, & Platonem lõginquas Orbis regiones perluſtraſſe, exilijs verius,

Plinius.

D.Hieron.

ut inquit Plinius lib.30. cap.1. quàm peregrinationibus ſuſceptis: legimus in veteribus hiſtorijs, ait B.Hieron. ad Paulinum Epiſt. 103. quoſdam luſtraſſe Prouincias, nouos adijſſe populos, maria tranſiſſe, ut eos, quos ex libris nouerant, coram quoq; uiderent: ſic Pythagoras Memphyticos Vates, ſic Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragrauit, & cætera, quæ deinceps ille diſertiſſimis verbis ſubdit. Quinta cauſa eſt ardẽs ſtudium iuuandi quàmplurimos & ad veri Dei cognitionem adducendi. Hoc zelo incenſi Apoſtoli toto propemodum terrarum Orbe

Marc.vlt.

peregrinati ſunt; ſic enim præceperat eis Dominus Marci vlt. *Euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sexta cauſa eſt ſancta quædam, & religioſa cupiditas, atque curioſitas viſendi, ac venerãdi ſacra loca, in quibus Saluator noſter, & Beatiſſima eius Mater, dum in terris erant, verſati ſunt, uel vbi Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, aut Martyrij, aut ſepulturæ, & reliquiarum monumenta ſunt; hanc ob cauſſam Terra Sancta, Ædes Lauretana, Compoſtella, & Apoſtolorum limina à fidelibus celebrantur. Hæc Pererius. Hæ verò cauſæ, penultima, & vltima exceptis, ad curioſas, ac vanas peregrinationes ſpectãt. Nos, qui de ſtudio ſanctæ peregrinationis agimus, nouas alias adducemus.

Aliæ cauſſæ ſacrarum peregrinationũ ab Auctore afferuntur. Prima eſt amor Dei.

D.Chryſoſt.

PRIMA igitur cauſa, ob quam Chriſtianus animus ad peregrinandum ad loca ſancta incenditur, eſt amor, & charitas quædam ſingularis erga Deum, & Sanctos; quemadmodum enim ipſos Sanctos, & Deum, ſic ea, quę ipſius ſunt, quęque ad eos ſpectant, libenter uidere, atq; ſummo honore, & veneratione proſequi cupimus; huiuſmodi amore D. Chryſ. ergà D. Paulum flagrãs, optauit vehementer Romã peregrinari, vt eius illic reliquias inuiſeret, atq; veneraretur. Vnde homi.8. in Ep. ad Epheſ. os aureũ ſic loquitur: *Vellẽ nunc etiam eis eſſe locis, in quibus iſta dicũtur eſſe uincula, cuperẽ uidere catenas illas, quas quidẽ verẽtur, & horrent dæmones; venerantur verò Angeli*; Et infrà: *Quòd ſi liberum fuiſſet per curas eccleſiaſticas, & corpus babuiſſem validum, nihil utique cunctatus fuiſſem, quantumuis, tanta ſuſcepta peregrinatione, catenas dumtaxat illas, & carcerem, ubi ligatus fuit, uidiſſem.* Rurſus Homil. de patientia Iob tom.1. *Vellem nunc in illis locis verſari, in quibus uincula illa manent, & catenas videre, quas timuerunt quidem Dæmones, & horrent; Angeli autem venerantur; ſi eccleſiaſticis curis eſſem vacuus, corpuſque robuſtum haberem; nequaquam peregrinationem tantam ferre recuſarem, quò catenas ſolum viderem; ò Carcerem, quò Paulus vinctus erat, ò beata vincula, ò beatas manus, quas ornauit catena illa Paulo circumdata; non tàm præclaſæ erant manus, quæ claudum in Lyſtris erexerunt, quàm vinculis circumdata:*

cumdata: ſi per illa tempora ipſe fuiſſem, tunc potiſſimum finiſſem eas, & ante meas oculorum pupillas ponens, numquam deſiſſem deoſculari manus dignas effectas pro Domino meo uinciri. Sic Chryſoſt. Hoc deſiderio ardens Paula nobiliſſima Romana matrona, vbi Hieroſolymam peruenit; *Tanto ardore, ac ſtudio cuncta loca* (ſunt verba Hieron. in Epitaphio Paulę ad Euſtochiũ, Epiſt. 2. to. 1.) *circumiuit, ut niſi ad reliqua feſtinaret, à primis non poſſet abduci, proſtrataque ante Crucem, quaſi pendentem dominum cerneret, adorabat; ingreſſa Sepulchrum Reſurrectionis, oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amouerat Angelus, & ipſum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat; quid ibi lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, teſtis eſt cuncta Hieroſolyma, teſtis eſt ipſe Dominus quem rogabat; inde egrediens aſcendit Sion, quæ in Arcem uel ſpeculam uertitur;* Et infrà, ipſam loquentem inducens, *Introibimus in Tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes eius. Et ego miſera, atque peccatrix digna ſum iudicata deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagijt? orare in ſpelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini mei patria eſt; hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam, paraui lucernam Chriſto meo, anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.* Hæc Hieronymus. Hoc eodem amore compulſi Palæſtini, & Cyprij erga corpus Sancti Hilarionis, ſanctam, & maximam altercationem inter ſe habebant, apud quoſnam illorum reſidere, ac quieſcere deberet: de qua re meminit Diuus Hieronymus in uita Hilarionis, ſic ſcribens. *Cernas vſque hodie miram inter Palæſtinos, & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis ſpiritum ſe habere certantibus, & tamen in utriſque locis magna quotidie ſigna fiunt, ſed magis in hortulo Cypri; forſitan, quia plus illum locum dilexerit*; ſic Hieronymus, qui etiam vitam Sancti Pauli primi Eremitæ ſcribens, ſummum Diui Antonij deſiderium, quo illum videndi tenebatur, narrat: vnde longo ſuſcepto itinere illum inuiſit.

D. Hieron.

Contentio Palæſtinorũ, & Cypriorũ pro corpore Sancti Hilarionis ex D. Hieron.

SECVNDA cauſſa, ob quam ad Sanctorum monumenta inuiſenda properatur, eſt honor Dei, & Sãctorum; ſicut enim Deus optimus maximus crebrioribus miraculis, continuiſque beneficijs Sãctos ſuos certis in locis honorat, ſic gratiſſimũ eſt illi, vt homines præſertim illi, qui eorum beneficia recipiunt, honoribus, laudibus, obſequijſque eos proſequantur; qui enim ad templa Martyrum accedit, eorũ geſta glorioſiſſima recolit; carceres, verbera, paſſiones, ac mortem pro Chriſto perpeſſam contemplatur, eorum fortitudinem, atque conſtantiam admiratur; eoſque tàm in Eccleſia militanti, quàm triumphanti clariſſimos, atque illuſtriſſimos prædicat. Vnde Chryſoſt. tom. 3. ſerm. in Iuuentium, & Maximum Martyrès, ſic ſcribit. *Heri Beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat, hodie verò par Sanctorum militum in acie exercitum Chriſti oſtendit; heri quadriga Martyrum, hodie biga ſe oſtendit. Impar eſt eorum ætas, ſed par fides. Varia certamina, ſed eadem fortitudo, illi tempore ſuperiores, iſti recentiores, & cum tantus Theſaurus ſit Eccleſia nouus, & veteres habentis margaritas, una omnium eſt gratiæ eorum flos, neque langueſcit, neque defluit tempore. Neſcit vetuſtatis rubiginem ſplendoris iſtius natura temporis acceſſione; opes, quæ ad corpora ſpectant, facilè intereunt, veſtimenta abſumuntur, domus deſtruuntur, & aurum rubigine conſumitur, & denique omnium ſenſibilium facultas naturalis tempore tandem aboletur, & intercidit. At non ſic ſe res habet in ſpiritualibus theſauris, de Martyribus, inquam, qui ſemper in eodem manent vigore, ſemper in eodem iuuentutis flore ſunt, ſemper ſua gloria fulgorem emittunt, & radios: quod ſcientes, non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos, ſed eadem alacritate omnes. Non enim exploratis tempus, ſed exquiritis animi fortitudinem, fidem, Zelum feruidum, & eas virtutes, quas præſeferunt Sancti, ob quorum honorem hodie conuenimus.* Hactenus Chryſoſtom.

Gratiſſimum eſt Deo, loca ſancta à Chriſti fidelibus uiſitari.

D. Chryſoſt.

TERTIA cauſſa eſt, ad excitandam noſtram fidem erga Deum, & ad oſtendendum communem nos fidem cum Sanctis habere: hanc cauſſam tradit D. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgit ad acuendam charitatem, & in Sanctos, quos imitari poſſimus, & in Deum, quo adiuuante poſſimus*; atque ità de Sancta Paula D. Hieron. in eius Epitaphio ſcribit, quòd proſtrata ante Crucem Domini in Monte Caluario, quaſi pendentem Domi-

Ex locorum Sanctorum viſitatiõe fides, & deuotio excitatur. ex D. Auguſtino. D. Hieron.

num cerneret, adorabat. Idem Hieron. aduerſus Vigilantium to. 2. epiſt. eumdem Vigilantium arguendo dicit: *Stulti omnium Eccleſiarum Populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemq́; Prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Paleſtina uſque Chalcedonem iungerentur Populorum examina, & in Chriſti*

D. Auguſt.

laudem una uoce reſonarent? hæc ille. D. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. dum narrat miraculum factum ad reliquias Sancti Stephani, reſtituta ſanitate fratri, & ſorori horribili morbo laborantibus, Paulo ſcilicèt, & Palladię; hanc cauſſam tangit, dum ait. *Exultabant in Dei laudem voce ſine uerbis, tanto ſonitu quantum noſtræ aures uix ferre poſſent: quid erat in corde exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stepha-*

D. Chryſoſt.

ni ſanguis fuſus eſt? Hæc ille; & D. Chryſoſt. plurima geſta ab Apoſtolis ea de cauſa ſcripta fuiſſe, dicit, ut ex eorum actionibus ad virtutes promptiores reddamur, ſic dicens. *Non modò enim tàm paruas Epiſtolas, & pro rebus adeò neceſſarijs oportuit ſcribi; ſed vtinam non defuiſſet, qui nobis Apoſtolorum hiſtoriam diligentiſſimè traderet, non tantùm quid ſcripſerint, quidue locuti ſint, ſed ut ſeſe per omnem uitam habuerint, quid, & quando comederint, quando ſederint, quò ierint, quid diebus ſingulis geſſerint, & in quibus partibus uixerint, quam introierint domum, quo nauigauerint, ubinam applicuerint, atque omnia diligenter exponeret; adeò illorum omnia, eximia utilitate referta ſunt. Verum quoniam ignorant plurimi, quantum hic lateat lucri, idcirco culpare contendunt: ſi enim cum loca tantùm cernimus, ubi ſederunt, ſeu uincti ſunt, loca, inquam, inanima, illuc ſæpè dirigimus animũ, uirtuteſque illorũ conſpicimus, et expergiſcimur, et promptiores euadimus, multò id profectò magis fieret, ſi verba illorũ, et reliqua geſta audire contigiſſet.*

Ex peregrinatione ad loca ſancta ſpiritualecommodum animarũ conſurgit ex D. Chryſoſt.

QVARTA cauſſa eſt, ut ex peregrinationibus preces, atque orationes fundendo Sanctis, qui eorum locorum, quę viſitantur, patroni ſunt, commodum, utilitatemque ſpiritualem reportemus: Hanc cauſſam tangit D. Chryſoſt. in fine ſermonis in Iuuentium, & Maximum, ſic ſcribens. *Idcirco ſæpè eos inuiſamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contineamus, ut inde benedictionem aliquam aſſequamur. Etenim ſicut milites vulnera, quæ in prælijs ſibi inflicta, Regi monſtrantes fidenter loquuntur; ita & illi in manibus deſecta capita geſtantes, & in medium afferentes quæque uoluerint apud Regem Cælorum impetrare poſſunt. Proinde magna fide, promptitudineque huc ueniamus, quo & viſis Sanctorum monumentis, & conſideratis eorum præmijs, inde uarios theſauros undequaque colligamus, & per præſentem uitam ita iuxta uoluntatem Dei tranſeamus, vt in patriam æternitatis cum multis mercibus ingrediamur.* Sic Chryſoſtom.

Satisfactio p peccatis.

QVINTA cauſſa, ad ſatisfaciendum pro peccatis commiſſis. Cùm enim peregrinationes laborioſæ, atque pœnales ſint, in pœnitentiam, & ſatisfactionem peccatorum rectè aſſumi poſſunt. Vnde etiam à Confeſſarijs in ſatisfactionem peccatorum iniunguntur.

Conſecutio Indulgentiarum.

SEXTA cauſa ad Indulgentias conſequendas, multæ enim inſignioribus Sanctorum Baſilicis remiſſiones peccatorum conceſſæ ſunt.

Perſolutio votorum.

SEPTIMA cauſa, ob vota Deo facta exoluẽda; ſic fideles ad Sanctum Iacobum in Compoſtella, ad noſtram Cathedralem Beatæ MARIÆ de Laureto, & loca ſimilia, quæ infrà enarrabimus, accedunt.

CAPVT QVARTVM.

Cur quis magis ad vnum, quàm ad alium locum ſanctum peregrinetur.

Hęretici delectum ſanctorum locorum ęgre ferunt.

MOLESTISSIMVM eſt hæreticis, Catholicos, viroſque pios delectum aliquem inter Sacras Ædes in Orbe terrarum conſtitutas habere, dum hanc potius, quàm illam adire, & viſitare deliberant; ęgreque ferunt, vnam alteri anteponi, frequentiorique populorum concurſu illuſtra-

ri, atque

ri, atque magnificari. Conantur verò perſuadere, Deum vbique æqualiter operari, ſimilemque effectum omnibus in locis cauſare, & impetrationes votorum à Deo ex æquo ubicumque obtineri. Quocircà non magis ad hoc, quàm ad illud tēplum accedendum eſſe, affirmant; veniet enim tempus, inquit Ioannes cap. 4. dū Chriſtus Samaritanæ loquebatur, in quo nec in Monte hoc, neque in Hieroſolymis oportebit adorare, ſed in ſpiritu, & veritate, cùm Deus ſpiritus ſit, & tales quærat, qui adorent eum. Immò preces certo loco non alligādas eſſe, docet Chriſtus, Matthæi 6. dicens; *Tu autem cùm oraueris intrà Cubiculum tuum*; & Paul. 1. ad Thimoteum 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus*; nec enim Deus in Templis manu factis habitat, Acto. 7. ſed Cœlum, & terram implens, ut Iſaiæ 66. vbique ex æquo adorari, & inuocari poteſt: Sic Hæretici philoſophantur. Manichæi apud Auguſtinum lib. 20. cap. 3. & 4. contrà Fauſtum, Meſſaliani apud Damaſcenum lib. de centum Hæreſibus. Euſtachius apud Socratem lib. 2. hiſt. cap. 33. Petrobruſiani apud Petrum Cluniacenſem, in Epiſt. aduerſus illos ſcripta, & Guglielmum in uita Diui Bernardi lib. 3. cap. 5. Albigenſes apud Bernardum Lutzemburgenſem in Cathalogo, Vualdenſes apud Claudium Couſſordium lib. cōtrà Vualdenſes cap. 6. Vuiclephiſtæ apud Thomam Vualdenſem tom. 3. tit. 17. Taboritæ apud Æneam Siluium de origine Bohemorum, cap. 35. Anabaptiſtę, ac denique Lutherani, Puriores, Caluiniſtæ, & Magdeburgenſes in ſuis Centurijs, & præſertim, centur. 4. cap. 6. quamuis enim Caluinus admittat Templa ad concionandum, & ad Sacramenta miniſtranda, & ad communes preces fundendas; reprehendit tamen templorum ornatum, conſecrationes, uirtutem, & ſanctitatē, eaque Dei habitaculum eſſe negat, inſtitutionum lib. 3. cap. 29. num. 30. ubi ſic ſcribit. *Cauendum eſt, ne templa, quemadmodum ſeculis aliquot haberi cœperunt, propria eſſe Dei habitacula ducamus, vndè propiùs nobis aurem admoneat*; ubi euidenter negat, priuatas preces melius in templo, quàm extrà fieri. Sed hi omnes patrem mendacij recognoſcūt, qui etiam Arrianos, atque Donatiſtas in religioſa templa commouit, ut refert D. Athanaſ. in Apologia pro Fuga ſua, Theodoret. li. 4. hiſt. cap. 19. & 20. & Optat. lib. 6. contrà Parmen. Quorum mendacia, ut rectiùs detegantur; primò ſtatuendum, & probandum eſt, in templis Deo dicatis ſanctitatem quamdam ineſſe, peculiaremque in eis Dei uirtutem Chriſtianos experiri, quam Deus extrà illa ſæpenumero non communicat. Deinde hanc uirtutem non æqualiter in omnibus templis Deum operari.

Argumenta Hæreticorū. Ioan 4.

Matth. 6. 1. Thim. 2.

Actor. 7. Iſa. 66.

Hæretici, qui templa, & loca ſacra non admittūt, hic enumerātur.

Confutatio p dictorum hæreticorum. D. Athanaſ. Theodoret. Optatus.

SIT igitur Prima Propoſitio. Templa conſecrata ſunt loca ſancta, ueneranda, diuinaque uirtute munita. Hæc propoſitio ex ſolo ritu Eccleſiaſtico, quo templa Deo dedicantur, & conſecrantur, notiſſima eſt: Cæremoniæ enim illæ, quæ in eorum conſecratione adhibentur, ea intentione, ac ſignificatione inſtitutæ ſunt, ut loca illa non prophana, uel communia, nec actionibus ſordidis, ac vulgaribus deſtinata eſſe ſignificetur. Primò enim ſignum Crucis Chriſti pingitur, ut locus ille Chriſto dedicatus eſſe oſtendatur; immò Cruces numero duodecim fiunt, ſic diſtributæ, ut omnes templi parietes illas habeant; ſingulis autem Crucibus accenſæ candelæ adhibentur, ut oſtendatur duodecim Apoſtolos Chriſtum Crucifixū, eiuſque uexillum per uniuerſum Orbem prędicaſſe, atque euangelica doctrina illuſtraſſe. Secundò templum oleo inungitur, ut ob id denotetur, domum illam Deo dedicatam, & conſecratam eſſe: liquor enim ille nobiliſſimum etiam apud Ethnicos conſecrationis ſymbolum fuit, quo etiam ſigno à prophanis communibuſque locis diſtinguitur. Præterea aqua benedicta aſpergitur, thus adoletur, quò ſignificetur, locum illum diuinis ſacrificijs, ac precibus, alijſque pijs functionibus, non autem ſæcularibus negocijs deputatum eſſe. Rurſus Alphabetum hæbraicè, græcè, & latinè in pauimento deſcribitur, ut denotetur, domum illam ad Verbum Dei euangelizandum, & Chriſti fidem, quæ omnis iuſtitiæ fundamentum eſt, Iudæo primum, & græco prædicandam: Deinde fit commixtio aquę, cineris, ſalis, & uini, ut homines inflammentur ad uitę reformationem, & nouitatem per uirtutum ſtudium. Poſtremò pulſatur oſtium, & iubetur Diabolus recede-

Conſecrata tēpla eſſe Dei loca peculiaria, & ueneranda.

Ritus Eccleſiæ in templorum conſecratione.

Signum Crucis.

Vnctio ſacri olei.

Aqua benedicta.

Inſenſum.

Alphabetum Græcum, Latinum, & Hæbraicum.

Commiſtio cineris, aquæ, ſalis, & vini.

re, ac

rè,ac reliquiæ Sanctorum introducuntur,ut omnes cognoſcant, Dęmonem ex eo loco eijci, neque in eo habitare, & è contrà Deus, ac Sancti inuocantur,ut eo in loco habitare dignentur. Ad hęc Altare ipſum ex lapide constructum inungitur, ac alto,& eminenti loco ponitur, reliquiæque Sanctorum Martyrum ſub eo collocantur: Chriſtus namque, qui per altare inſinuatur, petra dicitur 1.Corinth.10. oleoque lętitię Spiritus Sancti præ conſortibus ſuis unctus Pſal.44. & caput totius Eccleſię conſtitutus, ad Coloſſenſes 1. atq; in ipſo uita, & gloria Sanctorum eſt abſcondita, ad Coloſſenſes 3.

Vnctio Altaris. — *1.Cor.10.* — *Pſal.44.* — *Ad Col.1.& 3*

Ex his,alijſque cæremonijs,quæ in templi dedicatione adhibentur, ſatis firmũ argumentum deſumitur ad perſuadendum illi loco ſanctitatem, Deique virtutem ineſſe,ac proinde venerationem,atque diuino honore dignum eſſe. Ritus enim tẽpla conſecrandi probatiſsimus in Eccleſia fuit,vt ex Con.5. Carthaginenſi Can. 6. Agathenſi Can.14. ex Conc.2. Bracharenſi Can.6.& ex alijs decretis,quę Gratianus refert de conſecratione diſtin.1. quod etiam Gelaſius Papa Epiſt.1. ad Epiſcopos Lucaniæ, & Aprutij cap.6.& Felix IIII. in Epiſt. ſua decretali ante mille annos ſcripta probarunt, & Ambroſ.lib.1. Epiſt.5. ad Felicem,& in Epiſt. ad ſororem, quæ inter ſermones nonageſima ſecunda connumeratur. Gaudentius in tractatu de dedicatione,& D. Auguſt. in ſermone de tempore 251. vſque ad 256. D.Gregorius lib.3. Dialogorum cap.30. multa miracula in dedicatione Baſilicæ diuinitus eſſe facta oſtendit,quæ profectò à Deo facta non eſſent, niſi huiuſmodi conſecratio illi grata fuiſſet.

Ritus conſecrandi Eccleſias apud Chriſtianos fuit ſẽper probatiſſimus. — *Conc.Car 5. Agathen. Bracharen.2. Gratianus. Gelaſius. Felix IIII. Ambroſ. Gaudent. Auguſt. Gregor.*

Vervm, vt Hæreticorum ora compeſcamus, alijs medijs propoſitionem præmiſſam confirmemus.

Et Primò ex Scriptura, in qua quod Deo dicatur,& offertur, ſanctum dicitur: ita Leuitici vltimo. *Animal,quod immolari poteſt Domino,ſi quis uouerit ſanctum erit*, & infrà. *Quicquid ſemel fuerit conſecratum Domino,Sanctum Sanctorum erit*,& Matthæi 23. templum lapideum auro templi præponitur, ob relationem ſanctitatis ad Deum; quamuis ipſum aurum ex ſe, & nobilius, & præcioſius ſit ipſis lapidibus; dicitur tamen à Domino ſanctitatem à templo recipere; *Veh vobis*,inquit, *duces cæci,qui dicitis,quicumque iurauerit per templum nihil eſt, qui autem iurauerit in auro templi,debet. Stulti,& cæci; quid enim maius eſt,aurũ,an templũ,quod ſanctificat aurum?* Adde,q; ſi templum ſanctificat aurum,multò magis hominem ſanctificabit.

Concluſio ſuprapoſita ex ſcripturis probatur. Leuit.vlt. Matth.23.

Secvndo, idem oſtenditur ex benedictione Epiſcopali, multiſque precibus, quę in eius conſecratione adhibentur: & ſi menſa ſimplici benedictione ſanctificatur per verbum Dei. *Nihil enim*,inquit Paulus 1.Thimot.4. *abijciendum eſt, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per uerbum Dei, & orationem*; quomodo parietes Baſilicarum non ſanctificabuntur, cùm per perſonas Deo ſacratas publicis orationibus, ſummique Sacerdotis benedictione conſecrantur? Adde,quòd Salomon ſuis precibus templum Deo ſanctificauit 3.Regum 9. *Exaudiui*,inquit, *Dominus,orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti.* Cur ergo Eccleſia Chriſti in eius nomine templa ſanctificare non poterit? numquid preces Salomonis magis efficaces erunt quàm Eccleſiæ?

Probatur idẽ ex Epiſcopali Benedictione 1.Thim.4. — *3.Reg.9.*

Tertio auctoritate D.Auguſtini tom.7.lib.4. contrà Creſconium Grammaticum cap.40. *In Muſticana poſitus Ciuitate* (loquitur de Feliciano) *Deo omnipotenti parietes conſecratos, Eccleſiam uenerandam,quaſi quadam obſeſsione credidit retinendã.*

Probatur idẽ ex D.Auguſt.

Qvarto, multa ſunt in templo, quæ ei ſanctitatem, ac diuinam virtutem tribuunt. In primis præſentia corporis Domini Noſtri Iesv Chriſti in Euchariſtia, quam etiam Angeli uidentes, propter emicantem inde ſplendorem, horreſcunt, & admirantur, ut inquit Chryſoſtomus homil.60. & 61. ad populum Antiochenum. Secundò, corpora, & reliquiæ Sanctorum,qui in Cœlis beati ſunt. Tertiò, materia benedicta Sacramentorum,ut Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ Vnctionis, aqua benedicta, & ſimilia. Quartò, Imagines Chriſti, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum.

Idem probatur ex rebus ſanctiſſimis,q̃ in tẽplis Chriſtianis aſſeruantur. D. Chryſoſt.

Qvinto,

QVINTO, Beatorum Angelorum præſentia, quæ frequentiſſima eſt in ſacris locis; ut docet D. Chryſoſt. homil. 1. ſuper verba illa Eſaiæ: *Vidi Dominum ſedentem in throno excelſo*, ferè in principio, tom. 1. *Non cogitas*, inquit, *quòd Angeli hinc ſtupendæ aſſiſtunt menſæ* (de altari loquitur) *quanta reuerentia hanc circumuallãt*; & homil. 36. in primam ad Corint. verſus finem, *Eccleſia*, inquit, *locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Cœli, Cœlum ipſum eſt*: Vnde in Templo Salomonis, ut narrat Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. paulò ante eius euerſionem huiuſmodi voces Angelorum auditæ fuerunt; *Migremus hinc*, quibus ſignificabant, ſe locum illum Deo ſic iubente deſerere. Vndè de Eccleſijs uerè dici poteſt, quod Exod. 3. dicitur, *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*.

Angeli ſūt peculiariter in Templis. D. Chryſoſt. Ioſephus. Exod. 3.

SEXTO, quoniam Deus ipſe ſingulari quadam virtute, adiutorio, & protectione in Eccleſijs adeſt, ut cap. 3. ſecundi Machab. legitur. In loco illo eſt uerè Dei uirtus quædam; nam ipſe, qui habitat in Cœlis, uiſitator, & adiutor eſt loci illius; cuius rei indicium eſt, quod Exodi vltimo legitur: Cùm enim dedicatum eſſet Deo tabernaculum à Moyſe, ſtatim caligo, ſeu nubes quædam gloriæ Domini tabernaculum texit, & 3. Regum 8. dedicato templo à Salomone, nebula gloriæ impleuit domum Domini & 2. Paralip. 6. Dominus pollicitus eſt, ut habitaret in caligine. *Ego autem ædificaui domum nomini eius, ut habitares ibi in perpetuum*, & cap. 7. *Cum compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de Cœlo, & deuorauit holocauſta, & victimas; & maieſtas Domini impleuit domum, nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini; eo quod impleſſet maieſtas Domini templum Domini, ſed & omnes filij Iſrael uidebant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper Domum, & currentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum lapide adorauerunt, & laudauerant Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*. D. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 30. in Eccleſia conſecrata ſuo tempore ſimile quid accidiſſe, ſcribit, *In magna*, inquit, *ſerenitate aeris, ſuper altare Eccleſiæ nubes cœlitùs deſcendit, ſuoque illud uelamine operuit, omnemq; Eccleſiam tanto terrore, ac ſuauitatis odore repleuit, ut patentibus ianuis, nullus illuc præſumeret intrare*: & D. Chryſoſt. loco citato inquit, *Non cogitas, ipſum hic inuiſibiliter adeſſe Dominum*, (de Eccleſia loquitur) *qui uniuſcuiuſque motum metitur, & conſcientiæ rationem habet*:

Deus peculiari ratione eſt in ſacris Templis. 2. Machab. 3. Exod. vlt. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. Ex D. Greg. inſigne miraculum in templo Chriſtianorum ſicut fuit in tẽplo Salomonis. D. Chryſoſt.

SEPTIMO, quoniam templa Deo dicata ſunt verè Dei habitaculum, non quòd Deus, ut Hæretici cauillantur, in templis includatur, uel quaſi certo loco comprehendatur, ita ut alibi à pijs viris inueniri non poſſit, ſicut mendax Caluinus falsò catholicis impingit; ſi enim Deus in Templis manufactis non habitat, ve rectè Actorum ſeptimo, Stephanus dixit; nec Deus indiget templo, ſicut homo indiget domo ſua, ut rectè Paulus apud Athenienſes Actorum 17. expoſuit; ſed quòd in templis præcipuè conſecratis peculiari quadam ſua præſentia, uirtute, ac protectione, gratijſque ergà Chriſtianos illic orantes preſto ſit. Sic Salomon 3. Reg. 8. à Spirituſancto edoctus dixit in ipſa dedicatione templi, *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc diè, ac noctè: ſuper domum, de qua dixiſti, erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſeruus tuus, ut exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael, quotcunque orauerint in loco iſto, tu exaudies in loco habitaculi tui in Cœlo*. Vnde ipſemet Chriſtus Lucæ 19. templum domum ſuam appellat, *Domus mea domus orationis uocabitur*. & Matth. 23. inquit, *Qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in illo*; ideſt in Deo. An non Deus elegit Syon in habitationem ſibi? ut in Pſal. 131. dixit Dauid, & in alio Pſal. *Dilexi decorem Domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ*. Eſt ne mẽtitus Salomon, uel blaſphemauit, cùm dixit 4. Reg. 8. *Aedificans ædificaui domum in tabernaculum tuum?* num Dauid mendacium dixit, canens Pſal. 73. *Mons Syon, in quo inhabitaſti in eo*, & 77. *Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum ſuum ubi habitauit cum hominibus?* in his enim duobus locis, primùm in Sylo uſque ad Samuelem, deinde in Syon per Dauidem Arca teſtamenti collocata hæſit, per quam Arcam, ut inquit D. Auguſt. ad Simpl. lib. 2. q. 4. factatior, & commendatior quædam præſentia Domini accipi poteſt.

Qua ratione Templa, & loca ſacra verè ſint Dei habitacula contrà Caluinum. Acto. 7. & 17. 3. Reg. 8. Luc. 19. Math. 23. Pſal. 131. 4. Reg. 8. Pſal. 73. & 77. D. Auguſt.

OCTAVO, & vltimò, templa ſancta eſſe probatur, eo quòd Dæmoni ſint interdicta;

Templa ſacra ſunt interdi-

Et malignis ſpiritibus, & dæmonibus. D.Gregor.

dicta; ſicut enim gentilium delubra prophana, & polluta eſſe uerè dicuntur, quia Dæmonum obſeſſa præſtigijs, & quaſi præſentia ſint domicilia, ut uidere eſt apud D.Greg.lib.3. dialog.cap.7. ſic è contra Chriſtianorum templa ſancta ſunt, quòd procul ab his ſint Dæmones. Vnde eodem lib.3. cap.30. narrat idem Pater, poſtquam conſecratum fuiſſet templum, quod anteà Arrianorum fuerat, Diabolum inuſitato quodam fragore ſtrepentem manifeſtè inde erupiſſe. Quemadmodum autem Regum palatia Aſyla ſunt, & à ſatellitum vexationibus libera; ſic etiam Eccleſiæ à Dæmonum incurſionibus, non enim permittuntur illi in eiſdem tentare, debacharique eo modo, quo alibi.

Orationes factæ in Eccleſia ſunt Deo gratiores, & homini vtiliores.

Secvnda Propoſitio, orōnes & priuatæ factæ in Eccleſia magis Deo gratę sūt, & magis utiles, ac ſalutares hoībus, q̃ illæ, quæ domi, uel in agro, uel alibi fiunt.

Quinque ſacrarum Ædiū nomina.

Ante quam hanc propoſitionem probemus, notandum eſt, ſacras ædes quinq; nominibus appellari, ob quinque fines, propter quos eriguntur. Primò dicuntur Eccleſiæ; eo quòd Populus ad Sacramenta, & Dei verbum percipiendum eò conueniat. Secundò dicuntur Baſilicæ, eo quòd iura inde diuina à Domino Deo, & ipſius interpretibus Sacerdotibus reddantur, & accipiantur. Tertiò, memoriæ, confeſſiones, ſeù martyria, quòd in illis Martyrum reliquiæ honorificè conſeruentur. Quartò, dicuntur templa ob ſacrificium, quod in eis Deo offertur, & ſacrificatur. Quintò, & vltimo dicuntur oratoria, ex eo quòd ad orandum præcipuè

Templa peculiariter ad orandum inſtituta.

Hæreſis Caluini in hac materia.

inſtituta ſunt. Et quamuis hæc quinq; à nobis diffusè probari poſſent, tamen ſolum hanc vltimam partem proſequemur, cùm ea ad rem noſtram maximè faciat; reliqua apud illos, qui controuerſias tractant, legenda ſunt. Caluinus, ut dictum eſt, æquè gratam Deo, æquè vtilem, ac ſalutarem docebat eſſe orationem in cubiculo factam, atque illam, quæ in templis Deo dicatis, & in oratorijs fit, ſic ſcribit in libro 3.inſtit.nu.36. *Cauendum eſt, ne ſecretam neſcio quam templis affingamus ſanctitatem, quæ ſacratiorem apud Deum orationem reddat; vera enim Dei templa cùm ſimus ipſi, in nobis oremus oportet, ſi in templo ſancto ſuo Deum uolumus inuocare; illam uerò craſſitiem Iudæis, aut gentibus relinquamus, qui præceptum habemus de inuocando citrà loci diſcretionem in ſpiritu, & ueritate Dominum*. Hæc Caluinus. Sic etiam Meſſaliani apud Damaſcenum dicebant, viros ſpirituales contentos eſſe debere precibus, quas in ſacellis, & oratorijs priuatis explerent; quæ vox fuit quoque ſchiſmatici Ieroboam, cùm peccare fecit Iſrael, vt Ioſephus lib.8. antiquit.Iud.cap.3.

Ioſephus.

commemorat. *Viri*, inquit, *populares, notum vobis exiſtimo, quòd nullus locus Deo eſt vacuus, & quòd is nullo certo loco includitur, ſed vbique nos exaudit, vbique cultores ſuos reſpicit*. Hæc ille. Sed iam probemus, templa etiam ad priuatam orationem fundendam inſtituta eſſe; deindè vtiliùs in illis orari demonſtrabimus.

Templa ad priuatas orationes funden das etiā inſtituta.

3.Reg 8.

2.Paral.6.

Et primò Sacrarum Scripturarum teſtimonijs agamus 3.Reg.8. & 2. Paralip. 6. expreſſis verbis dicitur, templum ad orationes populares faciendas, & exaudiēdas dedicatum eſſe: ſic legitur in libro Paralip. loco citato, nam verba libri Regū paulò ante adduximus. *Ergò ne credibile eſt, ut habitet Deus cùm hominibus ſuper terram? cælum, & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus iſta, quam ædificaui, ſed ad hoc tantum facta eſt, ut reſpicias orationem ſerui tui, & obſecrationem eius Domine Deus meus, & audias preces, quas fudit famulus tuus coram te; vt aperias oculos tuos ſuper domum iſtam diebus, ac noctibus, ſuper locum, in quo pollicitus es, ut inuocaretur nomen tuum, & exaudires orationem, quam ſeruus tuus orat in eo, & exaudias preces famuli tui, & populi tui Iſrael, quicumque orauerit in loco iſto, exaudi de habitaculo tuo, id eſt de cælis, & propitiare*. Non igitur orare potiùs in templo, quàm alibi ſuperſtitio,

3 Reg.9.

Eſa.56.

Matth.21.

Mar.11.

Luc.19.

Pſal.67.

1.Reg.1.

2.Reg.7.

Daniel.6.

vel uanitas eſt; cùm etiam Deus 3.Reg.9. apparuerit Salomoni, & omnia illa, quæ ab eo petita ſunt, approbauerit. Præterea Eſaiæ 56. dicitur, *Domus mea Domus orationis vocabitur cunctis populis*, quod etiam Matth.21. Mar.11. & Lucæ 19. Dominus repetijt, & Dauid Pſal. 67. *In Eccleſijs benedicam te Domine*: Sic Anna 1.Reg. 1. dum priuatam orationem Deo fundere vellet, ad Tabernaculum, in quo erat arca accedit, & ibi orans exaudita eſt; quod etiam Dauid feciſſe legitur 2.Reg.7. Daniel quoque, ut in eius cap.6. legitur, aperta feneſtra, ad eam partem, quæ tem-

plum

plum reſpiciebat, conuerſus orabat, dum in Babylonica captiuitate detineretur; quod etiam Anna filia Panuelis, Lucæ 2. legitur feciſſe; Publicanus, Lucæ 18. Petrus, & Ioannes Actorum 3. & Eunuchus Reginę Æthiopum, Actorum 9. Immò & MARIA mater Domini cum vndecim Apoſtolis perſeuerans in oratione in cænaculo, in quo diuina Myſteria peracta fuerant Act. 1. Adde quòd ipſimet Apoſtoli, cum adhuc Chriſtiani propria templa non haberent, ipſum Iudaicum templum orationis cauſſa adibant, ut ex loco citato Actorum 3. euidentiſſimè cognoſcitur. Quocircà rectè D. Auguſt. adnotauit in lib. 3. de doct. Chriſtiana, cap. 6. quòd tam Apoſtoli, quàm alij primi credentes in templo veteri Deo ſeruiebãt. D. quoque Iacobum Apoſtolum Fratrem Domini, & Epiſcopum Hieroſolymitanum multis annis poſt Chriſti aſcenſionem in Templo Iudaico aſſiduis orationibus Deum coluiſſe teſtantur Euſebius lib. 2. cap. 22. & Hierony. in Cathalogo de ſcript. eccleſiaſticis: huic vni conceſſum erat Sancta Sanctorum ingredi, cui etiam aſſiduitas orãdi ita callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imitaretur: exemplum quoq; D. Iohannis prætereundum non eſt, qui in vltima etiã ſenectute per diſcipulorum manus in Eccleſiam, in qua aſſiduè orabat, deferri ſolebat, ut Hierony. in catal. Virorum Illuſt. ſcribit.

Luc. 2. Actor. 3. Actor. 9. Actor. 1. Actor. 3. D. Auguſt. Euſeb. D. Hieron.

VERVM hoc Patrum teſtimonijs confirmare non erit difficile. Phylo Iudęus apud Euſebium Cæſarienſem lib. 2. Hiſtor. cap. 16. narrat, primos Chriſtianos habuiſſe in ſingulis locis loca aliqua orationi conſecrata, quæ nos Eccleſias, ſeù templa appellamus. *Eſt autem*, inquit, *in ſingulis locis conſecrata orationi Domus, quæ σεμνεῖον, i. auguſtum templum, vel μοναστήριον dicitur, μοναστήριον autem in noſtra lingua ſignificare poteſt, ſolitarius, ſeparatuſque locus, in quo ſecedentes, honeſtæ, & caſtæ vitæ myſteria celebrant.* Hæc Euſebius Phylonem ſcripſiſſe narrat. Fuit autem hic Phylo tempore Beati Petri, quem Romæ vidit tempore Claudij Imperatoris.

Patrum teſtimonia. Phylo Iudæus. Euſeb.

ORIGENES Homil. 2. in Exod. ſic ſcribit, exponens illa verba: Exod. 1. *Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis Domos*, ait, *Secundùm Scripturas noui, ac veteris teſtamenti, timorem Dei docentes, domos Eccleſiæ faciunt, & vniuerſum Orbem Terræ orationum domibus; id eſt Eccleſiis replent.*

Origenes. Exod. 1.

DIVVS Chryſoſt. homil. 3. contrà Anomæos tom. 5. prope finem, *Sed ò frigidã excuſationem*, inquit, *quam à compluribus reddi audio, orare vel domi poſſumus, dicunt, ſed homiliam, doctrinamque audire non niſi in Eccleſia poſſumus, ò homo deceptus, ac magno in errore verſaris; nam ſi & domi quoque datur orandi facultas; tamen fieri non poteſt, vt domi tàm bene ores, quàm in Eccleſia, vbi tot Patres, vbi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur, non pariter exoras, cum ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum fratribus; eſt enim in hoc plus aliquid, videlicèt, concordia, conſpiratio, copula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores; præſunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ ſimul in Cælum euehantur.* Hæc ille; & in homil. 79. ad Populum Antiochenum idem refert; *Vis*, inquit, *diſcere quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? &c.* Et infrà, *& domi quidem orari poteſt, ſic autem vt in Eccleſia non poteſt, &c.*

D. Chryſoſt.

DIVVS Baſilius ſerm. 2. vel lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. homil. 3. pulchrè idem docet, cum enim demonſtraſſet hæbręis quędam loca diuinis obſequijs dedicata fuiſſe, ſubiungit. *Nobis quoque periculum eſt malè obiti mandati, ſi loci rationem neglexerimus, maximè ſi Sacerdotij myſteria in locis prophanis celebrauerimus; proptereà quòd ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum multiphariarum, propter variam multorũ in rerum diuinarum ſcientia infirmitatem, ſi verò quiſque obijciat: quid igitur eſt, quòd Apoſtolus dixit; volo viros precari in omni loco, ob id, quod Dominus ipſe poteſtatem dedit, adorandi Deum in omni loco, vbi dixit, neque Hieroſolymis poſthac, neque in monte iſto adorabitur pater, &c. Hoc dicendum eſt, quòd illud, in omni loco, non comprehendit eos locos, qui humanis vſibus, rebuſque immũdis, & prophanis deputati ſunt, ſed dilatat, ac deducit adorationem ab arcto Hieroſolymæ ambitu in omnem totius Orbis locum; eum videlicèt, qui iuxtà ſacrificij doctrinam, & rationem accuratè Deo conſecratur, ad Sacerdotium glorioſi myſterij obeundum;*

D. Baſilius.

dum; Sic Baſilius. Vides hic quantopere locus ad orandum conferat; Lege eumdem Baſilium in quęſt. fusè explicatis, quęſt. 40, vbi affirmat, ad Eccleſias non ob negocia peragenda, ſed ad orandum accedendum eſſe.

D. Ambroſ. Divvs Ambroſius, in orōne de tradendis Baſilicis, ſcribit, ſe Martyrū Baſilicas orationis cauſa ferè quotidie frequentaſſe, quod ēt D. Hiero. de Marcella ſcribit, in eius epitaphio. *Apoſtolorū*, inquit, *et Martyrū Baſilicas ſecretis celebras orationibus.*

D. Hieron. Divvs Hieronymus etiam tom. 4. ſuper Ezechielem cap. 4. ſtudium ſuum ſcribit in uiſitandis cryptis, & ſepulchris Martyrum, dùm puer Romę eſſet, idque ſingulis Dominicis diebus deuotionis, & orationis cauſa; *Dum eſſem*, inquit, *Romæ puer & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis, & propoſiti diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circumire, crebroque criptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium per parietes habēt corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur, Deſcendant in infernum viuentes; & raro deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tàm feneſtra, quàm foramen dimiſſi luminis putes, rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror vbique animos ſimul ipſa ſilentia terrent.

Ruffinus. Rvffinvs lib. 2. hiſtor. cap. 33. de Theodoſio idem ſcripſit, ſcilicèt circuiſſe omnia orationum loca.

D. Auguſt. D. Avgvstinvs lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. multa de hac re ſcribit, & pręcipuè narrat, ꝙ ipſe cum Epiſcopo Syniſtenſis Eccleſiæ ſuo collega, locum orōnis fecerit, ubi ēt Chriſtiani poſſent ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari, ad quē locū ſāctū, poſtquā paraliticus allatus orauit, inde cōtinuò pedibus ſuis ſanus abſceſſit.

Rationes probantes ſuprà poſitam concluſionem. D. Auguſt. D. Baſil. Qvod ſi hoc idem rationibus confirmandum eſſet, illa potiſſimum ſatis eſſe deberet, quæ ex nomine ipſius Eccleſiæ peti poſſet. A Gręcis enim εὐκτήρια, & à latinis Oratoria uocantur: hoc argumento utitur D. Auguſt. Epiſt. 109. dicens, *In Oratorio nemo aliud agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit*. Adde, ut rectè Baſilius loco citato ait, quòd orationi, quæ eſt res nobiliſſima, aptiſſimus eſt locus ſacer, cùm ipſe quoque ſit nobiliſſimus; ibi enim pręter Dei, qui ubique eſt, aſſiſtentiam, eſt realis, & corporalis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; ibi & non alibi reperiuntur altaria, reliquiæ, imagines, ac Cruces, aliaque ſacra, quæ orantem ad pietatem, & deuotionem uehementer mouent.

Cur oratio facta in Eccleſia plus apud Deum valeat. Actor. 12. 2. Cor. 1. Tertull. Ex his colligitur, ob tres cauſſas pręcipuè orationes in templo factas plus apud Deum valere, quàm priuatim domi. Prima eſt ob cōiunctas plurium fratrum orationes, quæ Petrum à vinculis Actorum 12. liberarunt. Vnde Paulus Corinthios rogauit 2. Corint. 1. vt pro eo ſimul, & communiter orarent, de qua communi oratione loquitur Tertul. in apolog. cap. 29. ſic ſcribens, *Coimus in cœtum, & aggregationem, ut ad Deum quaſi manu facta ambiamus orantes, hæc uis Deo grata eſt*: & Sanctus Leo in ſerm. 4. de ieiunio ſeptimi menſis. *Tunc*, inquit, *eſt efficacior, ſanctiorq́; deuotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus eſt animus, & unus eſt ſenſus.*

D. Leo.

Petrus Cluniacen. Secunda eſt propter Sacroſanctę Euchariſtiæ præſentiam; ſic Petrus Cluniacenſis Abbas doctiſſimus ſcripſit contrà Henricianos; *Multo enim*, inquit, *vehementiùs ad admirandum, atque amandum Chriſtum accendit eius demonſtrata præſentia, quàm prædicata abſentia*, de qua re D. Chryſoſt. in homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura, uerſus finem, loquens de tempore oblationis ſacrificij, & conſecratione Corporis Chriſti inquit, *Tempore illo, mi frater chariſſime, non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt; ſed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant; habent ſibi tempus idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauorem; itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere Reges conſueuerunt, eòq; arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem; ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis, corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant; pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, ut pro eorum ſalute mortem obires, animam in Cruce efflares; pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe ſuum largitus es ſanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus immolaſti.* Hactenus Chryſoſt. qui in lib. 3. de Sacerdotio ferè

D. Chryſoſt.

in prin-

in principio, iterum dicit: *Dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem, preces fundentem, totam verò turbam circumfuſam precioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri, etiamne in terra uerſari, atque inter mortales conſiſtere te cenſes? an non potius è veſtigio in Cælos transferris? an non carnis cogitationes omnes abÿciens, nudo animo, mente pura circumſpicis, quæ in Cælo ſunt?*

Tertia cauſſa eſt Sancti Leonis Magni, loco citato, quòd publicę orationes in Eccleſia plus ualent, quoniam ex obedientia, & præcepto Eccleſiæ fiunt, quàm illæ, quæ domi priuatè habentur, ſic dicens. *Diuinarum reuerentia ſanctionum inter qualibet ſpontaneæ obſeruantia ſtudia habet ſemper priuilegium ſuum, ut ſacratius ſit quod publica lege celebratur, quàm quod priuata inſtitutione tenetur*; Hinc eſt quòd orationes fuſæ in Templo citiùs à Deo exaudiuntur; ſic Deus Salomoni pollicitus eſt in erectione templi 3.Reg.9. quod etiam petit Eccleſia, dum noua dedicat templa, ſcilicèt ut eo in loco Deus aures aperiat, & deprecantium uoces benignè exaudiat: quas Eccleſię preces Deum exaudire dubium non eſt, cum preces ſimiles Salomonis exaudiuerit.

D.Leo Magnus.

3.Reg.9.

Tertia Propoſitio. Deus in ſuis templis non æqualiter uirtutem ſuam operatur; explico propoſitionem. Deus arcano quodam ſuo conſilio, incomprehenſibilique ſua uoluntate in aliquibus locis etiam ſacris aliqua miracula facit, quæ in alijs locis ſacris non operatur; beneplacitumque eſt illi, uota hominum magis in vno, quàm in alio templo exaudire. Doctrina eſt D. Auguſt. in Epiſt. 137. ad Clerum, & populum Hipponenſem, cuius uerba hic repetere neceſſarium eſt: *Vbique quidem Deus eſt*, inquit, *& nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu, & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet, & coronet; Verumtamen ad iſta, quæ hominibus uiſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in alÿs locis hæc miracula fiant, in alÿs non fiant? multis enim eſt notiſſima ſanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt.* Et paulò poſt, *Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum uenerat, ut falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere; numquid non & Aphrica Sanctorum Martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri.* Hactenus Auguſt. Vides uno in loco Deum mirabiliter, & terribiliter operari, non item in alio, etiam ſi Sanctorum Martyrum reliquijs magis refertus ſit.

Deus magis in uno loco, quàm in alio preces exaudit; & miracula operatur.

D.Auguſt.

Et quamuis tota huius inæqualitatis ratio ad Dei incomprehenſibilem uoluntatem referenda ſit; Quis enim conſiliarius eius fuit, aut ſcrutator cogitationum Dei? nonnullas tamen rationes adducemus, quibus Deum, & in Sanctis ſuis, & in templis magis in uno, quàm alio hominibus ſe mirabilem, munificentiorem, atque clementiorem oſtendat.

Prima eſt D. Auguſt. qui eodem in loco ſic ait; *Sicut enim quod Apoſtolus dicit 1. Corinth. 12. non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent dÿudicationem ſpirituum, ità nec in omnibus memorÿs Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria unicuique prout vult.* Hæc ille. En optima, & acutiſſima eſt ratio Auguſ. ſicut enim non omnes Sancti dona curationum habent, ita nec omnia templa eamdem Dei virtutem, & operationem, placuit enim Deo huic templo, uel Sancto ſingularem quamdam ſuæ gratiæ uirtutem, & non illi attribuere.

Cur Deus ſe magis mirabilem, & miſericordem in uno, quàm in alio loco demonſtret.

D. Auguſt.

1. Cor. 12.

Secunda, quoniam ex hac inæqualitate operationum diuinarum maior auctoritas Chriſtianæ religionis, tàm apud fideles, quàm apud infideles exurgit; præſertim circà ea, quæ ad Chriſtum totius Eccleſiæ caput, & ad veneranda Sacramenta ſpectant, & eſt ratio Caniſij li.5.cap.24. ſui Marialis, ex hoc enim quoque accidit, ut Deus per Sacramentum Euchariſtiæ aliqua mirabilia operetur, quæ non facit per Sacramentum extremæ unctionis, uel matrimonij, licèt poſſet, ſi uellet.

Caniſius.

Tertia, eadem, ac diuerſa operandi ratione Sanctorum virtus, & gloria magnopere toto Orbe percrebreſcit; cùm enim ad inuocationem Sanctorum, etiam ſi ſæpè loca illorum reliquijs careant, Deus mirabilia manifeſta quadam virtutis

ſuæ ſignificatione omnibus edat & prodat, atque in huiuſmodi locis preces clementer exaudiat, omnes etiam, qui in remotiſſimis partibus morantur, glorioſiſſimum Deum cognoſcunt in Sanctis ſuis; ſicut etiam in naturalibus accidit, quòd Balnea illa, quæ efficaciorem uirtutem habent, ſiuè aquæ & fontes, quæ peculiarem uim obtinent, fama, atque hominum opinione illuſtriores ſunt, magisve in prætio habentur; ſic etiam templis, ac locis ſanctis pro diuerſa, magiſque vel minus uberi diuinæ uirtutis largitate idem contingit.

QVARTA, quoniam dum Deus in quibuſdam Sanctis, uel locis ſacris magis, & frequentiùs operatur, ingentior concurſus fidelium excitatur; & ex eo maior, & communior charitas Chriſti fidelium, Deum ſubinde excitans adhuc, vt liberalior fiat; ex quo relucet quantopere ſit Deo grata orthodoxorum ſocietas in eumdem locum piè coeuntium, atque communis oratio, qua ſeſe fideles eo in loco mutuò iuuant.

QVINTA, quoniam pro diuerſitate regionum, & uniuſcuiuſque populi indigentia ſpirituali placet Domino hoc, uel illo tempore, hic & non ibi, coram imagine huius, & non alterius Sancti virtutes ſuas operari. Hinc ſequitur, rectè orthodoxos delectum ſacrorum locorum habere in peregrinationibus, nec irridendos eſſe, qui potius Lauretanam Ædem petunt, quàm alium locum ſacrum; cum enim ibi Deus magis, & efficacius ſua munera liberaliter largiatur, ut toto Orbi notiſſimum eſt, huic rei contradicere, uel Dei offerentis munera non ſuſcipere, inſani, uel certè ingrati animi eſſet. An non in omni Regno, uel Prouincia loca quædam peculiaria ſunt, quę prerogatiuas aliquas habent, in quibus Rex uel uirtutem, uel benignitatem, uel iuſtitiam, uel etiam uoluptatem animi ſui oſtendat? Cur Ethnici ad Templum Hieroſolymitanum quotannis properabant, ſicut Ioan. 12. & Actor. 8. legitur, niſi quoniam illic peculiarem Dei uirtutem experiebantur? Sed iam argumentis Hereticorum ſatisfaciendum eſt.

NOTA.

Ioan. 12. Actor. 8.

Reſponſiones ad argumẽta hæreticorum

AD primum ex Ioan. 4. pręter ſolutionem Diui Baſilij, quam ſuprà attulimus, dicimus, Chriſtum ibidem non locum adorandi, ſed modum adorationis, qui in lege noua euangelica ſeruandus erat, ſignificare; voluiſſeq; illis uerbis docere, cultum Iudaicum, & gentium ceſſaturum, & nouum euangelicum non vnico aliquo loco coarctatum, ſed in totum Orbem dilatatum atque diffuſum ſuperuenturum. Vnde neque adorandum eſſe ait, in monte Garizim, ideſt ritu Samaritanorum, quo utebantur illi in eo monte adorantes; neque in Hieruſalem, hoc eſt ritu Iudaico, in ſuo itidem templo, ſed in ſpiritu, & veritate; ideſt nouo ritu perfectiori, qui non in corporalibus, & externis ſolum cęremonijs, vel umbris, & figuris ſed pręcipuè in interna, & ſpirituali Dei cognitione, & dilectione conſiſtit, atque in diſtincta adoratione trium diuinarum perſonarum, quod nec Iudeus, nec Samaritanus fecit, ut optimè notauit Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 91. ponderans illud verbum, *Adorabitis Patrem.* Lege Euthymium, D. Thomam, Caietanum, & Cardinalem Toletum in hunc locum Ioan. Nec Dominus illis verbis intelligere uoluit, tempore nouæ legis, uel in Hieruſalem, uel in monte Garizim neminem Deum adoraturum, cum legamus, Petrum & Ioannem, Actor. 3. poſt acceptum Spiritum ſanctum aſcendiſſe in Templum Hieroſolymitanum, ut orarent; de ritu igitur, nõ de loco uerba Chriſti accipienda ſunt, quemadmodum etiam uerba Malachiæ 1. *Non eſt, inquit, mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiet de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus.*

D. Cyril. Euthym. D. Thom. Caiet. Toletus. Actor. 3.

Malac. 1.

AD locum Matthęi dicimus, Dominum ibi pręcipere, ne oremus, ſicut Phariſęi faciebant, ideſt ob inanem gloriam; illi enim in angulis platearum orabant, ut ab hominibus viderentur; in cubiculo igitur, ideſt abſque inanis glorię intentione orandum eſt, & qui ſic orat, ſiuè in foro, ſiuè in Eccleſia, ſiuè in uijs oret, in cubiculo orat; & è contrà qui in cubiculo cum appetitu inanis glorię orat, extrà cubiculum orat, ut egregiè D. Io. Chryſoſt. in hunc locum dicit. Quidam per cubiculũ,

D. Chryſoſt.

ſecretum

ſecretum cordis interpretantur, diſtractioneſque, & peregrinationes mentis uolunt à Domino tempore orationis prohibitas eſſe, ſic Ambroſ. lib. 1. de Cain cap. 9. Hieronymus in cap. 6. Matth. & Auguſt. lib. 2. cap. 6. de ſermone Domini in Monte.

D Ambroſ.
D. Hieron.
D. Auguſt.

Ad tertium ex Paulo ad Timotheum, dico quòd ſenſus uerborum Pauli eſt, ſacrificium, & orationem publicam tempore legis Euangelicę non uni loco, ut Iudęi; ſed in pluribus Eccleſijs per Orbem erectis habendam eſſe; de his enim publicis orationibus, quas ſuperiùs Paulus obſeruationes, orationes, interpellationes, poſtulationes, & gratiarum actiones appellauerat, & pręſertim de his, quę in officio Miſſę recitantur, loquitur, ut D. Auguſt. in Epiſt. 59. ad Paulinum q. 5. ceteriq; Gręci expoſitores tradunt; uerba Auguſt. ſunt hęc: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Eccleſia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum cõminuitur, quam totam petitionem, ferè omnis Eccleſia Dominica oratione concludit*, & paulo poſt. *Porrò ſi vſitatius, ut dixi, in ſcripturis votum appellatur εὐχὴ, excepto nomine generali orationis, ea propriè intelligenda eſt oratio, quam facimus ad uotum, ideſt πρόσευχην; Vouentur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè ſancti Altaris oblatio*. Et infrà, cùm multa alia in hac ſententiam dixiſſet, ſubnectit; *Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apoſt.* Hęc ille. Tertull. antiquiſſimus Auctor in lib. de oratione cap. 14. ſacrificium Chriſtianorum orationem appellans, ſic ſcribit. *Quæ oratio cum diuortio ſancti oſculi integra? quem Domino officium facientem impediat pax? quale ſacrificium, à quo ſine pace receditur?* D. Baſilius ſerm. 2. de Baptiſ. cap. 8. cuius uerba ſuperius adduximus, hæc uerba Pauli ſimiliter interpretatur, ut orationis, ideſt ſacrificij locus Chriſtianorum non Hieroſolymę definitus ſit, ut olim Iudęorum, ſed vbique terrarum templa, & oratoria ad Sacerdotium glorioſi myſterij obeundum erigenda eſſe. Nec negamus, priuata oratione in omni loco fas eſſe orare Deum, dummodo loci turpitudo non obſiſtar, in quem ſenſum Ambroſ. Anſelm. Haymo, & alij uerba Pauli accipiunt; at id non ſolum Chriſtianis licet, ſed etiam Iudæis licuit, iuxtà illud Matth. 6. *Amant in Synagogis, & in Angulis Platearum ſtantes orare*: uidetur igitur ad literam Apoſtolus propter Iudæos, qui ſolum in uno loco publicè orabãt, poſuiſſe illa uerba, *in omni loco*; Quocircà præſcribens etiam mulieris habitum, quo ad orandum proficiſci deberent in templum, ſubdit, *Similiter mulieres in habitu ornato*; quæ eſt autem neceſſitas domi, dum ſolitaria agit, in habitu ornato mulierem orare?

D. Auguſt.
Tertull.
D. Baſil.
Ambroſ.
Anſelm.
Haymo.
Matth. 6.

Ad ultimum, Deum quidem eſſe ubique nõ omnibus modis, ſed per eſſentiam, præſentiam, atque potentiam; & ſicut in cœlis eſt aliquo peculiari modo; ideſt eſſentiam, & gloriam ſuam oſtendendo Beatis; unde dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis; & Dominus in cælo ſedes eius*, & ſimilia; ſic aliquo modo eſt in templis, quo nõ eſt in alijs locis, putà per exauditionem orationum, per oblati ſacrificij acceptationem, quæ propriè in templis fiunt; unde rectè dicitur Domus Dei, & Domus orationis, quòd in iſtis locis magis exaudiat, magiſque dona concedat; ſicut enim in ueteri teſtamento ſolùm ex Propitiatorio ſuper Arcam exiſtenti reſponſa ſemper dabantur, ſic in ſolis locis ſacris multa beneficia à Deo hominibus conceduntur, quos etiam magis in uno loco, quàm in alio exaudit.

Ex dictis concludendum eſt, rectè fideles potius ad hunc, quàm ad illum locũ peregrinari; ubi enim cumulatiora, & ampliora dona à Deo dantur, eò plures concurrere æquum eſt; & licèt ubique terrarum ſint aliqua loca ſancta, tamen ſæpè in alijs mundi partibus aliqua reperiuntur loca ſanctiora, ad quæ utile erit peregrinari; uel certè ſi non ſint ſanctiora, cùm ſint diſtincta ab illis, quæ in noſtris partibus exiſtunt, ex ipſa nouitate rei homo ad deuotionem feruentiùs excitatur. Adde, quòd ſæpè, licèt domi celebriora loca habeamus, vehementiori tñ affectu, peculiarique amore trahimur ab alicuius Sancti memoria, quæ procul à nobis diſtat,

Iure optimo fideles potius ad unum quã ad alium locũ peregrinãtur.

quocircà

quocircà eò peregrinari maximam homini utilitatem affert. Qui plura, & exactio ra circà hanc materiam, quam in primo & 3. cap. tractauimus deſiderat, legat Caniſium loco citato, & Illuſtriſſimum D. Robertum Bellarminum, qui dum hæc excuderentur, in ſacrum Cardinalium S.R.E. Collegium eſt cooptatus à S.D.N. Clem. VIII. 1. tom. controuerſia 7. vbi multa de hac re proſequitur, quorum nonnulla etiam nos hic delibauimus.

Caniſius. Card. Bellar.

CAPVT QVINTVM.

Quæ ſeruanda ſint, ut peregrinatio cum fructu ſpirituali, & pietate fiat.

Peregrinorũ conditio ex D. Chryſoſt.

DIVVS Chryſoſt. Hom. 24. in Epiſt. ad Hæbræos, exponens illa verba in cap. 11. *Quia peregrini ſunt, & hoſpites in terra;* inquit, *Prima virtus eſt & tota uirtus eſt, peregrinum eſſe huius mundi, & hoſpitem, & nihil commune habere cum rebus ſæculi, ſed remoueri ab eis, ſicut peregrinum. Sic Sãcti plerique circumeuntes in melotis, in pellibus caprinis, egentes, tribulati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, peregrinos ſe exiſtimabant, eaque uirtute sũmoperè prædıti erant; At Paulus, qui apicem perfectionis attigerat, amplius quid dixit, nec ſe ipſum peregrinum duntaxat, ſed ſe mundo, & mundum ſibi mortuum eſſe dicebat; mihi, inquit, mundus crucifixus eſt, & ego mundo: è contra nobis accidit; cum enim huius mundi ciues viuentes eſſe uolumus, cunctaque in hac uita negociari, fit; ut quod erant illi mundo, hoc eſt peregrini, & mortui, hoc ſimus nos Cælo; & quod illi erant Cælo, hoc eſt uiuentes, & ciues, hoc ſimus nos mundo. Semper enim terrenis inhiamus; & à terrenis nolumus abſcindi; ſed veluti vermes quidam ex terra in terram, & iterum ex alia in aliam circumrepimus, nec modicum recipere uolumus, nec auferre nos à cauſis hominum, ſed veluti quadam ſatietate, & ebrietate demerſi, & perculſi obſtupemus.* Aduerſus hos D. Petrus in prima ſua canonica, cap. 2. dixit: *Obſecro uos, tamquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.*

1. Petr. 2.

D. Bernard.

D. BERNARDVS ſerm. 7. in Quadrageſima, cui titulus eſt, de Peregrino, de mortuo, & crucifixo; perutiles enarrat Peregrini proprietates; *Peregrinus*, inquit, *uia regia incedit, non declinat ad dextram, neque ad ſiniſtram; ſi fortè iurgantes uiderit, non attendit; ſi nubentes, aut Choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus tranſit, quia Peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriã tendit; ueſtitum, & uictum habens, non vult alijs onerari. Beatus planè qui ſuum ſic agnoſcit, ſic deplorat incolatum, dicens Domino: quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Sic Bernard. Verùm etiam hoc gradu alium altiorem agnoſcit Chryſoſt. *Nam & Peregrini aliquando, & ſi Ciuibus non admiſcentur, delectantur tamen ſæpè ea uidere, aut audire, quæ ab alijs fiunt, vel etiam narrare, quæ uiderint, & ſic vel detinentur, vel retardantur ab itinere; Vnde qui mortuus mundo eſt, hac caret moleſtia; ò felix, inquit, mors, quæ ſic immaculatũ ſeruat, mũdo penitus alienũ facit ab hoc ſæculo. Sed & hoc perfectionis gradu alius ſuperior eſt, in quo mundus ipſi crucifixus eſt, & ipſe mundo, nec enim mori mundo ſatis eſt, ſi ſummam perfectionem aſſequi uelimus, ſed ignominioſum genus mortis ſubeundum eſt. Vnde Paulus de hac altitudine perfectionis loquens, dicebat, ad Galat. 6. mihi abſit gloriari, niſi in Cruce D. Noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; ac ſi diceret, omnia, quæ mundus amat, crux mihi ſunt, delectatio carnis, honores, diuitia, vana hominum laudes. Quæ verò mundus reputat Crucem, illis affixus ſum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.*

D. Chryſoſt.

Ad Galat. 6.

Quæ meditãda ſunt à Peregrinis hoc loco enarrantur.

Status vitæ præſentis.

Igitur primum, quod meditari debemus in peregrinationum exercitatione, eſt ſtatus, quo à Domino in hoc mundo peregrinamur, atque in hac mortali conuerſatione ita uerſari, ut tamquàm aduenæ, ad Patriam coeleſtem ſuſpiremus, quæ

prædeſti-

prædeſtinatis parata eſt ante mundi conſtitutionem. Sic Dauid Pſalm. 118. cane- Pſal. 118.
bat, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.*

Secundò, ut onus itineris peregrinantium ſpirituali dulcedine ſubleuetur, ali- Meditatio peregrinationis Chriſti.
qua puncta ex uita Chriſti, & B. Virginis meditanda ſunt, atque ea præcipuè, quę
peregrinationis effigiem præſeferunt. Primùm enim meditandum eſt, Chriſtum
Saluatorem Noſtrum verè in die carnis ſuæ in hoc mundo peregrinum fuiſſe, at-
que ſæpiſſimè, dum uiueret, peregrinatum. Vnde Hieremiæ 14. dicitur, *Expectatio* Ierem. 14.
Iſrael, Saluator eius in tempore tribulationis; quare quaſi colonus futurus es in terra, &
quaſi viator declinans ad manendum; quare futurus es velut vir vagus? ſic D. Hila- D. Hilarius.
rius, ſuper Pſal. 68. exponens illa verba; *Extraneus factus ſum fratribus meis, & pere-*
grinus filiys matris meæ; dicit, Chriſtum peregrinum fuiſſe filijs matris ſuæ, ideſt Iu-
dæis ipſum perſequentibus. D. Hierony. interpretans hæc verba Hieremiæ, duas D. Hieron.
affert expoſitiones; Iudæorum primam, qui hunc locum ſic intelligunt; *Quare ſe-*
gregas te à populo tuo, & quaſi viator propter unius horæ refrigerium, non curas qualis uta-
ris hoſpitio, ſed ad alia tranſiturus non ſaluas populum tuum, & templum quondam incli-
tum deſeris? Noſtri verò de futura Chriſti diſpenſatione dici putant, quòd futurus ſit pe-
regrinus in terra, & paruo tempore terra vſurus hoſpitio, & quaſi vir pertranſiens, ac ro-
buſtus; relicto Iſrael, tendat ad gentium multitudinem, ut de loco ad locum, de Populo ad
Populum, de templo ad Eccleſiam tranſeat. D. Greg. addit, *quoniam Iudei non audierũt* D. Gregor.
Chriſtum, ut Dominum, non agri poſſeſſorem, ſed colonum crediderunt, qui quaſi viator
ad manendum tantummodo declinauit, quia paucos ex Iudæa abſtulit, & ad gentium voca-
tionem pergens iter captum peregit; quem locum etiam exponens D. Auguſ. ait, *Filiys* D. Auguſt.
Synagogæ hoſpes factus eſt; In patria quidem ipſius dicebat. Nonne nos ſcimus, cum eſſe
filium MARIAE, *& Ioſeph, & unde ſit? Et alio loco; Hunc autem neſcimus unde ſit? fa-*
ctus ſum ergo hoſpes filiys matris meæ. Non ſcierunt unde ſim, de quibus erat caro mea, nõ-
ne ſciebant, de fœmore Abraham natum? unde caro mea occulta erat, quando ſub ipſo fæ-
more manum ſeruus ponens iurauit per Deum Cæli, Hoſpes, inquit, factus ſum filiys ma-
tris meæ; quare hoc? quare non agnouerunt? quare alienum dixerunt? quarè auſi ſunt dice-
re; neſcimus unde ſit? Et Euthymius dicit, fratres ſuos Chriſtum extraneum repu- Euthymius.
taſſe, cùm dicerent; *hunc neſcimus unde ſit,* & rurſus. *Nonne bene dicimus, quia Sama-*
ritanus es, & Dæmonium habes? atque ideò ipſe etiam Ioann. Euangeliſta dicebat;
In propria venit, & ſui eum non receperunt. Iſychius in cap. 19. Leui. exponens illa Iſychius.
uerba: *Pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes. Ego ſum Dominus Deus veſter;* ſic
dicit de Chriſto, *Primùm quidem illum manifeſtans, qui diuites facit, deinde eum, qui*
pro nobis pauper effectus eſt, & qui proſelytus in terra ſua factus eſt: in ſuis enim, uelut in
alienis, peregrinatus eſt, nec locum habens in terra diuerſorij: non enim pauperis, & proſe-
lyti ſuſciperet perſonam, ſi eis aduerſaretur. Vnde per Dauid dixit; propter miſeriam ino-
pum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Hæc ille. Cui congruunt
quæ ſcribit Origenes Homil. 34. in Matth. D. Ambroſ. Apol. de Dauid, & in ſer. Origen.
32. & D. Gregor. 14. Moral. cap. 21. Huius Chriſti peregrinationis, per quam è D. Ambroſ.
Cœlo uenit ad peregrinandum in terra, figura fuit peregrinatio Abraham in Ge- D Gregor.
raris. Geneſis 20. & illa, qua inter filios Heth tamquam aduena, & peregrinus uer-
ſabatur Geneſ. 23. peregrinatio Iſaac Geneſ. 26. Iacob Geneſ. 32. & 36. & 48. at- Geneſ. 20. 23. 26 32. 36 48.
que illæ peregrinationes, quæ leguntur Ruth 1. vbi narratur Hiſtoria de Elime- Ruth 1.
lech, qui peregrinatus eſt de Bethlehem Iuda in regione Moabitide, & 4. Reg. 8. 4. Reg. 8.
Thobiæ 12. & 20. & Iob 19. atque aliæ multæ, quæ in Scripturis habentur. Thob. 12. & 20.

Præcipuè autem in vita Chriſti meditandum eſt, non ſolùm illum peregrinari Iob 19.
cœpiſſe, cùm primùm natus eſt, ſed etiam antequam illum pareret Beata Virgo, Meditationes præcipuæ de vita Chriſti domini pro peregrinis.
dùm illum in vtero geſtaret; ſic in Montana aſcendens, concepto iam Chriſto de
Spiritu Sancto, Beata Mater Eliſabeth cognatã viſitauit, atque etiã ex Nazareth
ad Bethlehem perueniens, ad præſepe ut illum pareret declinauit, cùm non eſſet
ei locus in diuerſorio: ex quo facto Peregrini documentum ſumant, anguſtias, at-
que incommoda itineris, uel hoſpitij patienter ferendi.

Præterea in mentem reuocanda ſunt alia itinera, quæ Dominus ab incunabu-

lis ſuſce-

lis ſuſcepit, poſt 40. enim dies ab eius natiuitate ductus fuit ex Bethlehem in Hieruſalem, atque in templo præſentatus. Inter Bethlehem verò, & Hieruſalem inter ſunt ſex, vel octo ferè milliaria.

Deinde paucis ab hinc diebus, laborioſa illa, ac difficili peregrinatione à Nazareth in Ægyptum à Beata Virgine, & à Sãcto Ioſeph ſuſcepta ductus fuit, quod iter duorum menſium ſpacio ferè peragitur, in qua tùm ratione paupertatis, tùm ratione tenerrimæ ætatis, tùm etiam ratione temporis multa diſcrimina veriſimiliter perpeſſus eſt.

Deinde memoria repetendum eſt, quomodo per ſingulos annos cùm Beata Virgine ex Nazareth ad Templum Hieroſolymam aſcenderet, atque cùm eſſet annorum duodecim, quomodo in templo ſolus per triduum remanſerit, nec Virgo, vel Ioſeph id cognouerint, niſi in pago itinere unius diei ab Hieroſolymis diſtanti, quo in tempore, vt Bernard. Bonauent. & Landulph. annotant, pane mendicato victitauit, habitaſſeque creditur inter pauperes Templi: ex quo facto peregrini maximum ſolamen accipient, ſi in uia eleemoſinam petant, vel accipiant, vel etiam ſi contingat illos ad Xenodochium aliquod diuertere.

Matth. 4. & 9. Mar. 6. Luc. 9. Rursùs contemplandum eſt, quoties Dominus circuiret Ciuitates non ſine magno labore, & ſudore totius corporis, ut Euangelium prædicaret, ſic Matthæi 4. & 9. Marci 6. Lucæ 9. & dum ex Iudæa in Galilæam proficiſceretur, pertranſiens per Samariam fatigatus ex itinere ſuper fontem Iacob, qui prope Vrbem Sicar erat, ad ſagittæ iactum à porta auſtrali Sicar diſtans, ibique aqnam à Samaritana petijt, cui tandem aquam viuam veræ fidei, & æternæ gratię largitus eſt; & quamuis ſiti, ac fame ob itineris labores & nimiam laſſitudinem premeretur, ſitis tamen & cibi quaſi oblitus, conuerſionem Samaritanę ſitiens, per longum tempus huic vni rei vacauit.

Item Peregrinò meditãdum eſt, quoties breui tempore Chriſtus tempore ſuæ paſſionis ad diuerſos Principes, & Tribunalia ignominioſè tractus fuerit; ab Anna ſcilicet ad Caypham, à Caypha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode ad Pilatum, à Pilato ad locum ſententiæ, ac denique à loco ſententiæ ad locum mortis; atque in memoriam harum ſeptem deductionum Chriſti in paſſione inſtitutio viſitationis ſeptem Eccleſiarum in Vrbe emanauit.

Poſtremò, meditãda eſt vltima Chriſti peregrinatio poſt eius reſurrectionem, cum Chriſtus, ut peregrinus, iunxit ſed duobus diſcipulis, Cleophæ ſcilicèt, & Amaoni, ut Ambroſ. vel Lucæ, ut Chryſoſt. & alij volunt; euntibus in Emaus: in ea
Ambroſ. Chryſoſt. aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, in ea cor illorum ardebat, dum uerba vitæ illis Chriſtus loqueretur, in ea in fractione panis Dominum cognouerunt, in ea aperti ſunt oculi illorum, ut Chriſtum cognoſcerent.

CAPVT SEXTVM.

An peregrinis humanitatis officium ſit impendendum.

Impia opinio Diotrephis negantis officium charitatis peregrinis. Bernard. de Lutzembur. Beda. DIOTREPHES quidam, Apoſtolorum coæuus, de quo in epiſt. 3. canonica Ioannis fit mentio, in ea crudeli, atque inhumana opinione fuit, ut referente Bernardo de Lutzemburgo, in ſuo catalogo Hæreticorum, negaret, humanitatis officium peregrinis impendendum eſſe, de quo Hęreſiarcha in commentarijs in eumdem locum Ioannis Beda ſic ſcripſit, *Diotrephes vt videtur, erat Hæreſiarcha temporis illius ſuperbus, & inſolens, malens noua docendo primatum vſurpare ſcientia, quàm antiquis ſancta Eccleſia, qua Ioannes prædicabat, humiliter parere mandatis; Vnde benè Diotrephes inſulſus, ſiue decor inſanus, dicitur, vt*
Alpho. Caſtr. *perfidiam cordis, etiam nomine ſignificet.* Hæc Beda. Caſtro in lib. 12. contrà Hæreſ. uerbo, Peregrinus, exiſtimat, falsò hanc hæreſim Diotrephi imponi, & neque ex verbis

uerbis Beati Ioannis, neque Bedę quid tale colligi; quicquid tamē ſit, hunc errorē ex Scripturis, ex Patribus, & ex exēplis illuſtrioribus Chriſtianorum refutare, nō eſt difficile. Poſſet autem ex verbis Eccleſiaſtici c. 29. aliquo modo, falsò tamen, confirmari, dùm dicitur, *Vita nequam hoſpitari de domo in domum, & vbi hoſpitabitur non fiducialiter uget, nec aperiet os. Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet. Tranſi hoſpes, & orna menſam, & qua in manu habes, ciba cæteros.*

Eccleſ. 9.

SED ex manifeſtiſſimis locis Scripturæ, hoſpitalitatem genus pium miſericordiæ eſſe oſtenditur. Leuit. 23. *Poſt quam meſſueritis ſegetem Terræ veſtræ, non ſecabitis eam vſque ad ſolum, nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas.* Deuter. 14. *Peregrino, qui intra portas tuas eſt, da, vt comedat.* Iob 3. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* Iſaię 58. *Egenos, vagosq; induc in domum tuam.* Ioannis 13. *Qui accipit, ſi quem miſero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum, qui me miſit.* Ad Rom. 12. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes,* ad Hębręos 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci; per hanc enim placuerunt aliqui, Angelis hoſpitio receptis,* & 1. Petri 4. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.* Quid plura? nonne Matth. 25. in nouiſſimo die Dominus inter opera, quibus uel Cęlum, uel gehennam meremur, hoſpitalitatem in peregrinos enumerat? *Hoſpes fui,* inquit, *& recepiſtis me,* & è contrà, ut in Euangelio ibidem habetur. Prætereà, ut Origenes homil. 5. ſuper Geneſim notauit, an non ſola hoſpitalitate Loth ab incendio Sodomorum, & Gomorrhęorum liberatus eſt?

Quòd bona ſit hoſpitalitas in peregrinos, & ſancta. Leuit. 23. Deuter. 14. Iob 3. Iſai. 58. Ioan. 13. Ad Rom. 12. Ad Hæbr. 13. 1. Pet. 4. Matth 25. Orig.

IAM uerò apud Patres hoſpitalitatem peregrinorum commendatam eſſe, aperiamus. D. Auguſt. contrà hęreſes, ſic habet; *Diſce, Chriſtiane, ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatē, ne forte cui domum clauſeris, cui humanitatem negaueris, ipſe ſit Deus;* & in epiſt. 149. *Hoſpitio multo melius fertur malus, quàm eÿcitur bonus,* & in lib. 2. quęſtionum euangelicarum, *Hoſpitalitatis officio ad Chriſti cognitionem venimus.* D. Chryſoſt. homil. 44. ſuper Geneſim; *Hoſpitales Angelum, & Chriſtum ſuſcipiunt,* & ſuper Matth. homil. 11. ait; *Qualem mercedem habent, qui propter Deum peregrinantur, talem habet qui ſuſcipit peregrinantem, & fiunt ambo æquales, & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat.* D. Greg. in regiſtro, inquit; *Hoſpitem ſuſcipiens, ſuſcipit Chriſtum,* & ſuper 1. Regum; *Hoſpitalitatem,* ait, *reſpuens non fiet Epiſcopus:* eſt igitur uirtus hoſpitalitatis Deo gratiſſima.

Sanctorum Patrum auctoritates. D Auguſt. D. Chryſoſt. D. Gregor.

NVNC facta clariſſimorū Virorū afferamus. Abrahā Gen. 28. pręclariſſima hoſpitalitatis officia uiatoribus laſſitudine, fame, ſitiq; fatigatis, lotionem ſcilicèt pedum ad tergendas ex terreſtri itinere ſordes, tùm etiam cibum ad reficiendas uires, recreandumque animum, ac denique locum ad requieſcendum tribuit, dicēs; *Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauētur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, ponamq; buccellā panis, & confortetur cor veſtrum, poſtea tranſibitis: idcircò n. declinaſtis ad ſeruum veſtrū.* Adde quòd etiam alia tria urbanitatis munera erga illos pręſtitit, blandè enim hoſpites illos inuitauit, humaniterque accepit; deinde affabiliter, & liberaliter tractauit: deniq; digredientes amanter dimiſit; quin etiam aliquanto ſpacio eos proſequi, & comitari uoluit, & ſic omnes uirtutis hoſpitalitatis numeros adimpleuit. Hic autem mos deducēdi hoſpites antiquiſſimus fuit, teſte Homero, qui ualde laudauit Vlyſſem, quòd hoſpitum nedum ſuſceptor iucundus, ſed etiam comis deductor eſſet.

Exempla inſignium virorū de humanitate peregrinis exhibita. Geneſ. 28. Antiquus mos comitandi hoſpites extrà domum, in diſceſſu. Homerus.

Venerabiles, inquit, *hoſpites ſuſcipere, & deducere ſolitus.*

Idemque de Ioue hoſpitali prędicat.

Qui hoſpites, inquit, *venerandus ſimul comitatur.*

SANCTVS Siluester Romanus, vt Sabellius lib. 7. refert, cùm Timotheum hoſpitem ſuum ex Antiochia profectum, dùm viueret, à perſecutorum gladijs incolumem, eo quòd Chriſtianæ fidei cultor eſſet, ſeruare minime potuiſſet; martyrio conſumptum, atq; extinctum humi condidit, & quàm comiter viuo hoſpitium detulerat, tàm piè mortuo ſepulchrum detulit.

Sabellius.

Cerbonivs Popiſonienſis Antiſtes, dum ſuos pertinaciùs tegit hoſpites, qui à Totila ad ſupplicium requirebantur; ipſe Barbari Regis iuſſu, vrſorum laniatui obijcitur innoxius; quę res ruborem Regi incuſſit in eo ſæuiendi, cui ſęuiſſimæ feræ pepercißent.

Notiſſimum D. Gregorij exemplum conſultò prętermittimus, qui quotidie ex foro hoſpites accerſens Chriſtum meruit ſub ignoto pallio hoſpitem habere.

Marulus. Narrat Marulus lib. 1. Marinum Monachum paruulo in tugurio habitantem, aprum aliquando à venaticis canibus actum, & ad illum confugientem recepiſſe, quē ille apud ſe tamdiù latere permiſit, donec ei ſine periculo ad ſua luſtra redeundi facultas adfuit cui tantæ curę fuit; at tutum beſtiæ pręſtare hoſpitium, quo eum ſtudio, vel ſuſcepiſſe homines, vel ſuſcepturum fuiſſe putabimus?

D. Pavlvs Oneſiphorum Epheſium benedicit, quòd ſæpè illum hoſpitalitatis officio refrigerauerit. Sed prophana exempla de hoſpitalitate ſi quis uoluerit cognoſcere, legat Sabellium in loco citato, & Andream Eborenſem in poſteriori tomo. Illud ex Ariſtotile lib. 9. de animalium hiſtor. cap. 32, commemorandum eſt, qui de Aquila loquens ait. *Seneſcentibus Aquilis roſtrum ſuperius accreſcit, incuruaturque ſubinde magis, magiſque, vt demum fame intereant: cui rei data eſt fabula, vt hoc ita accidat Aquilæ, quoniam cum olim homo eſſet, hoſpiti iniuriam intulerit*; hæc ille. Ex quo cognoſcitur, etiam Ethnicis iniuriam hoſpitis abominabilem fuiſſe, ut propter hanc ſolam hominem in Aquilam transformatum fabulentur. Aliqua hoc in loco Chriſtianorum exempla inſignia etiam referamus.

Sabell. Andr. Ebor. Ariſtot. NOTA.

Exẽpla multorũ Chriſtianorum valde memoranda. Palladius.

Palladivs in Lauſiaca cap. 18. narrat, admirabilem, & ſanctam mulierem Melaniam 37. annos hoſpites excepiſſe, illis ea, quæ erant uſui, ſuis præbuiſſe ſumptibus, Eccleſijſque, Monaſterijs, hoſpitijſque & carceribus multas pecunias ſuppeditaſſe, nullumque eam conueniſſe, qui aliquam partem eius opum conſecutus non fuerit: tantopere autem in ſuſcipiendis peregrinis ex uniuerſo Orbe accedentibus Hieroſolymas occupatam fuiſſe; ut ne palmum quidem terræ amplius poſſideret.

D. Hieron. Divvs Hierony, quamuis in ſacris literis exponendis, & pręſertim hebraicis literis plenè cognoſcendis uehementer occupatus fuiſſet, nihilominus in ſuſcipiendis peregrinis, qui Hieroſolymam aduentabant, eiſque reſocillandis inteſiſſimus erat; ſic ipſe ſcribit in prooemio lib. 7. in Ezechielem, ad Euſtochium, excuſans enim ſe, quòd tardè Commentaria in Ezechielem èdiderit, dicit; *Fateor, me explanationes in Ezechielem multo ante tempore promiſiſſe, & occupatione de tota huc Orbe venientium implere non poſſe, dum nulla hora, nullumque momentum eſt, in quo non fratrũ occurramus turbis, & monaſterij ſolitudinem hoſpitij frequentia commutemus; ut tantum, ut aut claudendum ſit nobis oſtium, aut ſcripturarum, per quas aperiendæ ſunt fores, ſtudia relinquenda*. Hęc ille.

Verùm quęrere poſſet hic aliquis, an peregrini tempore famis ab Vrbe ſint arcendi.

Peregrini tẽpore famis nõ ſunt arcẽdi ab Vrbibus. ex D. Ambroſ.

Divvs Ambroſ. lib. 3. de officijs cap. 7. tomo 4. pluribus oſtendit, peregrinos tempore famis ex Vrbe arcendos non eſſe, quod non ſolum inhoneſtum, ſed etiã inutile propoſitis cõprobat exemplis: ſed eius uerba audire iniucundum non erit: *Sed & illi, qui peregrinos Vrbe prohibent, nequaquam probandi, expellere eo tempore, quo deberent iuuare; ſeparare à commercijs communis parentis, fuſos omnibus partus negare: inita iam conſortia viuẽdi auerruncare, cum quibus fuerint communia iura, cum his nolle in tempore neceßitatis ſubſidia partiri: feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem? feræ, ac beſtiæ communem putant omnibus uictum; quem terra miniſtrat; illæ etiam conformes ſui generis adiuuant, homo impugnat, qui nihil à ſe alienum debet credere, quicquid humani eſt: quantò ille rectiùs, qui cùm iam prouecta proceßiſſet ætate, & famẽ toleraret Ciuitas, atque ut in talibus ſolet, peterent vulgo, vt peregrini Vrbe pellerentur; præfecturæ Vrbanæ curam cæteris maiorem ſuſtinens, conuocauit honoratos, & locupletiores viros; popoſcit, ut in medium conſulerent, dicens; Quàm immane eſſet peregrinos eijci, quàm hominem exuere, qui cibum morienti negaret? canes ante menſam impaſtos eſſe*

non pa-

nõ patimur, & homines extrudimus? quàm inutile quoque tot populos mundo perire; quos dira conficeret tabes? quantos Vrbi ſua perire, qui ſolerent adiumento eſſe, vel in conferendis ſubſidijs, vel in celebrandis commercijs? neminem fame aliena iuuari, protrahere vt plurimum diem poſſe, non inopiam repellere, immò tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidentibus, occaſura in perpetuum ſubſidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre conſueuerũt? Hos nolumus in tempore neceſſitatis paſcere, qui nos omni ætate pauerunt? Hæc Ambroſius, atque etiam plura alia, quæ apud illum legas.

Quod etiam in Scriptura honeſtum eſſe demonſtrari poteſt; legitur enim Leu. 19. *Si habitauerit aduena inter vos, diligetis eum, quaſi voſmet ipſos;* & Exod. 22. *Aduenam non contriſtabis, neque affliges; viduæ, & pupillo non nocebitis; ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.* De benignitate, & humanitate in peregrinos ſuſcipiendos lege Surium tom. 6.

Idem ex ſcriptura oſtenditur Leuit. 19. Exod. 22.

Surius.

Ioſephvs primo libro antiquitatum, inter cætera flagitia Sodomorum commemorat, eos fuiſſe impios aduerſus Deum, & inhoſpitales, atque inhumanos erga homines, unde iure optimo tàm horrendo flagello à Deo punitos fuiſſe.

Ioſephus.

CAPVT SEPTIMVM.

Quænam ſint celebriora loca Religionis Chriſtianæ, ad quæ deuotionis cauſſa fit peregrinatio.

Indicanda ſunt in hoc capite illuſtriora loca, ad quæ ueteres religionis cauſſa ſunt maximè olim peregrinati. Atque in primis, omnibus, qui uel mediocriter in hiſtorijs ſacris, uel ueterum Patrum ſcriptis uerſati fuerint, compertiſſimum eſt, maximè ſolemne inſtitutum fuiſſe, atque etiam hodie apud Chriſtianos eſſe ad Sacra Palęſtinę loca peregrinandi; cuius rei exempla præter ea, quę ſuperiùs adducta ſunt, quàmplurima alia etiam huius ſæculi adduci poſſent, ſed quoniam hic non probare, ſed indicare decreuimus; non erit cur amplius in hac re immoremur.

Antiqua peregrinatio ad loca ſancta Palæſtinæ.

Illud ſolùm ex D. Hieronymo adijciendum eſt, Beatam Virginem poſt Chriſti in Cœlum Aſcenſionem, cæteris ſuis ſanctiſſimis exercitationibus hanc quoque addidiſſe, ut ea loca, in quę vel Natiuitatis, uel Circumciſionis, uel adorationis Magorum, ultimæ Cęnæ, orationis in horto, mortis, & ſepulturę, & ſimilium myſteria peracta ſunt, ſumma pietate, deuotione, ac grauitate ſæpiſſimè inuiſerit: à temporibus uerò Conſtantini, frequentiſſima eſt Chriſtianis huiuſmodi locorum uiſitatio, ac uotum huius peregrinationis rarò, & à ſolo Romano Pontifice diſpenſatur. Quocircà non minus impiè, quàm doloſè Eraſmus in Moria, in colloquijs, & in apologijs, peregrinationem ad loca ſancta, & pręſertim ad ſepulchrũ Domini, deriſit. Vt enim hanc pietatem inanem eſſe oſtenderet, auſus eſt dicere, nunc ignorari, ubinam fuerit ſepulchrum Domini, immò & ipſa Hieroſolyma; ſic vulpinam malitiam cùm craſſa ignorantia texit, atque coniunxit.

B. Virgo etiã ſãctis peregrinationibus operam dabat. ex D. Hiero.

Dolus, & impietas Eraſmi.

Iam verò poſt Petri, & Pauli martyrium celeberrima peregrinatio meritò illa habetur, quę ad Apoſtolorum Principum limina à toto Orbe peragitur, quàm Imperatores, Reges, alijque Proceres obijſſe nemini obſcurum eſt. Hanc Carolus Mannus, filius Caroli Primi, & Carolus Magnus Imperator ex uoto ſuſceperunt, & compleuerunt. Sicut etiam Federicus Imperator, & Aſtulphus Rex Anglię. Qui Aſtulphus Eccleſię Sancti Petri, quam uiſitauerat, Regnum ſuum tributarium conſtituit.

Peregrinatio ad ſacra limina Apoſtolorum.

D. Bernardvs in uita Sancti Malachię Epiſcopi, ex Hybernia ſcribit, tpe Innocentij Secundi, cũ per integrum menſem loca ſancta, uenerabileſque reliquias Vrbis uiſitaſſe. Floruit autem hic S. Malachias anno ab incarnatione Domini 1148.

D. Bernard.

Rugger. Ciſt. Riccard. Pręmonſtr. Mombrit. Petrus. Claud Rota. Bonfinius. Surius. Sigebertus. Baron.

Hanc quoque Romanam peregrinationem perfecit Beata Vrſula cum undecim millibus Virginibus eo tēpore, quo Attila Ciuitatem Colonię obſeſſione uexabat, atque in reditu ex Vrbe ab Vnnis ſæuiſſimè trucidatę, martyrio coronatæ fuere. Ita Roggerius Ciſtercienſis, Riccar. Pręmonſtratenſis. Mombrit tom. 2. Petrus, in catal. lib. 9. cap. 87. Claudius Rota cap. 154. Bonfinius de rebus ungaricis decad. 1. lib. 5. Sur. to. 5. & Sigiber. in chron. dicit, id accidiſſe anno Domini 453. Card. Baron. Martyrol. 21. Octobris.

Votum huius peregrinationis eſt quoque Sedi Apoſtolicæ reſeruatum, cui adeò illud gratum eſt, vt anathematis mucrone percutiat eos, qui Romipetas deuotionis cauſa uel impediunt, uel percutiunt, vel quouis alio modo moleſtiam inſerunt.

D. Ambroſ.

Frequentiſſimo cętu Romæ, tùm Petri in Vaticano, tùm Pauli uia Oſtienſi Baſilicas in die eorum Martyrij uiſitari ſolitas docet D. Ambro. in hymno eius diei, ut indicet tria loca à populo ea die uiſitari.

Tanta per Vrbis ambitum,
Stipata tendunt agmina,
Trinis celebratur vijs
Feſtum Sanctorum Martyrum.

Prudentius. Theodorus lector. Paulinus. Baron. Beda. Turonen.

A Prudentio illa dies bis feſta dicitur, & Theodorus lector lib. 2. collectaneorum, ſcribit, Feſtum Senatorem Rom. Legatum apud Anaſtaſium Imperat. aduerſus Gręcos ſtatuiſſe, ut ſolemnitates, & Natalitia Apoſtolorum frequentiſſimo Populo, ac ſplèndidiſſimo cultu peragerentur. Nec ſolum Romani ſed etiam exteri ex longinquis partibus ad huiuſmodi ſolemnitatem accedebant, teſte Paulino Epiſ. 13. ad Seuerum, & 16. ad Delphinum, & Galla Placida ad Pulcheriam Imperatricem, quod nos ſuperiùs etiam diximus, & Card. Baron. notauit in Martyrol. die 29. Iunij. Lege Bedam lib. 5. Hiſt. Anglorum cap. 10. vbi Ecgberti verbi Dei concionatoris egregij deſiderium proficiſcendi ad limina Apoſt. adoranda narratur, licèt ob maius bonum diuina reuelatio aliò illum uocauerit. Gregorius Turonenſis libro 6. hiſtor. cap. 6. narrat, peregrinationes multorum ad limina Apoſtolorum, ſanitatis ergò recipiendæ, & præſertim cuiuſdam incolæ Andegauenſis, qui mutus, & ſurdus Diacono eodem properanti aſſociatus, à ſancto hoſpitio priuſquàm eò perueniret, ſanitatem recepit.

Peregrinatio ad Templum Sanctæ Theclæ. Euſeb. Baron. Greg. Nazian. D. Baſil.

Fvit apud veteres famoſiſſima peregrinatio in Seleuciam ad Templum Sanctæ Theclæ Virginis, & Martyris, de cuius martyrio Euſeb. lib. 8. cap. 13. & 16. ſcribit, anno Chriſti 303. ut ex Cardinali Baron. tom. 2. Hanc peregrinationem D. Baſilius ſuſcepit, ut Greg. Nazianzenus innuere uidetur, in oratione in laudem Baſilij, ſicque eius interpres cenſet, quamuis idem Card. Baron. tom. 4. annal. in aliam eat ſententiam, cùm enim Greg. dicat, Baſilium non peregrinationem, ſed peregrinationes neceſſarias quaſdam ſuſcepiſſe, manifeſtè ſignificare uiſus eſt illas peregrinationes, quas ad uiſendos Monachos Ægypti, Palęſtinæ, Syriæ, & Meſopotamiæ inſtituit; cùm eorum inflammatus exemplo, reuerſus in patriam idem viuendi genus conſectatus ſit, vt ex Baſilij Epiſtola ad Euſtachium cognoſcitur.

N.zian.

Divvs Greg. Nazianzenus fugiens Seleuciam, cùm adminiſtrationem Eccleſię Nazianzenę recuſaſſet, ad Sanctę Theclæ memoriam deuotionis gratia ſe recepit; fuiſſe autem hanc fidelium peregrinationem tunc temporis frequentiſſimam, idem Greg. in carm. de uita ſua Iambis uerſibus ſic cecinit.

Non deſinebam dicere Gregi Præſulum
Magni hoc ab ipſis muneris poſcens loco,
Epiſcopum quemdam oppido, ut præponerent.
Illudque vere dictitans, nullam mihi
Datam eſſe ſedem publico præconio;
Ac rurſus iſtud pectori iam olim meo
Sediſſe, amicos linquere, & negocia,

Cùm

Cùm non mouerent hæc eos, vel quòd me
Amor hos teneret, uel quòd hos faſtus grauis:
Primùm fuga me confero Seleuciam,
Vbi Virgo Thecla fanum habet celebre admodum.
Sic forte, dicens, temporis feſſi mora,
Tradens habenas cupiam, hoc ſperans fore,
Illic peregi tempus haud ſanè breue.

Quod tempus breue, Cardinalis Baron. tom. 4. annal. exiſtimat, fuiſſe ſex annos, ſcilicet uſque ad Valentis necem.

Baronius.

Præterea in Aphricam ad reliquias Sancti Stephani Prothomartyris percelebrem fuiſſe peregrinationem, ex D. Auguſt. 22. de Ciuit. Dei ſuprà oſtendimus. *Miracula autem ſanitatum* inquit D. Auguſt. *ut alia miſſa faciam, ea tantummodo ſi uelim ſcribere, quæ per hunc Martyrem, ideſt glorioſiſſimum Stephanum, facta ſunt in Colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri; nec tamen omnia colligi potuerunt, ſed tantum de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis.* Oroſius Presbiter Hiſpanus primus omnium in Aphricæ regionem Prothomartyris uenerandas reliquias detulit, ut notauit Card. Baron. die 3. Auguſti in Martyrol. Apud Gallias eiuſdem Sancti Stephani reliquię delatę in eos, qui illos uiſitabant, multa miracula ediderunt, ut Greg. Turonen. hiſt. lib. 1. ca. 31. & de glor. Marty. cap. 33. Eius quoque Eccleſia, quę Anconę extat, in qua habetur ſaxum, quo ille in cubitu percuſſus eſt, teſte D. Auguſt. ſerm. 31. & 32. de diuer. non mediocrem habuit populorum concurſum: de ea Sanctus Greg. lib. 1. Dialog. cap. 1. meminit.

Peregrinatio ad Reliquias Sācti Stephani Prothom. in Aphrica. D. Auguſt. Baron. Greg. Turon. D. Greg.

In Campaniam quoq; ad Templum Sancti Felicis Nolani Presbiteri, & Martyris illuſtrem fuiſſe peregrinationem, ſuperius ex Paulino, & D. Auguſt. demonſtratum eſt: exiſtimat Baron. Felicem illum Epiſcopum Nolanum, cuius feſtus dies agitur die 9. Nouembris, & de quo eodem die in Martyrol. Rom. apud Bedam, Vſuardum, Ado. & alios recentiores habetur, longè alium eſſe diuerſum ab illo, quem Sanctus Paulinus in ſuis natalibus celebrauit. Vnde ſequitur, Caniſium lapſum in hac re fuiſſe in lib. 5. cap. 24. ſui Marialis: hic enim Felix, quem celebrat Paulinus, & ad cuius ſepulchrum ex toto Orbe ſupplices fideles accedunt, Nolæ poſitum, Presbiter, non Epiſcopus fuit; huius vitam Beda ſoluta oratione conſcripſit; & Marcellus Presbiter ad Leonem Epiſcopum in manu ſcriptis; de quo etiam ſcripſit D. Auguſt. Epiſt. 137. & libro de cura agenda pro mortuis, cap. 16. & Sanctus Damaſus peregrinationem ad eius corpus deſcribens; ſic cecinit.

Qui ad te ſollicitè uenientibus omnia præſtas,
Nec quemquàm pateris triſtem repedare uiantem,
Te duce ſeruatus, mortis quòd uincula rupi.

Ita Cardinalis Baron. in Martyrol. 14. Ianuarij.

Peregrinatio ad Templum Sancti Felicis Nolæ. Duo Sancti Felices inter ſe diſtincti ex Baronio. Caniſius. Beda. Marcellus Presbiter. D. Auguſt. Damaſus.

In Cappadociam ad Baſilicam 40. Martyrum, crebra fuit fidelium profectio; fuerunt enim hi 40. milites omnes Cappadoces, è diuerſis tamē ciuitatibus oriundi, vt Sanctus Baſilius in ſuo percelebri ſermone de illis ſcribit; quamuis paſſi ſint Sebaſte Ciuitate Metropolitana minoris Armeniæ, vt Gaudentius Epiſcopus Brixianus in ſermone, quem habuit de ædificatione Baſilicæ in eorum honorem à ſe erectæ, poſtquam ex Cappadocia in Italiam uenit, ubi etiam illorum reliquias à duabus neptibus Sancti Baſilij conceſſas, honorificè repoſuit: opera uerò Sanctæ Pulcheriæ Auguſtæ, vt ſcribit Sozomenus lib. 9. cap. 2. Nicephorus lib. 14. cap. 10. & Beda de ſex ætatibus mundi, quædam aliæ eorum reliquiæ inuentę ſunt. Percelebris quoque in honorem 40. Martyrum Conſtantinopoli erecta fuit Baſilica, à Tiberio Imperatore inchoata, abſoluta uerò à Mauritio eius ſucceſſore, ut in hiſt. Miſcel. lib. 17. anno quinto Mauritij Imperatoris legitur; ad quam magnus quoque fuit concurſus populorum. D. Baſilius vitam, D. Greg. Niſſenus duas ſtylo eloquentiſſimo orationes de his Martyribus ſcripſit; & plura Card. Baron. in Martyrol. 9. Martij.

Peregrinatio ad Baſilicam Quadraginta Martyrum. D. Baſil. D. Gaudent. Sozomenus. Nicephor. Beda. Hiſt. Miſcell. D. Baſil. D. Greg. Niſſ. Baronius.

Peregrinatio ad Templum Sancti Gaudioſi Neapolis.

In Campaniam, Neapolim ad Eccleſiam Sancti Gaudioſi Epiſcopi, vbi uitrea ampulla concreti ſanguinis Sancti Ianuarij ab eodem Gaudioſo ex Aphrica fugiente aſportata conſeruatur, multa populorum multitudo confluit, maximè ob miraculum, quod in eodem ſanguine relucet, uſque hodie perſeuerans; ubi enim ſuper altare ampulla ponitur, dum ſacra Miſſarum ſolemnia celebrantur, concretus ſanguis liqueſcit, ac velut recens effuſus ebullire cernitur.

Peregrinatio ad Eccleſiam Sancti Martini in Gallia. Conc. Tur. 1. Baron.

In Galliam ad Eccleſiam Sancti Martini Epiſcopi, & Confeſſoris Turonēſis, qui anno Domini 397. ad Dominum migrauit, quàmplurimi ex uoto proficiſcuntur, ut ex Concilio primo Turonenſi conſtat, quod 14. die Menſis Nouembris, ut notauit Card. Baron. in Martyrol. die 11. eiuſdem Menſis agebatur celebris ſolemnitas, quæ Receptio Sancti Martini dicebatur; cùm enim Pictauienſes conarentur corpus eiuſdem Sācti ſibi uendicare, poſt multas altercationes à Turonenſibus clàm ablatum fuit, nauigioque impoſitum magna omnium alacritate in Vrbem Turonenſem receptum eſt; qui dies à magna concurrentium copia celebratur, ut ſcribit Greg. Turonen. hiſtor. Francorum lib. 1. capitulo vltimo. Ad ſepulchrum huius Sancti Clotarius Imperator acceſſit, ibique humi proſtratus multas èffundens lachrymas ueniam ſuorum peccatorum à Domino eſt conſecutus. Pipinus quoque infirmus ad idem ſepulchrum delatus eſt. Rex Clodoueus, cum certamen contra Alaricum Arrianum inire uellet, multis donarijs miſſis ad Eccleſiam Sancti Martini, eius precibus victoriam obtinuit.

Greg. Turon.

Marty. Rom.

In Galleciam Hiſpaniæ ad Beati Iacobi Apoſtoli corpus, famoſiſſima ac frequentiſſima ex omnibus Orbis Chriſtiani partibus, religionis, & uoti cauſſa ſuſcipitur peregrinatio. Martyrol. Rom. 25. Iulij, eſtque huiuſmodi uotum ex quatuor Summo Pontifici reſeruatis.

In Apuliam, apud Montem Garganum, ad Templum, ſeú Cryptam Sancti Michaelis Archangeli valde frequenter Chriſtiani vſque hodie peregrinantur; quod etiam Otho Tertiùs Imperator, ut ſuperiùs dictum eſt, poſt Romę acceptam Imperij Coronam fecit. Petrus Damianus in vita Sancti Romualdi apud Lippomanum tom. 8.

Petrus Dam. Lippoman.

Ad Catanam Siciliæ iuxtà Æthnam, ad Sanctæ Agathæ Martyris reliquias nobilis peregrinatio fuit; ubi & mater Sanctæ Luciæ curata eſt.

Socrates. Sozom. Ruffin. Greg. Tur. D. Chryſoſt. Mart. Baron.

Fvit etiam olim ad ſepulchrum Sancti Thomæ Apoſtoli apud Edeſſam in Syria, ubi in eius honorem ampliſſima conſtructa erat Baſilica, ex longinquis, remotiſſimiſque Chriſtiani Orbis partibus copioſa habita peregrinatio, ut ſcribit Socrates lib. 4. cap. 14. Sozomenus lib. 6. cap. 18. Ruffinus lib. 2. cap. 5. Greg. Turonenſis de gloria Martyrum cap. 31. quod etiam D. Ioannes Chryſoſt. in hom. 26. non longe à principio in Epiſtola Pauli ad Hæbræos innuit, dicens, ſepulchrum Sancti Thomæ notum eſſe, & in veneratione habitum, ſicut ſepulchra Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod etiam notauit Baron. in Martyrol. 3. Iulij.

Card. Baron.

In Gallia ad Templum Sancti Dionyſij Areopagitæ, frequens eſt peregrinatio. An autem idem ſit hic Dionyſius cum illo, qui fuit Pariſienſis Epiſcopus, abundè tractat Cardinalis Baron. tùm in Annal. tùm in Martyrol. 9. Octobris.

Pratum Spirituale. Syno. Ephes. Baron.

Celeberrima peregrinatio apud veteres fuit Epheſum, ad ſepulchrum Sancti Ioannis Euangeliſtæ, cum præſertim illud certa traditione tenerent, ibidem apud eumdem Apoſtolum Beatam Virginem Dei Genitricem diù moratam fuiſſe. De hac Epheſina peregrinatione extat luculentiſſimum teſtimonium in Prato Spirituali, cap. 180. lege Epheſinam Synodum in Epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum, ut refert Card. Baron. in Martyrol. die 26. Nouembris.

Tabulę Eccleſiæ Mediolan. Galeſin.

Apvd Mediolanum maximus fuit olim concurſus peregrinorum ad inuiſendas reliquias Sanctorum Martyrum Geruaſij, & Prothaſij, & corpus glorioſiſſimi Confeſſoris, & Doctoris Sancti Ambroſij; in hiſtor. autem legitur, quòd S. Aquilinus ex Gallia accedens ad uiſitandam Eccleſiam Sancti Ambroſij, dùm ibi oraret, martyrio ab Arrianis affectus fuit: ità habetur in tabulis Eccleſiæ Mediolanenſis, & apud Galeſinium in eius uita.

Conſultò hic relinquimus Eccleſias in honorem B. MARIAE Virginis Matris Dei, in diuerſis Orbis Chriſtiani partibus erectas, ad quas percelebres Chriſtianorum peregrinationes aſſumuntur, cum iam ſuperius, quæ ſint illuſtriora eius templa indicauerimus, nec opus eſt ſæpius eadem repetere. Illud unum notatione dignum eſt, in toto Orbe nec in nomine Saluatoris, nec in honorem aliorum Sanctorum reperiri Eccleſias tot numero, quot ſunt Eccleſiæ Beatæ Virgini dicatæ, ut notauit Pelbartus, in ſuo Stellario lib. 11. par. 1. cap. 12. Placuit autem nobis inter omnes ædes Beatæ Virginis unicam Lauretanam noſtram ſeligere, atque circà eam plurima, ac grauiſſima pertractare, præter illa, quæ in libro noſtro de fuga dicta fuere.

Eccleſiæ in honorem B. Virginis per totum Orbẽ erectæ excedunt numero omnium Sanctorum Eccleſias.

Pelbartus.

Lib. de Fuga.

CAPVT OCTAVVM.

De vtili peregrinatione ad Sanctam Aedem Lauretanam.

FLORENTISSIMVM eſt apud Italos in Piceno agro, apud Recinetenſes Domicilium, & Templum, in quo Verbum caro factum eſt, Sacroſanctæ Virgini dedicatum, quod Lauretanum à Laureta Muliere Domina illius Prædij, uel Siluæ, in qua cum primùm trans Adriaticum ſinum ab Angelis euectum eſt, nuncupationem accepit. Eſt ſanè locus iſtè terribilis, Domus Dei, & porta Cœli, cùm in eo ſelectiora, atque inſigniora quædam diuina myſteria fuerint conſumata. Ibi Beatiſſima Dei Genitrix Virgo concepta; ibi ex Ioachino, & Anna nata, ac deinde educata fuit; ibi à Gabriele Archangelo nunciante Dei Genitrix ſalutata; ibi Saluatorem ſęculorum ex ſuis caſtiſſimis ſanguinibus carnem ſuſcipientem concepit, ibi eum Virgo lactauit, educauit, ac denique per plures annos Deus homo Ioſeph, Mariæque ſubditus demoratus eſt, iuxtà illud Lucæ, cap. 2. *Et venit in Nazareth, & erat ſubditus illis.*

Summa Lauretani templi dignitas, atq; maieſtas.

Cœleſtia atq; diuina Myſteria in alma Domo Lauretana celebrata.

Luc. 2.

Mutauit hoc ſacroſanctum cubiculum quinq; locorum ſtationes, atque in his ſingulis ſemper illuſtriſſimum, atque celeberrimum, diuiniſque gratiarum copijs venerandum, & admirandum fuit. Ac primùm in Nazareth Galilęæ Oppido intra ædes Ioachini, & Annæ domicilium hoc conſtructum fuit, quod ab Apoſtolis poſt Chriſti in Cœlum aſcenſionem, ob ſingularia, & ineffabilia ibidem peracta myſteria, in domum orationis conſecratum eſt, diuiniſque myſterijs peragendis deputatum; in quo Miſſę ſacrificium Petrus, cæterique Apoſtoli operati ſunt, vt Beda atteſtatur, tom. 3. de locis ſanctis cap. 16. & Iudocus Clicthouæus in ſerm. 2. atque etiam Paulinus antiquiſſimus ſcriptor, in Epiſt. 11. ad Seuerum, ubi ſic inquit, *Mater Augusta patefactis ad opera ſancta theſauris, tota abuſa fiſco eſt; quantoque ſumptu, atque cultu Regina poterat, & Religio ſuadebat, ædificatis Baſilicis, contexit omnes, & excoluit locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria pietatis ſuæ, incarnationis, & paſſionis, & reſurrectionis, atque aſcenſionis Sacramentis Dominus Redemptor impleuerat.* Hæc ille. D. Hieronym. de locis hæbraicis, de eadem re ſic ſcribit; *Eſt Nazareth, vbi Chriſtus egit, viculus in Galilæa iuxtà montem Thabor, unde, & Dominus noſter IESVS Chriſtus Nazarenus vocatus eſt, habetque Eccleſiam in loco, quo Angelus ad Beatam Virginem euangelizaturus intrauit.* Hæc ille. Locus autem, in quo Incarnationis myſterium operatum eſt, fuiſſe apud Nazareth, atque cubiculum illud ipſum, in quo Deipara habitabat, ex Euangelio Lucæ euidentiſſimè cognoſcitur. *Miſſus eſt*, inquit, *Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*, & paulò poſt; *Ingreſſus Angelus ad eam dixit. Aue gratia plena, &c.* Neque de hoc vllo mõ fas eſt dubitare. Hoc autem cubiculum eo ſæculo, in quo apud Palęſtinam manſit, maximo in honore habitum fuiſſe, atque ſummopere frequentatum docent hiſtorię, & præcipuè illa, quam Clicthouęus de Sancto Ludouico Rege Francorum, narrat, dicit enim, quòd ſedente Alexandro Quarto, cum ille Terram Sanctam ex-

Trãſlationes huius Sanctæ Domus.

Domus Lauretana ab Apoſtolis in tẽplum conſecrata.

Beda Vener. Iudoc. Clicth. Paulinus.

D. Hieron.

Locus Incarnationis apud Vrbem Nazareth.

Luc. 1.

Celebritas Domus Lauretanæ adhuc in Palæſtina exiſtentis.

Clicthouęus.

pugnaſſet, & adhuc in Galilæa eſſet vnà cum exercitu ſuo, hanc Virginis Ædiculam in Nazareth viſitauerit, atque in ea genibus flexis magna cordis contritione preces ad Deum fuderit. Sed & cæteræ hiſtoriæ, quę peregrinationem ad Terram Sanctam referunt, hunc etiam Sacroſanctæ Incarnationis locum complectũtur, vt apud Hieronymum lib. epiſt. tom. 1. epiſt. 17. ad Paulam, & Euſtochium, & Marcellam ſub finem videre eſt. Beda ſcribit, Nazareth duas grandes Eccleſias habere, alteram, vbi domus erat, in quam Angelus ad Beatam Virginem venit.

D. Hieron.
Beda.

Sãcta Domus è Nazareth tranſijt primùm ad Illyricos.

Habuit deinde ſecundam ſedem apud Illyricos, cum ex Galilæa, deferentibus Angelis, cubiculum illud auguſtiſſimum ad Caſtellum, cui Flumen nomen eſt, apud Illyricas oras tranſlatum fuit. Maumethana enim Barbarie, atque impietate Palęſtinam inuadente, Chriſtianaque Religione ibidem planè defloreſcente, ut inferius dicemus, non placuit Beatę Virgini inter eos populos habitare. Vnde Nicolao Quarto Piceno ſedente, hæc Virginis Lauretanę Domus primò è Nazareth ad Illyricos euolauit, atque ibidem per triennij ferè ſpacium plus, minus quieſcens, maxima edidit miracula, atque omnibus ad eam confluentibus, quorum cõcurſus copioſus erat, dona ſanitatis, & curationum pręſtabat; ſic Alexandro venerabili Sancti Georgij Terſacti Priori in ſomnis apparens ſanitatem reddidit.

Ex Illyrico tranſijt ad ſiluam Laurete mulieris in agro Recinetenſi.

Tertia ſedes fuit, cum Angelorum opera trans Adriaticum mare in agrum Recinetenſem, in Siluam Lauretæ Matronę, quę tribus paſſuum millibus ferè à mare diſtat, collocatum fuit: quo in loco incredibili hominum piorum concurſu ſacra Ædes frequentabatur; ſed ingraueſcentibus iniquorum, ac pręedonum malis, atque ſceleribus, factum eſt, ut ad eos ſpoliandos, & necandos in ſilua ſe ſe latrones abderent, ac plurimos illuc tranſmeantes interficerent: quod ſcelus Beatiſſima Virgo execrata, domicilium alio ſuum tranſtulit.

Translata quartò fuit in collem duorũ fratrum.

Fuit igitur quarta illius ſedes in colle duorum fratrum; eam enim ob cauſam, quam indicauimus, à ſilua ad montem miniſterio Angelorum tranſlatum eſt; cumque maxima dona precioſaque munera ab hominibus concurrentibus cumulatiſſimè offerrentur, acerbiſſima inter duos fratres ob lucrum diſſenſio ſuborta eſt: extant uſque hodie ueſtigia apud ſiluam, & pręedictum montem eius rei, quam narramus.

Poſtremò in publicam Viã Vrbis Recineti.

Verùm Rex pacificus, ut pręedictas diſſenſiones, ac lites dirimeret, uoluit quintò in viam publicam Recineti, quę ad mare ducit, huiuſmodi domicilium transferri, atque ibidem ſtabilem, quietam, ęternamque, ut ſperamus, ſedem recipere.

Populorum ad hanc ſacratiſſimam B. Virginis Ædem frequencia.

Admiranda ſunt beneficia, quę ibi homines conſequuntur; concurſus populorum eſt omninò innumerabilis: eò Principes, Duces, ac Reges pro gratijs obtinendis, eò Summi Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Pręlati, eò Religioſi, Layci, Viri, ac Mulieres, ex omni Orbis parte per totum annum perpetua celebritate acceduntillic teſtimonia gratiarum tabellis, cereis, alijſque donarijs expoſitis à columnis, & parietibus Eccleſię innumera pendent, vt propterea pluribus peregrinatio ad hanc ſacram Lauretanam Ædem extollenda non ſit, cum toto Orbi celebratiſſima ſit, & perſpectiſſima.

Cur Deus toties vo'uit ſanctam Domũ de loco ad locũ transferri.

Ad extremum, animaduertere illud operępręcium eſt, ſummo Dei conſilio, multiplicem hanc Sanctę Domus migrationem effectam eſſe, nimirum, ut crebra eius facti frequentatione inauditum, inſolitum, ac planè ſingulare miraculum primi à Galilæa diſceſſus, credibilius, ac magis perſuaſibile hominibus redderetur, omniſque plane dubitationis ſcrupulus remoueretur.

CAPVT NONVM.

Ponuntur argumenta xxi. Petri Pauli Vergerij Hæretici aduerſus Domum Lauretanam.

REcitanda ſunt hoc capite argumenta, quę ſacrilegus Vergerius, impius Pſeudoepiſcopus, protulit aduerſus Idolum Lauretanū (ſic enim prophana, atque execranda lingua illa locuta eſt) ut deinde in poſtremis capitibus à nobis radicitùs diſſoluantur, eſt igitur

Primum argumentum. Hęc hiſtoria ex diametro pugnat cum hiſtoria, & doctrina Euangelij, Actuum Apoſtolorum, & totius ferè Scripturę; quia Matt. 1. dicitur; *Cùm eſſet deſponſata mater* IESV MARIA *Ioſeph, antequàm conuenirent, inuenta eſt in vtero, habens de Spiritu Sancto. Ioſeph autem eius Vir, cùm eſſet iuſtus, & nollet eã traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere* MARIAM *Coniugẽ tuam*. Quis non videt, MARIAM fuiſſe in domum Ioſeph adductam, ut mos eſt maritis, & non Ioſeph fuiſſe receptum unà cum ſponſa in domo Ioachim, & Annę? — Argumenta ſeù potius deliramẽta Vergerij. Matth. 1.

Secundum argumentum, Nicephorus, cap. 8. Eccleſiaſt. hiſtorię lib. 1. *Itaque in Nazareth*, inquit, *cùm Ioſeph domicilium habens, & ab Angelo Gabriele latum accepit nuncium, dicente, Aue gratia plena*; & cap. 12. eiuſdem libri, *Chriſtus*, inquit, *in domo Ioſeph circumciditur*; non ergò nutritus eſt in illo ipſo cubiculo, in quo fuerat nata mater, ſed partim in domo Ioſeph, partim in Ægypto. — Nicephorus.

Tertium, Lucas in Actis Apoſtolorum nullam facit mentionem de myſterijs in iſta Domo completis; quare ergò dicit hiſtoria, quòd Apoſtoli illam in Eccleſiam conſecrarunt? & tamen ibi omnia Apoſtolorum geſta diligenter ſcribit. Qui autem in ſcribenda hiſtoria tacet ea, quæ uera, & magna ſunt, is profectò dignus, eſt, qui pro mendace habeatur; & procul dubio res magna eſt iſta.

Quartum. Nec in Actis Apoſtolorum, nec in Euangelijs legimus, Apoſtolos ullam conſecraſſe Eccleſiam; neque Deum iuſſiſſe, ut ſibi, uel matri, uel ſanctis ędificaretur Eccleſia, excepto templo Hieroſolymitano.

Quintum. D. Lucas non depinxit, nec opere fecit imaginem Lauretanæ Virginis, quia ſcriptum eſt; *Non facies tibi ſculptile*.

Sextum. Quomodo Apoſtoli celebrarunt in ea domo diuina officia, ſi in Eccleſia Chriſti nullus eo tempore erat uſus Eccleſiaſtici officij?

Septimum. Cur dicit hiſtoria Lauretana, tranſtuliſſe Angelos domum Diuæ MARIAE ex Oriente ad nos, quando ille populus deſeruit fidem Domini Noſtri IESV Chriſti? cùm conſtet, anno 600. Mahumetum diſſeminaſſe ſectam ſuam uſque ad mediam Iudæam: ſi poſt 1200. cur Hiſtoriographi, & alij ſcriptores de re tam inſigni nullam mentionem fecerunt? vel ſi populi propter diminutionem fidei Chriſtianæ, digni non erant ſanctiſſima iſta ædicula, cur tamdiu poſt amiſſionem, aut certè diminutionem fidei apud illos eſt relicta?

Octauum, ſi Angeli non ſunt paſſi, ſacram ædiculam eſſe inter fidei contemptores; cur paſſi ſunt, & patiuntur, ſacrum Sepulchrum, Natiuitatis, & Paſſionis locum eſſe apud infideles?

Nonum, ſi Virgo MARIA humillima eſt, & totum honorem filio deferri cupit; cur dicit, ideò ſuſtuliſſe ſuum cubiculum ex Illyrico, quia nõ deferebatur ei cultus debitus? ſi eadem Virgo MARIA eſt prudentiſſima, cur non præuidit fore, ut Illyrici, & homines in Silua, & fratres in Monte non deferrent illi debitum honorem, ob idque oportere transferre inde ſuum domicilium?

Decimum, ſi dicit, myſteria huius ædiculę fuiſſe reuelata cuidam Sancto Viro; quis credat, fuiſſe reuelationem potius, quàm ſomnium, aut delirium, aut figmentum? Pre-

tum? Prætereà quis eſt iſte, cui facta eſt reuelatio? quod fuit viro nomen? quæ patria, quæ profeſſio, quæ uita, quæ auctoritas?

Vndecimum. Nō eſt uериſimile, propter uerba huius Sācti Viri ſexdecim Marchiæ Legatos profectos fuiſſe Hieroſolymam, & vſque in Galilæam; cum ſint illi viri cordati, & expenſæ mille ſcutorum uix ſufficerent ad conficiendum illud iter trium millium milliariorū: prætereà nuſquàm exprimuntur nomina Legatorum, nulla fit mentio de loco congregationis factæ, non eorum, qui hoc decreuerunt.

Duodecimum, decimumtertium, & decimumquartum, ſi erat domus iſta, uel Camera domus, ut ait hiſtoria, ubi ſunt alia cubicula? vbi aliæ manſiones ſub eodem tecto? ſi una Camera, quomodo à cæteris diuulſa? quomodo potuerunt Legati reperire fundamenta huius cubiculi ab alijs diuulſa, ſi ſuperbiſſima ædificia tanta annorum diuturnitate collabuntur, & ad nihilum rediguntur? quomodo

Ioſephus, Dio. iſta domuncula remanſit integra, & illæſa? ſi teſte Ioſepho lib. 7. Belli Iudaici, & Dione in uita Traiani, nō modo Hieruſalem, ſed tota Iudæa conquaſſata eſt, & tota ferè deſolata, quomodo hæc Domus remanſit illæſa? aut quomodo eius fundamenta uideri potuerunt?

Decimumquintum, Quomodo Beata Virgo, mediante illa Camera, facit miracula; cùm effectus miraculorum ſoli Deo attribuatur? aut quomodo precibus, & interceſſionibus Matris; cùm conſtet ex Scripturis, precibus, & interceſſionibus Iesv Chriſti omnia nobis concedi?

Decimumſextum, Nullam fidem miraculorum aſtruunt tabellæ uotiuæ, ueſtes pecuniæ, cerei, & alia, quia ſæpè illi mentiuntur, qui illa offerunt; & Sacerdotes ipſi illa fingunt ob ſpem lucri.

Decimumſeptimum, Dæmones ſua naturali uirtute talia miracula edere poſſunt, apparent enim in uiſu, medentur languoribus ſuis præſtigijs, ſua membra

Matth. 14. adiuuant ad confirmationem ſui erroris, iuxtà illud Matth. 14. *Surgent enim Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, &c.*

Decimumoctauum, Reuelatio facta Patri Paulo à ſilua, cur noctu? cur in lumine longitudinis duodecim pedum, & ſex latitudinis? quis ille alius, quàm Monachus? cur in eo lumine Virgo Mater de Cœlo deſcendere credatur, cum è Cœlo omnia proſpiciat?

Decimumnonum, Duo Teſtimonia Franciſci Prioris, & Pauli Rinalducij non fuerunt legitima, non præſente, aut iubente Magiſtratu, aut præſente Notario examinata.

Vigeſimum, Si ſacra Ædicula fuit in ſilua, & in monte duorum fratrum, cur non apparent veſtigia?

Dantes. Petrarcha. Boccatius. Vigeſimumprimum, Quare Dantes Algerius natus anno 1260. mortuus 1321. Franciſcus Petrarcha natus 1304. mortuus 1374. Ioannes Boccatius natus 1314. mortuus 1372. notiſſimi nouarum rerum ſcriptores nihil tale ſuis temporibus actum retulerunt? A narratione rerum maximè notabilium ſibi temperare illi ſummi viri nulla ratione potuiſſent.

Nota de Vergerio. His præcipuè machinis inuidus, & ſceleſtus hæreticus, doctrinæ ignarus, religionis Apoſtata, Pſeudoapoſtolus, Pſeudoepiſcopus, ex Angelo lucis in tenebrarum Angelum conuerſus, Deiparæ Virginis hoſtis, inimicus Chriſti, eiuſque cultus, & honoris perfidus impugnator; omnibus neruis Domicilium, in quo primum noſtræ ſalutis opus effectum eſt, demoliri & ad terram proſternere omninò contendit. Hunc impurus quidam, & ſceleſtus Dalmata, Illyricus nuncupatus, in Centuria mendaciorum Papiſtarum ſecutus eſt; in ſuis enim rapſodijs adeò aduerſus Lauretanam Domum furit, & debacchatur, ut Lauretani Idoli (ſic enim blaſphemat) mendacia horrenda, & infinita eſſe garriat, quibus tota Italia, uel etiam Europa contaminetur; hypocritas, ac Impios Idolatras eos audeat appellare, qui deuotionis ergò Lauretum peregrinantur: ò profanum, ac ſceleſtum os: ò geminum barbariçe impietatis par, quorum alter impij Luciani ſpiritum, alter Iuliani Apoſtatæ formam induiſſe uidetur; dum ille imaginem Deiparæ Apoſtolica manu

ca manu exculptam, in execrandum Idolum impijs verbis connettere nititur; hic verò eius miracula, mendacia, ac fallaces impoſturas petulanter pronunciat. Sed mirum non eſt, cùm hæreticam prauitatem ſola Virgo in uniuerſo mundo interimat; immò nihil omnes hæreticos vehementiùs urat, nil eos magis torqueat, nil denique acerbiùs comprimat, quàm Lauretana Ædes; quemadmodum enim Dæmones, ut experimentis continuis conſtat, ad eius nomen pauent, ad eius conſpectum fremunt, coram illa poſiti contremiſcunt, & fugiunt; ſic Hæretici à dignitate Lauretani templi confunduntur, ab eius gloria, & excelſa maieſtate opprimuntur, celeberrima eius fama illos angit, concurſus populorum immenſus deprimit, ac denique miraculorum innumera multitudo illos obiurgat, atque elingues reddit: ſed iam ſtulto iuxtà omnem ſtultitiam ſuam reſpondeamus.

Summopere torquet hæreticos Lauretana Virgo ſanctiſſima.

CAPVT DECIMVM.

Reſponſiones ad prædicta xxi. argumenta Vergerij.

NOn me præterit, Petrum Caniſium, virum & ſanctitate & doctrina inſignem, lib. 5. de Sancta MARIA Deipara cap. 25. & Franciſcum Turrianum, egregium Doctorem Theologum, omnibus ferè his argumentis appoſitè reſpondere. Vnde ſuperuacaneum alicui fortaſſe uideri poſſet, quòd tamquam rem actam nunc nos agamus; ſed cùm ipſi in libro noſtro de fuga polliciti fuerimus, & vehementiùs, & exactiùs cum Vergerio nos acturos, eiuſque obiectiones funditùs euerſuros, id hoc loco prætermittere non potuimus; non eò quòd Vergerium magnifaciamus, uel eius argumenta ullius momenti eſſe exiſtimemus; ſed quoniam penſum, quod prædictæ Sanctiſſimæ Domui Lauretanæ debemus, uinculumque, quo ei tamquam ſponſæ adſtringimur, id omninò à nobis exigit, ut illud B. Virginis, quæ tota pulchra eſt, omnique macula caret, domicilium à cunctis Hæreticorum contumelijs, atque iniurijs noſtro etiam labore uindicetur. Contrà nonnulla etiam argumenta Vergerij, & præſertim aduerſus impiam eorum inſcriptionem, de Idolo Lauretano, multa ſcripſit Hippolitus Chizzuola Brixianus, Canonicus Lateranenſis. Iam verò ad rem ipſam accedamus.

Cur etiam ipſe Auctor his hæreticorum argumentis reſpondeat. Caniſius. Turrianus.

Hippolitus Chizzuola.

CAPVT VNDECIMVM.

Ad primum Argumentum reſponſio.

AD PRIMVM dicimus, non Ioſeph, ſed Mariam apud Nazareth propriū domicilium habuiſſe, illamque domum, in qua Ioſeph cum puero IESV, & Maria in Nazareth habitauit, nō fuiſſe propriè domum Ioſeph; ſed Mariæ; cùm enim Ioſeph ex Bethlehem oriundus eſſet, eiuſque Ciuis, (erat enim ex ſtirpe Bethlehemitica, de domo ſcilicèt, & familia Dauid per lineam maſculinam deſcendens, Lucæ 2. & 3.) non in oppido Nazareth, ſed Bethlehem ante Virginis deſponſationem habitabat: Vnde Epiphanius genealogiam Ioſeph ex habitatoribus Bethlehem deſcribit; atque cum is in Bethlehem ſua Ciuitate domum propriam non haberet, ut bene notauit Caietanus Lucæ 2. & ex contextu Euangelij euidenter colligitur, cum Chriſtum natum in præſepio extrà diuerſorium, ſeu hoſpitium commune apud Bethlehem, ad quam Maria, & Ioſeph à Galilæa Ciuitate Nazareth aſcenderant, Lucæ 2. legamus; ſi enim Ioſeph in Ciuitate Bethlehem propriam domum habuiſſet, utique iam iam parituram Virginem coniugem ſuam eò duxiſſet. Igitur neque Nazareth Ioſeph propriam

Mariæ domū non Ioſeph Nazareth extitiſſe probat.

Luc. 2. & 3.

Epiphan.

Caietan.

Luc. 2.

domum,

domum, cùm alioquin pauperrimus eſſet, habuiſſe exiſtimandum eſt, erat enim artificio faber.

An B. Ioſeph fuerit faber ferrarius, aut lignarius. D. Ambroſ. D. Iuſtin. D. Thomas. Lyranus. D. Hilarius. D. Anſel. Ven. Beda.

An autem fuerit faber lignarius, uel ferrarius incertum eſt, ut Caiet. in Matth. cap. 13. notauit, & Patres ambiguè de ea re loquuntur. D. Ambroſ. lib. 3. in Lucã, in initio, utrumque indicat. Iuſtinus in Dialogo cum Triphone poſt medium, D. Thomas, & Lyran. in cap. 13. Matth. affirmant, fabrum lignarium fuiſſe, Chriſtũque ſæpe illum iuuiſſe. D. Hilarius Can. 14. in Matth. Anſel. in Matth. cap. 13. Beda in cap. 23. libri ſecundi in Marcum, ferrarij artem exercuiſſe inſinuant, dum illum appellant fabrum ferrum igne vincentem; quicquid tamen ſit, illud certum eſt, tamquam pauperem, mechanica arte ad hanc vitam tranſigendam uſum fuiſſe, ac fortunæ bonis vacuum extitiſſe.

D. Chryſoſt. Paupertas maxima B. Ioſeph, & B. Virginis.

Vnde D. Chryſoſt. homil. de Natiuitate Domini, in locum illud Lucæ 2. *Et reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio,* inquit, *Quicumque pauper eſt, accipiet conſolationem; Ioſeph, & MARIA Mater Domini non habebant ſeruulum, non ancillam: de Galilea, de Nazareth ſoli veniunt, non habebant iumentum; ipſi ſunt Domini, & famuli. Rem nouam: ingrediuntur in diuerſorium, non ingrediuntur in Ciuitatem: paupertas enim timida, inter diuites non audebat accedere; videte magnitudinem paupertatis, in diuerſorium vadunt; non dixit, quòd erat in via, ſed in diuerticulo erat extrà in via, hoc eſt non in via, ſed extrà viam:* Sic Chryſoſt. Lege Ioſephum contrà Appionem lib. 1. Epiphanium hæreſi 78. & Iuſtinum in lib. de veritate religionis Chriſtianæ.

Ioſephus. Epiphan. Iuſtin.

Euodius. Nicephor. Oratorium fœminarum in tẽplo Iudæorum. Ioſephus.

VERVM cùm iam Beata Virgo trimula eſſet, in Templo eſt præſentata, vt teſtatur Euodius Epiſcopus Antiochenus, apud Nicephorum lib. 2. hiſto. cap. 3. atque ibidem annos 11. traduxit. In Templo enim non ſolum erat locus diſcretus in interiori eius parte, in quo ſolùm fœminæ orationis cauſa conueniebant, ut refert Ioſephus de bello Iudaico, lib. 6 cap. 6. ſed etiam in inferiori eius parte multæ cellulæ conſtructæ erant, in quibus fœminæ, quæ ſe Deo vouerant, tutè, & abſque aliqua nota, vel labe ſuſpicionis ſimul cohabitarent, ut ex eodem Ioſepho lib. 8. antiquitatum cap. 3. & lib. 13. colligitur, & ex D. Ambroſ. lib. 2. de Virginibus; atque etiam ex ſecundo Machab. 3. in illis verbis, *Sed & Virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam,* & Exod. 38. dicitur, *Labrum æneum cum baſi ſua factum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio Tabernaculi,* & 4. Reg. 11. ſcribitur, Ioſabam Regis Ioram filiam ſex annos clàm in domo Domini habuiſſe ſecum Ioas filium Ochoziæ, quem de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, furata erat, & Lucæ 2. de Anna Propheteſſa, expreſsè legitur, quòd non diſcedebat de Templo ieiunijs & orationibus ſeruiens nocte, & die. Erat igitur in Tẽplo Salomonis, ẽt poſt inſtaurationem, locus accommodatiſſimus, vbi huiuſmodi Virgines cohãbitare poſſẽt, vt ẽt Caniſ. lib. 1. de Deipara ca. 12. & Card. Baron. in apparatu, ſcribunt, vt clarius etiam apparebit ex libro de Templo Salomonis, qui iam excuditur, & paulo poſt in lucem edetur. Inde verò Beata Virgo Sacerdotum manibus Ioſeph eſt tradita, eique cum decimum quintum annum attigiſſet deſponſata; nec enim Iudæi ad opes, vel ad honores in contrahendis matrimonijs; ſed ad genus ex antiquorum ſtemmate deductum, atque probatum, teſte eodem Ioſepho, contrà Appion. lib. 2. reſpiciebant. Deſponſata autem Virgo, atque in matrimonium Ioſeph tradita, parentibus prius reddita eſt, qui eam domum propriam, & paternam reducerent, & quę ad futuras nuptias neceſſaria erant, prępararent. Erant autem ſponſalia huiuſmodi, non minoris vinculi quàm ipſę nuptiæ, ut ex Phylone lib. de ſpecial. leg. ſcribebantur enim in tabulis mariti; & vxoris nomina, in ſolemni amicorum conuentu; & ſi quid ſponſa, vel virgo quandoque nuptura in paterna domo manens errati commiſiſſet, eadem pœna, qua & nupta plectebatur, vt ſcilicèt lapidibus obrueretur, ſi in adulterij crimen impegiſſet: quod expreſsè Deuto. 22. habetur, & D. Hier. in cap. 1. Matth. & S. Thom. 3. par. q. 29. art. 1. ad quartum, tradunt. Hic autem erat mos apud hæbræos mulierum deſponſatarum, ut in paterna domo uſque ad nuptias detinerentur.

4. Reg. 11. Luc. 2. D. Ambroſ. 2. Machab. 3. Exod. 38. Caniſius. Baron. B. Maria Virgo deſponſat. Beato Ioſeph. Ioſephus. Redditur parentibus pro celebratione nuptiarum. Solemnitas ſponſaliorum apud hebręos ex Phylone. Deuter. 22. D. Hieron. D. Thom.

Addit Lyranus in cap. 1. Matthæi, quòd deſponſatio fiebat apud illos per aliquot dies antè aſſiduam cohabitationem, & interim erat uxor ſub cuſtodia viri ibidem commorantis. Quod idem D. Anſelmus in eumdem locum Matthæi ſcripſit his verbis: *Deſponſatio fiebat per aliquod tempus ante aſsiduam cohabitationem, & interim erat ſub cuſtodia mariti ſui uxor, & frequenti uiſitatione donec ſolemnia nuptiarum celebrarentur*. Et licèt frequentior ritus hæbræorum in fœminis deſponſandis is eſſet, quem refert Chryſoſt. in primum caput Matt. ſcilicèt, ut priuſquam legitimum inter virum, & uxorem coniugium iniretur, ſponſa in domum ſponſi traduceretur, atque illic nuptias aliquantiſper expectaret; nihilominus cùm ſponſus propria domo carebat, ut de Ioſeph dictum eſt, hæc ſponſæ cuſtodia in ipſius ſponſæ domo à viro fiebat; quocircà apud Nazareth in domo Virginis, ubi primùm deſponſata permanſit, à ſponſo Ioſeph id factum fuiſſe neceſſariò aſſerendum eſt. Gerſon, atque alij nonnulli exiſtimant, hanc MARIAE & Ioſeph deſponſationem primùm Hieroſolymis contigiſſe, ac deinde, ſiuè in Ioſeph, ſiuè in parentum MARIAE Domo aliquem familiarem ſponſæ, & ſponſi conuictum interceſſiſſe, priuſquàm ſolemnis nuptiarum contractus celebraretur, quem habitum fuiſſe aſſerunt, poſtquam Virgo à viſitatione Eliſabeth ex ædibus Zachariæ reuerſa fuit. Tunc enim Ioſepho Angelus nocte dixit. *Noli timere accipere MARIAM coniugem tuam*.

Lyranus. D. Anſelm. D. Chryſoſt. Gerſon.

VERVM, matrimonium inter MARIAM, & Ioſeph non ſolùm, quoad ſponſalia de futuro, ſed etiam quoad contractum, ut dicunt, de præſenti, & quoad omnem eius eſſentialem perfectionem, ante Verbi incarnationem perfectum fuiſſe, certiſſimum eſt: hæc enim communiſſima eſt ſententia Patrum, & Theologorum in 4. diſtin. 29. & 30. & D. Thom. 3. par. quæſt. 29. art. 1. & 2. quod etiam Origenes homil. 6. in Lucam optimè comprobauit, & ex Lucæ 1. euidenter colligitur, dùm Angelus ad Virginem iam deſponſatam mittitur: quæ deſponſatio non ſolùm pura ſponſalia importat, ſed etiam verum, & proprium matrimonium ratum, ut benè Ianſenius, & alij annotarunt; & Auguſt. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 11. dicit, quòd Beata Virgo coniux uocatur ex prima fide deſponſationis, quam ibidem vocat uinculum coniugale, & fidele coniugium: neque enim inter Virginem, & Ioſeph ſolum pactum ad mutuam cohabitationem interceſſit, uel ſola uerborum deſponſatio; ſed verum, ac ratum matrimonium cum mutuo conſenſu in vinculum coniugale, non autem in copulam carnalem, Deo ſic annuente: quo nomine multi antiquorum Patrum negant, Ioſeph maritum MARIAE fuiſſe, ut D. Hieron. Matth. 1. dùm dicit Ioſeph fuiſſe nutricium, non maritum. D. Bernard. homil. 2. ſuper miſſus eſt, *Virum*, inquit, *nominat, quia homo uirtutis erat, non quia maritus*. Greg. Niſſenus in homil. de Sãcta Chriſti natiuitate, inquit, *Quæ tamen coniunctio ſponſalia non eſt egreſſa*; idem Epiph. hæreſ. 78. D. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 12. Cyprianus in ſermone de Paſſione Domini, Ambro. Epiſt. 79. lib. 2. in Lucam, in principio, & libro de inſtitutione Virginis cap. 6. & 7. D. Chryſoſt. homil. 4. & 5. in Matth. ac denique Petrus Chryſologus ſermone 175. *Ioſeph*, inquit, *maritus ſolo nomine, conſcientia ſponſus*. Hi enim Patres, atque etiam alij, quos conſultò prætermittimus, negant, Ioſeph fuiſſe maritum, uel Virginem coniugem quoad actum matrimonij conſumati; uidelicèt copulæ carnalis, quæ nequaquam eſt de eſſentia matrimonij, ſed eius uſum tantum reſpicit, ut rectè Thomas Vualdenſis in tom. 2. de Sacramentis, cap. 130. docuit, & ex Concilio Florentino in decreto Eugenij de Sacramentis, Tridentino ſeſſione 24. & ex Nicolao Papa in Capitulo, *Sufficiat*, 27. queſt. 2. apertè colligitur. Sed tempore Angelicæ ſalutationis, quod ad rem noſtram proximè facit, iam inter Virginem, & Ioſeph uerum, & ratum matrimonium fuiſſe, illa ratio neceſſariò perſuadet; quòd cùm huiuſmodi matrimonium ob illum finem à Deo ordinatum fuerit, ne Virgo ob diuinum conceptum alicuius infamiæ nota inuri poſſet, profectò eo tempore, quo Virgo concepit, iam virum legitimè coniunctum habuiſſe dicendum eſt, ex quo apud omnes reputari poſſet honeſtè, & abſque ulla turpitudine concepiſſe.

Verum & perfectum matrimoniũ inter B. Virginem, & D. Ioſeph licèt non conſumatum. D. Thom. Origen. Luc. 1. Ianſenius. D. Auguſt. D. Hieron. D. Bernard. Niſſen. D. Cyril. D. Cyprian. D. Ambroſ. D. Chryſoſt. D. Chryſol. Tho. Vualdẽ. Conc. Flor. Conc. Trid. Nicolaus Papa. Quod tẽpore ſalutationis angelicæ matrimoniũ ratum fuerit inter B Virginẽ & D. Ioſephũ

Abulen. Caietan. Abulenſis Matth.2.poſt quæſt.33.quem ſequitur Caiet.ſuper 3.part.quæſt.29.
art.2. in reſponſ. ad 3. putat, tempore annunciationis nondùm fuiſſe nuptiarum
ſolemnitatem celebratam, nec Ioſeph Virginem in domeſticum conſortium rece
piſſe, uel quod idem eſt, inter eos eo tempore perfectum matrimonium quoad co-
Luc.1. habitationem in eadem domo nō interceſſiſſe. Lucæ enim primo dicitur, Beatam
Virginem ex domo Zachariæ non in domum Ioſeph, ſed in domum ſuam reuer-
D.Anſelm. ſam fuiſſe; cui ſententiæ uidetur ſubſcripſiſſe Anſel. Matth. 1. exponit enim uerba
illa; *Noli timere accipere* MARIAM, quę poſt monitionem Angeli dicta fuere; ſcilicèt
nuptiali conuentu, & aſſidua cohabitatione; & illa alia; *Cum nollet eam traducere*,
exponit, in domum ſuam, & aſſiduam cohabitationem.

Refutatur opinio Abulenſ. Sed profectò, ut certiſſimum ponendum eſt, tempore conceptionis filij Dei,
Mariam, & Ioſeph in eadem Domo cohabitaſſe: quod expreſſe aſſerit D. Chryſ.
D Chryſoſt. homil.4. in Matth. Ianſenius, & Titelmanus Matth.1. & D.Thomas 3.par.quęſt.
Ianſen. Titelman. 29. artic.2. ait, hoc magis eſſe conſonum Euangelio, quod etiam innuunt Niſſe-
D.Thomas. nus, & Epiphanius locis citatis: & optimis rationibus confirmatur, ſi enim nu-
Niſſenus. ptiæ iam celebratæ erant ante filij Dei incarnationem, quomodo ueriſimile eſt,
Epiphan. Matth.1. non cohabitaſſe? Item ſi Ioſeph uoluit occultè dimittere eam, ut Matth.1. igitur
D.Ambroſ. anteà fuerat ad cohabitandum admiſſa, ut enim inquit D. Ambroſ. lib. 2. in Lu-
cam initio, *Quam non accepit nemo dimittit, & ideo qui uolebat dimittere, fatebatur ac*
D.Thomas. *ceptam*; Accedat huc ratio magiſtralis Sancti Thomæ, quòd aliàs famæ Beatę Vir
ginis ſufficienter prouiſum non eſſet, quando enim ſponſa concipit dum eum
ſponſo cohabitat, meritò maritalis conceptio intelligitur; ſi uerò ante cohabita-
tionem concipiat, ſemper eſt dubia, uel ſuſpecta conceptio. Adde, quòd cùm veri-
ſimile ſit, Ioſeph cum Maria ad Domum Zachariæ aſcendiſſe, ibique cum ea tri-
bus menſibus moratum fuiſſe, magis ueriſimile eſt anteà quoque cum Maria ha-
bitaſſe: quomodo enim in aliena domo ſimul cohabitaſſent, qui nondùm in pro-
pria habitabant? denique uerba illa. *Noli timere accipere Mariam*, non ſignificant,
Chryſoſt. ſponſam denuò in domum Ioſephi introducendam, ſed ut Chryſoſt. Ambroſ.
Ambroſ. Theophylac. Theophylactus, & Euthymius exponunt, illis Ioſeph admonetur ab Angelo, ut
Euthym. ſponſam, quam domi habebat, & animo, & deliberatione dimiſerat, domi reti-
neat, ita ut ſit ſenſus. Noli timerę accipere, ideſt tecum illam habere, & cum illa
ſimul uiuere, & cohabitare, omnemque ſuſpicionem abijcere, animum item, ac
propoſitum mutare. Prætereà uerbum illud, *Et nollet eam traducere*; non ſignificat
in domum propriam adducere, ſed diffamare in publicum, & ut adulteram accu-
Origen. ſare, ut Origenes homil. 1. in diuerſis, & communiter cæteri expoſitores; quæ in-
terpretatio tùm ex ui verbi græci deſumitur, quod interpretatum propriè ſignifi-
cat exemplificare, hoc eſt proponere illam per accuſationem adulterij in ſpecta-
culum, & exemplum alijs; tùm etiam ex illis verbis Euangelij, *Cùm eſſet iuſtus*,
Ioſeph magna iuſtitia. hęc enim magna Ioſephi iuſtitia non in eo poſita erat, quòd in domum ſuam nol-
let eam admittere, ſed in illo, quòd & ſibi uolebat conſulere, ne cum adultera co-
habitaret, & coniugi, ne illā uituperaret; vnde inter hæc duo optimum elegit me-
dium, eam occultè dimittendi, ideſt non à domo illam expellendo, cùm Virgo
iam in domo ſua eſſet, ſed recedendo ab illa, & repudium ei dando, quoad coha-
D.Auguſt. bitationem: ità D. Auguſt. Epiſt.54. & ſerm.16. de uerbis Domini, & ſer.14. nati-
D.Ambroſ. uit. B. Ambroſ. de inſtit. Virg. cap.5. D.Greg. homil.16. in Euangel. Iuſtinus in
D.Gregor. Dialogo contrà Tryphonem, & Caiet. in eumdem locum Matth. etſi alij hanc
D.Iuſtin. Caiet. iuſtitiam Ioſeph in eo ponant, quòd ob nimiam ſanctitatem, quam in Virgine
iam grauida cognoſcebat, nulla paſſione incitatus, uel affectione obcæcatus; ſed
ſummo ſtupore, atque admiratione raptus in eam tandem iudicij deliberationem
deuenerit, ut à tali muliere ſeiungeretur, eam occultè, & in ſilentio dimittendo.
D.Hieron. Sic Hieron. in Matth. Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 1. & Bernard.
Auctor Imperfe. homil.2. ſuper Miſſus eſt, & nonnulli alij; ſed prima expoſitio magis communis,
D.Bernard. & literalis eſt. Igitur in eadem Domo cohabitaſſe Ioſeph, & Mariam ante filij
Dei incarnationem ſatis, ſuperque probatum eſt.

At dices,

At dices, nondum plenè oſtenſum eſt, eos cohabitaſſe in domo ſponſæ. Sed quatuor coniecturis, vel argumentis ex Euangelio petitis id omnino ſuadetur. An dũ MARIA iam deſponſata ex domo Eliſabeth reuertitur in domum ſuam apud Nazareth, cum Ioſepho reuerſa non eſt? nec enim domus ſua dicitur, quaſi à domo Ioſeph ſeparata eſſet, ſed quia ab alienis domicilijs diſtinguebatur, teſtatur enim Euangeliſta, in domo ſua non ſponſi habitaſſe, atque ibidem inuentam eſſe in vtero habentẽ de Spiritu ſancto. Prætereà, an ex Nazareth vterque, Ioſeph. ſ. & MARIA in Bethlehem non aſcenderunt vt deſcriberentur? ſane id euidenter in Euangelio habetur, & vtique ex domo Virginis, non ſponſi, qui nullum in ea Ciuitate proprium domicilium habebat. Nicephorus lib. 1. Hiſtor. cap. 3. narrat, parentes Domini poſt Chriſti Natiuitatem rediſſe Nazareth, & Bethlehem. Amplius illud certiſſimum eſt, poſtquam ex Ægypto & Ioſeph & Virgo reuerſi ſunt Nazareth, in domum Virginis reuerſos eſſe, apud Matthæum cap. 2.

Argumenta ad probandũ, Ioſeph & Mariam cohabitaſſe in domo ipſius Mariæ Virg.

Nicephor.

CAIETANVS in 2. caput Lucæ ex 2. cap. Matthæi conijcit, quòd Ioſeph rediens ex Ægypto, intendebat in Iudæam ire ad habitandum ibi, in Bethlehem ſcilicet, vel Hieruſalem, *Audiens autem*, inquit Matthæus, *quòd Archelaus regnaret in Iudæa, pro Herode patre ſuo, timuit illo ire:* vnde admonitus ab Angelo in ſomnis receſſit in partes Galilææ, ex quo indicium ſumitur, quòd quando in Ægyptum fugit, receſſerat ex Iudæa, non ex Nazareth; poſtquam enim itum fuit Bethlehem, & ibi Virgo peperit, ante fugam in Ægyptum Nazareth regreſſi non fuerant. Verùm optimè Suarez id confutat to. 2. in 3. p. q. 31. diſp. 17. ſect. 2. dub. 1. Prætereà poſtquàm Chriſtus in templo præſentatus fuit, impletis diebus purgationis Mariæ, completis omnibus ſecundùm legem, Ioſeph, & Maria reuerſi ſunt in Galilæam, in Ciuitatem ſuam Nazareth. Lucæ 2. Caiet. exiſtimat, quòd iſta reuerſio in Nazareth non fuerit immediatè poſt præſentationem in templo, ſed poſtquàm ex fuga in Ægyptum reuerſi ſunt, quoniam ut dictum eſt, poſtquam ex Nazareth ierunt Bethlehem, eò ante regreſſum ex Ægypto reuerſi non ſunt; quod etiam Ianſenius affirmat; hoc tamen verbis Euangelij conſonare non videtur, cùm Lucas cap. 2. dicat, *Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reuerſi ſunt*, quaſi dicat immediatè, *in Galilæam, in Ciuitatem ſuam Nazareth*, vt Euthymius ibidem adnotauit; & Tatianus, & Ammonius Alexandrinus in harmonijs Euangeliorum ſcribunt; & ex Origen. hom. 16. in Lucam, & Anſelmo colligitur. *Quo facto*, ait Anſelmus, *ſeceſſerunt in Nazareth, & cùm rumor de Puero tam inciperet dilatari, mittitur Angelus Gabriel, qui in Aegyptum faciat puerum deportari.* Deinde ex Nazareth per ſingulos annos ad feſtum Paſchæ in Hieruſalem aſcenderunt. Item poſtquam in templo Dominus diſputaſſet, illumque Ioſeph, & Maria inueniſſent in templo, nonne deſcendit cum eis, & venit Nazareth, vbi per plurimos annos habitans, erat ſubditus illis? Poſtremò à Nazareth, vbi habitabat, & habitauerat continuè, egreditur ad Iordanem, ut baptizetur.

Matth. 2. Caietan.

Suarez.

Lucæ 2. Caietan.

Ianſen. Luc. 2.

Euthym. Tatianus. Ammo. Alex. Origen. Anſelm.

Hoc autem tempore Ioſeph iam emortuum fuiſſe veriſimile eſt; quamuis D. Cyprianus in ſerm. de paſſione Domini, & poſt illum D. Ambroſ. etiam ad dies paſſionis Chriſti perueniſſe credat in epiſt. 79. licèt in lib. de inſtitutione Virginis cap. 7. contrarium ſentire videatur, immo Auctor eius libelli, qui de operibus Cardinalibus inſcribitur, apud Cyprianum, & D. Aug. ſerm. 81. de tempore, etiam poſt reſurrectionem dominicam illum ſuperſtitem fuiſſe affirmat; ſed temerè, & ſine ratione; etenim certum eſt, ante paſſionẽ Chriſti Ioſeph iam obijſſe; cur enim Chriſtus Virginem Iohanni in Cruce commendaſſet, ſi coniux eius ad cuſtodiã, & regimen deputatus vixiſſet? Vnde D. Hieronym. lib. contra Heluidium viduã iam tunc factam Mariam aſſerit; ſic etiam probabili coniectura veriſimile eſt, ſaltem uſque ad Baptiſmum, & prædicationem Chriſti ſuperuixiſſe, ut illum vna cum Virgine ſuis laboribus ſuſtentaret; unde dicens Euangeliſta, quòd in Nazareth erat ſubditus illis, non obſcurè ſignificat, poſt duodecimum ætatis Chriſti annum per plures conſequentes annos cũ utroque vixiſſe. Quod enim aliqui dicunt, Ioſeph octogenarium fuiſſe, quando Beatam Virginem duxit, incredibile eſt; licèt Epi-

Mors B. Ioſeph ſponſi Mariæ. Cyprian. Ambroſ. Auct. de operibus Card. D. Auguſt.

D. Hieron.

Ætas B. Ioſephi.

Epiphan. Nicephor. Abulen. Cedrenus. Iſai.62. Lyran. Gloſſ. ordin.

cèt Epiphanius id aſſerat, hæreſi 77. Nicephorus lib. 1. hiſtor. cap. 7. Abulenſis ſuper 1. Matthęi q. 32. & Cedrenus in compen. hiſtor. Quomodo enim labores fugę in Ægyptum, aliaque opera, curamque Chriſti, & Marię in ea ętate commodè peragere potuiſſet? Quomodo Chriſtus putabatur filius Ioſeph, ſi pater eius octuaginta annos ante vixerat? preterquam quòd Lucas dicit, non ſeni, ſed viro Virginem deſponſatam fuiſſe. Vndè Eſaię 62. dicitur, quòd tempore aduētus Meſſię habitabit iuuenis cum Virgine; quod Lyranus, & Gloſ. ordinaria non incongruè huic myſterio accommodant.

Quando B. Virgo fuerit poſt ſuiq. deſponſationem ſalutata ab Angelo, & pepererit Chriſtum. Cedrenus. Caietan. Greg. Niſſen. Damaſc. Euodius. Nicephor. Andr. Cretē. Simeon Metaphr. Greg. Nicō. Abulen. Cedren. Io. Annius. Baron. Suarez.

Sed ut locum hunc concludamus, Ioſeph cum Virgine à Sacerdotibus ei deſponſata, cū ex eadem familia, & Tribu eſſet, cùm fortè eius parentibus emortuis, ut multis placet, & Cedrenus in hiſt. innuit, in paternam domum Nazareth deducitur, atque ibidem Beata Virgo, quarto menſe à ſua deſponſatione, ab Angelo ſalutata, concepit filium, decimum quartum ętatis ſuę annum agens, atque illum in decimo quinto peperit; Quicquid Caiet. Lucę 1. in contrarium ſcripſerit. Sic enim docet Greg. Nyſſen. loco citato, Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 15. Euodius apud Nicephorum lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Andreas Cretenſis in oratione de dormitione Virginis, Simeon Metaphraſtes in oratione de ortu Virginis, Greg. Nicomedienſis de oblatione Virginis in templo, & Abulenſis Matth. 2. queſt. 101. Cedren. in compendio hiſtor. Ioannes Annius, & Cardinalis Baron. atque alij Annalium ſcriptores.

Suarez tom. 2. in tertiam partem q. 29. diſput. 8. ſect. 2. in fine exiſtimat, ex ſententia Nyſſeni, Beatam Virginem à templo non reuerſam eſſe in domum parentum, cùm iam fortè obijſſent, ſed completa omni ſolemnitate matrimonij, immediatè datam eſſe Ioſeph: ſed profectò Nyſſen. contrarium illa in oratione innuit. Cùm enim dixiſſet, à Sacerdotibus Virginem eſſe quidem traditam in ſponſam Ioſeph, immediatè ſubdit; *Tunc à Gabriele Virgo in ſacris inſtituitur, & imitatur: nox autem inſtitutionis benedictio erat. Aue &c.* Quod totum in Nazareth in domo Virginis factum eſſe iam oſtenſum eſt.

Quod autem Chryſoſt. ait, conſuetudinem fuiſſe veteribus, ut ſponſæ in ſponſorum domibus haberentur, ſalua tanti Patris reuerentia, communiter falſum eſt, ut etiam Caiet. in tertiā partem notauit, nec ex Scripturis deducitur: præſertim ſi ſponſus domicilium non habeat, ſponſa verò hæres ſit paternorum bonorum, ſicut MARIA fuit, quæ cùm vnica Ioachin, & Annæ filia eſſet, in paternam domum legitimè ſucceſſit. An non Iacob viginti annis in domo vxorum ſuarum habitauit? & Moyſes diutiùs in domo ſoceri cum vxore? Nec verba illa Matthæi Hæretico vllo modo fauent; *Noli timere accipere MARIAM*; quaſi iam tunc vel non accepiſſet, vel cum ea non cohabitaſſet: phraſis enim illa, Accipere uxorem, plures habet acceptiones in ſcriptura. Aliquando enim ſignificat, vxorem ducere, ut Geneſi 4. & 6. interdum illam cognoſcere, vt Deuteronomij 20. *Quis eſt homo, qui duxit vxorem, & non accipiet eam?* vt Lyran. interpretatur: Rurſus, ſignificat receptionem ad cohabitandum de nouo, ut Geneſ. 12. *Accipe eam, & vade*; Poſtremò ſumitur pro retentione ad cohabitandum cum ea, cum qua iam uerſabatur; & in hunc ſenſum uerba citata Matthæi, ut Chryſoſt. & Ambroſ. placet, accipienda ſunt. *Noli*, inquit, *timere accipere Mariam Coniugem tuam*; ſi enim coniux iam erat, perfectūque matrimonium quoad omnem ſolemnitatem interceſſerat, quomodo non cohabitabant? & ſi iam grauida, & tumida apparebat, quomodo ſi iam non cohabitaſſent, Mariæ famæ, atque honori conſultum eſſet? Monetur igitur ab Angelo, ut dictum eſt, ut cogitationem, quam Ioſeph conceperat de dimittendo illam, omninò deponat, atque in cohabitatione, cæteriſque miniſterijs erga Mariam perſeueret.

Caiet. Quid ſignificet in Scripturis accipere vxorem. Geneſ. 4. & 6. Deut. 20. Geneſ. 12. Chryſoſt. Ambroſ.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

Ad ſecundum Argumentum reſponſio.

Verba Epiphanij,& aliorum quæ pro hæretico facere uidentur.

MIROR, hæreticum his, quæ ſecundo loco obijcit, non addidiſſe locum Epiphanij, Hæreſ.78. vbi in Domo Ioſeph Chriſtum poſt duodecimum annum, licèt non à Ioſeph iam emortuo, educatũ fuiſſe ſcribat. *Duodecimo*,inquit, *anno aſcendentibus illis Hieroſolymam,quæſitus eſt* IESVS,*quando non reperiebatur in itinere, velut habet Euangelium ſecundùm Lucam,poſt hos annos moritur Ioſeph, & educatus eſt non amplius à Ioſeph,ſed in domo Ioſeph.Vnde non amplius dicit Euangelium, quod venit pater ipſius, ſed ecce,inquit,Mater tua,& fratres tui foris ſtant,quærentes te.* Rurſus D.Chryſoſt.homil.4.in Matth.to.2.circà medium,ſuper illud; *Priuſquam conuenirent*,dicit,*Non dixit priuſquam in ſpõſi adduceretur domum,intus enim iam erat;hunc quippe morem tenebat antiquitas, ut ſponſæ in ſponſorum domibus haberentur*,& iterum homil.1.in Matth.in opere imperfecto prope finem, ſuper illa verba: *Accepit Mariam coniugem ſuam: Non in domo accepit eam*,ait,*nec enim adhuc dimiſerat eam de domo,ſed de animo ſuo depoſuerat eam,& iterum in animum ſuum eam recepit*;quę uerba domicilium illud fuiſſe domum Ioſeph ſupponunt. Prætereà ex loco citato D.Hieronym.de locis hębraicis,atque etiam ex Beda, ubi ſupra,alius uidetur eſſe locus,ſeu domus,in quo Beata Virgo ab Angelo ſalutata fuit,& alius, in quo Chriſtus nutritus fuit; poſtquam enim dixerat Hierony. *Nazareth habet Eccleſiam in loco, in quo de Verbi incarnatione Angelicum Virgo recepit nuncium*,ſubdit,*ſed & aliam,vbi Dominus eſt nutritus*. Igitur meritò hiſtoria illa de puero IESV nutrito Nazareth in hac eadem domo, in qua nata eſt Beata Virgo, ex diametro pugnare uidetur non ſolùm cum doctrina, & hiſtoria Euangelij,ſed etiam cum his,quæ Patres ſcribunt. Sed uir ille eximius,ut erat leuis armanitæ, paruæque lectionis, hæc non attigit. Nos uerò ſingulis etiam his obiectionibus abundè ſatisfaciamus.

D. Chryſoſt.

D.Hieron.
Beda.

Ignorantia Vergerij.

Explicantur verba Nicephori.
Turrian.

AD locum uerò Nicephori ex capite 8. reſpondet rectè Turrianus. Verbum græcum συνοικοῦσα cohabitationem ſignificare,ita ut ſit ſenſus,Domicilium cum Ioſeph Mariam habuiſse;& in domicilio Ioſeph ab Angelo ſalutatam fuiſſe;ideſt dum cohabitaret cum Ioſeph,nuncium Gabrielis accepiſſe; undè non dixit Nicephorus,domum illam fuiſse Ioſeph,ſed Mariam cohabitationem,& domicilium cum illo habuiſse eo tempore, quo ab Archangelo Gabriele lætum accepit nuncium.

Exponuntur loca aliorum Patrum.
Matth.1.

Quare Dom⁹ Mariæ diceretur domus Ioſeph.

Deinde ad loca cæterorum Patrum,quæ adduximus,reſpondemus,quòd cum uir ſit caput uxoris,Ioſeph uerò ſit uir Mariæ, Matthęi 1.congruè ſicut Maria Ioſephi erat, cùm ille uir, & caput eius eſset, ita etiam domus ipſius MARIAE à uiro, tamquam à capite,denominatiouem accipiens, appoſitè domus Ioſeph dicitur; quod etiam paſſim uſque hodie apud gentes fit, ut quando uir domum uxoris in dotem accepit, aut uel ratione paupertatis, uel commoditatis, uel alia de cauſa in domo etiam paterna uxoris habitat, non amplius ſponſæ,ſed ſponſi domus appelletur.Quocircà cum Ioſeph ad cuſtodiam,& conſeruationem Virginitatis Mariæ traditus eſset, utque eſset teſtis, & ſpectator domi foriſque omnium actionum Virginis, eiusq; procurator,ac miniſter,rectè oportuit,illum in domũ paternam eiuſdem Virginis Marię,in qua habitabat,uenire, & ibi remanere cum ea,ut enim inquit Bernard.homil.3.*Conſtitutus eſt dominus domus Virginis, & princeps omnis poſſeßionis eius*; circà finem enim illius homiliæ, ait, *Ioſeph fuiſſe ſeruum fidelem,& prudentem,quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutricium; ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſsimum, ut non immerito illi accommodari poßit, quod de alio Ioſeph ſcriptum eſt, conſtituit eum dominum domus ſuæ,& principem omnis poſſeßionis ſuæ*. Hæc ille.

D.Bernard.

Adde etiam, per matrimonij uinculum, virum, & vxorem effici quodammodo unum; quamuis enim per carnalem copulam, quæ defuit in caſtiſſimo illo Virginis coniugio, efficiantur una caro; nihilominus per ipſum vinculum efficiuntur unum cor, & vna uoluntas; ex quo fit, ut eorum bona etiam aliquo modo communia euadant, & quod ſub unius dominio, & poteſtate eſt, in alterius quoque ditionem trahatur.

Rupertus.

Vnde Rupertus lib. 2. in Cantic. poſt medium, tractans illa verba. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, inquit, *Quænam ſunt lilia, niſi amicus dilecti Ioſephi & ego dilecta, cui dicit, ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica meá inter filias? uere ambo lilia; videlicèt pro virginalibus nuptijs, & cohabitatione caſtiſſima*. Quocircà Domus ipſius MARIAE Ioſephi Domus congruè, immò neceſſariò appellabatur. Igitur fremat hæreticus, dum à conſuetudine quotidiani ſermonis, ac communis hominum uſu loquendi recedens, negat domum MARIAE dici, & appellari Domum Ioſeph. In eo autem, quod ſubdit ex. 12. cap. eiuſdem libri; Chriſtum uidelicèt in Domo Ioſeph circumciſum fuiſſe, dupliciter peccat. Primùm quòd verba Nicephori mutilatè citat; inquit enim Nicephorus, *Die octauo*, Dominico ſcilicèt, *circumciditur in Bethlehem, in domo Ioſephi*; Neque hoc repugnat illi hiſtoriæ, quòd Puer IESVS nutritus fuerit apud Nazareth in ea Domo, in qua Mater nata erat; finito enim puerperij tempore, & completa Die purificationis MARIAE; parentes cum puero IESV Domum in Nazareth reuerſos eſſe, ipſemet Nicephorus teſtatur in principio cap. 13. eiuſdem libro. *Deinde*, inquit, *Parentes, puero IESV recepto, domum in Nazareth ſunt reuerſi; congruebat enim cum per quadraginta dies Bethlehem ſcilicèt, munus ſuum in cenſu, & deſcriptione eo loco rite obijſſent, ut ad domicilium ſuum in Nazareth redirent: propter eam, quæ tùm ibi eis erat ſubſtantiam, & poſſeſſionem*.

Chriſtus non fuit circumciſus cum eſſet in domo Ioſeph.

Secundò, & ipſe, & Nicephorus quoque errant, dum arbitrantur, Chriſtum fuiſſe circumciſum in Domo Ioſeph; cùm certum ſit, Beatam Virginem vſque ad diem purificationis à loco Natiuitatis Chriſti non diſceſſiſſe: fuit autem Chriſtus in eodem Diuerſorio circumciſus, in quo natus, ut rectè notauit Epiphanius lib.

Epiphan.

1. contrà hæreſes tom. 1. cap. vltimo poſt hæreſim 20. Immò, & ipſe ſibi Nicephorus non conſtat, cum in cap. 13. dicat, Chriſtum à Magis in Præſepè faſcijs inuolutum, in caſa illa diuerſorij inuentum fuiſſe: niſi placeat etiam dicere, iuxtà familiaris ſermonis morem pro domo ibi non habitationem intelligi, ſed familiam, perſonaſque domeſticas, quæ cum Ioſepho erant; quod etiam cum idiomate Scripturæ conſentit, iuxtà illud Ioannis 4. *Credidit ipſe, & eius Domus tota*; & illud Lucæ 2. *eo quòd eſſet de Domo, & familia Dauid*, & Actorum 10. *Cornelius Centurio Italicæ cohortis, vir iuſtus, in Cæſarea erat cum omni Domo ſua*; Vnde IESVM dicit circumciſum in Domo Ioſeph; ideſt in eius familia circumciſus fuit Chriſtus, cuius filius putabatur; ſicut etiam Epiphanius, quem ſequitur, & citat Nicephorus, Virginis vitam ſcribens, ait aſcendiſſe Ioſeph à Galilæa in Iudæam cum tota Domo ſua, ut deſcriberetur, ideſt cum tota familia ſua, in qua Virgo Maria connumeranda eſt.

Aliquando domus non pro habitatione, ſed pro familia, & domeſticis ſumitur in Scriptura.
Ioan. 4.
Luc. 2.
Actor. 10.

Quo loco Chriſtus nutritus, & educatus fuerit.

AD illud uerò de loco educationis, & nutritionis Chriſti dicendum eſt, Dominum partim Nazareth in Domo Matris, quæ etiam dicebatur domus Ioſeph; & partim in Ægypto educatum, & nutritum fuiſſe. Ac primùm aliqua de migratione in Ægyptum dicamus. Poſt præſentationem Chriſti in templo reuerſus in Galileam, in Ciuitatem Nazareth, poſt aliquot menſes (non enim immediatè poſt reditum Magorum id ſequutum eſt) in Ægyptum cum parentibus deſcendit. Epiphanius exiſtimauit, duobus tantùm annis illum habitaſſe in Ægypto, & conſequenter quarto ætatis ſuæ anno inde redijſſe, ita docet lib. 1. Panarij, tomo 1. in fine, poſt hæreſim 20. & lib. 3. hæreſi 78. cenſet enim ille, adorationem Magorum expleto biennio à Natiuitate factam fuiſſe, & poſt illam ſtatim in Ægyptum profectionem initam eſſe. Seuerus Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſtoriæ idem fateri cogitur, dum etiam opinatur, Chriſtum natum eſſe anno Herodis 33. qui regnauit, ut ipſe cenſet, triginta, & ſeptem annis; vndè ſequitur, Chriſtum quarto ætatis ſuæ anno ex Ægypto redijſſe, cùm ſtatim defuncto Herode inde exiuerit, ut ex Euangelio habetur. Nicephorus lib. 1. cap. 14. exiſtimat, Chriſtum tribus annis manſiſſe

Epiphan.
Quàdiu Chriſtus fuerit in Ægypto.
Sulpitius.
Nicephorus.

in Ægypto,

in Ægypto, & cùm ſtatum putet, poſt præſentationem in Ægyptum diſceſſiſſe, tertio ætatis ſuæ anno reuerſum eſſe affirmat. Onuphrius in faſtis, & in Chronico eccleſiaſtico arbitratur, eodem anno, quo iuit Chriſtus in Ægyptum, inde reuerſum eſſe; idque fuiſſe anno tertio ætatis Chriſti. Ianſenius cap. 11. concordantiæ opinatur, Chriſtum in fine quinti, uel initio ſexti anni ætatis ſuæ ex Ægypto rediiſſe, à cuius ſententia non longè abeſt Beda, libro de ſex ætatibus: vndè ſequitur quatuor, uel quinque annos in Ægypto fuiſſe. Ammonius Alexandrinus in Harmonia Euangeliorum, & Anſelmus, Matthæi 2. dicunt, Chriſtum totum ſeptennium in Ægypto egiſſe, & habitaſſe in quadam Ciuitate Aegypti Eliopolis nuncupata. Cardinalis Baronius, primo tomo Annalium, anno 8. arbitratur, Chriſtumueniſſe ex Aegypto, inchoato nono anno ætatis ſuæ, ſeptimo die Ianuarij, ut in Martyrologijs Rom. Bedæ, Adonis, Vſuardi & aliorum habetur.

Honuphr.
Ianſen.
Beda.
Ammo. Alexandrinus.
Anſelmus.
Card. Baron.

Verum de hac re nihil certi definiri poteſt, duo tamen certa ſunt. Primum, quòd ſtatim poſt obitum Herodis; Angelo monente, ex Aegypto Dominus diſceſſerit. Secundò, quòd ante annum duodecimum ſuæ ætatis Chriſtus redierit, ut certò conijcitur ex uerbis Lucæ 2. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem in die ſolemni Paſchæ*, ubi loquitur de eo tempore, quo poſt egreſſum ex Aegypto habitarunt Nazareth, aliquot ſcilicèt annis antequam factus eſſet Iesvs annorum duodecim; quot autem fuerint anni, an ſcilicèt quatuor, uel quinque incertum omninò eſt.

Chriſtus diſceſſit ex Ægypto poſt obitum Herodis, & ante annum duodecimum ætatis ſuæ.
Luc. 2.

Enimuerò quanto tempore, & in quibus locis, quàmque uiuendi rationem Chriſtus in Nazareth ſecutus fuerit, dum ibi habitaret, iam explicandum eſt. Et in primis, ex Scripturis habetur, Chriſtum à reditu ex Aegypto vſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum habitaſſe in Vrbe Nazareth cum parentibus ſuis. Hoc expreſſè Lucas dicit de tempore uſque ad duodecimum ætatis annum; de reliquo verò dicit dumtaxat, *Et deſcendit cum eis, & uenit Nazareth, &c.* & iterum, *Iesvs proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*; quod ſi cum his coniungas, quæ idem ſcribit in cap. 3. *Anno autem quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris*, apertè cognoſcetur vſq; ad illum annum in Oppido Nazareth permanſiſſe; immò Marcus clarè dicit, ex Nazareth ad Iordanicas aquas acceſſiſſe, ſupponens illic vſque ad illud tempus habitaſſe: undè rectè Abulenſis Matth. 13. quæſt. 79. annotauit, Chriſtum ex eo Nazareth uocatum fuiſſe, quòd maiorem vitæ ſuæ partem Nazareth tranſegerit; & ideò Ioannis 1. à Philippo Iesvs filius Ioſeph à Nazareth dicitur eſſe; & Nathanael admirando magis, quàm dubitando, uel negando dixit, *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Ioan. 1. id eſt poteſt exire Chriſtus? ut Auguſt. tract. 17. in Ioan. quamuis D. Cyrillus lib. 2. cap. 15. & D. Chryſoſt. homil. 19. id dubitando dixiſſe, affirment; cùm ex Michæa de Bethlehem teſtimonium haberet: ſed ſicut Bethlehem Natiuitati, & Hieroſolymam Paſſioni, ſic Nazareth conceptioni, & educationi ſuæ Dominus prælegerat. Pauperem Chriſtus uitam agebat, cùm parentes eius pauperes eſſent, ut ex præſepio, ubi natus fuit, & ex oblatione, quam Virgo in purificatione fecit, quæ pauperum propriè fuit, facile eſt cognoſcere; atque etiam ex arte Fabrili, quam Ioſeph, vt pauper exercebat, ut etiam D. Chryſoſt. homil. 67. in Matth. affirmat, dicens, *Quando naſcebatur non magnificas ædes, non locupletem matrem: ſed pauperrimam, & fabro deſponſatam elegit*; & Origenes homil. 8. in Leuit. de oblatis in templo à Virgine agens, inquit, *In hoc oſtenditur, uerum eſſe illud, quod ſcriptum eſt, quia Chriſtus Iesvs cùm diues eſſet, pauper factus eſt; ideò, & Matrem, de qua naſceretur, elegit pauperem*. Vnde toto eo tempore in Domo Virginis ex bonis parentum, eorumque laboribus alebatur; ſic Hieronymus in Epiſt. 22. ad Euſtochium, de cuſtodia Virginitatis, *Vſq; ad triginta, inquit, annos parentū paupertate contentus eſt, non tamen erant adeò pauperes, & egeni, vt victum mendicare cogerentur*. Nicephorus enim lib. 1. hiſtor. cap. 5. apertè dicit, Beatam Virginem ſubſtantiam, & poſſeſſionem aliquam in Nazareth habuiſſe, ob quam cauſſam ex Bethlehem Nazareth nato Domino uenit. Euſeb. Emiſſ. homil. in Natiuitate Virginis, diſertis verbis dicit de hac re multa, *Manifeſtum*,

Qualis fuerit vita Chriſti Ieſu in Nazareth poſt reditum ex Ægypto vſque ad trigeſimum ætatis annū.
Abulen.
Ioan. 1.
D. Auguſt.
D. Cyril.
D. Chryſoſt.
Paupertas Chriſti Domini.
D. Chryſoſt.
Origen.
D. Hieron.
Chriſti parentes licet valde pauperes eſſent, nō tamē erant mendici.
Nicephor.
Euſeb. Emiſſ.

ſeſtum, inquit, *eſt Beatam Virginem* M*ARIAM*, *quæ nobiliſsima hæres parentibus ſuis in hæreditatem ſucceſſerat, ſi quidem neque fratres habuit, neque habuiſſe legitur, nemunem de alia Tribu coniugem accipere potuiſſe; ſed fortaſſe dices, eam non habuiſſe hæreditatem: Lege ergo in Leuitico, & inuenies, quòd nemo hæreditatem ſuam ex toto uendere poterat, & ſi vſum eius uendere potuiſſet, ueniente namque Iubilæo omnis hæreditas ad proprium dominum reuertebatur; quomodo ergo ſine hæreditate eſſe poterat, quæ ex adeo nobiliſsimis parentibus orta fuerat? Itaque licèt non eſſent diuites* M*ARIA*, *& Ioſeph, non tamen adeo inopes fuiſſe exiſtimandi ſunt, ut ſine aliorum ſubſidio paruam familiam ſuam alere non poſſent. Neque decebat, ſanctiſsimam Virginem talis egeſtatis modus ac uiuendi ratio, neque enim ad uirtutis, ac ſanctitatis perfectionem fuit neceſſaria, neque conueniens ſaltem pro eo tempore, in quo ex ſtatu matrimonij uitam priuatam, & in exterioribus rebus communem agebat. Et eadem ratione non oportuit Chriſtum ſaltem pro illo tempore hunc paupertatis modum aſſumere*. Hæc ille. Hoc tempore in templum Salomonis quotannis Chriſtus cum parentibus in die Paſchæ aſcendebat, atque in duodecimo ætatis ſuæ anno, quo ratio in alijs iam clariùs uiget, perfectum ſe eſſe prima ſua diſputatione, & reliquis ſapientiæ ſuæ eximijs indicijs, hominibus demonſtrauit; nullas literas didicit, nec miraculum vllum eo tempore fecit, prima enim rudimenta poteſtatis ſuæ uocatus ad nuptias aqua auſpicatus eſt, ut eleganter Tertul. in libro de Baptiſ. cap. 9. dixit, cuius ſententiam ſequitur Epiphan. hæreſi 51. Ambroſ. ſer. 19. Theophylactus, & Euthymius in cap. 2. Ioannis, D. Chryſoſt. homil. 29. in Ioannem, ubi ſic habet. *Si anteà enim iunior eſſet, miracula feciſſet, non indiguiſſet Iſrael, qui ipſum manifeſtaret; Vir enim factus, miraculorum multitudine non Iudæis modo, ſed & Syris, & longinquiora colentibus cognitus eſt tribus annis duntaxat; qui igitur tàm breui miraculis claruit, longè magis à prima infantia, ſi ea feciſſet, claruiſſet; fuiſſet enim maiori admirationi, utpotè puer, quàm uir, neque tàm diu in obſcuro latuiſſet; ſed nihil à pueris operatus eſt*. Hæc ille. Et in homil. 16. multas rationes affert, quibus demonſtrat, non decuiſſe Chriſtum in infantia miracula facere. Neque enim tunc docebat, nec diſcipulos habebat, unde nec neceſſe erat, miracula operari, quæ ad doctrinam confirmandam proferuntur; & ſi ante conuenientem ætatem edita eſſent à Chriſto miracula, certè uel phantaſma reputatus eſset, uel ante opportunum tempus occiſus fuiſset. Igitur priuatam toto eo tempore Chriſtus vitam geſſit, nec alio ſeſe in opere exercuit; niſi quòd erat ſubditus illis, ſcilicèt, obſequium parentibus præſtando, eiſque in omnibus obtemperando. Vnde D. Hieronym. Epiſt. 47. de vitando ſuſpecto contubernio tom. 1. *Dominus*, inquit, I*ESVS Chriſtus ſubiectus erat parẽtibus ſuis, uenerabatur matrem, cuius ipſe erat pater, colebat nutricium, quem nutriuerat, geſtatumque ſe meminerat alterius utero, alterius brachijs*. Hæc ille. Huiuſmodi autem obſequium non ut debitum prę̄ſtabat; Chriſtus enim ob dignitatem ſuę perſonæ nulli hominum propriè ſubiectus fuit, de facto tamen & quantum ad vſum, licet ratione diuinitatis exemptus eſſet, voluit illis ſubiectus eſſe, eiſque obedientiam, & honorem deferre; quod etiam ratione originis, humana conditione attenta, iure Matri debebat. Addunt Patres, Chriſtum in rebus domeſticis, & præſertim in arte fabrili, Ioſepho auxilium, & opem tuliſſe, vt Baſilius in conſt. monaſticis cap. 5. his verbis tradidit, *Cum primis*, inquit, *ſua ætate parentum ſuorum imperio eſſet ſubiectus, & labores corporis omnes æquo unà cum ipſis animo illis obediens tolerauit; veriſimile eſt enim, cùm homines illi eſſent, & iuſtitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, ſolitos eos in aſsiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò* I*ESVS cum his, ut diuina literæ prædicant, eſſet ſubiectus, ſine dubio in perferendis etiam unà cum ipſis laboribus, declarabat ſuam obedientiam*; quod idem Iuſtinus in dialogo contrà Tryphonẽ ſcribit. Caiet. Marci 6. adijcit, quòd poſt mortem Ioſeph in eadem arte Chriſtus ſe occupauit, ut ſe & Beatam Virginem aleret; quod etiam D. Bonauent. ante illum meditatus fuerat; unde ibidem dicitur, *Nonne hic eſt faber filius* M*ARIAE*? Hæc autem Nazareth facta eſſe nulli dubium eſse debet. Et ſanè ſcriptores, & præter citatos, Landulphus de vita Chriſti, prima parte cap. 2. dicunt, in Nazareth duas Eccleſias fuiſse, unã,

Mendicit as non decuiſſet B. Virginem, & cur.

Sapiẽtia Chriſti oſtenſa anno ætatis duodecimo in tẽplo.

Primũ Chriſti miraculũ ad nuptias factum.

Tertull.
Epiphan.
Ambroſ.
Theophyl.
Euthim.
Chryſoſt.

Cur Chriſtus in pueritia miracula non fecerit.

D. Hieron.

Obſequium Chriſti ergà ſuos parẽtes.

A Chriſto iuuabatur B. Ioſeph. in arte fabrili. D. Baſ.

Iuſtinus.
Caiet.
D. Bonauent.
Landulphus.

vbi erat Domus, in qua Angelus ad Mariam uenit, & annunciationem fecit, in qua eſt Altare Mariæ in loco ubi orabat, quando Angelus eam ſalutauit, & Altare Gabrielis, ubi annunciationem faciendo ſtetit. Alteram, ubi domus fuerat, in qua Dominus nutritus eſt, cùm infans erat. Neque hoc ueritati hiſtoriæ ullo pacto derogat, cùm ultrò concedendum ſit, non ſolum in domo annunciationis pro aliquo tempore educatum fuiſse, ſed etiam in alia illa Domo, ſeu in alio cubiculo eiuſdem Domus. Appellatur autem hæc Lauretana Aedes ab inſigniori myſterio Domus annunciationis; unde Chriſtus rectè non Bethlehemiticus, nec Hieroſolymitanus, ſed Nazaræus vocatus eſt, cum Nazareth ſibi ad ſui conceptionem, & habitationem delegiſset; cuius rei cauſsas fusè Ianſenius cap. 12. ſuæ concordię Euangelicæ, ſcribit. Quòd autem Dominus nec Nazareth, nec alibi literis uacauerit, illiſque addiſcendis operam dederit, apertè Ioannis 7. habetur, ubi Iudæi admiratione affecti dixerunt, *Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* vnde quæ Valentiniani hæretici confinxere de infantia Saluatoris, ut omninò ridicula explodenda ſunt, ut Irenæus lib. 1. contrà Hæreſes cap. 17. reijcit, & Gelaſius Papa in Capitulo. *Sancta Romana Eccleſia*, diſt. 15.

Ianſenius. Ioan. 7. Irenæus. Gelaſ. Papa.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ad tertium Argumentum reſponſio.

NOn eſt difficilè huic tertio argumento reſponſum dare, cum argumentum negatiuum nil planè concludat. Vnde dicendum eſt, quòd ſicut non omnia, quę Chriſtus fecit, ſcripta ſunt in Euangelijs; *Multa enim*, inquit Ioannes cap. 20. *& alia ſigna fecit* IESVS *in cõſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*; & in calce vltimi capitis, *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit* IESVS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*; ſic nec omnia Apoſtolorum geſta in lib. Actuum à Luca deſcripta ſunt, vt falsò hæreticus aſtruit; nec mendax eſt qui nonnulla inſcribendo relinquit; alioquin & ſinguli Euangeliſtæ mendacio notari poſſent, cùm hiſtoriam de Angelo Chriſtum confortante in horto, & de ſudore ſanguineo Chriſti non niſi Lucas ſcripſerit, ſicut etiam illam de Epulone, & Lazaro: de lotione quoque pedum ſolus Ioannes mentionem fecit, ſicut etiam, quòd vnus militum lancea latus Chriſti iam mortui perforauerit. Rerum igitur geſtarum ſcriptor, ſi aliqua vera etiam magna tacet, vel prætermittit, pro mendaci haberi non debet. Prætermiſerunt Euangeliſtæ dictum illud Chriſti; *Beatius eſt dare, quàm accipere*; quod D. Paulus Act. 20. commemorat, à Chriſto prolatum eſſe; numquid igitur erunt mendaces? abſit. Igitur ſicut multa Chriſti facta ſcripta non ſunt, ita quoque Apoſtolorum, quorum non omnia, quæ viua voce tradiderunt, vel fecerunt, literis mandata ſunt: nec ob id ſcriptores rerum Eccleſiaſticarum negligentiæ taxandi ſunt; cùm pleraque, præſertim ea, quæ ſunt neceſſaria ad fidem, quæ ſcriptis conſignari Spiritu Sancto non placuit, ad Eccleſiæ vtilitatem viua voce, ac verbo tenus tradiderunt; ſic Paulus 2. ad Thimotheum 2. docet; *Quæ audiſti*, inquit, *à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus*, & rurſus 1. ad Timoth. 6. *O Timothee depoſitum cuſtodi*, ideſt doctrinam, quam à me audiuiſti, vt Vincentius Lyrinenſis, lib. contrà hæreſes egregiè exponit; nec enim Dei verbum ſcripturæ literis tantùm conſignatum eſſe, verùm etiam Eccleſiæ voce reſonare decuit, iuxtà illud Eſa. 59. ubi Dominus dicit; *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, à modò, & vſque in ſempiternum*: quibus verbis ſignificatur, in ore Eccleſiæ, atque in eius traditionibus verbum quoque Dei poſitum eſſe, omnique tempore per illud reſonare; maxima igitur temeritate Hæreticus notandus eſt, qui quòd in Actis Apoſtolorum nulla

Argumẽtum negatiuum nihil concludit. Ioan. 20. Scriptores, qui aliquid prætermiſerũt, mẽdaces non ſũt habendi. Actor. 20. Multa ad fidem ſpectantia ex traditionibus habentur. 2. Thim. 2. 1. Thim. 6. Vinc. Lyrin. Iſai. 59.

nulla fiat mentio de conſecratione Sanctæ Domus Lauretanæ, & de myſterijs in ea celebratis, rem totam perneget; & id quod per tot ſęcula auditum eſt, & per tot ſæculorum teſtes confirmatum, eo ſolo nomine falſum eſſe dicat, quòd nil ſcriptũ de ea ſit; nec ſatis illi ſunt voces tot Eccleſiarum, populorumque, quinimmò ipſius Cœli, cùm tàm frequentia miracula, cœli uoces, ac teſtimonia ſint; ſed his magis agatur in rabiem.

Rabies Iudæorum in Chriſtum ob miracula.

Hoc eodem ſathanico ſpiritu Iudæi in Chriſtum frementes conſilium inierunt, ut illum è uita tollerent. *Quid facimus*, inquiunt, *quia hic homo multa ſigna facit?* Vrit Hæreticos gloria huius ſanctæ Domus, confundit illos maieſtas, & amplitudo illius, obmuteſcere illos facit uirtus Dei, quæ in illa quotidie magna, & admiranda operatur; ſed digitus Dei, qui illic eſt, illos retrorſum abire, in terramque cadere facit. An non Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 24. ueriſſimam tradidit regulam, per quam docuit quod retinendum, quod abijciẽdum in Eccleſia Dei ſit? *Quod vniuerſa*, inquit, *tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Certè, ut alibi diximus, de diuino hoc ſacello in orationis Domum poſt Chriſti in Cœlos Aſcenſionem ab Apoſtolis conſecrato plerique antiquiſſimi ſcriptores tradiderunt; ſic Epiphanius hæreſi 29. contrà Nazaræos, Nicephorus lib. 8. Hiſt. cap. 30. Euſeb. lib. 14. de uita Conſtantini, cap. 3. Paulinus Epiſt. 11. ad Seuerum, D. Hierony. & Beda in locis citatis. Sanè ſi tunc Eccleſia erat, locuſque ille ſacer, in quod & Miſſæ ſacrificium peragebatur, & fidelium preces fundebantur, ab Apoſtolis Deo dicatum eſſe fatendum eſt; ſic quoque in Monte Thabor, in quo Dominus transfiguratus eſt, tres Eccleſias in eius uertice ædificatas eſſe, ſecundum quod dixerat Petrus; *Faciamus hic tria Tabernacula*, Beda commemorat, in lib. de locis ſanctis, cap. 17. ſic etiam in Turre Ader, ideſt gregis, ubi Paſtores nocte uigilantes Angelicum hymnum audire meruerunt, Eccleſia ſub nomine trium Paſtorum Diuinæ Natiuitatis conſciorum erecta fuit. Beda ibidem cap. 8. Sic etiam ſuper tumbam Lazari, ob inſigne eius ſuſcitationis miraculum, ad perpetuum eius facti monumẽtum, erectam fuiſſe Bethaniæ nobiliſſimam Eccleſiã, teſtatur Hier. de locis hæbraicis; ſic quoque in Cænaculo, in quo Dominus Paſcha cum Diſcipulis ſuis fecit, in quo etiam Thomæ apparuit Apoſtolo, poſtquam à mortuis reſurrexit, in quo poſt Chriſti in Cœlum aſſumptionem Barnabas, & Marcus cum centum uiginti fratribus ex Monte Oliueti conuenerũt, in quo denique Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes ſuper diſcipulos ibidem congregatos in igneis linguis deſcẽdit; maxima Eccleſia ædificata fuit: ſic D. Hier. in Epiſt. 27. Beda ibidem cap. 3. & Acta Barnabæ apud Surium to. 3. teſtantur; denique in loco Aſcenſionis Domini, ut tanti beneficij æterna memoria cum maxima omnium admiratione haberetur, ampliſſima Baſilica conſtructa eſt, rotundo ſchemate, & pulcherrimo opere elaborata, cuius ſummum cacumẽ, propter Dominici corporis meatum, non ſolo modo contegi, & concamerari potuit; ſed tranſitus eius à terra ad Cœlum uſque patet apertum, auctore D. Hierony. de locis hæbraicis, Beda de locis ſanctis, cap. 7. & Paulino in citata Epiſt. ad Seuerum, cuius uerba placet hic reſcribere. *Mirum verò inter hæc, quòd in Baſilica Aſcenſionis locus ille tantum, de quo in nube ſuſceptus aſcendit, captiuam in ſua carne ducens captiuitatem noſtram, ita ſacratus diuinis veſtigijs dicitur, ut numquam tegi marmore, aut pauiri receperit, ſemper excuſſis, ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentauit apponere; Itaque in toto Baſilicæ ſpacio ſolus in ſui ceſpitis ſpecie virens permanet, & impreſſa diuinorum pedum venerationem calcati Deo pulueris perſpicua ſimul, & aſſiguis venerantibus arena conſeruat, ut verè dici poſſit: Adorauimus vbi ſteterunt pedes eius.* Hæc Paulinus; quod idem Seuerus Sulpitius in ſacra hiſt. lib. 2. cuius uerba opportuno loco recitauimus. En hæc ſancta loca Deo dicata eſſe ex Apoſtolica traditione, & authenticis hiſtorijs probatiſque Auctoribus inficiari non poteſt, qua fronte ergo negauit hæreticus, Domũ Annunciationis apud Nazareth in Baſilicam Deo conſecratam fuiſſe? rectè verò ait, rem magnam hanc eſſe. Sed quòd propterea in Actis Apoſtolorum debuiſſet à Luca

NOTA.

D. Auguſt.

Scriptores antiquiſſimi de Lauretano Sacello in Eccleſiam cõſecrato meminerunt.

Epiphan. Nicephor. Euſeb. Paulin. Hieron. Beda.

Loca Deo dicata ab Apoſtolis in memoriam rerũ in eis à Chriſto geſtarum.

Beda. D. Hieron.

D. Hieron. Ven. Beda. Acta Barnabæ apud Surium.

NOTA.

D. Hieron. Beda. Paulin.

Seuerus Sulpitius.

Cur in Actis Apoſtolorum

à Luca poni;huic obiectioni Chryſoſt.in lib.contrà Gentiles tom.5.reſpondet,librum illum Actuum Apoſtolorum huiuſmodi titulum habere, nõ quòd acta omnia,immò neque omnium,ſed unius tantùm,uel alterius,eademque conſpicua de ſcripta cõtineat:& D. Auguſt.tractatu 49. in Ioannem, inquit in hãc ſententiam. *Cùm multa feciſſet Dominus Ieſus,non omnia ſcripta ſunt.ſicut idem ipſe Sanctus Euangeliſta teſtatur,multa Dominum Chriſtum,& dixiſſe & feciſſe,quæ ſcripta non ſunt;electa ſunt autem quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere uidebantur.* D.Cyrill. lib.12 in Ioannem cap.68. idem dicit,immo & ipſe Lucas multa geſta etiam maximi ponderis à Petro & Paulo hiſtoriographi licentia.in lib. Actorum prætermiſit,vt D.Hierony. docet in Epiſt.ad Galatas cap.2. uerſus finem.

non fiat mentio conſecrationis Dom. Lauretanæ.
D. Chryſoſt.
D. Auguſt.
D. Cyrill.
D. Hieron.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ad quartum Argumentum reſponſio.

SIMILEM ferè reſpõſionem damus etiam ad hoc quartum argumentum; ſicut enim multi ritus,qui in Sanctiſſimę Euchariſtiæ celebratione adhibentur, ſine ſcripto à Diuo Paulo Eccleſiæ traditi ſunt, ut ipſe teſtatur 1.Corinth.11. *Cætera*, inquit, *cum venero diſponam*,quem locum à D. Auguſt.in Epiſt.118.ad Ianuarium cap.6. ſic interpretatum fuiſſe, ſuperiùs diximus:ita conſuetudinem Eccleſias conſecrandi, quæ in Concilijs,& antiquorũ Põtificum Epiſtolis,& in libris priſcorum Patrum habetur,ex Apoſtolorum traditione profectam eſſe, aſſerendum eſt: ſic Apoſtoli docuerunt, Eccleſias conſecrandas eſſe,& ſicut illi docuerunt,ita Eccleſia accepit,atque in hunc uſque diem ſeruauit, & uſque ad conſumationem ſęculi ſeruabit, iuxtà illud Diui Iohannis; *Quod audiſtis ab initio,hoc remaneat in vobis*:Non dicimus, ex conſuetudine Eccleſias eſſe conſecrandas, ſed ex uerbo Dei, traditione Apoſtolica per uniuerſas Eccleſias delato,& prædicato,in quo conſuetudo ſanctificandi Eccleſias per orationem,& uerbum Dei profecta eſt.Scimus enim cum Cypriano, Chriſtum non dixiſſe,ego ſum conſuetudo,ſed *Ego ſum veritas.* Hanc autem conſuetudinem ex ueterum ſcriptis facilè eſt demonſtrare. Lege Euſebium lib.9. hiſtor.cap.10.& lib.4.de uita Conſtantini,Athanaſium in Apologia ad Conſtantium,Baſiliũ in Pſal.114.Nazianzenum in oratione in nouam Dominicam,Chryſoſt.tom.3.in ſerm. quem habuit in Encœnijs, Ambroſium lib.1. Epiſt.5.ad Felicem, Gaudentium, D. Auguſt.& alios,quos ſuprà citauimus.

In conficienda Sãctiſſima Euchariſtia multa ſunt habita ex traditione.
1.Cor.11.
D.Auguſt.

Eccleſiarum cõſecratio habetur ex uerbo Dei,& traditione apoſtolica.
Euſeb.
Athanaſ.
Baſilius.
Nazian.
Chryſoſt.
Ambroſ.
Gaudent.
Auguſt.

NON ualet igitur hæretici argumentum,cùm dicit;nec in Actis Apoſtolorum, nec in Euangelijs legimus, Apoſtolos vllam Eccleſiam conſecraſſe, ergò nec Lauretanam. Reſpondemus enim, Apoſtolos multas Eccleſias conſecraſſe,& ſignanter Lauretanam;nec id in Euangelio,uel in actis Apoſtolorum literis conſignatum eſſe,& tamen non ſequi ex hoc, quòd ibi ſcriptum non reperiatur, minime ab illis factum fuiſſe: Cùm enim Domus illa fuerit poſt Virginis aſſumptionem ab Apoſtolis in domum orationis deputata,ſanctoque miniſterio,ideſt Miſſæ celebrandæ dedicata, quis negare poterit,ab illis conſecratam fuiſſe? An non à communi, & prophano vſu Domus hæc ſegregata ab Apoſtolis fuit,cum ob myſterium Incarnationis, & ortum ſanctiſſimæ Deiparæ in locum Deo gratum ſanctificarunt? neque enim communi uſui,prophaniſque actionibus relinquendus erat locus ille, in quo principium humanæ ſalutis apud homines apparuit; immò verò illum pietati,religioni,ac reuerentiæ ergà Deum dicari conſentaneum erat; ſi enim alia loca à nobis ſuperius commemorata,ubi minora,atque inferiora myſteria geſta ſunt,à vulgari hominum conſuetudine ſeiuncta Deo in Eccleſiam dedicata ſunt, multo magis conueniens fuit, ut domus hæc,in qua Verbum caro factum eſt,in Eccleſiam ſanctificaretur. Loca autem alioquin communia per benedictionem, & conſecrationem orationibus, uerboque Dei adhibito, ſanctificantur, ut

Lauretanam Domũ ab Apoſtolis in Eccleſiam fuiſſe conſecratam.

1.Thim.4. tur,ut docet Paulus 1.ad Thimoth.4. Sanè Hieroſolymis,ubi Spiritus ſanctus de-
ſcendit, ob tanti beneficij monumentum, Eccleſiam erectam eſſe, ſcribit Cyril-
Cyrill. Conc.Cart.5. lus, Catecheſi 16. & Concilium Carthaginenſe Quintum congruum iudicauit,
ibi Aedes ſacras excitandas eſſe, ubi aut Martyr habitauerit, aut corpus, uel reli-
quiæ eius ibi fuerint,aut certè ſi in eo loco paſſus ſit. Quomodo ergo inficiari po-
teſt,in loco tam inſigni, ac diuinis myſterijs nobilitato,ubi Virgo orta eſt,ubi An
gelico Nuncio ſalutata, ubi denique Deus homo factus eſt, Eccleſiam erectam
eſſe? ſi in memoriam Martyrum, uel Apoſtolorum Templa ædificanda erant, ut
Damaſcen. ſcribit Damaſcenus libro 4. cap. 16. Euſebius lib.4. de vita Conſtantini cap. 58.
Euſeb. 59.60.& Procop.de ædificijs Iuſtiniani, quanam ratione,qua fronte negari pote-
Procop. rit,locum à Deo diuinis arcanis præelectum in templum à viris Apoſtolicis con-
ſecratum fuiſſe? Solebant planè Chriſtiani Idolorum templa in Sanctorum Mar
Theodor. tyrum oratoria conuertere,ut ſcribit Theodoretus,lib.8.ad Græcos,multo igitur
magis auguſtiſſimus hic locus,immò terribilis,ubi nil aliud eſt,niſi Domus Dei,
& porta Cœli,in Dei templum conſecratum eſſe conueniens fuit.

Adde, quòd ſi Arcam Domini non decuit,niſi in templo extructo magna cum
celebritate introduci,ac reponi; templum enim Salomonis non ſolùm ad ſacrifi-
cia, & orationes, ſed etiam ad conſeruandam arcam Domini erectum fuit, ut le-
1.Paral.17.& 28. gitur lib.1.Paralip.ca.17. & cap.28.*Cogitaui*,inquit Dauid,*vt ædificarem Domum,*
in qua requieſceret arca fœderis Domini;& ſcabellum pedum Dei noſtri,quod etiam uo
Pſal.131. to Dauid promiſit,in Pſal. 131. *Ingredere*,inquit,*Domine in requiem tuam,tu & ar*
ca ſanctificationis tua. Profectò cùm maior honor debeatur Chriſto, eiuſque Ma-
tri Sanctiſſimæ, quàm Arcæ illi Moſaicæ,congruum fuit locum illum,in quo An
gelus ingreſſus eſt à Deo, & in quo Virgo Deum concepit, benedici,& ſanctifica
ri in templum. An non Altaria erigebant Patriarchæ,ubi uel Deum uidebant,uel
D.Hieron. reuelationem aliquam à Deo per Angelos accipiebant? D. Hieron. in Epiſt.17.
ad Marcellam, ſic argumentabatur de ſepulchro Domini; *Venerabantur*, inquit,
quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubin,& Propitiatorium,& arca
Teſtamenti,Manna,Virga Aaron,& Altare aureum.Verùm nonne tibi venerabilius ui-
detur ſepulchrum Domini? igitur ſicut ſuper arcam ædificari potuit ædes; ita & ſuper
Chriſti ſepulchrum; & multò magis ſuper locum,in quo Deus homo uiuens factus
eſt; *Si ſepulchrum Domini quotieſcumque ingredimur*, vt ibidem Hieronym.ait,*toties*
iacere in ſyndone cernimus Saluatorem, & paululum ibidem commorantes,rurſum uide-
mus Angelum ſedere ad pedes eius, & ad caput ſudarium conuolutum; Cur non etiam
dùm Domum Lauretanam ingredimur, Angelum à Deo miſſum ingredientem
ad Virginem,eam ſalutantem,diuinamque uoluntatem de Verbo in ea incarnan
do exponentem, Virginem deinde illi reſpondentem,ac denique Verbum è Cœ-
lo deſcendentem ibidem in vtero Virginis carnem ſumere? Quòd ſi ſepulchrum
Domini glorioſum ab Eſaia uaticinatum fuit, *Et erit*, inquit, *requies eius honor*,
quòd ſcilicèt,ut ibidem Hierony.exponit,ſepulturæ Domini locus eſſet ab omni-
bus honorandus, quantò magis locus incarnationis filij Dei glorioſus,ab omni-
buſque hominibus uenerandus, & honorandus, ac diuinis obſequijs illuſtran-
dus erit? ſubiungit Hierony. *Si benedicta loca putant, in quibus Petrus, & Paulus,*
Chriſtiani exercitus Duces, ſanguinem fuderunt pro Chriſto; ſi ſeruorum, & hominum
glorioſa confeßio eſt, cur Domini, & Dei non ſit glorioſa confeßio? & Martyrum ubique
ſepulchra ueneramur, & ſanctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat etiam ore contin-
gimus; & monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam exiſtimant negligendum;
ſic nos cum Hierony. ad excelſam Domum Nazareth ſermonem conuertimus.
Quo modo hi Domum conceptionis Chriſti derelictam,neglectamque à Deo ſi
bi perſuadere poſſunt? Sed & quod de eodem ſepulchro addit, efficaciſſimum eſt
argumentum,quotidianæque experientiæ obuium,ut hanc almam Domum, lo-
cum ſanctum,à Deo benedictum, immò terribilem Diabolis,& hominibus con-
tremiſcendum eſſe cognoſcamus, *Si nobis*, inquit, *non credimus, credamus ſaltem*
Diabolo, & Angelis eius,qui quotieſcumque ante illud de obſeßis corporibus expelluntur,

quaſi

quaſi in conſpectu tribunalis Chriſti ſtantes, contremiſcunt, rugiunt, & ſerò dolent cruciſixiſſe, quem timent; quod apud Lauretanam Domum in dies accidere ipſis oculis cernimus; ibi enim verè Dæmones contremiſcunt, ibi pleno ore fatentur, Verbum inibi carnem factum eſſe, & ſe in tam excelſo MARIAE Domicilio ab obſeſſis corporibus cogi recedere.

SED dicit Hæreticus, ab Apoſtolis ipſis hanc Domum conſecratam non eſſe, quoniam Apoſtoli nullam Eccleſiam conſecrarunt. Fallitur hæreticus, nam ut optimè Turrianus annotauit, ex ſcholio D. Chryſoſt. in Euangelio Ioannis, & Marci, græcè contrarium cognoſcitur. In illo enim ſcholio inter alia id notatum eſſe refert; quod cùm omnes Apoſtoli fugiſſent, ſolus Ioannes remanſit iuxta Crucem; & ad ſepulchrum prius quàm Petrus venit. Item quòd Matrem Dei accepit in propria idest in domum ſuam, in Sion matrem Eccleſiarum; hæc enim erat Domus eius, illuc confugerunt Apoſtoli propter metum Iudæorum, illic apparuit Diſcipulis IESVS poſt reſurrectionem, clauſis ianuis; illic dedit eis Spiritũ ſanctum, illic die octauo reddidit certum Thomam; illic preparatum fuit, ut comederet Paſcha cum Diſcipulis; illic, hymno dicto, exierunt in Montem Oliueti in locum Gethſemani; illic primum celebrauerunt myſterium Diſcipuli, (Miſſam intelligit) hic elegerunt primum Epiſcopum Iacobum fratrem Domini; quæ omnia conſentiunt cum eo, quod ait Eſaias; *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem*; in hac enim paterna Domo S. Ioannis acceperunt Apoſtoli Spiritum ſanctum ad prædicandum Euangelium per uniuerſum Mundum. Quæ etiam refert idem Turrianus, ſe legiſſe in alio fragmento Chronici Hyppoliti Thebani græcè, & apud Epiphanium Conſtantinop. Addit Turrianus, quòd in ſcholijs Chryſoſt. illud prætereà ſcriptum erat, quod Zebedæus pater Iacobi, & Ioannis Euangeliſtæ, erat ex nobilibus Galilææ primus, erat ἰδιοναυκληρον, idest habebat nauem ſuam; hinc Ioannes filius eius, ait de ſe, *Erat diſcipulus notus Pontifici*; idem dicit Hyppolit. Hic ergo Ioannes poſt mortem Zebedæi patris uendidit quæ in Galilæa poſſidebat, & emit Hieroſolymis Domum in Sion, vnde notus Pontifici dicitur, hic recepit Virginem in domum ſuam in Sion, uſque ad eius aſſumptionem. Hactenus ex Chryſoſt. Si igitur eam Domum, quæ iam facta erat communis omnium Apoſtolorum, in qua hæc facta ſunt, Apoſtoli Sancti ſic honorare voluerunt propter tot myſteria ibi geſta, ut in ea poſt aduentũ Spiritus ſancti primum celebrarent myſterium myſtici ſacrificij, quo poſt aſſumptionẽ Virginis, ſanctam Domum eius non honorarent, celebrando in ea myſteriũ illud, cui ipſa Virgo principiũ dedit, cũ filio Dei p̄buit unde hõ p p ſalutem humani generis fieret? ut aũt ibi decenter celebrarent, quis niſi hereticus dubitabit, quin eum locũ, ut Domus orationis fieret, per uerbum, & orationem, ſm propheticam doctrinam, & ſecundum doctrinam, quam a Chriſto acceperunt, & nobis tradiderunt; prius ſanctificaſſent? Hæc ex Franciſco Turriano in ſuo Apologetico, Quibus addendum eſt, quòd ex loco D. Pauli in priori epiſt. ad Corinthios cap. 11. ubi tamquam Eccleſiæ contemptores redarguit Corinthios, qui in Eccleſia comedebant; ſatis innuitur, Eccleſiam eo tempore aliquo modo ſacratam fuiſſe; neque enim alio nomine Eccleſiam contemni dicit ab eo, qui actionem alibi licitam in ea exerceat, niſi propter aliquam eius loci ſanctitatem, & conſecrationem, quin etiam Eccleſiã à priuata Domo diſtingui expreſsè docet Paulus ibidem, illis verbis: *Numquid Domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* & rurſus, *Si quis eſurit, Domi manducet, ut non in iudicium conueniatis*, & cap. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*; diſtinguitur autem per benedictionem. Ex Dionyſio quoque Areopagita, qui tempore Apoſtolorum vixit, in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. par. 1. euidenter habetur, quòd iam tunc Altaria ſacrò oleo inungebantur, & ab Epiſcopo conſecrabantur. D. Clemẽs lib. 10. recognitionum uerſus finem ſcribit, quòd dum Petrus Antiochiæ prædicaret, Domus Theophili in Eccleſiam conuerſa fuit, atque ibidem Petro cathedra ad docendum Populum conſtituta. Phylo in lib. de uita theorica Suppli-

Falſũ est, Apoſtolos nullam Eccleſiã conſecraſſe. Turrianus. ex D. Chryſ.

Domus D. Ioannis in Eccleſiam dedicata.

Turrian. Hippo. Theb.

1. Cor. 11.

Dion. Areop. Antiquæ Eccleſiarum, & altarium conſecrationes. D. Clemens. Phylo.

Euſeb. Tertull.

ca Supplicum, quem citat Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 17. refert, primos Chriſtianos in omnibus locis conſtituiſſe Ædes ſacras ad myſteria celebranda. Idem Tertul. antiquiſſimus ſcriptor in lib. contra Valentinianos, paulò poſt initium.

Sacrorum locorum dedicatio ex lege veteri. Num. 7. 2. Paral. 7. 1. Eſdræ 6. 1. Machab. 4. Ioan. 10.

SED ex ritu ueteris Teſtamenti locorum ſanctificatio, & dedicatio apertiſsimè cognoſcitur. Numer. 7. celeberrimam dedicationem tabernaculi, & Altaris habemus; præterea Templi dedicationem ter factam eſſe cum ingenti lætitia, & ſolemnitate legimus primò à Salomone lib. 2. Paral. cap. 7. ſecundò ab Eſdra lib. 1. Eſdræ cap. 6. tertiò à Machabæis lib. 1. Machabæorum, cap. 4. ubi poſt prophanationem, iterum templum renouatum, & ſanctificatum fuit, ad quam ſolemnitatem, quæ ſingulis annis agebatur, Chriſtum acceſſiſſe legimus. Ioannis 10. Hunc autẽ ritum Apoſtolos prætermiſiſſe, incredibile eſt; cùm maior ſit gloria ſecundę Domus, quàm primæ, & huius nouiſsimæ quàm prioris: nemo enim negare poteſt; Eccleſias noui teſtamenti maiorem gloriam habere, quàm templum illud primum magnificum Salomonis; quomodò ergò loca communia, & prophana, templa Chriſtianorum eſſe poſſunt? & non potius glorioſa, benedicta, & ſanctificata?

Domus Lauretana ab ipſo Deo ſanctificata.

Accedat huc, quòd Lauretana Domus, propter myſterium diuini Verbi in ea operatum, à Deo ipſo ſanctificata, & ſacrata fuit; quocirca optima ratione in locum orationis, & ſacrificij ab antiquiſſima Chriſtianorum pietate ſelecta fuit, non modo enim loca illa ſancta, in quibus Dominus eſt conuerſatus, & paſſus, ædificiorum molibus antiqui Chriſtiani illuſtrarunt, ſed etiam paululum terræ, vel tenuem ex aliquo eorumdem deſumptum puluiſculum, eodem in honore habendum exiſtimarunt, adeò ut magnificas Eccleſias honoris gratia ſuper illud extruxerint; ſic D. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. narrat; de Exuperio uiro tribunicio, ſic ſcribens: *Acceperat autem ab amico ſuo Terram Sanctam, de Hieroſolymis allatam, ubi ſepultus Chriſtus, die tertio reſurrexit, eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At ubi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa Terra fieret cogitabat, quam diutiùs in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Fortè accidit, ut ego & Collega tunc meus Epiſcopus Sinicenſis Eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus, ut ueniremus rogauit, & venimus, cumq; nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda quæ Dei ſunt congregari; non reſtitimus; factum eſt.* Atque ita ad primam partem quarti argumenti reſponſum ſit.

D. Auguſt.

Quòd Deus iuſſerit, alias Eccleſias ſibi cõſecrari, præter templum Salomonis. Iſai. 56.

IAM ad aliam partem eiuſdem argumenti reſpondendum eſt. Dicit autem Vergerius neque Deum iuſſiſſe, ut ſibi, vel Matri, uel Sanctis ædificaretur Eccleſia, excepto templo Hieroſolymitano. Magnum ſanè mendacium, & homine omnium ſacrarum rerum ignaro digniſſimum. Certè Eſaias, ca. 56. de Eccleſijs noui Teſtamenti palàm uaticinatus fuit, dicens; *Domus mea Domus orationis vocabitur cunctis gentibus*, quod non de templo illo Hieroſolymitano intelligendum eſt, cùm ibi non omnes gentes, ſeu omnes Populi orauerint: non enim Gentiles frequentes ad illud acceſſerunt; ſed de Eccleſijs noui teſtamenti, quæ omnibus gentibus ad ſalutem patent, illa accipienda ſunt. Eccleſia autem per conſecrationem, & ſanctam benedictionem, domus publica communis orationis efficitur, ut docet Origenes homil. 2. in Exod. Tertullianus in Apologet. ca. 39. & Euſeb. lib. 2. hiſtoriæ cap. 17.

Eccleſia communis domus orationis. Origen. Tertull. Euſeb.

Fortè tamen hæreticus, dum excipit templum Hieroſolymitanum, eique fauere uidetur, iudaizat, & figuris Moſaycis inuolutus, ueritatis lumen non cernit. Quid enim ueteris illius templi ſanctificatio indicabat, niſi in nouo teſtamento Eccleſiarum conſecrationem? ſi enim ſacrificia ueteris legis, quæ in Templo fiebant, & cæteræ cæremoniæ, quas lex illa admittebat, requirebant loci ſanctificationem per uerbum, & orationem; quantò magis uerum ſacrificium, & uera ſacramenta legis Euangelicæ locorum, in quibus celebrari debent, conſecrationem, & ſanctificationem requirent? Nec negare poteſt hæreticus, locum citatum Eſaiæ accipi debere de Eccleſijs noui Teſtamenti; cùm ex uerbis eiuſdem prophetiæ,

Dedicatio templi in lege veteri fuit figura cõſecrationis Eccleſiarum noui teſtamenti.

paulò

paulò ſuperiùs poſitis, id omnino conuincatur. *Et filios aduenæ, ſiuè alienigenas, qui adhærent Domino, vt colant eum, & ſint ei in ſeruos, omnem cuſtodientem ſabbatum; ne polluant illud, & tenentem fœdus meum, & adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocauſta eorum, & victima eorum placebunt mihi ſuper altare meo, quia Domus mea, Domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Quem locum, vt Turrianus quoque refert, interpretans Beatus Cyrillus, in commentarijs eruditiſſimis Prophetæ huius, *Loquitur*, inquit, *cum gentibus, quæ quidem per fidem coniunctione ſpirituali cum Deo copulantur, qui gloriam ſuam in ſeruitute Dei ſitam eſſe volunt, & nomen Dei ita amant, vt iugum Regni eius omni obedientia ſubeant, nec amplius Deos alienos ſequantur; qui ita ſeruant ſabbata eius, Chriſti ſcilicet, vt non prophanent ea; ſabbathizant enim ſpiritualiter, quia ingreſſi ſunt in requiem Chriſti, huiuſmodi ergo alienigenas promittit introducere in montem ſanctum.* Deinde ſubiungit; *Prohibuit quidem lex alienigenis ingreſſum in Templum. Non ingredietur, inquit, Amonites, & Moabites in Eccleſiam Domini. At Chriſtus, qui in nouitatem ſpiritualem omnia tranſtulit, in montem ſanctum, id eſt in Eccleſiam introducit alienigenas, & delectabo eos, inquit, in Domo orationis meæ, ſcilicèt chariſmatibus, & ſpè Sacramentorum.* Hactenus Cyrillus. Hoc autem vaticinium & ſi in omnibus Chriſtianorum Templis adimpleatur, pleniùs tamen, & copioſiùs in almo Sacello Lauretano adimpleri, omnes Chriſtiani Orbis homines atteſtantur, ibi lætificat Deus per largiſſimam gratiarum diſtributionem omnes, qui ad illud accedunt, ibi ſanitatem animæ, & corporis conſequuntur, qui deuotè adeunt, ibi Dęmones obſeſſos relinquunt; ibi denique magna cum lætitia à Deo vota aduentantium complentur.

Turrian.
D.Cyril.

Verba Iſaiæ citata peculiariter verificari de ſancta Domo Lauretana.

Nec dicat Hæreticus, Virgini, uel alijs, quorum reliquias nō habemus, fruſtrà extrui Baſilicas; ſat enim eſt ad Templa erigenda, ut ſit locus, in quo Sancti, vel habitauerint, vel aliquid præclari geſſerint, vel paſſi fuerint, vel aliquando apparuerint, vel miracula aliqua operati fuerint; ſic Beato Cypriano duæ Baſilicæ erectæ fuere apud Carthaginenſes, ut Auctor eſt Victor. Vticen. lib. 1. Vuandalicæ perſecutionis, una in qua Martyrium accepit; altera ubi corpus eius iacebat: immò & ipſis Angelis bonis ob ſolas apparitiones Baſilicas in locis, in quibus illæ factæ ſunt, erectas eſſe certiſſimum eſt; ſicut etiam feſtos dies in eorum honorem laudabiliter Eccleſia inſtituit. Locum igitur, in quo Beata Virgo Deum in utero recepit, & cum puero IESV habitauit, illumque diù enutriuit, in templum conuerti opportunum fuit.

NOTA.

Victor Vtic.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ad Quintum Argumentum reſponſio.

BEATVM Lucam Chriſti & Beatę Virginis imagines pinxiſſe, uel opere feciſſe (vt hæreticus loquitur) ſcribit Theodorus lector, qui ante mille annos floruit, lib. 1. collectaneorum, Nicephorus lib. 14. hiſt. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. Simeon Metaphraſtes in uita Sancti Lucę, & D. Thomas 3. par. quæſt. 25. artic. 3. Nicephorus MARIAM adhuc uiuentem Lucæ manibus depictam, à Græcis ſolemniter ſeruatam, frequentibusque miraculis illuſtratam fuiſſe, his uerbis demonſtrat: *Pulcheria Auguſta templum in Vrbe Conſtantinopolitana extruxit τῶν ὁδηγῶν, hoc eſt uiæ ducum appellatum, ubi ex Antiochia tranſmiſſam Matris Dei imaginem dedicauit, quam Diuus Lucas ſuis ipſe manibus depinxit, illa adhuc uiuente, & tabulam ipſam vidente, gratiamque adeò illi formæ ſuæ immittente. Hæc imago, primùm in eo loco, qui Tribunal dicitur, fuit, vbi ea, quæ nunc quoque fiunt, miracula peracta ſunt.* Sic Nicephor.

Quod D. Lucas fecerit imagines Xpi & B. Virginis.
Theodorus lector.
Nicephorus.
Metaphraſt.
D. Thom.
B Virgo adhuc viuens à D. Luca fuit picturis expſſa ex Nicephoro.

HANE autem ueterem, atque conſtantem Eccleſiæ traditionem de imagine Beatæ Virginis per Lucam depicta, ac deinde in Eccleſia conſeruata, quibuſ-

Exẽplis Grecorum probatur veritas imaginis B. Virginis à D. Luca fabricatæ. Annales Greci.

dam exemplis à græcis petitis corroborandam, atque illuſtrandam eſſe duxi. Hanc enim Beatæ Mariae imaginem à ſeniore, & iuniore Andronico apud Conſtantinopolim honoratam eſſe, in Græcorum annalibus refertur: cùm enim iunior Conſtantinopolim per inſidias noctu occupaſſet, ſenior eius Auus anguſtijs hoſtium citrà expectationem preſſus, omnique militia deſtitutus, ſurgit è lecto, & ad imaginem Virginis à Luca depictam apud eius Palatium aſſeruatam ſuppliciter recurrit; quæ illicò opem tulit, ſenior enim liberatus eſt, iunior uerò ſtatim mitis, & manſuetus euaſit, eamdemque Imaginem in primo Palatij ingreſſu adorauit. Conſtantinus Deſpota coram eadem imagine iuramentum à Syrgiano de obſeruandis mandatis Imperatoris exegit, antequam illum in ſuam gratiam reciperet. Conſtantinus Paleologus pedibus illam publicè proſecutus eſt, ubi Conſtantinopolim recuperauit.

A Diuo Luca factę ſunt multæ imagines B. Virginis q̃ in diuerſis locis habentur. D. Gregorius Nicephorus.

Sed vſque ad hæc tempora Romæ, atque alibi plures Virginis imagines à Beato Luca depictæ religioſiſſimè ſeruantur. D. Greg. Magnus ante mille annos illam in publica ſupplicatione circumgeſtari fecit, & ſic à peſte Vrbs liberata fuit. Nec incredibile eſt, Lucam pictorem egregium, (ſic illum appellat Nicephorus lib. 2. cap. 43.) ſiuè ſponte, ſiuè rogatum plures Icones Deiparæ depinxiſſe, in quarum numero hæc, quæ cum eadem Lauretana Domo ad nos peruenit, proculdubio collocanda eſt; licèt quoque nil incommodi ſit affirmare, ex Archetypo Lucę alia exemplaria fideliter excerpta fuiſſe, atque varijs in locis hodie meritò nomine ipſius Lucæ venerari. Verba Nicephori in dicto cap. 43. hæc ſunt. *Fertur is quoque primus Chriſti, & quæ eum ita, ut Deum decebat, genuit matris, atque item Principum Apoſtolorum efficiem pingendi arte adumbraſſe, unde in omnem deinde habitabilem Orbem tàm uenerandum, & præcioſum opus eſt illatum*, idem libro 6. cap. 16. aſſeueranter affirmat.

Probatur uſus imaginũ apud Chriſtianos. Exod. 15. Num. 21. 3. Reg. 6. & 7. Exo. 31. & 35

Vsvm autem imaginum Chriſtianis licere, & utilem eſſe, non laborioſum eſt oſtendere; atque in primis in ipſamet Scriptura ueteri, Dei iuſſu imagines factas eſſe, legimus Exod. 15. ubi præcipit Deus imagines Cherubin ſuper arcam fieri. Numer. 21. Serpentem æneum à Moyſe ex Dei præcepto exaltatum; 3. Regum 6. & 7. Cherubin. Leones, Boues, & alia, Exod. 31. & 35. artem pingendi, & ſculpendi tamquàm bonam, & à Deo profectam, dum dicitur. Deum duobus uiris Beſeleel, & Oliab ſpiritum ſuum, ſapientiam, & ſcientiam ad ſculpendum, & excogitandum multa, pro ornatu tabernaculi tradidiſſe. Nec Exod. 20. prohibetur omnis imago, dum dicitur, *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*, ſed cultus, quo creatura, tamquàm Deus colitur, & ſimiliter ſculptile, quod pro Deo habetur, ideſt Idolum uetatur, unde nec fabricatio imaginum, niſi in ordine ad cultum prohibetur. *Non habebis*, inquit Deus, *Deos alienos, nec facies tibi ſculptile*, vbi actus interior Idolatriæ, & exterior ponitur, ut inquit D. Auguſt. quæſtio. 71. in Exod. atque eo modo, quo Iudæis in præceptis Decalogi prohibitum erat ſculptile facere, habere uel adorare, eodem quoque modo hodie Chriſtianis prohibitum eſt ſcilicèt tamquam Idolum ad adorandum, & ut Deum colendum; præcepta enim Decalogi, excepto præcepto de Sabbato, cùm legem naturalem contineant, æquè omnes Mundi homines obligant, ut docet S. Irenæus lib. 4. cap. 31. & 32. D. Auguſt. lib. 15. contrà Fauſtum, cap. 4. & 7. & lib. 19. cap. 18. lib. 3. contra ſecundam Epiſt. Pelagiani, cap. 4. & D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 122. artic. 1. & 4. immò Tertullianus in toto ſuo libello de Idolatria, & D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 59. & de exhortatiōne Martyrij docent, hoc præceptum; *Non facies tibi ſculptile*, præcipuè Chriſtianos obligare: Licet autem Chriſtianis imagines Chriſti, & Sanctorum honorare, ac colere, modo tamen, ut in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. docetur, in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis credatur ineſſe aliqua uirtus, uel diuinitas; ſed ſolum, ut honor, qui eis exhibetur, ad prothotypa referatur, ita ut per imagines, quas oſculamur, coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, ueneremur. Nec enim imaginem

Obiectionis ſolutio Ex. 20

D. Auguſt. Præcepta decalogi omnes hoīes equaliter obligant, excepto præcepto de Sabbatho colēdo. Iren. Auguſt. D. Thom. Tertull. Cyprian.

Qua ratione liceat imagines colere ex Conc. Trid.

Chriſti

Chriſti adorans, lignorum, aut colorum naturam adorat, ſed inanimatum characterem Chriſti, ideſt imaginem Chriſti, illum repræſentantem; ita in Septima Synodo, act.4. Leontius Epiſcopus Neapoleos Cypri aduerſus Iudæos imaginum cauſſam agens dixit, & Epiphanius in act.6. eiuſdem Concilij, quò etiam modo Iudæi imagines adorabant, ut D.Hierony. in Epiſt.ad Marcellam, ut Bethlehem migret, dixit, tabernaculum ſcilicèt à Iudæis veneratum fuiſſe; quia ibi erant Cherubin, quorum imagines ſuper Arcam exiſtentes. Exod.25. ab ijs neceſſariò adorabantur, qui Arcam adorabant: præterea ſerpens ille æneus ab eiſdem honorabatur, ut innuit D.Auguſt. lib.3. de Trinitate cap.10. cum enim in excelſo loco à Deo collocatus ſalutem miſeris, qui in illum oculos conuertebant, afferret, neceſſariò venerari debebat: ſigna enim aliqua utilia diuinitùs inſtituta, in quorum numero Cherubin, & Serpentis ænei imagines abſque dubio erant, ueneranda eſſe, cùm honor eorum ad prothotypum tranſeat, docuit D.Auguſt. lib.3. de doctri. Chriſtiana, cap.9. Et verò an non Hębręi creaturas aliquas, ut ſanctas uel ſacras honorabant? certè Exod.3. propter Angeli præſentiam, dicitur, *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*, Item Exod.12. Dies Paſchę uenerabilis, & ſanctus apud illos habebatur; vlteriùs ueſtes Sacerdotales diuino cultui dedicatę, ſanctę appellabantur Exod.28. Iſaias quoque cap.11. Chriſti ſepulchrum glorioſum, & uenerandum fore dixit, quinimmò & ipſę Scripturę, ſacrę literę nuncupantur à D. Paulo 2.Thimoth.3. *Ab infantia*, inquit, *ſacras literas noſti*. Si igitur & literæ & loca & tempora & veſtimenta, ſacra ac ueneranda iure optimo dicuntur, eò quod rerum ſacrarum ſint ſigna; cur non etiam imagines, quę ad ſignificandas, & repręſentandas res ſacras inſtitutę ſunt, uenerari, & honorare licebit? Omne enim, quod ſanctum eſt, uenerabile eſt, ut ex uerbis Exod.1. colligitur. *Dies prima*, inquit, *erit ſancta, & ſeptima eadem religione uenerabilis*. Hoc apud Hębręos.

Septima Synodus. Leontius Epiſcopus. Epiphanius. D.Hieron. Exod.25. D.Auguſt. D.Auguſt. Exod.3 & 12 Exod.28. Iſai.11. 2.Thim.3. Omne ſanctũ venerabile eſt Exod 1.

Apvd Chriſtianos autem ſacras imagines ſemper uenerabiles fuiſſe, pręter loca Scripturę adducta, multa teſtantur Concilia: in Canone 82. Sextę Synodi Imagines uenerabiles dicuntur, in Romana Synodo ſub Greg.III. Anno Domini 733. ut Sigibertus in Chronico, à mille Epiſcopis congregatis uſus ſacrarum imaginum approbatur. Pręterea in Synodo celebrata in uilla Gentiliacenſi, anno Domini 766. admonentur Gręci, ut de imaginibus piè, ac catholicè ſentire uelint, ut ſcribit Paulus Æmilius lib.2. Iterum ſub Stephano Tertio, anno Domini 768. pro imaginibus Romę Synodus peracta fuit, ut Sigebertus in ſuo Chronico, & Adrianus libro de imaginibus ad Carolum, Item in Septima Synodo anno Domini 788. Imagines uenerandas eſſe, definitur, quod & in octaua Synodo, actione vlt. can.3. & nouiſſimè in Tridentina Synodo ſeſſ.25. ſancitum fuit, ubi ſecundę Nicenę Synodi decreta circà Imagines commemorantur.

Imagines ſacrę apud Chriſtianos uenerabiles ex auctoritate Conciliorum. Sexta Synodus. Synod.Rom. ſub Greg.III. Sigebert. Syn.Gentil. Paul.Æmil. Synod.Rom. ſub Steph.III Sigebert. Adrian. Septima Synodus. Octaua Synodus. Trid. Synod. Nicen. Syno.

Sed & apud Græcos, & apud Latinos Patres ſacrarũ imaginum veneratio frequentiſsime inculcatur. Damaſcenus lib.4. de fide cap.17. imaginum venerationẽ ex apoſtolica traditione eſſe ſcribit; quod etiam antea Baſilius dixerat, contrà Iulianum, teſte Adriano Papa in Epiſtola ad Imperatores in Septima Synodo act.2. Chryſoſt. in liturgia, ad imaginem Chriſti Sacerdotem caput inclinare dicit, Athanaſius autem q.17. ad Antiochum, pulchrè reſpondit quæſtioni, cur potius imaginem Crucis Chriſtiani colant, quàm lanceæ, uel columnæ, & ſimilium inſtrumentorum paſſionis Domini. Paulinus, Natalit.10. Sancti Felicis, figuras in templo depictas ſacras, ac proinde uenerandas cecinit.

Miremurque ſacras veterum monumenta figuras.

D.Auguſt. pręter ea loca, quę adduximus, lib.10. confeſſionum cap.34. uſum imaginum comprobat, abuſum uerò pictorum redarguit, qui obſcæna quædam nudatorum membrorum expreſſione, atque impudica laſciuientis artis oſtentatione ſacras tabellas, ipſoſque ſacrarum ædium parietes, altariaque prophanant. Plura quoq; de imaginibus in lib.1. de conſenſu Euang. cap.10. Sed ante hos omnes antiquiſſimus Tertull. in lib. de pudicitia meminit imaginis Chriſti in forma paſtoris ouem in humeris geſtantis, depictæ in ſacris calicibus, ut ſuperiùs diximus.

Veneratio imaginum ex Sanctis Patribus. Damaſc. Baſil. Adrian.Papa Chryſoſt. Athanaſ. Paulin. D.Auguſt. Tertullianus.

Quod autem hæbræis prohibitum fuit, ſcilicèt ne in imaginibus Deum uerum colerent, & pro uero Deo Idola haberent, Idoliſque ſacrificarent, atque in illis diuinam uim ineſſe putarent: hoc idem Chriſtianis prohibitum eſt; nos enim, ut inquit Paulus Actorum 17. *Cùm genus ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile.* Illud tamen intereſt inter hæbræos, & Chriſtianos, quia cùm Populus ille procliuis, & facilis eſſet ad idolatrandum, meritò uetitum fuit illi, ne facerent ſibi ſculptile, ne illud pro Deo haberent, & pro Deo colerent; at Populus Chriſtianus, cum in hoc diſcrimine non uerſetur, abſque ullo periculo Sanctorum imaginibus utitur, illaſque uel in picturis, uel in opere Domi, & in templis habet; omnes enim, niſi ſint hęretica cæcitate percuſſi, cognoſcunt, Angelos, cęteroſque Sanctos eſſe Dei ſeruos, atque miniſtros, nec ullo pacto latriæ cultu adorandos eſſe, ut in Concil. ſeu Synodo 7. act. 7. definitum eſt. Scio circa rem hanc multas, & inter Scholaſticos, & inter hæreticos, quæſtiones, & controuerſias uerſari; ſed nobis ſatis ſit argumento hæretici abundè ſatisfeciſſe; ſicut enim Cherubini illi ex pręcepto Dei facti fuere, & ad diuinum cultum, eiuſque gloriam celebrandam poſiti: ita imago Virginis Lauretanę uoluntate Dei per manus Beati Lucę facta eſt, & cum ipſa domo ad noſtras partes per manus Angelicas tranſportata.

Actor. 17.

Diſcrimen inter hæbræos, & Chriſtianos circà imagines.

Septima Synodus.

At quidnam ridet hęreticus, Virginis ſtatuam adorandam? nonne in caput ſuum hoc facit? Paulus Diaconus li. 21. rerum Romanarum narrat facinus ad hęreticorum confuſionem ac terrorem hic à nobis repetendum. Iconomachum quemdam inquit, uiſa ſtatua Beatæ Virginis, lapides in eam ieciſſe eamque comminuiſſe; mox in ſomno ipſam Virginem ab eo uiſam, his uerbis terribiliter comminantem: in caput tuum hoc feciſti; ac deinde paulo poſt eumdem ingenti lapide percuſſum, eoque modo contritum eſſe, quo ipſe ſtatuam comminuerat. Conuertatur itaque hęreticus, & humili corde coram Sanctiſſima Virgine Lauretana catholicam fidem profiteatur, pertinaciam deponat, & donum fidei per interceſſionem Beatę Virginis recipiat. Sabbatius Conſtantinus, filius Leonis Arméni, qui imagines perſequebatur, dum mutus eſſet ad ſtatuam Sancti Gregorij Nazianzeni acceſſit, & mente Sanctum deprecans, diuino miraculo lingua eius ſoluta eſt uſumque loquendi recepit, ut Zonaras in uita Michaelis Balbi ſcribit. Quo igitur iure dubitabit hęreticus, ſi coram imagine Beatę Virginis Lauretanę ſuos errores deteſtetur, ſe criminum ſuorum ueniam per interceſſionem Beatæ Virginis à Deo recepturum? odit hæreticus, ut etiam Diabolus, Beatæ Virginis imaginem, ac proinde in illam inuehitur, euerſionem illius procurandò. Legimus in Prato ſpirituali cap. 45. Diabolum apparuiſſe cuidam Eremitæ, qui ſpiritu fornicationis maxime vexabatur, promiſiſſeq; illi, ſe ab eo diſceſſurum, ſi is imaginem Beatæ Virginis, quam in cella retinebat, non amplius ſe veneraturum polliceretur; ſic hæreticus, vt Sanctorum imagines confringat, & iniuria, ac contumelia afficiat, nullum lapidem nõ mouet. Iulianus Apoſtata, ut Chriſto ſemper infeſtus erat, ſtatuam Chriſti à loco, in quo apud Peneadem Hemorroiſſa collocauerat, amouit, ſuamque in eodem loco poſuit, cuius iniuriæ Chriſtus vindictam ſumẽs, igne de coelo emiſſo, ſtatuam Iuliani deturbauit, & capite à corpore diuulſo, ſicut etiam Idolo Dagon 1. Reg. 5. accidit, eam in diuerſa proiecit. Sic Sozomenus lib. 5. hiſt. cap. 20. Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 14. Damaſcenus lib. 1. de imaginibus, & Theophylactus in cap. 9. Matt. ſcribunt, adduntque, ex baſi eiuſdem ſtatuæ Chriſti, quæ ænea erat, herbam quamdam nemini cognitam naſci ſolitam eſſe, quæ dũ creſcendo fimbriam imaginis attingebat, vim morbos omnes curandi diuinitũs habebat. Quid igitur mirum, ſi imaginis Beatiſſimæ Virginis Lauretanæ conſpectu morbi pellantur, infirmitates curentur; & corda peccatorum ad Deum conuertantur? Soli obſtinati hæretici, qui oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, tanto beneficio non potiuntur; ſed cęci ſunt, & duces cæcorum.

Quædam inſignia miracula ſanctarum imaginum. Paul. Diac.

Zonaras.

Imago Virginis dæmonibus aduerſaria.

Prato Spirituale.

Inſigne miraculum.

1. Reg. 5. Sozom. Euſeb. Damaſc. Theophyl.

NOTA.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Ad Sextum Argumentum reſponſio.

1\.

DICIMVS, quòd officia Eccleſiaſtica ſemper ab ipſo initio naſcentis Eccleſiæ celebrata fuere; ſic Apoſtolus 1. ad Timoth. ca. 2. pręcipit, primùm fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate cõſtituti ſunt, vt quietam, & trãquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate, hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hæc ſunt officia Eccleſiaſtica ſeu diuina, preces ſcilicèt, quæ à Chriſtianis ad Deum fiunt, pręſertim publicè, ſic *Petrus, & Ioannes aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam*. Actorum 3. ſic Chriſtiani erant in eodem loco perſeuerantes in orationibus, & communicatione fractionis panis, Actor. 2. ſic Tertullianus vetuſtiſsimus ſcriptor, in Apologetico cap. 39. dixit, Chriſtianos ad tria in Eccleſiam conuenire ſolitos. Primò ad orationem. Secundò ad lectionem. Tertiò ad exhortationem, quem morem primorũ Chriſtianorum Phylo Iudęus apud Euſebium, vt ſuperius diximus, lib. 2. Hiſtor. cap. 17. mirificè commendauit. D. Athanaſius ſuper Pſal. 25. egregiè notat, in quibus Pſalmis obſecrationes, in quibus orationes, in quibus poſtulationes, & in quibus gratiarum actiones habeantur. Cuncta autem officia Eccleſiaſtica nomine orationis comprehendi, habetur in Canon. Nicæn. Conc. ex Arabico tranſlatis, vt Turrianus refert, nempè 59. 60. & præcipuè 62. qui inſcriptus eſt, de officio horarum Eccleſiaſticarum; *In omnibus*, inquit, *horis diurnis, & nocturnis, in principio, & fine fiat cum deuotione memoria Epiſcopi, & oretur pro ſalute eius*, & quæ ſequuntur, & in alio Canone ait, *qui praeſt orationi* ideſt, qui præeſt diuinis officijs in Eccleſia. Sed quid plura? nonne Miſſæ celebratio ſumma, & præcipua pars officij Eccleſiaſtici eſt? ſic ſanè Auguſt. in Epiſt. 59. ad Paulinum quæſt. 5. vbi docuit, in Miſſæ officio prædicta quatuor orationis genera propriè contineri. Quòd ſi Apoſtoli circà domos frangebant panem, Actor. 2. quod de priuatis domibus intelligitur, quantò magis in domo Beatæ Virginis, cum Nazateth deſcẽdebant Apoſtoli, ſacrum feciſſe eos credendum eſt? at decuit illos hoc ſacroſanctum cubiculum honorare, quod nec decentiùs, nec religioſiùs honorare poterant, quàm in eo ſacrum myſterium faciendo. Prætereà ſi Pontifices plerique in cryptis, & foraminibus terrę ſacra facere non dedignabantur, quantò magis Apoſtolos, primoſque ſacerdotes Chriſtianos in domo Matris Dei decuit ſacra myſteria celebrare?

Diuina officia ab initio Eccleſiæ celebrata. 1. Thim. 2. Actor. 3. Actor. 2. Tertull. Propter tria Chriſtiani in Eccleſiam cõueniebant. Phylo Iudæ' D. Athanaſ. Omnia Officia Eccleſiaſtica dicũtur, orationes. Conc. Nicen. Turria. Miſſa præcipua diuini officij celebratio. D. Auguſt. Actor. 2.

IN priuatis etiam ædibus Miſſam celebrari mos antiquiſſimus fuit, ut de Sancto Luciano in carcere conſtituto, qui cùm eſſet catenarũ onere depreſſus, nec erigere ſe poſſet, pectus ſuum pro altari ad ſacrificandum habuit, ſcribit Nicephorus lib. 8. cap. 31. & Alber. diſt. 13. artic. 37. B. etiam Theodoretus in Domuncula Beati Maris, in uico Netis apud terram Homeri ædificata, Miſſam celebrauit, manibus Diaconorum pro altari utens. Sic refert ipſemet Theod. cap. 20. Hiſtoriæ Sanctorum Patrum, in uita Sancti Maris. D. Greg. Nazianzenum in anguſtiſſima ſua cellula ara poſita, ſacrum inibi feciſſe, teſtis eſt Sozomenus apud tripartitam lib. 9. hiſtor. cap. 8. Paulinus refert in uita Sancti Ambroſij, in domo illuſtris cuiuſdam fœminæ Ambroſium eius precibus Miſſam celebraſſe, quod & D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. ſcribit de quodam ſuo Presbitero, qui in ruſtica Domo ſacrum fecit; ſicut etiam D. Gregorius homil. 37. in Euangel. de Caſſio Narnienſi Epiſcopo in Oratorio priuato celebrante. Iohannes Damaſcenus in hiſtoria de Barlaam, & Ioſaphat narrat, Barlaam Sacerdotem in ſua Cellula, præſente Ioſaphat ſolo, Miſſam facere ſolitum fuiſſe. At ſi in priuatis domibus, & cellulis illud facere pium erat, quomodo in Domo Virginis, ubi prima Chriſtianæ Religionis myſteria conſumata ſunt, à Sanctis Apoſtolis factum eſſe negabitur?

Antiqu' mos celebrãdi Miſſas in domib' priuatis. Nicephor. Sozom. Albert. Theodor. Paulin. Auguſt. Gregor. Damaſc.

æquum ſanè erat, illos ſanctam hanc Domum honorare, & quonam aptiori modo quæſo quàm diuina in ea celebrando? Accedat huc, quòd ea de cauſa à fidelibus Sacellum illum, dum Nazareth perſiſtebat, auguſtiſſimo templo circumdatum fuit; quoniam locum illum ſacris vſibus, & myſterijs, ab Apoſtolis dicatum fuiſſe uera traditione tenebant; immò ſcribit Nicephorus lib.8. cap.30. Helenam Auguſtam peramænum condidiſſe templum Nazareth, ubi erat domus ſalutationis Angelicæ.

Nicephor.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ad ſeptimum Argumentum reſponſio.

Num.16. Act.5. & 13.

Diuina patiētia acerbiorē pęnam infert obſtinatis, & impęnitentibus: oſtēditur exemplis.

QVEMADMODVM Deus ſemper non ſtatim punit, atque flagellat peccatorem, patrato peccato, ut accidit Dathan, & Abiron, Num.16. & Ananiæ, & Saphyræ Act.5. & Barieu. Act.13. ſed aliquoties prorogando pœnam, multum temporis benignè concedit, ac procraſtinando flagellum, ut uel peccator reſipiſcat, uel tandem, ſi benignitatem Dei contemnat, duriorem, atque acerbiorem uindictam in eum exerceat; ſic Deus erga Ciuitates, Prouincias, & Regna ſe gerit; quod nonnullis exemplis ex Sacra Scriptura petitis certum fiet.

Genes.6.

Quantum tēporis in Arca fabricanda Noè conſumpſerit.

Origen. Auguſt. Gregor. Rupert. Pererius. Geneſ.2.

CVM enim Dominus Geneſ.6. ob hominum nimiam libidinem, quæ ſuper uniuerſam terram excreuerat, ſignificaſſet, ſe diluuio omnem carnem perditurum; non ſtatim eos deleuit, ſed centum, & uiginti annos ad pœnitentiam, & conuerſionem conceſſit, atque ex his eo tempore breuiato, cùm centum effluxiſſent anni, uiginti vlterius non expectatis, quòd Dei donū contempſiſſent, diluuij aquis omnem carnem deleuit. Arcam enim à Noè centum ſaltem annorum ſpacio fabricatam fuiſſe multi graues, & peruetuſti Auctores ſcribunt, ut Origenes lib.4. contrà Celſum, Auguſtinus lib.15. de Ciuit. Dei, capite vltimo, & lib.12. contrà Fauſtum, cap.18. & in lib. quæſtionum in Geneſ. q.5. Gregorius prætereà homil.15. in Ezechielem, & Rupertus lib.4. Commentariorum in Geneſim, cap.20. quorum ſententiam, & Beroſi Anniani, & Ioannis Annij opinionibus anteponit Pererius, lib.10. in Geneſim to.2. & colligitur ex illis uerbis Gen.2. *Eruntque dies illius cèntum uiginti annorum*.

Geneſ.18.

Supplicium Sodomitarū.

Prætereà Geneſis 18. flagellum in flagitioſiſſimas Ciuitates non immiſit Dominus, niſi poſtquàm clamor Sodomorū, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: tanta enim fuit illius Gentis enormitas, atque immanitas ſcelerum, ut Dei Clementiam, quæ diutiùs ea ſcelera diſſimulauerat, atque impunita dimiſerat, tandem ad horribilem, atque in omnia tempora memorabilem uindictam compulerit. Quid enim nomine Clamoris Sodomorum intelligitur, niſi, ut D.Auguſt. inquit, primo lib. locut. magna impudentia, & libertas iniquitatis, ut nec uerecundia, nec timore abſcondatur? D.Greg. li.5. moralium cap.7. & in Paſtorali 3. parte cap.32. *Omnis*, inquit, *iniquitas apud ſecreta Dei iudicia habet uoces ſuas. Peccatum namque cum voce, eſt culpa in actione; peccatum autem cum clamore, eſt culpa cum libertate*. Gloſ. interlinearis per clamorem Sodomorum multiplicatum, intelligit eorum crimen adeò manifeſtatum, & facti euidentia publicatum, ut accuſatore non egeret; aggrauatum verò, longa peccandi conſuetudine, tamquàm prægraui ſuperpoſito lapide preſſum: Comminato igitur flagello Ciuitates illas Deus non perdidit, niſi poſt longam tam execrandi flagitij diſſimulationem, diuturnamque impunitatem; quamuis apud Ezechielem cap.16. Sodomorum plura uitia narrentur, ut apud Ioſephum lib.1. antiquitatum, & apud Phylonem in lib.1. de Abraham.

Quid ſignificet Clamor in ſcripturis. D Auguſt. D.Gregor.

Gloſſ. interl.

Eezch.16. Ioſephus. Phylo.

Rurſus impietatem hæbræorum ob crimen Idolatrię, occiſionemque Prophetarum,

tarum, Deus diutiùs tolerauit, nec ſtatim eam ui ndicauit; ſed ſeptuagenaria Babylonis captiuitate flagellauit. Ægyptum quoque eiuſq; Regem Pharaonem nõne poſt multa ſigna, & ad conuerſionem incitamenta puniuit? Adde, quòd ob Chriſti occiſionem, Dominus Hæbræos per annos quadraginta ad agendam pœnitentiam expectauit, ut ſuperius dictum eſt; immò & Saul compluribus annis regnaſſe, poſtquàm à Domino monitus de peccato ſuo fuerat legimus.

Sic Hæretico reſpondendum eſt, ſumma Dei prouidentia, atque benignitate factum eſſe, ut non ſtatim ac Mahumetani Palæſtinam, Syriam, vniuerſamque Iudæam, & Ægyptum inuaſerint (quod anno 700. effectum fuit) ſuamque impietatē diſſeminauerint, diuinum hoc Sacellum, vbi Chriſtianæ Religionis prima exordia celebrata ſunt, inde dimoueretur. Nondum enim iniquitates eorum completæ erant, ſicut nec Amorrhæorum: nec Deus ſemper ſtatim punit, ut dictum eſt, ſed opportunè vindictam in die irę, ſecundum beneplacitum ſuæ uoluntatis, reſeruat: nec ante tempus à ſe decretum Deus punire ſolet. Quoniam igitur Mahumetanorum peccata nondum completa erant, propter quæ ex illa Regione Domus Sancta aſportanda erat, ideò uſque ad annum 1200. dilata res fuit: quo in tēpore eorum peccata ad eum gradum, & menſuram peruenerant, ut talem mererentur vindictam: ſic quoque intelligenda eſt menſura, ſiue complementum peccatorum Amorrhæorum, quod poſt 400. annos futurum erat, & ideò vſque ad id temporis exterminatio eius gentis, & introductio hæbręorum in terram illam dilata eſt; hoc enim nomine dixit Deus Abrahæ, *Nondum impleta ſunt peccata Amorrhaeorum vſque nunc*, id eſt nondum illi digna tali exitio perpetrarunt, ut Theodoretus quæſtio. 64. in Geneſim, & Pererius in cap. 15. Geneſis tom. 3. Neque enim Deus ante peccatum ex præſcientia futuri peccati pœnam infligit. Forſan Hæreticus fato hoc tribuet, quemadmodum etiam nonnulli punitionem Amorrhęorum, quaſi illi puniri non potuerint, niſi poſtquam tempus illos puniendi ui, & neceſſitate fatali conſtitutum aduenìſſet. Sic Phylo in lib. de legitimo rerum diuinarum hærede, refert; at complementum iniquitatis earum gentium, ſicut etiam Mahumetanorum, & tempus eos puniendi per ablationem Sanctæ Domus, non fatali neceſſitate definitum erat, ſed prouidentiæ, ac uoluntatis diuinę decreto in eorum impietatis uindictam deſtinatum, ac prę̄ſtitutum.

Multæ rationes afferſtur cur Deus nō ſtatim ab initio Lauretanā domum ab infidelium manibus abſtulerit.

Quid ſit complementū peccatorum.

Theodor.

Pererius.

Fatalis neceſſitas excluditur.

Phylo.

Verum inſtabit hæreticus, omne peccatum mortale diuina ultione plectendum; non igitur recurrendum eſſe ad complementum, & conſumationem iniquitatum.

Audiat ille reſponſionem Caietani ſuper cap. 15. Geneſis, qui exponens uerba illa, *Necdum completa ſunt iniquitates Amorrhæorum*, quatuor breuiſſimè, & ingenioſiſſimè notauit.

Caietan.

Primum, quòd Deus non ſit prius ultor, quàm homo peccator; culpa enim pręcedit, & pœna ſequitur, licèt non ſemper continuò, ſed quando à Deo definitum eſt. Secundum, quòd Deus punitionem iniquorum in hac uita ſępè differat in longum tempus, tùm ut ſpacium reſipiſcendi, & pœnitendi concedatur, tùm ob alias cauſas mortalibus ignotas, & occultas; in altera uerò uita ſtatim homo recipit digna factis ſuis, uel pręmia, uel ſupplicia. Tertium eſt, Deum non penſare merita pœnarum, quę ſumuntur in hac uita, ſm grauitatem peccatorum, quatenus ſunt offenſæ Dei; ſic enim minimū peccatum mortale mereretur exterminationē, ſed ſecundum rationes diuinorum iudiciorum, quæ ſunt nobis ignotæ; ſecundū quas rationes nondum Amorrheorū iniquitates ad eum terminum peruenerāt, in quo Deus eas punire per exterminationem eius gentis decreuerat. Quartum eſt, ſi peccata, & mala, quę cernimus in rebus humanis, perpendamus, non relatiuè ad hominum malitiam, & merita, ſed ad occulta Dei iudicia, qui omnia facit in numero, pondere, & menſura, procul erimus à murmurando contrà Dei iuſtitiam, & prouidentiam. Sic ex Caietano: os igitur hęretici à murmuratione ceſſet, & intelligat ob cauſas nobis abditas, & penitùs ignotas, diuino tamen iudicio correſpondentes, factum eſſe, ut non 600. anno ſed 1200. Sancta Domus à ſolo Palęſtinę diuulſa

Rationes cur Deus non ſtatim puniat peccata, ſed potius poſtquam ad ſummum peruenerunt.

nę diuulſa fuerit; *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut conſiliarius eius fuit?* nec Mahumetanorum impietates ad illud uſque temporis completæ erant, quoniam ad eam menſuram non aſcenderant, in qua Dominus decreuerat, per Sanctæ Domus aſportationem illos punire.

Qũo Deũ pœnitere intelligatur in Scriptura.

1.Reg.15.

Sed dicet, numquid Deum pœnituit carnem ſumere in Nazareth, quòd domum illam aliò transferri fecerit? Reſpondemus, vtique ob nequitiam, & infidelitatem illarum gentium quodammodo pęnituiſſe Deum, (ut iuxtà idioma ſcripturæ loquamur) quòd ibi domum conceptionis, & Incarnationis ſuæ collocaſſet. Hæc enim Dei pœnitentia nil aliud in ſcripturis eſt, niſi charitas, & amor Dei erga homines. Vnde 1. Regum. 15. dicitur. *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit*; quod enim Populus commiſerat male Regem petendo, Deus pro ſua benignitate, & clementia in melius uertit, dum Regem Dauid, qui omnes eius voluntates adimpleuit, ei ſuffecit. Similiter pœnituit Deum, hominem feciſſe, non quòd dolore, vel mutatione aliqua affectus fuerit, ſed quòd deleta per aquam mala ſtirpe Cain, ex Noè, qui ſolus in generatione ſua Deo placuerat, principium nouæ vitæ futuræ Deus inſtituerit; ex ſemine enim Abrahæ, qui ex Noè profectus eſt; ideſt ex Chriſto, ſalus Mundi cũ paucis, ideſt octo animabus conſtituta eſt. Sic Deum pœnituiſſe aſſerendum eſt, quòd Domum Sanctam Virginis in Nazareth ædificari permiſiſſet, propter impietatem, & infidelitatem Mahumetanam: quam tamen domum propter ſuam in genus humanum nimiam charitatem, in eam Orbis regionem Angelorum miniſterio tranſportauit, ubi modo eſt; in qua ſumma pietate frequentia, ac celebritate colitur, ſummoque ſplendore miraculorum enitet, maximòque omnium hominum ex toto Orbe Chriſtiano confluentium cum ſpirituali fructu efloreſcit. Ita Dominus, qui facit mirabilia magna ſolus, quia ingloria hæc domus apud Mahumetanos remanebat, & ab illis conculcabatur, ad fidelium oras illam tranſtulit, ut homines tali medio peccatorum pœnitentiam agentes, in agnitione ueritatis confirmati, Deo gloriam redderent.

Geneſ.18.

Quid ſit, deſcendere Deũ in Scripturis.

Verum, alia quoque huius dilatæ tranſlationis cauſſa reddi poteſt; illa ſcilicet, quæ Geneſis 18. de clamore Sodomorum, & Gomorrhæ redditur. *Deſcẽdam, inquit, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ità, vt ſciam*. Experimentis enim, repetitiſque, ac frequentatis impietatibus, voluit Dominus cauſam huius tranſlationis omnibus hominibus innoteſcere, quamuis ipſe omnipotens, & omnia ſciens ſit: uoluit etiam per Angelos ad cognoſcenda mala Sodomorum, & Mahumetanorum deſcendere, ad probandam, & manifeſtandam cauſam exterminationis, & flagelli. Vtitur autem Scriptura in tarda Dei punitione phraſi illa; *Deſcendit Dominus, &c.* quò ſignificetur longanimitas Dei, non feſtinantis ad ſupplicium de peccatoribus ſumendum, ſed quamuis optimè ſciat peccata hominum, ſubinde tamen differentis, & quaſi tempus ad ea cognoſcenda, & perpendenda ſumentis; atque etiam ut iuſtitia Dei declaretur, qui neminem punit, niſi prius apertè de peccato conuictum. Lege D. Gregorium in lib. 19. moral. cap. 29. Rupertum in caput 2. Cantici canticorum, & Pererium, tomo 2. in Geneſim lib. 16. nu. 64. & tom. 3. in cap. 18. num. 47. Sicut igitur Dominus in Sodomis non fecit iudicium, niſi poſtquam experimento dilucidum, & publicum fuit utrum ità eſſet an non, ſic nec in Mahumetanos aliter fieri congruum erat.

D.Gregor.
Rupert.
Pererius.

Propter paucos iuſtos differtur interdum pęna impiorum.
Lxx. Interpr.
Geneſ 18.

Sed & alia veriſimilis cauſa annecti poteſt, quòd fortè uſquead ea tempora, quibus Sanctam Domum tranſlatam eſſe docet hiſtoria, nonnulli uiri iuſti in Palæſtina relicti erant, ob quorum iuſtitiam, & probitatem eo uſque ibi ſeruata fuit: ſane decem uiri iuſti cuſtodiunt Ciuitatem, immò & quinque, vt Septuaginta Interpretibus placet; nam propter decem iuſtos promiſit etiam Dominus, ſe Sodomam non deleturum, Geneſ. 18.

Quãdiu Deus proroget vindictã peccatorum, & quas ob cauſſas.

Sed quæret aliquis, quod nam ſit tempus maturum ad uindictam peccatorum, vel quod idem eſt, quando fiat complementum peccatorum mouens Deum ad vindictam. Differt ſanè Deus peccatorum punitionem, ut bonos, proboſque viros emen-

ros emendatione aliqua indigentes interim purget, & corrigat, quo peracto, flagellum ipſum in ignem proijcit, atque impios, quorum opera ad caſtigandum populum olim ſuum uſus eſt, grauiſſimis punit ſupplicijs: ſic per Aſſyrios, & Chaldæos decem tribus, atque etiam tribum Iuda uehementer torſit; ac deinde ipſos Aſſyrios, & Chaldæos in conculcationem, quaſi lutum platearum, poſuit Eſa. 10. ſic per Arrianos, Donatiſtas, alioſque hæreticos Eccleſiam Catholicam Deus diu afflixit, ſicut etiam hodie per Lutheranos, Caluiniſtas, & Hugonottos illam exercet: ſed hi ſicut & illi tandem in ignem mittentur. Ita quoque tepidi, ac frigidi Chriſtiani, ſicut olim per Gothos, & Longobardos, ità nunc per Tartaros, Turcas, Barbaroſque Mahumetanos à Deo puniuntur; horum tamen completis iniquitatibus, unus, ac ſimilis erit interitus. Prætereà protrahit Deus flagellum, ut locum, & tempus pœnitentiæ tribuat, nolens mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur, & viuat, quod etiam ijs, quos obſtinatos fore nouit, concedit: ſic egregiè Sapientiæ 11. & 12. ſcribitur. Quòd ſi longam flagelli dilationem homo in maiorem peccandi licentiam conuertat, tunc demum ad puniendum Deus procedit, & quo tardiùs, eo grauiùs; ſic Iob 24. dixit, *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam; eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.*

Iſai. 10.
Sap. 11. & 12.
Iob 24.

Denique ſolet ſæpe Deus permittere, Populum aliquem impunè peccare, quoad multitudinem, & grauitatem peccatorum, & quoad tempus, uſque ad certam quamdam periodum; quam ubi attigerit, publicum, & horribile aliquod ſupplicium in illos immittit; cuius rei quatuor cauſas Pererius aſſignat, in cap. 15. Gene. Prima eſt, quando in toto Populo, uniuerſaque Gente alicuius Regionis peccatum graſſatur, ita ut uix unus, aut alter illius expers reperiatur, ut Sodomis accidit, Geneſ. 18. & 19. Secunda eſt, cùm enormia peccata inuerecundè, palàm, ac publicè perpetrantur, atque in his facinoroſi homines gloriantur, de quibus Prou. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, & Eſaiæ 3. *Peccatum ſuum*, inquit, *quaſi Sodoma prædicauerũt, nec abſconderunt; Veh animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala.* Tertia eſt, cùm peccata alicuius populi diù, multumque conſueta, & inueterata, fiunt planè incorrigibilia, & quaſi naturalia, nec ferè amplius remedijs, & curatione ſunt digna; ſicut de Chananæis, & Ægyptijs dixit ſapiens Sapient. 12. *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari malitia illorum in perpetuum*; quo vitio in primis Iudæi laborabant, de quibus Ieremię 13. dicitur, *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum*; & cap. 17. *Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, & ungue adamantino exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Quartam cauſſam addit Pererius doctè, ſic ſcribens. *Quando improbitas, & impietas alicuius gentis eò uſque procedit, ut ſit admodum exitialis humanæ ſocietati, ipſam hominum communitatem, & ſocietatem peruertens, ac deſtruens. Humana verò ſocietas tribus maximè rebus, & initio coaleſcit, & deinceps continetur, atque conſeruatur: ante omnia religione, pietateq; aduerſus Deum, tùm erga homines æquitate, ac iuſtitia, ac demum recta uiuendi diſciplina, & rationabili quadam morum inſtitutione, & compoſitione. Contrà primum facit atheiſmus, & fœda, ac peſtilens Idolatria; qualis fuit olim quarumdam gentium, quibus, uel proprios ſuos filios, aut iugulando, aut igne comburendo, dijs immolare moris erat. Quòd ſi hæc ſcelera in ipſum etiam Dei populum irrepſerint, mirum dictu, quantum iram Dei prouocent, & cõtrà ſe uindictam eius accelerent. Huius criminis ſæpè accuſatos eſſe Iudæos à Prophetis, legimus in ſacris literis. Alterum humanæ ſocietatis vinculum, iuſtitiam dico, planè diſſoluunt frequentes, & immodica bonorum rapina, tyrannicæ oppreſſiones, frequentes bonorum, & innocentium cædes; tale fuiſſe legimus peccatum Aegyptiorum aduerſus hebræos; idem crimen ſæpenumero hebræis ipſis exprobrarunt Prophetæ, extrema eis mala ob eam cauſſam comminantes. Contrà tertium humanæ ſocietatis caput faciunt promiſcuæ atque indifferentes virorum, atque mulierum coniunctiones, nulla diſtinctione, ac reſpectu cognationis, vel affinitatis, vt patris & filiæ, filij & matris, fratris & ſororis, & quod multo deteſtabilius eſt, nefandæ commixtiones marium cum ma-*

Quãdo ſoleat Deus publica immittere flagella in populos, & ob quas cauſſas. ex Pererio.
Gen. 18. & 19
Prouerb. 2.
Iſai. 3.
Sapien. 12.
Ier. 13. & 17.
Pererius.
Tribus maximè rebus humanæ ſocietatis vinculũ cõſeruaẽ, & qua ratione diſſipari ſoleat.

cum maribus, & hominum cum iumentis; atque hoc fuiſſe complementum iniquitatum Chananæorum, ad quod ubi peruenere, punitos eſſe eos à Deo, & eiectos de terra ſua, nec obſcurè, nec vno tantùm loco docet Scriptura. Hęc Pererius. Omnia autem prænarrata flagitia coniunctiſſima, & maximè intima eſſe Mahumetanis notiſſimum eſt.

Obiectio.

Quòd ſi dicas, potiùs Deum exigere ab homine ne peccet, uel ſi iam peccauit, vt à peccato deſiſtat, nec ulterius pergat, quàm expectare, uel exigere complementum, & conſummationem iniquitatis.

Solutio ex Tho. Anglico

Duplex Dei iudicium in homines.

Reſpondendum eſt, cum Thoma Anglico in cap. 15. Geneſ. Deum mirabili menſura, & moderatione homines iudicare in hac uita, idque duplici iudicio. Aliquando enim Deus utitur iudicio iuſtæ permiſſionis, quo peccata hominum excreſcere ſinit uſque ad condignum malitiæ, & certum demeritorum cumulum à diuina Iuſtitia, & ſapientia commenſuratum; prima enim peccata aliorum ſubſequentium merentur pręcipitium; *Abyſſus enim abyſſum inuocat.* Aliquando, iudicio exterminationis temporalis hominum propter peccata; & quamuis, ut rectè dixerat Caiet. quemcumque mortaliter peccantem poſſet iuſtè Deus ſtatim exterminare, nihilominus decet eius benignitatem, menſuram aliquam miſericordis expectationis apponere, ſaltem reſpectu multitudinis populorum, & reſpectu ſuorum vniuerſalium iudiciorum, & maximè ſi in ea multitudine aliqui reperiantur iuſti, & aliqua ſint bona temporalia à Deo remuneranda. Vtroque genere Iudicij in Mahumetanos, quoad Sanctæ Domus tranſlationem, Deus uſus fuit. Neque enim in ſexcenteſimo, uel ſeptingenteſimo anno eorũ peccata ad tantam peruenerant multitudinem, & grauitatem; atque inter illos multi adhuc viri ſancti, & boni reperiebantur, unde trãſlatio illa diuino iudicio merito dilata fuit, iudicia enim Dei, quamuis occulta ſint, ordinata tamen ſunt.

Caietan.

Deo volente ab Angelis, Ædes Lauretana tranſlata eſt.

VRGET hæreticus, ſi Angeli non ſunt paſſi, ſacram ædiculam eſſe inter contemptores fidei, cur paſſi ſunt, & patiuntur, ſacrum ſepulchrum, natiuitatis, & paſſionis locum eſſe apud infideles? Certè non id Angelis impingere debet hęreticus, ſed Deo. Sunt enim illi *Potentes virtute ad faciendum verbum eius*, ut dixit Dauid; ſunt miniſtri Dei, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Quòd ſi quærat, ut quærere debuiſſet, cur placuit Deo Sepulchrum, natiuitatis, & paſſionis locum apud infideles relinquere, non autem conceptionis, & incarnationis eius. Reſpondemus, nimis curioſum eſſe id poſtulare, cùm Sapientię 3. dicatur. *In pluribus operibus eius ne fueris curioſus, non enim eſt tibi neceſſarium ea, quæ ſunt abſcondita, oculis videre;* Sed illa quoque ratio congrua reddi poteſt, quòd ſummum genus uindictæ, ac pœnæ ſit, locum illum ab illis auferre, in quo initium fidei Chriſtianę, & exordium ſalutis cęptum eſt; ut ſic gens illa à fundamento fidei, & ſalutis excidiſſe ſe agnoſceret; nec enim Caluarię, Reſurrectionis, & Aſcenſionis locus alicui ad ſalutem ſuffragari poteſt, niſi myſterium in Nazareth operatum adoret, & ueneretur. Sed hoc loco animaduertẽdum eſt, Deum permiſiſſe loca ſancta Palęſtinę in dominium gentium idolatrantium, atque Mahumetanorũ eſſe, ut ſuperius dictũ eſt, quinimo in ipſiſmet locis uaria Idola erecta, & adorata fuiſſe, numquam tamen in dominium, & ditionem hæreticorum deuoniſſe; immò, & ſi tyrannidem Barbari in Palæſtinæ loca exerceant, huiuſmodi tamen loca ſancta non niſi à Catholicis Chriſtianis tenentur, & coluntur. D. Athanaſius in quæſtio. ad Antiochum Principem quæſtio. 45. luculentiſſimum huius rei teſtimonium reliquit. Quæſtio mota erat, quomodo ſuaderi poſſet Barbaris & illiteratis, quòd Eccleſia catholica præter omnes ſectas rectam fidem tenet, & non errat. Reſponſio talis eſt, quam latinè ſic reddidit Turrianus; apud illum enim dumtaxat illam reperi, putoque illum ex manuſcripto aliquo codice excerpſiſſe. *Qui non poſſunt*, inquit, *ex ſcripturis abſolutionem, perfectionemque, & altitudinem dogmatum audire, quòd Eccleſia pietatem colat, & ab omni errore ſit libera, & pura, ex eo debent intelligere, quod omnia loca ueneranda ſalutis noſtræ, & paſſionũ Chriſti Eccleſia catholica, & orthodoxa Deus tradidit, & concredidit, Nazareth dico, ubi Chriſtus in nobis habitauit, Bethlehem, ubi natus eſt, Sion ubi ſalutem mũdo operatus eſt, Iordanem, ubi Adamum reno-*

Cur ita Deo placuerit quęrere, nimis curioſum eſt. Sapien. 3.

Aſſertur congruentia.

Cur loca ſancta Deus in hæreticorum manus deuenire numquã permiſerit. D. Athanaſ.

Turrianus.

Notabile indicium ad uerã fidem cognoſcendam.

mum renouauit; Thabor, ubi Regnum Cœlorum præſignauit. Montem Oliueti, unde ad Patrem ad Cœlos aſcendit. Quæ omnia ſancta, & ueneranda loca non fruſtrà, neq; temerè Eccleſiæ catholicæ commiſit, ſed tamquàm magis pia, & honoratiori cæteris, quæ apud Chriſtianos nominantur, fidei, & Eccleſiæ, & ſicut Rex magnos Theſauros, & honorata conclauia fidelioribus miniſtris cōmittit, & credit; ſic Chriſtus à principio aduentus ſui loca ſua religioſa, & ueneranda Eccleſiæ catholicæ commiſit. Quòd ſi aduerſarius dicat, quòd hæc loca tyrannide regali teneamus, intelligat iſte, quòd tametſi Barbari ſæpenumero Palaſtinam obtinuerunt, tamen numquàm permiſit Chriſtus, ut hæreticis ſua loca traderentur, & ſi aliquando ad breue tempus tenere tentarunt, breui tamen rurſus Eccleſia eos expulit, tamquam ſues ex ſanctis Chriſti Dei Noſtri aulis, & locis. Sic Athanaſius. Idem Turrianus ex Anaſtaſio Patriarcha Antiocheno narrat, ſuo ferè tempore Alexandriæ quemdam diſputaſſe cum his, qui hæreticos ſequebantur, Seuerum, Gaianum, & Barſanuphium Acephalos, ſic ille diſputationem aggreſſus eſt. *Si quis Rex haberet, ταμεῖα καὶ οἴκους,* ideſt conclauia abdita, & domos magnæ æſtimationis, *ubi neceſſaria, quæ tamquàm myſteria occulta habere uellet, tractarentur, cuinā crederet, fideli, an infideli?* Reſponderunt hęretici; *Fideli.* Ille verò, qui contrà diſputabat, continuò inducit: *Ergò non eſt alia fides recta, præterquàm in Eccleſia Catholica; idcirco enim credidit nobis Deus omnia loca ſancta, in quibus ipſe, cùm in terris eſſet, myſteria ſua peregit, nempè Nazareth, Thabor, Bethlehem, Iordanem, Sion, Golgotha, locū reſurrectionis, immò Sinai montem, & cætera loca noui, & ueteris teſtamenti tenemus, qui ſumus ex noua, atq; Catholica Eccleſia. Neque verò dicere poſſunt aduerſarij tenere nos per vim, & tyrannicè hæc loca, cùm ſint Barbari Domini eius Regionis. Quòd ſi dicant ante paucos annos occupaſſe loca illa Arrianos; at illi potentia ſcilicet Imperatoris freti, & tyrannicè occuparunt, non tamen retinere potuerunt; ſtatim enim nobis fidelibus reſtituit ea Deus;* Quibus auditis, continuò hæretici abierunt pudore affecti: hæc ex Anaſtaſio. Gregor. Cedrenus narrat, ſepulchrum Beatæ Virginis Conſtantinopolim tranſlatum eſſe, petente id Marciano Imperatore, ac Pulcheria coniuge à Iuuenale Patriarcha Hieroſolymitano; illudque in magnifico templo eidem Virgini dicato, quod Blachernæ templum uocatur, collocatum fuiſſe, atque id in poteſtate quoque Chriſtianorum eſſe; quamuis etiam illius Regionis Turcæ Domini ſint. Niceph. lib. 15. cap. 14. & Ioan. Damaſc. ſer. 2. de dormit. Deip. propè finem, eiuſdem tranſlationis meminerunt, quamuis ea Cardinali Baronio tom. 1. annal. non probetur.

Turrianus. Anaſtaſius.

Greg. Cedrē. Sepulchrum B. Virginis Conſtantinopoli ſub cuſtodia Chriſtianorū exiſtēs. Nicephor. Damaſcen. Card. Baron.

Cvr autem hæc ſancta Domus non remanſerit in loco ſuo apud Nazareth; præſertim cùm ibi potuiſſet à Catholicis coli, ſicut & cætera loca ſancta, quæ apud Infideles remanſerunt, iam expoſitum eſt; placuit enim Altiſſimo hoc facere, & illud omittere, *Quis verò poteſt dicere Deo, cur ita facis?* Iob 19. transferre autem illam decreuerat ad noſtras partes, ad maiorem ſuæ Matris uenerationem, & ad Dei gloriam magis magnificandam, atque ad uberiorem Chriſtianorum ſpiritualem fructum, ut ex manifeſtiſſimis effectibus cognoſcitur; ſolet enim Deus iuxtà ſuæ prouidentiæ altiſſimam rationem malos male perdere, & uineam ſuam locare alijs agricolis, qui fructum opportunum dent in tempore ſuo.

Cur ad nos trāſlata fuerit ſācta Domus. Iob 19.

Simili modo quæri poſſet, cur Deus permiſerit uaſa ſacra ſui obſequiō, & cultui dicata, è templo ſuo auferri, ut Danielis primo. Certè id in uindictam, & pœnam Iudæorum factum eſſe, indicauit Azarias in oratione ſua; quæ apud Danielem cap. 3. habetur; magna enim Populi pœna eſt rebus ſacris priuari; præterea ea vaſa paſſus eſt Deus auferri, quòd per ea Babylonicis ſanctiſſimum ſuum nomen, atque incomparabilem potentiam, & maieſtatem clariſſimis, maximeque admirandis ſignis declarare volebat, ut in cap. 5. eiuſdem libri legitur; cùm enim hæc Dei vaſa impurè, & contumelioſè Rex Balthaſar in conuiuio tractaſſet, ſtatim manum in pariete ſcribentem uidit; quo facto, & Regni, & Regis exitium ſignificabatur.

Cur vaſa ſacra templi ſublata fuerint Iudæis. Dani. 3. & 5.

Ità quoque in re propoſita dicendum eſt, Sanctam Domum in Chriſti Patria relictam non eſſe, tùm in barbaricæ, ac Mahumetanæ gentis vindictam, & puni-

Ablata eſt ſācta domus de manibus infi-

tionem;

delium ad eorum punitionem, ac B. Virginis gloriam & noſtram vtilitatem.

tionem; tum etiam, vt per eius tranſportationem admiranda hiſce noſtris partibus efficeret, atque inibi ſuam potentiam, & virtutem ad animarum ſalutem oſtẽderet, ſimulque Illyricis, qui eam non condecenter receperunt, nec ob eius aduentum emendationem vitæ, fructumque ſpiritualem pepererunt, ſuam iram, & indignationem exploratam redderet.

Cur alia loca ſancta remanſerint apud infideles.

AT vrget hæreticus, cur Sepulchrum, aliaque loca ſacra remanſerunt in manibus inimicorum fidei? Cui etiam reſpondebimus, ſi dicat ipſe cur Deus permiſerit, uaſa ſacra ter ab Nabuchodonoſor ex templo Hieroſolymitano ſublata, ſcilicet in captiuitate Regis Ioacim, & in captiuitate filij eius Ioachim, ſeu Iechoniæ, & in captiuitate Regis Sedechię in Domũ theſauri Dei ſui, hoc eſt in ſuorum Idolorum fano collocari, ibique contumelioſè tractari: certè non eligit Deus gentem propter locum ſacrum, ſed locum propter gentem, ut in poſteriori lib. Machabęorum cap. 5. ſcribitur: Infenſus igitur genti, nonnumquam aduerſus res ſacras iram, & indignationem ſuam oſtendit; quaſi res illæ ſceleribus populi infectę, & flagitiorum eius participes eſſent: ſic Dominus Eſaię 1. odiuit, & abhominatus eſt Calendas, ſolemnitates, & ſacrificia Iudæorum, nempè ob eorum ſcelerum magnitudinem; quod etiam cum Chriſtianis facit, cùm res ſuas, ſibique dicatas quodammodo repudiare, & abijcere, vel palàm inimicorum manibus relinquere videtur. Adde quòd etiam ipſis Turcis, ac Barbaris nomen eius propter præſentiam locorum ſacrorum, terribile, & magnum reputatur: immo etiam valde mirum eſt, inter ipſos Chriſti hoſtes eius ſepulchrum adeo glorioſum exiſtere, ut nõ tàm à Chriſtianis eò uoti ac religionis gratia peregrinantibus honoretur, ſed etiã in maxima veneratione, ac reuerentia ab infidelibus cuſtodiatur: id quod multo ante futurum prædixit Iſaias dicens, *Et erit ſepulchrum eius glorioſum*, vt eleganter Pererius notauit in cap. 9. Danielis, & quis ſcit an Deus velit, ſuo tempore per ea loca ſacra Turcarum, ac Barbararum gentium conuerſionem excitare? inueſtigabiles enim ſunt viæ eius, atque iudicia eius incomprehenſibilia; & ſi inſcriptio illa *Ignoto Deo*, occaſio fuit multis Athenienſibus conuerſionis, cur non ſepulchrum Domini, aliaque ſancta loca in quibus Deus dum in terris ageret, conuerſatus eſt, infidelibus aliquando, Deo ſic volente, calcaria erunt ad ſalutem, & ad uerum Deum, filiumq; eius crucifixum adorãdum? diuina. n. miſericordia ẽt ad impios, ingratoſque peruenit, ut doctè diſputat D. Aug. lib. 1. de Ciui. Dei cap. 8. Nobis autem Chriſtianis exemplo infidelium, ac Barbarorum cauendum eſt, vt maiori, qua poſſumus reuerentia, ſummoque cultu, eximiaque pietate hoc ſacrum Sacellum veneremur, ne nobis ipſis id contingat, quod primis populis Paleſtinis, ac deinde Illyricis accidit; neque enim præcipue in Templi religione, vel rerum ſacrarum ſanctitate fides vera collocanda eſt; ſed in Dei gratia, bonis operibus, ac vitæ probitate, ea namque de cauſa vaſa illa è templo Iudaico, vt diximus, paſſus eſt Deus tolli, ut pręcipuè oſtẽderet, inanem, & fallacem fuiſſe Iudęorum fiduciam, qui ſanctitate legis Moſaicæ, templique cultu, ac rerum ſacrarum veneratione confiſi, temerè ab omni malo liberos ſe iactabant; quibus per Hieremiam cap. 7. dixit Dominus; *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, ſi enim bene vixeritis habitabo vobiſcum in loco iſto, ſi autem iniquè feceritis, faciam huic loco, ſuper quo inuocatum eſt nomen meum, & in quo vos fiduciam habebitis, ſicut feci Sylo.* Atque ſic hęretico hucuſque appoſitè reſponſum ſit circà octauam obiectionem.

2. Machab. 5.

Iſai. 1.

Pererius.

D. Auguſt.

Chriſtiani ſanctam Domũ Lauretanã religioſe colãt, ne ipſis etiam auferatur.

Hierem. 7.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Ad Nonum Argumentum reſponſio.

NONVM puerile argumentum eſt, & viro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ omninò ignaro digniſſimum: legimus enim in eis quam ſępiſſimè reliquias, & corpora ſanctorum in celebriorem locum, quàm antea eſſent, diuino iuſſa tranſlata fuiſſe; numquid ſuperbiæ, & ambitioni Diuorum id tribuendum erit? abſit; hæreticus autem, qui & viuis, & mortuis Sanctis inimicus eſt, id ultrò concederet; ſed nos hãc catholicam ueritatem Deo gratiſſimam, Sanctis maximè congruentem, hominibus verò perutilem eſſe, aliquibus adductis exemplis, oſtendamus.

Tranſlatio reliquiarum ſāctorũ, eſt pia & laudabilis,

2. STEPHANI Prothomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis corpora, cùm diù in obſcuro, & ſordido loco iacuiſſent, tempore Honorij Imperatoris cui Gamaliel in ſomnis apparuit, in honeſtiori loco ſepulta fuere; accepit quoque id à Deo in mandatis Ioannes Hieroſolymorum Antiſtes, qui magna pompa, finitimarum Vrbium Epiſcopis, Presbyteriſque conuocatis, ex loco propè Hieroſolymam in Sanctam Eccleſiam Sion præfatas reliquias tranſuexit. Hoc factum Deo placuiſſe multa ſigna demonſtrarunt, cum enim effoderent homines loculos quatuor, in quibus corpora erant, ſuauiſſimus odor efflauit, multique ex varijs morbis ægroti, & debiles, qui eò conuenerant, integram ſanitatem receperunt. Narrat id Lucianus in ſuis literis, Nicętas in oratione de eadem re, Gennadius de Vir. Illuſt. cap. 56. & 47. Marcellinus in Chronico, Nicephorus lib. 14. cap. 9. & Beda de ſex ætatibus Mundi in Honorio, tom. 2. & tom. 3. in Martyrologio. Sub Theodoſio quoque iuniore ex Conſtantinopolitana Vrbe Romam idem corpus Sancti Stephani, Pelagio I. Summo Pontifice, tranſlatum fuit, & in Sepulchro Sancti Laurentij Martyris, in Agro Verano collocatum. Quod Summi Dei nutu factum eſſe, rei euentus declarauit; dum enim corpus Prothomartyris in locum, in quo Laurentius iacebat, introducerent, hic vt ei locum concederet, recepit ſe, ſic piè vulgò fertur; cuius facti ſimile quid refert D. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 23. de corpore Abbatis iam ſepulti, quod cum ſupinum iaceret, ſe ſe vertit in latere, & vacantem ſepulchri locum ad ſepeliendum cuiuſdam Presbyteri, cui dum viueret Abbas id promiſit, corpus præbuit. Quis autem primus Beati Stephani reliquias ex Oriente in Occidentem detulerit, apud Bedam dubium eſt; cùm in Honorio id Oroſio tribuat, quemadmodum etiam Gennadius; in ijs verò, quæ paulò inferiùs, in Theodoſio iuniore ſcribit, Eudoxiæ eiuſdem Theodoſij uxori adſcribat, quod etiam Theodorus lector, in 2. lib. collectaneorum aſſerit: ſed Serranus exiſtimat, Oroſium primum quidem partem aliquam reliquiarum Protomartyris in Occidentem detuliſſe, reliquum uerò corporis, maioremque partem, & ferè totum, ut nunc Romæ ſeruatur, Eudoxiam tranſtuliſſe. Hæc autem tranſlatio ſeptima die Maij facta fuit, ut in Martyrologio Romano legitur.

Multę Sāctorum corporũ & ſacrarũ reliquiarũ tranſlationes probant id eſſe Deo gratiſſimum primo, S. Stephani, & aliorum.

NOTA.

Lucian.

Nicet.

Gennad.

Marcellin.

Nicephor.

Beda

D. Gregor.

Quiſnam primus ex Oriēte S. Stephani reliquias trāſtulerit.

Theod. lector

Serranus.

Marty. Rom.

SED quæ tempore D. Ambroſij Mediolani acciderunt, circà corpora Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij Martyrum rem noſtram mirificè illuſtrant: iacebant illa in priuatis ædibus Philippi, locumque inſigniorem deſiderabant; quocircà Dei monitu reperta, Beatus Ambroſius in ſacro illuſtriorique loco collocauit, in quorum tranſlatione cæcus, dum feretrum tangeret, lumen recepit, plurimique à Dæmonibus obſeſſi liberati fuere. Lege D. Ambroſium in ſermone quinto de Sanctis, & lib. 7. Epiſt. 53. & 54. D. Auguſtinum lib. 9. Confeſ. cap. 7. & lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. & ſerm. 39. de diuerſis, cap. 5. & Gregorium Turonenſem de gloria Mart. cap. 74.

Tranſlatio Sanctorum Mar. Geruaſij, & Prothaſij per D. Ambroſium Mediolani celebrata.

D. Ambroſ.

D. Auguſt.

Greg. Turon.

Ex harum reliquiarum inuentione, & tranſlatione maximè Deus in electis ſuis, populiſque Chriſtianis per uniuerſum ferè Orbem clarificatus, & magnificatus fuit; cùm in quamplurimas Eccleſias prædictorum Sanctorum Martyrum re-

Magna Dei gloria in toto Orbe cōſecuta ex hac trāſ

Iatione Sanctorum. D August. liquiæ deportatæ fuerint, ac ſub eorum nomine nonnulla monumenta erecta. Narrat D. Auguſt. eodem in loco apud Aphricam in villa Victoriana Eccleſiam in eorum honorem excitatam fuiſſe; alteram quoque Turoni, teſtatur Gregorius Turon. Turonenſis lib. 10. hiſt. cap. 31. Romæ quoque Veſtina illuſtris fœmina, ſub eorum inuocatione Baſilicam erexit, quam Innocentius Papa dicauit; eorum autem reliquias per vniuerſam Galliam, atque Italiam delatas, & diuiſas fuiſſe auctor eſt idem Greg. Turon. de glor. Martyrum cap. 47. ſed de hac re plura apud Cardinalem Card. Baron. Baronium in Martyrol. 19. Iunij.

Gloria eximia Dei, & B. Virginis ex hac Sācta Domus translatione. AT quis non uidet, multo plura, ac maiora, Deo ſic uolente, ad ſui gloriam, ſuęque matris honorem in translatione Sanctæ Domus facta eſſe, & præter innumera miracula, quæ Laureti perpetuò in illa à Deo fiunt, multorumque populorum conuerſionem, in multis Chriſtiani Orbis regionibus Baſilicas ſub nomine Beatæ MARIAE de Laureto erectas eſſe comperimus. In Vrbe ſub eo nomine ornatiſſima Eccleſia erecta eſt, Cremonæ item altera, in Gallijs quoque nonnullas excitatas fuiſſe, eorum deuotio teſtatur, qui funiculis Sacri Sacelli Lauretani longitudinis, latitudiniſque menſuram ſumpſerunt, ut ad inſtar illius alias conſtruerent. Hoc idem noſtro etiam tempore bis factum eſſe atteſtamur.

Translatio corporis D. Auguſtini. Mar. Scotus. Sed exemplum illud de D. Auguſt. corporis translatione mirificè huic noſtræ tractationi fauet. Marian. Scot. narrat, anno Domini 499. tempore Symmachi Papæ, cùm à Traſamundo Vuandalorum Rege Arriano, Epiſcopi Aphricani in Sardiniam relegati eſſent; ex Hippone in eamdem inſulam corpus Beati Auguſt. Fara. opera Sancti Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis, translatum fuiſſe. Addit Fara, de rebus ardiis, non ſolum corpus, ſed mitram, & baculum paſtoralem eiuſdem cum nonnullis alijs Sanctorum reliquijs ab eiſdem Epiſcopis delata fuiſſe. Anno uerò Domini 734. vt eidem Mariano placet, ex Sardinia in Ticinum idem venerandum corpus translatum fuit, tempore Gregorij Secundi, quòd Saraceni uniuerſam Sardiniam depopulantes, etiam loco illi, in quo prædictum corpus iacebat, Beda. iniuriam inferrent. Sic Beda, qui eo tempore uixit, in lib. de ſex ætatibus Mundi in fine narrat. *Luithprandus, inquit, audiens, quòd Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa; ubi oſſa Sancti Auguſtini Epiſcopi, propter vaſtationem Barbarorum olim translata, & honorificè fuerant condita, miſit, & dato magno precio accepit, & tranſtulit ea in Ticinum, ibique cum debito tanto Patri honore recondidit.* Hæc Beda. Cuius Paul. Diac. translationis etiam mentionem facit Paulus Diaconus, de geſtis Lōgobardorum lib. 6. cap. 14. Conſideret nunc Hæreticus, ſi Mitræ, baculo, oſſibuſque D. Auguſtini tantus honor à Deo tributus fuit, quantò magis decens fuerit, ut Cubiculum Beatę Virginis, in quo Deus carnem aſſumpſit, ex Barbarorum manibus uindicaretur, & à Chriſtianis alibi magna deuotione ueneraretur: ſi Sanctorum reliquiæ maximè Deo cordi ſunt, cur non etiam ea, quæ Genitricis eius ſunt? Sed aliud exemplum afferamus, quo mirabiliter hæretici audacia compeſcatur. Cùm in Daphnis Templum, apud Antiochiam, Græcorum ſuperſtitiones excreſcerent, impudicorumque iuuenum luxus in dies magis, ac magis afflueret, Gallus Cęſar, ut huic tanto malo ſapientiſſimum afferret remedium, (debacchabatur enim ibi Dæmon, ſeque incolam eius loci diuulgabat, fabuloſè Daphnem Ladonis fluuij filiam ſe iactans, ut maius illic impudicitiæ, atque impietatis incen-

Oſſa Sancti Babylæ Martyris trāſlata. dium fieret) Oſſa illuſtris Martyris Babylæ propè Daphnis Templum ex Vrbe ad ſuburbia Antiochena tranſtulit, ex cuius præſentia, tum iuuenum luxus cohibitus, tùm etiam Dæmonis potentia antiquata fuit; loquax enim illud Apollinis Sozom. oraculum mox omninò obmutuit, nec amplius reſponſa dedit; ſic ſcribit Sozome D. Chryſoſt. nus lib. 5. hiſt. cap. 18. & D. Io. Chryſoſt. in lib. contrà Gentiles, circa medium, to. 5. & homil. 4. de laud. B. Pauli; quod deinde ægrè ferens impius Iulianus Apoſta- NOTA. ta, iuſſit Babylæ corpus, cui ſilentij cauſſam tribuebat, in alium Ciuitatis locum à Chriſtianis transferri: Verùm in ipſa translatione duo admiranda contigerunt, vnum, quòd Chriſtiani Pſalmos piè canentes illa ſæpiùs uerba uſurpabant. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*; qua ex re maxima iracundia percitus Apoſtata,

ſtata quamplurimos Chriſtianos necari mandauit. Alterum quòd amoto iam Martyris corpore, atque in priſtinum locum reſtituto, mox iterum Apollinis lingua conticuit,ſilentij ſui tantum rationem reddens. Ignis autem è Cœlo ad Martyris preces in Templum demiſſus, Idolo ad extremum pedes uſque deleto, atq; in puluerem redacto, totum illius tectum conflagrauit; parietes tamen non tetigit,ut non caſu, ac temerè, ſed manu quadam ignem circumducente, id accidiſſe uideatur. Lege Ruffinum lib. 1. cap. 35. Socratem lib. 3. cap. 16. Theodoretum lib. 3. cap. 10. Euagrium lib. 1. cap. 16. & Ammianum Marcel. lib. 22. ſic Deus per rerum ſanctarum translationem ingentia operatur; ſic in Sanctis ſuis glorioſus apparet; ſic quoque in ſuæ Genitricis Cubiculo potens, & admirabilis demonſtratur,atque in eius varijs translationibus etiam, atque etiam honoratur. Ruffin. Socrat. Theodor. Euagrius. Ammia. Mar.

Præcipuus autem Dei, & eius Genitricis honor in animarum conuerſione, & ſalute, quæ inde emanat,poſitus eſt; hæc eſt enim Dei gloria, hic Deiparæ honor, vt omnis,qui credit in filium ſuum, & Sacram Lauretanam Ædem dignè uiſitat, non pereat,ſed habeat vitam æternam; ſic humillima Virgo honorem ſuum quęrit, ut in eo filius eius, qui eſt gloria Patris, atque etiam Matris, honoretur; nec enim quæ ſua ſunt quærit,ſed quæ Iesv Chriſti vnigeniti filij ſui; ſicut enim Chriſtus,ut homo,gloriam ſuam non quærebat,ſed erat,qui illam quæreret,& iudicaret, Ioannis 8. *Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & indicet*, ſic B. Virgo in præſenti ſæculo gloriam ſuam non quærit; licèt ei,tamquam Dei Genitrici, debita ſit,ſed extat filius,qui pro ea illam quærat, & iudicet. Deus enim vult,in præſenti vita Sanctos ſuos, & præcipuè ſuam Matrem honorari, ſicut quoque parentes honorari præcepit; quamuis Sancti Viri non quærant ab hominibus in hac vita glorificari, ut optimè Caiet. in Io. notauit. Sanè filius matris gloriam quærit in hoc ſęculo,dum vult,Ædem Lauretanam ab hominibus coli,& honorari;illos autem, qui illam contumelia, uel iniuria afficiunt, iudicat, ac ſeueriſſimam de illis uindictam ſumit; ſicut enim Barbaros eius Domum dehoneſtantes impunitos non reliquit, ſed illam ab eis abſtulit; quod maximum genus punitionis eſt,iuxtà illud, *Auferetur à nobis regnum Dei*,ſic hæreticos quoque,qui Sanctæ Domui Lauretanę detrahunt, acerbiſſimè puniendo iudicabit,cùm omnem iniuriam in illam tamquam in ſe ipſum illatam exiſtimet; *Qui enim*, inquit, *vos ſpernit me ſpernit*: quod multo magis de tanta re intelligi debet. Præcipua Ædis Lauretanæ gloria in animarum ſalute, quæ ibi efficitur, reſultat. Ioan. 8. Chriſtus ſuæ matris gloriã percurat. Caietan.

Ad ea autem,quæ in eodem argumento adiungit hæreticus: ſi e ſt,inquit,eadē Virgo prudentiſſima,cur non præuidit fore,ut Illyrici,& homines in ſilua,& fratres in monte non deferrent illi honorem,ob idque oportere transferri inde ſuum domicilium? Reſpondendum eſt cum D. Chryſoſt. in citato lib. contrà Gentiles ubi optimè carpit Apollinem,ſic dicens. *Cùm vellet Babyla corpus,quòd illum obmuteſcere faciebat,à Daphne amoueri occultis verbis impudentiam, imbecillitatem, & turpitudinem ſuam declarans, dixit; Daphnes locus cadaueribus ſcatet, id quod Oraculum arcet,his verbis ſolum Babyla corpus deſignans. An non de omnibus mortuis Dæmon uerba fecit? cur igitur id non aperte profeſſus eſt? Nempe tibi impoſtura fabulam agenti anigma iſtud reliquit. Equidem cadauera, inquit, tibi dico, ut ne palàm fiat, me victum eſſe, nam & alioqui reformido Babylam nominatim deſignare; at tu intelligito, quod à me dictum eſt,atque unum pro omnibus Martyrem amoueto;ille eſt enim,per quem muti efficimur*; ſimile quid uos hæretico in hac parte reſpondemus;cur palàm,& apertè nō dicit; ſi filius Virginis Sapientia Patris eſt; cur non præuidit fore, ut Illyrici, & homines in ſilua, & fratres in Monte non deferrent debitum honorem Matri, ac proinde transferri oportere ſuum, & Matris domicilium;hęc enim cauſa commu nis eſt Chriſto, & Matri, cùm utriuſque habitaculum fuerit; ſicut enim Apollo in ænigmate uirium ſuarum imbecillitatem oſtendit,ſic iſte hæretici animi prauitatem, & malitiam obuolutis uerbis ſignificat. Atqui puduit hęreticum Chriſto palàm detrahere,nequaquam tamen clàm,& occultè; quamuis dum honori Matris detrahit, filio ipſi detrahat. Cur toties translatũ fuerit B. Virginis domiciliũ; & quo id præuiderit B. Virgo Vergerius,dũ Virginis carpit ſapientiã, in Chriſtũ eſt cõtumelioſus

Sed agè uim argumenti perpendamus. Impius ille ſimiliter argumentaretur; Impietas Vergerij circà

Dei præſcientiam.

cum Deus ſapientiſſimus ſit, atque in ſui præſcientia omnia tàm bona, quàm mala, ab æterno præcognoſcat, cur mala permittit fieri? cur Saulem, & Ieroboam in Reges elegit, quos malos, atque peruerſos fore præuidit? Immò quærere etiam deberet hæreticus, cur Deus Adam creauit, eique liberum arbitrium donauit, quē præſciebat peccaturum? An fortè Deus inſipiens, uel iniquus eſt? cur item Deus Adamo præceptum illud impoſuit, quod uiolaturum certò cognoſceba t, eiuſque pręcepti tranſgreſſionem & ipſi & poſteris eius omnibus calamitatem, & perniciem allaturam? eſt ne forte Deus iniuſtus? uel delectatur in perditione hominis? uel odit quę creauit? Sed reſpondetur, bonorum, & malorum commiſtionem in mundo mirificè diuinam prouidentiam declarare, & ad Mundi ornatum, & decorem magnopere pertinere, quem locum D. Auguſt. pulcherrimè ac diſertiſſimè explanat, in lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 18. *Neque enim*, inquit, *Deus vllum, non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret, atque in ordinem ſæculorum; tamquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam, quaſi antithetis honeſtaret. Antitheta enim, quæ appellantur, in ornamentis elocutionis ſunt decentiſſima; quæ latinè appellantur oppoſita, vel quod expreſſius dicitur contrapoſita. Non eſt apud nos huius vocabuli conſuetudo, cùm tamen eiſdem ornamentis locutionis etiam ſermo latinus utatur, immò lingua omnium gentium. His antithetis etiam Paulus Apoſtolus in 2. ad Corinthios Epiſt. cap. 6. illū locum ſuauiter explicat, ubi dicit, Per arma Iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt ſeductores, & veraces, vt qui ignoramur, & cognoſcimur, quaſi morientes, & ecce viuimus, vt coerciti, & non mortificati, vt triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egeni, multos autem ditantes, tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. ſicut ergo iſta contraria contrarijs oppoſita, ſermonis pulchritudinem reddunt; ità quadam non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtico hoc modo; contrà malum bonum eſt, contrà mortem vita, ſic contrà pium peccator, & ſic intuere in omnia opera altiſſimi, bina & bina, vnum contrà vnum.* Hactenus Auguſt.

Permiſſio malorum arguit Dei prouidētiam.

D. Auguſt.

2. Cor. 6.

Eccleſiaſt. 33.

Tria malorū genera ad vniuerſi pfectionē ſpectantia.

TRIA autem malorum genera ſunt in Mundo, & hæc ſingula ad perfectionem eius faciunt: quędam naturalia, ut monſtra, cęteraque tamquam uitia naturę, quę licèt proueniant ex neceſſitate materię, in id tamen ordinantur, ut quantum diſcriminis ſit inter res cœleſtes, & terrenas, inter diuinas, & humanas, inter incorruptibiles, & corruptibiles, aperte cognoſcamus; per huiuſmodi enim defectus rerum cœleſtium conſtantia, & ſtabilitas in operando, immutabilis earum diſpoſitio, & ordo, dignitaſque naturæ ab omni corruptione, non tantùm diſſolutione, & interitu aliena, clarius elucet. Præterea ad perfectionem vniuerſi neceſſariò requiritur, ut non ſolùm in eo ſint res incorruptibiles, ſed etiam corruptibiles, quorum plurima genera maximè ad Mundi abſolutam perfectionem faciunt.

Alia mala dīr humana, q̄ ſolis hoībus accidunt, atq; hęc bipartita ſunt, pęnę.ſ. & culpæ; mala pœnæ vtiq; bona ſunt; tùm quia ſunt effectus diuinę iuſtitiæ, q̄ per illa, quicquid vitioſi eſt in hoīe plectit, ac punit; tùm ēt quia ſępe homini inſeruiūt ad correctionem, & emendationem vitæ. Vnde à Theologis appellantur amaræ medicinæ, quòd ad vitia profliganda, & ad conſeruandas virtutes maximè conducant: Mala culpæ verè, ac ſimpliciter mala ſunt, nec quicquam boni in ſe habent, ſunt enim peccata; ex maxima tamen Dei bonitate, ſapientia, atque potentia ea quoque ad bonum aliquod ordinantur: eſt enim Deus tàm bonus, ut velit, tàm potens, ut poſſit, tàm ſapiens, ut ſciat peccata hominum, quæ nec ipſe fecit, nec vult, fieri, in bonum conuertere, & ad aliquod, quod facturus eſt, mirabiliter dirigere, nempè, vel ad ſuam miſericordiam, & clementiam demonſtrandam, quod facit dum peccata condonat; vel ad rectitudinem, & rigorem ſuę iuſtitię oſtendendum, dum illa temporalibus, aut ęternis ſupplicijs caſtigat: denique ad nimiam ſuam bonitatem, & benignitatem erga hominem declarandam, dum facit, ut electis ſuis etiam peccata cooperentur in bonum; ſcilicet, ut ex lapſu humiliores, & cautiores re-

Etiā peccata ex Dei bonitate in bonū ordinantur.

tiores re-

tiores reſurgant, & ad bona opera promptiores, & feruentiores euadãt; quamquã enim Deus Adę peccatum pręuiderat, attamen ſimul etiam decreuerat, quę eſt Dei bonitas, & potentia, peccatum illud ad maximum bonum conuertere, atque ex eo eximias, & innumerabiles utilitates elicere; etenim ad illud eluendum, & delendum, filium ſuum carnem in terris ſuſcipere uoluit, & cum hominibus conuerſari, ſanguinemque ſuum in Cruce etiam poſt mortem profundere, quo omnia peccati Adę damna cumulatiſſimè compenſaret; & quoniam ubi abundauit delictum, ibi & gratia ſuperabundare debet, meritò ad maiorem gratiam, & gloriam per Chriſtum promotus eſt homo, quàm illa fuerat, quam in creatione à Deo acceperat, & quam peccando amiſerat, ut non inconſultò, ac temerè Gregorius exclamauerit; *O certè neceſſarium Adæ peccatum, &c. O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Huc accedit, quòd Adę peccatum in multiplex bonum conuerſum eſt, cum in homine poſt lapſum complures, atque nobiliores uirtutes excellant, quę in ſtatu innocentię non enituiſſent, ut inimicorum dilectio, patientia, paupertas, abſtinentia, fortitudo, clementia, uirginitatis, & martyrij palma, ſui ipſius uictoria, & ſimilia: immò eiuſdem peccati occaſione Eccleſia Sacramentis, & maximè diuiniſſima Euchariſtia ditata eſt, reliquijſque Sanctorum eorumque ſanguine decorata. Poſtremò ipſamet humanarum rerum inæqualitas, commodaque, ac incommoda, quæ bonis, & malis plerumque communia ſunt, non Dei iniuſtitiam, uel iniquitatem, uel incuriam, ut plerique ethnicorum inſulsè affirmarunt, ſed ſummã Dei prouidentiam, curam, & gubernationem erga res creatas oſtendunt, immo & animi noſtri immortalitatem, ſtatumque futurę uitę, in quo à Deo pręmia, & ſupplicia ꝓ meritis recipiemus, ut copiosè D. Auguſt. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 8. 9. & 10. demonſtrat, Euſebius lib. 3. de pręparatione euangelica, cap. ult. & Seneca in lib. cui tit. eſt, cur bonis mala, & malis bona eueniant, ſi eſt prouidentia: Igitur ſapientiſſimè mala futura pręuidit Deus, atque etiam eadem permittit; multa quoque bona facit, ex quibus pręcognoſcit, pleraque perditionis, ac ruinę occaſionem futura eſſe; quemadmodum miracula in Ægypto facta Pharaonem, & Ægyptios in odio hębręorum, & contumacia in Deũ obdurauerunt; immò ipſamet incarnatio, & paſſio Chriſti Iudęis ſcandalum, & gentibus ſtultitia per occaſionem fuit, & in ruinam multorum: Deum autem ex omni malo etiam culpę, bonum, ob quod illud permittit, deducere, iam oſtenſum eſt.

Cur Deus peccata, quæ præuidet, permittat.

Vtilitas ex peccato Adami maxima.

Rerum humanarum viciſſitudo Dei prouidentiam oſtendit.

D. Auguſt. Euſeb. Seneca.

Pererivs lib. 4. in Geneſim tom. 1. quæſt. 4. eius diſputationis, quam facit de præcepto dato à Deo non edendi ex ligno boni, & mali, pulchrè animaduertit, in euitandis, ſeu impediendis malis futuris non eſse ſimilem, ac parem rationẽ Dei, atque hominum, quòd homines legibus aſtricti, & ſubiecti ſint, Deus verò ſuprà, ac extrà legem omnem ſit poſitus, *Duo enim, inquit, facit Deus, & benè quidem facit, quæ ſi faceret homo, malè profectò faceret; mala enim Deus ſinit fieri, quæ ſi vellet, nè fierent, facillimè poſſet impedire; quemadmodum Angelorum lapſum impedire potuiſſet, ſi dediſſet eis gratiam efficacem, talem inquam, vt per eãm amore, & obedientia Dei omnino perſeuerarent. Multa etiam facit Deus, ex quibus ipſe certò ſcit, mala quædam conſecutura, & complures inde capturos occaſionem deterius agendi: creat item Deus quotidie quamplures animas rationales, quas ſcit æternis ſupplicijs damnari; fert leges, quarum occaſione permultos ſceleſtiores fore nouit, quàm ſi leges ille non eſſent datæ; etenim non conuenit, Deum prohibere, atque impedire, ne vllum malum fiat; omninomo decet eius prouidentiam, vt res, quas ipſe condidit, conuenienter naturis ipſarum operari ſinat.* Hæc & plura alia Pererius.

Pererius. Diſcrimen inter Deum, & homines in futuris malis impediendis.

Similiter ad argumentum Vergerij reſpondendum eſt, Deum pręuidiſſe, Illyricos, & homines in ſilua, & fratres in Monte, in exhibendo honore congruo cubiculo ſuæ Genitricis, immò & ſibi, fore ut delinquerent; præcognouiſſe quoque huiuſmodi Cubiculum inde oportere transferri, hoc tamen impedire nullo pacto debuiſſe, cum hoc ipſum ad rectiſſimam ſuam prouidentiam, ſapientiſſimumque ęternę menti s conſilium ſpectaret, ut hoc ipſum malum in magnum, & multiplex

Quare Deus voluerit ad alia loca prius quàm ad eſt locũ, ubi nũc eſt, ſanctã Domum deportari.

Kkk 3 bonum

bonum conuerteret; ſi enim à Deo ob Illyricorum incuriam, & Barbarorum impietatem, ſanctum Domicilium apud nos translatum non fuiſſet, quomodo apud Picenum, immò apud omnes Orbis Chriſtiani homines, cultus, & obſequium in Beatam Virginem tàm præclarè enituiſſet? quomodo tàm ingens Dei miſericordia in ſubleuandis malis, peccatiſque condonandis eluxiſſet? Quocircà neq; ignorauit Deus, neque Virgo in Verbo id videns, Sanctam Domum ex Illyrico ſinu ad Adriaticum tranſportandam eſſe, ut inibi celeberrimo cultu, ſolemnique honore per vniuerſum Orbem decantato, & propagato, uarijſque miraculis, innumeriſvè gratijs illuſtrato, ad eius gloriam animarumque ſalutem, & Dei ipſius honorem celebraretur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Ad Decimum Argumentum reſponſio.

Diuina reuelatio etiam in ſomno contingit. Geneſ. 22. Iob 33.

DIVINAM reuelationem non ſolùm in vigilia, ſed etiam in ſomno noctu homini accidere, expreſsè docet diuina Scriptura, Geneſ. 22. *Dixit Dominus ad Abimelech per ſomnium nocte*, & Iob 33. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo ſuo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtituit diſciplina, ut auertat hominem ab ijs, quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia, eruens animam eius à corruptione, & uitàm illius, ut non tranſeat in gladium*, atque etiam in innumeris alijs locis. Et licèt illa, quę homini fit in uigilia, dummodo cętera paria ſint, altior, ac prętantior ſit, quàm illa, quę fit in ſomno, cuius rei egregiam reddit rationem, D. Thomas in 2.2. quęſt. 174. ar. 3. Maior enim uis Prophetici luminis in ea exiſtit, cùm hominem occupatum, atque diſtractum circà uarias res ſenſibiles neceſſe ſit abſtrahere, & ad ſupernaturalia eleuare; quàm in ea, quę fit in ſomno, in quo animã à ſenſibilibus, omnibuſque externis impedimentis liberam reperit: nihilominus quamplurimas, atque præſtantiſſimas reuelationes inter dormiendum factas eſſe, eaſque diuinorum myſteriorum pleniſſimas, teſtantur diuinæ illuminationes, quas in ſopore acceperunt Adam, Abraham, Iacob, Laban, Ioſeph, Samuel, Salomon, Daniel, Iudas Machabęus, & alij in veteri teſtamento; In nouo autem Sanctus Ioſeph, Magi, D. Paulus apud Lucam in actis Apoſtolorum cap. 16. 23. & 27. ac denique multi alij Eccleſiaſtici, atque Apoſtolici viri, quos in ſacris hiſtorijs reperies. Non igitur nouum eſt, uel impoſſibile, quod in hiſtoria Lauretana legitur, nempè Virum Sanctum reuelationem noctu de eius Cubiculi tranſportatione accepiſſe.

Cur in vigilia præſtãtior ſit reuelatio ex D. Thom.

Act. 16. 23. & 27.

Diuinarũ in ſomno reuelationum duo genera.

At verò cùm duo ſint genera diuinarum reuelationum, quæ in ſomno accidũt, alterum obſcurum per imaginarias quaſdam ſimilitudines inuolutè aliquid ſignificantes, ut potè quando Pharao ſeptem ſpicas, & ſeptem boues uidit; & cum Nabuchodonoſor ſtatuæ magnæ ſomnium habuit, Danielis 2. & arboris nimiæ altitudinis in medio Terræ. Danielis 4. Alterum multo nobilius, in quo dormiens Deum ipſum, uel hominem aliquem, uel Angelum, & Diuum aliquem ſecum loquentem, ſibique diſtinctè aliqua declarantem audit; huiuſmodi fuerunt uiſiones, quas Iacob Patriarcha, Geneſis 28. de ſcala habuit, & Beatus Ioſeph apud Matt. 1. & 2. cap. & D. Paulus locis citatis. In hoc ſecundo genere huiuſmodi reuelatio Sancto Viro facta collocanda eſt, cum nullo ſub ęnigmate, nulliſque ambagibus, ſed clarè, & quaſi familiariter ipſamet Beata Virgo per ſomnum talibus uerbis illum allocuta fuerit; *Quam Trinitas eſſentia, Deitate, bonitate ſuperior ab æterno prælegit, ego ipſa ſum fœcunda Virgo, quæ loquor: hoc illud, quod templum appellatis meum, quod nulla mortalium induſtria conſtructum, in nemore conſediſſe ſcitis, cubiculum illud ſanctum eſt, quod in Nazareth Ciuitate fuerat olim in paternis domibus noſtris, in quo Anna mater diu ſterilis conqueſta thoro, quam Dominus ab omni labe prorſus immunem in*

Daniel. 2. & 4

Geneſ. 28. Matth. 1. & 2. Qualis fuerit reuelatio ad virum ſanctũ de Domo Lauretana. Verba B. Virginis ad virũ ſanctum.

conceptu

conceptu ſeruauerat, me pulcherrimam totam edidit in lucem, & à teneris educauit; hoc inquam in Cubiculo datum eſt à Domino promiſſum ſignum, quia mulier circumdauit virum. Ego etenim Ieſſæa illa propago, ſtatuto tempore promiſſa gratia, Gabriello nuncio Dei Opt. Max. filium unigenitum ſempiterni Principis, Paracleto Spiritu afflata, complexaq́, Virgineo utero excepi, quem ſeruata Virginitate à parturientiũ dolore immunis, poſtquàm apud Bethlehemnicas glebas in Tugurio peperi, more mortalium uagientem in patriam reuerſa, eo in cubiculo infantem ſeruaui, quoad in Aegyptũ Aſello vecta, Herode in pueros ſæuiente, cum Ioſepho ſponſo viro iuſto, Virgineique pudoris fidiſſimo ſeruatore perrexi, et poſt reditum uſq́, ad annum 12. Verum cùm vir factus, reſerato mortalibus ad æternitatem aditu, excelſum, à quo fuerat digreſſus ſolium repetens, cælos conſcendiſſet triumphator, cum Ioanne, & diſcipulis cæteris ſuperſtes ibidem uitam duxi, qui ob ea, quæ in Cubiculo ad ſalutem humani generis geſta fuerant, illud ſolemni more conſecrantes, in domum verterunt orationis; Lucas autem Euangeliſta cùm noſtra conſuetudine uteretur frequentius, ſtatuam illam ligneam, effigiem noſtram, dum in humanis degeremus, pro hominis captu imitatus, ſuis manibus effinxit. Crucem autem ligneam Petrus ille Cephas, & fratres eius Apoſtoli, quò crebrius mortem, mortem inquam diram, & opprobrijs refertam Crucis, quam Chriſtus Deus mortalitatem pro redimendo captiuato hominum genere indutus, ſubijt innocuus, quia voluit, memoria repeterent, eorum manibus fabrefactam in Sacello poſuerunt, in eodem, quâ ſacrificium laudis Deo immolarent, erecta Ara. Hoc igitur Sacellum è Nazaræa Ciuitate ad Illyricos Angelorum miniſterio delatum eſt, ad Oram propè Oppidum Terſactum, et Oppidum Flumen; deinde illinc abreptum miro modo in nemus primum, mox in Colle fratrum, & tandem in uia publica, ut noſtis, collocatum, eo iubente, qui omnia poteſt trinus, & unus. Ea omnia annuncia Populo meo Racanatenſi, cuius agrũ ex omni natione delegi, ut in eo ſiſterem ſedem meam. Noſcant iam quia terribilis eſt locus ille; eſt enim Domus Dei, in qua Verbum caro factum eſt, & legis auctor, & conſumator in carne Chriſtus Deus. Trinitas, Angeliq́, & Mater & Virgo ego illa, quam humillimam ſuper Angelorum Choros euexit, qui potens eſt; et Apoſtoli, & quotquot ſexus utriuſque ob ſanguinis coniunctionem eo tempore, & Virginalis uitæ ſimilitudine, noſtra conſuetudine uſi fuere, tamdiù uerſati fuimus in terris. Locum igitur ſanctum, atque terribilem colant omnes, uenerentur, adorent. Hæc ex hiſtoria Hieronymi Angelitæ Reip. Racanaten. à ſecretis, & Ciuis eiuſdem Vrbis. Ex quibus cogitare licet, quàm præſtãs, quàmque pręclara fuerit hæc reuelatio, cùm ab ipſamet Deipara facta fuerit.

Hier. Angeli. Secre. Recin.

Verum quæret hic aliquis, cur Deus in ſopore arcana ſua hominibus referet. Hanc quæſtionem Pererius ſapienter, ut omnia, in lib. 1. comment. ſuper Daniel. in 4. quęſt. eius diſputationis, quam de ſomnijs fecit, copioſè pertractat, eiuſque rei quinque rationes reddit. Prima eſt Hyppocratis, in principio libri de inſõnijs, quoniam animus noſter in quiete, quòd ſibi ipſi totus pręſens, & pręſto ſit, ab omnibuſque interpellationibus, & impedimentis externis uacuus, habilior fit ad diuinas reuelationes percipiendas. Secunda, quoniam in ſomno res obiectas animus noſter citra examen accipit, quod non contingit in uigilia, in qua ad rationis normam omnia reuocamus. Tertia eſt Ariſt. in libello de diuinatione, quoniã dormitionis tempus, ſenſibus iam ſomno conſopitis, languenteque corpore, aptiſſimum eſt, quo Deus hominem doceat, cùm nulla perturbatione, uel alterius rei interpellatione, uel corporis contagione abſtrahatur; ſegregatur enim quodammodo animus à corpore, vel certè aliquatenus relaxatur in ſomno. Vnde viuidior, & ſolutior eſt ille ad res diuinas intelligendas. Quarta eſt, ut ea re cognoſcatur, Deũ in omnes humani animi vires, & facultates ſummum imperium, & efficacitatem habere, ac potentiori, & efficaciori modo hominem docere, & erudire poſſe, quã quis alius homo; hic enim alium hominem docere non poteſt, niſi vigilantem, audientem, & attendentem, Deus autem etiam profundè dormientem, atque ſomniantem. Quinta eſt, ut oſtendatur, præter ſenſum, diſcurſumque rationis, hominem obtinere ſcientiam poſſe, vt Adamo, Salomoni, Danieli, Beſeleeli, & Oliab, ac alijs conceſſum fuit. Sexta quoque addi poteſt, ne quiſpiã exiſtimaret, mortem auferre homini omnem ſcientiam, de qua re D. Tho. diſputat 1. p. q. 89. art. 5. & 6.

Quinque rationes cur Dei reuelationes in ſomnis accidãt ex Pererio.

Hippocrates.

Ariſtot.

D. Thomas.

Demvm,

Aliqua sõnia eſſe à Deo hominibus immiſſa. Hippocrates. Plato. Pythagoras. Empedocles. D.Auguſt. Ariſtot. Stoici tres ſõniorum cauſſas aſſignant. D.Grego. ſex cauſſas affert ſomniorum.

Demvm, ne huic etiam noſtræ reſponſioni locum relinqueret hæreticus peruicax, reliquum omne virus ex ore effudit; dixitque quis credat, fuiſſe reuelationem potius, quàm ſomnium, aut delirium, aut figmentum? Equidem reor, hominem iſtum nullo, vel leui doctrinarum genere imbutum fuiſſe, cum apud doctos, tàm philoſophos, quàm Theologos, multa ſigna exponantur, quibus cognoſcere licet, ſit nè ſomnium à Deo miſſum, vel reuelatio à Deo facta. Hippocrates in lib. de inſomnijs, non ſolum naturalia, ſed etiam diuina ſomnia eſſe dixit, quæ ſcilicèt à Deo immittuntur, & ſemper aliquid memorabile, vel inſigne quod ad lætitiã, & triſtitiam; aut ad felicitatem, & miſeriam, ſiuè priuatam, ſiuè publicam faciat, pręnunciant. Plato in Conuiuio, exiſtimauit, Dæmonum munus, & officium eſſe preces, & uota hominum deferre ad Deum, & Dei munera, & auxilia referre ad homines; itaque omnia ſomnia uera, & futurorum prænuncia Dæmonibus tamquam Dei internuncijs, interpretibus, & adminiſtris adſcribit, quod etiam Pythagoras, & Empedocles ante Platonem docuerunt, contrà quos ſapienter D. Aug. diſputat in lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 20. & 21. & in lib. 9. cap. 9. Ariſtoteles in lib. de Diuinatione ex ſomnijs, ad cauſas naturales omnia ſomnia reducit, negatque à Deo illa hominibus immitti, quod tamen Stoici inter tres cauſas, quas uerorum ſomniorum reddunt, priori loco conſtituunt: uolunt enim, uel Deum tamquam homini beneuolum, ac beneficum; uel fatum, uel etiam naturam ipſam animi noſtri, quæ diuina eſt, dum omni actione in quiete uacat, uerorum ſomniorum cauſas eſſe. Sed quæ ſcribit D. Greg. in 4. lib. dialog. cap. 48. & in lib. 8. moral. cap. 13. ubi ſex cauſas ſomniorum aſſignat, uniuerſam hanc materiam uehementer illuſtrant; *Aut enim*, inquit, *ex plenitudine, vel inanitate corporis ſomnia exiſtunt, aut ex præcedentibus in vigilia cogitationibus, & curis; aut ex illuſione Dæmonis; aut ex cogitatione hominis ſimul, & illuſione Dæmonis, aut ex reuelatione Dei; aut denique ex cogitatione hominis ſimul & reuelatione Dei*, atque hanc ſuam ſententiam exemplis, ac documentis ſacræ Scripturæ confirmat, eodem loco: *Duo*, inquit, *prima, quæ diximus ſomniorum genera, omnes experimento cognoſcimus, quatuor autem reliqua in ſacris literis inuenimus; Niſi enim ſomnia plerumque ab occulto hoſte per illuſionem fierent, nequaquam ſcriptura dixiſſet, Eccleſiaſtici 34. multos errare fecerunt ſomnia, & illuſiones vana; vel certè in Leuitico cap. 19. non eſſet ſcriptum; non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia; quibus verbis, cuius ſint deteſtationis oſtenditur, quæ augurijs cõiunguntur. Rurſus, niſi aliquando ex cogitatione ſimul, & illuſione procederent, Salomon minimè dixiſſet, Eccleſiaſtes 5. cap. Multas curas ſequuntur ſomnia, & niſi aliquandò ſomnia ex myſterio reuelationis orirentur, Ioſeph Geneſ. 31. præferendum ſe fratribus per ſomnium nõ videret, nec* Mariae *ſponſum, ut ablato puero in Aegyptum fugeret, per ſomnium Angelus admoneret. Rurſum niſi in aliquando ſomnia ex cogitatione ſimul, & reuelatione procederent, nequaquam Daniel viſionem Nabuchodonoſor ediſſerens, à radice cogitationis inchoaſſet, dicens; tu Rex cogitare cæpiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſt hæc.* Hactenus Gregorius.

Eccleſiaſt. 34. Leuit. 19. Eccleſ. 5. Geneſ. 31.

Duplex ratio diuina sõnia cognoſcendi. ex Pererio.

Dvplex eſt autem ratio cognoſcendi diuina ſomnia, ut doctè Pererius in q. 3. annotauit. Prima ex præſtantia rerum, quæ in ſomnio reuelantur. Cum enim ea in quiete homini innoteſcunt, quorum certa cognitio ſolius Dei conceſſu, & munere poteſt homini contingere, ut ſecreta cordium, futura contingentia, myſteria fidei, denique opus aliquod Angelorum miniſterio effectum, & ab omni penitùs mortalium intelligentia remotum: hoc igitur ſomnium, in quo huiuſmodi res demonſtrantur, à Deo eſſe nemo negare poterit. Secunda ex lumine diuino, quod humanæ menti affulget, dum aliquid in ſomno homini à Deo ſignificatur, euidenter cerni poteſt, ſomnium diuinum eſſe; ſicut enim ex naturali lumine homo cognoſcit primorum principiorum ueritatem, illiſque aſſentitur, citrà vllam argumentationem; ſic ex illuſtratione diuina, quæ homini, dum quieſcit, impertitur, reuelationem à Deo eſſe, abſque ulla dubitatione cognoſcit.

Reuelatio in ſomnis facta viro ſancto de

Igitur ex his, quæ hactenus dicta ſunt, compertum ſit, reuelationem quam vir ille ſanctus noctu accepit, non ſomnium inane, uel delirium, aut figmentum fuiſſe, vt hæ-

ſe,ut hæreticus fingit. Ea enim,quę per ſomnium ſignificata fuere,ſola Dei potentia,atque auctoritate,qui ambulat ſuper pennas uentorum,fieri potuerunt. Quis enim Cubiculum aliquod à fundamentis euulſum,ab Oriente in Occidentem integrum,atque illæſum per æquora deferre poteſt,niſi Deus? res magna proculdubio eſt hæc,ut ipſemet hæreticus in ſuo tertio argumento fatetur,nec vulgari, aut humanæ,uel naturali uirtuti ſubiecta,ſed ſolum diuinæ,quæ tribus digitis uniuerſam terram appenſam continet. Adde quòd vir ſanctus interno lumine,atque gaudio diuinæ uiſionis perfuſus,cùm primùm ſol illuxit,quæ audiuerat Recinetenſibus Ciuibus primò, mox quibuſdam Picenæ Regionis probatiſſimis viris enarrat:intellexit ſanè ille in nocturna uiſione arcanum ſibi patefactum diuinum eſſe, ueraque ſibi Deiparam declaraſſe. Sic D.Greg. præcitato loco dialog. adnotat,ad reuelationum diſcretionem cognoſcendam. *Sancti Viri inter illuſiones,atque reuelationes ipſas,uiſionum uoces,& imagines quodam intimo ſapore diſcernunt,ut ſciant quid à bono ſpiritu percipiant,& quid ab illuſore patiantur. Nam ſi erga hæc mens hominis cauta non eſſet,per deceptorem ſpiritum multis ſe uanitatibus immergeret,qui nonnumquàm ſolet multa uera prædicere, ut ad extremum valeat animam aliqua falſitate illaqueare.*

Domo Lauretana non fuit vana,ſed vera & diuina.

Nota ad cognoſcēdas reuelationes ex D.Gregor.

At verò non ſolum hæretico, verum etiam ipſis viris, quibus primùm rem vir ſanctus nunciauit, delirium, ac ſomnium huiuſmodi uiſa eſt, ut in hiſtoria refertur;ſed rei euentus,ſicut illis rem à ſancto expoſitam ueriſſimam eſſe probauit, ſic obcæcato hæretico, eiuſq; ſectatoribus numquàm probat,ſed nec probare poteſt, cum oculi ipſius ob malitiam obcæcati ſint. Sapientes illi viri,quibus ſanctus homo diuinam reuelationem aperuit, ſomniatorem eum appellantes, irriſerunt in primis; verùm altiori indagine rem miram animo uolutantes, cùm miracula in dies maiora, & crebriora fierent, unanimi conſilio decreuerunt rei ueritatem depræhendere,ac ſexdecim integerrimos,omnique uirtute inſignitos uiros delegerunt,qui primùm Illyricas oras, deinde Palæſtinam peragrarent, ut in Vrbe Nazareth tam miræ nouitatis miraculum ueraciter agnoſcerent,atque fideliter referrent, quemadmodum factum fuit.

Recinetenſes & alij Piceni rem à viro ſācto relatā miram, & magnam arbitrati,eam diligēter decernūt. inueſtigare.

Hoc autem Lauretanum Sacellum apud Illyricos fuiſſe, & ex eo loco per Angelos Lauretum tranſuectum eſſe, tota illa Regio, & natio Illyrica teſtatur; nec oretenus ſolum,ſed lachrymis,uehementiſſimiſq; clamoribus,quibus,dum Lauretum ſingulis annis accedunt, intimum, ac internum dolorem uſque in hodiernum diem profitentur, ex recordatione ſcilicèt quod apud illos olim hæc Sancta Domus fuerit,nunc autem tanto bono uiduati ſint:teſtatur item eorumdem Dalmatarum inſignis pietas, & religio,qua frequentiſſimam,ac ferè perennem peregrinationem ad ſanctam Domum Lauretanā ſuſcipiunt;multi prętereà ex illa regione deuotionis ergò ab eo tempore, quo domus illinc erepta eſt, domicilium, perpetuamque habitationem in tugurijs, & cryptis propè Lauretum ſibi elegerunt, quod nulla alia natio facit;magnificum quoque Templi ędificium apud Terſactum,ubi ſancta Domus collocata fuerat, in memoriam tanti beneficij erectum locupletiſſimum huius rei teſtimonium præbet. Sed quid plura? veſtigia fundamentorum, quæ apud Nazareth remanſerunt, id omninò perſuadent: bis eorum longitudo,ac latitudo funiculis in Vrbe Nazareth explorata fuit,atque ea uniformis,muriſque Sanctæ Domus Lauretanæ æquè correſpondens reperta. Primùm ſcilicèt ab Illyricis, qui quatuor exploratores Nazareth tranſmiſerunt; deinde à ſexdecim Picenæ Prouinciæ viris,qui id ipſum perfecerunt; quòd ſi in ore duorū, uel trium, dicente Domino, ſtat omne uerbum,quomodo ea in re hæſitandum erit,cùm uiginti cordati, fideliſſimique uiri ex diuerſis nationibus,ad hoc ſpecialiter miſſi,ac deputati,id pleniſſimè teſtificati ſint. Quis non uidet rei reuelatæ certum euentum? ſcilicèt tranſlationes ex uno loco ad alium, quas ſuprà retulimus, miracula frequentia, ac ingentia, quæ Laureti fiunt;concurſus maximè uniuerſales totius Orbis, (quod maximum miraculum eſt,) conſenſum generalem totius Eccleſiæ,ſummorum ſcilicèt Pontificum, Regum, Prælatorum, Principum,ac reliquorum omnium, qui eò tamquam ad uerum,ac proprium Virginis Domiciliū accedunt,

Dolor Illyricorum ob ſanctæ Domus profectionē.

Templū Terſacti erectum vbi fuerat alma Domus.

Bis menſura ſāctę Domus cum veſtigijs nazarenis collata.

accedunt, illudque venerantur, uti locum, in quo Virgo ab Angelo ſalutata, Dei Verbum carne veſtitum in ſuo utero conceperit, quæ omnia diuinam, & veram il lam fuiſſe reuelationem comprobarunt. Numquid hæc pietas omnium fidelium vana erit? abſit. *Ego enim*, inquit Dominus, *vobiſcum ſum, uſque in conſumationem ſæculi*; nec Eccleſia in his, quę ad fidem, uel ad mores uniuerſales ſpectant, filios ſuos decipere poteſt. Itaque ex rei euentu ſatis deprehenditur, reuelationem illam non commentum, aut delirium, ſed Dei monitum extitiſſe; ſic etiam ei, qui non recipit Scripturas noui teſtamenti, ſuadendum eſſet de ſomnio Ioſeph, quando Angelus in quiete ei dixit, *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi uſq; dum dicam tibi; futurum eſt enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eũ*; & rurſus, poſtquàm aliquot annos in Ægypto fuiſſet, in ſomnijs dixit ei; *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & uade in Terram Iſrael; defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri, &c.* Quæ omnia exitus rerum probauit, non fuiſſe ſomnium Ioſeph, ſed diuinam reuelationem in ſopore per Angelum ei factam.

Chriſtum Domini in Ægypto permãſiſſe oſtenditur.

D. Athanaſ.

Phylo Alex.

Euſeb.

FVISSE enim Chriſtum in Ægypto, prętер diuinam ſcripturam, demonſtrat religio Chriſtiana, quæ ſtatim in ipſo exordio Euangelicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ibidem feruentiſſimè cæpit, & glorioſiſſimè floruit, ex eò quod Chriſtum hoſpitem recipere in prima ſua fuga digna fuit; innumera enim inibi multitudo Monachorum extitit, qui & ſanctiſſimè, ac religioſiſſimè uixerunt, quorum D. Athanaſius honeſtiſſimam mentionem facit, in uita Sancti Antonij, in principio, & Phylo Alexandrinus in lib. de cultoribus, ſiuè de uita contemplatiua, multa ſcribit de illis Chriſtianis, qui relictis omnibus rebus, & curis ſæcularibus, propè Alexandriam ad normam Monachorum ſanctiſſimè uitam ducebãt. Euſebius Cæſarienſis, in commentarijs ſuper Iſaiam adnotauit, Ægyptos Domini aduentu indiguiſſe, quippè qui erant omnium ſuperſtitioſiſſimi, ponebant enim fatum, & tollebãt prouidentiam, colebantque omne genus animantium, & cauſas rerum ad aſtra referebant. Denique Rex Ægypti dixit, neque noui Dominum, & quis eſt, cuius audiam uocem? hæc ex Euſebio. Multa prætereà acciderunt, cùm Chriſtus puer Ægyptum ingreſſus eſt, quæ uiſionem Ioſeph, ut ueram omnino comprobarunt. Sozomenus lib. 5. hiſtoriæ cap. 20. & Niceph. lib. 10. cap. 31. narrant, quamdam arborem in Ciuitate Hermipoli ad Chriſti ingreſſum ſeſe ad terram uſque reuerenter inflexiſſe, ut ipſum adoraret; refert D. Chryſoſt. homil. 2. imperfecti, quod etiã Euſeb. lib. 6. de demonſtratione Euangelica cap. 20. Athanaſius lib. de Incarnatione Verbi, Procopius in Eſaiam, Palladius in hiſt. lauſiaca in uita Sancti Apollinis Abbatis, cap. 12. & Origenes homil. 3. in diuerſos tradiderunt, IESV in Ægyptum intrante, omnia Idola proſtrata, & comminuta fuiſſe, iuxtà illud Eſaiæ 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti à facie eius*; quem locum Procopius explanans, per nubem leuem Sacram Virginem intelligit, cuius ulnis in Ægyptum Saluator inuectus eſt; rectè autem dicitur nubes, quia per eam in terras Chriſti gratiam Deus pluit, ut dixit Diuus Ambroſius de inſtitutione Virginis: leuis uerò, quia uirili ſemine pręgrauata non fuit, ut ibidem dixit Ambroſius, & in exhortatione ad Virgines, & D. Hierony. ſuper Eſaiam, vel quia nullum habuit pondus peccati uel paſſionis, vel fomitis, vel etiam quia ſuper omnes res terrenas volabat, ut dixit ibidem Procopius. Alij Patres, vt Auguſt. tract. 14. in Ioannem, & Proſper de prædictionibus Dei par. 3. cap. 2. per nubem leuem carnem Chriſti à Spiritu Sancto conceptam intelligunt.

Admiranda, quæ in Chriſti ingreſſu in Ægyptum acciderunt.
Sozom.
Nicephor.
D. Chryſoſt.
Euſeb.
Athanaſ.
Procop.
Pallad.
Iſai. 19.
B. Virgo per nubem leuẽ ſignificata.
Procop.
D. Ambroſ.
D. Hieron.
Procop.
Auguſt.
Proſper.

Incertum eſt an Idola Ægypti corruerit ad ingreſſum Chriſti.
Baron.
Suarez.

Verùm hoc Eſaiæ teſtimonium ſolum probat, ad Euangelij prædicationem gẽtem Ægypti Idola abieciſſe, & ad Chriſtum conuerſam fuiſſe, cuius rei pręſagiũ fuit ingreſſus Pueri IESV in Ægyptum; incertum enim eſt, nec in dicto loco Eſaiæ fundamentum habet, omnia Idola Ægypti in Chriſti ingreſſu confracta eſſe, ut Card. Baron. in annalibus Anno primo, & Suarez tom. 2. in 3. par. queſt. 37. art. 4. diſp. 17. ſect. 1. adnotarunt; quamuis aliqua in ea Ciuitate præſertim, in qua Chriſtus habitauit, Idola diuina eius virtute diſturbata eſſe, veriſimile ſit. Illud autem ex Bru-

Bruchardus. Janſen.

Loc°, vbi fuit Chriſtus in Ægypto, celebris apud illas nationes.

ex Brucardo in deſcriptione terræ Sanctæ par.2. cap.4.& ex Cornel.Ianſenio cõcord.euan.cap.11.habemus, locum illum,ad quem delatus fuit Chriſtus in Ægyptum,uſque nunc apud infideles celeberrimũ eſſe; uocatur autem hic locus apud Ægyptios, Maturea,diſtatque à Cayro decem millia paſſuum; eſtq; inter Heliopolim,& Babyloniam medio fermè loco Balſami ortus,qui ex paruulo fonte,ſed perenni irrigatur, in quo fama eſt, Beatam Virginem IESVM infantem pluries lauaſſe, panniculoſque eiuſdem mundaſſe, eſtque ibidem lapis,ſuper quem dicitur eoſdem ſolis radijs expoſuiſſe: quæ omnia Chriſtianis, & Saracenis venerationi ſunt;ex his igitur patet,quòd res ipſæ earumque euentus veritati ſomnij Ioſeph fidem faciant. Similiter nos hæretico,qui non credit, apparuiſſe Virginem ſancto viro,nec tranſportationem Sanctæ Domus ex Nazareth in Illyricum,& ex Illyrico in agrum Picenum;ſed magis ſomnium, vel delirium illius eſſe exiſtimat,res ipſas, earumque euentum ad ſuadendum, immò ad conuincendum illum proponimus,veſtigia ſcilicèt,quę in Illyrico relicta fuere;ad quod etiam accedit uox illorum Populorum clamantium, & concurrentium Lauretum; monumenta, ac memoriæ,quæ ibidem de hac re conſignatæ ſunt; diuerſę huius domus in Piceno Agro commigrationes, quarum uſquę hodie veſtigia extant;duplex illa fida relatio eorum,qui apud Nazareth fundamenta domus uiderunt, parietibus illius vſquequaque reſpondentia, & prout apud nos ęxtant, commenſurata retulerunt; Prætereà gratiarum,ac miraculorum perennis fluuius; populorum ex toto Orbe concurſus,maximè uniuerſalis omnium Chriſtianorum de hac re conſenſus,ſummorum denique Pontificum ergà hanc Sanctam Domum ueneratio, honores, ac dignitates collatæ: Quòd ſi his omnibus hæreticus obcæcatus non conuincitur,magis obſtinatus ipſis Dæmonibus erit, qui cum alioquin id nolint; credunt tamen,& contremiſcunt, ut ex illorum hominum confeſſione cognoſcitur, qui apud hanc Domum ſathanicis ſpiritibus obſeſſi exorciſmis liberantur.

Hæreticus cõuincitur, ſomnium illud uiri ſancti non fuiſſe deliriũ

Dæmones coacti ſanctæ Domus veritatem fatẽtur

Hæretici Vergerij odium inteſtinum in B.Virginem.

SED ſi hæretici animum intimè perſcrutemur,facilè intelligemus,id totum negare,non quia rem hanc impoſſibilem reputet, ſed ſolum ob inteſtinum odium, quo Beatam Virginem proſequitur. *Draco enim ante mulierem, quæ erat paritura ſtetit,ut & filium, & matrem deuoraret, ſed & filius raptus eſt ad Deum, & ad Thronum eius. & mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo*; Apocalyp.12. Nec hæreticorum contumeliæ Chriſto,uel matri eius nocere poſſunt, ſed ipſis tãtùm,qui etiam Barbaris,ac Saracenis crudeliores,& immaniores ſunt:ſcribit Brucardus, Mauros eo in loco, in quo Sancta Deipara habitaſſe fertur,perpetuò ardentem lampadem,in memoriam pueri IESV illic olim habitantis, conſeruare,atque ab eis ſumma ueneratione coli. Quanto igitur maiora obſequia Domui Lauretanæ exhibuiſſent, ſi apud illos ſtetiſſet? an non Saracenus hæretici ſtultitiam, ſeu ueriùs impudentiam,religioſa quadam obſeruatione confutat, eiuſque furorẽ omninò retundit,quandò hic Virginem deprimit,ille effert,hic contumelias in illam & verbis, & ſcriptis profert, ille munera, atque obſequia defert;hic denique omnem eius memoriam ad terram proſternere contendit, ille uerò eius loca, ac monumenta decorat.

Apoc.12.

Bruchardus. Religio Maurorum erga B.Virginem.

Expreſſio nominis,& aliorum ſimilium veritatem hiſtoriæ non lædit.

D.Auguſt.

D.Chryſoſt.

QVOD verò ait hæreticus,in hiſtoria nec nomen,nec patriam,nec profeſſionẽ, nec auctoritatem eius viri,cui reuelatio facta ęſt, deſcriptã eſſe; nil detrahit illius ueritati, q̃ ex rerũ euentu approbationẽ iam obtinebat,& ſemper obtentura erat; numquid quia D.Auguſt.nomen illius mathematici,cuius reconciliationem cum Eccleſia refert,poſt enarrationem Pſal.61.reticuit,hiſtoria illa fide digna non eſt? nec Lucas duorum peregrinantium cum Chriſto in Emaus nomen expreſſit, nec diuitis Epulonis:nec Ioannes eius militis, qui latus Domine perforauit.D.Chryſoſt.lib.6.de Sacerdotio refert abſque nomine,patria,& inſtituto,quemdam ſenẽ admirabilem Virum,multitudinem Angelorum, dum in altare hoſtia conſecrata eſſet,conſpexiſſe,multaſquę alias reuelationes diuinitùs accepiſſe;eius uerba ſunt hæc. *Per id tempus, & Angeli Sacerdoti aſſident,& cæleſtium poteſtatum uniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari uicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum*

choris

choris plenus eſt, id quod credere abunde licet, uel ex tanto illo ſacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem quemdam audiui, cùm diceret, ſenem quemdam, uirū admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitùs fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim uiſione dignum habitum à Deo fuiſſe, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conſpexiſſe, quatenus aſpectus humanus ferre poterat, fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum, ut ſi quis milites, præſente Rege, ſtantes uideat. Hęc Chryſoſtomus. Vides hic Chryſoſtomum ex auditu non auctoris; ſed alterius commemorantis referre uiſionem innominati Viri, quam diximus, vti ueriſſimam. Profeſſio autem illius uiri ſatis copiosè in hiſtoria, quam Angelita deſcripſit, exponitur, de eo enim dicit; *Viuebat eo tempore Vir, qui ſanctiſſimum Sacellum cæteris frequentius adire ſuetus, ob eximiam animi munditiam ad diuinorum ſpeculationem vltrà fermè omnes aptiſſimus erat. Hunc igitur Alma Parens ueridica per ſomnum talibus eſt allocuta.* Vides huius viri artem, induſtriam, ac ſtudium?

Angelita.

Cur Deus ſæpe indoctis, & obſcuris hominibus ſomnia immittat. Matth. 11. Luc. 10. Ariſtot. Cicero.

RATIO aũt curà Deo ſępenumero obſcuris, ac indoctis hoĩbus, raro uerò ſapiẽtibus diuina ſomnia dentur, ea eſt, quam Dñs apud Matthęũ dixit, *Quoniã ſic placitum fuit ante Patrem, ut hæc à ſapientibus, & prudentibus abſconderet, & reuelarèt ea paruulis.* Matth. 11. & Lucæ 10. Ariſtoteles, & Cicero hac una ratione adducti, perperam negarunt, à Deo hominibus ſomnia immitti; non enim indoctis, ac obſcuris hominibus, ſed ſapientia, & prudentia præſtantibus fieri par eſſe iudicabant; At de gentilitijs ſomnijs id uerum eſt, cùm enim Dæmones rerum humanarum caſus, & euentus certò præuidere, ac ſcire non poſſint, id quod Deo ſolum tribuitur, nec poterant illos certis, aut ſignis, aut verbis prædicere, ac præmonſtrare; quod erat in cauſa, ut ſomnia, quibus futura pręſignificabantur, nequaquam uiris doctis, & prudentibus impertirent, ſcilicèt ne illi huiuſmodi ſomniorum uanitatem, ac falſitatem deprehendentes, Deorum auctoritatem, & Oráculorum numina populis uana, & contemnenda eſſe nunciarent; imperitis autem, & contemptiſſimis hominibus immittebantur, quòd illi faciles ad credendum eſſent; nec callidum ſpiritum Sathanæ, verique à falſo diſcrimina internoſcebant. At verò ſomnia, quæ à uero Deo ſunt, etiam ſapientibus, ac doctis hominibus communicata eſſe tradit Scriptura, ut Abrahæ, Iacob, Salomoni, & Danieli; quamuis nonnulla quoque viris non admodum doctis, ſanctitate tamen, ac uitæ ratione integerrimis; & quandoq; etiam ſceleratis atque impijs hominibus, ut Pharaoni, & Nabuchodonoſor, diuina ſomnia indita eſſe ſacra docet Scriptura, non tamen præcipuè ob illorum cauſſam, ſed ad aliorum utilitatem, neque cum cognitione ipſorum ſomniorum; quapropter cùm à ſuis ſapientibus ueram interpretationem habere non poſſent, cogebantur à veri Dei cultoribus expoſitionem recipere, ut hac ratione uerum Deum cognoſcerent, ac colerent, eiuſque ſeruos honorarent, & magnificarent; ſic Ioſepho, & Danieli contigit, dum ſomnia Pharaonis, & Nabuchodonoſor interpretati ſunt. Sed de hac re lege, Speculum peregrinarum quęſtionum in prima Decade, cap. 3. quæſt. 2. & Pererium in libro 2. de magia, & in Commentarijs ſuper Danielem.

Etiam ſapientibus, & doctis diuina ſõnia immittuntur.

Speculum pereg. quæſt. Pererius.

CAPVT VIGESIMVM.

Ad Vndecimum Argumentum reſponſio.

Diligẽtia magna tàm Illyricorum, quã Ciuium Recinetenſium in ueritate Sanctæ Dom. cõprobanda.

QVEMADMODVM Illyrici diuino impulſu perciti, ſupernaque il luſtratione perfuſi, cùm primùm Sancta Domus in Monte Terſacti apud Oppidulum, quod Flumen dicitur, reſedit, quatuor ſelectiſſimos, ac fidei, & ætatis probatiſſimos uiros elegerunt, ut vnà cùm Alexandro uenerabili viro, Sacrorum Antiſtite, & Eccleſię Sancti Georgij Terſacti Præfecto, cui

Beata

Beata Virgo primò in quiete huiuſmodi tranſlationem patefecerat, in Palæſtinã accederent; & illi Hieroſolyma decurſa, Nazareth tandem peruenerunt, & adhibita menſura, quam ex Terſacto deportarant, fundamenta relicta Nazareth omninò tàm quoad longitudinem, quàm quoad latitudinem muris Sanctæ Domus ęqualia, & adæquata eſſe repererunt, ut pleniùs in dicta hiſtoria Angelitæ continentur; ſic Ciues Recinetenſes, poſtquàm à Sancto Viro, quæ noctu ei diuinitùs reuelata fuerant acceperunt; illicò decem, & ſex Viros ſumma prudentia, ac pietate pollentes delegerunt, qui prima nauigatione Terſactum petentes, locum in Monte, in quo Cubiculum conquieuerat, cæteraque omnia magna cum diligentia explorarunt, & quæ narrata fuerant re ipſa compererunt; deindè Nazareth appulerunt, & ſimiliter inuenta fundamenta muris Cubiculi, quod apud Picenum delatum erat, omninò paria, & adæquata inuenerunt.

Angelita.

Quærit hic Hæreticus locum, ubi Congregatio ad Legatos mittendos facta fuerit; quærit nomina Legatorum; expenſas mille ducatorum uix ſufficere ad Legationem obeundam opponit. Sanè in Piceni Prouincia, & Vrbe Recineti id factum eſſe, nemo dubitare poteſt; cùm enim in eorum Agrum Sacrum Cubiculũ delatum, cùmque illic maiora, & crebriora miracula facta ſint, ibidemque diuinæ reuelationes habitæ, non eſt cur dubitandum ſit de loco, in quo conuentus ille habitus fuerit, quod etiam in hiſtoria prędicta innuitur; primos enim, qui rem hanc peragerent, mouerent, ac dirigerent, Recinetenſes fuiſſe, narrat hiſtoria. Nomina verò exploratorum, quamuis hiſtoria non deſcribat; fuerunt tamen apposita in inſtrumento relationis, quam ex Nazareth reuerſi Legati illi fecerunt; hæc autẽ inſtrumenta, ſeu publica documenta, quibus profectionis, ac reuerſionis ordo eorum plenè, ac fideliter narrabatur, apud Recinetenſes uſque ad incendium Ciuitatis, quod accidit tẽpore Ioannis XXII. intacta conſeruata fuere. Illud unum in hiſtoria innuitur, delectos Nuncios non ſolùm ex numero Ciuium Recinetenſium, ſed etiam finitimarum Piceni Ciuitatum fuiſſe; cui rei ſuffragatur, quòd communibus Picentum expenſis iter arripuerint. Nec hæreticus taxare debet expenſas mille ſcutorum, cum omnes ſumptus, qui ad huiuſmodi peregrinationem conficiendam piè quidem, ac religiosè, potiùs quàm magnificè ac ſumptuosè ſuppeditatos fuiſſe, exiſtimandum ſit; ſic hiſce temporibus paruo ſumptu nobiles, ac Religioſi peregrinationem ad loca ſancta Palæſtinæ deuotionis cauſſa ſuſcipiunt; et ad rem tantam cognoſcendam maiorem quamcumque pecuniarum ſummam impendi, æquum ac neceſſarium generoſiſſimi, ac religioſiſſimi viri non immeritò iudicabant. Quædam uerò minutiora ad veritatem hiſtorię narrat Angelita, quæ ex illis publicis documentis, alijſque antiquis annalibus Reip. Recineten. excerpta ſunt; uidelicèt, quòd ex Illyricis oris nauem ſoluentes, Iadram appulerunt, Ciuitatem alioqnin nobilem, ex qua uiſitato corpore D. Simeonis illius, qui almo ſpiritu cùm in humanis degeret afflatus, cum Chriſtum Dominum in ulnas excepiſſet, in canticum illud pulcherrimum prorupit, cupiens diſſolui, quia promiſſum Seruatorem Iesvm oculis uidiſſet, & manibus tetigiſſet ſuis, recedentes, naui rurſum conſcenſa, ſecundis flatibus adnauigantes deuenere Corcyram, inde Methonem ad oram Peleponneſi prętereuntes, Cretam applicuere, inde Rhodon, ex ea, uiſitato templo Diui Ioannis, quem de utero Matris euocauit Dominus, & poſuit tamquàm ſagittam electam, in quo brachium sãctum eius; & alias, quæ longũ eſſet recenſere, diuorum reliquias uenerati, præternauigantes Cyprum; longa tandem nauigatione defeſſi Hieroſolymam deuenerunt, eaque perluſtrata, Dominico ſepulchro uiſitato, ad Nazaræam tot laboribus ab eis conquiſitam Ciuitatem deuenere, ibique inuentis tandem, ob Barbarorum ſæuitiam, non ſine cuiuſque eorum vitę diſcrimine, adhuc extantibus fundamentorum ueſtigijs, parietum latitudinem, intercapedinem, & figuram menſurę, quam ſecum detulerant, adęquatis, ſtructuræque ſimilitudinem animaduertentes, hoc idem eſſe cubiculum depręhenderunt, quod ad Illyricos, & mox in Agrum Recinetenſem fuerat delatum, ac ea omnia, quę Alexandro Antiſtiti primùm, deindè Viro Sancto de illo fuerãt

Conuentus Recineti habitus ꝑ miſſione Legatorũ.

Recinetenſes primi auctores in inueſtigatione veritatis almæ Domus.

Vrbis Recinetenſis incendium.

Sumptus ad peregrinationẽ pro Legatis tenuis, ac moderatus.

Angelita.

Annales Recineten.

Iter Legatorũ ex Piceno ad Vrbem Nazareth.

Annales Flumenſes.

reuelata, uera omninò eſſe, ſolis lumine clariùs perſpexerunt. Hęc Angelita. Accedat huc, quòd ſedente Leone X. Pont. Max. ex priſcis annalibus Oppidi, cui Flumen nomen eſt, apud Dalmatiam, ſchedula quædam à quibuſdam integerrimis eius Regionis viris delata eſt, in qua continebatur præfati Cubiculi prima à Nazarça Ciuitate mira tranſlatio, quod per literas Recinetenſes, ſtatim illa recepta, eidem Summo Pontifici ſignificarunt. Igitur non eſt cur Hæreticus Illyricus oblatret contrà Sanctæ Domus tranſportationem, cùm eiuſdem nationis viri contrà illum teſtimonium ferant.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Ad Duodecimum, Decimumtertium, & Decimumquartum Argumentum reſponſio.

Confuſio, & imbecillitas Hæreticorũ.

Forma & ſtructura ſanctæ Domus.

Eadẽ Domus q̃ prius erat intrà Eccleſiã Nazareth, integra Recinetum deuecta eſt ab Angelis.
Hieron.
Beda.

QVANTOPERE deſudet hæreticus in neganda, & deprimenda ueritate, & auctoritate Sanctæ Domus Lauretanæ, hęc tria argumenta, quæ ipſe in ordine 12, 13. & 14. ponit, non obſcurè declarant: interim Catholici ueſaniam hominis derideant, pudeatque hęreticos ex illorum caſtris tàm imbecillem, ac inermem pugnatorem aduerſus Virginem emiſſum, vel potius immiſſum. Quid alias manſiones fingit, uel percontatur, cùm ex muris Sanctæ Domus, & ex tecto, quod ſecum tulit, nulliſque parietum interpoſitorum veſtigijs liquidò cernatur, unicam tantùm Cameram complexam eſſe? neque enim tantæ longitudinis eſt, ut in illa duo Cubicula diſtingui commodè poſſint; nec prætereà partem, uel Cubiculum maioris domus cenſenda eſt, cùm integra Domus, cùm tecto ſcilicèt, quatuorque muris angularibus, quæ ad perfectæ Domus formam exiguntur, ad nos peruenerit; quod etiam ex ſitu, & fundamentis apud Nazareth relictis deprehendi poteſt: erat enim domuncula pauperibus accommodata. Illud unum certum eſt, quòd integra Domus ad nos Angelorum miniſterio delata eſt, quemadmodum erat intrà Eccleſiam eo in loco apud Nazareth ædificatam, quo Angelus ad Beatam Virginem ſalutandam ingreſſus eſt, ut Hieronymus, & Beda, & eadem forma, & ſitu, quo ibi erat, apud nos tranſuecta fuit; vel etiam dici poteſt, quòd hoc cęleſte Cubiculum fuerit quidem in paternis Ædibus Ioachin, & Annæ contentum; ita tamen, ut ſine ulla ſui diminutione, uel læſione, à cæteris Domus partibus diuina uirtute, integrè diuelli potuerit, quod exitus demonſtrauit.

Omnia poſſibilia apud Deum.
Magna fides etiam mõtes transfert.
Matth. 17.
Marc. 11.
Greg. Niſſen.
Greg. Magn.
Nicephor.
Euſeb.
D. Gre. Thaumaturgus mõtem miraculo ſe tranſtulit.

AT verò forte hæreticus, Deum adeò infirmum facit, ut neget hoc poſſe perficere; diſcat ille ex verbis Gabrielis eodem in loco prolatis, *Nõ eſſe impoſſibile apud Deum omne Verbum*; recolat Chriſtianæ fidei hoc à Chriſto tributum eſſe, ut montes ex uno in alium locum ſiuè in terram, ſiuè in mare transferre poſſit Matth. 17, & Marc. 11. ſciat Chriſtianorum imperio id non ſemel in Chriſti nomine factum eſſe, ut à D. Greg. Thaumaturgo, ut D. Greg. Niſſenus in eius vita refert D. Greg. Magnus lib. 1. Dialog. cap. 7. & Nicephor. lib. 6. cap. 17. & ab alijs ſanctis viris, vt produnt hiſtoriæ. Euſebius Cęſarienſis lib. 7. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 25, ſic de Gregorio ſcribit, *In quodam loco ruris anguſte, cum res poſceret, Eccleſiam conſtrui, rupes quędam vicini Montis, ex parte Orientis obiecta, ex alia verò præterfluens fluuius ſpacium quantum Eccleſiæ ſufficeret denegabat; & cum alius omninò non eſſet locus, omneſque mœſtitiam gererent, quòd ſolum ad conſtruendam Eccleſiam non haberent, ille fide plenus pernoctaſſe in oratione dicitur, & Dominum* IESV *promiſſionis ſuæ admonuiſſe fideliter, qua dixit, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tolle te, & mitte te in mare, & utique fiet; cùmque hac plena fide, atque deuotione depoſceret, ad lucem coeuntibus populis, inuenta eſt rupes importuna seceſſiſſe tantum, quantum ſpacij ad condendam quærebatur Eccleſiam.* Hæc ibi, quibus ſimile eſt, quod de eodem ibi narratur,

ratur,

ratur, de palude exiccata. In libro, qui ſpeculum exemplorum inſcribitur, exemplo 145. quod etiam ex Fabro refert Ianſenius, narratur, quòd Anno Domini 125. Caliphus Rex Tartarorum conatus eſt extirpare Chriſtianos de Regno ſuo, quia Chriſtiani mixti habitabant inter Paganos. Vnus autem de conſiliarijs ſuis conſuluit Regi, ut omnes uinceret ex Euangelio. Nam Chriſtus Deus Chriſtianorũ locutus eſt. *Si quis Chriſtianus non hæſitauerit, & dixerit Monti huic, tollere, & mittere in mare, fiet ei.* Qui conuocauit omnes Chriſtianos, quęrẽs ſi uerbum Chriſti, & Euangelium verum ſit; reſpondentibus omnibus, quòd ſic; ſtatim comminatus eſt eis, quòd niſi infrà decem dies hoc facto oſtenderent, omnes perirent. Tunc Epiſcopus, & Sacerdotes conuocauerũt Chriſtianos, & indicto ieiunio per triduum, & orationibus intendentes, rogauerunt Dominum IESVM Chriſtum, ut ſuis ſeruis ſuccurreret. Et reuelatum eſt cuidam Epiſcopo deuoto, quòd ſutor Monoculus dignus eſſet proferre illa uerba, & populum Chriſti de periculo eruere; qui ex humilitate renuit, & ſe peccatorem eſſe aſſeruit; tamen ex obedientiæ præcepto ſe ſubmiſit, & Chriſtiani ex una parte ſteterunt, & Crucem Chriſti ſecum habuerunt; & Caliphus ex alia parte cum ſuo populo, qui fuerunt parati ad occidendũ Chriſtianos. Orauit autem Sutor flexis genibus, ne Chriſtus tot Chriſtianos necari permitteret, & præcepit Monti, ut ſe tolleret, quod ſtatim factum eſt. Quo viſo Rex baptizatus eſt, & plures cum eo, & ſic fides roborata eſt, & augumentata. Præterea D. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 7. narrat exemplum de Beato Nonnoſo Præpoſito Monaſterij in Monte Soracte, qui oratione ſua ſaxum ingens aliò tranſtulit, ut Monachi pro horto locum aptum haberent. Idem lib. 2. dialog. cap. 9. ſcribit, orationibus Sancti Benedicti ingens ſaxum, quod multorum conatu de loco moueri non potuerat, ſtatim poſt eius orationem tranſlatum fuiſſe. Simile miraculum à B. Silueſtro Abbate factum legitur in uita ipſius, ab Andrea Iacobi Monacho deſcripta, quę eſt in Monaſterio Fabriani in Piceno, ubi idem B. Silueſter ſuũ Ordinem, qui dicitur Silueſtrinorum inſtituit. Card. Baron. in Martyrol. 26. die Nouembris, iuxtà poſtremam editionem Romæ factam, de hoc B. Silueſtro mentionem facit. Ad hæc lege quæ ſcribit Cyrillus in libello, quem vulgari ſermone ſcripſit, hiſtoriam Lauretanæ domus pertractans, vbi circà medium pulchra de hac re adducit.

Speculum exemplorum. Ianſen. — *Inſigne miraculum Chriſtianæ fidei.* — *D. Gregor.* — *Andreas Iacobi.* — *Card. Baron.* — *Cyrillus.*

Tempore Childerici Clotarij filij Regis Francorum, Sanctum Launomarum Abbatem in Gallia, Virum miraculis, & ſanctitate illuſtrem, immanẽ quercum, cui vix quadraginta viri deportandæ ſatis fuiſſent, precibus ad Deum porrectis, nullo alio humano adminiculo ſuppeditato, tranſtuliſſe, narrat Surius to. 1. 19. Ianuarij, & ex eo Card. Baron. to. 7. anno Chriſti 567.

Surius. — *Baron.*

SED ex naturalibus aliquid ſimile apprehendat hæreticus. Probatiſſimi Hiſtorici narrant, tempore Conſtantini cognomento Copronymi, anno eius Imperij nono, cùm ingens terræmotus in Syria factus eſſet, quaſdam Vrbes funditus corruiſſe, alias ad mediam partem, non nullas à montanis in ſubiectas planicies cum Cameris, & ædificijs abſque vlla ruina tranſportatas vſque ad ſex milliaria. Preterea ignorat ne hæreticus, Angelum ſiuè bonum, ſiuè malum, naturali vi corpora mouere poſſe ex vno in alium locum transferendo? ſicut enim Angeli per ſe mouent Orbes cœleſtes, ſic & alia corpora mouere poſſunt; ſic Angelus ille Prophetam Habacuch capillo capitis apprehenſum ex Iudæa Babylonem uſque trãſportauit, indeque reportauit in Iudæam. Daniel. 14. Sic etiam Diabolus Dominum noſtrum tulit in pinnaculum Templi, & in montem excelſum; immò quò Angelus ſuperiorem ordinem obtinet, eò maiorem virtutem motiuam obtinet, pluraque corpora, ac maiori celeritate mouere poteſt; ſicut enim eorum naturæ ſunt vel perfectiores, vel imperfectiores; ita quoque eorum potentiæ ſunt vel fortiores, vel imbecilliores. An autem talis virtus motiua Angelorum ſit diſtincta ab intellectu, & voluntate eorum, non eſt huius loci diſputare.

Exemplũ ex naturalibus deſumptum; Virtus naturalis Angelorum ad tranſlationem corporum. — *Daniel. 14.*

ATQVE, vt hæreticus faciliùs cognoſcat, huius Sanctæ Domus tranſlationem impoſſibilem non fuiſſe; certum eſt etiam Dæmones multa poſſe præſtare, quæ

Mirâ aliqua virtute naturali à Dæmo

nibus operata ex Pererio.

fidem excedere uidentur humanam. Horum nonnulla, quæ etiam Pererius in libro de Magia collegit, hic ad eius iguorantiæ confuſionem ſubijciamus. Cæterùm priori loco, quæ non poſſunt efficere uideamus. Per motum localem, quæ eſt immediata Dæmonis operatio, (nam de alia operatione mediata, ſeu tranſeunte, quæ motum localem ab ipſis factum conſequitur, per applicationem actiuorum, & paſſiuorum ſermonem non faciemus, cùm ad rem noſtram non faciat). Per motum, inquam, localem primò nec Dæmones, nec boni Angeli poſſunt deſtruere, aut ſubuertere uniuerſum; cùm enim illi ſint partes vniuerſi, in totum, hoc eſt in uniuerſitatem creaturarum uim, atque poteſtatem habere nequeunt: Etenim, ut inquit Paulus ad Hæbræos 2. *Non ſubiecit Deus Angelis Orbem Terræ*. Quocircà nec ordinem vniuerſi peruertere, uel perturbare poſſunt; ordo enim, auctore Philoſopho, eſt bonum vniuerſi: Non ualent elementum aliquod ex uno loco in alium transferre; nec poſſunt motum Cœli impedire, uel in partes contrarias agere, nec poſſunt elementorum, orbiumque cęleſtium ſedes loco ſuo dimotas, ſuſque deque agitare; pręterea nec poſſunt facere, ut detur uacuum, quod auferat coniunctionem, & connexionem atque ſubordinationem omnium partium Vniuerſi, in quo eius conſeruatio, atq; gubernatio conſiſtit: deniq; cùm uim motiuam definitam habeant, maiorem, uel minorem, vt eorum naturæ gradus poſtulat; non poſſunt uel in inſtanti, uel quantalibet velocitate, uel quoduis corpus mouere; nec facere, ut duo corpora ſint ſimul in eodem loco, uel unum corpus in duobus locis ſimul; nec ut unum alterius dimenſiones penetret: Nec poſſunt tranſferre corpus de extremo ad extremum, & non per medium; nec ſi longe ipſi diſtet à corpore, illud ſecundum locum mouere, cùm mouens, & mobile debeant eſſe ſimul; alioquin, & per quantamcumque diſtantiam, & per vacuum corpora mouere poſſent. Lege D. Thomam in quæſt. de potentia, quæſt. 16. art. 8. & 3. lib. aduerſus gentes cap. 108.

Quæ Dæmones, aut Angeli facere non poſſunt per motum localem.

Ad Hębr. 2.

D. Thom.

Quæ poſſunt Angeli, & Dęmones efficere per motũ localem.

Plurima autem opera per localem motionem facere poſſunt. Primò ignem ex ſuo loco in inferiores partes pellere, quo multa comburant, & perdant; ac etiam perualidos, furenteſque ventos excitare, ut ſuperbas turres, & magna diruant ędificia, arbores euellant, & humana corpora monti, uel parieti alicui alliſa extinguant. Sic apud Iob cap. 1. legitur, *Cecidit ignis de cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit, & repente ventus irruit à regione deſerti, & concußit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreßit liberos, & mortui ſunt*. Sic in Apocalypſi 13. capite de Antichriſto dicitur, *& fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum*; poſſunt item procellas, tempeſtateſque horribiles commouere, ipſas aquas profundi Maris euoluendo, & per ſub terraneos uentos poſſunt quoque ingentes terrę motus excùtere, uel vehemẽtem aliquam exhalationẽ in cauernas terræ deferendo, uel in illis ſpiritum incluſum uehementiſſimè concitando. Qua ratione duo dolia, quæ apud Indos Apollonius uidit aperta, imbres, & ventos emittebant, clauſa verò eadem compeſcebant.

Iob 1.

Apoc. 13.

Secundò, poſſunt ex vno loco in alium quantumuis remotum animalia, homines, & quæuis alia corpora transferre; ſic in hiſt. Eccleſia. legitur, Simonem Magum à Dæmonibus per aera euectum eſſe in Cœlum; & in Gentilium hiſtorijs traditur, ſerpentes, dracones, & homines nonnumquàm per aera uolantes uiſos eſſe, & apud Albertum, boues, ac vitulos pluiſſe; quæ omnia, & ſimilia hac ſola ratione facta eſſe, credendum eſt: ſic etiam dicitur quòd Antichriſtus virtute Sathanica montes trãsferet, ut Hyppolitus Martyr in oratione de conſumatione mundi, & de Antichriſto, licèt hic Auctor non benè exiſtimet, Antichriſtum non alium fore, quàm Diabolum ipſum ſub ſimulata ſpecie humanæ naturæ.

Hiſtor. Eccle.

Alb. Magnus.

Hyppolitus Martyr.

Tertiò, poſſunt res pręſentes è conſpectu hominum ſubitò ſubtrahere, atque ita reddere inuiſibiles: ſic Apollonius coram Domitiano Imperatore repente ex oculis omnium euolutus eſt, ſic etiam Gigem Plato 2. de Rep. & Cicero lib. 3. de officijs, commemorant, cum volebat, oculos aſtantium latuiſſe, quod non uirtuti annuli, quem gerebat, ut illi volunt, ſed Dæmonum artificio tribuendum eſt.

Plato.

Cicero.

Quartò

Quartò, poſſunt facere, ut ſtatuæ, & aliæ res inanimatæ incedant,ac more humano ambulent, Dæmone illas mouente,& motum moderante;ſic tripodes lapidei,& pincernæ æreæ in conuiuio apud Iarcham,præſente Apollonio, per ſe mouebantur,ſuoque loco,& tempore menſis,famulorum more,ſercula propinando miniſtrabant, ut refert Philoſtratus lib.4.cap.5.

Phyloſtratus.

Quintò, poſſunt efficere, ut ſtatuæ, arbores, animalia humano modo loquantur. Hac ratione factum eſt,ut narrat idem Philoſtratus, arborem ulmum humana uoce Apollonium ſalutaſſe, & quòd Caio Volumnio,& Seruio Sulpicio Coſſ. bos humano more locutus fuerit; & iterum, quòd in bello Punico ſecundo, Cn. Domitio à boue dictum fuerit, caue tibi Roma; atque illud reſponſum ſimulachri Iunonis Monetæ,quod,ut Valerius Max.lib.1.cap.vlt.ſcribit,cùm Romani Veios religionis ergò transferre uellent, dum interogaretur à milite, nùm Roma migrare uellet, reſpondit ſe uelle; aſinam quoque Balaam more humano locutam eſſe, Angelo articulatas uoces,& humanis ſimiles formante, in lib. Numerorum cap.22.legimus.

Valer. Max.

Num.22.

Non me latet, vi artis magicæ naturalis ſimile quid fieri poſſe; legimus enim, Albertum magnum caput ęneum,quod maxima ſpectantium admiratione loqueretur, vi artis mechanicæ ſabricaſſe; & Seuerinum Boetium, vt in Epiſt. à Caſſiadoro, ſiue Theodorico ad eum ſcripta dicitur, vi artis magiæ naturalis hęc mira feciſſe, vt metalla mugirent, æneus Anguis ſibilaret, aues ſimulatæ dulciſſimè canerent, homines ænei in aere buccinarent, & apud Aulum Gellium lib.11.cap.12. ligneam columbam mira mechanica ratione cõſtructam volaſſe. Archimedis quoque manum vi quadam multifidæ machinæ nauim onerariam etiam ingentis magnitudinis, multis hominibus ponderibuſq; impoſitis, procul ſtantem, ad ſe attrahentem; tùm Phalaridis bouem ex hominis ſubiecto igne toſti eiulatu mugitum efformantem, effundentemque, & alia quamplura, quæ conſulto relinquimus.

Admiranda quædã uirtute naturalis magiæ facta.

Caſſiodor. ſeu Theodoricus

Aulus Gell.

Sextò, poſſunt Angeli etiam mali facere, ut animalia, admirabili quadam ratione ſe ipſa moueant, eaque faciant, quæ ſine rationis vel intelligentiæ alicuius adminiculo præſtari nonpoſſunt: ſic ſerpens ille Æſculapij, quaſi intelligens, quædã rationis, ac religionis, nec non diuinitatis Romanis ſigna dabat, apud Valerium Max.lib.1.cap.8. & Leo ille manſuetiſſimus ad pedes Apollonij, more hominum ſupplicantium, humiliter ſe proſternens, apud Philoſtrat.lib.5.cap.15. quę omnia opera Dæmonum facta eſſe nemo dubitare debet.

Valer. Max.

Philoſtrat.

Septimò, artificio, ac poteſtate Dæmonis Claudia mulier Veſtalis ad ſuæ pudicitię fidem faciendam, nauim omnino immobilem, Tyberinoque ſabulo affixam, zona ſua quò nolebat, nullo labore trahebat, ſimiliter Tuccia Veſtalis, aquam Tyberis in cribro ſuſceptam, ad Capitolium uſque deportauit; Dæmonis ſcilicèt uirtute, qui & nauim occultè promouebat, & aquam ne per cribrum effluerer, tenebat: ita in hiſtorijs Romanorum legitur. Virgil. Æneid.lib.7.refert, Camillam ex gente Volſcorum oriundam, tanta fuiſſe corporis agilitate, ut per ariſtarum cacumina, ea minimè comprimendo, uelociter percurreret, atq; ſicco pede ęquoris vndas facilè transfretaret. Quę demonis potentia facta ſunt.

Virgilius.

Octauò, poſſunt facere, ut repentè globus aliquis igneus, uel flamma appareat, uel circum aliquem fulgeat, ut Plinius lib.2. cap.117. de Seruio Tullio narrat, cui dormienti ex capite flamma emicuit.

Plinius.

Nonò, poſſunt hominem in ignem coniectum ex incendio ſeruare, uel ignem reſtinguendo, vel flammas ab eo procul pellendo, uel clàm uerum ignem ſubtrahendo, & alium ſimulatum in eius locum ſubſtituendo, uel hominem ex igne ſubducendo, eiuſq; ſimulachrum ibidem ponendo, uel denique aliquod corpus frigidiſſimum illi circumponendo, ut ſic ab incendio ſaltem ad aliquod tempus defendatur, ut de Ætite, & Pyrimacho ſeù Pyrithe conſtat, qui quidem lapides eius naturę eſſe dicuntur, ut ab igne nullo modo, uel offendi, uel calefieri quidem poſſint; quod licèt ex parte ſabuloſum exiſtimandum ſit, ueriſſimum tamen eſt, eos non ſine maxima difficultate, nec niſi poſt multum temporis ignem concipere.

Decimò,poſſunt amnes dirimere,& eos retrò pellere,ità ut aquę retro fluere ui deantur,quod Plinius teſtatur ſua ętate accidiſſe,lib.2.cap.103.

Plinius.

Vndecimò, poſſunt uaria corpora diuerſimodè formata ſumere, eaque mouere,ita ut Angelus,homo, Dęmon, uel bos,aut aliud quoduis animal appareat;ſic Beato Antonio Dęmones in uarijs, horribilibuſque brutorum formis apparuerunt.

Duodecimò,poſſunt uarias figuras cuiuſcumque rei ex aere condenſato,uel ex quauis alia materia effingere, oculiſque hominum obijcere, ſicut Dęmon omnia regna Mundi Chriſto obtulit; interdum autem tales rerum imagines effingit, ut uerę,ac naturales uideantur; ſicut ſcribitur de illis uuis à Zeuſide pictis,quę adeò perfectè ueras uuas repręſentabant, ut eas ab auibus uellicatas ſcribat Plinius libro 35. cap.10.

Plinius.

Decimotertiò,poſſunt humores,ac ſpiritus,qui ſunt in humano corpore,commouere,& conturbare,partiumque compages,& connexiones diſtrahere, atque diſiungere, & ita grauiſſimos morbos, & acerbiſſimos cruciatus afferre, ut in obſeſſis ſępe cernimus.

Decimoquartò,poſſunt ſpiritus animales,qui ad interiorum ſenſuum actiones pręſtandas inſeruiunt,agitare,& componere,ut quędam uel pręſentia, uel pręterita,uel futura repręſentent:poſſunt etiam eoſdem ſpiritus,quibus ſpecies rerũ ſenſibilium extrinſecus per ſenſus exteriores impreſſę inſunt,uſque ad ipſos ſenſus exteriores deuoluere, ut etiam qui uigilant uideantur ſibi aliquid uidere, audire, & facere,quòd re uera non eſt,ut in phręneſi contingit;poſſunt ſimiliter dormientiũ phantaſmata ad repręſentandum aliqua futura,illa nimirum,quę dęmones cognoſcere poſſunt,mouere,& accommodare,ut ſic homines tàm ſomniantes, quàm uigilantes decipiant.

Decimoquintò, poſſunt immutare ſenſus exteriores,& illos dupliciter fallere, uel extrinſecus obijciendo ſenſibus uaria ſenſibilia non uera, ideſt non talia,qualia uidentur,ſed ſolas eorum imagines,& ſimulachra;uel intrinſecus commouendo ſpiritus, & humores, quorum commotione etiam ſenſus exteriores uariè afficiuntur,& turbantur,ut non rectè iudicent de ſuis obiectis,ut ſenſibus phręneſim patientum accidit.

Decimoſextò, poſſunt in homine paſſiones uarias, uel odij, uel amoris, uel timoris uehementer excitare, uel obijciendo ſpecies rerum, quę ad tales paſſiones excitandas plurimum ualent, uel interiùs mouendo phantaſmata ad ſimiles res repręſentandas, uel agitando, & accendendo humores, qui ſunt harum paſſionum materia,nimirum, uel ſanguinem,uel atram, uel flauam bilem.

Hęc ea de cauſa annumerata ſunt,ut hęreticus conuincatur, & intelligat tranſportationem Sanctę Domus ex Oriente in Occidentem, nec Deo, nec Angelis, etiam ſi uim eorum naturalem ſpectemus,impoſſibilem eſſe.Quid os hęretici contra tot miranda dicere poteſt?num contrà Dei,uel Angelorum poteſtatem inſurget? An non etiam hominibus,quibus miraculorum uirtus à Deo data eſt,auctoritas etiam transferendi montes de loco ad locum conceſſa eſt? caret hęreticus fide miraculorum,caret cognitione,atque ſcientia eorum,quę per ſe ipſos Angeli pręſtare poſſunt;caret denique charitate,ſine qua etiam fides tanta, quę montes transferat,nihil ad ſalutem ęternam ualet,dicẽte Apoſtolo; *Si habuero omnem fidem,ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Charitas neceſſaria ad ſalutem.

Miraculũ B. Virginis ex Greg.Turon.

GREGORIVS Turonenſis de Gloria Martyrum, cap.9. refert miraculum à Beata Virgine patratum(quod etiam ſuprà retulimus) in ędificatione Baſilicę à Conſtantino Imperatore in honorem eiuſdem erectæ; cùm enim columnę tã magnæ adductę eſſent, erat enim circuitus earum ſexdecim pedum, nulla arte, nulloque labore artificis eleuari poterant, mox Virgo noctu artificem monuit,ut tres puerulos è ſcholis aduocaret,qui ſumma uelocitate columnas erigerent,quod Populo magna cum admiratione ſpectante,diuina uirtute,Angelorumq; miniſterio factũfuit. Prętereà,quid dicet hęreticus,ſi miraculum in ędificatione primę Eccleſię

apud

apud Iberos factum commemoremus? Refert Ruffinus lib. 1. cap. 10. quòd in conſtructione Eccleſię, educto iã ſtrenuè murorum ambitu, erectaque prima, & ſecũda columna, tertia numquam repetitis machinis eleuari potuit, quod tamen precibus ad Deum factis, Ancilla quędam captiua, quę ibi pernoctauit, obtinuit; cum que Rex ſummo manè ad locum illum accederet, columnam, quam machinæ quamplurimæ, uireſque multorum mouere nequiuerant, erectam uidit, & ſuper baſim ſuam libratam, atque ſuſpenſam, nec tamen ſuper poſitam, ſed unius pedis ſpacio in aere pendentem, cumque ex hoc admirando, & ſtupendo facto Populus, & Regis fidem, & Chriſtianæ captiuæ Ancillæ religionem ueram eſſe faterẽtur, ecce iam, mirantibus adhuc, & ſtupentibus cunctis, in oculis eorum ſenſim ſuprà baſim ſuam, nullo contingente, columna depoſita ad amuſſim librata conſedit; reliquæ uero columnæ maxima facilitate eadem die ſuis locis collocatæ fuere. Quod miraculum referunt quoque Socrates lib. 1. cap. 16. Sozomenus libro 2. cap. 24. & Theodoret. lib. 2. cap. 6. Ruffin. Socrat. Sozom. Theodor.

Sed admirandis operibus tàm naturæ, quàm artis hæreticus iterum redarguendus eſt. Sphęram illam Archimedis uitream, in qua omnes cęleſtium Orbium cõuerſiones cũ ſuis motibus mira arte clariſſimè, perfectiſſimeq; uiſebãtur, quis nõ diuinum, aut dęmoniacum opus exiſtimaret; cùm tamẽ mechanicum artificium, humanumque inuentum extiterit? Idem Archimedes dum à Marcello maximis copijs Syracuſę oppugnarentur, ad vrbis defenſionem mirandas, formidabileſq; machinas, horrendaque telorum genera edidit, per quæ tàm ingentem hoſtibus ſtragem dabat, ut Romani non aduerſus homines, ſed aduerſus Deos dimicare ſe dicerent. Mira humani ingenij, & artis opera. Archimedes.

Verum naturæ quoque miracula hæretico obijcienda ſunt, ut Auctoris naturæ potentiam, uelit, nolit, fateatur. Plinius lib. 2. naturalis hiſtoriæ, cap. 96. recenſet, quòd iuxtà Narpaſa Oppidum Aſiæ cautes ſtat horrenda, uno digitò mobilis, eadem ſi toto corpore impellatur reſiſtens. In Taurorum peninſula, in Ciuitate Caracena terra eſt, qua ſanantur omnia uulnera. At circà Aſſon Troadis lapis naſcitur, quo conſumuntur omnia corpora, Sarcophagus uocatur. Duo ſunt Montes iuxtà flumen Indum, alteri natura eſt, ut ferrum omne trahat; alteri, ut reſpuat; itaque ſi ſint claui in calciamento, in altero auelli non poſſe, in altero ſiſti; & cap. 104. In Commageues Vrbe Samoſatis ſtagnum eſt, emittens limum (malrham vocant) flagrantem, cum quid accidit ſolidi adhæret, præterea tactus ſequitur fugientes; ſic defendere muros, oppugnante Lucullo, flagrabatque miles armis, armis ſuis, aquis etiam accenditur, terra tantum extingui docuere experimenta, & in cap. 107. In Nympheo exit è petra flamma, quæ pluuijs accenditur. Trhaſymenum lacum arſiſſe totum: in cap. 103. In Dodone Iouis fons cùm ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctę admoueantur accendit. In Illyrijs ſuprà fontem frigidum expanſæ ueſtes accenduntur. Sed quid magnete mirabilius? quæ ferrum ad ſe trahit, & acum nauticam tangens ad Septemtrionem dirigit. Quid Remora magis ſtupẽdum? hæc enim cùm piſciculus ſit, ſi nauigijs ingentibus, etiam ſi curſu uelociſſimo ferantur, adhæreat, immobilia reddit. Albertus Magnus in li. de moribus animalium, ca. 3. narrat, in Germania duos natos eſſe fratres, quorum alter, ſi propè domorum oſtia accederet, omnes ianuæ, etiam clauſæ, uerſus ſiniſtrum illius latus reſerabantur; idque è contrà alteri verſus dextrum contingebat. Sed ex eodem Plinio duo alia admiranda naturę opera commemoremus. In agro Mutinenſi duo inter ſe Montes concurrerunt, crepitu maximo ſe ſe concutientes, atque eos inter flamma, fumoque proueniente, id maximè tùm equitum Romanorum, familiarumque exterarum multitudine ſpectante, ſunt villę omnes eliſæ, atque animalia exanimata lib. 2. ca. 83. Oſtentum magnum in Agro Marrucino prædijs Vectij Manelli, anno Neronis Principatus primo, oliueta, & prata uiam publicam transgreſſa, in contrarias ſedes ſe receperunt: idem Plinius loco ſuprà citato. At fortè plura de his, quàm par erat tractauimus. Qui cætera ſcire deſiderat, legat Ariſtotelem, uel ut aliqui uolũt, Theophraſtum, in libro de admirandis auditio- Naturæ ipſius miracula contrà Vergeriũ. Plinius. Alb. Magnus. Plinius. Ariſtot. ſeu Theophraſt.

Proclus. Plinius. D.Auguſt. Alb.Magnus. Ficinus. Cardanus. Fracaſtor. Pererius.

auditionibus, & Proclum in lib.de ſacrif.& magia.Plin.in li.2. cap.84. & ſeq.D. Auguſt.libro 21. de Ciuit.Dei cap.4.5.6.& 7.Albertum Magnum lib.2.mineralium tract.2.cap.1.11.& 17.Ficinum lib.4.Theologiæ Platonis ca.2.Cardanum in lib. de ſubtilitate, & uarietate rerum, & denique Fracaſtorium in lib.de Sympathia, & Pererium lib.1.de Magia.

D.Auguſt.

Ex his ergò, quæ hactenus dicta ſunt, planè hæreticus redarguetur; qui quòd ipſe tranſportationem Sanctæ Domus,eiuſque rationem,& cauſſam non intelligat,eamdem ambiguam eſſe velit. Reddat queſo is rationem eorum,quę ſuperius enarrauimus:nec quia ratio de his reddi poteſt,falſa, vel impoſſibilia dicenda ſūt; ſic egregiè D.Auguſt.diſputans in lib.21.de Ciuit.Dei cap.5. inquit. *Hi tamen fidei reprehenſores, exactoreſque rationis,quid ad iſta reſpondent,de quibus ratio reddi ab homine non poteſt,& tamen ſunt,& ipſi rationi natura videntur eſſe contraria? quæ ſi futura eſſe diceremus,ſimiliter à nobis ſicut eorum,quæ futura eſſe dicimus,ab infidelibus ratio poſceretur,ac per hoc cùm in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis,ac ſermonis humani,ſicut iſta non ideò non ſunt;ſic non ideò etiam illa non erunt,quoniam ratio de vtriſque ab homine non poteſt reddi.* Hæc Auguſt. Et ſi immundi Dæmones hæc poſſunt, quanto potentiores ſunt Angeli? quanto potentior his omnibus Deus,qui tantorum miraculorum effectores etiam ipſos Angelos fecit? quocircà in rebus miris

D.Auguſt.

ſumma ratio credendi,eſt omnipotentia Creatoris,vt optimè idem Auguſt.in calce eiuſdem ſeptimi Cap.concludit. *Quæ*,inquit,*melior,& validior ratio de rebus talibus redditur, quàm cùm omnipotens ea facere poſſe perhibetur, & facturus dicitur, quæ prænunciaſſe ibi legitur, vbi alia multa prænunciauit,quæ feciſſe monſtratur? Ipſe quippè faciet;quia ſe facturum eſſe prædixit,quæ impoßibilia eſſe putantur,qui promiſit,& fecit, vt ab incredulis gentibus incredibilia crederentur.* Sic Auguſt. Integra igitur,& illeſa remanſit hæc ſancta Domuncula, vſq; ad ea tempora,in quibus tranſlata eſt, Deo ſic volente,& protegente,quemadmodum ſepulchrum, & multa alia loca ſancta in Palæſtina.

Niſſenus. Theodorus lector.

Narrat Gregorius Nyſſen.in vita Gregorij Thaumat.& Theod.lector libro 2. Collectan.quòd cùm ex terræmotu Ciuitas Neocæſarea in ponto funditùs euerſa fuiſſet,publicaque,& priuata ædificia diruta eſſent; Eccleſia tamen,quam idem Greg.ibidem publico fidelium ſumptu erexerat, illæſa,atque integra permanſit, quod non ſine Dei miraculo,& prouidentia factum eſſe aſſerendum eſt; quinimmò cùm Dioclitiani edicto omnia Chriſtiana templa proſtrata eſſent, illud intactum permanſit,ac cunctis in eo Dei patrocinium admirantibus,etiam temporibus Nyſſeni integrum viſebatur. Quid igitur mirum ſi templum Conceptionis Chriſti,ſubuerſa Palęſtina,illęſum remanſit? nec difficile fuit Legatis relicta fundamenta reperire,cùm locus Conceptionis Chriſti famoſiſſimus in illis partibus eſſet,ampliſſimaque æde circumdatus, vt ſuperiùs dictum eſt.

Matth 17. Marc 11. Senſus verborum Chriſti Dñi de tranſlatione montium, ex Patribus. D.Hieron.

Sed dubitare quis poſſet, in quo ſenſu accipienda ſint verba Domini, Matthæi 17.& Marci 11. *Si habueritis fidem, tamquam granum ſinapis,dicetis monti huic, tranſi hinc,& tranſibit, & nihil impoßibile erit nobis.* D.Hieron. in præfatum locum Matthæi,interpretatur hanc Montis translationem metaphoricam eſſe, & per Montem Dæmonem intelligit, qui Chriſti imperio,& auctoritate ab obſeſſis corporibus tranſit;additque nec Apoſtolos, nec alios credentes Montes tranſtuliſſe. *Putant*, inquit, *aliqui fidem grano ſinapis comparatam paruam dici, quòd Regnum Cælorum grano ſinapis conferatur,cùm Apoſtolus dicat;& ſi totam fidem habuero,ita ut Montes transferam. Ergò magna eſt fides, quæ grano ſinapis exæquatur. Montis tranſlatio non eius ſignificatur,quem oculis carnis aſpicimus,ſed illius,qui à Domino tranſlatus fuerat ex Lunatico,quod enim ait;Dicetis Monti huic,Tranſi hinc,& tranſibit:de Dæmone intelligitur. Ex quo ſtultitia coarguendi ſunt,qui contendunt, Apoſtolos,omneſque credentes,ne paruam quidem habuiſſe fidem;quia nullus eorum Montes tranſtulerit,neque enim tantùm prodeſt montis de alio in alium locum tranſlatio,& uana ſignorum quærenda non eſt oſtentatio, quantùm in utilitate omnium iſte mons transferendus eſt, qui per Prophetam dicitur,corrumpere omnem terram, Hierem. 51.*

Ierem. 51.

D.Auguſt.

D. Auguſt. in enarratione Pſalmi 45. ſuper illa uerba, *Transferentur Montes in cor Maris*, hanc eamdem ſententiam Matthæi pertractans, exiſtimat, per Apoſtolos montem tranſlatum eſſe, quoniam Chriſtus, qui eſt mons Domini præparatus in uertice montium, per fideliſſimam eorum prædicationem à Iudæis ad gentes tranſlatus eſt, iuxtà illud Pauli Actorum 13. *Ad uos miſsi eramus; ſed quia reſpuiſtis verbum Dei, imus ad gentes*; & tunc tranſlati ſunt montes in cor maris, verè enim gentes crediderunt montibus, ut in corde maris eſſent montes illi, non ſicut Iudæi, de quibus dictum eſt: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me:* quam eamdem expoſitionem tradit D. Greg. lib. 9. moralium cap. 2.

D. Auguſt.
Actor. 13.
D. Gregor.

Vervm hæ interpretationes metaphoricæ ſunt, nec ſenſum literalem ſapiunt, ut optimè dixit Ianſenius in cap. 68. ſuæ concordantiæ. D. Auguſt. de ſpiritu, & litera ad Marcellinum tom. 3. cap. 35. ſcribit, hanc montium tranſlationem numquàm factam eſſe; quamuis impoſſibilis non ſit; *Poteſt*, inquit, *& de monte illo, quem fides in mare transferret, quod tamen nuſquam factum, uel legimus, uel audiuimus. Quis enim eorum aliquid Deo dixerit eſſe impoſsibile?* & infrà, *ecce quemadmodum ſine exemplo eſt* (de tranſlatione montis loquitur) *in hominibus perfecta iuſtitia, & tamen impoſsibilis non eſt*. Reſpondet autem, quòd & ſi factum non ſit, id non ad impoſſibilitatem, ſed ad Dei iudicium pertinet. D. Chryſoſt. homil. 58. in Matthæum circà medium, in eadem eſt ſententia, ſic ſcribens. *Si verò quiſpiam dicet, & quando montes tranſtulerunt? Reſpondebimus, quia multa maiora fecerunt; multos enim mortuos excitauerunt; æquale quippè non eſt, montes tranſponere, & animam hominis reuocare; Dicunt autem nonnulli, poſteà ſanctitate illis multo minores id re poſtulante feciſſe. Vnde patet, quia ſi opus fuiſset, montes quoquè tranſtuliſſent; ideo non dixit tranſponetis omninò montes, ſed tranſponere poteritis; ſi autem non fecerunt, non eſt argumentum impotentiæ, maiora enim ab ipſis facta non ignoramus, ſed quoniam res non poſtulauerat, noluerunt; quamuis poſsit etiam aliquid tale factum eſſe, & non ſcriptum, non enim omnia miracula Sanctorum conſcripta ſunt*. Hæc Chryſoſt. & benè; etſi enim Apoſtoli fortè montes non tranſtulerint, non tamen negandum eſt, eos umquam talem fidem, & uirtutem habuiſſe, qua Montes transferre poſſent, inquit enim Dominus, *Si dixeritis monti huic*; & ideò Apoſtoli montes non tranſtulerunt, quoniam non iuſſerunt, cùm id nec utilitas, nec neceſſitas Eccleſiæ ad Dei gloriam fieri eo tempore exigeret, ob quam ſolam miracula ſunt facienda; hanc autem tranſlationem impoſſibilem non eſſe apertis uerbis Dominus ibidem docet, dicens; *Et nihil impoſsibile erit vobis*. Id autem à Chriſti fidelibus in Chriſti nomine, & virtute factum etiam fuiſſe, ſuprà re ipſa demonſtrauimus, huius rei clara exempla referendo. *Certè*, inquit. Auguſtin. ad Marcellinum, *uobis dixit, non mihi, aut Patri, & tamen hoc nullo modo facit homo; niſi illo donante, & operante*. D. Chryſoſt. ideò grano ſinapis hanc ſignorum virtutem comparari à Domino dicit, *Quoniam eius maxima virtus eſt, & cùm minima ſit ſinapis, magnitudine virtutis cæteris omnibus uehementior eſt. Vt igitur oſtenderet ſincera fidei minimum ingentia poſſe, ſinapis mentionem fecit, neque hic ſtetit, ſed Montes addidit, & vlteriùs progreſſus, nihil, inquit, uobis erit impoſsibile*. Sic Chryſoſt.

Ianſen.
D. Auguſt.
D. Chryſoſt.
Apoſtolorũ fides perfecta licet ipſos, mõtes tranſtuliſſe nõ legam⁹.
Mõtium realis tranſlatio non eſt impoſſibilis.
Auguſt.
D. Io. Chryſ.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Ad Decimumquintum Argumentum reſponſio.

Errat Hæreticus, dum exiſtimat, uel potius doloſè confingit, ut dignitati, & auctoritati Deiparæ deroget, Virginem miracula facere mediante illa Camera; cùm virtus ea operandi non niſi à filio obtineat, nec ab vlla creatura illam mutuetur. Ea profectò differentia eſt inter miracula Chriſti, & Sanctorum; quòd à Chriſto fiebant propria virtute; *Virtus*

Chriſtus virtutæ propria, ſãcti vero alij

enim

virtute ab ipſo accepta edunt miracula. Marci 5. Actor. 3. & 4.

enim de illo exibat, & ſanabat omnes, ab Apoſtolis verò, cæteriſque Sanctis non ſic,
ſed in nomine Iesv Chriſti, à quo omnem virtutem ſigna, & prodigia faciendi in
populis acceperunt, Marci 5. *In nomine meo Dæmonia ejicient*, &c. & Actor. 3. Po-
trus dixit claudo, *In nomine Iesv Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*, &c. & capite
4. interrogantibus, in qua uirtute, aut in quo nomine fecerit huiuſmodi miraculū,
reſpondit. *Notum ſit vobis, & omni Plebi Iſrael; quia in nomine Iesv Chriſti Nazare-
ni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſa-
nus*; & in eodem cap. 4. ſic orauerunt Apoſtoli; *Et nunc Domine reſpice in minas eo-
rum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam ex
tendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti filij tui* Iesv, & alijs in-

Damaſcen. Matth. 1. D. Thom.

numeris in locis hanc veritatem reperies. Lege Damaſcenum in lib. contrà Neſto
rium, vbi obſeruat hanc differentiam faciendi miracula inter Chriſtum, & alios
Sanctos; ſicut autem Chriſtus vnumquodque miraculum propria virtute, & au-
ctoritate fecit, iuxtà illud Matth. 1. *Quænam doctrina hæc noua, quia in poteſtate ſpi-
ritibus immundis imperat, & obediunt ei?* ita è contrà Sancti, atque etiam Beata Vir-
go poſt mortem, (nullum enim in vita ſignum fecit, vt D. Tho. 3. par. quęſt. 27. ar.
5. ad 3. docet, & nos in lib. 1. de Fuga diſput. 1. quæſt. 2. dub. 4. fusè diſputauimus)
nullum miraculum ediderunt, niſi in Chriſti virtute; cùm enim uirtus naturalis
creaturarum nulla ſit, quæ effectum miraculorum attingere poſſit, conſequitur,
quòd ſola diuina virtute vera miracula fieri poſſint, cùm ſolus Deus naturæ ordi-

D. Thom. Etiam improbi interdū in Chriſti noīe miracula faciunt. D. Thom. D. Auguſt. D. Gregor. D. Auguſt.

nem immutare poſſit, quod pertinet ad rationē miraculi, ut tradit D. Tho. 3. par.
quæſt. 43. art. 2. Vnde effectus miraculorum ſoli Deo principaliter attribuitur, cę-
teris autem, ut inſtrumentis atque miniſtris Dei. Qua etiam ratione fit, quòd etiā
mali, & iniqui homines, virtute tamen Dei, atque in nomine Chriſti, miracula o-
perari poſſunt, vt D. Tho. docuit 1. par. quęſt. 110. art. 4. ad 2. & 2. 2. quęſt. 178. art.
4. ad 3. D. Auguſt. lib. 83. quæſt. quæſt. 79. & D. Greg. lib. 20. moral. cap. 9. ubi di-
cit, quòd etiam hæretici poſſunt facere miracula, non quidem ex proprio opere,
ſed diuina virtute, nempè ſigno aliquo Iuſtitiæ, ut Crucis, aquæ benedictæ, uel me
diantibus ſacramentis. Vndè rectè infert D. Auguſt. lib. 5. contrà Donatiſtas ca.
20. Baptiſmum collatum ab hæretico reiterandum non eſſe, cùm illud non ſit hæ
reticorum opus, ſed Chriſti, in cuius nomine, atque virtute confertur, Deus au-
tem ſemper reſpicit in faciem Chriſti ſui.

Diſcrimina inter B. Virginē & alios Sanctos in faciendis miraculis. B. Virgo non viuēs, ſed poſt mortē miracula edidit. Andreas Creten. Damaſcen. Metaphraſt. Damaſcen. Andreas Creten. D. Athanaſ.

In edendis autem miraculis inter B. Virginem, & alios Sanctos, aliquod diſcri-
men conſtituendum eſt. Ac primùm, quoniam maior uirtus, ſeù amplior gratia
miraculorum tàm intenſiuè, quàm extenſiuè à Deo communicata eſt Virgini,
quàm cęteris Sanctis; quamuis enim dum uiueret, ut diximus, non habuerit uſum
huius gratiæ, cùm non eſſet baiula doctrinæ Chriſti, in cuius gratiam miracula
fiunt; tamen ſtatim poſt obitum multa miracula operatam eſſe, ut uſque ad mun-
di finem operaturam; nemo, qui fidem catholicam tenet, negare poteſt. Andreas
Cretenſis in ſerm. de aſſumptione, Damaſcenus in ſerm. 1. de aſſumptione, & Si-
meon Metaphraſtes de vita, & dormitione Deiparę, ſcribunt, corpus B. Virginis
ſtatim poſt obitum eius multa miracula patraſſe, & ſepulchrum eius ſolum quia
corpus illud aliquo tempore habuit, miraculis illuſtre fuiſſe. Vndè rectè idem Da
maſcenus in ſerm. 1. de Natiuitate Virginis, eam vocat abyſſum miraculorum, &
Andreas Cretenſis loco citato, dicit, illam miraculorum effectricem poteſtatem
habentem, quæ nequeat labefactari, & D. Athanaſ. in ſerm. de Deipara dicit, Vir-
ginem omnibus gratijs abundaſſe.

Excellentia B. Virginis ſuper alios ſanctos, & Angelos, præcipuè in impetratione gratiarum

Secvndo quoniam hodie, cùm Beatiſſima Virgo ad filium in Cœlum aſſum-
pta, illi coniunctiſſima ſit, atque in omnibus alios Beatos excedat, ſingularemque
Chorum ſub Chriſto in beatitudine, ſpecialemque ſedem in Cœlo conſtituat, fit,
ut citiùs, & pleniùs impetret, & obtineat à filio effectiones miraculorum, quā cæ-
teri Sancti. Qui igitur pro aliqua ſua neceſſitate ad Beatiſſimam Virginem ſe con-
uertit, celeriùs à Deo exauditur per Virginis interceſſionem, quàm ſi à quocum-
que alio Sancto id peteret, hoc eſt enim priuilegium Matris, ut à filio excellentio

ri modo, quam alij Sancti quicquid voluerit obtineat. Ad hanc rem dilucidandam nonnulla Patrum teſtimonia adducamus.

D. Auguſt.

Divvs Auguſt. in ſerm. 35. de Sanctis, alloquens Virginem ſic ſcribit, tom. 10. *Has ergò tuas fœlicitates poſsidens, conuertere ad noſtrarum miſeriarum ſalutem; inter hæc igitur fratres cum tota mentis affectu Beatiſsimæ Virginis nos interceſsionibus committamus, omnes eius patrocinium, omni niſu imploremus, ut dum nos ſupplices eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedula prece commendare dignetur in Cælis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus libertatis impendere ſuffragium.*

Germanus.

Germanvs Conſtantinopol. in ſermone de Zona Virginis; *Omnia*, inquit, *tua admirabilia ſunt ò Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires ſuperantia, propterea, & patrocinium tuum maius eſt, quàm intelligentia apprehẽdi poſsit*; & paulò poſt, *Potens eſt tuum auxilium ò Deipara ad ſalutem, & non indiget aliqua alio ad Deum interceſſore.* Hęc ille. Quo uerbo indicat, Virginem non uti alijs Sanctis interceſſoribus apud Deum, ſed alios potius ad Virginis interceſſionem confugere.

D. Bonauent.

Divvs Bonauent. in ſpeculo Mariae, ex ſcripturæ, & Sanctorum Patrum ſententijs nonnulla colligit, quæ ad hanc laudẽ Virginis accommodat, & cap. 8. hęc ait. *Quia Dominus potẽtiſsimè tecum eſt, ideo & tu es potentiſsima ſecum, potentiſsima es per ipſum, potentiſsima apud ipſum, ita ut verè dicere poſsis illud Eccleſiaſt. 24. In Hieruſalem poteſtas mea*, deinde refert uerba Anſelmi dicentis. *Exaudi pia, adeſto propitia, adiuua potentiſsima.* D. Bernard. in ca. 12. citat, dicentem. *Quis miſericordia tua, ò benedicta, longitudinem, & latitudinem, & ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare?* pulchrè quoque in cap. 5. uerba illa Pſal. 41. Virgini accõmodat, *Abyſſus abyſſum inuocat*, & exponit ſic, ideſt mater filium pro nobis, citatque Auguſtinum de Virgine dicentem; *Sicut apud Deum eſt potentior, ita & præ omnibus Sanctis, eſt pro nobis ſollicitior.* Vnde Gregorius Nicomedienſis Virginem appellauit omnipotentem.

Eccleſ. 24.

Pſal. 41.

Greg. Nicom

D. Anſelm.

D. Anselmvs de laudibus Virginis cap. 12. ait. *Te ſic Deus exaltauit, ut omnia ſecum poſsibilia eſſe donauerit; & deinde tu uelis, & nequaquam fieri non poterit.* Multas alias auctoritates congerit Suarez tom. 2. quæſt. 37. diſput. 23. ſect. 2. vbi hoc corollarium notatu dignum deducit, Virginis interceſſionem eſſe omnium efficaciſſimam, atque in hac efficacia, & poteſtate intercedendi non ſolum Sanctos ſingulos, ſed totam Cęleſtem Curiam ſuperare. Vnde ſi per impoſſibile tota Cęleſtis Curia reſiſteret ei, quod ſola Virgo à Deo poſtulauerit, (ſicut unus Angelus apud Danielem alteri reſiſtebat) potentior eſſet, maioriſque valoris, & efficaciæ Virginis oratio apud Deum, quàm omnium reliquorum Sanctorum, & Angelorum. Vndè Petrus Damianus in ſermone ſecundo de Natiuitate Mariae, *Fecit*, inquit, *tibi magna, qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra, & nihil tibi impoſsibile, cui poſsibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa poteſtas potentiæ tuæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? accedis enim ad illud aureum reconciliationis humanæ altare, nõ ſolùm rogans, ſed etiam imperans; Domina, non Ancilla*; Hæc ille: cuius hæc poſtrema uerba ad exaggerandam efficaciam interceſſionis Virginis non propriè, ſed per metaphoram dicta ſunt, ſicut & illud Ioſuè 10. *Obediẽte Deo uoci hominis*: nec enim creatura Creatori imperare poteſt, ut rectè Caniſius li. 5. cap. 11. Et ideò Eccleſia frequentius, & altiori quodam modo orationes ad Virginem facit, quàm ad alios Sanctos.

Suarez.

Efficaciſſima eſt B. Virginę interceſſio ſuper oẽm Cęli curiam ſimul coniunctam.

Petr. Damia.

Omnipotẽtia quædã in precibus B. Virginis.

Ioſuè 10.

Caniſius.

Etiam pro rebus temporalibus rogam B. Virginem.

S. Ephræm.

German.

Petimus autem à Virgine non ſolum auxilia ſpiritualia, ſed etiam temporalia. Vndè Ephræm in oratione ad Virginem uocat illam peccatorum auxilium, & indigentium apud Deum adiutricem, & illam iterum ſalutandò ait, *Aue Vallum fidelium, & Mundi ſalus; Aue tranquille Portus, Aue refugium peccatorum, & hoſpitium, Aue propitiatorium laborantium*: Et Germanus in citato loco, *Quis*, inquit, *poſt tuum filium curam gerit generis humani ſicut tu? Quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? Quis in ſupplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus?*

Tertiò, quoniam cauſſa vniuerſalis magis influit, ac operatur, quàm particularis; atqui

ris, atqui Beatá Virgo, ut cauſſa vniuerſaliſſima eſt, ad quam omnia creata, ſiuè naturalia, ſiuè ſupernaturalia referuntur. Nec gratiæ cuiuſcumq; ordinis, etiam gratis datę, ulli conceduntur, niſi per MARIAM. Vndè Bernardus in ſerm. qui incipit. *Signum magnum*, inquit, *Totum nos habere voluit per* MARIAM; Germanus loco citato; *Nullus enim eſt, qui ſaluus fiat, niſi per te Virgo Sanctiſſima. Nemo eſt qui liberetur à malis; niſi per te ò puriſſima. Nemo eſt, cui donum concedatur; niſi per te ò caſtiſſima. Nemo eſt, cui miſereatur gratia; niſi per te ò honeſtiſſima*, & D. Bonauent. in ſpeculo MARIAE cap. 6. *Quid mirum*, inquit, *ſi omnis gratia ad* MARIAM *confluxit, per quam tanta gratia ad cæteros defluxit? ſicut enim Eua per inobedientiæ, & incredulitatis peccatum omnia mala animæ, & corporis innexuit in homines, ſic per* MARIAE *obedientiam, & fidem omnia bona, & ſpiritualia, & terrena hominibus communicantur*. Lege Irenæum li. 3. contrà hæreſes cap. 33. & Hieron. in Epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis. Quocircà à D. Bernardo in ſerm. de Natiuitate B. MARIAE, rectè in Eccleſia Chriſtus dicitur fons gratiæ, Beata autem Virgo aquæductus, reliqui verò Sancti riuuli; ut ſic meritò quantum diſcrimen inter eos ſit, cognoſcamus; atque alio in loco, Virgo ueluti collum Corporis Eccleſiaſtici, per quod influentiæ capitis ad corpus deſcendunt, nuncupatur; & D. Bonauent. in cap. 8. de laudibus Virginis, illam dum in terris eſſet Lunæ, nunc autem in Cœlis exiſtentem Soli aſſimilat, adducens illud Ruth 2. *Benedicta es à Domino filia, quæ priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti. Magna*, inquit, *erga miſeros fuit miſericordia* MARIAE *adhuc exultantis in mundo, ſed multò maior erga miſeros eſt miſericordia eius iam regnantis in Cœlo. Vnde pro ſplendore prioris miſericordiæ fuit pulchra vt luna, pro ſplendore verò poſterioris miſericordiæ eſt electa ut ſol; Nam quemadmodum ſol lunam ſuperat magnitudine ſplendoris, ſic priorem* MARIAE *miſericordiam ſuperat magnitudo poſterioris*. Sic Bonauent. Sicut enim ſol vniuerſalitate ſuæ efficientiæ, motus ſcilicèt, & luminis in omnes res ſublunares influit, nec effectus ullus corporatus cauſalitatem eius effugere poteſt; ſic MARIA omnibus ſalutaris, & utilis eſt. Vnde Bernard. in ſerm. de Natiuit. MARIAE, ſignificans, nullum gratię donum communicari hominibus; niſi per MARIAM, hæc inter alia ſcribit. MARIA *omnibus facta eſt ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima, Charitate ſe debitricem effecit; omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, ut de plenitudine eius accipiant uniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator ueniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam; denique filij perſona humanæ carnis ſubſtantiam, vt nemo ſit, qui ſe abſcondat à calore eius*.

Nulla conceditur nobis gratia, niſi p Mariam.
D. Bernard.
Germanus.
D. Bonauent.
Irenæus.
Hieron.
D. Bernard.
Chriſtus fons gratiarũ, Maria aquæductus, alij ſancti ſunt riuuli.
D. Bonauent.
Ruth 2.
Simile.
D. Bernard.

Hinc ſequitur, Beatam Virginem uidere in Verbo quicquid Angeli, & puri homines uident, habereque omnium ſingularium, & indiuiduorum, quæ omnes, & ſinguli Beati uident, ad eorumque ſtatum aliquo modo pertinent, cognitionem; quæcumque enim ſpectant ad ſtatum omnium, & ſingulorum Beatorum, eminentiori quadã ratione ad ſtatum Virginis pertinẽt, eſt enim gratiarum, ac donorum vniuerſalis cauſa, ad quam omnia, quæ ad ſingulos attinent, referuntur. Cùm enim ſit Mater uiuentium, Regina Beatorum, & omnium rerum Domina, ut D. Athanaſius de Sancta Deipara, Anſelmus lib. de excellentia Virginis cap. 9. & Auguſt. in ſer. 35. de Sanctis, loquuntur, fit ut ad eius ſtatum, & dignitatem competant omnia, quæ ad ſingulos ſubditos, ſeruos, ac ſpirituales eius filios pertinent; ſed de hac re lege copioſiùs Suarez loco citato.

Quid B. Virgo videat in verbo.
Athanaſ.
Angel.
Auguſt.
Suarez.

QVARTO, quoniam cùm Deus amet plus Beatam Virginem, quam omnes reliquos Sãctos, & cunctas alias creaturas, (talis enim amor Matri debetur, ut etiam Anſelmus in lib. de excellentia Virginis cap. 4. demonſtrat) operæprætium eſt, ut eius interceſſionem celeriùs exaudiat, ac illius intuitu, & contemplatione ampliora dona mortalibus concedat. Abulenſis 1. prologo in Matth. quęſt. 19. dixit, Chriſtum plus amare Eccleſiam, quàm Matrem ſuam; illamque incomparabiliter maioris æſtimationis eſſe apud Chriſtum, quàm iſtam. Sed errauit, nam præciſè ſumendo Eccleſiam ſine MARIA (in quo ſenſu comparandę ſunt) abſque dubio excellentior fuit amor Chriſti ad matrem, quàm ad quamcumque aliam creaturam ut Anſel. loco citato oſtendit, inquiens. *Amor erga Matrem, quo nullum putemus*

Amor Dei erga B. Virginem.
Anſel.
Abulen.
Anſelm.

mus eſſe poſſe maiorem. Vnde redempti o Virginis ſuit magis intẽta à Chriſto quã reliquorum omnium, ut D. Bernardinus in ſerm. 15. de ſeſtiuit. Virginis cap. 3.

D. Bernardinus.

Dicet hæreticus, & glorię Dei, & Chriſti meritis derogari, ſi ad Virginem tamquam mediatricem accedamus. Nonne maiorem fiduciam oſtenderet homo, ſi immediatè ad Deum accederet? Reſpondemus, uerum eſſe omnia nobis à Deo per Chriſtum donari, qui enim dedit nobis filium ſuum, quomodo cum illo omnia nobis nõ donauit, ut inquit Paulus? Immò in Chriſtum reſpiciẽs, nobis per ipſum omnia in principio creauit, ut ait Ioannes. Neque tamen huic ueritati repugnat, multa nobis à Deo concedi patrocinio, & interceſſione B. Virginis, & Sanctorum, ut alibi oſtenſum eſt; quod enim petimus à B. Virgine, & à Sanctis, per Chriſtũ tãquã noſtrũ mediatorẽ, Pontificem & aduocatum, ac Redemptorem petimus. Similiter dicendum eſt, ad Deum immediatè accedere aliquando bonum, ac expediens eſſe; attamen, quòd interdum per Virginem, vel Sãctos accedamus, etiam illi gratiſſimum, ac nobis conuenientiſſimum eſt, ob plures cauſſas. Primò ob maiorem reuerentiam Diuinę Maieſtatis. Vnde D. Bernardus in ſerm. de Natiuit. MARIAE, perbellè ait, *Ad Patrem verebaris accedere, IESVM tibi dedit mediatorem, ſed forſan & in ipſo maieſtatem uereare diuinam? Aduocatum uis habere ad ipſum? ad MARIAM recurre.*

Oĩa nobis à Deo p Chriſtũ præcipuè donãtur, & ẽt per Mariam.

Nobis conuenientiſſimum & gratiſſimũ eſt Deo, ut illum per ſanctos, pręcipuè verò p B. Virginem, deprecemur ob plures cauſſas.

D. Bernard.

Secũdò, ob Matris honorem, ut enim Deus propter Abraham, Iſaac, ceteroſque ueteres Patres multa Populo hębręo conceſſit, Geneſ. 20. ſic ob Mariæ interceſſionem, & honorem multa nobis tribuit, ſic de Iob 42. dicitur; *Iob autem orabit pro Vobis ſeruus meus, faciem eius ſuſcipiam.*

Geneſ. 20.

Iob 42.

Tertiò, ut dignitas interceſſoris inopiam, & infirmitatẽ noſtram ſuppleat. Virginem enim, uel Sanctos interpellare non eſt de Diuina miſericordia diffidere, ſed de propria indignitate, & indiſpoſitione timere. Lege Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus eſt, ibi, *Si criminum immanitate iactatus, &c.* Riccard. Victorinum cap. 32. in Cantica.

D. Bernard.

Riccardus de Sancto Victore.

Ex his, quæ dicta ſunt, ſequitur primò, Beatam Virginem præ omnibus Sãctis à nobis interpellandam eſſe; eſt enim eius oratio dignior, & efficacior, ut declarauimus: eſt quoque uniuerſalior, quicquid enim alij Sancti impetrant, per Virginẽ aliquo modo impetrant, cùm ſit mediatrix ad mediatorem. Deinde conſentaneũ eſt, ut quicquid Deo nos offerre velimus, per Virginem offeramus, ut ociùs exaudiamur, ut admonet D. Bernardus in Epiſt. 174. *Vt eodem,* inquit, *alueo ad largitorẽ gratia, gratia redeat, quo fluxit.* Hinc illud iure optimo emanauit, ut ad alicuius Sãcti gratiam nobis conciliandam, ſuffragio alterius Sancti non utamur, cùm eiuſdem ordinis ſint; ad Mariam autem etiam alios Sanctos, ut interceſſores adhibemus; atque hoc ſenſu cęteris Sanctis Angelicam ſalutationem recitamus, ut illi noſtro nomine Virgini offerant. Pręterea hinc conſuetudo illa Eccleſiæ emanauit, ut B. Virginem clariſſimis epithetis, præſtantiſſimiſque ſententijs ſalutemus, illam appellando, Matrem miſericordiæ, uitam, dulcedinem, ſpem noſtram, & ſimilia. Hinc denique ortum eſt, ut publica etiam oratione frequentiùs, ac pluries in eodem die B. Virginem Populus Chriſtianus deprecetur. Quapropter non uirtute parietum Sanctę Domus, ſed uirtute Dei B. Virginem miracula in loco ſuæ Domus facere, oſtenſum eſt; eiuſque interceſſione gratias à Deo nobis cõcedi, decereque nos Chriſtianos pręomnibus Virginem orare, ut à IESV Chriſto eius filio quod petimus quantociùs nanciſcamur, quod eo certiùs, & efficaciùs fiet, ſi ut Bernardus dixit, nos illam poſt Deum amemus, & imitemur.

B. Virgo ſup oẽs Sanctos à nobis inuocãda.

D. Bernard.

Alios Sãctos apud Mariã interceſſores adhibemus cũ ante illos recitamus, Aue Maria.

Honorificæ Eccleſiæ ad Mariã Virginem precea.

D. Bernard.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Ad Decimumſextum Argumentum reſponſio.

Vota ſuſpenſa in templo Lauretano fidem certam miraculorum faciunt.

SVMMAM fidem miraculorum, ac gratiarum, quas fideles recipiunt in templo Lauretano à Deo per interceſſionem B. Virginis, irrefragabiliter atteſtantur tabellæ uotiuæ, ueſtes, pecuniæ, cerei, & alia, quæ ibi offeruntur, atque in columnis, ſacriſque parietibus appenſa cernuntur. Mos iſte ſuſpendendi Tabellas uotiuas, & alia, quæ diximus, ex Theodoreto lib. 8. ad Græcos, (qui eſt de Martyribus,) habetur, ubi poſtquàm dixerat, à Martyribus varia peti debere, uerſus finem ſubiungit, *Piè, fideliterque precatos ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ uotorum rei perſoluunt; nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij manuum ſimulachra ſuſpendunt ex argento, auroue confecta, gratiſſimè namque accipit eorum Dominus qualiacumque ſunt dona, nec exigua, nec uilia dedignatur, quippè qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morborum depulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitate conſequutis allata: hæc inquam ſepulchrorum ibi Martyrum, quæ ſit uirtus, oſtendunt. Martyrum autem virtus, quem ipſi coluerunt Deum, uerum eſſe Deum declarat.* Vbi uides etiam ex præcioſa, & nobili materia huiuſmodi vota offerri.

Vnde deſumptus ſit vſus ſuſpendendi uota. Theodor.

Probatur cõſuetudo ſuſpẽdẽdi tabellas & vota in tẽplis.

Eſt aũt hæc conſuetudo in ſumma æquitate, atque vtilitate fundata; æquũ.n. eſt, ac decentiſſimũ, ut beneficiorũ receptorũ memoriã habeant Chriſtiani, quod etiã in humanis fieri honeſtiſſimum eſt, huiuſmodi enim monumentis teſtimonium accepti beneficij intra hominum mentes in ſæcula perſeuerat. Quòd ſi præliorum pericula, ex quibus miles euaſit, uel etiam pugnas ipſas picturę ad perpetuam memoriam committere fas eſt; vndè D. Chryſoſt. tabulam habebat continentem picturam cędis Aſſyriorum, ut in 2. Nicæna Synodo actione 4. Cur non etiam curationes ſanitatum, periculorum euaſiones, & ſimilia in templis depictas Chriſtianis ſuſpendere conſentaneum erit? Plurimæ prætereà ex hac conſuetudine utilitates emanant; huiuſmodi enim tabellæ in Templis ſuſpenſæ conſeruant in nobis Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum memoriam, docentque ad eos, tamquam ad Patronos, in anguſtijs, & tribulationibus confugiendum eſſe. Amplius Confeſſio fidei in eis relucet; per illas enim profitemur, Sanctos apud Deum potenter intercedere pro nobis, eorumq; tutelam, atque præſidium nobis impertiri: ſplendet quoque in illis honor Dei, & Sanctorum; cùm imagines, in quibus effectus diuinę poteſtatis apparent, publicè, ac palàm in religioſis locis pendentes proponuntur: denique alij excitantur ad pietatem, & religionem ergà Deum, & Sanctos; cùm enim uident tam ingentia beneficia, uires cauſarum naturalium excedentia, à Deo, & Sanctis nobis mortalibus elargiri; vnuſquiſque ſtudere decernit, ut amicitiam illorum ſibi conciliet, ut idoneus reddatur ad ſimiles gratias obtinendas.

D. Chryſoſt. Synod. Nic. 2.

Vtilitates plurimæ huius cõſuetudinis.

Blõdus hiſto.

BLONDVS fideliſſimus rerum Italicarum ſcriptor, in libro de Italia illuſtrata, regione quinta, ſic de B. MARIAE Lauretano Sacello ſcribit. *Recinetum inter, & Adriaticum Mare, paululum a Muſione recedit celeberrimum totius Italiæ, ut in aperto, immunitoque uico, Sacellum Glorioſæ Virginis Mariæ in Laureto appellatum, quo in loco preces ſupplicantium à Deo Genitricis ſuæ interceſſione exaudiri, illud maximum, certiſſimumque eſt argumentum, quòd eorum, qui uotis emiſſis exauditi fuerunt, ex auro, argento, cera, pannis, linea ueſte, laneaque appenſa donaria magno tuenda pretio, Baſilicam que omnem penè complentia, Epiſcopus in Dei, Virginiſq; gloriam intacta conſeruat.* Hęc Blondus. Donaria quoque appendi in templis docuit Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus in 2. Nicęno Concilio Actione 4. & Paulin. in Natalitio 3. Sancti Felicis his uerſibus eleganter cecinit.

Sophronius.

Paulinus.

Aurea nunc niueis ornantur limina uelis,
Clara coronantur denſis Altaria lychnis,
Limina ceratis adolentur ad ora papiris,

Nocte,

Nocte, dieque micant; ſic nox ſplendorque diei
Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis;
Aſt alij pictis accendant lumina ceris
Multiforesque cauis lychnos laquearibus aptent,
Vt uibrent tremulas funalia pendula flammas.

Quicquid tamen donariorum, aut oblationum fit à fidelibus in Eccleſia, Deo principaliter fit: quòd ſi aliquando in commodum miniſtrorum cedit, id totum ad ipſum Deum pertinet, cùm & ipſimet miniſtri ſerui ſint Dei. Herbrandus hęreticus in hac re quoque peccauit, atque donaria in templis ſuſpenſa damnauit. Sed optimè refellitur à Greg. de Valentia in lib. 2. Apologetico de Idolatria, cap. 6.

Oblationes fiunt Deo, licet in vſū honeſtum miniſtrorum cedere etiam debeant.

Greg de Val.

Quod autem Vergerius addit, ſæpe illos mentiri, qui illa offerunt, & Sacerdotes ipſos ob ſpem lucri illa ſupponere, uel fingere; craſſiſimum eſt mendacium, cùm miracula, quæ in Sancta Domo Lauretana fiunt, in multis Italiæ Ciuitatibus, & extra Italiam per totum ferè Orbem manifeſtiſſima ſint. Apud Acta Apoſtolorum cap. 4. de Claudo illo, qui poſt 40. annos ætatis, & infirmitatis ſanatus fuerat, ſcribæ ſeniores dicebant, *Quid faciemus hominibus iſtis, quoniam notum quidem ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus in Hieruſalem; manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.* At Vergerius, ut inſanus, ac mente captus, quamuis Lauretana miracula toti Orbi manifeſtiſſima ſint, atque ab omnibus hominibus approbata, ipſe tamen obſtinatè negat, & fictitia ſæpè eſſe, non pudet illum affirmare. Mirum quòd non dixerit ſemper. An fortè miraculum lapidis, quem Epiſcopus Conimbricenſis ferre uolebat in Luſitaniã negaſſet? Exciſus erat lapis ex parietibus Sanctæ Domus iuſſu Summi Pontificis, atque ei conceſſus, vt religionis ergò in Luſitaniam deſerret; uolebat enim Templum ibidem ad inſtar Lauretani conſtruere. Sed (ò mirum) vbi Epiſcopus Tridentum uenit, grauiſſima infirmitate correptus, cùm Medicorum ars nullo illi pacto prodeſſet, à quibuſdam ſanctimonialibus admonetur, ut lapidem ad Ædem Lauretanam remittat; quo facto, illicò priſtinam ſanitatem recepit. Nulla eſt hic impoſtura, nulla fictio, extant literæ hac de re Laureti ipſiuſmet Epiſcopi manibus exaratæ, quæ huic facto veriſſimum deferunt teſtimonium.

Mendacium aliud Vergerij.

Actor. 4.

Obſtinatio & magna impudentia Vergerij.

Inſigne miraculum ſublati è Domo Lauretana lapidis.

Verum antequam cęteris argumentis hęretici reſpondeamus, duo commemoranda ſunt, quę arrogantiam hęretici omninò compeſcent, eiuſque ignorantiam clarius patefacient. Narrat S. Ioannes Damaſcenus, oratione tertia de imaginibus, inſigne miraculum, quod diuina ultio in Olympium Arianum exercuit, pictura repręſentatum in fronte Porticus Eccleſię Stephano Prothomartyri dicatę affixum fuiſſe; ſic autem ſcribit. *Hoc conſulatu, octauo Kalendas Ianuarij, res admiranda, terribilis, et ſingularis, qua aures audientiũ obſtupeſcant, euenit: Olympius enim quidam nomine, cùm Euthymius Arrianæ factionis defenſor curſorem ſaltantem citaret in balneis Palatij Heleniani, accedẽs ad eum, qui præmolliebat, & quoſdam qui lauabantur, ὁμοούσιον. hoc eſt eiuſdem eſſentiæ vocem de filio dici comprobantes, conſpicatus, iſtiuſmodi verbis eos compellauit; quid enim eſt, inquiens, Trinitas? aut quo non in pariete inſcripta eſt? membriſque corporis neceſſarijs apprehenſis: Ecce, inquit, & ego Trinitatem habeo. Quare, qui illic aderant commoti, illum erant interfecturi, ſed in Vallis ambitu prohibiti ſunt a quodam magno Sanctorum Apoſtolorum Presbitero, Viro admirando, Deiq; ſtudioſo, qui ſic eos eſt allocutus. Iuſtitiæ non latet oculum cuncta ſpectantis, & punientis. cùm igitur homines ueneratione quieuiſſent, ſurrexit Olympius, & calidarum aquarum balneo lotus (ut fit) ad illud, quod frigidas continebat egreditur, ſuſcipit enim aquas è terra medium venerandi Altaris Sanctæ Aedis Stephano Prothomartyri dicata, quam Aurelianus inter veteres præcipuus dignitatibus illuſtris exædificauit, ex quo diuinis aquam ſpectaculis fieri dignam exiſtimo, in hanc ille cum deſcendiſſet confeſtim egreſſus eſt, clamans. Miſeremini, & carnes ſuas unguibus dilanians ab oſſibus diuellebat. Tunc illum qui circum aderant comprehenſum, linteo obuoluerunt, & præ frigore animo deficientem reclinarunt. Rogantibus autem quidnam illi contigiſſet? Reſpondit Olympius. Hominem*

Damaſcen.

Hiſtoria memorabilis de vltione diuina facta ĩ quẽdam Arrianũ ſacrarũ imaginum aduerſarium.

vidi candidis indutum veſtimentis, qui ſuper Nerophorum incedens, tres mihi calidæ ſiclas infudit. Ne maledixeris inquiens. Qui igitur erant illi neceſsitudine coniuncti, ſublatum in aliud Balneum, quod Arrianorum habebat Eccleſia, geſtarunt. Verum cum ex linteo vellent illum eximere, omnes illius carnes dilacerarunt, atque ità moriens, animam efflauit. Quæ quidem res per totum ferè peruagata regnum eſt. Prouiderunt autē quidam Olympium, cui id contigerat, quodam tempore ab eorum, qui filium ὁμοούσιον, hoc eſt eiuſdem eſſentiæ cum patre fatebantur, cœtu ad Arrij partes defeciſſe. Verum, cum ad aures Regias perueniſſet (erat autem Rex Anaſtaſius) iuſsit miraculum in tabula coloribus expreſſum ad Nerophorum collocari, Ioannes autem quidam Aedis illius, de qua ſuprà mentionem fecimus, Stephano Prothomartyri ſacræ Diaconus, & curator, vir, qui (ut ſi quis alius) decretis illius, quo filius eiuſdem cum Patre eſſentia declaratur, ſe perpetuo ſtudioſiſsimum oſtendis, ipſe quoque rem pictura, ſed non ſimpliciter promulgauit. Nam eorum, qui illic lauabātur, ſpectatoreſque fuerant, quique in balneo miniſtrabant, nomina inſcripſit, & vbi eorum ſinguli habitarent, indicauit. Quæ quidem pictura ad hoc vſque tempus rem ipſam teſtatur in fronte quartæ porticus, quod ſæpe vocatum eſt oratorium affixa. Hęc ex Damaſceno.

Non ſolum Imagines, ſed etiam templa ex voto erigebantur.
Hier. Rubeus

Sed ex uoto non ſolum imagines, ſeù picturas, uerum etiam Baſilicas ipſas cū imaginibus, & inſcriptionibus uotum, & acceptam gratiam ſignificantibus Deo erectas eſſe, exemplum habemus Honoriç filię Gallę Placidę, quę apud Rauennā erexit Baſilicam Sancto Ioanni Euangeliſtę, cui talis inſcriptio affixa erat, ut refert Hieronymus Rubeus lib. 2. Hiſt. Rauen. *Sanctiſsimo ac Beatiſsimo Apoſtolo Ioanni Euangeliſtæ, Placida Auguſta cum Placido Valentiniano Auguſto, & filia ſua Iuſta grata Honoria liberationis merito votum ſoluit.* Hanc autem Baſilicam quamplurimis imaginibus, & inſcriptionibus, atque Iconis plurimorum Auguſtorum decoratam fuiſſe ſcribit, idem Auctor: Sed quid plura? non ne gladium, quo Philiſtęum confoderat Dauid, apud Tabernaculum depoſuerat? ſic ſcriptum eſt in 21. capite lib. primi Reg. *Dixit autem Dauid Achimelech; ſi habes hic ad manum haſtam, aut gladium, quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum; ſermo enim Regis vrgebat. Et dixit Sacerdos. Ecce hic gladius Goliath Philiſtæi, quem percuſsiſti in Valle Terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt Ephod: ſi iſtum uis tollere tolle; neque enim hic alius abſque eo, & ait Dauid, non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* Hæc ibi.

1. Reg. 21.

Alterum Miraculum de Imagine Sancti Mauritij, Martyris.
Damaſc.
Nicephor.

Sancti quoque Mercurij Martyris, Iuliani Apoſtatæ percuſſoris Pictura oranti Baſilio ad exiguum tempus ſubobſcurior uiſa, poſt quàm vero eumdem Eccleſię hoſtem vulnerauit, atque extinxit, haſtam cruentam apud ſe tenens, in teſtimonium diuinæ vltionis, in eadem pictura clarè apparuit. Lege Damaſcen. oratio. 1. de imaginibus, & Nicephor. lib. 10. cap. 34. & 35.

Antiquus uſus appendendi vota, & tabellas etiam apud Ethnicos.
Liuius.
D. Auguſt.

Ex quibus patet, vſū appendendi in Tēplis picturas, & ſimulachra, & alia id genus pro gratiarū actione, vel cā pietatis antiquiſſimū eſſe, & iàm apud Hębręos, q̃ apud Chriſtianos receptū; immò, & apud Ethnicos. Romulus enim, ut Liuius li. 1. refert, Ioui Feretrio ſpolia optima appendit. Ad extremū morē Chriſtianorum fuiſſe gratias ſanitatum, aliaque dona cælitùs conceſſa Populis ad Dei gloriam ſignificare, atque omnibus palàm manifeſtare, expreſſis verbis docet D. Auguſt. in lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. paulò ante medium, ubi Innocentiam religioſiſſimam fœminam Carthaginenſem admonendam, ac penè obiurgandam putauit, quòd cùm cancrum in mammilla haberet, nec Medicorum arte curari poſſet, & ab eo inſigni miraculo fuerit liberata; non tamen docuerat, aut publicauerat, quod tandem fecit, nam quamplurimis Matronis audientibus, multumque mirantibus, & glorificantibus Deum, totum ex ordine quemadmodum geſtum fuerat indicauit. Erubeſcat hæreticus, qui vellet Dei dona occultari, & à ſeruis Dei ſilentio inuolui, nec linguis, nec picturis, uel tabellis in vulgum proferri. Quocircà ſapientiſſimè à S. D. N. Clemente Papa VIII. dum Sacram Domum Lauretanam viſitaret, anno domini M. D. XCVIII. ſub anathematis pœna ſancitum fuit, ne oblationes & donaria ex auro, argento, ligno, cera, vel ex quacumque alia materia, quæ Lauretano templo offeruntur, qualibet ex cauſſa remoueantur & diſtrahantur: ſed

De uotis templi Lauretani non remouendis editum S. D. N. Clemētis Octaui.

tur: ſed in ea ipſa forma, qua Beatiſſimæ Virgini offeruntur, intacta perpetuò cuſtodiuntur; hac enim ratione & fides miraculorum, & populorum confluentium religio erga B. Virginem in dies magis magiſque illuſtrabitur, & ad Dei gloriam euidentiùs innoteſcet, uelint, nolint hæretici.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Ad Decimumſeptimum Argumentum reſponſio.

Miracula Ædis Lauretanæ non ficta, uel apparẽtia ſed vera, & realia ſunt.

MIRACVLA, quæ in Sancta Domo Lauretana fiunt, nõn falſa, uel ſimulata, nec à Dæmone eſſe, ſed ſolius Dei poteſtate, ac Beatæ Virginis interceſſione fieri, omnes illi cõſtanter atteſtantur, qui gratias ſanitatũ, atque beneficia aliorum generum (ſunt autem hæc innumera ab infinitis ferè hominibus accepta) ibidem, uel alibi, ex uoto Sanctam Virginem Lauretanam interpellantes recipiunt, quamuis enim magi, uel Dæmones aliqua admiranda efficere poſſint, ut interdum ægrotos ſanare, aquam in ſanguinem mutare, & ſimilia; nequaquam tamen hæc opera uera miracula ſunt, ſed effectus cauſarum naturalium, quas Dæmones applicant.

Quinque ſigna ad vera miracula dignoſcenda explicantur.

Quinque autem notis, uel ſignis uera miracula à falſis dignoſcuntur. Ex dignitate uirtutis efficientis, ex qualitate eorum, qui faciunt, ex diuerſitate operum, quę fiunt, ex modo faciendi, & denique ex fine, propter quem fiunt. Concedendum itaque eſt, Dæmones multa nobis admiranda, naturali eorum uirtute, & per uires naturalium cauſarum tempeſtiuè, & opportunè applicatas operari poſſe; pluri-moſque morbos arte medicinæ, quæ illis notiſſima eſt, uariarum rerum naturaliũ miſtione, ac tẽperatione, magna cũ celeritate, ac facilitate ſanare poſſe. At hęc quãuis aliquandò ueræ res ſint, ut docet D. Auguſt. lib. 20. de Ciuit. Dei ca. 19. uerſus finem, loquens de ſerpentibus, & ranis à Magis Pharaonis factis; nequaquam tamen uera miracula ſunt, quæ Dei ſolius uirtute fieri poſſunt: ad rationem enim miraculi propriè ſumpti requiritur, ut aliquid fiat pręter ordinem totius naturæ creatæ, ut rectè D. Tho. 1. par. quæſt. 110. art. 4. & quæſt. 114. art. 3. & lib. 3. aduerſus gentes, cap. 103.

D. Auguſt.

Dęmones nõ edũt vera miracula; & cur.

D. Thom.

Quas ob cauſſas opera naturalia Dæmonum dicãtur miracula.

Dicuntur autem huiuſmodi effectus quatuor ob cauſſas miracula, uel potiùs hominibus admiranda. Primùm, quia ſunt noui, & inuſitati. Secundò, quoniam fiunt à Dæmone occulto, & inuiſibili modo, quocircà omnem humanam facultatem, & conſiderationem excedunt. Tertiò, quoniam Dæmones ex uariarum rerum naturalium compoſitione, & miſtione ſingulares aliquos effectus producũt, qui per ipſaſmet cauſas naturales ſeorſim numquam produci poſſent, quod idem accidit Pharmacopolis, Alchymiſtis, diſtillatoribus, atque etiam ſimile quid in medicamentorum compoſitionibus, & in arborum inſitionibus uidere licet. Ad extremum, quoniam cùm Dæmones, quemadmodum etiam boni Angeli, cauſis naturalibus ad effectus aliquos producendos, tamquam inſtrumentis, utantur, poſſunt quoque effectus præſtantiores virtutibus ipſarum naturalium cauſarum producere: ex inſtrumento enim emanat effectus, non ſolum uirtuti inſtrumenti reſpondens, ſed etiam uirtuti principalis agentis, à quo ad operandum mouetur, ac regitur; nec enim menſa, uel ſedes à ſerra efficitur, niſi ex arte operantis; nec ſanguis, caro, uel oſſa per calorem naturalem, niſi uirtute animæ, cuius eſt inſtrumentum; ſic quoque Dæmon nonnullas infirmitates, quæ eius artis medicę vi, qua homines præditi ſunt, curari non poſſunt, maxima celeritate curare poteſt; cùm omnium morborum etiam reconditorum cauſas optimè noſcat, atque etiam remediorum genera, eorumque applicationem. Attamen Dæmon non omnes morbos ſimpliciter ſanare poteſt, cùm morbi aliqui ſimpliciter incurabiles reperiantur, quod diuinæ virtuti, etiam Angelis, ſeruiſque Dei cõmunicare difficile nõ eſt.

Dæmon oẽs morbos curare non poteſt.

Improbi nũquã vera edũt miracula, niſi raro ex Dei virtute, ad aliquod bonũ, & quõ. D. Thom. D. Auguſt. Marci 9.

Praeterea, aſſerẽdum eſt, à flagitioſis, ac maleficis hominibus ſæpè falſa fieri miracula, quæ potius præſtigia, ac ludificationes ſenſuum humanorum ſunt dicenda. Raró tamen vera miracula fieri, nec niſi diuina uirtute, & ad confirmationem uetitatis, uel eiuſdem virtutis declarationem, ut inquit D. Thomas 1. par. q. 110. art. 4. ad 2. & 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. lect. 2. & ante illum D. Auguſt. li. 83. quæſt. quęſt. 79. Vnde cùm dicerent diſcipuli, Marci 9. (& eſt argumentum D. Auguſt.) *Magiſter vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.* Iesvs reſpondit illis; *Nolite prohibere eum.* At à Sanctis ſemper uera miracula fiunt, tùm in confirmationem ſanctæ doctrinæ, tum etiam in ſanctitatis ipſorum comprobationem; deinde quæ faciunt Magi, nec ſolida ſunt; ſæpe enim ſunt phantaſtica, & ſimulata, ut D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 8. ſemper perniciosa, & inutilia. Vera autem miracula, & diuturna ſunt, omnique loco, ac tempore conſiſtentia, ſolida, hominibuſq; ſemper proficua, & non niſi ſumma neceſſitate, atq; utilitate facta; & ſic Chriſtus miracula faciebat. Vnde uinum ex aqua factum ab Architriclino deguſtari uoluit, ut ueritas miraculi cognoſceretur; ſic cæcus natus in ſe ipſo experiebatur, dum dicebat, *hoc unum ſcio, quòd cæcus cùm eſſem, nunc uideo*; ſic leproſi, & alij infirmi curatos, & ſanatos eſſe ſe cognoſcebant: Vnde D. Hierony. tractans illud Ioannis 12. *Lazarus erat vnus ex diſcumbentibus*, inquit. *Mira ſunt Chriſti opera, ſtupenda miracula, quæ quoniam ab ipſo ſunt, ideo hominibus proponuntur, firmitatem habentia, & veritatem non apparentem, ſed perſiſtentem, & Dei uirtutem demonſtrantem*; ſic etiam boni, ac Sancti Viri, miracula faciunt; Cùm enim ad ueritatem comprobandam illa edant, neceſſariò ueritatem, & conſiſtentiam habere debent, aliàs non eſſent media opportuna ad confirmationem ueritatis. Denique peruerſi homines opera ſua faciunt, uel per cauſſas naturales, ut diximus, uel ope Dęmonum, quibus cum commercia, ſecretaque pacta ineunt ad huiuſmodi opera patranda; quocircà præſtigijs, mendacijs, characteribus, ſuperſtitioſiſque cæremonijs, & obſeruationibus utuntur, immò etiam verbis ſacris, alijſque execrandis, uel etiam ridiculis actionibus, in quibus clàm auxilio, ac virtute Dæmonis adiuti, opera ſua faciunt; non ſic Sancti Dei, qui uel diuinæ virtutis inuocatione, uel oratione ad Deum facta, nel ſigno Crucis edito, uel ſacris uerbis reuerenter prolatis miracula operantur. Nullus enim peccatorũ ſua ſimplici oratione, vel petitione à Deo vnquam obtinuit, ut miraculum operaretur, & tale quid nuſquam lectum, uiſum, uel auditum fuit; ſed ſolos iuſtos, Deique amicos talia impetraſſe ſcimus; nec enim Deus peccatores exaudit, ut ad eorum voluntatem, & petitionem ſigna faciat, ut optimè annotauit Theophylact. in cap. 9. Matthæi, & Cardinalis Toletus in Ioan. annot. 9. & nos lib. 1. de fuga diſput. 1. q. 2. dub. 1. latius diſputauimus.

Sãcti vera ſẽper miracula operantur.

D. Auguſt.

Vera miracula qualia.

D. Hieron.

Theophyl. Toletus, Lib. de Fuga Auctor.

Improbi, & Dæmones in malum finem Sãcti verò in bonũ faciunt miracula.

Ad extrèmũ diuerſo fine Dæmones, uel malos homines, ac Sãctos miracula facere, notiſſimum eſt; illi enim gloriæ, & honoris, ac etiam Diuinitatis cupiditate adducti, uel etiam lucri auiditate, uel ut mendacijs, & falſitatibus homines decipiant, atque à ueritate auertant, uel denique ad multa facinora perpetranda, putà homicidia, furta, & ſimilia, ſua miracula operantur; hi verò ut Dei gloriam clarificent, & illuſtrent, hominibuſque tàm quoad animam, quàm quoad corpus auxilium afferant, quærentes ſemper non quæ ſua ſunt, ſed quæ Iesv Chriſti. Quapropter in illis patrandis honores fugiunt, diuitias ſpernunt, omnemq; humanæ mercedis prę̨mium contemnunt: unde optimè D. Auguſt. in lib. 83. quęſt. q. 79. parum à medio to. 4. inquit. *Cum talia faciunt Magi, qualia nonnumquam Sancti faciunt, talia quidem uiſibiliter eſſe apparent; ſed & diuerſo fine, & diuerſo iure fiunt; illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam; iſti quærentes gloriam Dei, & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi priuata commercia, uel beneficia; iſti autem publica adminiſtratione iuſſu eius, cui cuncta creatura ſubiecta eſt.* Igitur cùm miracula, quę in Sancta Lauretana Domo patrantur, fiant per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis hominibus ſuppliciter Deum, & illam rogantibus, atque in Chriſti, & eius matris nomine, perceptis pœnitentię, & Euchariſtiæ Sacramentis, denique ut Deus honoretur,

D. Auguſt.

Miracula in Domo Lauretana diuina uirtute fiunt per interceſſionem B. Virginis.

noretur, & in ſua Deipara Virgine glorificetur. Quis non videt luce meridiana clarius huiuſmodi miracula ſola virtute diuina edi? Hæc nequaquam præſtigia ſunt, uel per ludificationes Dæmonum ſimulata; ſed vera, ſolida, & conſiſtentia miracula, ut ipſimet, qui gratias receperunt, teſtantur. Inter cætera verò vnum inſtar omnium erit, expulſio ſcilicèt Dæmonum, & liberatio Energumenorum, quæ apud Sanctam Domum palàm cunctis ſpectantibus, patrocinio Virginis in nomine Iesv fit; nec Dæmones virtute naturali, aut præſtigijs ſuis alia dæmonia eijciunt, non enim Sathanas Sathanam expellit, ut inquit Dominus, Marci 3. nec Sathanas aduerſus ſe ipſum diuiſus eſt; alioquin regnum eius quomodo ſtaret? Lege D. Auguſt. in eadem quęſt. 79. Euſebium Cęſarienſem lib. 3. de demonſt. Euangelica cap. 6. Originem lib. 1. & 2. contrà Celſum, & Auguſt. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 8. vbi diſputant aduerſus eos, qui ad negandum Chriſti miracula, præſtigias, quas noſter hæreticus affert, obijciebant.

Marci 3.
D. Auguſt.
Euſeb.
Origen.

Ex verbis autem Euangelij, quæ citat hæreticus, ex Matthæi 24. *Surgent Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt etiam electi*, deducit. D. Auguſt. quædam miracula, Deo permittente, ſceleratos homines facere, qualia Sancti facere non poſſunt; *Nec tamen ideo*, inquit Aug. *potioris loci apud Deum eſſe arbitrandi ſunt; non enim acceptiores erant Deo, quàm Populus Iſrael, Magi Aegyptiorum, quia non poterat ille populus facere, quod illi faciebant, quamuis Moyſes in uirtute Dei maiora potuerit; ſed ideò non omnibus ſanctis iſta tribuuntur, ne pernicioſiſſimo errore decipiantur infirmi, exiſtimantes in talibus factis maiora dona eſſe, quàm in operibus iuſtitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere diſcipulos, cum ait, Nolite in hoc gaudere, quoniam ſpiritus uobis ſubijciuntur, ſed in hoc gaudete, quoniam nomina ueſtra ſcripta ſunt in Cælis*. Hęc ex D. Auguſtinus.

Matth. 24.
D. Auguſt.
Deus permittit malos aliqua ſigna facere, quæ boni non faciũt, & quare.

Miracvla uerò & ſigna, quæ Antichriſtus faciet, nonnulla erunt ficta, & planè mendacia, ea ſcilicet, quę cum ſuperent omnis createę naturę poteſtatem, fieri nequeunt, niſi per Dei omnipotentiam, ut reſurrectio mortuorum; alia erunt uera, quę per potentiam naturalium cauſarum, pręſertim cooperante Dęmone, fieri poſſunt; omnia uerò erunt prodigia mendacia, ut D. Paulus dixit, 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. cùm licèt ſint uera prodigia, ad mendacium tamen pertrahant credituros; iactabit enim, ſe omnia ſupernaturaliter, & diuina poteſtate facere, ut Dominum Iesvm Chriſtum nec filium Dei, nec verum Meſſiam fuiſſe probet; ſe autem, ut uerum Meſſiam, & ut Deum adorandum eſſe. D. Athanaſius in quæſt. ad Antiochum, quęrit, quod ſignum ſit obſeruandum, ne quis propter ſigna, & prodigia decipiatur, & Antichriſtum pro Chriſto accipiat. Et reſpondet, Chriſtũ opportunum ſignum dediſſe, cum dixit, *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque ad Occidentem, ſic erit aduentus filij hominis. Vnde diſcimus*, inquit Athanaſius. *Quòd omnis Chriſtus veniens, non apparens ſubito in vniuerſo Mundo, ſed in una Regione, uel in una Ciuitate; hic talis haud dubio Antichriſtus eſt*. Igitur cùm miracula, quę apud Sanctam Domum fiunt, non niſi in nomine Iesv Chriſti edantur, qui non in aliquo angulo terræ, ſed in uniuerſo Orbe prædicatus, & creditus eſt, ſequitur, quòd uerus Chriſtus auctor horum miraculorum ſit; ſi enim pręſtigia hęc Dęmonum, & phantaſtica ſigna eſſent, utique in nomine alicuius Pſeudochriſti fierent, qui in hac Regione tantùm Picena apparuiſſet: Chriſtus, qui in uniuerſo Mundo regnat, inuocatur; Chriſtus qui ubique Terrarum adoratur, & colitur, appellatur; Chriſtus, qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit, interpellatur in Sancta Domo Lauretana, dùm miracula impetrantur. Huic Chriſto fideles gratias referunt pro ſuſceptis beneficijs. Ergò re uera fatendum eſt, in eius nomine, atque uirtute miracula fieri.

Antichriſtus aliqua falſa, aliqua vera ſigna faciet, ſed omnia in confirmationem mẽdaciorum & virtute naturali.
2. Theſſal. 2.
D. Athanaſ.
Signũ ad cognoſcendum Antichriſtum
Lauretana miracula publica, & veriſſima.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Ad Decimumoctauum Argumentum reſponſio.

Ineptia Vergerij.

MVLTA ineptiſſimè in hoc argumento quærit hęreticus; cur ſcilicet noctu frater Paulus à Silua, ideſt, antelucano tempore uiſionem diuinam habuerit? cur lumen duodecim longitudinis, & ſex latitudinis pedes habens apparuerit? cur denique in eo lumine B. Virginem deſcendiſſe credamus, cùm è Cœlo omnia perſpiciat? Quid ineptius quęri poteſt? Noctu multas reuelationes, ac viſiones ſeruis Dei diuinitùs accidiſſe, abundè ſuprà oſtenſum eſt. Quærat ergò ſimiliter hæreticus, cur Abimelech noćte Deus per ſomnum allocutus ſit? cur Salomoni, cur Angelus Ioſepho, tribuſq; Magis, alijſq; alibi enumeratis, in ſomno diuina reuelauerit? cur item Petrus Actor. 10. in die viſionem viderit, & Paulus noctu, Actor. 27. Angelum alloquentem audiuerit? Vides quanta Hæretici ſit malitia, quàm magna mentis obcæcatio, & ignorantia.

Multas reuelatiões à Deo per noctem fieri.

Act. 10. & 27.

An ignorat, lumen noctu oſtenſum humanis oculis illuſtrius, ſplēdidius, & admirabilius apparere? Hàc enim ratione Deus, ut in Exodo legitur, in colūna ignis ob fulgentiſſimum ſplendorem populum Iſrael deducebat per noctem. Fuit hæc nocturna viſio, qua Frater Paulus à Silua, cùm eſſet vir abſtinentiæ indefeſſæ, orationis perpetuæ, & Angelicæ puritatis, propè Sacellum eo tempore in nemore exiſtens, ſub exiguo tugurio degens, per decennium octaua die Septembris quotannis lumen longitudine duodecim pedum, & ſex latitudinis è Cœlo in Sacellum deſcendens uidebat, quod tamen dum eidem uelociter appropinquaret, ab oculis ſubtractum euaneſcebat.

Lumen oſtenſum tēpe nocturno mel[ius] conſpicitur.

Frater Paulus à ſilua uir religioſus laudatur.

Hic notandum eſt, Deum veritatem aliquandò manifeſtare in vigilia, aliquando in ſomno. Sic Ioelis 1. dicitur; *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes ueſtri viſiones videbunt*, & Danielis primo, *Danieli*, inquit, *intelligentiam dedit omnium viſionum, & ſomniorum*; atque hęc dormientibus, illa verò uigilātibus accidunt. Hęc item ſenioribus, ideſt maioribus, & prouectioribus, tamquam perfectiorem prophetię gradum complectentia, illa uerò iunioribus, ut quid minus perfectum communicantur. In utroque autem ſtatu dupliciter reuelatio contingere poteſt; uel per uiſiones aliquarum rerum ueritatem aliquam ſignificantium, uel cum abſque vlla rei viſione Deus ipſe, uel Angelus hominem alloquitur; ſemper autem, ſi cætera paria ſint, præſtantior eſt illa reuelatio, quæ Deo dictante perficitur, ſiuè uigilanti, ſiuè dormienti communicetur, quàm illa, quæ per aliquarum rerum uiſiones, ſiuè uigilanti, ſiuè dormienti traditur. Vnde altior Prophetię gradus fuit ille D. Pauli Actor. 27. *Aſſitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens, ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere, & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*, quàm ille, qui in cap. 10. ſcribitur de Petro; *Cùm vidit Cœlum apertum, & vas quoddam deſcendens, uelut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de Cœlo in Terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia Terræ, & volatilia Cœli, & facta eſt vox ad eum. Surge Petre, occide & manduca*; Similiter viſio illa Balthaſar Regis, qua manum ſcribentem in pariete uidit, lōge inferior eſt illa, qua Paulus Chriſtum ſibi loquentem audiuit, Actor. 9. atque etiam illa, qua noctu aſſiſtens ei Dominus, ſic eum affatus eſt. *Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalē, ſic te oportet & Romæ teſtificari*; Semper enim uiua uox magis exprimit veritatem, quàm res aliqua ad ſignificandum propoſita. Vnde Numerorum 12. dicitur; *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, uel per ſomnium loquar ad eum*; indicans magis Prophetam honorari, ſi per ſomniū Deus loquatur ei, quàm ſi uiſiones habeat; vnde ſubdit, Moyſi fideliſſimo ſuo ſeruo ore ad os ſe locuturū, & palàm, nec per ænigmata Deum uiſurum. Nec huic doctrinæ obſtant quę dixit D. Tho. in 2. 2. q. 174. art. 3. affirmans, altiorem gradum Prophetiæ eſſe, uidere

Deus aliquā in ſomno aliquā in vigiliā ſolet manifeſtare.

Ioel. 1.

Daniel. 1.

Dupliciter fieri poteſt reuelatiò, tàm in ſomnò, quàm in vigilia, & quānam ſit excellentior.

Actor. 27.

Actor. 10.

Actor. 9.

Num. 12.

D. Thom.

viſiones,

uiſiones, quàm ſomnia ſomniare, ob maiorem copiam luminis Prophetici, quę in vigilia deſideratur. Intelligendus eſt enim D. Tho. de ſomnio, in quo uiſio contingit, non in qua Deus ipſe loquitur; nec ulli dubium eſt, Prophetiam vigilantis altiorem eſſe, quàm ſomniantis, ſi eiuſdem generis, & ordinis ſint; uerba enim, ut etiam ipſemet D. Tho. ibidem docuit, ſunt maximè ſigna expreſſiua intelligibilis ueritatis, & ideò altior gradus prophetiæ uidetur, quando quis audit uerba exprimentia intelligibilem ueritatem, ſiuè in uigilando, ſiuè in dormiendo, quàm quando uidet aliquas res ſignificatiuas ueritatis. lege de hac re Riberam in cap. 2. Iohelis nu. 57. & 58. Hinc ſequitur, reuelationem factam huic Paulo à Silua inferiorem eſſe ea, quam habuit alter uir ille, cui B. Virginem in ſomno ſuperius diximus eſſe locutam; cùm hic tantum ſignum luminis uiderit, ille uerò uerba Virginis alloquentis acceperit.

Explicat hac lo re doctrina D. Thomæ.

Ribera.

Intendit ſuiſſe hæc uiſio Pauli à ſilua, quà alia ſuprapoſita per B. Virginé uigilanti & loquenté.

Eſt autem adnotandum, ex D. Hierony. & ex Carthuſiano in commentarijs in cap. 4. Danielis, triplicem reperiri viſionem; vnam cordis, ſeu mentis, alteram oculorum, uel ſenſibilem; tertiam imaginationis, quæ à Daniele viſio capitis appellatur; in capite enim vis imaginatiua reſidet, ibique actiones ſuas exercet. Hęc autem uiſio Pauli à Silua partim ad ſecundam, partim ad primam ſpeciem reuocanda eſt; oculis enim corporeis lumen uidebat, mentis autem oculis cernebat aliquod diuinum Numen in Sacello adeſſe, vel B. Virginem, vel Angelum ab ea demiſſum ad Natiuitatis ſuæ ſolemnia illuſtranda, vt ſic preces, & pia uota eorum, qui ea die ad Sacellum confluebant, Deo Opt. Max. coram offerret in Coelis.

D. Hieron.
Chartus.
Viſio triplex reperitur, & qualis fuerit hæc.

At vrget hęreticus, & quaſi ſubſannando, rationem quęrit, cur longitudinis duodecim pedum, & latitudinis ſex lumen illud apparuerit; quaſi temerè, ac ſine vlla Dei prouidentia id effectum fuerit. Quòd ſi hæc menſura luminis oſtenſi, longitudini, ac latitudini Sanctæ Domus correſpondeat, quid miſer dicet? non ne labia eius faucibus adhærebunt? an non ſilebit, & obmuteſcet? Non erat lumen illud Beata Virgo, ſicut nec columba, quam vidit Ioannes deſcendentem ſuper Chriſtum, erat Spiritus Sanctus; nec enim eam ſibi uniuit hypoſtaticè. Sed ſignum, & Cęleſte teſtimonium, quod Beata Virgo edebat ſuprà Domicilium Natalis ſui: nec Paulus dicit, ſe Virginem in ſe vidiſſe, ſed in luminis ſigno, tamquàm in ſpeculo. Potuiſſet quidem Virgo, ſi Deo placuiſſet, per ſe ipſam uiſibilem ſe facere Paulo, ſicut & Greg. Neocæſarienſi, ut Greg. Nyſſenus in eius vita aſſerit, & Dionyſio Areopagitæ, legimus in Oratorio apparuiſſe, & D. Iacobo Apoſtolo in Hiſpania in Ciuitate Cæſarauguſta, circà annum Imperij Tiberij 20. vt in Chron. Hiſpan. cap. 23. Petri Antonij Beuterij habetur; & Cyrillo Alexandrino, ut Nicephorus lib. 14. hiſtoriæ cap. 28. & D. Martino Turonenſi, vt Seuerus Sulpitius in eius vita, atque innumeris alijs Sanctis Viris, quos apud Caniſium reperies, in lib. 5. ſui Marialis, cap. 21.

Cur lumē fuerit longitudinis 12. pedum & ſex latitudinis.

Quid fuerit lumen illud oſtenſum.

Multę apparitiones narrantur, quibus B. Virgo multis ſe viſibilem fecit.

Greg. Nyſſen.
Petrus Anto. Beuterius.
Niceph.
Sulpit.
Caniſius.

Divvs Greg. magnus lib. 5. Dialog. cap. 27. memorabilem narrat hiſtoriam de Muſa Puella, cui bis Beata Virgo apparuit, viuenti primùm, multas coęuas puellas in ueſtibus albis illi oſtendens, quibus cupiens ſe aggregare, Dei Genitrix Muſam admonuit, ut maiorem vitæ, ac morum induceret grauitatem, ſeque à iocis, nugis, omnique leuitate puellari abſtineret; atque ità futurum, vt poſt diem trigeſimum Collegio puellarum, quas præſentes cernebat, aſſociaretur; trigeſimo autē die trāſacto, cùm iam mores maxima parentū cū admiratione mutaſſet, ex hac vita migranti rurſus Virgo apparuit, ſpecioſis illis puellis, vt antea comitata, Muſamque vt ad ſe veniret, acciuit; cui moribunda aperta voce reſpondit, *Ecce Domina uenio, Ecce Domina uenio*, in qua voce ſpiritum tradidit, & ex virgineo corpore habitatura cum Sanctis Virginibus exiuit. Illud verò mirandum valde uideri poteſt, quod refert vir religioſiſſimus, & doctiſſimus Andreas Iacobi Fabrianenſis monachus, & quondam Generalis Congregationis Silueſtrinorum, in Vita B. Siluestri Abbatis inſtitutoris eiuſdem Congregationis, (cuius vitæ antiquiſſimū exemplar manuſcriptum extat in monaſterio Fabriani) ibi enim narrat, B. Virginem apparuiſſe eidem B. Siluestro oranti, eique Sacroſanctam Euchariſtiam pro

D. Gregor.

B. Virgo apparuit B. Siluestro Abbati eique Euchariſtiam ſuis manibus miniſtrauit.

Andr. Iacobi.

prijs manibus miniſtraſſe. Singulare ſanè ac præcipuum huius viri Dei priuilegiũ, eiuſdemque ſanctitatis ampliſſimum teſtimonium, quippè cui B. Virgo ſub ſpecie panis Iesv Chriſti filij ſui corpus iam in Cœlis glorioſum præbere voluerit, quod olim in vtero concipere, parere, & aſſiduè puriſſimis ſuis manibus contrectare, ac deferre ſub vera hominis forma meruit in terris.

Nicephor. Apparitiones aliorum ſanctorum. Theodor. Procop.

Verum Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum Conſtantino Imperatori apparuiſſe, ut ei incurabilis morbi remedium ſignificarent, locupletiſſimus teſtis eſt Nicephorus, lib. 7. hiſt. cap. 33. Ioannem quoque Euangeliſtam, & Philippum Apoſtolum Cæſari Theodoſio apparuiſſe, teſtatur Theodoretus lib. 5. hiſt. ca. 24. Procopius quoque li. de ædificijs Iuſtinianis, narrat, quòd erecto Templo à Cæſare Iuſtiniano in honorem Apoſtolorum, multis hominibus ad pij Regis honorẽ, tamquàm beneficiorum memores illos apparuiſſe. Sed plura in hac re enarrare ſuperuacaneum eſt. Vtique B. Virgo ſi uoluiſſet cum anima, & corpore glorioſo in die Natalis ſui potuiſſet è Cœlo deſcendere, & ſic illam Paulus corporeis oculis intueri clariùs potuiſſet.

Summa hæretici malitia.

At verò vnum addidit hæreticus, ex plenitudine malitiæ cordis prolatum, quod nec ad rem facit, nec viſionem vllo pacto infirmat, dum inquit. Quis ille alius, quàm Monachus?

Quantopere Hæretici Monachis infeſti ſemper extiterint. Ruffin.

Antiqvissimvm ſemper fuit bellum hæreticorum aduerſus Monachos, tantoque furore in illos debacchati ſunt, ut in deſertiſſimis ſolitudinibus, abditiſque ac maxime reconditis locis illos quærerent, raperent, & interficerent; ſic Ruffinus li. 11. hiſt. cap. 3. de Lucio Epiſcopo Arriano ſcribit. *Inde*, inquit, *ad Monaſteria furoris ſui arma conuertit, vaſtat Eremum, & bella quieſcentibus indicit; ter mille ſimul, aut eo amplius viros per totam ſolitudinem, ſecreta, & ſolitaria habitatione diſperſos oppugnare pariter aggreditur, mittit armatam equitum, ac peditum manum, Tribunos, Præpoſitos, & Bellorum Duces, tamquàm aduerſus Barbaros pugnaturus elegit. Qui cùm veniſſent, nouam belli ſpeciem vident, hoſtes ſuos gladijs obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, niſi, Amice ad quid veniſti?*

D. Hieron. D. Auguſt.

Divvs Hiero. in Chron. ſcribit, Valentem Imperatorem ſimiliter Arrianum, publica lege ſanxiſſe, omnes Monachos, aut arma arripere, militiæque operam dare, aut fuſtibus cædi, atque mactari; ſic etiam Petilianus, hæreticorum Princeps, vt in lib. 3. aduerſus eumdem cap. 40. commemorat Auguſt. in vituperationem Monaſteriorum, & Monachorum ore maledico oblocutus eſt, arguens etiam ipſum Auguſtinum, quòd hoc genus vitæ inſtituerit. Nec recentiores hæretici illos conuicijs, contumelijs, ac etiam armis perſequi deſiſtunt, eos hominum monſtra appellando, & inimicos humanæ ſocietatis: ità ſanè & hic hæreticus Vergerius, quaſi cachinnando, & ſubſannando dicit; quis ille eſt, niſi Monachus? quaſi velit nomine Monachi, ſua numquam ſatis damnata impietate, ſignificare hominem perditum, Deo & hominibus inimicum, peripſema Mundi, membrum Diaboli, primariumque Antichriſti ſatellitem.

Vergerius qd intendat afferendo nomẽ Monachi.

Monachorũ inſtitutum antiquiſſimũ eſſe in Eccleſia Dei. D. Athanaſ. D. Hieron. D Hieron. Ruffin. D Auguſt. Paulin. Pallad. Socrat. Nazian. Baron.

Porro inſtitutum Monachorum antiquiſſimum in Eccleſia eſſe, & ante quartum ſæculum à Chriſto cæpiſſe, quod negant Magdeburgenſes, centuria quarta cap. 6. col. 464. expreſsè habetur apud D. Athanaſium in vita Beati Antonij, qui floruit Anno Chriſti 400. in initio; nam ut Hieron. in Chron. innuit, in anno 300. erat annorum 40. & cum eſſet adoleſcens, multi iam Monachi ſenes reperiebantur. Athanaſium verò vitam B. Antonij adhuc viuentis ſcripſiſſe, abunde teſtatur D. Hiero. de viris illuſt. in Antonio, in Euagrio, & in Athanaſio, Ruffinus lib. 1. hiſt. cap. 8. D. Auguſt. lib. 8. Confeſſionum cap. 6. Paulinus de Vita Sancti Ambr. Palladius in hiſt. Lauſiaca cap. 8. Socrates lib. 4. cap. 18. & Nazianzenus in Athanaſio; quamuis Cardinalis Baronius aſſerere non audeat, eius obitum ab eodem Athanaſio ſcriptum fuiſſe, cùm à Iulio Papa Romam vocatus, eamdem vitam ſecum tulerit; vnde multa poſteriora eiuſdem Antonij geſta prætermiſiſſe oportuit; nec enim ibidem de congreſſu Pauli cum illo mentio ulla penitùs habetur: ita tom. 3. annal. Anno Chriſti 343.

PHYLO Hæbræus in lib. de vita contemplatiua ſupplicum; de Chriſtianis loquens (ut tradunt. Euſebius lib.2.hiſt.cap.16.Epiphan.hęreſi 28.Sozomenus lib. 1.cap.12. & Nicephorus lib.2. cap. 15.) vitam, & mores Monachorum, & Sanctarum Virginum, quas D. Marcus in Ægypto inſtituit, copioſiſſimè deſcribit.

Phylò. Euſeb. Epiphan. Sozom. Nicephor.

DIONYSIVS Areopagita Beati Pauli Apoſtoli diſcipulus in Epiſt. quam ſcribit ad Demophilum Monachum, & in lib. de Cœleſti Hierarchia, Monaſticam profeſſionem pluribus explicat; quam Epiſt. Dionyſij eſſe, dubium non eſt, ut optimè probat Card. Bellarminus lib.2. de Monachis; ſed Tertullianum, & Cyprianum librum de velandis Virginibus ſcripſiſſe, omnibus compertum eſt.

Dion. Areop. Card. Bellar. Tertull. Cyprian.

CASSIANVS quoque lib.2. cap.5. de inſtitutis Cænobiorum, affirmat, primam formam Monaſticæ profeſſionis Monachos Ægyptios à Sãcto Marco accepiſſe; quod clariùs in collatione 18.cap.5. dixit. *Cænobitarum*, inquit, *diſciplina à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium*. Immò Apoſtolos ipſos Monaſticam profeſſionem obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis inſtituiſſe ex 4.cap. Act. Apoſtolorum dignoſcitur, & Hierony. in lib. de Viris Illuſtrib. in Phylone, non obſcurè indicauit, talem inquiens primam Chriſti credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt; & clariùs D. Auguſt. idem docuit in lib.7. de Ciuit. Dei cap.4. ubi uotum paupertatis potentiſſimos uouiſſe ex illo probat, quòd Apoſtoli dixerunt Matthæi 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Immò Religionum inſtitutum in Eccleſia ab exemplo Apoſtolorum emanaſſe, præter Euſebium, & Hierony. locis citatis, affirmat Auguſtinus ſer.2. de vita communi Clericorum, Poſſidonius in vita Auguſt. & Iſidorus lib.2. de officijs cap.15. Sed ne longè progrediamur, dum Paulus vitam Monaſticam, ſeu potius Eremiticam in Silua agebat, orationibus, meditationibus, atque ieiunijs uacans, diuinis reuelationibus accipiendis idoneum ſe reddebat.

Caſſian. Acto.4. D Hieron. D Auguſt. Matth.19. Auguſt. Poſſidon. Iſidor.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Ad Decimumnonum Argumentum reſponſio.

DESIDERAT in hoc argumento Hæreticus iuſſum Magiſtratus, atque præſentiam Notarij atteſtantis, duo illa teſtimonia Franciſci Prioris & Pauli Ranalducij Ciuium Recinetenſiũ examinata fuiſſe circà aduentum Sanctæ Domus; alioquin ut illegitima reſpuit, non ut eorum dictum infirmet, ſed ut ueritatem tranſportationis Sanctæ Domus omni quo poteſt medio demoliatur. Numquid ſi in ſilua teſtes non fuiſſent, in Illyrico uel Laureti defuiſſent? nec in illorum duorum teſtimonio hæc ueritas præcipuè inhæret, ſed in publica, & uniuerſaliſſima fama, quæ conſtantiſſimum rei dat teſtimonium, ut enim inquit Adrianus Imperator in Pandectis lib.22.tit. de Teſtibus, in reſcripto ad Valerianum, ſicut non ſemper, ita ſæpè ſine publicis monumentis cuiuſq; rei ueritas deprehenditur. Aliàs numerus Teſtium, aliàs dignitas, & auctoritas, & aliàs ueluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem.

Vergerij praua intentio. Adria Impe.

VERVM nec in horum duorum Teſtium depoſitione defuit iuramentum, uel auctoritas Præfecti, apud quem & quod audiuerunt; & quod proprijs oculis uiderunt, depoſuere. Sic enim habet Angelitæ hiſtoria. *Paulus Ranaldutius Recinetenſis apud Vicum degens ab ordinario ſacrorum Antiſtite eius Eccleſiæ Rectore, pro Epiſcopo Recanatenſi, Præpoſito Teraman. nuncupato, etiam iuramento aſtrictus, ſæpius affirmauit ab Auo ſuo multoties audiuiſſe, quod ipſius Aui Auus proprijs oculis vidiſſet, quando idem Sacellum miro modo Angelorum miniſterio ſuper æquora fuerat tranſlatum, & in ſilua poſitum, in qua locatum ſe cum cæteris coauis pluries deuotionis cauſa viſitaſſe. Franciſcus Recinetenſis cognomento Prior, & ipſe iureiurando adactus, eidem Præpoſito retulit ſæpius, quòd Auus eius, vir centum, & viginti annorum, dixit ſe Sacellum ipſum dum in ſilua eſſet, vidiſſe, introiſſe, & adoraſſe, & ſuo tempore loco mutato Collem aſcendiſſe duo-*

Teſtes cũ iuramento, & Præfidis auctoritate examinati de ſanctæ Domus veritate Angelita.

diſſe duo-

diſſe duorum fratrum, quòdque Auus eius Villam habuiſſet uicinam ipſi Sacello, dum ſta ret in ſilua. Hæc Angelita.

B. Virgo teſtis locupletiſſima hui⁹ veritatis imò De⁹ ipſe, miracula & cūcti hoies.

At verò ipſamet Beata Virgo fidiſſimus teſtis huius tranſlationis ſuæ Domus exiſtit, cùm ob fidem tranſlatę Domus in eius veritatis confirmationem, multa miracula ibidem operetur, hoc eſt enim totius Orbis uniuerſale iudicium, uota in Sancta Domo Laureiana, quæ prius Nazareth erat, exaudiri. Sanè teſtis huius veritatis Deus eſt, qui mirabilia ibi ad ſui gloriam, & animarum ſalutem operatur; teſtis eſt quicumque eo accedit, cùm Dei bonitatem experiatur, & prædicet.

Euidentia ueritatis ſanctæ Domus.

Poſtremò etiamſi homines taceant, lapides ipſi clamant, parietes ipſi teſtimoniū perhibent, quantopere locus iſte Deo gratus, hominibus ſalutaris, Dęmonibus terribilis, Angelis familiaris, Beatę Virgini charus exiſtat: nec Notario, uel Magiſtratu opus eſt, ubi publica conſentienſq; fama, communeq; hominum teſtimonium intercedit; nec in Dei operibus cognoſcendis, credendis, atque confirmandis Cancellarij munus, ac Pręfectorum imperia requiruntur, nec enim hic cauſa criminis agitur, uel lis pecuniaria, ut ab hominum ſcientia, & fide res pendeat, non autem à Deo, qui facit mirabilia magna ſolus.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

Ad Vigeſimum Argumentum reſponſio.

Veſtigia Sanctæ Dom⁹ in ſilua, & in colle duorū fratrū, & cur ſine fundamentis.

Et Vero in ſilua, ac in monte duorum fratrum ueſtigia eſſe; ideſt ſigna, & monumēnta quędam, quę docent, Sanctam Domum in eiſdem locis fuiſſe, certiſſimum eſt ijs, qui ad ea loca accedunt. Nulla verò ibi fundamenta, uel veſtigia fundamentorum habentur, quoniam relictis illis apud Nazareth, (ò mirum) ad noſtras partes peruenit; ab eo itaque habent muri Sanctę Domus firmitatem, ac ſtabilitatem, *Qui fundauit Terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, Pſalm. 103. & ſicut ſolo nutu Dei per ſe ſtat terra tota abſque fundamento, ſic parietes huius Sanctę Domus connexi, atque uniti ſine baſe permanent.

Pſal. 103.

At vrgere poſſet hæreticus; terram uirtute ſua naturali, per ſe ſtare abſque fundamento, non item Sanctam Domum, unde exemplum hoc præter rem adduci.

D August. Locus difficilis explicatur quid nēpe ſit, Deum fundaſſe terram ſuper ſtabilitatē ſuam.

Diuus Auguſt. exiſtimauit, laborioſum eſſe ad literam explicare illud Dauidis loco cit. *Fundauit terram ſuper firmitatē eius, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, & addit, firmitatem hanc terræ eſſe rem quamdam occultam nobis, quę continet terram: *Laboratur*, inquit, *hic, ſi ad literam quaras accipere, nam quod ait, fundauit terram ſuper firmitatem eius, fortaſſe quadam eſt firmitas occulta nobis, qua continet terram, & hoc dixit, fundauit, ſuper quid firmauit? ſuper firmitatem ipſius terra, quam ei ſupponit, ut contineretur, qua latet fortè oculis tuis, ſint iſta occulta in creatura, non de obſcuritate creaturæ Creator latebit*.

Ariſtotel.

Aristoteles lib. 2. de Cœlo t. 78. ſeptem commemorat Veterum opiniones de cauſa firmitatis, & ſtabilitatis terræ, inter quas Thaletis opinio antiquiſſima fuit, terram ſcilicèt ſuper aquas fundatam eſſe, & ueluti inſidentem, & innatantē aquis ſuſtentari: ſed hanc ipſe reijcit, quam etiam confutat Seneca lib. 6. Naturalium, quæſt. cap. 6. cum enim aqua ſit minus grauis quàm terra, potius aqua à terra, quàm è contrà ſuſtentari dicendum eſt; ſub qualibet enim aqua terram, uelut eius fundamentum ſubſidere, manifeſtum eſt.

Thales, Seneca.

Cauſſa firmitatis terræ.

Verum huius firmitatis, atque immobilitatis terræ non alia reddenda eſt cauſa, quàm ſumma eius naturalis grauitas, ac pondus, ex quo fit, ut infimum mundi locum, hoc eſt centrum petat, atque ibidem naturaliter conquieſcat, nec niſi per vim inde amoueri queat; hæc inquam grauitas, quæ terram collocat in centro Mundi, eam ſtabilem, atque immobilem reddit, quocumque extrà centrum ferre-

tur, fur-

tur, ſurſum aſcendere neceſſe eſſet, atque hoc in illo Pſalmo Dauid declarauit, dicens; *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſaculi*, hæbraica lectio habet; *Qui fundauit terram ſuper baſes ſuas, non uacillabit, ſeu fluctuabit in æternum.* Hæc inquam uis, & natura terræ, quæ ſuo pondere, & grauitate illã in centro immobilem conſtituit, ſtabilitas, fundamentum, baſis, columnæ ipſius terræ in ſacris literis appellatur; unde Iob in cap. 26. dixit, *Qui appendit terram ſuper nihilum*; quaſi indicans, ſine ullo alio ſundamento eſſe, nec enim terra in centro poſita aliquo alio indiget firmamento, quo ſuſtentetur, ac fulciatur; unde Poeta ille appoſitè cecinit.

Terræ grauitas, & natura conſiſtendi in centro q̃uo dicatur diuerſis nominibus in Scriptura.

Iob 26.

Et circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis, &c.

Et Dauid Pſal. 92. hoc admirans dixit, *Firmauit Deus Orbem terræ, qui non commouebitur*, & in 1. lib. Paralipomenon cap. 16. ſcribitur, *Deus fundauit Orbem terræ immobilem*, & Salomon in principio libri Eccleſiaſt. *Terra*, inquit, *in æternum ſtat*; hoc idem admirabatur Iob cap. 38. dum Deus cum eo loqueretur. *Vbi eras*, inquit Deus, *quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem eius?*

Pſal. 92.
1. Paral 16.
Eccleſ. 1.
Iob 38.

Nec huic veritati repugnat illud, quod in Pſal. 23. Dauid dixit, terram ſcilicèt fundatam eſſe ſuper aquam; *Quia ipſe ſuper maria*, inquit, *fundauit eum*, Orbem nẽpè terrarum, *& ſuper flumina præparauit eum*, & in Pſal. 135. *Qui firmauit terram ſuper aquas*, quod etiam Exodi 20. innuitur in ijs verbis, *Nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra:* Hoc enim varias expoſitiones recipit. Aliqui, ut Baſilius, id referunt ad primum illum ſtatum terræ, quem in exordio Mundi habuit, cum aquis cooperta à Deo creata fuit, ut idem ſit ſuper aquam, quod in aqua; quod tamen grecæ lectioni non conſentit. Chryſoſt. vt Euthymius ſuper Pſal. 23. ait, arbitratur, re vera terram ſuper aquis eſſe fundatam, vt hoc miraculo Dei omnipotentia magis eniteat. Euthymius verba Dauidis non ad vniuerſum elementum aquæ refert, ſed ad eas aquas, ſiuè marinas, ſiuè fluuiales, quæ ſubterrãneis meatibus curſus ſuos agentes, tandem in apertum emergunt. At literalis expoſitio eſt, quòd terra ſit fundata ſuper aquas, eò quòd celſior, eminentior, & ſuperior aquis creata ſit: Idioma enim hæbraicum cùm careat comparatiuis, ad eorum vim exprimendam vtitur particula, ſuper, prę, & alijs ſimilibus. Sic Dauid, *Super mel ori meo, & ſuper aurum vel lapidem præcioſum multum, &c.* Lege Pererium in cap. 1. Geneſ. Quicquid tamen de hac re ſit, illud certum eſt, quòd ſicut ex Dei omnipotentia emanauit hæc terræ uis, atque natura, qua per ſe ſtaret; ſic ex eadem diuina auctoritate proficiſcitur, ut Domus Lauretana ſine fundamentis firmiſſimè conſiſtat.

Obiectionis ſolutio.
Pſal. 23.
Pſal. 135.
Exod. 20.
D. Baſilius.
Chryſoſt.
Euthym.
Euthym.
Expoſitio literalis.
Pererius.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Ad Vigeſimumprimum, & vltimum Argumentum reſponſio.

PROFECTO in hoc vlt. argumento hęreticus ſuam ſtultitiam declarauit. Quid enim commune Beatæ Virgini cum Ioanne Boccatio, Franc. Petrarca, & Dante Algerio? Demus, hos auctores anno Domini 1300. vixiſſe. Demus, aliquarum eos rerum peritiam, atque ſcientiam calluiſſe; ſcriptores verò rerum nouarum, atque hiſtoriographos nequaquam fuiſſe, eorum ſcripta declarant. Atque ut à Ioanne Boccatio incipiamus; quid quæſò hic ſcripſit, in quo Sanctæ Domus tranſlationem inſerere potuiſſet? ſcripſit hic de fluminibus, ac montibus, & de Genealogia Deorum, nonnulla etiam alia opuſcula italico ſermone. Verùm quid hæc ad Beatam Virginem? Franciſcus Petrarca ſimiliter latinas Epiſtolas, de remedijs utriuſque fortunæ, de amoribus, de ſecreto conflictu curarum ſuarum, de bello Aphricano, & pauca alia. Quid hęc cum tranſ-

Cur Boccatius, Petrarca, & Dantes de Sãcta Domo ſcribere non debuerint.

latione

latione Sanctæ Domus? Dantes Algerius nec in libro ſuo de cęleſti Monarchia, qui inter prohibitos atque damnatos reputatur, nec in ſua Comędia vel Canticis admirandam tranſportationem Sanctæ Domus canere debuit, ut potè quæ nihil ad poeſim, quam ipſe tractat, ſpectaret, nihil ad infernum, de quo ibi potiſſimum agit. Nonne ergò uides, hæreticè, te hallucinari? quid piſces montibus, quid affingis fluctibus apros? tu iſta feciſſes. qui inter ineptias, & amores, non vanus ut illi, ſed impius, B. Virginem auſus fuiſſes includere. Quid? quòd ſcriptores rerum nouarum benè perſpecta, & multorum non leuibus teſtimonijs confirmata proferre ſolent: ſancta autem hęc Domus, & ſi tunc primum apparuerit, non tamen confeſtim tot teſtimonijs grauiſſimorum uirorum, tamque multis, & claris miraculis comprobata fuit, ut deinceps aliquot annorum curriculo factum eſt. Quarè id etiam fortè fuit in cauſſa, cur illi nullum ea de re uerbum fecerint, neq; enim, ut tu de auctoribus, quos non uidiſti, & de rebus quas neſcis, ita etiam alij (niſi tui ſimiles) temerè ſuam ſententiam effutire, & paginis commendare ſoliti ſunt.

Scriptores ſine vitio aliq d prætermittũt. Hieron. Euſeb. Sozom. Theodoret. Beda. Bruchard.

Accedat huc, nihil mali eſſe à ſcriptoribus rerum aliquid prętermitti, quòd illis aliquandò etiam de manibus quaſi intercidat: ſic Hieron. Euſebius, Sozomenus, & Theodoretus, celebriora ſepulchra, locaque ſancta Hieroſolymitana numerãtes, ſepulchri Deiparæ non meminerunt, licèt Beda de locis ſanctis cap. 6. & Bruchardus in deſcriptione terræ ſanctæ 1. par. cap. 7. §. 47. eiuſdem mentionem faciant. Quocircà ſi ſacri ſcriptores non omnium ſanctarum rerum, ſeù locorum, quæ ſcribi potuiſſent, meminerunt; quid mirum, ſi prophani alicuius rei ſacrę mentionem non faciant? præſertim cùm illis temporibus apparitio Sanctæ Domus in Piceno res noua eſſet, nec adhuc conſpicua, uel famoſa. Adijce, quòd per annos ferè centum, & ſexaginta, ex quo Sancta Domus in Italiam tranſportata eſt, eius fama uix fines Piceni exceſſerat, & in longinquas, remotaſque regiones non niſi ſubobſcurè peruenerat, quę deinde, & multitudine miraculorum, & gratiarum inde emanatarum copia, famoſiſſima ac celeberrima apud omnes mundi nationes euaſit. Præterijt ſanè eius fama Sanctum Vincentium Ferrerium, qui in ſuis concionibus aliquando dixit, Beatę Virginis domicilium etiam tum in Galilæa eſſe: nec D. Antoninus, cęterique uetuſtiores Hiſtorici Hetruſci illius in Italiam appulſum ſcriptis mandarũt, quòd illam omninò ignorarent, uel certè nè rem nouam, & à ſæculo non auditam, mortalibuſque per ſe incredibilem, nec dum Romanorum Pontificum auctoritate firmatam afferrent. At nec tranſportatio huiuſmodi

Blondus.

hiſtorico penitùs caret teſtimonio, cùm Blõdus illis ferè æqualis Lauretanę Ædi egregiam atque illuſtrem fidem, ut ſuperiùs diximus, faciat. Hactenus ad Argumenta Petri Pauli Vergerij ſatis reſponſum ſit.

Ex quatuor cauſſis Sãctæ Dom⁹ veritas aperte demõſtratur.

Ad extremum adijciendum eſt, ex omnibus quatuor generibus cauſſarum potentiſſima ſumi argumenta, ad veritatem Sanctæ Domus Lauretanæ demonſtrãdam: etenim ex materia, forma, fine, & efficienti probationes deſumuntur, ex quibus clariſſimum fit, hoc Sacrum Cubiculum, quod Laureti hodie, (Deo dante) exiſtit, illud idem numero omninò eſſe, in quod ingreſſus eſt Angelus ad ſalutandam Virginem apud Nazareth. Ac primùm ex materia, ſeù cauſa materiali id probatur; lapides enim illi, ex quibus Lauretana Domus ædificata, & conſtructa eſt, apud partes Picenas, ſeù etiam Illyricas nequaquam reperiuntur, nec illius generis, aut materiæ lapides ſiuè ad ædificia, ſiuè ad alios uſus in illis locis aſſumuntur: cùm lapides illi nec lateres coctiles ſint, nec ex terra cocta ullo modo cõfecti, quo genere dumtaxat lapidum apud Picenum, præſertim verò Recineti, quòd inibi nullæ ſint lapicidinæ, ędificia conſtrui ſolent. At è contra apud Palęſtinæ terras ex huiuſmodi lapidibus, crudiſque ſaxis, in figuram laterum coctilium redactis, ædificia conſtrui ſolere, qui Nazareth appulere, obſeruarunt, & veraciter teſtati ſunt: ij enim lapides, ex quibus ſancta hæc Domus conſtat, & colore, & longitudine, & latitudine illis omninò correſpondent, qui in regione Palæſtinorum ad ædificia aſſumuntur. Eſt igitur apud Picenum materia hæc extranea, noua, mutuata, tranſportata; non propria, nec ibi uſitata, aut ibidem progenita.

Sic Ioan.

Sic Ioannes quidam Senen. duoque alij Collegæ à Clemente VII. in Galilæam miſſi, ut migrationem Sanctæ Domus explorarent, duobus lapidibus ex eius fundamentis inde allatis, veritatis, atque identitatis eiuſdem domus locupletiſſimi teſtes fuerunt, ut uberius apud Lauretanos annales. Annal. Laur

Ex forma verò euidens ducitur argumentum, quia cùm hæc Alma Domus in longitudine, & latitudine conueniat cum eo ſpacio, vt dictũ eſt, in quo apud Nazareth aliquando fuiſſe, & in alijs locis, ad quos tranſlata eſt, permanſiſſe ex indigenarum, & peregrinantium repetitis geminatiſque relationibus conſtat; neque vlla poſſit diuerſitas, aut diſſimilitudo afferri, certum omninò, atque firmum eſſe debet, eamdem eſſe domum, quæ alibi iampridem viſa eſt, nunc verò Laureti conſpicitur; id quod etiam apertiſſimè forma parietum, feneſtrarum, & aliorum id genus vetuſtiſſimorum eiuſdem Almæ Domus ædificiorum diſpoſitio demonſtrat.

Quòd ſi efficientem illius cauſam conſideremus, ex ea uel maximè ueritas hæc firmiſſima probatur; certum eſt enim, neminem aſsignari poſſe, qui eam in loco, ubi nunc eſt, ædificaſſe, aut conſtruendam curaſſe, uerè dici poſsit; & domus ipſa per tot annorum curricula ſine fundamentis immota manens in eodem loco, cõmuni nempè uia, ubi ab ipſis demum Angelis collocata eſt, neminem qui mentis ſit compos de hac ueritate dubitare ſinit; nullus enim erit, qui in media publica uia, ubi numquam ædificium anteà fuerat vel extructum, vel ab aliquo uiſum, ſacram de qua loquimur ædem extempore, & nulla hominum arte, uel induſtria adductam, & poſitam uidens; non continuò ſibi certò perſuadeat, hanc fuiſſe diuina tantùm poteſtate ex remotiſsimis locis, ubi prius ædificata erat, miro aliquo ineffabilique modo delatam; eamdemq; illam eſſe, quæ Deiparæ virginis domus diuinis myſterijs in ea peractis celeberrima totò terrarum Orbe prædicatur.

Poſtremò, ſi finem inſpiciamus, quis adeò mentis lumine captus eſt, qui non videat, clementiſſimum Dominum eam huc transferri voluiſſe, uel ut eam ex infidelium, ut diximus, impiorumq; manibus, & poteſtate eriperet; uel ut debitis eam homines honoribus, & obſequijs proſequerentur; vel vt Chriſtianã Religionem tam inſigni, ac propè diuino munere, ſuæque bonitatis apertiſſimo teſtimonio decoraret: ut ſicut hæbræo quondam populo arcam fœderis contulerat, qua & contra inimicos validiores, & diuinis beneficijs cumulatiores, cunctiſq; gentibus admirabiles hæbræi efficerentur; & ſic diuino cultui, obſequioq; alacrius, & ſine gentium exterarum timore, immò ſummo illis incuſſo terrore, maxima tranquillitate, & animorum religione uacarent: ita nunc Eccleſiæ ſuæ, populoq; fideli hanc longè excellentiorem, ac beatiorem, quaſi fœderis arcam, diuinis muneribus affluentiſſimam donaret; tamquam & fortiſſimum contra hoſtes vniuerſos munimen, & vberrimum quoddam ærarium cœleſtium diuitiarum, ex quo tamquam è feliciſſimo quodam promptuario ad animorum ſuorum, corporumq; ſalutem, bonorum omnium dulcedinem, & abundantiam fideles haurirent: uel ut eam in tutiori loco, & ab incurſibus Chriſtiani nominis hoſtium, quoad fieri poſſet, alieno collocaret; vel deniq; ut in dies maiora, & illuſtriora ibi mirabilia operando, fidem catholicam, & Sanctiſſimæ Virginis gloriam fidelibus Populis magis teſtatam relinqueret. Quæ omnia ex huius Almæ Domus tranſlatione, & in eum vbi cernitur locum aduectione feliciſſimè conſecuta eſſe nemo non uidet. Quarè cùm non modò facillimè iam ſoluta ſint futilia Vergerij argumenta; ſed etiam his non contemnendis rationibus Almæ Domus Lauretanæ veritas uel comprobata uel explicata videatur; cur erubeſcere omninò impius, & confundi non debeat, iamq; ſibimet ipſi non ferendus, præ pudore, ac timore latebras, & petrarum ſciſſuras ad ſe occultandum non requirat? quò non alijs armis ſe tueri valens, uel hac ratione ſtultitiam, impietatemque ſuam ab hominum oculis abſcondat. Nos vero interim ſcribendi finem hoc loco faciamus.

NOTA.

Iam

Peroratio cũ gratiarũ actione,& alijs.

IAm tandem ſumma præpotentis Dei beneficentia huic noſtro operi finem imponere datum eſt;iam fragilis, & defatigata ingenij noſtri nauicula poſt innumeras procellas, & difficillimos anfractus incolumis emerſa, portum ingreſſa eſt:iam, fortaſſe non omninò infeliciter,cum Paulo dicere poſſumus. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui,&c.* Sed quoniã non hęc viribus,aut ingenio, non laboribus ac vigilijs noſtris accepta referenda exiſtimamus; ſed quidquid à nobis actum eſt boni, totum muneris hoc tui,pręclariſſima Virgo,Dei mater altiſſima, quam poſt ipſum Deũ, omnium noſtrorum bonorũ, omnium gratiarum,ac munerum auctricẽ agnoſcimus,& prędicamus. Tibi laus, tibi honor,tibi gloria,tibi gratiarum actio. Tu enim illa es fortiſſima mulier,quã ſapiens ille Salomon difficillimè reperiri poſſe putabat, cuius pręcium inęſtimale,ut potè quę procul,ideſt de Cęlis,ac de ultimis uerè finibus allata,& ad nos adducta fueris;quę tot,tantiſque uirtutum,& ornamentorum,tàm animi, quàm corporis rutilas diuitijs, ut non immeritò ſummi ipſius Dei uerè uiri, & filij tui, cor tantùm in te confidat,ut ſpolijs te non indigere permittat. Tu enim Virgo Beatiſſima quęſiuiſti lanam,& linum,Chriſti nempè Domini diuinitatem,& humanitatem in te recipiendo,& conſilio manuum tuarum, ſanctarum ſcilicèt operationum, & uirtutum meritis operata es totius generis humani ſalutem, ideſt Chriſtum; ſacta uerè es quaſi nauis inſtitoris de longè, nimirum de cœleſti Vrbe Hieruſalem,portans panem tuum, viuum ſcilicèt,& verum, qui Mundo,& vitam,& redemptionem attulit, & ſalutem. Dediſti prędam domeſticis tuis,& cibaria ancillis tuis,cùm enim Dominum Iesvm, qui bonorum omnium fons eſt, & origo, qui omnes cœleſtiũ deliciarum theſauros continet, qui ſummas æternaſque diuitias parat,ad nos in tuo virgineo, ſanctiſſimoq; utero deferre merita fueris, non modo prædam domeſticis, & cibaria Ancillis tribuiſti; verum etiam tu ipſa quoque longè opulentiſſima cœleſtibus diuitijs effecta, immenſos, innumeroſq; meritorum nobis congregaſti theſauros,ex quibus Eccleſia Catholica ditata iam,& opibus indeficientibus locupletata,eos, quos in noſtro hoc opere explicauimus, Indulgentiarum, & Sacri Iubilæi theſauros ingenti benignitate, ac liberalitate communicat, ad omnes omnium gentium,& populorum animos cœleſti gloria, æternaq; ſalute donandos. Te igitur in hoc vaſtiſſimo mari inter ſcopulos, & procellas,Maria Virgo, tamquam feliciſſimam quamdam maris ſtellã aſpeximus; te duce per anguſtos, & ſinuoſos vortices tranſiuimus incolumes, ac te demum adiuuante portum feliciter, ut ſperamus, intrare licuit. Quamobrem non modo te iure optimo tantorum munerum liberaliſſimam datricem agnoſcimus, ſed omnibus populis notum, atq; teſtatum eſſe uolumus, feliciſſimas atq; ſaluberrimas fore eorum peregrinationes, fructuoſiſſimos quoq; ipſorum labores, ſi te in primis,ſanctiſſimumque nomen tuum implorantes,Iubilæi, & Indulgentiarum theſauros conſequuturi ad te confugerint, tuoq; ſibimet conciliato præſidio, ſanctũ quod cupiunt opus aggrediantur;ità enim profectò fiet, ut & cum fructibus maximis munera Indulgentiarum acquirant, & longè tutius ſibi ad æternam ſalutem iter aperiant. Nos verò tuorum nequaquã beneficiorum immemores, dulciſſima Virgo,humiliter omniq; animi religione deprecamur, ut opus hoc noſtrum ſub tuo nomine inchoatum, & iam perfectũ ab impiorum, & inuidorum latratibus ac telis immune ſerues, & incolume; ut ſicut nos illud ab omni errore alienum, quoad fieri potuit,reddere curauimus,ita tua benignitate ad præpotentis Dei honorem,& gloriam,tuiq; nominis reuerentiam, & ad Sanctiſſimæ Matris Eccleſiæ cædat utilitatem,cuius nos illud iudicio integerrimo,ſanctæq; correctioni, ſicut etiam noſtra omnia,ſumma cum animi hilaritate,& ſubmiſſione libentiſſimè ſubijcimus.

Laus Deo & B.Virgini Mariæ.

INDEX PRAECIPVARVM NOTATIONEQVE DIGNARVM RERVM,

Quę in vniuerſo hoc opere continentur, pretermiſſis multis, quę Lectorum ſtudio & diligentię relinquuntur, neque enim potuerunt omnia colligi & adnotari.

A

A Dictio intelligitur excluſiuè, ita vt excludat dié, vel tépus, cui annectitur. li. 3. c. 10. f. 355
A dictio varias habet ſignificationes; aliquando enim ponitur loco, in; aliquando loco, propter; aliquando loco, præ. ibidem. 355
Abundius manſionarius Sancti Petri laudatur. ex D. Gregorio. lib. 3. cap. 13. 360
Adam propter ſui peccati pœnitentiam in Dei gratiam rediJt, & in ea mortuus eſt, & ſaluatus. contrà Rupertum. li. 2. cap. 42. 238
Adam in Monte Caluariæ ſepultus eſt. ex multis Patribus. ibidem. 237
Adam in ſtatu Innocentiæ habuit fidem Incarnationis Chriſti. lib. 2. cap. 5. 84
Adam & Eua in ſtatu Innocentiæ carebant omni fomite. li. 2. cap. 6. 90
Æternitas eſt ſæculum ſæculorum. lib. 3. cap. 2. 323
Agnus Paſchalis aſſabatur affixus duobus lignis in tranſuerſum in modum Crucis poſitis, & contextis. ex Iuſtino Martyre. lib. 2. cap. 4. 75
Cur in Alexandri tabernaculo duo eſſent fontes, vnus aquæ, alter olei. lib. 5 cap. 6. 513
Alexander VI. Indorum Conuerſionem ad Chriſti fidem primus promouit. lib. 1. cap. 10. 53
Anacletus oratorium conſtruxit in ſepulchro Sancti Petri. ex Damaſo. lib. 3. cap. 13. 360
Angelus Pientinus non rectè interpretatur verba illa Iſai. 66. *Erit ſabbatum ex ſabbato*, de Iubilæo. lib. 1. cap. 1. 6
Angeli mali cur à Deo reparati non fuerint, ſeptem rationibus id egregie demonſtratur non fuiſſe conueniens. lib. 2. cap. 3. 65. & 66
Angeli de rebus illis, de quibus habent ſcientiam matutinã, habent etiam veſpertinam lib. 2. cap. 5. 84
Angelus ſuperioris gradus in beatitudine plura videt in Verbo, & illuminat reliquos ſibi inferiores, ex D. Dionyſio. ibidem. 78
Angelorum natura ex peccato Luciferi aliquid dedecoris contraxit. ibidem. 78
Angeli maxima dulcedine afficiuntur ex præſentia humanitatis Chriſti. ibidem. 79
Angelicæ apparitionis ad Chriſtum in horto confortandum hiſtoriam negant Anabaptiſtæ. ibidem. 79
Angeli per publicam ſententiam in die Iudicij ſuorum prę miorum, vel ſuppliciorũ cõfirmationem recipient. ibid. 80
Angelis ex meritis Chriſti præuiſis etiam ſecluſa paſſione nec gratia, nec gloria data fuit. ibidem. 81
Angeli antequam Chriſtus moreretur beati fuerunt. ibi. 81
Angelis multis beatiores ſunt aliquorum Sanctorum animæ. ibidem. 83
In Angelis etiam prima gratia fuit remedium præſeruatiuum peccati. ibidem. 82
Angeli non per vires naturæ, ſed per Dei gratiam à lapſu in peccatum præſeruati fuerunt. ibidem. 82
Angeli ſecundum aliquos præſeruati, & liberati fuerunt à peccato per Chriſtum, non tamen ab ipſo redempti. ibi. 82
Angelis non conuenit renaſci in Chriſto, & Spiritu Sancto; ſicut hominibus, contrà Riccardum. ibidem. 82
Angeli, & homines per peccatum diuiſi, remoto per Chriſtũ peccato; in ipſo, vt in Capite, coniuncti ſunt. ibidem. 83
Angelis in via aliqua myſteria ſupernaturalia reuelata fuere; forte tamen nõ fuit illis reuelatum Incarnationis Chriſti ſecretum. ibidem. 84
Angeli in via, etſi myſterium Incarnationis cognouerunt ex reuelatione; non tamen inde ſequitur, illis meritum Chriſti fuiſſe communicatum. ibidem. 84
Angelos tantum cum primum beati fuerunt, myſterium Incarnationis cognouiſſe probabilius eſſe videtur. ibidẽ. 84
Angelos non eſt neceſſe ſcientiam veſpertinam habuiſſe de illis rebus, de quibus nunc habent ſcientiam matutinam, ſupernaturalem. ibidem. 84
Angelorum ſcientia matutina, & veſpertina duplex apud D. Auguſtinum. ibidem. 84
Angelorum ſcientia matutina, & veſpertina probabiliter inducta eſt, ex D. Auguſtini ſententia. ibidem, 85
Angelorum peccatum fuit ſuperbia, non inuidia ex D. Auguſtino. ibidem. 85
Angeli, ſicut etiam Adam, & Eua, creati fuerunt in gratia. li. 2. cap. 6. 87
Angelus vi ſua naturali poteſt mouere corpora, & transferre ex vno loco ad alium. lib. 6. cap. 21. 676
Angelus ſuperioris ordinis maiorem virtutem motiuam obtinet. ibidem. 675
Angelus vnus alio potentior, & perfectior. ibidem. 675
Angelis Sanctis ob ſolam eorum apparitionem Baſilicæ erectæ fuerunt. lib. 6. cap. 14. 611
Quid poſſint vel non poſſint facere Angeli ſiuè boni ſiuę mali per motum localem dilucide, & copioſe explicatur. lib. 6. cap. 21. 676
Angelicam ſalutationem quomodo fructuoſè, & rectè coram aliquo ſancto recitemus. lib. 6. cap. 22. 685
D. Bernardus non bene videtur exiſtimaſſe, Angelos ſanguine Chriſti redemptos fuiſſe, licèt in hac rè ipſe varius uideatur. lib. 2. cap. 5. 76. & 84
Animæ iuſtorum ſeparatæ non detinentur vſque ad reſurrectionem corporum in terreſtri Paradiſo, contrà Origenem, & Nicephorum. lib. 1. cap. 43. 244
Animę iuſtorum, ſi purgatę hinc diſcedant, ſtatim poſt mortem Deum vident, & beatitudinem conſequuntur ibi. 243
Iohannes XXII. non definiuit, animas ante reſurrectionem corporum non videre Deum, dum enim in Conſiſtorio adhoc ſe pararet, morte præuentus, decretum facere non potuit. ibid. 251
Declarantur quædam loca ſubobſcura D. Chryſoſtomi de anima ſeparata, an ſcilicèt illa ſecundum D. Chryſ. in ijs locis ante carnis reſurrectionẽ beatitudine fruatur. ibi. 255
Animæ & corporis beatitudines ita connexæ ſunt, vt data vna, neceſſario altera quoq; ſuo tempore danda ſit. ibi. 255
Omnes Patres Græci, Euthymio excepto, ſentiunt animas iuſtorum, ſi purgatæ diſcedant, ante diem Iudicij clarè Deum videre. ibid. 257
Iuſtitia diuina exigit, vt animæ iuſtorum ſtatim poſt mortem præmio donentur. ibid. 263
Anima Chriſti non comprehendit Deum totaliter. ibi. 266
Animæ damnatorum in Inferno ſeptem pœnarum generibus puniuntur, quæ ſeptem criminum generibus correſpondent. lib. 2. cap. 44. 267. & 268
Animæ impiorum perpetuò cruciabuntur in Inferno, con-

tra Origeniſtas, ibidem. 268
Animas in continuum circulo agitari, ita vt ex corporibus egreſſæ, rurſus certo aliquo tempore elapſo ad corpora redeant in mundum, fabuloſum eſt. ibid. 268
Animæ puerorum in limbo exiſtentium ſunt inferiores dignitate animabus exiſtētibus in Purgatorio & cur. ibi. 269
Anima Chriſti in infernum realiter deſcendens, inde poſtea reuocata fuit, vt ipſo Chriſtus reſurgeret. ibid. 270
Opinio Durandi negantis, animam Chriſti realiter in infernum deſcendiſſe eſt falſa, & improbabilis, contra Picum Mirandulanum. ibid. 270
Animæ Patrum in Limbo pœnam ſenſus non patiebantur, ſed ſolum pœnam damni. ibid. 270
Animæ Patrum, ſi poſt mortem purgatione indiguiſſent, id prius quàm ad limbum deſcenderent, in igne purgatorio perficiebant, ex Soto. ibid. 270
Animarum primum receptaculum ratione dignitatis eſt Cœlum empyreum. lib. 2. cap. 44. 267
Rationes contra ſtatum beatitudinis animarum ante diem Iudicij ſoluuntur lib. 2. cap. 43. 266
Quinque animarum receptacula, & diſcrimina inter illa explicantur. lib. 2. cap. 45. 270
Ex his receptaculis quattuor tantum vſque ad finem Mundi duratura ſunt. ibid. 279
Ex loco damnatorum, & lymbo puerorum animæ ad alia receptacula non tranſeunt, ita vt ad propria deinde receptacula reuerti non debeant. ibid. 272
Poſt finem huius mundi tria tantum erunt animarum receptacula, & quæ. ibid. 270
Solùm animæ ſeparatæ, quę ſunt in Purgatorio, ſunt capaces ſuffragiorum. ibid. 271
Errauit Origenes, qui ſenſit, animas per ſuffragia ex Inferno liberari poſſe. ibid. 272
Animæ ex omnibus receptaculis exire poſſunt ad tempus, præterquam ex limbo puerorum. ibid. 272
Anima Samuelis vere apparuit Sauli; nec per artem magicam, ſed iuſſu Dei ab Inferis fuit reuocata. ibid. 272
Anima Moſis ex limbo exiuit in transfiguratione Chriſti. ibidem. 273
Diuina diſpenſatione ſæpè animæ ex Purgatorio exeunt, & deinde illuc reuertuntur. ibid. 273
E Cœlo, & Inferno damnatorum nullus ad hanc vitam ità reuocari poteſt, vt anima corpori ſuo vniatur, & deinde rurſus moriatur. ibid. 274
Animæ in Purgatorio, & in Inferno eodem igne torquentur. ibidem. 275
Animarum perpetua loca duo tantùm ſunt, Cœlum ſcilicet, & Infernus. ibidem 275
Quiſnam ſit ordo inter iſta animarum receptacula. ibid. 275
An ordo inter illa conſtituatur eſſentialiter, an vero tantum accidentaliter. ibid. 275
Animæ, quæ ſunt in Purgatorio, & quæ erant in limbo Patrum, uiuentibus proſunt, non tamen illæ, quæ ſunt in limbo puerorum, vel in Inferno. ibidem. 276
Animas Purgatorij pro alijs utiliter orare, non eſt improbabile. ibidem 276
Animas, quę ſunt in Purgatorio, uiuentium ſuffragijs adiuuari, colligitur neceſſario, & principaliter contra ipſos hæreticos ex lib. 2. Mach. cap. 12. & quomodo. lib. 2. cap. 47. 282
Animæ in Purgatorio qua ratione mitiùs, & citra cōdignum puniantur, propter meritum Chriſti tribus modis exponitur. lib. 2. cap. 37. 224
Animæ Purgatorij ratione delicti, quod in hac vita commiſerunt, non bene dicuntur eſſe de foro Eccleſiaſtico: contra Medinam. lib. 2. cap. 50. 300
Animæ defunctorum ex Sacro Iubilæo plurimas utilitates quaſi ſecundariù, & cōſequenter acquirūt. lib. 2. ca. 51. 304
Animæ Purgatorij, cum ſint oues Chriſti, debent a Papa aliquo modo paſci, & adiuuari. lib. 2. cap. 48. 289
Vt anima defuncti ſit capax Indulgentiæ, nullam aliam dignitatem, ſeu idoneitatem requirit, niſi vt ſit in Charitate & gratia; & ut opus pro Indulgentia conſequenda præſcriptum per ſe, vel per alium efficiatur. ibidem. 291
Non eſt neceſſe ad hoc, ut anima iuuetur Indulgentijs; vt dum eſſet in hac uita, pium affectum peculiariter habuerit ad illas. Contra Caietanum. ibidem. 292
An vere ab inferno liberata fuerit anima Traiani. lib. 2. cap. 45. 272
aliqui falsò, & malè exiſtimant, hanc de Traiani animæ liberatione hiſtoriam fabuloſam, & inanem eſſe. ibid. 272
Theologice loquendo dicendum eſt illum, & alios ethnicos ſuſcitatos, non fuiſſe ſimpliciter & finaliter damnatos in infernum ſtatim poſt mortem. lib. 2. cap. 45. 272 & 274
anima à Deo per peccatum ſeparata, barbæ ſectæ aſſimilatur. lib. 5. cap. 16. 583
animus inordinatus ſibi ipſi pœna eſt. ibid. 584
anima, ſeu humanitas Chriſti quādam omnipotentiam habuit, tamquam inſtrumentum hypoſtaticè Verbo diuino coniunctum. lib. 2. cap. 34. 207
animalia, quæ multū coeunt, citò moriuntur. li. 5. ca. 16. 584
annus quinquageſimus apud Iudæos celeberrimus erat. lib. 1. cap. 1. 2
annus quinquageſimus remiſſionis, & Iubilæi annus dicebatur. ibidem. 2
annus ſeptimus erat Iudęis annus requietionis Domini. ibi. 2
anni Iubilæi exordiū Iudæis erat à menſe Septembri. ibi. 6
annus noſtri Iubilæi eſt tempus à Papa præſcriptum, in quo pleniſſima debitorum ſpiritualium remiſſio, & abolitio fit. lib. 1. cap. 2. 21
annus Iubilæi eſt annus Sacer, Annus Sanctus, & tempus miſerendi &c. ibidem. 21
anni ſancti tempore omnes Chriſtiani iubilant. lib. 1. ca. 4. 22
annus Iubilæi cur dicatur annus germinis. ibid. 24
annus Iubilæi eſt annus magnus Dei. ibidem. 24
annus Iubilęi ex Ioſephi ſententia annus Iobelus pronunciandus eſt. lib. 1. cap. 5. 24
annus Iubilæus quomodo rectè pronunciari debet. ibidē. 25
annus diuiditur in quatuor ſpecies, in ſolarem ſcilicet, lunarem, magnum, & emergentem lib. 1. cap. 7. 30
annus ſolaris duplex, Aſtronomicus, & Viſualis. ibidem. 30
annus quinquageſimus etiam ab origine Mundi fuit ſemper gaudijs, & beneficijs diuinis valde locupletatus. lib. 3. capite 1. 314
annus ſolaris à motu ſolis deſumitur. lib. 1. cap. 7. 30
annus aſtronomicus eſt ſpatium temporis, quo ſol totum Zodiacum ſuo motu percurrit, dum ab occaſu in ortum quotidie progreditur. ibidem. 30
annus aſtronomicus complectitur dies 365. horas quinque, & aliquot minuta. ibidem. 30
annus aſtronomicus ab initio ingreſſus ſolis in Ariete exorditur, id eſt 21. Martij. ibidem. 30
annus viſualis duplex, communis ſcilicet, & biſſextus. ibid 30
annus communis conſtat diebus 365. Biſſextus uero 366. ibidem. 30
annum quoad diuina officia Eccleſia exorditur ab Aduentu Domini. ibidem. 30
annus centeſimus eſt humanæ vitæ periodus. lib. 3. ca. 6. 334
anni initium quoad negocia fori idem eſt apud Eccleſiam Catholicam, quod olim apud Romanos. lib. 1. cap. 7. 30
annus lunaris duplex, Politicus, & aſtronomicus: & Politicus duplex, communis ſcilicet, & emboliſmicus. ibid. 30
annus lunaris communis, alter dicitur Cauus, qui habet dies 353. alter plenus, qui habet dies 354. vterque autem duodecim lunationes complectitur. ibidem. 30
annus lunaris emboliſmicus alter eſt plenus, dierum ſcilicet 384. alter cauus, dierum 383. ſed tamen vterque continet tredecim lunationes. ibidem. 30
annus lunaris aſtronomicus deſcribitur. ibidem. 30
annus emergens quis ſit, & quòd eſt multiplex pro rerum inſignium diuerſitate. ibidem. 30
annum emergentem Græci computant à prima Olympiade, Romani veteres ab Vrbe condita, Chriſtiani à prima Dominica die poſt Incarnationem Chriſti, & Principes ab exordio ſui regiminis. ibidem. 30
annus magnus duplex eſt, communis, & ſpecialis, & vterque ex multorum opinione deſcribitur lib. 1. cap. 7. 30. & lib. 4 cap. 9. 445
annus duplex apud Hæbræos; vulgaris, & ſacer. ibidem. 32
annus ſacer apud Chriſtianos quis ſit ex D. Ambroſio. ibi. 33
In anno Sancto conceditur nobis à Deo peculiaris modus bene ope-

bene operandi, qui extrà illud tempus ordinariè non datur, etiam cum præcepta implenda ſunt lib.4.cap.4 418
annus Iubilæi ex vi ſuæ conſecrationis habet virtutem inclinandi animum etiam ad virtualem diſplicentiam peccatorum venialium.ibidem. 419
anni ſancti concluſio cum qua ſolemnitate, & cæremonijs fiat.lib. 4.cap.17. 485
annus ſanctus cur tempus acceptabile, & dies ſalutis vocetur.lib.4.cap.4. 420
In anno ſancto pium eſſet litium ſtrepitus, & rumores quieſcere, ſaltem tempore peregrinationis.lib.5.cap.9. 531
annus ſanctus cur vocetur annus gratiæ.lib.4.cap.4. 420
anni ſancti dignitas ex viginti eius epithetis oſtenditur.lib.4.cap.9. 440
annus ſeptimus erat Iudæis Sabbatum terræ.lib.1.cap.1. 2
annus ſanctus Iubilæi Catholicis eſt vita, ſed hæreticis mors. lib.4.cap.9. 443
annus Iubilæi eſt altus, profundus, latus, & longus, & quomodo.ibidem. 445
In anno ſancto magnum eſt in Cœlo gaudium, & in terra de conuerſione peccatorum.ibidem. 446
annus ſanctus eſt Sabbatum Sabbatorum.ibid. 448
In anno ſancto Bulla Cruciatæ nemini ſuffragatur. libr. 4. cap 8. 436
anno Iubilæi maxima Dei iuſtitia aduerſus Indæos exercetur lib.5.cap.2. 490
annus Iubilæi in iudicium, & ruinam Politicorum noſtri temporis conuertitur.lib.5 cap.4. 501
annus integer proximè præcedens annum Iubilæi quaſi eiuſdem priuilegium cenſeri debet.lib.5.cap.10. 531
Etiam tempore Antichriſti erunt Romæ fideles vſque ad conſummationem ſæculi lib 3.cap.9. 350
Roma non eſt futura ſedes Antichriſti.ibidem. 352.& 353
Tempore Antichriſti Romanus Pontifex ex Vrbe ejcietur. ibidem. 352
Eodem tẽpore Roma euerſioni & incendio tradetur.ibi. 350
Tempore Antichriſti non ſolum Romæ, ſed etiam alibi erunt electi in mundo.ibidem. 350
Tempore Antichriſti erunt etiam, qui Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiant, & ad Chriſti veram Eccleſiam accedant, ex Auguſt.ibidem. 350
Quænam mala Antichriſtus in fine mundi facturus ſit, referuntur ex Hyppolito Martyre, & ex Lactantio.ibid. 350
Antichriſtus adhuc viuens detrudetur in Infernum.ibi. 352
Antichriſtus Babylone naſcetur, & ex quo genere.ibi. 353
Antichriſti tempore Imperium in Aſiam reuerſurum, & iterum Occidentem ſub Orientis Imperio futurum, ex Lactantio.ibidem. 353
Antichriſtus ſedebit in iudaico templo Salomonis.ibi. 354
Antichriſtus numquam ſedebit, tamquam Epiſcopus, in Eccleſia Chriſtianorum.ibid. 354
antiquitas doctrinæ, & priſcorum rituum vſus Catholicæ veritatis, & veræ fidei notæ ſunt lib.5.cap.12 538
In die Pentecoſtes Chriſtus poteſtate excellentiæ contulit Apoſtolis effectum Sacramenti Confirmationis, id eſt plenitudinem Spiritus Sancti.lib.2.cap.8. 95.
In die Pentecoſtes ignis, & linguæ deſcenderunt vice olei, & balſami; cum quibus aliquam habent conformitatem; ex D.Thoma.ibidem. 96
Apoſtoli eodem die Pentecoſtes rem Sacramenti, & Characterem Confirmationis acceperunt.ibid. 96
Nullum aliud confirmationis Sacramentum habuerunt Apoſtoli, præter illud dies Pentecoſtes.ibid. 96
Apoſtoli eo die receperunt plenitudinem Spiritus Sancti ad robur.ibidem. 96
Apoſtoli per viſibilem Spiritus Sancti miſſionem in bono confirmati fuerunt.ibidem. 96
Eodem die Apoſtoli omnem gratiarum gratis datarum cumulum acceperunt.ibid. 96
Per illa verba, *Quodcumque ſolueris, &c.* data eſt à Chriſto Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtas ampla cognoſcendi cauſſas peccatorum, & illorum pœnas ſoluendi, ex Hilario, Hieronymo, & alijs Patribus; & ideo male Theophylactus interpretatur hunc locum de remiſſione iniuriarum.lib.2.cap.10. 101
Excepto Petro, reliqui Apoſtoli aliquem vſum, ſeu actum Clauium Regni Cœlorum acceperunt; non autem poteſtatem Clauium ſecundum totam ſuam latitudinem. lib. 2. cap.13. 108.& 109
Cæteri Apoſtoli æquales inter ſe ſe fuerunt quoad poteſtatem ligandi, & ſoluendi.ibid. 109
Omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro in munere Apoſtolico, non tamen in tota poteſtate Clauium.ibid. 109
Quibus in rebus cæteri Apoſtoli fuerint æquales Petro, vel inæquales.lib.2.cap.14. 109.& 110
Omnes Apoſtoli à Chriſto immediatè acceperunt Iuriſdictionem in totum Orbem.ibid. 109
Poteſtatem Iuriſdictionis à Chriſto immediatè receperunt omnes Apoſtoli.lib.2.cap.23. 148
Chriſtus ante ſuam Paſſionem Apoſtolos creauit.ibid. 148
Prius diſcipuli Chriſti fuerunt Apoſtoli, quàm Sacerdotes, & Epiſcopi.ibid. 148
Apoſtoli omnes etiam ordinis Epiſcopalis poteſtatem à Chriſto immediatè acceperunt.ibid. 149
Apoſtolatus officium non ſolum poteſtatem Iuriſdictionis, ſed etiam Sacramentalem, & pontificiam eſſentialiter includit.ibidem. 149
Omnes Apoſtoli in vltima Cœna vnico actu, Sacerdotali, & Epiſcopali ordine, & Charactere per poteſtatem excellentiæ à Chriſto inſigniti fuerunt.ibidem. 149
Chriſtus in Cœna non contulit Apoſtolis omnem poteſtatem, quæ Sacerdoti, & Epiſcopo competit.ibid. 149
Apoſtoli diuerſo actu acceperunt poteſtatem conſecrandi, & abſoluendi à peccatis.ibid. 149
Ratio muneris Apoſtolici non ſolum continet ius prædicandi cum ampliſſima auctoritate exteriori, ſed etiam proprie ius regendi, & gubernandi animas.ibid. 150
Fallitur Albertus Pighius, dum dicit, verba illa, *Sicut miſit me Pater.* Non ſolum Apoſtolis, ſed etiam omnibus diſcipulis à Chriſto dicta fuiſſe.ibid. 151
Solùm Apoſtoli in Cœna Sacerdotes à Chriſto inſtituti fuere, non autem diſcipuli.ibid. 151
Speciali quodam priuilegio reliqui Apoſtoli non à Petro, ſed ab ipſo Chriſto ordinati fuerunt.ibid. 157
Cæteri Apoſtoli, excepto Petro, non fuerunt propriè Epiſcopi totius Orbis, contra Sotum.lib 2.cap.16. 123
Apoſtolorum reliquiæ quantoperè Romam illuſtrent. lib. 3.cap.1. 338
Corpora Apoſtolorum eodem anno, quo paſſi ſunt, ab Orientalibus è Vaticano ad Cœmeterium Calixti translata fuerunt, ex Gregorio.lib.3.cap.13. 361
Signis è Cœlo horribilibus apparentibus inde à Romanis in priorem locum reportata fuerunt ibid. 361
Non eſt omnino improbabilis opinio Panuinij, poſt aliquot annos ſacra Apoſtolorum corpora ad eaſdem catacumbas delata fuiſſe, & à Lucina matrona iterum ad priora loca ipſorum reportata fuiſſe.ibid. 361
Quod Apoſtoli facere potuerunt ex ordinaria poteſtate Regiminis Eccleſiaſtici, idem nunc quoque poteſt facere Chriſti Eccleſia.lib.4.cap.11. 456
Apoſtoli etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum aſcenderunt in templum hieroſolymitanum, vt orarent ad Dominum.lib.6.cap.4. 618
Apoſtoli multas Eccleſias conſecrarunt, & inter illas etiam Domum Lauretanam.lib.6.cap.14. 645
Apoſtolus nihil ſine Dei ſpiritu agebat, ex D.Ambroſio.lib. 2.cap.17. 127
Apoſtoli numquam tam frequenter Spiritus Sancti gratiam, per manuum impoſitionem contuliſſent, niſi præceptum à Domino, de ea re habuiſſent.lib.4.cap.11. 454
Multa facta Apoſtolorum literis conſignata non fuerunt. lib.6.cap.13. 643
Ea, quæ ſunt neceſſaria ad fidem, etiamſi ſcripta non ſint, uiua uoce a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis tradita fuere ibidem. 643
Non omnia Apoſtolorum geſta conſcripta ſunt in actis Apoſtolicis à D.Luca.ibid. 643
Conſuetudo Eccleſias conſecrandi ab Apoſtolis emanauit. lib.6.cap.14. 645
Ex verbo Dei traditione Apoſtolica per vniuerſam Eccle-

ſiam delatę, mos conſecrandi Eccleſias originem, & auctoritatem habuit.ibid. 645

Corpora Apoſtolorum Petri,& Pauli in partes æquales diuiſa in eorum Baſilicis in Vrbe ædificatis recondita ſunt. lib.3.cap.13. 366

Ex more antiquiſſimo in Eccleſia Catholica Aqua, Oleum, Cerei, Cineres, Rami, Sal, Panis, & alia ſimilia benedicuntur ex Chriſti facto,& D.Pauli doctrina.lib.4.cap.7. 431

aquæ conſecratio eſt traditio Apoſtolica.ibidem. 431

Dum ægrotus viſitatur à Presbitero, Cubiculum, & ipſe etiam ægrotus aqua ſancta aſpergi debet,ex Conc.Nannetenſi.ibidem. 431

Non eſt tribuenda Alexandro Primo,Romano Pontifici,aquæ benedictæ inſtitutio,ſed ipſis Apoſtolis,contrà Caluinum.ibidem. 431

Conſecratio aquæ,& aliarum rerum omni Magia,& ſuperſtitione caret,contrà Tylemanum Hæreticum.ibidem. 432

Quindecim effectus aquæ benedictæ referuntur ex Turrecremata.ibidem. 431

aqua cineribus admiſta mundabantur Iudæi à ſordibus legalibus.ibidem. 432

aqua cum puſillo terræ de pauimento Tabernaculi ſumpræ, maledicta à Sacerdote;adulteram,vel non adulteram mulierem oſtendebat.ibidem. 432

De aquæ benedictæ virtute quædam admiranda ex Epiphanio,& Theodoreto.ibidem. 433

aqua Ciſternæ, quæ erat in Porta Bethlehem,fuit figura Indulgentiarum,quæ in Porta Sancta,anno Iubilęi hauriuntur.lib.5.cap.12. 542

Miſtio aquæ cum vino in Calice ex Chriſti inſtitutione manauit,ex D.Cypriano,& D.Auguſt.lib.4.cap.11. 455

arca Noè centum annorum ſpacio fabricata fuit.libro 6.cap.17. 654

Cur in Arca Noè ſeptem tantum animalia ex mundis recepta ſint.ex D.Ambroſ.lib.3.cap.2. 319

Argumentum negatiuum nihil concludit,lib.6.cap.13. 643

D.Athanaſius Vitam B.Antonij adhuc viuentis conſcripſit, non autem eius obitum.lib.6.cap.25. 694

B

BAptiſmus eſt Indulgentia principalis in Eccleſia.libro 1. cap.3. 18

Baptiſmus eſt quædam Indulgentia plenaria. ibidem. 28

Baptiſmi triplex genus ex ſententia Ioannis Oſorij reperitur,aquæ ſcilicet,lachrymarum,& Indulgentiarum.ibi. 18

Baptiſmata hæc tria figurata fuerunt per tria legis veteris lauacra,quæ erant,Probatica Piſcina,Mare Æneum, & labrum æneum de ſpeculis mulierum compactum.ibidē. 18

Quando plures vnum baptizant, vnicus tantum eſt Baptiſmus lib.2.cap.35. 214

Errauit Lutherus dicens,per Baptiſmum non omninò deleri peccatum originale lib.2.cap.44. 269

Baptiſmi effectus eſt incorporatio cum Chriſto Domino.lib.5.cap.15. 569

In Baſilica Vaticana partes,& loca peculiaria diuerſis nationibus in anno ſancto aſſignabantur.lib.2.cap.21. 142

ante Bonifacium VIII.anno Iubilæi Romæ tantùm Baſilica Sancti Petri viſitabatur pro Indulgentiarum adeptione. lib.3.cap.12. 358

Baſilica Vaticana Sancti Petri eſt radix, & fundamentum Iubilæi anni ſancti ibidem. 358

Æquum fuit Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas ſimul anno ſancto viſitari. 358

Baſilica Sancti Petri ſpecialiter honoranda eſt.ex D.Gregorio.lib.3.cap.13. 360

In Baſilica D.Petri pars dimidia corporis B.Pauli Apoſtoli poſita eſt.ibidem. 366

In Baſilica Vaticana fit magnum Conuiuium pauperum. ex Paulino.ibidem. 365

Sex Portarum huius Baſilicæ nomina deſcribuntur. libro 3. cap.13. 365

ante tempora B.Hieronymi altare maius Baſilicę Vaticanę ſacrificijs ſolius Romani Pontificis reſeruatum erat. ibidem. 367

Errauit Serranus exiſtimans in Baſilica Vaticana aſſeruari Sudarium Capitis Chriſti,& non faciei.ibidem. 371

Baſilica Vaticana etiam hoſtibus fidei metuenda,& miranda extitit.ibidem. 371

Mulier Chriſtiana traditur à Barbaro Cuſtodibus Baſilicę Sancti Petri,ut marito ſuo intacta cuſtodiretur.ibid. 371

Pręclarum Ennodij Diaconi, & Gregorij Turonenſis de dignitate Baſilicę Vaticanę teſtimonium.ibidem. 372

Gothi,oēs confugientes ad Baſilicas Sanctorū Petri, & Pauli,ab omnibus iniurijs tutos eſſe volebant.lib.3.ca.14. 396

Baſilica Vaticana omnes alias,etiam Lateranenſem, in multis ſuperat.lib 4.cap.14. 474

Baſilica Vaticana ſeptem Portas habebat, contrà Panuinium.ibidem. 475

Baſilica ampliſſima in loco Aſcenſionis Domini conſtructa fuit,quę tamen in ea parte, qua Chriſtus in Cœlum aſcendit numquam tecto operiri potuit.lib.6.cap.13. 644

Bonifacius VIII. addidit in Iubilęo viſitationem Baſilicę Sancti Pauli.lib.3.cap.12. 358

Clemens VI addidit viſitationem Baſilicę Lateranenſis, & Gregorius XI.Baſilicæ Sanctę Marię Maioris.ibid. 359

Baſilica Sancti Laurentij extrà muros Vrbis non eſt ęquanda alijs Baſilicis, quę viſitantur in anno ſancto, contrà Panuinium.ibidem. 359

Baſilica D.Pauli eodem die,quo Vaticana,à D.Silueſtro Papa conſecrata fuit.lib.3.cap.14. 373

Porta Sancta huius Baſilicę ab Illuſtriſſimo D.Cardinali Decano aperitur anno ſancto.ibidem. 374

ad luminaria in eadem Eccleſia ſemper conſeruanda maſſa argentea relicta fuit,ex D.Gregorio.ibidem. 375

Baſilica Sancti Pauli tremenda, & admiranda ex D.Gregorio demonſtratur.ibidem. 375

D.Hieronymus Baſilicæ D.Pauli via oſtienſi mentionem facit ibidem. 376

Baſilica Patriarchalis Sanctę Marię Maioris varijs nominibus appellata eſt.lib.3.cap.16. 389

Baſilicę duę D.Cypriano apud Carthaginem erectę fuerunt.lib.6.cap.14. 649

D.Baſilij ſumma temperantia,& abſtinentia laudatur. lib.2. cap.29. 183

Bellorum incommoda quamplurima recenſentur ex D.Hieronymo,& D.Auguſtino.lib.5.cap.10. 532

Benedictio Epiſcopalis ex Chriſti, & Apoſtolorum traditionibus orta eſt.lib.2.cap.21. 139

Benedictio Epiſcopalis etiam priuata valde proficua oſtenditur.ibidem. 140

Benedictio Cerei Paſchalis antiquiſſima eſt, ſicut etiam Cinerum,& Palmarum.lib 4.cap.7. 432

Res benedictę ad morborum, & dęmonum expulſionem valent.ibidem. 432

Oleo,& pane benedicto quamplures à D.Bernardo ſanitati reſtituti fuerunt.ibidem. 433

Grana benedicta in anno ſancto non ſuffragantur. lib.4. capite 8. 437

Benedictio maior eſt culpę remiſſio.lib.1.cap.3. 29

Beneficium Principis non in prędicium tertij,latiſſimè interpretandum eſt.lib.5.cap.55. 566

decem maxima Dei beneficia populo Hebræo collata enumerantur,& copioſiſſimè explicantur.lib.5.cap.2. 491

Nullum gratię beneficium alicui purę creaturę collatum,eſt denegandum B.Virgini.lib.2.cap.6. 87

Bonum Perſeuerantię neceſſarium eſt ad ſalutem. libro 5. cap.16. 588

Bonum Perſeuerantię eſt maximum omnium, quę in hac mortali vita à Deo poſſunt obtineri.ibidem. 589

Boni Perſeuerantię definitio,& explicatio ibidem. 589

bulla Cruciatę nemini ſuffragatur durante anno ſancto. lib.4.cap.8. 436

Burlingerus vehementer errat, dum putat apud D.Paulum ad Coloſſ.1. legendum eſſe, *ſuppleo ea,quæ ſuperant*; non autem, *ea,quæ deſunt*, paſſionum Chriſti:non enim ſuppletur quod ſuperabundat;ſed ſolum id, quod deeſt. libro 2. cap.24. 161

C

CAin numquam ſui peccati vltimam,& finalem egit pœnitentiam.contrà Medinam.lib.2.cap.42. 239

Cain ſeptem peccata commiſit, ex D.Hieronymo. ibid. 240

Calamitas

Calamitas Iob velut arena maris ſupra peccata, & culpas ipſius grauior fuit. lib. 1. cap. 24. 158
Calamitates populi Iudæorum enumerantur li. 5. ca. 2. 496
Cathecumenus iuſtificatus, nedum hæretico baptizato, ſed etiam peccatori Catholico, & Chriſtiano anteponendus eſt. lib. 5. cap. 15. 569
Cathecumenus, gratia Dei informatus, eſt aliquo modo membrum Chriſti, & Eccleſiæ, non tamen ſimpliciter, & abſolutè. ibidem. 569
Cathecumeni ſunt Eccleſiæ membra, non merito, ſed nomine ro. ibidem. 569
Cathecumenus in Chriſtum credens eſt ipſi Chriſto mentaliter tantum incorporatus ante ſuſceptionem Baptiſmi. ibidem. 569
Pulchra D. Chryſoſtomi ſententia de Cathecumenis. ibidem. 569
Cathecumenus cum voto Baptiſmi, deficiente illius copia in re, ſi pro Chriſto Martyrium ſubeat, ſtatim ad Cœlum euolabit. ibidem. 570
Cathecumenus in gratia decedens, ſi pœnas perſoluendas non habeat, ſtatim ad Beatitudinem æternam admittitur. ibidem. 570
Cathecumeni ſunt indirectè, & reductiuè ſub poteſtate Eccleſiæ. ibidem. 571
Cathecumenus excommunicari, vel interdici non poteſt. ibidem. 571
Cathecumenus, etiam in gratia, & Charitate exiſtens, ante actualem ſuſceptionem Baptiſmi, non eſt capax Indulgentiarum, quæ dantur per modum abſolutionis, & preſertim id accidit de Iubilæo anni ſancti. ibid. 571
Cathecumeno iuſto, tàm viuenti, quàm defuncto applicari poſſunt à Papa per modum ſuffragij Indulgentiæ Eccleſiaſticæ ibid. 572
Cathecumeni non ſunt participes fructus ſacrificij Miſſæ. ibidem. 573
Receptio Euchariſtiæ non prodeſt Cathecumeno ante Baptiſmum. ibid. 573
Cathecumenus, etiam ſi in gratia, & cum voto Baptiſmi decedat, in Eccleſia, vel Cæmeterio Chriſtianorum non ſepelitur. ibid. 572
Cathecumeno applicare poteſt Sacerdos portionem ſuæ ſatisfactionis. ibid. 572
Cathecumenorum iuſtorum ſatisfactiones etiam ante Baptiſmum in ſuperabundantes in Eccleſiæ Theſauro reponuntur, lib. 2. cap. 19. 183
Omnis pia cauſſa in Bullis à Pontifice expreſſa ſufficiens eſt ad Indulgentias. lib. 5. cap. 14. 547
An ſemper iuſta cauſſa in concedendis Indulgentijs exprimatur, vel neceſſario requiratur. ibid. 546
Sex cauſſæ, quibus homines mouentur ad peregrinandum ex Pererio. lib. 6. cap. 3. 608
Septem aliæ cauſſæ peregrinationum ex Patribus collectæ. ibidem. 608
Cauſſa Lauretani Sacelli eſt communis Deo, & Sanctiſſimæ eius Matri Mariæ Virgini, quia illud fuit vtriuſque domicilium lib. 6. cap. 18. 663
Sex cauſſæ ſomniorum ex D. Gregorio aſſignantur. lib. 6. cap. 19 668
Cauſſa, ob quam Indulgentia anni ſancti conceditur, grauiſſima eſt. lib. 2. cap. 42. 142
Quando plures cauſſæ concurrunt ad eundem effectum, quælibet totum facit, non totaliter, ſed partialiter. lib. 2. cap. 35. 114
Ex parte obiecti electio, & dilectio Chriſti non ſolum eſt cauſſa finalis, ſed etiam meritoria omnis diuinæ dilectionis, & electionis erga homines. lib. 2. cap. 37. 119
Sex cauſſæ grauiſſimæ afferuntur, ob quas Summi Pontifices, duce Spiritu Sancto, Annum ſacrum ſummis Indulgentijs adornarunt. lib. 3. cap. 4. 516
duodecim cauſſæ, ob quas Proceſſiones fiunt in Eccleſia Dei. lib. 4. cap. 15. 479
Cenſus Domorum Vrbis, ne augeantur ante annum ſanctum curandum eſt. lib. 5. cap. 10. 533
Ceſſatio à peccato, eſt vera ceſſatio, à labore. lib. 4. cap. 9. 448
Charitatis natura efficit communionem mutuæ amicitiæ. lib. 2. cap. 18. 128
Charitatis gradus etiam minimus, omne mortale peccatum remittit: at feruor Charitatis remiſſus non delet omne veniale. lib 4. cap. 6. 419
Chyrotonia eſt impoſitio manus, ſeu Ordinatio. ex D. Chryſoſt. & alijs. lib. 2. cap. 23. 151
Chyrotonia non eſt extenſio manuum ad orandum, ſiue ad ferendum ſuffragium: ſed eſt impoſitio manus ſuper capita ordinandorum ibid. 152
Chyrotonia, & Chyroteſia in ordinatione Presbiteri idem eſt. ibidem 152
Chriſtus eſt Corona, & annus benignitatis. libro 1. capitulo 2. 9
Chriſti humanitas corona benignitatis dicitur, quòd omnibus virtutibus conflata, nullum bonitatis, & iuſtitiæ finem habeat; nec excedat, nec deficiat. ibid. 10
Chriſtus exaltatus in Cruce nouum iter ad Cœlum nobis aperuit. lib. 2. cap. 4. 73
Chriſtus in Cruce manus extendens totum dimenſus eſt Orbem, & quomodo. ibid. 74
Chriſtus non ſolum, vt Deus; ſed etiam, ut homo, eſt Caput Angelorum, contra Gabrielem. lib. 2. cap. 5. 77
Chriſtus, ut homo, eſt Dominus Angelorum. ibid. 78
Chriſtus eſt caput non ſolum viatorum, ſed etiam comprehenſorum. ibid. 78
Chriſtus ſecundum humanam naturam cauſſat aliquid in Angelis, videlicet cognitionem, honorem, gaudium, & varia dona gratiarum. ibid. 78
Chriſto aſcendenti in Cœlum, & in eo Regnanti, cicatrices vulnerum decorem maximum addunt, non autem deformitatem tribuunt. ibid. 78
Chriſtus, ut homo, mittit Angelos in miniſterium noſtræ ſalutis, eoſque ipſe docet ea, quæ ad tale munus pertinent. ibidem. 79
Chriſtus non indiguit cuſtodia Angelorum, neque ſecundum animam, neque ſecundum corpus. ibid. 97
Chriſto tamquam viatori datus eſt Angelus, non ut cuſtos, ſed vt miniſter & inferior. ibid. 79
Non tantum vnus Angelus Chriſto, ſed multi, ſeu omnes Angeli, ut ſerui dati ſunt. ibid. 79
Chriſtus inſtruxit, & docuit Angelum, qui ad ſeipſum confortandum deſcendit, dum in horto ad Patrem tempore Paſſionis oraret. ibid. 80
Chriſtus, vt homo, iudicabit Angelos, etiam quoad præmium, vel ſupplicium eſſentiale, ſaltem iudicio approbationis. ex Riccardo, & D. Bonauentura. ibid. 80
Chriſtus non eſt mortuus pro Angelis, nec illorum Redemptor, uel Saluator fuit. ibid. 81
D. Hieronymus non ſenſit, Chriſtum Dominum pro Angelis mortuum eſſe ibid. 81
Chriſtus pro ſolis hominibus ſemetipſum Deo Patri in ſacrificium obtulit. ibid. 81
Qui ſentiunt, Chriſtum meruiſſe Angelis omnia dona Gratiæ, & Prædeſtinationem, vt Suarez, debent etiam conſequenter fateri, meruiſſe quoque illis remedia præſeruatiua à peccato. ibidem. 82
Chriſtus, licèt vniuocè ſit caput hominum, & Angelorum; magis tamen dicitur caput hominum. ibidem. 82
Chriſtus propter humanitatem aſſumptam conformior eſt hominibus, quàm Angelis. ibidem. 83
Homines, non Angeli appellantur fratres Chriſti. ibidem. 83
Chriſtus plura influit in homines, quàm in Angelos. ibidem. 83
Chriſtus reſtaurauit Angelorum ruinas, implendo illas ſanctis hominibus. ibidem. 83
Chriſtum pacificare quæ in terris, & quæ in Cœlis ſunt, nihil eſt aliud, quàm homines cum Sanctis Angelis, remoto peccato, coniungere. ibidem. 83
Chriſtus caruit omni fomite, non ex priuilegio aliquo ſpeciali; ſed per ſe, & ex ſua natura. lib. 2. cap. 6. 90
Chriſtus B. Virginem, & D. Petrum baptizauit, ex Nicephoro. lib. 2. cap. 7. 94
Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem dedit Apoſtolis poteſta-

tem abſoluendi à peccatis. lib. 2. cap 23 149
Qui vice Chriſti aliquid donat, in perſona Chriſti donat. libro 2. cap. 17. 114
Confirmatur à Chriſtu id, quod eius nomine, & auctoritate fit. ibidem. 124
Solus Chriſtus eſt Saluator, & Redemptor Generis humani lib. 2. cap. 18. 129
Chriſtus ſufficientiſſimè, & efficaciſſimè operans, non excluſit noſtras ſatisfactiones. ibidem. 129
Solus Chriſtus potuit applicare ſua merita de condigno. lib. 2 cap. 22. 144
Chriſti Paſſio per Claues Eccleſiæ quoad remiſſionem pœnæ temporalis finito modo nobis applicatur. ibidem. 144
Chriſtus in Cœna non contulit Apoſtolis omnem poteſtatem Sacerdotalem, aut Epiſcopalem. lib. 2. cap. 23. 149
Chriſtus non declarauit ſolum, ſed nouam tradidit poteſtatẽ Ioan. 20. abſoluendi à peccatis, contrà Caluinum. ibi. 150
Chriſtus, vt hõ, numquã fuit in Paradiſo terreſtri. li. 2. c. 43. 244
Ante Chriſti aduentum mors iuſtorum deplorabatur; poſt illum verò cum lætitia, & gaudio celebratur. ibid. 264
ante Xpi aduentũ mũri verè miſeria erat, nũc verò poſt eius Incarnationẽ iuſtis viris eſt initiũ æternæ felicitatis. ib. 264
poſt mortem Chriſti Limbus Patrum habitatore caret. lib. 2. cap. 44. 269
Chriſtus quando deſcendit ad Inferos non euacuauit totum Purgatorium. lib. 2. cap. 48. 293
Errauit Irenæus affirmans, Chriſtum vixiſſe annis quinquaginta. lib. 3. cap. 6. 335
Chriſtus reuera obijt anno ætatis ſuæ trigeſimotertio inchoato, ſed non expleto, i. expleto integro trigeſimoſecundo, cũ tribus prætereà mẽſibus, & paullo amplius. ibi. 335
Ante Chriſti aduẽtum apud Frãcos erectum fuit Templum in honorem Virginis pariture, ex Caſſanæo. li. 3. c. vlt. 369
Chriſtus fuit benedictus deſuper in Cœlo, & deorſum in abyſſo. lib. 4. cap. 9. 444
Chriſtus triplicem habuit benedictionem. ibidem. 444
Male Durandus, & Roffenſis Chriſtum in Cœna vinum aqua temperaſſe negarunt. lib. 4. cap. 11. 455
Chriſtiano homini nulla quies ſecurior, quàm in latere Chriſti pro nobis aperto. lib 4. cap. 17. 485
Tempore Natiuitatis Chriſti ſumma Pax erat in Vniuerſo terrarum Orbe. lib. 5. cap. 10. 531
Chriſtiani in bonis operibus exequendis, nec vim Cenſurarum Eccleſiæ, nec articulum extremæ neceſſitatis expectare debent. lib. 5. cap. 12. 540
Chriſtus, & ſancti eius pro diaboli membris, i. pro exiſtẽtibus in peccato mortali intentionem non habuerunt applicandi efficaciter ſua opera ſatisfactoria. lib. 5. cap. 15. 551
Chriſtus partim Nazareth, partim in Ægypto educatus, & nutritus fuit lib. 6. cap 11. 640
Chriſtus in diuerſorio adhuc degens, vbi natus erat, non autẽ in domo Ioſeph circũciſus fuit, cõtrà Nicep. li 6. c. 12. 640
cur Chriſtus non Bethleemiticus, vel Hieroſolymitanus; ſed Nazarenus vocatus fuit ibidem. 643
Chriſtus literarum ſtudijs operam non dedit. ibidem. 643
Quæ de Saluatoris infantia ſcripta fuerunt à Valentinianis Hæreticis, vana fuere. ibidem. 643
Chriſtus propria virtute, & poteſtate; cæteri verò in eius nomine miracula faciunt. lib. 6. cap. 22. 681
Chriſtus eſt fons Gratiæ, B. Virgo aquæductus; alij ſancti ſunt quidam riuuli. ibidem. 684
Chriſtus magis amat B. Virginem, quàm Eccleſiam, contrà Abulenſem. ibidem. 684
Per Chriſtum omnia nobis donantur. ibidem. 685
Chriſtus Ieſus potius incarnatus eſt pro B. Virgine Maria redimenda, quàm pro omnibus hominibus etiam collectiuè ſumptis. lib. 2. cap. 6. 88
Chriſtus habuit gratiam capitis, & vniuerſalem; cæteri verò habent particularem. lib. 2. cap. 28. 168
Chriſtus quantum ad gloriam animæ ſuæ, & præmium eſſentiale nihil ſibi meruit. lib. 2. cap. 31. 194
Chriſtus pro culpis, & pœnis hominum non ſolum ſufficienter, ſed etiam ſuperabundanter ſatisfecit lib. 2. cap. 34. 201
Chriſtus indirectè aliquo modo fuit cauſſa ſuæ mortis, & paſſionis. lib. 2. cap. 34. 203
Chriſti ſanguis longiſſimis interuallis diſtat à ſanguine Martyrum. ibidem. 204
Vna tantũ gutta ſanguinis Chriſti fuiſſet ſufficientiſſimum prætiũ ad redimendũ totũ Genus humanũ. li. 2. c. 34. 206
Chriſtus in ſingulis ſuis operationibus ſatisfecit Deo ex toto rigore Iuſtitiæ. ibidem. 207
Chriſtus, vt hõ, abſolute loquendo, non fuit oĩpotens. ibi. 207
In Chriſto nulla naturarum, vel proprietatum confuſio facta eſt. ibidem. 207
Chriſtus per actiones humanitatis ſuæ non ſolum corpora ſanabat, ſed etiam animas iuſtificabat. ibidem. 207
Chriſtus ſanabat ægrotos quantumlibet longè diſtantes. ibidem. 207
Chriſtus non ſolum per aſſiſtentiam diuinæ virtutis, uel per impetrationem, ſed ex propria virtute diuina, & motione miracula faciebat. ibidem. 207
Chriſti caro infinitam habebat dignitatem, quia caro Dei erat. ibidem. 208
Chriſti mors fuit ſpecialiter deputata in prætium noſtræ ſalutis. lib. 2. cap. 35. 213
Chriſtiani multas habuerunt uictorias contrà hæreticos, & infideles hoc ultimo ſæculo, quæ omnes breuiter explicantur. lib. 1. cap. 10. 55
Chriſtus multis nominibus, & vijs operatus eſt noſtram ſalutem. lib. 2. cap. 35. 213
Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis meruit nobis ſanctificationem. ibidem. 213
Chriſtus ab eodem inſtanti ſuæ conceptionis intrinſecè perfectum meritum habuit. ibidem. 214
Chriſtus ab eodem inſtanti, vſque ad vltimum inſtans ſuæ uitæ ſine vlla intermiſſione ſemper meruit. ibidem. 214
In Chriſto uirtutes numquam fuerunt ocioſæ, ſeu tantum in actu primo. ibidem. 214
Chriſtus ſemper ab uno actu ad alium tranſibat; ſed numquam ab actu ad non actum. ibidem. 214
Per plures Chriſti actus non fuit nobis acquiſita maior gratia, quàm per primum. ibidem. 214
Probabile eſt, Chriſtum noluiſſe omnes gradus gratiæ, & alia ſupernaturalia nobis acquirere. ibidem. 214
Chriſtus non concurrit ad remiſſionem pœnæ, vt cauſſa particularis, ſed vniuerſalis. lib. 2. cap. 36. 215
Chriſtus definiuit numerum membrorum ſuorum, & magnitudinem meritorum, & paſſionum eorum. libro 2. capite 14. 161
Sicut Chriſti corpus nullam in ſepulchro paſſum eſt corruptionem ita nec corpus B. Virginis. lib. 1. cap. 35. 211
Chriſtus principaliter remittit pœnas in Indulgentijs. lib 1. cap. 35. 209
Chriſtus re ipſa fuit perſonaliter in Limbo Patrum ad eos liberandos. lib. 2. cap. 44. 270
Chriſtus ad inferos deſcendens nullum ſolamen damnatis, aut pueris non baptizatis exhibuit; immò damnatis accidentalem afflictionem auxit. lib. 2. cap. 45. 271
Chriſtus natus eſt anno tertio Olimpiadis centeſimæ nonageſimæquartæ, vt placuit Euſebio; vel in anno quarto euiuſdem Olimpiadis, vt Pererio, vel deniquè in ſecundo, ut Cardinali Baronio. lib. 3. cap. 1. 313
Non bene Cyrillus Hieroſolymitanus affirmauit, Chriſtum natum fuiſſe anno quarto Olimpiadis octuageſimæſextæ. ibidem. 313
Chriſtus fuit lapis initio paruulus, qui deinde factus eſt mõs magnus. lib. 3. cap. 3. 325
Chriſtus dupliciter Iubilæum obſeruauit, & quomodo. ibidem. 325
Chriſtianus cenſendus non eſt, qui non ſalua pietate, & religione Rempublicam adminiſtret. ex D. Auguſtino lib. 5 cap. 4. 504
Chriſtus laudauit accedentes ad Iohannem Baptiſtam lib. 6. cap. 1. 592
Chriſtiani cur potius ad vnam, quàm ad aliam Sacram Ædẽ rectè peregrinentur. lib. 6. cap. 4 619
Chriſtus tempore ſuæ Paſſionis aſcendit gradus Scalæ Sanctæ, quæ nunc Romæ eſt apud Lateranenſem Eccleſiam, contrà Panuinium. lib. 3. cap. 15. 388
Quamdiu fuerit Chriſtus in Ægypto non conſtat apud Patres.

tres. lib.6. cap.13. 640
Chriſtus in rebus domeſticis peragendis,& in arte fabrili Diuo Ioſepho auxiliabatur. ibid. 642
Chriſtiani ad tria præcipuè in Eccleſia conueniunt. lib.6. cap.16. 653
Chriſtus non ſolum in vtero, ſed etiam in animo B. Virginis ſingulari modo habitauit. lib. 2. cap.6. 87
Chriſtiano duplex via proponitur, vna iuſtitiæ, & mãdatorũ; altera perfectionis, & conſiliorum.lib.2.cap.31. 193
Chriſtus addi voluit theſauro Indulgentiarum ſatisfactiones Sanctorum, ut ipſi tamquam coadiutores, & amici Dei à nobis honorentur.lib.2.cap.36. 216
Quid ſignificetur per aquam,& ſanguinem, quæ de Chriſti latere fluxerunt.lib.2. cap.37. 219
Chriſti voluntas libere acceptans, & offerens Patri ſanguinem ſuum, etiam poſt mortem effuſum,fuit cauſſa meritoria noſtræ ſalutis. ibidem. 219
A Chriſto non ſolum emanat auxilium ad opus meritoriũ efficiendum; ſed etiam ipſius operis dignitas, & valor,ob quem de condigno, & ex iuſtitia præmium ei debeatur. lib.2. cap.37. 221
Chriſtus numquam prohibuit,ne ab Eccleſia adderentur noui ritus ad Sacramenta, & alia diuina myſteria commodiùs adminiſtranda lib.4. cap.31. 457
Chriſtus modos, & ritus miniſtrandi Sacramenta Eccleſiæ ſuæ determinandos reliquit. ibidem. 457
Chriſtiani negligentes, ac tepidi, ſicut olim per Gothos, & Longobardos,ita nunc per Tartaros, Mahumetanos, & alios infideles à Deo puniuntur.lib.6. cap.17. 657
Non eſt veriſimile, Chriſtum Apoſtolis minores ordines cõtuliſſe, nõ autem ordinem Epiſcopalem.lib 2.cap.23.150
Ex baſi ſtatuæ Chriſti ab Hemorroiſſa, fabricatæ in eius honorem herba ſalutaris ad omnes ægritudines naſci ſolebat.lib.6. cap.15. 652
Chriſtus ante Reſurrectionem diſcipulos miſit ad prædicandum.lib 2. cap.10. 302.
Sicut inter res creatas nulla eſt precioſior Humanitate Chriſti; ſic in uniuerſo Mundo nullus eſt locus dignior utero Virginali.lib.2. cap.35 211
Opinio Suarez, quòd Chriſtus, vt caput,non influat in ſua membra perfectiſſimum illum modum, quo ipſe pro nobis Deo ſatisfecit,id eſt ex perfecta iuſtitia.lib.2.c.37. 217
Proprium Chriſti eſt ex auctoritate viuos, & mortuos iudicare.lib 5.cap.50. 300
Cleri Romani partes ſunt, Sede vacante, inuigilare ſuper vniuerſam Chriſti Eccleſiam, & præſto eſſe in omnibus neceſſitatibus.lib.2. cap.20. 134
In poteſtate Clauium,quas Chriſtus Petro conceſſit,eſt etiã Ius conferendi Indulgentias.lib.2. cap.13. 106
Per huiuſmodi Claues omne impedimentum Regni Cæleſtis ingrediendi tollitur. ibidem. 107
Hæc poteſtas Clauium non eſt ſimpliciter miniſterium concionandi, contra Caluinum. ibidem. 107
Per Claues Regni Cælorum Petro datas intelligitur ſuprema Poteſtas, quam Chriſtus Petro, eiuſque ſucceſſoribus ſuper vniuerſam Eccleſiam militantem conceſſit, ex D. Chryſoſt.& alijs Patribus.ibidem. 107
Claues Regni Cælorum extendunt ſe ad actus etiam extra Sacramentum, ex Leone Nono.ibidem. 108
Claues huiuſmodi ſimpliciter,& abſolute ſoli Petro traditæ fuerunt. ibidem. 109
Soluere, & ligare ſunt actus partiales, non adæquati,& totales poteſtatis Clauium.ibidem. 109
Caietanus contra communem ſententiam ponit alias Claues,quàm ordinis,& Iuriſdictionis lib.2.cap.16. 120
Soluere & ligare non ſunt omnino idem, quod claudere, & aperire.ibi. 120
Claues Petri in multis fuerunt ſuperiores Clauibus aliorum Apoſtolorum. ibidem. 120
Actus Clauium,quoad vſum remittendi peccata,ligando,atque ſoluendo perficiuntur. ibidem. 121
Claues, quas Septuaginta duo Diſcipuli, & alij inferiores Sacerdotes receperũt;ſunt minores, & diſtinctæ à Clauibus Apoſtolorum, & Epiſcoporum.lib.2.cap.16. 121
Sicut Clauis Poteſtatis à Claui ſcientiæ ſecerni non debet; ſic nec Paulus a Petro.lib.3.cap.12. 358
Nomine Clauium ſupremum dominium, & primaria Petri auctoritas in Pontificatu denotatur lib 2.cap.16. 121
Concilia Generalia apud Lateranum quinque hactenus celebrata ſunt. lib 2 cap.50 536
Concilium Generale Indulgentias plenarias concedit. Poteſt excommunicare, & dare facultatem abſoluẽdi à caſibus,etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis.lib.2. cap.30. 186.
Concilium Tridentinum priſcum morem imponendi publicas Pœnitentias renouari iubet.lib.2. cap.45. 235
Concilium Ariminenſe nullam habet in Eccleſia auctoritatem.lib.3. cap.15. 384
Concilium Nicenum quando fuerit abſolutum.ibid. 380
Ante Conſtantinum Concilia Generalia non ex defectu auctoritatis,ſed ex carentia opportunitatis numquam congregata fuerunt. ibid. 380
Concilium vltimum Lateranenſe, cur, & quando celebratum fuerit, quæ in eo conſtituta,& quòd fuerit uere Concilium Generale lib.1.cap.8. 34 & ſeq.
Concilium Tridentinum quando fuerit celebratum, & quãta ſit eius dignitas, atque præſtantia. ibidem. 36.& ſeq.
Concilium Trid. ualde deſideratum, & diligenter obſeruatum ab Eccleſia. ibidem. 37
Multa Cõcilia Prouincialia in hoc ſæculo ſextodecimo poſt Chriſtum,in Eccleſia celebrata ſunt. ibidem. 38
concupiſcentiæ ardor uniuerſam vitam hominis deturbat,& peruertit. lib.5.cap.16. 584
contrariæ conditiones Romæ Ethnicæ, & Chriſtianæ deſcribuntur.lib.3.cap.8. 344
congruum eſt ut Confeſſio Sacramentalis omnium peccatorum præcedat uiſitationẽ Eccleſiarum Vrbis in Anno Sancto ad acquirendum Iubilæum.lib.5. cap.13. 544
cur Sacerdos confeſſiones auditurus omnes Irregularitates ſcire teneatur.lib.5. cap.15. 573
qui non habet conſcientiã peccati mortalis,nõ tenetur ad cõfeſſionẽ ꝓ cõſecutione Iubilæi Anni Sãcti.li.5 c 15. 555
Cõfeſſio neq; ẽt eſt neceſſaria in Paſchate ſeu Quadrageſima ei,q nõ hẽt cõſciẽtiã ullius peccati mortalis. ibid. 555
non omnis Confeſſarius approbatus ab ordinario, ut malè exiſtimauit Marſilius, & Viualdus,poteſt conferre Indulgentias in foro interiori,& cur.lib.2. cap.30. 188
in die Cænæ Domini materia Sacramenti unctionis inſtituta,& conſecrata fuit. lib.4. cap.31. 454
Cõfirmationis Sacramentũ à Chriſto Dño, quoad materiã, & quoad formã inſtitutũ fuit, datque hoĩ primã gratiam; licet primario non ad remiſſionem culpæ, ſed ad augmẽtum,& firmitatem Iuſtitiæ ordinetur.lib.2. cap 8. 97.
Confirmationis gratia differt ſpecie ab ea, quæ datur in Baptiſmo. ibidem. 97
multi effectus Sacramenti Confirmationis enumerantur. Perficit enim Gratiam Baptiſmalem, ſoliditatem,& fortitudinem infundit,imprimit Characterum.ibidem. 97
Confirmationis Sacramentum ſolis baptizatis datur.ibi. 97
Chriſmatis nũꝙ fit mentio in Scriptura Sacra li 4.c.31.454
Chriſmatis Sacramentum æque ſanctum, ac diuinum eſt ſicut Sacramentum Baptiſmi. ibidem. 454
circa Sacramentum Confirmationis hr̃ in ſcripturis impoſitio manuum, promiſſio Gratiæ, eiuſque effectus;inſtitutio autem, & mandatum non habetur expreſſe; licèt neceſſario, & euidenter ex illis deducatur. ibidem. 454
ritus confirmandi fuit in uſu apud Eccleſiam ante tempora Melchiadis Papæ. ibidem. 454
Conſtantinus poſt ſeptuaginta annos à Cornelio Papa elapſos Imperium obtinuit. lib.3. cap.13. 363
Cõſtãtino nõ dormiẽti,ſed uigilanti Crux apparuit.ibi. 363
Conſtantinus ab Apoſtolis in ſomnis admonitus,baptizatur à Silueſtro Papa,& à lepra mundatur.ibidem. 364
Euſebius multa mendacia ſcripſit circà Baptiſmum Conſtantini.ibidem. 364
Quę per octo conſequentes dies à Baptiſmo ſuo Conſtantinus egerit.ibidem. 364
Conſtantinus octauo die à ſuo Baptiſmate proprijs manibus Baſilicę Vaticanę fundamenta iecit.ibidem. 364
Conſtantinus decem Sacras Baſilicas,eaſque ampliſſimas erexit in Vrbe.ibidem. 364

Baſilicam

Baſilicam D. Pauli Conſtantinus erexit, & exornauit; quam deinde Valentinianus, & Honorius Romani Imperatores ampliarunt. lib. 3. cap. 14. 373. & 374.
Conſtantinus Niceno Concilio interfuit, & Synodo Romanæ à B. Silueſtro Papa congregatæ, ex probatis Scriptoribus. lib. 3. cap. 15. 379
vbi quando, & à quo Conſtantinus fuerit baptizatus. ibid. 381.
defenditur D. Hieronymus a Cardinali Baronio circa tempus Baptiſmi Conſtantini. ibidem. 383
Caietanus, & Soto falluntur, dum dicunt hiſtoriam de lepra Conſtantini per Baptiſmi lauacrum deleta non aſſertiuè probandam eſſe. ibidem. 385
conſuetudo faciendi Proceſſiones, & in illis præferendi Crucem, cum cereis accenſis antiquiſſima eſt in Eccleſia Dei lib. 4. cap. 15. 478
contritio remittens venialia differt ab ea, quæ remittit mortalia, & quomodo. lib. 4. cap. 6. 429
contritio parua, adiuncta Papali abſolutione, vel benedictione Epiſcopali, fit maior & intenſior. ibidem. 428
contritio licet parua eſt ſufficiens diſpoſitio ad omnes culpas mortales delendas. lib. 5. cap. 14. 547
Paludanus numquam aſſeruit, Attritionem cum abſolutione Papæ per viam Indulgentiæ fieri Contritionem lib. 4. cap. 6. 428
ad Conuiuium Regis Aſſueri, etiam infirmi admittebantur. lib. 3. cap. 21. 356
Conuiuium Aſſueri figuratiuè explicatur de Anno Sancto. ibidem. 356
Cæremonia eſt actus externus Religionis, actui interno reſpondens, ad Dei cultum ordinatus. lib. 4. cap. 10. 452
Cæremoniæ nō repugnant legi Euāgelicæ lib. 4. cap. 11. 457
Cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ prætermitti non poſſunt ſine peccato, etiam ſecluſo ſcandalo, ibidem. 458
Cæremoniæ Eccleſiaſticæ non ſunt res indifferentes; ſed vtiles, & meritoriæ, atque ad diuinum cultum ſummopere pertinentes. ibidem 460
Cæremoniæ Eccleſiaſticę vndecim vtilitates afferunt, & quęnam illæ ſint. ibidem. 460. & 461.
In poteſtate hominis non eſt eam Cæremoniam inſtituere, per quam Spiritus Sancti gratia communicetur. ibid. 454
quattuor argumenta præcipua Hæreticorum contra Cæremonias Eccleſiaſticas diſſoluuntur lib. 4. cap. 12. 462
Cæremoniæ iudaicæ reprehenduntur a Domino Mat. 15. ibidem. 463
Cæremonia ablutionis pedum in die Cœnæ Domini antiquiſſima eſt. lib. 4 cap. 7. 432
nomen Cæremonię vnde deriuatum ſit. lib. 4. cap. 10. 453
triplex deriuatio nominis Cæremoniæ aſſignatur. ibid. 453
Cæremoniarum variæ differentiæ ponuntur. ibid. 453
nulla Religio eſt ſine Cæremonijs ex Auguſtino. ibid 453
quædam Sacræ Cæremoniæ à Chriſto Domino, & Apoſtolis inſtitutę, non in ſcripturis ſacris, ſed ſola traditione habentur. lib 4. cap. 11. 454
neceſſitas, & utilitas Cęremoniarum in Eccleſia Catholica oſtenditur ex teſtimonijs Scripturarum, traditione Apoſtolorum, Sanctorum Patrum auctoritate, & rationibus. ibidem. 454
circa Cæremonias graues Controuerſiæ in Eccleſia, diuerſis temporibus, ortę ſunt. lib. 4. cap. 11. 458
Cæremoniæ, quæ ab Eccleſia in Templorum conſecratione adhibentur, docent loca illa non communia, vel prophana eſſe, neque ſordidis rebus deſtinata. lib. 6. cap. 4. 651
promiſſio Gratiæ non eſt facta à Chriſto in Cæremonijs accidentalibus, ſed partibus eſſentialibus Sacramenti. lib. 2. cap 23. 152
etiam in lege naturæ, & in lege ſcripta nouę Cęremonię inſtitutæ fuerunt. lib. 4. cap. 11. 456
decem perpulchris interrogationibus explicantur omnes Cæremoniæ, quibus Porta Sancta clauditur a Summo Pontifice in Anno Iubilæi. lib. 4 cap. 17. 485
ſuperfluæ Cæremoniæ reprehendūtur a D. Auguſt. tamquā oneroſæ; non autem illæ, quæ piæ ſunt, & uniuerſales. lib. 4. cap. 12. 465
Cornibus arietinis non clangebatur in Iubilæo Hæbræorū, contra Eugubinum & alios. lib. 1. cap. 4. 21
Cornu paruum apud Danielem ſignificat Regnum Antichriſti. lib. 3. cap. 3. 325
multiplex Corona tribuitur ijs, qui pro fructu Sacri Iubilæi acquirendo laborant. lib. 5. cap. 6. 512
Crux Chriſti maiorem admirationem gignit, quàm omnis alia Chriſti actio, & miraculorum editio, ex Damaſc. lib. 2. cap. 4. 73
Crucis ſupplicium quò lętius, eò durius eſt, ex Iſidoro ibi. 72
In Cruce Chriſtus ſublimatus aerem purgauit, & terram ſtillatione ſanguinis e latere ſuo defluentis mundauit. ibid. 73
Crucis figura nihil aliud eſt ex D. Hieron. quam forma quadrata totius Mundi. ibidem. 74
Crucis figurę quamplurimę ex Damaſceno afferuntur. ibidem. 74
Crucis ſignum ex inſtitutione Dei, & ex operato ualet contra Diabolum. lib. 4. cap. 3. 413
Dedecus & ignominia mortis Crucis eleganter ex D. Chryſoſt. deſcribitur. lib. 2. cap. 4. 72
culpa venialis quando actu exiſtit, & dum homini placet, nec per Sacramenta, neque per Indulgentias, neque per Sacramentalia deleri poteſt, tunc enim uere obex ponitur. lib. 4. cap. 3. 414
culpa venialis formaliter non eſt denominatio, qua quis dicitur obligatus ad pœnam; ſed priuatio nitoris, & pulchritudinis, quam animę confert Gratia. ibidem. 424
culpa uenialis eſt impedimentum, per quod anima retardatur à feruore Charitatis. ibidem. 415
culpa uenialis eſt impedimentum, ne hominis affectus prompte in Deum feratur. ibidem. 415
culpa uenialis impedit, ne homo erga Deum familiaris neceſſitudinis officia exerceat. ibidem. 415
culpa uenialis non eſt pœna, ſed quid prius omni obligatione ad pœnam. lib. 4. cap. 3. 424
culpę veniales per ſolum Chriſti meritum de condigno remittuntur. lib. 2. cap. 35. 221
leues culpę Sanctorum hominum plerumque nulla ſatiſfactione indigent, ſed ipſo illorum Charitatis feruore diluūtur. lib. 2. cap. 35. 195
poſt culpam remiſſam, ſępè reatum pœnę remanere, oſtenditur ex Scripturis, Patribus, & ratione. lib. 2. cap. 42. 237
culpa uenialis eſt effectus inſeparabilis peccati originalis, ex D. Auguſt. lib. 2. cap. 6. 89
ad culpam delendam Plato denario numero uſus eſt. lib. 3. cap. 6. 333
cultus Iudaicus ceſſauit, non ut falſus, uel malus; ſed ut imperfectus, & figuratiuus. lib. 5. cap. 2. 490
non eadem ratione cultus Gentilium, & Iudęorum damnatur. ibidem. 491
cultus uoluntarius dicitur ille, qui ſine recta ratione, uel temerè ſuſcipitur. Contra Caluinum. lib. 6. cap. 1. 599
ſine uero Dei cultu, & Religione nulla Pax, nulla Concordia in Republica conſiſtit. lib. 5. cap. 4. 502
Curati ſunt iure poſitiuo coadiutores Epiſcoporum lib. 2. cap. 30. 188
Curati acceperunt a Chriſto facultatem dumtaxat in foro interiori, & alligatam Sacramentis. ibidem. 188
D. Cyprianus inter ſcriptores primi ſeculi nemine diſcrepante numeratur. lib. 2. cap. 25. 161
D. Cyprianus theſaurum Eccleſiaſticum cognouit. ibid. 162
idem in diuerſis locis ſub nomine Remiſſionis Indulgentiā intelligit. lib. 1. cap. 3. 14

D

DAmnati aliquid petūt à Deo, & obtinēt lib. 2. c. 44. 276
damnati non proprie Deū orant licet petant. ibid. 277
qui debitum obedientię non perſoluit in hoc mundo, debitum pœnæ in alio luet. lib. 5. cap. 16. 582
debita Iudæis natis dumtaxat in Anno ſeptimo remittebantur. lib. 1. cap. 1. 2
maxima gratia eſt, ut quis debitum ſuum poſſit ſoluere etiā ex alieno. lib. 2. cap. 31. 196
definitio eſt exordium omnis doctrinæ lib. 1. cap. 1. 1
defuncti in Charitate non ſunt nobis minus coniuncti quàm viui lib. 2. cap. 48. 289
pro crimine, quod uiuens quis commiſit, nullus poſtea

defun-

defunctus excommunicari poteſt, ſed tantum declarari incurriſſe ibidem. 291
Quando Virga percutitur defuncti ſepulchrum non vere ille abſoluitur in foro Dei, ſed nunciatur Eccleſiæ illam deceſſiſſe quoad Deum abſolutum, ita vt liceat fidelibus nominatim pro eo orare. ibidem. 291
delectatio in rerum alternatione conſiſtit. lib. 2. cap. 47. 283
dæmon à ſuo principatu depulſus eſt, ob mortem Chriſti, quoniam ei templa ablata ſunt. lib. 5. cap. 1. 489
dæmon nec tentare, nec debacchari permittitur in Eccleſia eo modo quo alibi. lib. 6. cap. 4. 614
dæmones coram ſacello Lauretano contremiſcunt, & ſacelli veritatem facti euidentia confitentur. lib. 6. cap. 14. 647
dæmones multa præſtare poſſunt, quæ humanam fidem excedunt. lib. 6. cap. 21. 676
dæmoni aliquæ infirmitates incurabiles ſunt. li. 6. ca. 24 689
dæmonum expulſio, & liberatio energumenorum maximè in domo Lauretana relucet. lib. 6. cap. 24. 691
Sicut dæmonis inuocatione cibi immundi fiunt, ſic inuocatione Dei mundi. lib. 4. cap. 7. 431
diabolus ocioſam vitam ducentes non moleſtat, illos verò, qui ſalutem ſuam diligenter procurant, infeſtat. lib. 5. capite 16. 580
diabolus res Sacramentorum in Idolorum cultu æmulatur. lib 2. cap. 47. 285
pulchra Chryſoſtomi ſententia de dæmone latitante inter ſpinas lib. 5. cap. 16. 578
duo deſideria ſunt in homine, vnum naturę, alterum gratię; illud inclinat ad fruendum luce corporali, hoc ad videndam diuinam eſſentiam. lib. 2. cap. 43. 248
Ingens deſiderium D. Chryſoſtomi uidendi corpus Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli refertur. li. 2. ca. 52. 306
Deus duplicem habet benedictionem, vnam ad gratiam, alteram ad pœnæ remiſſionem lib. 1. cap. 3. 18
Deus & natura nihil faciunt fruſtra. lib. 2. cap. 1. 62
Quod Deo auctore fit conuenientiſſimum eſt ibidem. 62
Deus abſolute hominem lapſum reparare poterat abſque beneficio Iubilæi Crucis Chriſti. lib. 1 cap. 3. 64
Deo loquenti homo facilius, & firmius aſſentitur. lib. 2. capite 4. 67
Deus factus eſt homo, ne dęmon audeat ſe homini præponere. ibidem. 68
Deum vti re aliqua, vt inſtrumento, à Caiętano pulchrè exponitur quid ſit. lib. 2. cap. 34. 208
propter templum Hieroſolymitanum non prohibuit Deus ſibi, vel Sanctis Eccleſias in nouo teſtamento dedicari. li. 6. cap. 14. 648
maior Dei liberalitas oſtenditur in dando nobis Chriſtum, & eius ſatisfactionem, per quam nobis pœna remittatur, quàm ſi nobis gratis eadem pœna condonaretur. libro 2. cap. 37. 220
Deus non poterat non acceptare Chriſti ſatisfactionem lib. 2. cap. 37. 223
Huiuſmodi neceſſitas nullam imperfectionem in Deo ponit cum ab extrinſeco non ſit, ſed potius perfectionem ex intrinſeca ratione, & rectitudine diuinæ voluntatis, & Iuſtitiæ procedat. ibidem 223
Dei Miſericordia eius Iuſtitiæ præiudicare non debet. lib. 2. cap. 42. 241
Cum Deus vbique ſit, cur in Cęlo eſſe dicatur. li. 2. c. 43. 248
Deus propenſior ad remunerandum quam ad puniendum. ibidem. 264
Deus non eſt auctor culpæ in actu, nec maculę, quæ ex peccato relinquitur. lib. 4. cap. 3. 416
Deo gratiæ reddendæ ſunt non ſolum verbis ſed etiam operibus. lib. 5. cap. 16. 571
Deus plagis nos flagellat, ut nos ad ſe adducat. ibidem. 581
Deus ſolet etenus hominem tribulatione exercere, donec perfectè purgetur. ibidem. 681
Deus quamuis ſit vbique, longior tamen peregrinatio magis proficua eſt. lib. 6. cap. 4. 619
Deus in ſuis templis non ęqualiter virtutem ſuam operatur. lib. 6. cap. 4. 617
Deus ſicut in vno templo magis quàm in alio, ita in hoc Sancto magis quàm in illo mirabilem ſe oſtendit. li. 6. c. 4 617
Deus magis gaudet de peccatore feruenter pęnitente quàm de nonaginta nouem iuſtis tepidis. lib. 4. cap. 9. 447
Deus eſt aliquo modo in templis, quo non eſt alibi. libro 6. cap. 4. 619
Deus non ſtatim peccatum punit. lib. 6. cap. 17. 655
Cur Deus initio ſectæ Mahumetanæ ſacrum ſacellum Lauretanum ex Nazareth ad nos non adduxerit? ibidem. 655
Deus ante peccatum ex præſcientia futuri peccati pœnam non infligit. ibidem. 655
Deum pœnituiſſe Domum Virginis in Nazareth ædificatam eſſe, quomodo verum ſit. ibidem. 656
Cur ſæpe Deus permittat, populum aliquem impunè peccare, & quoad multitudinem, & quoad grauitatem peccatorum, & quoad tempus vſque ad quãdam certam periodũ, quam vbi attigerit publicum, & horribile aliquod ſupplicium in illos immittit, quatuor ex Pererio redduntur cauſæ. lib. 6. cap. 17. 657
Deus aliquando vtitur iudicio iuſtæ permiſſionis ſinendo peccata creſcere, aliquando iudicio exterminationis temporalis. ibidem. 658
Deus vtróque genere iudicij in Mahumetanos, quoad tranſlationem Sanctæ Domus, vſus fuit. ibidem. 658
Numquam permiſit Deus, loca ſancta Palæſtinæ in Hæreticorum dominium deueniſſe. ibidem. 658
Cur Deus magis voluerit locum ſuæ Incarnationis, quàm Reſurrectionis, vel Aſcenſionis, & ſimilium ad nos transferri arcano eius iudicio committendum eſt. ibidem 658
Deus vaſa ſacra ę templo ſuo auferri permiſit, in vindictam, & pœnam Iudæorum. ibidem. 659
Deus non eligit gentem propter locum, ſed locum propter gentem. lib. 6. cap. 17. 660
Celerius à Deo quis exauditur per Virginis intercesſionem quàm alterius Sancti, ex Patribus lib. 6. cap. 22. 682
Dei dona picturis, & tabellis appenſis publicari docetur ex D. Auguſtino. lib. 6. cap. 23. 688
Deus peccatores non exaudit, vt ad eorum petitionem, & voluntatem ſigna faciat. lib. 6. cap. 24. 690
Deus ipſe miraculorum perpetua patratione teſtatur veritatem Sanctæ Domus Lauretanę lib. 6. cap. 26. 696
decentiſſimum fuit, Deum præſeruaſſe B. Virginem à peccato originali. lib. 2. cap. 6. 87
Deus plus amat B. Virginem, quàm omnem aliam creaturam, etiam beatam. lib. 6. cap. 22. 684
Dei ſententia cum exteriùs mutari videtur, interiùs conſilium non mutatur. lib. 2. cap. 22. 143
apud Deum immutabiliter conſtituitur intus quicquid foris mutabiliter agitur, ex Gre. ibid. 143
Caluinus male dixit, Deum immittere iuſtis flagella, non in vindictam peccati præteriti, ſed tantum ad emendationem in futurum lib. 2. cap. 41. 237
Deum in loca hæreticorum, & in eorum perſonas vindictam exercuiſſe multis exemplis demonſtratur. lib. 5. cap. 3. 499. & 500.
Deus cur arcana ſua hominibus in ſoporę reuelet, quinque redduntur rationes. lib. 6 cap. 19. 667
Deus per Iubilæum iuſtitię germen emittit lib. 5. cap. 1 489
Diaconi dicuntur locum Apoſtolorum habere, quia cantant & explicant Euangelium, & Sacerdoti miniſtrant, ſicut Apoſtoli Chriſto. lib. 2. cap. 24. 181
Diaconi tenent locum ſeptuaginta duorum diſcipulorum. ibidem. 181
Errauit Caietanus aſſerens, Diaconos ab Apoſtolis menſis pauperum tantum deſtinatos eſſe. lib. 2. cap. 28. 153
Diaconi ab Apoſtolis ordinati fuere, vt menſæ altaris principaliter miniſtrarent. ibid. 153
Diaconi ex priuilegio exomologeſim faciebant. lib. 1. ca. 3. 15
dies pleni quinam ſint. lib. 4. cap. 9. 450
dies Carnis Chriſti in hac vita mortali fuerunt verè annus placabilis, & dies retributionis. lib. 1. cap. 2. 10
dies reſurrectionis eſt definitum tempus omnium coronarum, quæ carni debentur. lib. 2. cap 43. 255
dies Natalis Domini illius anni, in quo clauditur porta ſancta, non eſt pars anni Iubilæi lib. 3. cap. 20. 356
Diluuium vniuerſale quo menſe acciderit. lib. 1. cap. 7. 32
Diluuium ſupernaturali omnipotẽtia Dei effectũ fuit. ibi. 32

ad illud

ad illud tamen efficiendum Deus conuenienti tempore vſus eſt.ibidem. 32

Diluuij tempore,cur Dominus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus pluerit,ex D.Chryſ.lib.3.cap.2. 323

Diogenes acutè reſpondit interroganti, cur in vltimo ſenio dolium ſuum adhuc volueret.lib.5.cap.16. 589

Diotrephes ſtultè negauit peregrinis humanitatis officium. lib.6.cap.6. 622

Domus Mariæ,Domus Ioſeph appoſitè dicitur. lib. 6. cap. 12. 639

Domus aliquando in Scripturis ſumitur pro familia.ibi.640

Domicilium originis nemo intelligitur mutare etiam per mille annos lib.5.cap.14. 549

Domicilium originis omnibus alijs præualet.ibid. 549

E

Eccleſia multis vtitur vocabulis,quæ non ſunt in Scriptura ex D Athanaſio.lib.1.cap.5. 26

Eccleſia Catholica cum nata,& educata ſit ſub Imperio Romano aliquas eiuſdem Imperij retinet conſuetudines. lib. 1.cap.7. 30

Eccleſiæ corpus miſticum ex hominibus, & Angelis conſtat. lib.2.cap.5. 78

Eccleſia non totaliter haberet poteſtatem remittendi peccatum,ſi pœnam peccati ſoluere non poſſet extra Sacramentum.lib.2.cap.10. 101

Eccleſia particularis eſt in ſuo Epiſcopo ex Cypriano. lib. 2. cap.15. 116

Eccleſia poteſt Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones indigentibus applicare.lib.2.cap.18. 131

Eccleſia habet poteſtatem remittendi culpas veniales extra Sacramentum ex iure diuino.lib 2.cap.21. 138

Eccleſia auctoritate Chriſti remedia inſtituit ad culpas veniales delendas.ibid. 139

In Eccleſia præter Indulgentias ſunt plura quoq; alia remedia ad expungendas peccatorum pœnas extra Sacramentum.ibidem. 139

In Eccleſia eſt facultas non ſolum imponendi pœnas pro peccatis,ſed etiam relaxandi impoſitas.ibid. 141

Eccleſia ſicut potuit canonicas pœnitentias abrogare,ſic ſi hodie eſſent in vſu poſſet illas relaxare.ibid. 141

Eccleſia numquam aliquid vani facit.ibid. 142

Eccleſia vt regnum Chriſti theſaurum ſpiritualem habere debet.lib.2.cap.26. 163

Eccleſiæ ſanguine Chriſti ditatæ non inſeruiunt damnatorum hominum ſatisfactiones.lib.2.cap.33. 199

Incongruum eſt,Eccleſiam ad tollenda impedimenta peccatorum uti damnatorum hominum, qui ſunt in Inferno, operibus.ibidem. 199

Eccleſia,& Sacramenta ex latere Chriſti dormientis in Cruce emanarunt.lib.2.cap.37. 219

Eccleſia per auctoritatem expellit Dæmones à corporibus obſeſſis.lib.2.cap.50. 300

Eccleſia in dæmones poteſtatem habet, quatenus homines perturbant,& eorum hoſtes ſunt.ibid. 300

Eccleſia non eſt conſecuta omnem poteſtatem diuinam vel humanam,quam habuit Chriſtus lib.2.cap.50. 300

Eccleſia ſancta,ſicut Arca Noe,ampla eſt inferius,& anguſta ſuperiùs;atque in vno homine ideſt Chriſto,qui ſine peccato eſt, tamquam in vno cubito conſumatur, ex Gregorio.lib.3.cap.2. 320

Eccleſia Lateranenſis varijs nominibus appellatur:à loco Lateranenſis,à conditore Conſtantiniana,à dedicatione Baſilica Saluatoris, aurea ab ampliſſimis donarijs, quæ in ea habentur; Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ, quòd à Conſtantino, & D. Silueſtro ſanctorum honorem dedicata fuit.lib.3.cap.25. 376.& 377

Eccleſia Lateranenſis eſt primogenita omnium Eccleſiarum. ibidem. 377

In Eccleſia Lateranenſi non canitur, Agnus Dei,&c.dona nobis pacem.ibid. 377

In Eccleſia Lateranenſi tredecim Concilia habita ſunt. ibidem. 378

Sola Eccleſia Lateranenſis habet altare ligneum, nec in eo, quis niſi ſummus Pontifex ex D. Silueſtri Papæ decreto Miſſam celebrat.ibidem. 377

Eccleſiæ inſigniores in diuerſis Orbis Prouincijs in honorem B. Virginis erectæ enarrantur lib.3.cap.26. 390

ante fores Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Maioris Gelaſius Papa omnes libros Manichæorum combuſſit.ibid. 395

In eadem Eccleſia Stephanus Secundus Pontifex renunciatus fuit.ibidem. 394

Eccleſia in publicis ad Deum precibus errare non poteſt.lib. 4.cap.1. 402

Eccleſia à Paſcha vſque ad Pentecoſtem ſtando orat ob Chriſti reſurrectionem.lib.4.cap.7. 432

aliquando nulla maior pœna infligebatur Sacerdoti, quàm priuatio celebrationis diuinorum in Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris lib.3.cap.26. 395

Diuo Gregorio Magno ſolemniter celebrante in eadem Baſilica,& cantante, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, Angeli reſponderunt,& cum ſpiritu tuo.ibid. 395

Eccleſiæ vires non ſunt diminutæ vel per ſenium debilitatæ. lib.4.cap.11. 456

Eccleſia poteſt nouam Cæremoniam ad effectum ſpiritualem, non tamen ad iuſtificandum inſtituere ibid. 395

Eccleſia ad hæreticorum confuſionem ritus, quos ſemel inſtituit, aliquando immutauit.ibidem. 457

Eccleſia quoad ſubſtantialia nihil addit verbo Dei,dum concedit Sacrum Iubilæum.ibid. 465

Eccleſia accidentalem aliquam facit additionem verbo Dei pro tempore,& locorum qualitate ex diuino iure.ibi.465

Non prohibetur additio ulla,quæ ad pietatem,& ædificationem facit,ſed illa tantum,quæ ad corruptelam, & deſtructionem.ibid. 465

Eccleſia circumquaque irruentibus Iudæis, & hæreticis immota ſemper obſtitit.lib.5.cap.3. 499

Eccleſia etiam relapſis ſinū ſuum nō claudit. li.5.ca.11. 535

Eccleſia Romana Hæreticos relapſos non ſine diuturna probatione recipit, præſertim illos, qui ſimulationis ſuſpicione laborant.ibid. 535

Eccleſia publicis affixis edictis delinquentes ad veniam inuitare ſolebat. ibid. 537

Eccleſia durante anno ſancto in eo tota poſita eſt, ut ſummam benignitatem, & manſuetudinem in ſuos hoſtes, etiam hæreticos oſtendat.ibid. 537

Eccleſia Caluini miſerior ſynagoga Iudæorum cenſenda eſt. ibidem. 539

Eccleſia ſi vellet,poſſet obligare fideles ad confeſſionem venialium.lib.5.cap.15. 555

Eccleſia Chriſti non eſt minoris uirtutis in ſanctificandis templis,quàm fuerit ſynagoga.lib.6.cap.4. 612

Preces Eccleſiæ efficaciores ſunt precibus Salomonis.ibi.612

Eccleſia eſt domus Dei, quòd ſua præſentia, virtute, protectione, & gratijs erga Chriſtianos illic orantes præſto ſit. ibidem. 613

Eccleſia à Dæmonum incurſionibus libera eſt.lib.6.ca.4.614

Ædes ſacræ quinque nominibus appellantur, ob quinque fines, propter quos eriguntur, nempe Eccleſię, Baſilicæ, confeſſiones,memorię, ſeu martyria,templa, & oratoria. ibidem. 614

In Nazareth duæ Eccleſiæ fuerunt,una annunciationis,altera educationis Chriſti,in qua pro aliquo tempore educatus creditur.lib.6.cap.12. 643

Eccleſiæ erigendæ ubi Martyr habitauit, uel paſſus eſt, aut corpus vel reliquiæ eius fuerint,ex Cyrillo Hieroſolymitano.lib.6.cap.14. 649

Eccleſia per ſanctam benedictionem domus publica communis orationis efficitur:ex Origene,& Tertulliano.ibi. 648

Eccleſia frequentiùs, & altiori quodam modo orationes ad Beatiſſimam Virginem Mariam facit, quàm ad alios ſanctos.lib.6.cap.22. 683

Eccleſia non poteſt illi Sanctorum ſua merita detrahere, & alteri concedere.ibid. 683

aliud eſt Eccleſia Vrbis, & aliud eſt Eccleſia in Vrbe. lib. 4. cap.8. 439

Eccleſia in communi orat, in communi tentatur,in communi operatur.lib.4.cap.15. 482

Eccleſiæ Vrbis ante annum ſanctum reparandæ ſunt. lib. 5. cap.10. 533

Cur Eccleſia non poteſt inſtituere Sacramenta,ſed rectè Sa-

cramen-

cramentalis. lib. 4 cap. 7. 424
Nulli Sanctorum plures Eccleſiæ dedicatę ſunt quàm B. Virgini. lib. 6. cap. 7. 629
Quod uniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum creditur, ex D. Auguſtino. lib. 6. cap. 13. 644
Eccleſiaſtica officia ſemper ab initio naſcentis Eccleſiæ celebrata fuere. lib. 6. cap. 16. 653
Eccleſia uexationibus, & perſecutionibus hæreticorum, & infidelium magis illuſtratur, uiget, & augetur. lib. 6. cap. 9. 50. & 51
Quilibet poteſt ſpirituales eleemoſinas alteri elargiri. lib. 2. cap. 18. 131
Enoch, & Elias adhuc in corporibus ſuis immortalibus uiuunt, & per fidem ambulant, nec diuinam eſſentiam vident, contra Catharinum, & alios. lib. 2. cap. 43. 244
Reprehenditur Sixtus Senenſis affirmans, contra diuinam Scripturam eſſe, negare Eliam, & Enoch in terreſtrem Paradiſum tranſlatos eſſe, & ibi uiuere. ibid. 245
Quęſtio an Elias, & Enoch ſint in Paradiſo terreſtri, vel alibi eſt de numero earum, quæ in utramque partem, ſalua fide Chriſtiana, tractari poſſunt. ibid. 245
Enoch, & Elias in fine mundi per annos tres, & ſex menſes, demptis quindecim diebus, fidem Chriſti prædicabunt. lib. 3. cap 9. 351
Enoch, & Elias ab Antichriſto in fine mundi occidentur. ibidem. 352
Eliæ comes non eſt futurus Hieremias in fine mundi, nec Moyſes contra Hilarium, Abbatem Ioachimum, & Maldonatum, nec Ioannes Euangeliſta, contra Hippolitum, & Catharinum. lib. 3. cap. 9. 351
Epiſcopus in die Pentecoſtes præcipuè Sacramentum confirmationis ſolemniter miniſtrat, ſine ſolemnitate toto anni tempore. lib. 2. cap. 8. 97
Epiſcopi legitimè creati in ſuis Eccleſijs ſucceſſores Apoſtolorum propriè ſunt. lib. 2. cap. 14. 110
Epiſcopi non ſuccedunt Apoſtolis in poteſtate Apoſtolica. lib. 2. cap. 14. 110
Epiſcopus eſt, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedit, ex Cypriano. ibidem. 110
Epiſcopi multis modis ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ſed proprie in munere Epiſcopali. ibid. 111
Soli Epiſcopi ſimpliciter ſuccedunt in ſuprema ordinis poteſtate, quam Apoſtoli habebant. lib. 2. cap. 14. 111
Epiſcopi tenent locum Dei, & Chriſti. ibid. 111
Epiſcopi ſunt Principes ſpirituales populorũ. lib. 2. ca. 30 188
Epiſcopi poſſunt committere Clericis inferioribus poteſtatem conferendi Indulgentias. ibid. 188
ante Concilium Lateranenſe Epiſcopi illimitatè Indulgentias dabant. ibid. 190
Epiſcopi non poſſunt immutare ritus, quos Eccleſia conſtituit circa Sacramenta. lib. 4. cap. 11. 419
Pro Epiſcopis decem documenta ponuntur pro anno ſancto. lib. 5. cap. 8. 521
Epiſcopus etiam ſine licentia Papæ peregrinari poteſt Romam in anno ſancto. lib. 5. cap. 15. 562
Epiſcopi peregrini rogati ad cõcionandum in ciuitatibus, per quas tranſeunt, libenti animo id præſtent iuxtà laudabilem conſuetudinem in Concilio Quarto Carthaginenſi approbatam. ibid. 562
Epiſcopi non ex commiſſione Papæ, ſed iure diuino ordinariam auctoritatem habent conferendi Indulgentias. lib 2. cap. 30. 187
Epiſcopi ſunt gubernatores populorum non ſolum in foro Poli, ſed etiam in foro fori Eccleſiaſtici. ibid. 188
Epiſcopus Euchariſtiam pedeſtri progreſſione publicè deferat. lib. 4. cap. 15. 482
tempore Ancyrani, & Nicæni Concilij Epiſcopi per vniuerſam Diœcæſim concionabantur remiſſiones pœnitentiarum. lib. 3. cap. 5. 332
Pulchra D. Auguſtini ſententia de onere Epiſcopalis dignitatis. lib. 5. cap. 8. 521
Nil in hac vita, præſertim in hoc tempore, difficilius, & periculoſius Epiſcopi, Presbiteri, aut Diaconi officio, ex D. Auguſtino. ibidem. 521
varijs nominibus Epiſcopale onus deſcribitur. ibid. 521
ſollicitudo Epiſcopalis in purgando, illuminando, & perficiendo ſubditos conſiſtit. ibid. 522
damnantur Epiſcopi, qui ſedentes in ſellula à Diaconis necta Euchariſtiam publice deferebant. lib. 4. cap. 15. 482
olim Summus Pontifex, & etiam Epiſcopus aduentanti alteri Epiſcopo obuiã præmittebat Euchariſtiã li 5. ca. 15. 562
Eremita, qui deſiderabat à Deo ueniam peccati, antequam illud perpetraret, non erat irriſione dignus, contra Felinum, & Danıem. lib. 5. cap. 25. 568
Ethnici e longinquis regionibus accedebant ad templum Hieruſalem adorandi cauſſa. lib. 6. cap. 1. 592
Ethymologia verbi prout uaria fuerit, ſenſum quoque uarium inducit. lib. 1. cap. 4. 10
excommunicati iniuſte acquirunt Iubilæum. li. 5. cap. 15. 565
excommunicatus iniuſtè, ſi vere habeat contritionem, nec poteſt confiteri, fructum Iubilæi conſequitur. ibid. 565
Exomologeſis à pœnitentia diſtinguebatur. lib. 1. cap. 3. 15

F

FAcultates cæteræ præter Indulgentias an ſuſpendantur in anno ſancto. lib. 4. cap 8. 436
facultates pœnitentiarijs Eccleſiæ Lauretanæ conceſſæ non impediuntur in anno ſancto. ibid. 438
fama publica probat abſque teſtimonio Cancellarij, uel magiſtratus. lib. 6. cap. 16. 695
fictio ſola fontem diuinæ Clementiæ exiccat. li. 5. ca. 11. 535
Non in templi religione, & rerum ſacrarum ſanctitate fides vera collocanda eſt, ſed in Dei gratia in bonis operibus & vitæ probitate. lib. 6. cap. 17. 660
fides iuſtificationem non meretur. lib. 1. cap. 5. 27
fidei initium eſt nobis à Deo, & ipſe actus fidei conſequitur primam gratiam. ibid. 27
ſemper in Vrbe Roma fides, ſiue in multis, ſiue in paucis reperietur. lib. 3. cap. 9. 349
fides Romana tempore anni ſancti enunciatur plenius in uniuerſo mundo. lib. 2. cap. 53. 310
fidei Chriſtianæ hoc à Chriſto tributum eſt, ut montes ex vno in alium locum, ſiue in mare, ſiuè in terram transferre poſſit. lib. 6. cap. 11. 674
D. Benedictus, B. Nonnoſus, & B. Silueſter Abbas ingentia ſaxa virtute, & fide Chriſti tranſtulerunt. ibid. 675
D. Gregorius Thaumaturgus montem tranſtulit ibid 674
Sutor quidam apud Tartaros, ad veritatem Euangelij probandam, montem transfert; ad quod miraculum Rex, & uniuerſus populus baptizatur ibid. 675
Multa ſunt de fide, quæ non ſunt in Scriptura, ſed neceſſaria conſequentia ex illa colliguntur, quæ tamen traditione habentur. lib. 2. cap. 31. 193
fidei mater eſt humilitas, & comes obedientia. li. 5. ca. 5 499
His qui à fide exciderunt, meritò fundamentum fidei ſublatum eſt. lib. 6. cap. 17. 658
Propter Sacramenti fidem aliquando ſine Sacramento fidei quis ſaluatur. lib 5. cap. 25. 570
fides Regni Angliæ per multos annos, & eius defectio. lib. 1. cap. 10. 55
Per flagella à Deo inflicta, ſi patienter ferantur, ſatisfacimus. lib. 2. cap. 41. 235
flagella quædam à Deo infliguntur præter ordinem naturæ ad horrenda hominum peccata punienda. ibid 235
flagellum Iuliano ſeniori à Deo immiſſum ob contemptum uaſorum ſacrorum. lib. 5. cap. 4. 505

G

GEneratio eſt ætas, qua quis alterum poteſt generare i. annorum quindecim. lib. 3. cap. 2. 323
Grammatica eſt ſcientia veritatis, ſed non pietatis, ex Iſidoro. lib. 1. cap 4. 12
Grammaticæ fucus non eſt præponendus ſimplicioribus literis, ex ſententia Iſidori ibid. 12
Grammatices profeſſores impiè agunt, dum nomine politioris litteraturę verba Scripturę Sacrę, & vocabula Eccleſiaſtica mutant vel peruertunt. ibid. 13
Melius eſt Grammaticos offendere quàm legentibus ſcrupulum aliquem in veritatis explanatione ponere. li. 1. ca. 4. 12
Ob claritatem licet aliquando regulas Grammaticę non ſequi. lib. 1. cap. 5. 26

Grammaticę exercitationem Origenes contempſit vbi diuinas literas deguſtauit.ibid 36
Grammaticæ libros Origenes vendidit ea conditione, ut emptor quotidie quatuor obolos ad victum illi daret. ibidem. 26
Græci ſemper pueri ſunt ex Platone. lib 4.cap.9. 449
Græci ante Olympiades nil certi in hiſtorijs habent. lib. 3. cap. 1. 314
Sicut Græci Olympiadibus, & Latini Luſtris; ſic Hębręi Iubilęis tempora metiebantur.ibid. 312
Non ſolum Græci ſed etiam barbari, externique populi per Olympiades temporum diſtinctiones adnotarunt. lib. 3. cap. 1. 315
Gregorius Niſſenus aliquando conqueſtus eſt, quod ab Helladio Epiſcopo ad concionandum prouocatus non fuerit. lib. 5. cap. 15. 562

H

HÆbræi Iobilæum pronunciant, Chriſtiani rectiùs Iubilæum. lib. 1. cap. 5. 25
Hæbræi ex varijs principijs Chronologiam ordientes per quam variam illam reddiderunt. lib. 3. cap. 1. 314
Hæbræi in portis Ciuitatum ius dicebant, & cur. lib. 5. cap 3. 498
Cur Hæbræis ſculptile uetitum fuerit. lib 6. cap. 15. 650
Inepte Kemnicius, & alij Hæretici dicunt, ſoluere, vel ligare, nil aliud eſſe quàm concionem de pœnitentia habere. lib. 2. cap. 10. 102
Hæretici multis argumentis nituntur ſummam Petri Clauem confringere. lib. 2. cap. 15. 113
Hæretici deprauant, & mutilant Scripturas, at Catholici interpretantur. lib. 2. cap. 12. 146
Hæretici crudeles in mortuos ſunt non ob ſuperſtitionem vitandam, ſed propter odium quo Catholicam religionem proſequuntur. lib. 1. cap. 47. 286
Hæreticorum labor eſt in labijs, in lingua, & in ore lib. 4 capite 9. 449
Hæretici ingenioſi, & aſtuti ſunt in omnibus vijs ſuis, ſed laborant vt Moab ſuper excelſis ſuis. ibidem. 449
Hæretici ſummo furore, animique labore in Romanum Pōtificem in Porta Sancta ſedentem inuehuntur. lib. 5. cap. 3 498
Hæretici etiam diuerſarum factionum in eo vno conueniūt, vt Romanum Pontificem de ſua ſede deturbent. ibid. 499
Hæretici hominis illud proprium eſt, vt iudicio Eccleſiaſtico numquam acquieſcat. ibidem. 499
Hęreſum progenitrix eſt ſuperbia, & ſoror contumacia. ibidem. 499
Hęreticorum, & Eccleſiam Dei perſequentium infauſti exitus enarrantur. ibidem. 499
Hęretici rectè locuſtę comparantur. lib. 5. cap. 11. 535
Hęretici Meſſaliani ſæpè recepti, & relapſi Synodali Decreto ab Eccleſia pulſi ſunt. ibidem. 536
Cum Hęreticis recenter in hęreſim lapſis aliter agendum eſſe, quàm cum illis, qui diù in hęreſi perſeuerauerunt docetur, ex D. Auguſtino. ibidem. 536
Nonnulli Hæreſiarchę in Anno Iubilęi Gregorij XIII. Romę Catholicam veritatem amplexi ſunt. ibidem. 537
ex hoc quòd zizania bono ſumini ſuperſeminatur, colligitur non legitimum, ſed adulterinum ſemen eſſe, ex Tertulliano. Sic hæreſes poſteriùs immiſſę in agrum euangelicum falſę, & extraneę doctrinę ſunt. ibidem. 539
hęretici piorum deuotiones irrident, ſicut Michol Dauidem ſaltantem ante Arcam. lib. 5. cap. 12. 541
Hæretici ſemper Chriſtum, & eius Eccleſiam perſequuntur. lib. 6. cap. 1. 591
Hæretici derident peregrinationem ad loca ſancta. ibid. 591
Hęreticorum nomina numerantur, qui peregrinationem impugnant. ibidem. 591
Hęreticos nil magis vrit, quàm Domus Lauretanę concurſus lib. 6. cap. 9. 633
Ingenti lapide conteritur Hęreticus, qui lapides in B. Virginis Imaginem iecerat, ex Paulo Diacono. lib. 6. cap 15. 652
Hæretici non ex proprio opere, ſed diuino miracula operari poſſunt lib. 6. cap. 22. 682
Hęretici Dei dona occultari, & ſilentio inuolui debere contendunt. lib. 6 cap. 23. 689
Hæretici contra Monachus ſemper bellum indixerunt. lib. 6. cap. 25. 694
Hæretici, qui Indulgentias negant ex hoc quòd Purgatorium non admittunt, peccant in antecedenti, in conſequenti, & in conſequentia. lib. 2. cap. 9. 98
Hæreticis, & Hæbræis familiare eſt addere, vel minuere aliquid ex ſcriptura lib. 2. cap. 15. 114
Hæretici numquam docuerunt Paſcha celebrandum non eſſe die Dominico poſt decimamquartam Lunam, & Æquinoctium lib. 4. cap. 11. 459
Nouitas doctrinæ, & dogmata nouiter conficta hæreſum inſignia ſunt, ex Tertulliano, Optato, & alijs. lib. 5. c. 11. 538
Hęreticus Illyricus aduerſus Lauretanam Domum debacchatur. lib. 6. cap. 9. 632
Exemplo damnati Neſtorij colligitur, perniciosiſſimum eſſe permittere hominem Hęreticum liberè inter Catholicos agere. lib. 5. cap. 11. 537
Hieruſalem meritò Sodoma, & Ægyptus nuncupatur, ex D Hieronymo. lib. 3. cap. 9. 353
Hieruſalem tempore Antichriſti florentiſſima videbitur. ibidem. 353
Hiſtoriographus, qui nonnulla in ſcribendo reliquit, non eſt mendax. lib. 6. cap. 13. 643
Quando nomen alicuius hiſtorię ſilentio inuoluitur, illa nequaquam vitioſa redditur. lib. 6. cap. 19. 671
Narratio de Lazaro, & Epulone vera hiſtoria, & non parabola, licèt quoad aliquas circumſtantias, linguę ſcilicet, & oculorum, parabolicę locutionis nonnihil complectatur. lib. 2. cap. 43. 164
homo purus ex Dei abſoluta potentia potuiſſet pro ſuis, & alienis peccatis ſatisfacere de Iuſtitia, ſecundum quid tamen, non abſolutè lib. 2. cap. 4. 67
per Dei Incarnationem cognoſcit homo quanta ſit dignitas humanę naturę. ibidem. 68
per Incarnationem Dei homo liberatur à ſeruitute dęmonis. ibidem. 68
Nullus purus homo, etiam ſi tantam gratiam, & gloriam Deus illi conferret, quantam Chriſto, potuit ſatisfacere ex Iuſtitia, & de condigno. ibidem. 70
Vt homo reparationis Iubilęum obtineret, conueniens fuit Chriſtum mori ibidem. 71
Homo iuſtus cum Dei gratia, & ſpeciali eius auxilio implere poteſt ſufficienter mandata Dei. lib. 2. cap. 3. 194
homo, qui non facit niſi quòd debet, ſeruus inutilis dicitur. ibidem. 195
hominem ad pœnam ordinari non eſt malum, ſed bonum, & iuſtum. lib. 4. cap. 3. 415
homo in culpa manere non poteſt ſine debito pœnę. ibi. 415
Naturali inſtituto homo colit Deum erecto vultum, & expanſis manibus. lib. 4. cap. 11. 462
homo debet Deum colere, & anima, & corpore, cum vtriuſq; ſit auctor. ibidem. 462
homines boni non ſolum apud Deum, ſed etiam apud homines in hac vita laudem merentur. lib. 5. cap. 6. 514
homines vagi, & inhoneſti ab hoſpitijs in anno ſancto expellendi ſunt. lib. 5. cap. 10. 533
Quinque genera hominum enumerātur, qui Eccleſiam Dei perſecuti ſunt, videlicet Iudęi, Hęretici, ſchiſmatici, Gentiles, & mali Chriſtiani. lib. 5. cap. 11. 534
homo ex voluntaria pietate, & ſpontanea deuotione multa aliàs indebita debet Deo offerre. lib. 5. cap. 12. 540
probati hominis genus virtutis proſapia eſt lib. 5. cap. 16. 577
dum homo amore Cœleſtium à terra eleuatur, laqueos dęmonis effugit. ibidem. 578
homines flagitioſi ſępè falſa miracula faciunt. libro 6. capite 34. 690
Ex Dei permiſſione ſcelerati homines quędam miracula faciunt. ibidem. 690
homo per Iubilęum paſſionis Chriſti pręter liberationem à peccato multa alia bona obtinet. lib. 2. cap. 4. 71
homo ferendo tribulationes fit tuba ductilis in Dei laudem producta lib. 5. cap. 16. 580
homo qui negligit Sacrum Iubilęum ſuſcipere, ſibi ipſi crudelis eſt. lib. 5. cap. 12. 541

homines ſancti ſunt viui lapides Cœleſtis Patriæ. libro 2.capite 29. 183
priuatus homo non poteſt anticipata ſolutione pro ſuis, vel aliorum peccatis futuris ſatiſfactiones in theſauro conſeruare. lib. 2. cap. 39. 227
Nullum eſt hominum genus ſine aliqua religione. libro 4. cap. 10. 227
humanum genus Imperijs regi, & moderari neceſſe eſt. lib. 5. cap. 9. 529
homini mens ad cohibendum corpus vinculorum loco eſt. libro 2. cap. 29. 181

I

IAcobus inter particulares Epiſcopatus Apoſtolorum nobiliorem obtinuit ſedem. lib. 2. cap 14. 112
Iacobi non tres, ſed tantum duo fuere. lib. 2. cap. 23. 156
Quod Iacobus à Petro ordinatus fuerit, id ad certi loci miniſtrationem referendum eſt. ibidem. 156
Iacobus, & ab ipſo Chriſto, & ab Apoſtolis quomodo ordinatus dicatur à Clemente. ibidem. 156
Iacobus, & Ioannes inſignibus Epiſcopalibus vſi ſunt ibidem. 156
omnia Idola Ægypti in Chriſti ingreſſu confracta eſſe incertum eſt, aliqua tamen in ea Ciuitate, in qua Chriſtus habitauit, deturbata eſſe veriſimile eſt. lib. 6. cap. 19. 670
Ignatius de Loyola fundator ſocietatis Ieſu laudatur. lib. 5. cap. 8. 48. & lib. 6. cap. 1. 595
ignauia in Dei obſequio multis nominibus in ſacris literis appellatur, id eſt remiſſio, claudicatio, tepiditas, mollities, diſſolutio, taciturnitas, pigritia, otium, ſepultura. libro 5. capite 5. 507
Ignis maximam habet actiuitatem. lib. 2. cap. 8. 98
ignis fomentum eſt oleum. ibidem. 56
ignis purgatorij eſt grauior omni pœna huius vitæ. lib. 4. capite 16 387
in Imaginum collocatione cur imago Pauli ad dexteram imaginis Petri collocetur. lib. 3. cap. 12. 358
Imagines Apoſtolorum, quas B. Silueſter Cõſtantino oſtendit, in Baſilica Vaticana aſſeruantur. lib. 3. cap. 13. 364
Imago Saluatoris, quæ in Sacello Sancti Laurentij apud Lateranum exiſtit, à B. Luca depicta fuit lib. 3. cap. 31. 387
vna Imago tres ob cauſas magis quam alia celebratur. ibidem. 387
imaginum vſus in primis quingentis annis à Chriſto probatur in Dei Eccleſia. ibid. 388
imaginum vſus Chriſtianis licitus, & vtilis eſt. lib. 6. capite 5. 650
Non prohibetur omnis Imago dum dicitur, Exodi 20. Non facies tibi ſculptile; ſed ſculptile, quod pro Deo colitur. ibidem. 650
pro imaginibus Romæ Synodus Anno Domini 778. peracta fuit. ibidem. 651
Abuſus Pictorum, qui obſcœna membrorum expreſſione ſacras imagines deturpant, à D. Auguſtino reprehenditur. ibidem. 651
impedimentum peccati non ſolum perſonæ, ſed etiam ipſis operibus obeſt. lib. 2. cap. 33. 209
Imperator eſt defenſor, & filius Eccleſiæ. lib. 3. cap. 9. 331
Imperatores inſignia Imperij apud ſepulchrum Piſcatoris recipiunt. lib. 3. cap. 13. 369
Imperatores, & Reges, cum Romæ moriuntur, apud Vaticanam ſepeliuntur. ibidem. 370
Philippus Primus Imperator Chriſtianus ob celebrationem ludorum ſecularium à Pontifice inter pœnitentes reiectus fuit. lib 3. cap 5. 332
impoſitio manuum in ordinatione non eſt ritus ab Apoſtolo introductus, ſed à Chriſto. lib. 2. cap. 23. 152
Per manuum impoſitionem in ordinatione datur gratia. ibidem. 152
impoſitio manuum in ordinatione Diaconi, Sacerdotis, & in conſecratione Epiſcopi eſt pars eſſentialis, vt materia. ibidem. 152
impoſitio manuum non eſt neceſſaria in ordinatione Subdiaconi. ibidem. 152
impoſitio manuum quadruplex reperitur, conſecratoria, ordinatoria, reconciliatoria, & ſalutaris. ibid. 155
impoſitio manuum in nouo teſtamento ordinationem ſignificat. ibidem. 151
Errauit Caietanus exiſtimans, manuum impoſitionem Saulo, & Barnabæ factam Actorum 13. non fuiſſe Sacramentalem. ibidem. 153
incarnationis opus nec ex parte Dei, nec ex parte Chriſti fuit ex neceſſitate factum. lib. 2. cap. 3. 64
incarnatione Chriſti ad liberandum hominem nullus modus congruentior fuit. lib. 2. cap 4. 68
in incarnatione Chriſti maxima potentia, & ſapientia Dei relucet. ibidem. 69
incarnationis vocabulo peritiſſimi linguæ, & vetuſtiſſimi Patres vſi ſunt. lib. 1. cap. 5. 25
Clemens Sextus Indulgentiam anni ſancti primus omnium Iubilæi nomine decorauit. lib. 1. cap. 3. 13
Indulgentia à Tertulliano, & à diuerſis Concilijs ſub nomine Clementiæ, humanitatis, & veniæ intelligitur. ibid. 15
Indulgentia à Tertulliano D. Cypriano, & D. Auguſtino remiſſa peccatorum appellatur. ibid. 14
in Indulgentia fit ſolutio nõ ex proprio, ſed ex alieno. ibid. 14
in Indulgentia fit ſolutio ex alieno pro applicationem ab eo, qui poteſtatem habet. ibidem. 14
Indulgentiarum origo longè ante tempora D. Gregorij petenda eſt. ibid. 15
Indulgentiæ nomen in Scripturis haberi oſtenditur. ibi. 16
Indulgentiæ res ex multis Scripturæ locis comprobatur, quod etiam teſtimonio D. Cypriani oſtenditur. ibid. 16
Indulgentiæ nomen varias acceptiones habet. ibid. 16
Indulgentiæ nomen aliquando molliorem permiſſionem ſignificat. ibidem. 16
Indulgentia aliquando lenitatem in ſubditos ſignificat, aliquando pulchritudinem, aliquando gratiæ collationem, aliquando aſſiduitatem in exercitijs, aliquando remiſſionem debiti, aliquando remiſſionem culpæ, aliquando etiam in Scriptura remiſſionem pœnæ. ibid. 16. & 17
Indulgentiæ vocabulum eſt Eccleſiaſticum; & maximè proprium, pro remiſſione pœnæ ab Eccleſia Catholica vſurpatum. ibidem. 17
Indulgentiæ vocabulo vſus eſt D. Cyprianus multis in locis, & alij antiqui Patres. ibid. 17
Indulgentiæ nomen inſigne, & celeberrimum eſt, ex Concilio Tridentino. ibid. 17.
Indulgentiæ vocabulo primus inter Romanos Pontifices Alexander Tertius vſus eſt. ibid. 17
Indulgentiæ vox Romana eſt, & quare. ibid. 17
Indulgentia à D. Paulo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, D. Chryſoſtomo, & Ambroſio recto nomine nuncupatur. ibidem. 19
Indulgentia eſt parua benedictio cũ ſit relaxatio pœnæ. ibi. 17
Indulgentia benedictio à D. Gregorio nuncupatur. ibid. 18
Indulgentia cur propriè Baptiſmus dici non debeat. ibid. 19
Indulgentiarum theſaurus in labro æneo ſpeculis mulierum ornato figurabatur. ibidem. 19
Indulgentias eſſe multi, & ferè omnes Hæretici negant. lib. 2. cap. 9. 98
Qui orandi gratia, vel audiendi concionem deuotè ingrediuntur Eccleſias, toties quoties Indulgentiam acquirunt in Anno Sancto. lib. 6. cap. 15. 666
Indulgentiæ ſunt etiam in remedium ad peccata vitanda, & id dupliciter, ex D. Thoma. lib. 2. cap. 21. 148
Indulgentiarum conceſſio eſt abſolutio, ſolutio, & diſpenſatio. ibidem. 145
Indulgentia eſt remiſſio, abſolutio, diſpenſatio, & ſatisfactio ſecundum diuerſos reſpectus. lib. 2. cap. 31. 196
Indulgentiæ abſolutio non ſolum ad gratiam, ſed etiam ad iuſtitiam pertinet. lib. 2. cap. 38. 225
Indulgentia reſpectu eius, qui illam conſequitur, omnino gratuita eſt, reſpectu autem Chriſti, & Sanctorum iuſta. ibidem. 227
Indulgentia quadrupliciter ex opere operato valet, & prodeſt. lib. 2. cap. 40. 229
Indulgentiæ theſaurus habet ordinem ad ſacrificium cruentum Crucis, non autem ad ſacrificium incruentum, ſeu ad Miſſam. ibidem. 229
Indulgentia reſpectu Chriſti, qui principaliter pœnas remiſit, valorem

tiæ, valorem habet ex opere operantis; reſpectu autem miniſtri, vel effectus, ex opere operato ibidem. 229
Indulgentiæ ſuffragium directè ad tollendam pœnam ſenſus ordinatur.lib.2.cap.45. 271
Indulgentiæ pro mortuis ad tertium genus ſuffragiorum reducuntur.lib.2.cap.47. 286
Indulgentia Iubilæi tempore Alexandri VI.etiam pro defunctis conceſſa fuit.ibidem. 286
Indulgentia Iubilęi hodiè non extenditur ad defunctos. ibidem. 286
nulla Indulgentia extenditur ad mortuos, niſi expreſsè concedens ad illos extendat.ibidem. 286
Indulgentia pro defunctis duo continet; applicationem theſauri, & debiti ſolutionem.lib.2.cap.49. 295
Quid ſit Indulgentiam concedere per modum ſuffragij. ibidem. 297
Indulgentia quæ datur defunctis eſt actus auctoritatis, iuriſdictionis, & Clauium.ibidem. 296
Indulgentia defunctorum non eſt omninò eiuſdem rationis cum ea quæ datur viuis.ibidem. 296
inter Indulgentiam viuorum, & mortuorum quinque diſcrimina ponuntur.ibidem. 297
Indulgentia per modum ſuffragij ergà defunctos non connotat abſolutionem perſonarum, ſed tantum applicationem theſauri, & ſolutionem pœnarum.lib.2.cap.49. 297
Indulgentię pro defunctis non ficte, nec impropriè, ſed veraciter, ac propriè illos iuuant, contrà Guglielmum de Rubione.lib.2.cap.50. 301
Indulgentię defunctis deferuntur via Iuſtitiæ, & de condigno, contrà Caietanum, & Henriquez, idque ſeptem optimis rationibus probatur.ibidem. 301
Indulgentiæ ergà defunctos ritè ſuſceptæ certò, & infallibiliter ſuum ſortiuntur effectum, ex diuina promiſſione lib.2.cap.51. 303
Ex accidenti, & ab extrinſeco impediri poteſt ne Indulgentia ergà defunctos effectum ſortiatur.ibidem. 304
Poſt ſuſceptam Indulgentiam etiam pleniſſimam pro defunctis, expedit quoque pro illis facere alia ſuffragia, & nouas Indulgentias acquirere.ibidem. 304
Indulgentię ergà defunctos vnicum effectum habent, ſcilicet accelerare liberationem animæ à pœnis, alia ſuffragia pleroſque alios effectus gignunt.ibidem. 304
Indulgentia Anni Sancti cæteras omnes certitudine, efficacitate, amplitudine, dignitate, & vtilitate antecedit. lib.2.capite 52. 305
Indulgentia Anni Sancti pluries in eodem Anno acquiri potest.ibidem. 307
Quando Indulgentia conceditur de peccatis actualiter confeſſis, non extenditur ad oblita, niſi generaliter illa pœnitens complexus ſit, cum Silueſtro.lib.4.cap.2. 404
Quid ſit Indulgentiam hominem reducere ad innocentiam baptiſmalem.ibidem. 405
Quicquid conuenit plenariæ Indulgentiæ conuenit Iubilęo, non è contrà.ibidem. 405
Quatuor ſunt, quæ in ſuſcipiente effectum Indulgentiæ retardare poſſunt.ibidem. 406
Triplex illa diuiſio Indulgentiæ in plenam, pleniorem, & pleniſſimam nequaquam eſt irridenda. contrà Sotum. ibidem. 408
Variæ opiniones huius triplicis diuiſionis Indulgentiæ. ibidem. 407
Indulgentia Anni Sancti eſt propriè Indulgentia culpę, & pœnæ.ibidem. 408
Genus hoc loquendi, culpę, & pœnę Indulgentia, licèt ſit improprium, eſt tamen Catholicum, & Apoſtolicum. ibidem. 409
Tripliciter in Indulgentia remiſſio culpę comprehenditur.ibidem. 409
Non repugnat Indulgentię etiam non plenarię remittere culpas veniales indirectè.lib.4.cap.5. 415
Indulgentia præciſè ſecundum communem, & veram opinionem pœnas tantum, non culpas remittit. ibidem. 416
Indulgentię etiam in opinione Scoti non tollunt culpas ad inſtar ſacramentalium.ibidem. 417
Pauci ſunt, qui verè acquirunt Indulgentias, vel Iubilęos. libro quinto, capite 15. 551
Indulgentia non facit de attrito contritum.lib.4 cap.6. 428
Indulgentia prodeſt tantum amicis Dei. 428
Indulgentia pleniſſima etiam ad inſtar Iubilęi conceſſa ſuſpenditur in Anno Sancto.lib 4.cap.8. 436
Plenarię Indulgentię tantum in Anno Sancto ſuſpenduntur.ibidem. 435
Indulgentiæ Eccleſiarum extrà Vrbem poſitarum, etiam ſi ſint plenarię, non ſuſpenduntur.ibidem. 439
Etiam B.Marię de Laureto plenarię Indulgentię, durante Anno Sancto, non ſuſpenduntur.ibidem. 437
Indulgentia eſt medium, per quod diuina amicitia conſummata haberi poteſt, tanquam remouens prohibens. libro 5. cap.7. 520
Indulgentia non eſt mortua, ſed viua ſatisfactio.libr.5. capit. 13. 545
in Indulgentia quantum ad rationem ſatisfactionis non attenditur quantitas operis, ſed genus operis. lib.5. cap.15. 548
Indulgentias ſuſcipere ſonat per ſe perfectionem.ibid. 563
imperfectorum eſt Indulgentias ſuſcipere eo animo, ut ſuſceptis illis, in Dei ſeruitio ſegnius ſe gerat.ibid. 563
Conceſſa plenaria uidetur quoque hodie à Papa concedi pleniſſima lib.4.cap.2. 411
ignoranter à nonnullis dicitur, tantum meritum tribui Indulgentiam ſuſcipientibus, ſi tantam eleemoſinam porrigant, ac ſi Romam vel Lauretum perſonaliter accederent. lib.5.cap.15. 564
Indulgentia eſt aptiſſimum medium inter omnia ſuffragia ad liberandum hominem à pœnis.ibid. 564
Indulgentia aut tota acquiritur aut nihil.ibid. 553
Quando Indulgentia eadem ſæpius acquiri poſſit.ibid. 566
perpetuas Indulgentias non fas eſt quolibet hora vel momento iterum, atque iterum ſuſcipere.ibid. 567
Indulgentię conceduntur à Papa pro peccatis, etiam poſt ſuam conceſſionem perpetratis vſque ad eam horam, qua quiſque illas ſuſcipit.ibidem. 567
Indulgentię nomine Tertullianus vſus eſt.lib.2.cap.19. 132
Indulgentias eſſe vniuerſa Dei Eccleſia docet. libro 2. capite 20. 138
Indulgentias eſſe probatur ex Clemente Primo, & ex varijs Conciliorum ante Annos 1244. celebratorum teſtimonijs, videlicet Romano, Ancyrano, Nicęno primo, Sardicenſi, Laodiceno, Carthaginenſe tertio, Agathenſe, Ilerdenſi, Lateranenſi tertio, Lugdunenſi, Baſileenſi, & Tridentino.lib.2.cap.20. 134
Qui Indulgentiam acquirit, ſoluit quidem de ſuo, non tamen per ſe ipſum, ſed per Chriſti communicationem acquiſito.lib.2.cap.27. 166
publicare nemini licet etiam concionando alias Indulgentias plenarias in Anno Sancto.lib.4.cap.8. 438
inter Indulgentias Papę, & Epiſcoporum multę ponuntur conuenientię, & differentię.lib.2 cap.30. 189
Quilibet poteſt renunciare fauori Indulgentiarum libro 2. cap.41. 253
Cur in Anno Sancto Indulgentię ſuſpendantur tres cauſę adducuntur.lib.4.cap.8. 435
Indulgentia Anni Sancti præciſè non dirigitur ad mortuos. lib.5.cap.15. 562
Indulgentia non habet locum, niſi homo ſit prius abſolutus à vinculo peccati, & æternę damnationis. ex Alberto.lib.2.cap.19. 134
Omnes mundi nationes inſtanter à Sede Apoſtolica Indulgentias expetierunt.lib.2 cap.21. 142
Dum per Indulgentias iuſta compenſatio Deo ſit, nulla diuinę Iuſtitiæ, vel prouidentiæ fit iniuria.lib.2.cap.22.143
Primus qui conſtitutione Indulgentiam Anni Sancti ſanciuit, fuit Bonifacius Octauus.lib.3.cap.5. 330
Qua ratione Bonifacius Octauus adductus fuerit, vt Indulgentiam Anni Sancti Decreto confirmaret. libro 3. capite 5. 331
Indulgentias concedere hoc, vel illo tempore eſt iuris poſitiui.lib.4.cap.2. 409
Indulgentia duplex, vna qua tota pœna, altera qua pars eius remittitur.ibidem. 403

Indulgentia

Indulgentia veriuſque generis in plures ſpecies ſubdiuiditur. ibidem. 403
Indulgentia ſecundum opinionem communem,& veram pœnas tantum,non culpas remittit.lib.4.cap 3. 416
in Indulgentijs applicatur limitatus gradus paſſionum Chriſti.lib.2.cap.40. 228
Indulgétiæ effectus,remoto peccato reuiuiſcet,ſi Papa id exprimat in conceſſione Indulgentiæ, aliàs non.ib.d. 239
Multæ Indulgentiæ ergà animas defunctorum à diuerſis Pontificibus etiam antiquiſſimis conceſſæ leguntur. lib. 2.cap.48. 289
D. Gregorius Clauem partulam à B. Petri corpore deſumptam,in qua ferrum de Catenis eius incluſum erat,ad benedictionem ideſt Indulgentiam plenariam tranſmiſit.lib. 2.cap.52. 305
Gregorius Septimus ad Alphonſum Regem Hiſpaniarum miſit Clauiculam auream, in qua de Catenis Sancti Petri benedictio continebatur.ibid. 305
Indulgentiæ proſunt etiam concedenti,contra Caietanum. lib.5.cap.15. 560
Optimè Dominicus Soto dicit, à vocabulo Indulgentiæ abhorrendum non eſſe.lib.1.cap.3. 17
Errant aſſerentes, Indulgentias per viam orationis impartiri.lib.2.cap.27. 166
Errant pariter putantes, Indulgentias virtutem, & menſuram recipere ex quantitate deuotionis operantis.ibi. 166
Errat Valla exiſtimans Indulgentiam ſemper ſignificare illicitam licentiam.lib.1.cap.3. 16
Errat Vgo de Sancto Victore, dum interpretatur per verbum illud Pauli, *ſecundum Indulgentiam*, ideſt conceſſionem laxioris vitæ ibid. 16
Infernus multis nominibus appellatur in Scripturis, ſcilicèt Gehenna,Baratrum,ſiue profundum,fouea,Tarrarus,obſcurum, Abyſſus,ſtagnum ignis, Perditio,lacus miſeriæ, Puteus corruptionis, lutum fæcis, ſepulchrum, tenebræ, vmbra mortis,Porta Inferni.lib.2.cap 44. 267
Inferni locus in centro terræ ſitus eſt,non extrà Orbem,vel in aere.ex Patribus ibid. 268
Pulchra aliqua de extenſione, & amplitudine loci Inferni poſt diem iudicij.ibid. 269
Inferni locus poſt diem iudicij ampliabitur vſque ad Purgatorium excluſiue.ibid. 270
Reprobatur illorum opinio,qui dicunt infernum, & conſequenter Purgatorium eſſe in valle Ioſaphat, vel in parte eiuſdem vallis, quæ dicitur Gehenna. libro 2. capit.45. 271
Et dicentium non terram,ſed aerem caliginoſum eſſe locum inferni,& aliorum.ibid. 271
Ex doctrina D.Thomæ deducitur etiam ab inferno fuiſſe aliquos ſuſcitatos.lib.2.cap.45. 274
Errat Sotus aſſerens eos, qui ab inferno ſuſcitati ſunt, poſtea in infernum iterum deſcendiſſe. ibid. 274
Patrum ſententiæ qui dicunt, Patres in inferno non tormentum,ſed requiem habuiſſe explicatur.libro 5.cap.16. 587
Innocentes ab Herode occiſi Martyrij palmam conſecuti ſunt.lib.2.cap.24. 159
Innocentius Pelagium etiam in Concilio abſolutum ob fraudis ſuſpicionem reiecit.lib.5.cap.11. 535
interdicta Ciuitate non cenſentur interdictę Ciuium perſonę.lib.4.cap.8. 437
interdictus perſonaliter poterit priuatim in Eccleſia orare extra tempus diuinorum, & ſic Iubilæum conſequi. lib. 5.cap.15. 574
interpretatio nominum maximè facit ad declarandos ſenſus miſticos alicuius sei.lib.1.cap.3. 14
Nouis rebus inuentis noua vocabula adinuenienda ſunt. lib.1.cap.5. 28
Archimedis ſphæra vitrea merum humanum inuentum fuit,non diuinum,aut dæmoniacum.lib.6.cap.25. 679
inuentio noui Orbis, multarum ſcilicèt illius regionum noſtro hoc ſæculo deſcribitur.lib.1 cap.10. 52
inuenti huius noui Orbis conuerſio, & quòd multis modis præſignificata fuerit. ibid. 53
Ioannes Baptiſta in vtero Matris non ſolum habuit exultandi affectum,ſed etiam intelligendi ſenſum,ex Hieronymo & Ambroſio.lib.1.cap.6. 92
Ioannis Baptiſtæ vita fuit unicum, & perpetuum ieiunium. lib.2.cap.24. 159
Ioannes Euangeliſta iam obijt, ſicut etiam Moyſes. lib. 3. cap.9. 351
Ioannes Euangeliſta, & Philippus Apoſtolus Cæſari Theodoſio apparuerunt.lib.6.cap.25. 694
Ioannes Methuna iurpiter lapſus eſt in materia de merito Chriſti infinito.lib.2.cap.34. 208
non Ioſeph ſed Maria in Nazareth proprium domicilium habuit.lib.6.cap.11. 633
Ioſeph ex Bethlehem oriundus erat.ibid. 633
Ioſeph pauperrimus erat,& artificio faber.ibid. 634
Ioſeph, lignarius, & ferrarius faber erat.ex Patribus.ib. 634
Quomodo ſint intelligendi multi Patres,qui negant,Ioſeph maritum Mariæ fuiſſe.ibid. 635
Ioſeph tempore, quo Chriſtus baptizatur, moritur, ibidem. 637
Reprehenditur Caietanus,dum aſſerit,quòd Ioſeph rediens ex Ægypto,in Bethlehem vel Hieruſalem non Nazareth ire intendebat. ibid. 637
ira Dei in Politicos.lib.5.cap.4. 507
irregularis etiam publicus ſuſcipere poteſt Iubilæum. libro 5.cap.15. 573
irregularitas nunquam hominem ab ingreſſu Eccleſiæ arcet.ibidem. 573
irregularis quærat Romæ in anno ſancto à pœnitentiario remedium.ibid. 573
Nauarrus corrigendus eſt,dum irregularitatis, & Indulgentiæ nomen,vt minus latinum deprimit lib.1.cap.5. 27
Iſychius ante plus centum,& mille annos floruit.li.2 c.3. 63
Iubilæus quid ſit à plurimis etiam ſapientibus ignoratur. lib.5.cap.1. 2
Iubilæus eſt remiſſio ſeu liberatio.ibid. 2
Iubilæi definitionem non ingreditur ratio quietis, vel iubilationis ibidem. 3
Iubilæus annus rectè dicitur Sabbatum,& ex Scriptura colligitur.ibidem. 5
Iubilæi anno Iudæi diuino præcepto terram non colebant. ibidem. 5
Iubilæi annus dimittens dicitur.ibid. 3
Iubilæi annus initiatus dicitur.ibid. 3
Iubilæi annus non erat Iudæis idem cum anno ſeptimo. ibidem. 5
Iubilæi tempore quatuor annis quieſcendum erat à cultura terræ,& quomodo.ibid. 6
Iubilæi tempore Deus dabat fructum quatuor annorum, & quomodo id ex Scriptura colligatur.ibid. 6.& 7
Iubilęi quatuor ſpecies ex Scripturis proponuntur.li.1.c.2. 7
Prima Iudæorum in qua ſeruitutes, & obligationes debitorum,& hęreditatum reſtitutiones fiebant.ibid. 7
Secunda eſt redemptio, & liberatio humani generis à Chriſto facta de poteſtate Dæmonis.ibid. 8
Tertia eſt remiſſio facta in die Pentecoſtes per aduentum Spiritus Sancti.ibid. 10
Quarta eſt Iubilęus Eccleſiaſticus,ideſt pleniſſima Indulgentia à Romano Pontifice Eccleſię Catholicę conceſſa.ibi. 11
in Iubilæo hæbraico vſuræ remittebantur.ibid. 8
Iubilęi tempus erat typus futuri ſæculi, ſicut tempus Iubilęum precedens pręſentis ibid. 8
Iubilęus Chriſti dicitur annus acceptabilis, dies ſalutis, dies retributionis,& annus placabilis.ibid. 9
Redemptio per ſanguinem in Cruce à Chriſto exhibita Iubilæus per Antonomaſiam,& excellentiam verè dicitur.ibidem. 10
Iubilęus ideſt remiſſio peccatorum Apoſtolis in die Pentecoſtes facta eſt.ibid. 10
Iubilæus Eccleſiaſticus eſt remiſſio pleniſſima totius pœnæ, non quidem ęternæ, ſed temporalis peccatis iam condonatis debitæ, non vi ſacramenti,ſed theſauri Eccleſiaſtici, Apoſtolica diſpenſatione,certo quodam tempore indulta ijs,qui præſcriptas Baſilicas confeſſi,& contriti perſonaliter deuotę uiſitauerint.ibid. 11
Iubilęus Eccleſiaſticus eſt applicatio non per modum Sacra-

menti,ſed per modum ſatisfactionis paſſionum,quas Chriſtus,& Sancti paſſi ſunt ibidem. 11
de Iubilæo Eccleſiaſtico in hoc opere præcipuè agitur. ibidem. 12
Iubilæi ratio principaliter de Chriſti redemptione dicitur,ſecundario,& minus principaliter de alijs.ibidem. 12
Iubilæi ratio non vniuoce, ſed analogice de ſpeciebus ſuis prædicatur.ibidem. 12
Iubilæus Eccleſiaſticus eſt participatio meritorum Chriſti. ibidem. 12
Iubilæi nomen,& ratio minus principaliter,& magis improprie Hæbræorum Iubilæo conuenit.ibidem. 12
Iubilæi nominis impoſitio primario Hæbræorum Iubilæo, vt figuræ, & imperfecto indita fuit.ibidem. 12
Iubilæus ſeu Indulgentia pleniſſima decem nominibus in ſacris literis appellatur; Iubilæus, ſatisfactio, remiſſio, ſolutio,pax,Indulgentia, benedictio, donatio, Baptiſmus impropriè,& redemptio.lib.1.cap 3. 13.& ſeq.
Iubilæus aliquando tertius Baptiſmus ab Oſorio,impropriè tamen,dicitur.ibidem. 18
Iubilæi ex varia deriuatione ſenſus diuerſi deducuntur. lib. 1.cap. 4. 20
Iubilæus à Iobel, ideſt buccina, ſeu cornu deducitur, quòd clangore buccinæ Annus quinquageſimus prænunciabatur.ibidem. 20
Iubilæus a dictione,Iobal,deductus,remiſſionem,& libertatem ſignificat;quæ deriuatio oritur ex verbis Scripturæ. ibidem. 21
Iubilæus à Iobel deductus, initium ſeu initians interpretatur, quòd in principio quinquageſimi anni omnia debita remitterentur,& libertates concederentur.ibidem. 21
Iubilæus ex Iobel quoque deductus,ſecundum Bedam mutatus interpretatur; quòd in eo poſſeſsionum, & ſeruitutum mutationes fierent.ibidem. 21
Iubilæus à Iobel quoque deriuatus, quinquagenarium ſignificat.ibidem. 21
Iubilæus Annus idem eſt Hæbræis ac quinquageſimus. ibidem. 21
Iubilæus à Iubilo deductus, Chriſtianis gaudium magnum, & lætitiam ingentem ſignificat.ibidem. 22
iubilus eſt ingens gaudium,quod non lingua ſed vultu geſtuque exprimitur.ibidem. 22
iubilus in cantu eccleſiaſtico denotatur,dum eadem vox per plures notas muſicales protrahitur.ibidem. 22
iubilare eſt proprium beatiſsimarum mentium.ibidem. 22
iubilare quoque eſt viatorum,contrà Stencum.ibidem. 22
Iubilæi tempore efficacius, & vtilius fideles miſericordiam Dei ſentiunt.lib.2.cap.53. 309
Iubilæus rectè à iubilo deriuatur.lib.1.cap.4. 22
Iubilæus quantum ad effectum lætum ac iubilatione perfuſum hominem reddit.ibidem. 22
Iubilæus à iubilare deriuatus eſt Latinum, & Eccleſiaſticum vocabulum.ibidem. 22
iubilaria conſuetudo apud Belgas,quoad ſeruos,coniugatos, religioſos,& lectores,dum annum quinquageſimum attingunt,probatur.ibidem. 23
Iubilæus ex ſententia D.Gregorij,& Bedæ requiem,& quietem importat.ibidem. 23
Iubilæus à die ſeptimo, in quo quieuit Dominus, originem trahit.ibidem. 24
Iubilæus ex Caietani ſententia ex iobel deductus germen terrę ſignificat.ibidem. 24
Iubilæus ex Pauliani, & aliorum ſententia magnus Dei annus interpretatur.ibidem. 24
Iubilæum Chriſtianorum non eadem orthographia ſcribendus eſt ac Hæbræorum,cum longè ab illo diſtet. lib. 1.capite 5. 25
Iubilęi vox etiam ſi barbara eſſet, ob vſum tamen ſcriptorum,& vulgi rectè vſurpatur.ibidem. 25
Iubilęi vox Latina eſt ad ſimilitudinem tamen Hæbraicę dictionis,videlicèt iobel.ibidem. 25
de Iubilęi Anno multi Auctores Theologi,& Canoniſtę ſcripſerunt.lib.1.cap.6. 28
Iubilæi ſolemnitas apud Hębręos non in vere,ſed in autumno inchoabatur.lib.1.cap.7. 32
Iubilęi Annus prę cæteris excellentior.ibidem. 33
Iubilæi inſtitutio vel conſecutio eſt medium neceſſarium ad bene eſſe ad ſalutem,non ſimpliciter.lib.2.cap.2. 62
Iubilæus Hæbræis ob duo præcipue datus fuit, vt ſcilicet ſerui qui ſeptimo anno ob legis præceptum liberari non poterant,liberi fierent;ac poſſeſsiones reſtituerentur pauperibus,qui illas redimere non poterant.lib.2.cap.2. 62
Iubilæi feſtiuitate Iudæi recolebant beneficium libertatis ex ſeruitute Ægypti ibidem. 63
Iubilæi præceptum potius iudiciale quàm cæremoniale erat.ibidem. 63
Iubilæi celebritas Iudæis neceſſaria non erat in deſerto; & ante tempora ſeruitutis Ægyptiacæ.ibidem. 63
Iubilæus Chriſti ſimpliciter neceſſarius fuit,vt ex rigore Iuſtitię Deo ſatisfieret.lib.2 cap.4. 67
Iubilæi beneficium per Crucem decuit Chriſtum hominicommunicare.ibidem. 72
Iubilæi Annus apud Hæbræos fuit figura Chriſtianæ Pentecoſtes.ex Iſidoro lib.2.cap.6. 85
Sicut Regnum Chriſti ſpirituale ſeptem rebus cæteris Regnis antecellit; ſic euangelicus Iubilæus Moſaico ſeptem rebus præſtat.lib. 3.cap.3. 316
Iubilæus,& Regnum Chriſti ſicut diuinitate ſuperat omnia mundi regna,ſic Moſaicum ſuperat.ibidem. 316
Iubilæus Chriſti vniuerſalitate, & amplitudine ſicut, & regnum eius per omnes mundi partes peruagatur.ibid. 326
Iubilæus ſicut,& Regnum Chriſti ad ſanctam animam adiuuandam dirigitur,Moſaicus verò externam tantum libertatem concedebat.ibidem. 326
Iubilæus ſicut,& Regnum Chriſti,Chriſtianos,qui eo vtuntur,filios Dei facit,& hæredes vitæ æternę;non Moſaicus. ibidem. 326
Iubilæi præſtantia ex Chriſto Auctore cognoſcitur.ibi. 326
Iubilæus Chriſtianus ſuccedit Moſaico ſicut Eccleſia Synagogæ, Apoſtoli Prophetis, Circumciſioni Baptiſmus.lib. 3.cap.4. 327
Iubilæi beneficio peccatorum onera excutiuntur. ibid. 327
Iubilęi Annus in Eccleſia proponitur, vt certum quoddam tempus ad exercitia ſpiritualia, & præſertim pœnalia facienda ibidem. 327
Iubilæi Annus præcipuè inſeruit,ut Petri, & Pauli Baſilicæ ampliùs honorentur.ibidem. 328
Iubilæi Annus præcipuè inſtitutus eſt ad conſeruandum, & augendum obedientiam,deuotionem,& reuerentiam erga Apoſtolicam Sedem.ibidem. 328
Iubilæus illius articuli maximum teſtimonium facit, quòd Petrus,& Paulus Romæ mortui ſint.ibidem. 329
Ante Bonifacium Octauum frequentabatur centeſimo quoque Anno Iubilæus,ſeu pleniſsima remiſsio Romæ,contrà Polidorum,& alios.ibidem. 330
Iubilęi tempore Calix Chriſti,& Sanctorum omnibus fidelibus propinandus Romæ proponitur.lib.3 cap.8. 348
Iubilęi & Indulgentiæ inſtitutum non humanum, ſed diuinum eſſe iterum atque iterum probatur lib 4.cap.2. 398
Iubilæi, & Indulgentiarum vſum antiquiſsimum eſſe in Eccleſia probatur ex ſerie Summorum Pontificum, qui eas conceſſerunt.ibidem. 399.& ſeq.
Chriſtianus Iubilæus non eſt inferior Moſaico.ibidem. 402
Iubilæus ab ipſo Auctore, ideſt Deo, qui illum immediatè inſtituit, dignitatem obtinet ibidem. 402
Iubilæus attenta remiſsione pœnæ eſſentialiter non differt à plenaria,ſed accidentaliter.lib.4.cap.2. 418
Sacer Iubilæus ab alijs Indulgentijs etiam plenarijs differt, ſicut Annus ſeptimus apud Hębræos ab Anno quinquageſimo.ibidem. 410
Sacer Iubilæus vim ad excitanda corda habet,per quam homines mouentur faciliùs, & ſuauiùs ad opera ſibi annexa exercenda,etiam ſi aliàs de pręcepto eſſent.lib.4.c.4. 418
Sacer Iubilęus influit operibus vim adiutricem, per quam fideles plura interna auxilia, & influxus ſpirituales ſuſcipiendo Iubilæum,recipiunt.ibidem. 418
Iubilæus non auget gratiam, & gloriam, applicando nouos gradus gratiæ, ſed tantum communicando merita Chriſti,& Sanctorum,quibus auxilia copioſa gratię confluentibus ad Iubilæum conferuntur, vt eis excitati augmen-

tum gratiæ, & primam interdum gratiam inde reportent. lib. 4. cap. 5. 423. & ſeq.
Iubilæi annus octo modis Sanctus dicitur. lib. 4. cap. 9. 440
Iubilæus Chriſtianus etiam in ſua indictione ſuperat Moſaicum. lib. 4. cap. 13. 496
Iubilæi indictio, cur fiat in die Aſcenſionis Domini. ibi. 496
Iubilæi indictio cur fiat in Baſilica Sancti Petri. ibidem. 497
Iubilæi indictio cur in duobus ſuggeſtibus fiat, & cur latino, & communi italico idiomate. ibidem. 497
Iubilæi diplomata cur in quatuor Vrbis partibus affigantur. ibidem. 497
Iubilæus hæbraicus in Chriſto terminatus fuit. lib. 4. cap. 2. 490
Iubilæus hæbraicus, & Chriſtianus in eo conueniunt, quod vterque repræſentat bona, quæ in patria dantur. ibidem. 490 & 491
Iubilæus nil prodeſt illis, quoad remiſſionem pœnæ, qui eum ſuſcipiunt in ſtatu peccati mortalis, contra Mayronem, & Scotum. lib. 5. cap. 15. 551
Iubilæus prodeſt Clerico ſine licentia Epiſcopi peregrinanti. ibidem. 563
Iubilæus prodeſt Religioſo etiam ſine licentia ſuperioris ſui peregrinanti ibidem. 563
Iubilæus vtilis eſt uxori ſine licentia uiri in Anno Sancto Romam accedenti. ibidem. 564
Iubilæus non prodeſt niſi reſtituantur ablata ibid. 564
Iubilæus prodeſt illis, qui inceptum iter ad Vrbem in Anno Sancto perficere non poſſunt. ibidem. 565
Iubilæum non acquirit ille, qui per ſe ipſum non accedit, contra Ioannem de Anania. ibidem 565
Iubilæum æque acquirit ille, qui uit eques, ſicut ille qui uit pedes, contra Ioannem de Anania. ibidem. 566
Iubilæus in eodem Anno Sancto duobus, & decem vicibus ſuſcipi poteſt. ibidem. 566
Spe Iubilæi conſequendi peccans, ſi conteratur, à fructu Iubilæi non excluditur, niſi ſecus diploma expreſſe habeat. ibidem. 567
Ad Iubilæum reparationis hominis fuit neceſſarium ex parte finis Chriſtum pati, & hoc quadrupliciter. lib. 2. cap. 4. 70
Ab Adam uſque ad ortum Abrahæ Iubilæi triginta nouem interceſſerunt, demptis duobus annis. lib. 3. cap. 1. 312
Inter Iubilæum Anni Sancti, & alias Indulgentias tres conuenientiæ, & vndecim differentiæ ponuntur. lib. 4. cap. 2. 401. & ſeq.
quomodo Iubilæus intrinſecè differat ab alijs Indulgentijs. ibidem. 406
Æquè conſequitur Iubilæum uicinus Eccleſiæ ac longè poſitus. lib. 5. cap. 4. 548
qui ſint externi, & peregrini dicendi in Iubilæo. ibid. 548
Iubilæum Moſaicum inſtitutum fuit anno ab Orbe condito bis milleſimo quingenteſimo tertio, uel quarto, lib. 3. cap. 2. 318
tempore Bonifacij Octaui multi ſeniores reperti ſunt, qui de antecedenti Iubilæo, & eius cauſæ, de concurſu ad Vrbem in præcipuo centeſimo teſtimonium perhibuerunt. lib. 3. cap. 5. 331
quoties Iubilæi tempus contractum fuit lib. 3. cap. 6. 333
tempore quo quis intendit acquirere Iubilæum, debet eſſe in gratia, & iam confeſſus. lib. 5. cap. 2. 542. & ſeq.
quando Iubilæus conceditur pro duabus hebdomadis, potest quis in prima, & in ſecunda hebdomada à nouo caſu exempta abſolui. lib. 5. cap. 13. 567
ex Iubilæo acquiritur ſecuritas mentis, & puritas, & tranquillitas animæ emanat. lib. 5. cap. 1. 581
Iubilæi tempore leues pœnitentiæ iniungendæ ſunt. lib. 2. cap. 41. 233
refelluntur opiniones Pauliani, Angeli Pientini, Coſmæ Mōtigiani, Hugonis, Cardinalis, Ioannis de Anania, & Magiſtri hiſtoriæ uini aſſerentium, (diuerſimode tamen) Iubilæum originem duxiſſe ab origine mundi, & in lege datum fuiſſe. lib. 3. cap. 1. 306. & 307
pulchræ congruentiæ adducuntur, cur Iubilæus in centeſimo, & quinquageſimo, & in vigeſimo quinto anno celebratus fuerit, atque etiam in trigeſimo tertio. lib. 3. cap. 6. 333. & ſeq.
Iubilæus Anni Sancti cur Romæ tantum celebretur. lib. 3. cap. 7. 336. & ſeq.
Iubilæus per ſeptingentos, & uiginti octo annos ſaltem olympiades anteceſſit. lib. 3. cap. 1. 314
Euſebius errat aſſerens, Iubilæum cum mundo incepiſſe. ibidem 313
nec Villa empta, nec iuga boum probanda, nec uxor ducta, debet Chriſtianum hominem a conſecutione Sacri Iubilæi retardare. lib. 3. cap. 3. 310
quot anni Iubilæi in hoc poſtremo ſæculo celebrati fuerint, & ſub quibus Pontificibus, & Imperatoribus. lib. 1. cap. 8. 33 & ſeq.
Iudæi per Iubilæos tempora diuidebant, & computabant lib. 1. cap. 1. 4
ſeptimo menſe toto non erat Iudæis quies præcepta, ſed quibuſdam diebus eiuſdem menſis. ibidem. 5
multi ex Iudæis in fine ſæculi baptizabuntur. lib. 3. cap. 9. 353
Iudæa eſt pars Syriæ. ibidem. 353
Iudæi non ad opes, uel ad honores in contrahendis matrimonijs, ſed ad genus ex antiquo ſtemmate deductum inſpiciebant. lib. 6. cap. 11. 634
eo modo quo Iudæis prohibitum erat ſculpere, eodem quoque Chriſtianis hodie prohibitum eſt lib. 6. cap. 15. 651
Iudæi temerè in rerum ſacrarum ſanctitate, & templo confidebant lib. 6. cap. 17. 660
Iudæis æque hæreticis oſtium ſalutis clauſum eſt lib. 4. cap. 14. 471
Iudæus uelata facie, gentilis uero aperta Chriſto illuſit, & cur. ibidem. 472
Iudæis proprium eſt retrorſum cadere. lib. 5. cap. 2. 491
in Iudæos Deus iuſtitiam exercet anno Iubilæi. lib. 5. cap. 1. 490. & ſeq.
Iudas ante Petrum in cœna lotus non fuit. lib. 2. cap. 15. 119
iuriſdictionis duplex eſt actus, unus qui exercetur in ſubditos, alter qui exercetur circa bona communia. lib. 2. cap. 49. 398
iuſtificationis initium in Angelis à Deo eſt, ſicut in hominibus, lib. 2. cap. 5. 82
ſine iuſtitia nulla Reſpublica diu ſtare poteſt. li. 5. cap. 4. 502
quis interdum cogi debet ad iuſtitiam, ex D. Auguſtino. lib. 5. cap. 11. 537
diuina iuſtitia in flammis Purgatorij primùm intenſiùs, deinde remiſſius torquet. lib. 2. cap. 37. 224
iuſtitia Dei exigit, ut ſtatim animæ iuſtorum poſt mortem præmientur. lib. 2. cap. 43. 263
iuſtus non ſemper peccat, nec ſemper eſt in ſtatu peccati, contra Lutherum. lib. 2. cap. 31. 195

L

Latro poſt obitum ſtatim beatitudinem conſecutus fuit lib. 2. cap. 42. 244
Latro primus fuit qui ſtatim poſt mortem beatitudinem æternam conſecutus eſt. ibidem. 246
qui aſſereret, per aliquas horas latronem fuiſſe in Purgatorio, dummodo intra diem naturalem, in quo Chriſtus obijt, ingreſſum eſſe Paradiſum diceret, nil contra Scripturam affirmaret, ex Suarez. ibidem. 246
latro quomodo ſimul martyrium ſuſceperit, & baptizatus fuerit, ex D. Cypriano. ibidem. 246
laus uirtutem ſequitur, ut umbra corpus. lib. 5. cap. 6. 514
laus ſolidam uirtutem adauget, debilem perdit. ibidem. 515
laus uirtutis etiam alijs proficua eſt. ibidem. 515
Laudatus Theodorus Cuſtos Sancti Petri laudatur ex Gregorio. lib. 3. cap. 13. 360
Lauretanum Sacellum, quinque locorum ſtationes mutauit. lib. 6. cap. 8. 619
dum apud Palæſtinam manſit, maximo in honore, & ſummopere frequentatum fuit ex D. Hieron. & probatis hiſtorijs ibidem. 629
apud Illyricos per trienniam manens maxima edidit miracula ibidem. 630
denique apud Recinetum manens, totum Orbem ad dona percipienda ad ſe trahit. ibidem. 630
Lauretanam Domum in Eccleſiam conſecrari decentiſſimum fuiſſe, multis rationibus probatur. lib. 6. cap. 24. 645. & ſeq.
Vaticinium Eſaiæ rectè Eccleſiæ Lauretanæ accommodatur. ibidem. 646

Lauretana Domus in Chriſti Patria in vindictam, & punitionem Maumethanæ gentis relicta non fuit. li. 6. ca. 17. 659
qui Lauretanam Domum iniuria, & contumelia afficiunt, a Deo etiā in hac vita acerbiſſime puniuntur. li. 6. ca. 18. 663
Illyrici primum quatuor, Recineteoſes deinde ſexdecim uiros probatæ fidei in Palæſtinam mittunt ad fundamenta Sanctæ Domus Lauretanæ relicta Nazareth recognoſcenda. lib. 6. cap. 10. 672. & 673
lapis ex parietibus Sanctæ Domus abſtractus, Dei nutu mirabiliter reportatur. lib. 6. cap. 23. 687
Lauretanæ Domus muri ab eo habent firmitatem, & ſtabilitatem, qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam. lib. 6. cap. 27. 696
Lauretana Domus ſine ullo fundamento firmiſſimè diuina virtute conſiſtit. ibid. 697
Ex quattuor cauſis argumenta fortiſſima ſumuntur ad demonſtrandam identitatem Sanctæ Domus Lauretanæ, & præcipue ex materia, & forma oſtenditur hanc Domum eandem eſſe, quæ apud Nazareth erat. lib. 6. cap. 27. 698
Legatus Papæ eſt ordinarius, ſed extraordinario modo inductus. lib. 4. cap. 8. 437
Legati multarum nationum exterarum ad Vrbem miſſi fuerunt ad præſtandam Romano Pontifici reuerentiā, & obedientiam, & ad Chriſti fidem ſuſcipiendam. li. 1. cap. 10. 54
Duo paſſeres ad lepram purgandam concurrebant, quorum vnus occiſus Chriſtum paſſum, alter dimiſſus hominem liberatum ſignificabant. lib. 1. cap. 2. 10
lepræ mundatio & maior, & minor erat. lib. 1. cap. 3. 18
leuitæ ætatis 25. annorum aſſumebantur. lib. 3. cap. 6. 336
leges humanæ primario ad bonum commune, non autem ad ſalutem animæ diriguntur. lib. 2. cap. 27. 124
leges Eccleſiaſticæ etiam in conſcientia obligant. libro 4. cap. 11. 458
lex noua non figuram ſed imaginem habet eorum, quæ in Patria reuelanda ſunt. lib. 5. cap. 2. 492
lex Euangelica ex Iudaica tamquàm ex vtero prodijt. ibidem. 493
lex Euangelica tamquàm Elephantinus partus per multa ſæcula in alueo Iudaicæ legis geſtata fuit. ibid. 493
liber ſapientiæ Canonicus eſt. lib. 2. cap. 48. 237
libri Machabæorum ante mille annos recepti ſunt in Eccleſia Catholica inter canonicos. lib. 2. cap. 47. 283
nullus liber vt diuinus legitur in Eccleſia, niſi Canonicus. ibidem. 283
Litaniæ, quæ in die Sancti Marci procedendo recitari ſolent, ante Diuum Gregorium inſtitutæ fuere, ipſe vero decreuit, ut ad Sanctum Petrum procederetur. libro 4. cap. 85. 478
litaniæ diuerſorum ſtatuum inſtitutæ à D. Gregorio ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Maioris. lib. 3. capit. 6. 389
literæ ſuſpenſionis Indulgentiarum in Anno Sancto per aliquot menſes ante illum publicantur, & à die emanationis earum ſuum operantur effectum. libro 4. capitulo 8 438
literarum dimiſſoriarum forma pro Clericis peregrinantibus in anno ſancto. lib. 5. cap. 8. 524
literæ commendaticiæ etiam Laicis peregrinantibus ad loca ſancta ab Epiſcopo ex ueteri Canonum inſtituto concedendæ ſunt. ibidem. 526
literæ dimiſſoriales vocabantur literæ formatæ, & quomodo. lib. 5. cap. 8. 524
aliquando Auguſtinus negauit, Purgatorium, Infernum, & Limbos eſſe loca corporalia, quod tamen retractauit. lib. 2. cap. 45. 273
locorum ſanctificatio etiam ex veteri teſtamento probatur. lib. 6. cap. 14. 648
in loco, ex quo aſcendit Dominus in Cœlum, ſingulis annis prodigia Cœleſtia apparebant. ex Beda. li. 4. ca. 13. 466
Variæ interpretationes alicuius loci Scripturæ non obſtant, quin eo dogma aliquod fidei ſolidè probetur. lib. 2. cap. 46. 279
loca ſancta in Palæſtina ab Adriano Imperatore polluta, & prophanata fuere lib. 6. cap. 2. 599
loca inſigniora, ad quæ peregrinatio ſuſcipitur, enumerantur. lib. 6. cap. 7. 625
in loco annunciationis duo Altaria erant; vnum Mariæ in loco ubi ab Angelo fuit ſalutata; alterum Gabrielis, ubi annunciationem faciendo ſtetit. lib. 6. cap. 12. 642
ex multis locis ea ſelecta ſunt ut ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficerent. lib. 6. cap. 13. 645
loca ſancta etiam apud Barbaros relicta ſunt, vt nomen Chriſti apud illos terribile, & magnum perſeueret. lib. 4. cap. 17. 660
locus ad quem Chriſtus in Ægyptum delatus fuit, etiam hodie apud infideles celeberrimus eſt. lib. 6. cap. 19. 678
Mauri eo in loco, in quo Virgò habitauit, ardentem lampadem in memoriam perpetuò conſeruant. ibid. 678
Purgatorium, Infernus, ac Limbi Patrum, & puerorum non ſolum ſunt loca corporalia, ſed etiam ſubterranea in viſceribus terræ poſita. lib. 2. cap. 45. 278
locus Euſebij ſecundum editionem Pariſinam corrigitur. lib. 3. cap. 1. 312
locus Ioſephi aſſerentis ab Adam vſque ad diluuium annos bis mille ſexcentus quinquaginta ſex numerandos eſſe. ibidem. 312
locus in quo Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes deſcendit fuit Cœnaculum, in quo Dominus Paſcha fecit, ex Beda, & alijs. lib. 2. cap. 6. 86
multa loca Patrum explicantur, qui dicunt Spiritum Sanctum purgaſſe Virginem à ſordibus peccatorum, à maculis carnalibus, ab originali incendio, & ſimilibus in conceptione Chriſti, quæ loca de purgatione non ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis, ſed ab externis impedimentis, & ab animi remiſſione, & ab ignorantia negatiua interpretanda ſunt. lib. 2. cap. 6. 90
inſignis locus Epiſtolæ ſecundæ D. Petri ad interceſſionem Sanctorum pro nobis confirmandam, lib. 2. cap. 43. 243
locus Purgatorij vacuus erit poſt diem iudicij. lib. 2. capit. 46. 270
nec in Purgatorio nec in Limbo Patrum hominum corpora vnquam recepta ſunt. lib. 2. cap. 45. 270
Cœlum, Infernus, & locus Puerorum etiam corporum capacia ſunt, ſed hæc duo poſtrema loca non recipient illa, niſi poſt vniuerſalem reſurrectionem. ibid. 272
locutio Hyperbolica nullum mendacium continet, dum magis excellenter rem aliquam commendat, quàm reuera ſe habeat. lib. 2. cap. 22. 146
lotio pedum ad Sacramentum Baptiſmi nequaquam pertinet. lib. 4. cap. 2. 438
B. Lucas Chriſti, & B. Virginis imagines pinxit, ex Patribus, contra Vergetium. lib. 6. cap. 15. 649
B. Lucas B. Virginem ad huc viuentem ſuis manibus picturis expreſſit. ibid. 649
D. Lucam Nicephorus egregium Pictorem appellat. lib. 6. cap. 15. 650
plures Luciæ fœminæ in Martyrologijs leguntur. lib. 3. cap. 13. 562
ludi Olympici antiquiores fuerunt ipſis Olympiadibus. lib. 3. cap. 1. 315
ludi ſæculares centeſimo quoque anno celebrabantur. lib. 3. cap 5. 331
Limbus Puerorum magis diſtat à gehenna, quàm à Purgatorio. lib. 2. cap. 44. 260
probabile eſt, Limbum puerorum non fore eorum perpetuum habitaculum, ſed vſque ad diem iudicij. ibid. 269
qui ex Purgatorio, vel Limbo ſuſcitati ſunt, confirmationis quoque gratiam habuerunt. lib. 2. cap. 45. 275
puerorum Limbum in inferno eſſe, habetur ex Concilio Florentino. ibidem. 278

M

MAlitiæ pars eſt bonum non facere. lib. 5. cap. 5. 518
malitia etiam ab ijs, qui eam operantur, damnatur, ex D. Chryſoſtomo. lib. 5. cap. 16. 580
mali, & boni quadruplici corona coronantur, ex D. Thoma. lib. 4. cap. 2. 448
in mundo tria genera malorum ſunt, quæ ad eius perfectionem faciunt; mala naturæ, mala humana, culpæ, & pœnæ. lib. 6. cap 18. 664
mala pœnæ ſunt effectus diuinæ iuſtitiæ. ibid. 664
mala pœnæ, amaræ medicinæ appellantur. ibid. 664

mali

malum culpæ ex Dei bonitate ad bonum aliquod ordinatur ibidem. 664
ineuitandis, & impediendis malis futuris non eſt ſimilis ac par ratio Dei, & hominum ibidem. 665
mala futura non poſſunt, nec debent impedire executionem diuinæ prouidentiæ. ibidem. 665
mali virtute diuina miracula operantur. lib. 6. cap. 22. 682
Maria Virgo proprie redempta fuit a Chriſto in præſeruatione, non autem Angeli. lib. 2. cap. 5. 82
Maria Virgo adfuit in loco, in quo Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit. lib. 2. cap. 6. 86
Maria Virgo in primo inſtanti ſuæ Conceptionis gratiam iuſtificantem obtinuit. ibidem. 86
Maria Virgo maximam habuit affinitatem cum Chriſto, ibidem. 87
Maria Virgo ſi per momentum vnum fuiſſet ſub peccato originali, non fuiſſet plena gratia. ibidem. 87
Maria Virgo fuit non ſolum gratioſa, ſeu gratificata, ſed etiam plena gratia, iuxtà ſenſum verbi Græci, chechariſtomeni, ex Ambroſio, contrà Eraſmum. ibidem. 87
Maria Virgo recepit naturam cum gratia. ibidem. 87
Maria Virgo efficaciſſimo, & nobiliſſimo modo à Chriſto redempta fuit. ibidem. 88
Maria Virgo eſt primogenita redemptoris. ibidem. 88
Maria Virgo ob inſignem modum, quo redempta fuit, vocat Chriſtum ſalutare ſuum. ibidem. 88
B. Virgo ratione ſeminalis generationis ex Adam originali peccato obnoxia fuit, etiam in propria perſona. ibid. 88
Maria Virgo non potuit in eodem inſtanti contraxiſſe peccatum originale, & ab eodem mundata eſſe, contrà Henricum de Gandauo. ibidem. 88
Maria Virgo in prima ſua ſanctificatione non habuit conſummatam gratiam, licèt ampliorem habuerit, quàm vllus hominum, vel Angelorum. ibidem. 88
Maria Virgo in primæ ſanctificationis gratia, & Hieremiam, & Ioannem Baptiſtam, & paruulos innocentes antecelſit ibidem. 88
Maria Virgo per primę ſanctificationis gratiam priuilegium obtinuit, vt nec mortaliter, nec venialiter vnquam peccaret. ibidem. 88
Maria Virgo originario ſuæ gratiæ ante omnes alios etiam beatos proximior eſt. ibidem. 88
maternitatis gradus maiorem gratiæ plenitudinem deſiderat, quàm quilibet viator, vel comprehenſor. ibidem. 88
Maria Virgo ſi in vtero matris obijſſet, maiorem gloriam tunc habuiſſet, quàm Seraphin, vel alius ſupremus Angelus habeat. ibidem. 88
Mariæ altitudo ſuper omnes Angelos refulſit. ibidem. 89
Maria Virgo in prima ſanctificatione omnia dona Spiritus Sancti, virtuteſque infuſas, etiam morales, & gratis datas recepit. ibidem. 89
Maria Virgo in dies incrementa virtutum recipiebat, ibidem. 89
Maria Virgo viatoris gratiam recepit, de cuius ratione eſt, vt poſſit augeri. ibidem. 89
in Maria Virgine, adeò, & quoad animam, & quoad corpus potentiæ, & operationes rectitudinem habebant, ut ex illis tamquam ex quibuſdam lineamentis, & vmbris, Deum in ea habitare colligeretur. ex Athanaſio. ibidem. 89
Maria Virgo numquam Spiritum Sanctum contriſtauit, vel gratiam amiſit, ex Athanaſio. ibidem. 89
Maria Virgo etiam in vtero exiſtens, donum perſeuerantiæ, & confirmationem in bona recepit. ibidem. 89
Maria Virgo numquam in negligentiæ, vel infidelitatis vitium incurrit. ibidem. 89
Mariæ Virgini fomes in prima ſanctificatione extinctus penitus fuit. ibidem. 89
in B. Virgine non relictus fuit fomes ligatus poſt primam ſanctificationem, cum in nullum actum prodire potuiſſet, ibidem. 89
Maria Virgo in Conceptione, & partu filij à ſecundinis, & ſordibus puerperij immunis fuit, contrà Caietanum, Abulenſem, & Eraſmum. ibidem. 91
Maria Virgo ex diuino priuilegio de facto impeccabilis fuit, contrà Gregorium de Arimino. ibidem. 91
Maria Virgo iuſtitiam originalem non habuit, contrà Carthuſianum & alios. ibidem. 91
Maria Virgo in prima ſanctificatione vſum rationis ad huc in ventre matris exiſtens habuit. ibidem. 91
Maria Virgo ab inſtanti ſuæ Conceptionis in vſu rationis perſeuerauit, contrà Caietanum; non autem Ioannes Baptiſta. ibidem. 92
Maria Virgo in ſecunda ſanctificatione, hoc eſt in filij conceptione adepta fuit conſummationem gratię, & vltimum complementum virtutum; acceſſionem tamen gratiæ per heroicos actus virtutum vſque ad finem vitæ habuit. ibidem. 92
plures rationes redduntur ex Patribus, cur Angelus dixerit, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, & non dixerit, *veniet in te*, ibidem. 92
Superuentio Spiritus Sancti in B. Virginem, & quoad animam, & quoad corpus omnium gratiarum plenitudinem in ea connotat. ibidem. 92
Mariæ Virginis ſanguinem puriſſimum Spiritus Sanctus præparauit in formatione corporis Chriſti. ibidem. 92
Spiritus Sanctus in momento corpus Chriſti in vtero Virginis organizauit ibidem. 92
in Maria Virgine, ſi iam erat Spiritus ſanctus, cur nouiter ſuperuenturus repromittitur, & plures rationes ex Bernardo redduntur. ibidem. 92
Maria Virgo in vita quolibet momento meruit augumentum gratiæ, ex Antonino, Alberto, & alijs, contrà Almaynom ibidem. 93
Maria Virgo etiam in ſomno Deum contemplabatur, ex ſententia Ruperti, Ambroſij, & aliorum. ibidem. 93
Maria Virgo cur ſemper breuiſſimam dormitionem habuerit. ibidem. 93
Mariæ Virgini dormire non prius fuit cupiditas, quàm neceſſitas. ibidem. 93
Mariæ Virgini ex ſententia Medinæ data eſt gratia in ſecunda ſanctificatione ex opere operato. ibidem. 93
Maria Virgo Sacramentum veteris legis, quod fœminis in remedium peccati originalis dabatur, etſi peccato careret, cum augumento gratiæ ſuſcepit. lib. 2. cap. 7. 94
Maria Virgo Baptiſmi characterem, & gratiam ſuſcepit ibidem. 94
Maria Virgo frequentiſſimę Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepit ibidem. 94
Maria Virgo, quod materia vacaret, Pœnitentiæ Sacramento via non fuit, contrà Paludanum, & Albertum, ibid 95
Ridiculum eſt dicere B. Virginem Ioanni Euangeliſtæ confiteri conſueuiſſe cum Soto. ibidem. 95
Maria Virgo extremæ vnctionis Sacramentum non ſuſcepit, contrà Albertum, & Suarez. ibidem. 95
Mariæ Virginis matrimonium non fuit Sacramentum nouæ legis, contrà Albertum, & Caniſium. ibidem. 95
Maria Virgo in die Pentecoſtes inuiſibilem vnctionem, characterem, & augumentum gratiæ recepit cum Alberto, & Caniſio. ibidem. 96
Maria Virgo fuit incapax omnis Sacramenti ordinis. ibi. 95
Maria Virgo qua ratione ſuſceperit Sacramentum Confirmationis. ibidem. 95
Maria Virgo numquam ſpaſmum paſſa eſt. lib. 2. cap. 19. 172
Maria Virgo numquam morbo affecta fuit. ibidem. 177
Maria Virgo apud Crucem ſummæ obedientiæ actum erga Deum exercuit, & vehementiſſimæ charitatis ergà homines. ibidem. 177
Maria Virgo voluntariè obtulit filium in Cruce pro humano genere. ibidem. 177
Maria Virgo non fuit minoris obedientiæ quàm Abraham, ibidem. 177
Maria Virgo dolores, quos non habuit in partu, abundè paſſa fuit in paſſione filij. ibidem. 177
gladius mortis Chriſti non reddidit Mariam exanimem, contrà quoſdam Hæreticos. ibidem. 178
pertranſiuit tamen eam ſummo dolore efficiendo, ibidem, 178
Maria Virgo aureolam martyrij in Cœlo habet, contrà Sotum. ibidem. 178
Maria Virgo excellentiſſimam aureolam Virginitatis habet,

dis quo

bet, quamuis numquàm pugnam carnis ſenſerit.ibid. 178
Maria Virgo, cum fuerit magiſtra fidei propriam Doctoris aureolam habuit.ibid. 178
ad doctoratus aureolam ſufficit priuatim exercuiſſe munus docendi.ibid. 178
Maria Virgo eſt Martyrum honor, & decus.ibid. 178
Maria Virgo non ſolum in eſſentiali, ſed etiam in accidentali præmio omnes Martyres ſuperat.ibid. 178
Maria Virgo Iudæis Scripturas, & Prophetias de Chriſto aperuit.ibid. 178
Maria Virgo Iudæis eorum imminens exitium patefecit. ibidem. 178
Maria Virgo per modum cauſæ efficientis, uel per modum meriti, & redemptionis non fuit cauſa noſtræ ſalutis. lib. 2.cap.35. 210
Maria Virgo non habuit virtutem iuſtificandi, aut dandi gratiam, vel gloriam de condigno.ibid. 210
Maria Virgo aliquo modo cooperata eſt noſtram ſalutem, gignendo nobis Chriſtum.ibid. 210
Maria Virgo rectè dicitur à Patribus vniuerſalis mediatrix, & quòd per illam ſalus omnibus exhibita ſit.ibid. 211
ſicut empyreum magnitudine ſuperat omnia corpora ſimul, ſic B. Virgo amplitudine meritorum omnes puras creaturas.ibidem. 211
ſicut ſidera occultantur coram ſole ac ſi non eſſent, ſic cæteri ſancti in comparatione Mariæ.ibid. 211
Maria Virgo dicitur ab Anſelmo Orbis reparatrix, quòd filium ſuum Chriſtum mundo genuerit.ibid. 211
Maria Virgo uoluntaria deuotione templum aſcendit. lib. 5.cap.11. 549
Maria Virgo poſt filij Aſcenſionem in Cœlum loca, ubi Chriſtus myſteria ſacra fecit, viſitauit, ex D. Hiero.li.6.c.7. 635
Maria Virgo cum trima eſſet, in templo eſt præſentata.lib.6. cap.11. 634
Maria Virgo cum decimum quintum annum attingeret, deſponſata fuit.ibid. 634
Maria Virgo ex templo ad domum propriam, & paternam deducta fuit, ibique manſit.ibid. 634
matrimonium inter Mariam, & Ioſeph quoad contractum de præſenti, & quoad eius eſſentialem perfectionem ante Verbi incarnationem fuit ibid. 635
Maria Virgo quarto menſe à ſua deſponſatione ab Angelo ſalutata concepit filium, contra Caietanum.ibid. 636
tempore conceptionis filij Dei Maria, & Ioſeph in eadem Domo cohabitabant.ibid. 636
Maria Virgo fuit vnica filia Ioachimi, & Annæ, eiſque in paternam Domum ſucceſſit.ibid. 638
Nicephorus non dixit, Mariam in Domo Ioſeph habitaſſe, ſed cum illo cohabitationem habuiſſe.lib.6.cap.13. 639
Maria Virgo honorem ſuum quærit, ut in eo, & filij & patris gloria amplificetur. lib.6.cap.18. 663
Maria Virgo veritatem Sacelli Lauretani ex Nazareth tranſlati uiro ſancto per ſe ipſam reuelauit.lib.6.cap.19. 666
Maria Virgo à nulla creatura vim faciendi miracula mutuatur.lib.6.cap.22. 683
Maria Virgo dum uiueret vſum miraculorum non habuit. ibidem. 683
Maria Virgo non fuit Bajula doctrinæ Chriſti.ibid. 683
Maria Virgo poſt mortem multa miracula edidit, & edit.ibidem. 683
Maria Virgo rectè à Damaſceno dicitur Abyſſus miraculorum, ibidem. 683
Maria Virgo ſpecialem Chorum ſub Chriſto in beatitudine habet.ibidem. 683
Maria Virgo citius, & plenius obtinet à filio effectiones miraculorum, quàm cæteri ſancti.ibid. 683
Maria Virgo quomodo ſit Domina non ancilla, & non ſolum rogans, ſed etiam imperans Deo, declaratur.ibid. 683
Maria Virgo non vtitur ſanctorum interceſſionibus ad Deum, ſed è contrà.ibid. 683
Maria Virgo potentiſſima eſt.ibid. 683
Maria Virgo quomodo ſit omnipotens.ibid. 683
Mariæ Virginis interceſsio omnium efficaciſſima eſt.ib. 683
Maria Virgo non ſolum auxilia ſpiritualia, ſed etiam temporalia nobis obtinet.ibid. 683
Maria Virgo eſt cauſa vniuerſaliſſima, ad quam omnia creata ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia reſeruntur. ibidem. 684
Maria Virgo ut cauſa vniuerſalis magis influit, quàm quilibet ſanctus.ibid. 684
Maria Virgo in Verbo videt quidquid Angeli, & puri homines cernunt ibid. 684
Maria Virgo omnia videt in Verbo, quæ ad ſtatum cæterorum ſanctorum aliquo modo pertinent.ibid. 684
ad Mariæ Virginis ſtatum, & dignitatem ſpectat cognoſcere omnia in Verbo, quæ ad ſingulos ſubditos, ſeruos, eiuſque ſpirituales filios quocumque modo attinent.ibid. 684
Mariæ Virginis redemptio magis intenta fuit à Chriſto quàm reliquorum omnium ibid. 685
cur conueniens ſit, per B. Virginem, & ſanctos ad Deum accedere. ibid. 685
Maria Virgo, quæ operatur miracula in Domo Lauretana, non virtute parietum, ſed virtute Dei miracula facit. ibidem. 685
Maria Virgo uiſibilem ſe fecit D. Gregorio Neoceſarienſi D. Dionyſio Areopagitæ, D. Iacobo Apoſtolo, Cyrillo Alexandrino, D. Martino, Muſæ puellæ, B. Siluestro Abbati; cui Euchariſtiam miniſtrauit, & alijs, ex diuerſis Patribus, & hiſtoricis.lib.6.cap.25. 693
Mariæ Virginis ſepulchri nec Hieronymus, nec Euſebius, nec multi alij meminerunt.lib.6.cap.28. 698
Martinus Lutherus contra Indulgentias inuide oblocutus eſt.lib.1.cap.3. 57
Martinus Lutherus inſignis hoſtis Indulgentiarum fuit. lib. 2.cap.9. 99
Martinus Lutherus ob impugnationem Indulgentiarum putauit magnam perniciem, & iacturam ſedi Apoſtolicæ afferre. ibidem. 99
Martinus Lutherus ex negatione Indulgentiarum lubricè in profundum aliarum hæreſum lapſus eſt.ibid. 99
Martinus Lutherus multis obiectionibus conatur Indulgentias euertere.ibid. 99
Martinus Lutherus errauit, dum in illo verbo, paſce, negat illa Petro nouam poteſtatem datam fuiſſe, ſed nullum præceptum concionandi.lib.2.cap.12. 105
Martinus Lutherus ex ſuo cerebro primus ſatisfactionem, quæ eſt tertia pars pœnitentiæ, negauit.lib.2.cap.41. 237
Martinus Lutherus poſt Vuicleph, & Vualdenſes negauit, culpa remiſſa, vllam pœnam remanere luendam.ibid. 237
Martini Lutheri blaſphemia inſignis fuit; cum dixit, omnes Chriſtianos æquè ſanctos, & magnos eſſe, ſicut mater Dei. lib.2.cap.42. 241
Errauit Lutherus dicens, per Baptiſmum peccatum originale omnino non deleri.lib.2.cap.44. 269
Errauit Lutherus damnans pueros, qui cum originali peccato decedunt, ad pœnam ſenſus inferni.ibid. 269
Lutherus ſæpius petijt Concilium generale, ſed tamen indicto Concilio Tridentino, & dato ſaluo conductu, ac fide publica, accedere non fuit auſus; & cur. libro 2. capite 37
Martyres prærogatiuam, & priuilegium habebant communicandi maxteriam Indulgentiæ, ut eſt ſuas ſatisfactiones. lib. 1.cap.8. 15
Martyrum carcer aptiſſimè horreo, in quo triticum conſeruatur, comparatur.lib.2.cap.25. 161
Martyrum nomina, & encomia pulchrè à Nazianzeno enumerantur.ibid. 163
Martyrium, & inuicta conſtantia Machabæorum deſcribitur.lib.2.cap.25. 165
Martyrium etiam in articulo neceſſitatis ſuſceptum opus ſupererogationis eſt.lib.2.cap.31. 191
nullus Martyrum obtulit vitam ſuam tamquam ſacrificium, niſi Chriſtus.lib.2.cap.34. 208
Martyrum ingens multitudo fuit hoc ſæculo poſtremo apud diuerſas gentes, & quinam fuerint explicantur, & vbi paſſi ſint.lib.1.cap.9. 18
meritum de condigno eſt actio, ob quam agens æterna gloria eſt dignus lib.2.cap.28. 168
meritum, excepto Chriſto, non deſeruit de condigno niſi operanti.ibid. 178

quæ eſt

quæ eſt in merito difficultas ex obiecto proueniens auget meritum, non autem ſatisfactionem. ibidem. 168
quòd Sanctorum merita, & paſſiones nobis proſint, in maximam Chriſti gloriam vergit. ibidem. 175
merita Chriſti etiam per Indulgentias applicantur lib. 2. cap. 31. 195
merita Chriſti in decurſu vitæ ipſius aucta fuere, non intenſiuè, ſed tantum extenſiuè lib. 2. cap. 35. 214
ex meritis Chriſti non ſolum datur homini prima gratia, ſed etiam omnes habitus infuſi virtutum Theologicarum, & moralium. lib. 2. cap. 37. 217
ex eiſdem meritis datur homini præparatio ad primam gratiam. ibidem. 218
Chriſtus meruit nobis etiam omnes diſpoſitiones ad gratiã, contra Taperum, & Adamum. ibidem. 218
Chriſtus meruit iuſtis prædeſtinationem, vocationem, & efficacem ad gloriam electionem. ibidem. 218
in Chriſti meritis fundatur dilectio Dei, qua voluntate ſua generali dilexit iuſtos. ibidem. 218
Chriſtus meruit nobis omnia Sacramenta, & eorum effectus. ibidem. 219
noſtra merita habent intrinſecum, & proprium valorem per Chriſtum ad vitam æternam. ibidem. 210
quidquid iuſti merentur, non ſolum datur illis propter eorum meritum, ſed etiam propter merita Chriſti. ibidem. 221.
propter Chriſti meritum maius præmium eſt operibus iuſtorum promiſſum. ibidem. 221
ſicut meritum Chriſti noſtrum non excludit, ſic per noſtrũ illud Chriſti non obſcuratur. lib. 2. cap. 38. 225
merita reſeruata in Theſauro Eccleſiæ poſſunt applicari, ut valeant ad merendum auxilia diuinæ gratiæ, non ſolum ad augmentum gratiæ & gloriæ, ſed quod magis eſt, ad primam gratiam exiſtentibus in mortali; & quomodo hoc ſit verum, ex D. Thoma. lib. 4. cap. 5. 425
hanc applicationem probabile eſt fieri à Papa in Anno Sancto. ibidem. 425
non omne meritum Chriſti in Sacramentis continetur, ſed eſt etiam in alijs rebus. lib. 4. cap. 7. 430
meritum Chriſti ad totam naturam humanam ſeſe extendit. lib. 5. cap. 1. 490
meriti de condigno etiam Patres orthodoxi meminere. lib. 1. cap. 5. 27
ſub meritis Chriſti cadit etiam ipſa gratia increata. lib. 2. cap. 37. 219
ex meritis Chriſti omnes gratiæ gratis datæ tribuuntur Eccleſiæ. ibidem. 210
Miſericordia Dei duplex eſt, parua, & magna, quibus addi poteſt maior. lib. 2. cap. 53. 309
in miraculis faciendis inter B. Virginem, & Sanctos multa intercedunt diſcrimina lib. 6. cap. 22. 682
amplior miraculorum gratia intenſiua, & extenſiua B. Virgini quàm cæteris Sanctis communicata fuit. ibid. 682
miracula vera a falſis quinque notis dignoſcuntur, videlicet ex uirtute operante, ex qualitate eorum qui faciunt, ex diuerſitate operum quæ fiunt, ex modo faciendi, & ex fine. lib. 6. cap. 24. 689
vera miracula diuturna, ſolida, & vbique, & ſemper conſiſtentia, & non niſi ex ſumma neceſſitate fiunt. ibid. 690
miracula, quæ in Domo Lauretana fiunt, nomine Chriſti fieri probatur. ibidem. 690
Miſſa in ratione ſacrificij, & Sacramenti efficaciam limitatam, & effectum finitum producit. lib. 2. cap. 40. 228
Miſſæ ſacrificium ex opere operato ualet. ibidem. 228
Miſſæ ſacrificium eſt propitiatorium, meritorium, & ſatiſfatorium. ibidem. 229
Miſſæ celebratio eſt præcipua pars officij Eccleſiaſtici lib. 6. cap. 16. 653
Sanctus Lucianus in Carcere poſitus pectus ſuum pro Altari ad ſacrificandum habuit. ibidem. 653
Miſſas priuatas ſæpe in priuatis Domibus celebratas fuiſſe oſtenditur. ibidem. 653
Monita Principibus traduntur, ut externa impedimenta remoueant ad peregrinandum in Anno Sancto. lib. 5. cap. 9. 530
ſex monita ponuntur ad conſeruationem fructus Sacri Iubilæi. lib. 5. cap. 16. 576
octo præcipue, & etiam plura alia monita ad rectè, & cum fructu ſpirituali peregrinandum. lib. 6. cap. 5. 610
mortuorum vmbræ, quæ vi magiæ apparebant, eſſe deorſum capite videbantur, quod non accidit Samueli. lib. 2. cap. 45. 273
Moyſes verè mortuus eſt ibidem. 273
mors iuſtis lucrum eſt, cum poſt illam clara Dei viſione fruantur. lib. 2. cap. 43. 249
mores prauorum hominum in Eccleſia ex D. Chryſoſtomo deſcribuntur lib. 5. cap. 4. 506
mos offerendi tabellas ex voto, eaſque in parietibus appendendi antiquiſſimus eſt in Eccleſia, ex Theodoreto lib. 6. cap. 23. 686
Moniales Romæ exiſtentes ex priuilegio Apoſtolico fructu gaudent Iubilæi in Anno Sancto lib. 5. cap. 15. 562
Monaſtica profeſſio à B. Marco Euangeliſta, & alijs Apoſtolis originem traxit. lib. 6. cap. 25. 695
morum reformatio à Paulo IIII & Pio V. initium habuit, vbi etiam laudatur vita, prudentia, & Sanctitas eiuſdem Pontificis Pij V lib. 1. cap. 9. 51
mulier Indulgentias conferre non poteſt. lib. 2. cap. 30. 191
inhoneſtæ mulieres ab hoſpitijs in Anno Sancto arcendæ ſunt. lib. 5. cap. 10. 554

N

Natura finita ex ſe non poteſt tribuere infinitatem valoris actionibus. lib. 2. cap. 34. 208
naturæ mirabilia nonnulla ex Plinio referuntur. lib. 6. cap. 21. 679
naturæ diuinæ vnio cum humana in Chriſto eſt quid creatum lib. 2. cap. 34. 209
naturę humanę unio cum hypoſtaſi diuina Verbi eſt res ſimpliciter infinita. ibidem. 205
natura humana ſicut duris laboribus inſtruitur, ita per otia torpentia ſatuatur. lib. 5. cap. 5 509
neceſſitas Iubilæi illum rem grauem eſſe oſtendit. lib. 1. cap. 2. 61
neceſſitas duplex, abſoluta, & conditionata, ſeu ſimpliciter, & ad bene eſſe. ibidem. 61
neceſſitas alicuius rei oſtenditur ſecundum quatuor genera cauſarum. ibidem. 61
neceſſitas Iubilæi præcipue ex parte finis attenditur. ibidem. 61
id quod neceſſarium non eſt, ſupplendum non eſt. libr. 2. cap. 23. 153
quatuor ſunt neceſſaria ad conſecutionem Sacri Iubilæi. lib. 5. cap. 13. 545
de neceſſitate reparationis humani generis à Deo per Chriſtum, Athanaſij, & Anſelmi ſententia exponitur. lib. 2. cap. 3. 64
plura ſunt negocia quàm vocabula. lib. 1. cap 4. 22
omnem negligentiam circa ſtudium ſalutis depellendam eſſe, ex multis D. Bonauenturæ rationibus oſtenditur. lib. 5. cap. 5. 508
Noe non generationis nobilitate, ſed iuſtitiæ, & perfectionis merito laudatur. lib 5. cap. 16. 576
in numeris continuis numquam bis idem numerus computatur. lib. 1. cap. 1. 4
numerus quinquagenarius in traditione legis, & gratiæ conſpicitur. lib. 1. cap. 2. 11
in numeratione ſpecierum Iubilæi Paulianus errauit. ibidem. 12
numerus quadraginta nouem eſt numerus afflictionis, & pœnitentiæ lib 3. cap. 2. 317
numerus quadragenarius plagarum pro menſura peccati in lege definitus eſt. ibidem. 317
numerus quinquagenarius perfectioni, & quieti adſcribitur ibidem. 317
in numeris myſticæ ſignificationes, ingenteſq; uirtutes comprehenduntur, ex Patribus ibidem. 318
exponitur Chryſoſtomus, qui numerorum ſcientiam fabuloſam, & periculoſam appellat. ibidem. 318
numerus ſeptenarius, mundus, ſacer, & Virgo eſt, ex D. Ambroſ. ibidem. 319

numerus ſeptenarius in Scripturis aliquando rebus peſſimis & flagitioſiſſimis applicatur.ibid. 319
numerus ſeptenarius quando etiam in malis vſurpatur, perfectum ac ſummum quid in ea re indicat.ibid. 319
ſæpius in bonis ſeptenarius numerus in Scripturis aſſumitur.ibidem. 319
numerus quinquagenarius Indulgentiæ, & remiſſioni conſecratus eſt.ibid. 320
in quadragonario numero argumentum diuinæ patientiæ, & longanimitatis deſumitur ibid. 322
numerus centenarius latitudinem perfectionis continet, ex Patribus.lib.3 cap.6. 333
numerus centenarius totius rationalis creaturæ continet Sacramentum.ibid. 333
cur numerus viſitationum Eccleſiarum numquàm à Pontificibus fuit diminutus vel commutatus.lib.5.cap.14. 546
ſeptenarius numerus hæbræis in honore erat, ſicut Pythagoreis quaternarius.lib.1.cap.2. 8
numerus octonarius,& tricenarius ſimonianis, & marcioniſtis ſacer erat,per quem etiam iurabant.ibid. 8
numerus quinquagenarius ex ſeptem ſeptimanis,& monade perficitur.lib.1.cap.4. 24

O

OLeum victoriam ſignificat.lib.5.cap.6. 513
oleum quandoque diuinitatem ſignificat.ibid. 514
ocium ſine litteris mors eſt, & uiui hominis ſepultura. lib. 5.cap.5. 509
ocioſa vita mare mortuum reputatur.ibid. 509
ocioſi faciliùs à dæmone feriuntur.ibid. 509
ocium graue peccatum eſſe,ex D. Chryſoſtomi ſententia demonſtratur.ibid. 509
Pedem ſuper pedem ponere ocij pigritiæque nota eſt. ibidem. 521
ocium infructuoſæ ſalici rectè comparatur.ibid. 511
piger rectè homini peruncto,muſcis cooperto,& neſcienti illas abigere comparatur.ibid. 511
Bona opera quadruplicem virtutē habent,offerendi ſ.bonitatem,merendi medendi,& ſatisfaciendi.lib.2.ca.27. 168
operibus ſecundum vim merendi non ſuccedunt Indulgentiæ,ſed tantum ſecundum uim ſatisfaciendi. ibid. 169
omne opus meritorium eſt quoque ſatisfactorium.ibid. 171
opus externum eſſentialiter magis eſt ſatisfactorium, quam internum.ibid. 171
Ex obiecto ſola opera,quæ priuant bono utili,aut delectabili,dicuntur ſatisfactoria.ibid. 172
opera ſatisfactionis non ſunt res inutiles,aut nudæ Cæremoniæ.ibidem. 172
opera ſatisfactoria ex intentione agentium in noſtrum commodum referuntur.ibid. 173
opera Chriſti pro quolibet homine ſigillatim quantum ad ſufficientiam oblata fuere.ibid. 174
ad opus remiſsionis per Baptiſmum nullus ſanctorum ſuis ſatisfactionibus concurrit.ibid. 174
non omnia opera iuſti ſunt ſaltem peccata venialia. lib. 2. cap.31. 195
omnia ſanctorum opera dona ſunt Chriſti.ibid. 195
opera quantum ad meritum unumquemque ſequuntur.ibidem. 196
Radix ſeu principium formale ualoris infiniti operum Chriſti,non ex natura diuina,nec ex natura humana,ſed ex ſuppoſito naſcitur.lib.2.cap.34. 204
Dignitas, & valor operum Chriſti non eſt realis efficientia diuinæ naturæ in illa opera,ſed moralis æſtimatio ex naturæ humanæ unione cum hypoſtaſi diuina proueniens. ibidem. 205
operationes Chriſti Theandricæ rectè vocantur à Damaſceno.ibidem. 206
Exponitur dictum Agathonis, quòd in Chriſto non ſit opus perſonale, ſed opus naturale: ideſt non eſt vnicum opus dumtaxat iuxtà vnitatem perſonæ, ſed duplex iuxtà duplicitatem naturæ.ibid. 206
Chriſti operationes ſalutiferæ nobis,diuinæ,& Deitate perfuſæ erant.ibid. 204
opera multiplicantur ad multiplicationem principij formalis.ibidem. 206
in ſanctiſsima Trinitate vnum eſt opus ad extrà, cum vnica ſit natura,quæ eſt principium formale operandi.ibi. 206
opera Chriſti erant creata.ibid. 207
opera Chriſti ſimul a Patre, & à Spiritu Sancto erant, ſpeciali tamen ratione,hoc eſt vitaliter,erant à ſolo Chriſto. ibidem. 207
opera Chriſti non vnum, ſed plura merita erant, non tamen plus ualoris erat in multis,quàm in vno.lib.2.cap.35. 214
opera Chriſti ex obiecto,& alijs circumſtantijs inæqualia erant, ex parte tamen perſonæ operantis quodlibet opus æqualem valorem habebat.ibid. 214
opera iuſtorum etiam primum gradum gloriæ obtinent ex meritis Chriſti.lib.2.cap.37. 220
opera iuſtorum, ut ex gratia procedunt, intrinſecè habent condignitatem ad gloriam ibid. 220
opera iuſtorum quatenus ij ſunt membra Chriſti abundantius præmium obtinent,quàm ex ſe haberent.ibid. 221
quidquid Deus operatur, vel eſt opus iuſtitiæ, vel veritatis, vel miſericordiæ, & primum eſt altum, ſecundum altius, tertium altiſſimum,ex D.Thoma.lib.2. cap.53. 308
tria genera operum Iubilæo annecti ſolent.lib.4.cap.4. 417
opera Iubilæo annexa faciliùs exercentur ab hominibus quàm ſine Iubilæo.ibidem. 418
opera Iubilæo annexa cæteris paribus magis diſponunt ad remiſſionem pœnæ temporalis, quàm extra Iubilæum. ibidem. 418
opera plena quæ ſint lib 4.cap.9. 450
qui ſtudium & diligentiam in bonis operibus faciendis nō adhibet ſeruus iniuſtus eſt.lib.5. cap.5. 507
opus, quod ſit propter Indulgentiam conſequendam,debet eſſe viuum, & in gratia factum,ſecundum Caietanum.lib.5.cap.13. 545
cæteris paribus fructuoſior, & magis Deo grata eſt operatio bona cum Indulgentijs, vel Iubilæo, quam alia ſimilis ſine illis.lib.5. cap.15. 564
omne opus moleſtum intrinſecè dirigitur ad ſui, & aliorū ſatisfactionem.lib.2. cap.18. 129
iuſtorum opera ſatisfactoria ſimul & meritoria ſunt. lib.2. cap.26. 165
non omnia opera ſatisfactoria remunerantur. in perſona operantis.ibidem. 165
opus principaliter iniunctum in Iubilæo, & fini proximum debet fieri in gratia lib.5 cap.15. 552
opera Dæmonis nequaquam miracula ſunt, ſed cauſarum naturalium effectus.lib.6. cap. 24. 659
nullum opus iuſtorum etiam quoad ſatisfactionem irremuneratum remanet.lib.1.cap.26. 165
oratio in communi facta auget charitatem. lib.4. cap. 15. 482.
oratio in communi liberat illum, quem per quatuordecim annos ſolitaria non liberauit. ibidem. 482
ſimul orantes ſunt quaſi in acie precibus dimicantes, & diuinæ ſententiæ vnanimiter reſiſtentes, ex D. Thoma. ibidem. 482
ſola mentalis oratio ſatis eſſet ad Indulgentiam conſequendam.lib.5.cap.13. 545
orationes etiàm priuatæ fuſæ in Eccleſia magis Deo ſunt gratæ, & hominibus ſalutares quàm quæ alibi fiunt. lib. 6.cap.4. 614
ob tres cauſas præcipuè orationes in templo factæ plus valent apud Deum quàm priuatim Domi. ibidem. 616
ordinationes ſacrorum ordinum intra Miſſæ myſterium fieri debere ex ſcriptura habetur. lib.2. cap.13. 156
omnis ordo Sacerdotalis à Petro iure ordinario deriuatur. ibidem. 157
ordo Carthuſianorum omnium aliorum perfectiſſimus ex D.Bernardo. lib.1.cap 9. 43
ordo in vnaquaque re pulchrum quid & optimum eſt lib. 3.cap.11. 357
ordinatio Apoſtolorum in Epiſcopos nequaquam dilata fuit uſque in diem Pentecoſtes. lib.2. cap.23. 350
ordo inter libellum, exomologeſim, manus impoſitionem, dationem Euchariſtiæ, & pacem ex mente D.Cypriani ponitur. lib.1.cap.3. 15
vſus imponendi librum Euangeliorum ſuper capita Epiſcoporum,

porum, qui ordinantur, deriuatus fuit ex linguis igneis, quæ ſuper capita Apoſtolorum apparuerunt. lib. 2. cap. 23. 150

P

Pallij uſus ante Marcum primum Pontificem fuit. lib. 3. cap. 13. 369
pallium quod Archiepiſcopis traditur, more uetuſtiſſimo ex corpore B. Petri ſumitur. ibidem. 368
pallium apud Græcos phrygium appellatur. ibid. 369
pallium ex lana non ex lino contexitur ibidem. 369
pallium numquam ab Imperatoribus, ſed ſemper à Romano Pontifice traditum eſt. ibidem. 369
pallij honor ex D. Gregorio deſcribitur. ibidem. 369
ponitur figura de pallio Eliæ applicata Sacro Iubilæo. lib. 5. cap. 6. 513
A Papa quibus modis Cœlum aperiatur uel claudatur, deſcribitur. lib. 2. cap 16 121
Papa à Tertulliano Epiſcopus Epiſcoporum appellatur. lib. 2. cap. 19. 132
quod Summi Pontifices, & Epiſcopi faciunt, temerarium eſt aſſerere id fruſtratorium eſſe. lib. 2. cap. 31. 142
Papa non ea poteſtate, qua Princeps eſt temporalis, remittit pœnas per Indulgentias. lib. 2. cap. 27. 167
Papa in foro pœnitentiali non habet poteſtatem à Chriſto tamquam Princeps, ſed tamquam miniſter, ideſt non habet arbitrariam, & liberam poteſtatem, ſed ſecundū Chriſti præſcriptum. ibidem. 167
Papa non poteſt remittere pœnas peccatorum extra Sacramentum non applicando theſaurum. ibidem. 167
Papa non poteſt remittere etiam uenialia peccata, niſi per applicationem paſſionis Chriſti. ibidem. 167
Papa non poteſt ſolo nutu, & uoluntate, uel Imperio pœnas peccatorum remittere. ibidem. 167
Papa ſolo iuſſu, & imperio poteſt quidquid ad forum exterius pertinet, non autem peccata uel eorum pœnas dimittere ibidem. 167
Papa ſolo uerbo, & nutu non poteſt creare Sacerdotem, contra Felinum. ibidem. 167
ſolus Papa eſt proprius uniuerſalis, & legitimus diſpenſator theſauri Eccleſiaſtici. lib. 2. cap. 30. 185
Papa eſt rector Domus Dei, primus Eccleſiæ Oeconomus, & gubernator. ibidem. 185
Papa poteſt coarctare facultatem Epiſcoporum conferendi Indulgentias. ibidem. 187
plus facit Papa & Epiſcopus in Sacramento pœnitentiæ, etiam demptis reſeruatis, quàm infimus Sacerdos quantū ad remiſſionem pœnæ. ibidem. 188
ſolus Papa poteſt Indulgentiam uniuerſalem dare ibid. 196
Papa in rebus fidei definiendis errare non poteſt. lib. 2. cap. 31. 193
Papa auctoritate Clauium bona Theſauri Eccleſiaſtici diſpēſat etiam erga defunctos. lib. 2. cap 48. 288
Papa iudicaliter non poteſt animas Purgatorij abſoluere à pœnis. ibidem. 288
qui ſunt in Purgatorio non ſubduntur directè poteſtati Papæ. ibidem. 288. & cap. 50. 300
Papa non abſoluit eos, qui ſunt in Purgatorio, dando eis Indulgentias; ſed pro illis ſoluit, adiuuando illos per modum ſuffragij. lib. 2. cap. 51. 290
Papa de facto non poteſt totum Purgatorium per Indulgentias euacuare, & quare. ibidem. 291
cum Summi Pontifices utuntur illis verbis (*per modum ſuffragij*) non ſignificant, effectum Indulgentiarum vel eſſe incertum, vel ex ſola Dei liberalitate pendere. lib. 2. cap. 49. 297
cum Summi Pontifices dicunt, Iubilæum incipere à primis veſperis vigiliæ Natiuitatis Domini, id non intelligitur excluſiuè, ſed incluſiue, ita ut in ipſis primis veſperis Iubilæus incipiat. lib. 3. cap. 10. 355
Papa in proferenda ſententia Canonizationis alicuius Sancti errare non poteſt. lib. 3. cap. 13. 370
Papa cum abſolute Indulgentias concedit, non eſt reſtringenda ad inſinuatas. lib. 4. cap 6. 403
Papa per viam communicationis poteſt in Iubilæo Sanctorum merita diffundere in eos, qui peregrinantur ad loca ſancta. lib. 4. cap. 5. 415
Papa non poteſt augere gratiam per intenſionem augendo gradus gratiæ ex theſauro ibidem. 413
Summus Pontifex poteſt integrum annum Sanctum, vt Sacramentale conſtituere, & de facto conſtituit. lib. 4. cap. 7. 413
quando Papa mittat tres Cardinales ad aperiendas cæteras portas ſanctas poſt Vaticanam lib. 4. cap 13. 428
non ſemper Concilia, vel Pontifices in ſuis Bullis adducunt ſententias Sacræ Scripturæ ſecundum ſenſum literalem. lib. 5. cap. 7. 520
quando à Papa uel Concilijs citantur loca ſcripturæ, tamquam proprium medium ad probandum aliquod dogma fidei, tunc ſenſus huiuſmodi locorum literalis erit. ibid. 520
quando Papa vel Concilia adducunt loca ſcripturæ in alio ſenſu, quàm literali, non abuſiue adducunt illa, contra Caietanum. ibidem. 520
ſenſus alij quàm literales, non dicendi ſunt improprij, ibidem. 521
Papa in Porta Sancta ſedens, oculos benigne ad hæreticos conuertit, oſtendens illis veram portam ouilis Chriſti. lib. 5. cap. 11. 532
Papa poſſet ad Indulgentiam conſequendam imponere, ut peccata venialia quis confiteretur. lib 5. cap. 25. 555
Papa abſolutè non poteſt facere venialia materiam neceſſariam confeſſionis. ibidem. 555
Papa eius Sacerdotis, cui confitetur, ſubditus eſt in foro pœnitentiali. ibidem. 561
Papa participat, ut inſtrumentum corporis myſtici, ea bona, quæ ex theſauro Eccleſiæ cæteris communicat. ibidem. 561
Papa tenetur adimplere opera præſcripta in Iubilæo, vel ſaltem permutare illa in opera æquiualentia ſua vel confeſſoris auctoritate. ibidem. 561
numquam Papa Abbati commiſit Diaconorum ordinationem, contra Victoriam. lib. 2. cap. 23. 154
Ante annos quingentos nullus Romanus Pontifex Hieroſolymis fuit. lib. 3. cap. 9. 354
Summus Pontifex enixe curare debet, ut in toto Orbe Chriſtiano præſertim in Italia ſumma pax exiſtat, tempore anni Sancti lib. 5. cap. 16. 531
Summi Pontifices nonnullis, nempè Regibus, & Principibus nec non infirmis, & uiatoribus, etiam extra Vrbem ſolēt gratiam Sacri Iubilæi in ipſo anno Sancto concedere. lib. 3. cap. 11. 357
ſolet Papa Vltramontanis ad minores dies reducere viſitationes Eccleſiarum. lib 5 cap. 14. 547
Papā perſonaliter Concilijs intereſſe non eſt neceſſarium, neque conueniens. lib 1. cap. 8. 35
nomine Paradiſi Latroni promiſſi non terreſtris Paradiſus, ex quo Adam eiectus fuit, ſed fruitio diuinæ eſſentiæ intelligitur. lib. 2. cap 43. 244
Paradiſus Terreſtris aquis diluuij deſtructus fuit. ibidem. 244
Paradiſus, in quem Enoch tranſlatus fuit, non eſt terrenus ille Adami, ſed ſecreta aliqua terræ regio, in qua in ſigna carnis, & ſpiritus tranquillitate viuit vſque ad finem mundi cum Elia. ibidem. 244
Nomen Paradiſus multas habet in ſcripturis ſignificationes. ibidem. 244
parochi non exercent iuriſdictionem in foro exteriori. lib. 2. cap. 16. 120
parochi iure diuino Indulgentias conferre non poſſunt. lib. 2. cap. 30. 188. & lib. 1. cap. 18. 510
pars ſiniſtra Altaris ſecundum veterem poſitionem dignior eſt dextra. lib. 3. cap. 12. 358
pars tamen etiam in ſedendo dignior aliquando iudicata fuit. ibidem. 350
pars dextra abſolutè honorabilior eſt. ibidem. 359
paſcit Pontifex oues doctrina, gubernatione, prouidentia, & applicatione theſauri per Indulgentias. lib. 2. cap. 12. 106
paſcere eſt proprium illius, qui tamquam Præpoſitus, & Dominus cibum præbet, contra Lutherum. ibidem. 105
paſcere ſumitur pro regere, & præſidere Ioannis 21. contra Lutherum. ibidem. 106
Paſſiones ſufferre in carne ſua pro Eccleſia, nil aliud eſt, quā

labores

labores proprios ad vtilitatem fidelium in theſauro repo nere, ex Anſelmo, & alijs. lib. 2. cap. 24. 159. & ſeq.
Ex paſſionibus noſtris, & Christi capitis integratur vna paſſio ibidem. 161
Sanctorum veteris Teſtamenti paſsiones in theſauro Eccleſiæ conſeruantur. lib. 2. cap. 29. 183
Paſsiones Sanctorum, non ſunt profic uæ Eccleſiæ per modum redemptionis, ſed per modum exempli, exhortationis, & ſatisfactionis. lib. 2. cap. 33. 310
pleriqúe Sanctorum paſsi ſunt, & maiores ſatisfactiones fecerunt quam ipſi indigerent, ex ſcripturis, & exemplis probatur. lib. 2. cap. 24. 158. & ſeq.
ignominia parentis redundat in ignominiam prolis, & è contrà. lib. 2. cap. 6. 87
Paulus quoad gubernationem ſemper Petro ſubiectus fuit, lib. 2. cap. 15. 314
Paulus à Christo immediate, non ab Apoſtolis de omnibus Christianæ fidei myſterijs eruditus fuit. ibidem. 319
Paulus, & ſocius Petri, & ei ſubiectus fuit. ibidem. 315
Paulus Hæbræorum, & Gentilium populis promiſcue prædicabat, licèt ad Gentilium conuerſionem præcipue incumberet. ibidem. 315
Paulus in Epiſcopum conſecratus fuit non à Christo immediatè, ſed ab alijs. lib. 2. cap. 23. 353
Paulus exteriorem iuriſdictionem à Christo immediatè ſuſcepit ibidem. 353
Paulus eaſdem ferè conditiones requirit in Diacono, quas in Epiſcopo. ibidem. 354
Paulus à Christo immortali vocatus fuit. ibidem. 354
Paulo aliqua loca ad prædicandum immediatè à Deo indicata fuere. ibidem. 355
Pauli anima pratum quoddam inſigne virtutum fuit, lib. 2. cap. 29. 179
Paulus Abel, Noe, Abraham, Iſrael, Iacob, Ioſeph, Iob, Moyſem, & alios ſuperauit, ex D. Chryſoſtomo. ibidem. 179
Paulus per dies ſingulos ſeipſum Deo immolabat. ibid. 179
Paulus Patriam, domum, ſeipſum, immo etiam Cœlum Cœli deſpexit. ibidem. 180
Pauli Carceres, Catenæ, verbera, vulnera, & flagella ſub ſuperarunt. ibidem. 180
Paulus corpore exiguo, & contracto, & incuruo erat. ibidem. 180
Paulus faciem candidam, annoſque plurimos præſeferebat. ibidem. 180
Pauli caput modicum erat. ibidem. 180
Pauli naſus inflexus, & longior. ibidem. 180
Pauli barba denſior, & prolixa ibidem. 180
Pauli coma, & barba canis reſperſa. ibidem. 180
Paulus ad Hiſpaniam peruenit, & ab Oceano, vſque ad Oceanum. ibidem. 180
Paulus docuit quam ſumendi Euchariſtiæ Sacramentum. libro 4. cap. 11. 425
Paulus dum Indulgentiam dedit inceſtuoſo, non vſurpauit indebitum, cum ius haberet condonandi, ex D Ambroſio lib. 2. cap. 17. 126
Quod Paulus potuit, id Epiſcopus facere poteſt quoque Eccleſia. ibidem. 124
Paulus non condonauit inceſtuoſo pœnam tantum Canonicam, ſed Dei iudicio debitam. ibidem. 124
pax, quam lapſi à martyribus ſupplicabant, erat relaxatio ſatiſfactionis pœnitentibus impoſitæ auctoritate Epiſcopi ſacta. lib. 1. cap. 3. 15
Parochi dicta de pace conciliantur. ibidem. 15
pax ante exomologeſim non dabatur. ibidem. 15
pax ante impoſitionem manuum Epiſcopi, vel Presbiteri non dabatur. ibidem. 15
pax ante ſacramentalem peccatorum confeſsionem non concedebatur. ibidem. 15
pacis libellum à martyribus lapſi petebant. ibidem. 15
pacis libellum erant litteræ martyrum ad Epiſcopum, in quibus illi ſatiſfactiones proprias lapſis petentibus communicabant. ibidem. 15
pax vobis, populo à D. Chryſoſtomo poſt mortem pronunciatum eſt. lib. 4. cap. 12. 436
pax opportunum eſt medium ad functiones Christianas exequendas. lib. 5. cap. 10. 531
pax inter Christianos Reges opera, & orationibus ad Deum fuſis per Clem. VIII Pont. Max. conciliata, & in perpetuum ſancita. lib. 1. cap. 8. 59. & lib. 5. cap. 10. 533
peccatum originale licèt non dicat actum perſonalem, dicit tamen maculam propriam, & perſonalem. li. 2. cap. 6. 87
Magis eſt eligibile carere originali peccato, quàm eſſe matrem Dei. ibidem. 87
peccatum cum duo habeat, pœnam ſcilicet, & culpam, cui data eſt poteſtas ſoluendi illud, vtrumque ſoluere poteſt. lib. 2. cap. 11. 103
peccatum quando eſt publicum, pœna etiam in foro Dei debita publico conſenſu Eccleſiæ imponitur, vel impoſita remittitur. lib. 2. cap. 17. 125
propter peccatum ſumptionis Euchariſtiæ indignè etiam remiſſum mortem corporalem, et alias ægritudines Deus immittit, ex Paulo. lib. 2. cap. 42. 239
peccati macula tranſacto illius actu manet in anima per modum habitus. lib. 4. cap. 3. 415
peccatum veniale directè opponitur feruori charitatis. lib. 4. cap. 6. 429
peccatum veniale non remittitur ſine contritione ſaltem implicita, ex D. Thoma, & Paludano. ibidem. 429
Vnum veniale peccatum poteſt ſine alio remitti. ibid. 429
per quemcumque actum feruoris charitatis, omnia venialia remittuntur præter illa, in quibus homo complacentiam habet. ibidem. 430
Non eſt impoſſibilis ſententia aſſerentium, per actum feruoris charitatis remitti illa tantum venialia, quæ illi actui ad uerſantur, & contra quem oppoſitionem habent. ibi. 430
Virtus remittendi peccata ſiue mortalia ſiue venialia ex merito paſſionis Christi emanat. lib. 4. cap. 430
Errauit Kemnicius dicens, Concilium Tridentinum docuiſſe, venialia peccata ſine applicatione meritorum Christi remitti poſſe, dum docet confeſſionem venialium non eſſe neceſſariam. ibidem. 430
peccata ſunt onera, quæ grauiter premunt animam. lib. 4. cap. 9. 450
Nemo peccando etiam venialiter vitam æternam meretur. lib. 5. cap. 15. 457
peccatores in fine vitæ pondus peccatorum ſentiunt. lib. 4. cap. 9. 450
peccatum veniale antecedens viſitationem Eccleſiarum non impedit fructum Iubilæi lib. 5. cap. 15. 558
Nullum veniale concomitans impedit fructum Iubilæi, niſi quando pro materia, vel forma, ſeu fine operis peccatum ipſum ſtatuitur. ibidem. 558
Veniale peccatum non impedit gratiam, vel eius augmentum, niſi complacentiam homo habeat in illo. ibid. 558
peccatum veniale non impedit aliquem effectum Sacramenti Euchariſtiæ, puta augmentum gratiæ, feruorem charitatis, &c. ibidem. 558
peccatum non remiſſum etiam poſt mortem graue eſt, trahens hominem ad locum pœnarum. lib. 5. cap. 16. 582
peccata dicuntur debitum effectiuè ibidem. 582
peccatores rectè Camelis, & Aſinis comparantur. ibid. 583
peccatum omni bono, vtili ſcilicet, honeſto, & delectabili opponitur. ibidem. 583
pulchra D. Auguſtini ſententia de damnis peccati. ibid. 584
Sicut putredo aufert pomi decorem, colorem, odorem, & ſaporem; ſic peccatum animæ aufert decorem vitæ, odorem famæ, colorem gratiæ, & ſaporem gloriæ, ex D. Bonauentura. ibidem. 583
peccatum tedium quoddam generat in animo ad implenda mandata Dei ibidem. 584
peccatum ſemper latebras quærit. ibidem. 584
peccatum cum perpetratur voluptatem habet, poſtea anxietatem. ibidem. 585
peccatum cum voce eſt culpa in actione. lib. 6. cap. 17. 654
peccatum cum clamore eſt culpa cum libertate. ibidem. 654
Quodnam ſit tempus maturum ad vindictam peccatorum. ibidem. 656
per peccatum ſubſequens omnia merita, & ſatisfactiones amittuntur. lib. 2. cap. 33. 298
peccata non remittit, qui Christū nō prædicat. li. 2. c. 10. 102

Obiec-

ob ingentia peccata flagitioſi tradebantur Sathanæ. lib. 2. cap. 17. 123
vleiſci peccatum per pœnitentiam, ſacrificium appellatur in ſcripturis. lib. 2. cap. 25. 146
peccata ſatisfactionibus noſtris verè expiantur, redimuntur, abluuntur, atque ſanantur. ibidem. 146
peccatores reſipiſcentes plerumque ad maius meritum, & gratiam reſurgunt, quàm fuit illa, ex qua ceciderunt. lib. 4. cap. 9. 448
peccatum omiſſionis grauiſſimum eſt libro 5. capite 5. 507
vltimæ hebdomadæ dies Pentecoſtes quinquageſimus computatur à primo die feſti Paſchæ excluſiuè. lib. 1. cap. 1. 4
Pentecoſtes hæbræorum fuit figura Pentecoſtes Chriſtianorum, ex Gregorio Nazianzeno libro 2. capite 6. 85
perfectio eſſentialiter conſiſtit in præceptis, inſtrumentaliter in Conſilijs. lib. 1. cap. 31. 194
peregrinatio ad Vrbem in Anno Sancto non debet eſſe mixta cum ambitionis, litium, & vanitatum curioſitate. lib. 5. cap. 13. 543
peregrinis reſpectu Romanorum onus dimidiatum in viſitatione Eccleſiarum iure optimo iniunctum eſt. lib. 5. cap. 14. 547
omnes uiatores, qui in Vrbem ſe recipiunt, ſtatim tamen receſſuri, ſub nomine peregrini comprehenduntur. lib. 5. cap. 15. 549
vagabundi ſub vocabulo peregrini complectuntur. ibidem. 549
peregrinationes ad loca ſancta piæ, & religioſæ ſunt, ex Patribus, & multis rationibus, libro ſexto, capite primo 592. & ſeq.
peregrinatio non omnibus conuenit, ſed tantum uiris maturis, & probatis. ibidem. 598
Virginibus, alijſque fœminis peregrinatio minus apta eſt ibidem. 598
inſtitutum peregrinandi ad loca ſancta vetuſtiſſimum eſt, & ante Conſtantinum iam diu frequentatum in Dei Eccleſia. lib. 6. cap. 2. 601
A ſæculo circa Annum Chriſti 199. vſque ad Annos 1600. demoſtratur peregrinationis uſum ad loca ſancta in Eccleſia frequentatum fuiſſe. ibidem. 601
prima, & tota virtus eſt peregrinum eſſe in hoc mundo. lib. 6. cap 5. 610
Chriſtianus peregrinus mortuus, & crucifixus mundo eſſe debet. ibidem. 610
Hoſpitalitatis officium ergà peregrinos quantoperè commendetur in ſacris literis. lib. 6. cap. 6. 623
peregrini tempore famis ab Vrbe non ſunt arcendi, ex D. Ambroſio ibidem. 624
peregrinatio, & concurſus omnium Orbis hominum ad Petri, & Pauli ſepulchra adoranda firmiſſimum eſt argumentum, Eccleſiam Chriſti Catholicam, & vniuerſalem eſſe. lib. 3. cap. 4. 319
datur ſtatus, in quo peregrinamur à corpore, & non à Domino, & ſtatus, in quo peregrinamur à Domino non à corpore, & ſtatus, in quo, & à corpore, & à Domino peregrinamur. lib. 2. cap. 43. 248
Pererius diligentiſſimus Chronologiſta libro 3. capite 1. 313
Pererius, ut lucidiſſimus Auctor, commendatur. lib. 6. cap. 3. 608
Pererius Auctoris Magiſter. ibidem. 608
Petro tamquam ordinario paſtori ampliſſima iuriſdictio, etiam exterior, data eſt, Ioannis 21. ibi, *paſce oues meas*. lib. 2. cap. 12. 105
Petrus à Chryſoſtomo Hieremiæ comparatur. lib. 2. cap. 13. 108
Petrus eſt Cœlo ipſo validior. ibidem. 108
quærit Chryſoſtomus, an maiora ſint dona, quæ pater, aut quæ filius Petro largitus eſt; reſpondet quæ filius, & cur. ibidem. 108
Petrus, ut caput, & ut Papa, non ratione Apoſtolatus Claues regni Cœlorum accepit. ibidem. 109
Petri poteſtas etiam ſuper alios Apoſtolos ſe extendebat. lib. 2. cap. 14. 110
nec in totum Orbem ut ordinaria duratura, & ſucceſſoribus relinquenda Petro data fuit. ibidem. 110
Petrus ſic claues accepit à Chriſto, ut ab eo acciperent poteſtatem, quicumque claues habuerint. ibid. 111
in Concilio Hieroſolymitano Petrus primus loquitur, primus quæſtionem definit, poſt quem primus Iacobus. ex Hieron. ibidem. 112
Petrus maior fuit Iacobo. ibidem. 112
Petrus non vt inferior, ſed ut caput mittitur in Samariam ab Apoſtolis. ibidem. 113
Petri nutu Apoſtoli Diaconos conſtituerunt, ex Chryſoſtomo. ibidem. 113
Cæphas, cui Paulus reſtitit, ex Clementis Alexandrini, Euſebij, & Oecumenij ſententia non fuit Petrus. lib. 2. cap. 15. 113
Petrus non feriò, ſed ſimulatè ex Hieron. & aliorum ſententia reprehenſus fuit à Paulo. ibidem. 113
verius eſt à Paulo reprehenſum eſſe, ex D. Auguſtini, & D. Thomę ſententia. ibidem. 113
minori, inſtante neceſſitate, licet, reuerenter tamen, etiam publice maiorem reprehendere. ibidem. 113
Petri humilitas ſummoperè reſplenduit quando à Paulo reprehenſus eſt. ibidem. 113
in eo facto Petrus uel non peccauit, uel tantum venialiter. ibidem. 114
Petrus ac Paulus Hebręorum, & Gentilium populis promiſcuè prędicabant, licèt ille ad Iudęorum, hic verò Gentilium conuerſionem pręcipuè incumberet. ibidem. 115
promiſſiones Chriſti factę Petro verè in propria eius perſona factę, & adimpletę fuerunt. ibidem. 115
quod Petro promiſſum fuit, uniuerſę Eccleſię in eius capite collatum fuit. ibidem. 115
Petrus eſt ſaxum immobile totam ſuſtentans Eccleſiam. ibidem. 115
Petrus eſt Petra, ideſt fundamentum Eccleſię ibidem. 115
Petro datę ſunt Claues in propria perſona ratione officij Paſtoralis. ibidem. 116
Petrus eſt præco, & os Apoſtolorum. ibidem. 116
non Petrus ab Eccleſia Claues recepit, ſed Eccleſia per Petrum. ibidem. 116
Petrus non ut relator, nec nomine aliorum, ſed ut princeps, & caput Apoſtolorum dixit, *Tu es Chriſtus filius Dei viuus* ex Patribus. ibidem. 116
Petrus pluribus modis fuit figura Eccleſiæ, per modum rei geſtæ, & quia repræſentabat cœtũ miniſtrorum Eccleſiaſticorum, & quia corpus iuſtorum ſignificabat: ex Patribus. ibidem. 117
Cyprianus & alij Patres ità pares Apoſtolos Petro faciunt, ut ei ſemper primatum tribuant. ibidem. 118
Petri primatus ex multis eius prærogatiuis oſtenditur. ibidem. 119
Petrus Simonem primum Hæreſiarcham proſternit. ibidem. 119
Petro datæ ſunt Claues non vnius Cœli, ſed multorum. ex Origene. lib. 2. cap. 16. 123
Petrus fuit Clementis ordinator, non autem Apoſtolorum. lib. 2 cap 23. 157
Petrus ex Vrbe diſcedens obuianti Chriſto dixit, *Domine quo vadis?* ex probatis auctoribus. lib. 3. cap. 4. 318
Petrus, & Paulus Romæ, non Hieroſolymis paſſi ſunt. lib. 3. cap. 7. 336
Noua ratio cur Petrus capite deorſum ad terram inuerſo crucifixus fuerit. ibidem. 338
Petrus in ſuperiori parte Vaticani, quæ Ianiculus dicitur, obijt, in ima verò parte, in qua Horti Neronis, & Circus cum obeliſco erat, ſepultus fuit. lib. 3. capite 13. 360
Petrus, & Marcus Die Dominico Paſcha celebrarunt. lib. 4. cap. 11. 459

Petrus reliquos Apoſtolos baptizauit. libro ſecundo, capite 7. 94

In Capite 16. Matthæi promittitur Petro facultas remittendi peccata, vt eorum pœnas indiſtinctè, ideſt tàm intrà, quàm extrà Sacramentum. libro 2. capite 10. 100

Splendor, & gloria Sepulchri Sancti Petri deſcribitur. lib. 3. cap. 13. 369

Platonis animam Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe, dum Chriſtus in Infernum deſcendit, fabuloſum eſt. lib. 2. capite 45. 271

pœna peccati iam remiſſi ſolubilis eſt ſine Sacramento. li. 2. cap. 11. 103

pœna temporalis, quæ relinquitur poſt remiſſam culpam, eſt impedimentum ad ingreſſum regni Cęlorum quouſque ſoluatur. lib. 2. cap. 13. 107

pœna inceſtuoſi medicina erat, & caro non anima affligebatur. ex Theophylacto. lib. 2. cap. 17. 123

pœna, quæ poſt remiſſionem culpæ relinquitur, eſt propria materia Indulgentiæ. ibidem. 124

pœnæ relaxatio in eo ſita eſt, vt quis non ſit amplius ad pęnam obligatus. lib. 2. cap. 18. 128

pœnarum genus duplex, medicinale, & ſatisfactorium. lib. 2. cap. 21. 143

pœnæ medicinales, nec ſine Dei iniuria, nec ſine noſtra iactura impediri poſſunt. ibidem. 143

pœna ſatisfactoria, ſi æquiualens detur etiam ex alieno, impediri poteſt. ibidem. 143

ſæpe in diuinis Scripturis pœnæ decretum comminatorium eſt. ibidem. 143

pœnæ Canonicæ inſtitutæ fuerunt ad iram Dei placandam, eique verè ſatisfaciendum: ex Patribus, contrà Hęreticos. ibidem. 145

pœnæ Canonicæ ſunt cenſuræ peccatorum. ibidem. 146

pœnæ Canonicę non ſolum dolorem internum excitant, ſed etiam ita hominem puniunt, ne alioquin ſeueriùs à Deo puniatur. ibidem. 146

pœnæ Canonicæ etiam leuioribus peccatis decretæ erant. ibidem. 146

Ad pœnæ temporalis remiſſionem etiam Sanctorum paſſiones concurrunt, ita vt de Iuſtitia pro alio ſatisfaciant, in virtute tamen Chriſti. libro 2. capite 35. 211

Remiſſio pœnæ, quæ fit in Purgatorio, per Indulgentias, vel ſuffragia Eccleſiæ, eſt effectus meritorum Chriſti. lib. 2. cap. 37. 223

Nunquam remittitur pœna Purgatorij ob merita Chriſti immediatè ex voluntate Dei applicata, abſque alio remedio: contrà Andream de Vega. ibidem. 224

pœnæ Purgatorij paulatim vſque ad finem minuuntur. ibidem. 224

Septem genera pœnarum pulchrè enarrantur. lib. 2. cap. 41. 230

Damnatorum pœna tria continet, pœnam damni, pœnam ſenſus, & vtriuſque æternitatem. ibidem. 230

Cur inferni pœna ęterna ſit, egregiæ congruentię ex Patribus adducuntur. ibidem. 230

pœna mortis non remittitur per Indulgentias. ibidem. 231

pœnę corporales non remittuntur per Indulgentias. ibidem. 231

pœnæ naturales, quas ob naturæ peccatum contrahimus, Chriſti merito tolluntur, non in hoc ſtatu, ſed in futuro ibidem. 231

Ad pœnas naturales tollendas non diriguntur Indulgentiæ, ſed ad perſonales. ibidem. 238

pœna temporalis, quæ relinquitur poſt remiſſam culpam, eſt illamet pœna ſenſus, quàm in Inferno pati quis debuiſſet, ſi in peccato deceſſiſſet, remota tantum æternitate. ibidem. 236

poſt Adami, & Euæ peccatum remiſſum, plurimum pœnę exoluendum illis remanſit. libro ſecundo, capite 41. 238

Sublata hac pœna, ſtudium virtutum langueſcit, & mutua ſuffragia euaneſcunt. ibidem. 241

Quinque genera pœnarum per Indulgentias remittuntur ibidem. 242

Abſurdum eſt, prius remitti pœnam, quàm culpam lib. 4. cap. 3. 415

Quomodo in Purgatorio pœnæ venialium remittantur. ibidem. 416

plura requiruntur ad remiſſionem pœnæ, quàm culpæ etiam venialis, ex Paludano. libro quarto, capite ſexto. 429

pœna non remittitur, culpa remanente, etiam veniali. lib. 5. cap. 15. 578

pœna damni ſuperat omnes alias pœnas in Purgatorio. li. 5. cap 16. 586

Summa, & maxima pœna damni ſolum in Inferno reperitur ibidem. 587

pęnę Purgatorij paulatim remittuntur. ex Beda, & D. Bernardo. ibidem. 587

Sub verbo illo generali. *Quodcumque ſolueris* etiam pęna, quę extrà Sacramentum ſolubilis eſt, continetur, et ſi hanc Eccleſia non remitteret, quodcumque, vt Chriſtus promiſit, ſoluere non poſſet. libro ſecundo, capite 11. 103

Ad pœnæ remiſſionem miniſter per Clauem Indulgentiæ phyſicè, & effectiuè concurrit. libro 2. capit. 40. 228

non omnis pœnæ remiſſio eſt effectus Sacramenti. lib 2. cap. 21. 144

Errarunt Antoninus, & Paludanus aſſerentes, pœnas temporales remitti poſſe aliquando ex mera liberali Dei remiſſione, abſque merito Chriſti. lib. 2. cap. 37. 220

aliqua pœna Purgatorij poteſt eſſe minus intenſa quàm aliqua pœna huius vitæ. lib. 5. cap 16. 587

Pœnitentiæ olim plurium iudicio pro criminis qualitate decernebantur, & publicè iniungebantur, & adimplebantur lib. 2. cap. 17. 125

Diſputatur, an pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam iniunctam à Confeſſore. libro 2. cap. 41. 231

quando pœnitens acceptauit pœnitentiam iniunctam, tenetur ſub pœna noui peccati mortalis illam adimplere. ibidem. 232

tutior eſt opinio Soti, quòd pœnitens iuſtam pœnitentiam iniunctam acceptare, & adimplere teneatur. ibidem. 232

morientibus leues pœnitentiæ iniungendæ ſunt. ibidem. 232

ſeptennis pœnitentia pro vnoquoque mortali ex Scripturis Sacris habetur, contra Lutherum. ibid. 234

Pœnitentiæ ſemper in foro interiori fuerunt arbitrariæ. ibidem. 233

Abolito vſu imponendi graues pœnitentias pro peccatis, operæ pretium fuit fidelibus ſuccurrere per frequentes Indulgentias. ibid. 234

pœnitentes ante fores Eccleſiæ perſiſtebant, & in die Cœnæ Domini apertis portis in Eccleſiam inducebantur. ex Conc. Agathenſi. lib. 4. cap 14. 470

pœnitentiarius abſoluat in anno ſancto, & in Iubilæo ad inſtar, ſecundum plenitudinem poteſtatis, quæ eo tempore conceditur. lib. 4. cap. 2. 410

Politici ſunt hæreticis deteriores. lib. 5. cap. 4. 502

Politici ſunt pernicioſiores hoſtes Eccleſiæ quàm omnes infideles, etiam Turcę. ibid. 502

Politici non Chriſtiano ſed ethnico ſpiritu ducuntur. ibidem. 502

Politici non in Chriſti, ſed in impij Macchiauelli ſchola edocti ſunt. ibidem. 502

Politici religiones terrenis regnis inſeruire docent. ibid. 502

Politicorum axiomata nonnulla ponuntur, ibidem. 502

Politici quibus rationibus Sacro Iubilæo aduerſantur. ibidem. 502
Pulchra D. Auguſtini ſententia contra Politicos. ibidem. 502
Politici nec naturalem, nec diuinam animæ pacem admittunt. ibidem. 503
Politici ex principijs carnis ſyllogizantes, carneam Concluſionem infallibiliter deducunt. ibid. 503
Politici Heliogabali Impij Imperatoris ſequuntur exemplum. ibidem. 504
Politici falsò putant, fidem à poteſtate regia eiuſque ſtatuis dependere. ibid. 505
Politici arbitrantur Religionem nil aliud eſſe, niſi phantaſma ad eludendos ac terrendos homines numinis opinione. ibid. 505
Politicorum facinora enarrantur. ibid. 505
Portæ Sanctæ apertio celeberrima, & peculiaris eſt anni ſacri actio. lib 4. cap. 14. 469
in Portæ Sanctæ apertione omnes quatuor cauſæ Sacri Iubilęi continentur. ibid. 469
ritus aperiendi portam ſanctam vndè emanauerit. ibidem. 469
ritus aperiendi portam ſanctam antiquus eſt, non recens contra Panuinium. ibid. 469
incipiente Anno Sancto, cur in Vigilia Natiuitatis Domini, Papa iubente, omnes portę ſancti Petri claudantur. ibidem. 470
ſeptem ſignificationes ponuntur patefactionis portę ſanctę. ibidem. 471
Apertio portę aliquando bonum, aliquando malum omen importat. ibid. 471
Porta Orientalis ante excidium Hieruſalem ſponte aperta inuenta fuit, in die quo Chriſtus paſſus eſt. ibidem. 471
quid ſit in porta ſedere. ibid. 471
cur Candelę deferuntur in apertione portę ſanctę. ibidem. 473
cur Malleo percutiens Papa in ea apertione vtatur. ibidem. 474
cur poſtes portæ ſanctæ iam apertæ ſpongijs aqua benedicta perfuſis lauentur. ibid. 474
applicatur figura Ciſternæ Bethlehem in porta exiſtenti portæ ſanctæ, & Iubilæo. ibid. 474
cur porta ſancta Baſilicæ Vaticanæ ante omnes alias aperiatur. ibidem. 474
Porta Sancta D. Petri aurea quoque appellatur. ibidem. 474
Portam Sanctam ingredi non eſt de eſſentia conſecutionis Iubilæi. ibidem. 475
qui per Portam Sanctam egreditur, nec peccatum, nec pœnam incurrit. ibid. 475
qui cum peccato mortali portam ſanctam ingreditur, remoto contemptu, iterum non peccat. ibid. 475
ſede uacante poteſt Cardinalis Decanus aperire portam ſanctam. ibidem. 475
cur hæc porta, quæ à Papa in anno ſancto aperitur, ſancta dicatur ibidem. 476
cur Portam Sanctam linteo pręcinctus Papa claudit. lib. 4. cap. 15. 486
cur non ligneis tabulis ſed lapidibus porta ſancta clauditur. ibidem. 486
Porta Sancta cur aliam ſignificationem in fine anni, & aliam in principio habeat, & quid ſignificent aliæ ſacræ Cæremoniæ, quæ adhibentur, quando clauditur. 485. & ſeq.
poteſtas concionandi diuerſa eſt à poteſtate remittendi peccata. lib. 2. cap. 10. 102
poteſtas iuriſdictionis etiam extra Sacramentum Apoſtolis tributa eſt Matthæi 18. & Ioannis 20. ibi, *Ego mitto vos* ibidem. 103
poteſtas ordinis Apoſtolis tributa eſt Ioannis 20. ibi, *accipite Spiritum Sanctum*. ibid. 103
Roſenſis diuerſas aſſerit poteſtates Chriſtum tradere Matthæi 18. & 16. & Ioannis 20. multaque diſcrimina inter hæc loca ponit. libr. 2. capit. 11. 104
poteſtas paſcendi oues includit quoque vim conferendi Indulgentias. lib. 2. cap. 12. 105
in illis verbis, *paſce oues meas*, ſumma poteſtas functionis paſtoralis, & exindè conferendi Indulgentias deſignatur. ibidem. 106
in multis, quæ ſpectant ad poteſtatem ordinis, æqualis eſt poteſtas in ſimplici Sacerdote, in Epiſcopo & Papa; in multis autem non ſolum quoad poteſtatem iuriſdictionis, ſed etiam ordinis inæqualis eſt. lib. 2. cap 16. 120
omnis actus poteſtatis Papæ ad poteſtatem ordinis, vel iuriſdictionis reducitur, contra Caietanum. ibid. 120
poteſtas ligandi atque ſoluendi non uidentur omnino correlatiuæ. lib. 2. cap. 48. 290
nihil ſolui poteſt quod prius ligatum non fuerit. ibidem. 290
qui poteſt ligare poteſt abſoluere, non è contra. ibidem. 290
ſæcularis poteſtas Eccleſiaſticæ ancillari in omnibus debet. lib. 5. cap. 9. 529
nemo ſe ipſum iudicialiter abſoluere, vel ligare poteſt. lib. 5. cap. 15. 560
prædeſtinatio benedictio appellatur. libro 2. capit. 37. 218
Deus vno, & eodem actu prædeſtinauit Chriſtum, & nos. ibidem. 218
prædeſtinatio Chriſti ad ſimplicem Dei voluntatem referenda eſt. ibidem. 219
Noſtra prædeſtinatio præciſè, ut diſtinguitur à prædeſtinatione Chriſti, eſt effectus prædeſtinationis Chriſti ibidem. 219
Preſbiteri locum Chriſti tenent in Altari. libro 2. cap. 14. 110
Preſbiterium eſt cœtus ſeu Chorus Epiſcoporum, qui nouo Epiſcopo conſecrando manus imponunt. libro 2. capit. 23. 152
priuilegium diſpenſandi in voto, de voto tantum illo intelligitur, quod ante editum fuerat, quàm diploma ſuſciperetur. lib. 5. cap. 15. 568
priuilegia perſonalia alicui, vt publicæ perſonæ conceſſa, etiam ad ſucceſſorem extenduntur. libro 2. capit. 15. 116
priuilegium ſanctorum eſt, ut eorum ſatisfactiones alijs applicentur. lib. 2. cap. 18. 131
priuilegium ipſo facto non amittit qui facultate ſibi conceſſa abutitur. lib. 5 cap. 15. 567
nomine procedendi Tertullianus, & Hieronymus uſi ſunt. lib. 4. cap. 15. 477
proceſſiones vel ſupplicationes dicuntur preces illæ, quæ non ſtando, ſed ambulando vel circumeundo fiunt. ibidem. 477
proceſſiones fuerunt adumbratę in egreſſu filiorum Iſrael de Ægypto. ibid. 477
proceſſionum antiquitas, quæ in triduo ante Aſcenſionem Domini fiunt, oſtenditur. ibid. 478
Arriani publicè cum crucibus proceſſiones habuerunt, ex Socrate, & alijs. ibid. 479
Duodecim cauſæ enarrantur, ob quas proceſſiones fiunt in Eccleſia. ibid. 479
frequentiſſimæ proceſſiones habentur tempore anni ſancti. ibidem. 482
Ritus proceſſionis, quæ fit in inchoatione Anni Sancti. lib. 4. cap. 13. 467
Raro habendæ ſunt proceſſiones cum Euchariſtia. lib. 4. cap. 15. 482
humanarum rerum inæqualitas maximam Dei prouidentiam, & curam ergà res creatas oſtendit. libro 6. cap. 18. 665
puerorum vena non eſt incidenda ante duas generationes. lib. 3. cap. 2. 323
purgatorium fundatur in pœna, quæ poſt peccatum remiſſum luenda relinquitur. lib. 2. cap. 42. 237
purgatorium eſſe contra Gręcos, & hęreticos multis nijs oſtenditur. lib. 2. cap. 46. 277

Patrum ſententię pro Purgatorio ponuntur.ibidem. 281. & cap.47. 284

Q

QVaſi interdum ſumitur pro verè. libro 2. capit. 46. 278
quadraginta Martyres: vide Martyres.
quadragenarius numerus: vide numerus.

R

RAriora ſunt præclariora.lib.3.cap 6. 334
non quia ratio alicuius rei reddi non poſſit, ideò falſa, & impoſſibilis eſt res illa.lib.6.cap.21. 680
redimendi modus duplex eſt, vnus redimendo lapſum, alter prę̨ueniendo nequis cadat, & hic poſterior longè dignior & efficatior eſt priore libro 1.cap.6. 88
redemptio per ſanguinem in Cruce à Chriſto exhibita Iubilęus per Antonomaſiam, & excellentiam vere dicitur.lib.1.cap.2. 10
Maioris perfectionis eſt Religioſo obſeruare Regulam, quàm acquirere Indulgentias. libro quinto, capite 15. 564
Quando regularis obſeruantia diſſoluitur ob peregrinationes, & Indulgentias, debent illę à religioſis dimitti. ibidem. 564
Sicut in Religione poſſet fieri pręceptum, vt Sacramentum Euchariſtiæ ſemel in menſe ſumeretur, ità etiam vt octauo quoque die Sacramentum pœnitentię frequẽtaretur, ſaltem aliquod veniale cunfitendo, & eſſet pręceptum magnæ perfectionis.ibidem. 556
Veram Religionem vana ſuperſtitio ęmulatur, non è contrà.lib.2.cap.47. 286
Regulares ſunt perſonę Eccleſiaſticę. libro 4. capite 8. 437
Decem Religiones inſtitutę de nouo fuerunt in hoc ſæculo & quæ.lib.1.cap.8. 38
Religio ſocietatis Ieſu per quoſdam multo ante prophetico ſpiritu prænunciata fuit.libro primo, capite 8. 39
Religionis ſeu Congregationis Oratorij inſtitutum, & mores laudantur.ibidem. 40
Religiones quędam per Romanos Pontifices iure optimo deletæ fuerunt.ibidem. 41
Religio Silueſtrinorum, Seruorum, & aliæ reformatę. ibidem. 41
Remiſsio, quę fit per Indulgentias, fit vi Clauium circà Theſaurum.lib.2.cap 11. 144
Omnis remiſsio pœnæ, vel culpæ etiam extrà Sacramentum fit virtute paſsionis Chriſti.libro ſecundo, cap.27. 166
in Remiſsione Indulgentiarum eſt reperire miſericordiam, & iuſtitiam.ibidem. 166
Paludanus inconſtanter de remiſsione venialium per Indulgentias locutus eſt. libro quarto, capite tertio. 417
Remiſsio vniuerſaliſsima culparum in toto Orbe ad ſolum Papam ſpectat. libro ſecundo, capite trigeſimo. 186
Reſcriptum concedens remiſsionem pœnæ infligendę ante delictum commiſſum non valet. libro 5. capite 15. 568
Reuelatio diuina, & in vigilia. & in ſomno noctu homini accidit.lib.6.cap.19. 666
Reuelatio diuina, quæ fit in vigilia, cur pręſtantior fit illa, quę fit in ſomno. ex D.Thoma.ibidem. 666
Multæ præſtantiſsimę Reuelationes egregijs viris factę fuere.ibidem 666
Reuelationum genus, quæ in ſomno accidunt, duplex eſt, vnum obſcurum per imaginarias ſimilitudines aliquid ſignificantes; alterum nobilius, in quo dormiens Deum ipſum, vel Angelum, vel hominem ſecum alloquentem audit.ibidem. 666
Ex rei euentu cognoſcitur, reuelationem factam Viro ſancto de tranſlatione Sacelli Lauretani ex Nazareth, non delirium, ſed veram fuiſſe ibidem. 669
Cur ſæpius obſcuris, & indoctis hominibus, quàm ſapientibus ſomnia diuina dentur.ibidem. 672
Reuelatio, quæ Deo dictante perficitur, ſiuè in ſomno, ſiuè in vigilia fiat, potior eſt omni alia. libro 6. capite 15. 692
Reges dum Politicorum mores diſsimulant, iuſto iudicio Dei dominio priuantur.lib 5.cap.4. 506
Regi multis ex cauſis artificiales diuitiæ neceſſariæ ſunt, ex D.Thoma lib.1.cap.26. 164
Regi Theſauros habere ad faſtum regalem fas non eſt, ſed tantum ad ſui regiminis conſeruationem. ibidem. 164
Regis Nauarræ abſolutio, & ipſius in Regem Galliarum electio.lib.1.cap.10. 57
plerique ritus Gentilium à Paſtoribus Eccleſiæ conuerſi ſunt in cæremonias Chriſtianæ Religionis.lib.3.cap.5. 332
Multi ritus Romanorum in Dei cultum conuerſi enarrantur.lib.4 cap.12. 464
Roma eſt Euangelij caput, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fundamentum, Vicarij Chriſti Sedes, vineæ Domini turris, cunctarum gentium refugium, ac noua Hieruſalem, longè veteri ſuperior.lib.3.cap.4. 328
Roma communis Patria totius Orbis. libro 3. capite 7. 339
Roma Regnum gentium nuncupatur. ibidem. 339
Romæ omnes fere nationes habent Eccleſias, & Xenodochia.ibidem. 339
Romæ cunctarum linguarum Pœnitentiariæ habentur. ibidem. 339
Romam ex veteri inſtituto Epiſcopi Orientis, & Occidentis ſtatis temporibus accedunt.ibidem. 339
Roma à D.Leone laudatur.ibidem. 340
veteres Romani ad augendam religionem etiam externarum nationum Deos admittebant, eiſque ludos certis temporibus haberi volebant.ibidem. 340
pulchra D.Auguſtini ſententia contrà Romanos, qui ſolum Deum Iſrael reiecerunt, cum ſolus coli deberet. ibidem. 340
Romani pro diligenti ſtudio religionis dominium totius Orbis obtinuerunt. ex D.Auguſtino contrà Tertullianum.ibidem. 341
Roma Vrbs Sancta meritò nuncupatur.ibidem. 341
Romanæ gentis laudes.ex D.Hieronymo 341
Roma Ethnica, & Idolatra appellata fuit à D. Ioanne Babylon.lib.3.cap.8. 342
Roma ante Chriſtum omnium ſuperſtitionum ſentina erat.ibidem. 342
Roma Infidelis fuit mulier illa ebria ſanguine, quam Iohannes in Apocalypſi ſcribit. ibidem. 343
Roma Chriſtiana non ſedet ſuper Beſtiam Coccineam, ſed ſuper equum album. ibidem. 345
Veſtis Coccinea eſt indumentum diuitum, & Regum.ibidem. 345
Roma Chriſtiana non eſt plena nominibus blaſphemiæ, ſed Chriſti confeſſione ibidem. 345
Roma Chriſtiana habet in ſeptem collibus ſeptem inſignes Eccleſias.ibidem. 347
Roma Chriſtiana Calicem aureum in manu tenet, plenum paſſionibus, & ſanguine Sanctorum.ibidem. 348
Roma Chriſtiana habet ſerpentem æneum in Cruce exaltatum.ibidem. 348
Roma Chriſtiana gaudet ſanguine martyrum effuſo ibidem. 348
Romæ nomen fortitudinem, & ſublimitatem ſignificat. ex Hieronymo.ibidem. 348
Romana Eccleſia numquam eſt in fide defectura, ex Diuino oraculo.lib.3. cap 9. 348
Roma in fine mundi cremanda, & deſolanda eſt.ibidem. 349
Romanus originarius, etiam ſi extra Vrbem domicilium habeat, trigeſies uiſitare debet Eccleſias.li.5.ca. 15. 549

Romani,& incolæ Vrbis, ſi decedant è uita non perfectis viſitationibus, Iubilæum non conſequuntur. ibidem. 559
Roma cœpit in principio ſeptimæ Olympiadis. lib.3.ca.1. 323
Romani triplicem Chronologiam texuerunt. ibidem. 315
turpè eſt, uirum Romanum auaritiæ, uel corporis labe affe ctum eſſe. lib.5.cap.15. 549
Romanæ Eccleſiæ dominio reſtitutus fuit Ducatus Ferrarienſis per. S.D.N.Clem.VIII. lib.1.cap.10. 56

S

SAbbatum in ſcriptura dies Paſchæ nuncupatur. lib.1. cap.1. 5
Sabbata apud Iudæos plurima erant, ſabbatum dictum, ſabbatum perſonarum, ſabbatum hæbdomadarum, ſabbatum menſium, ſabbatum hæbdomadarum annorum, & ſabbatum generationum. ibidem. 5
Sacellum Sācti Laurentij apud Lateranum ob maximam reliquiarum copiam Sancta Sanctorum nuncupatur. lib.3.cap.15. 386
negare, Sacerdotem poteſtate Clauium poſſe ſubditum ligare ad iuſtam pœnitentiam peragendam in Sacramenta confeſſionis, hæreticum eſt. lib.2. cap.41. 131
Sacerdotes quantum ad munus offerendi ſacrificium, & conſecrandi Euchariſtiam, dicuntur à Patribus ſucceſſores Apoſtolorum.lib.2.cap.14. 110
Actus Sacerdotalis duplex, primus conſecrare, ſecundus ligare,& ſoluere. lib.2. cap.13. 151
Sacerdos non poteſt conſeruare partem ſatisfactionis Miſſarum, quas dixit, ut applicet his, qui in futuro dabunt eleemoſinas.lib.2.cap.3. 217
Sacerdos dum celebrat, non abſoluitur à Laico à venialibus in Confeſſione generali, contrà Franc. à Victoria. lib.4.cap.7. 434
Sacramentalia poteſtate à Deo accepta Eccleſia inſtituit. lib.4.cap.3. 412
Sacramentalia culpam venialem tollunt.ibidem. 412
Sacramentalia plures ſpirituales virtutes habent.ibidem. 413
Sacramentalia habent vim purificandi animam extra Sacramentum. ibidem. 413
modus, quo Sacramentalia effectum ſpiritualem cauſent, duplex aſſignatur, idest uel per impetrationem, & excitando motum pœnitentiæ in anima, uel ex ui Clauiū, & ex opere operato.ibidem. 413
Sacramentalia tollunt culpas per propriam ſatiſfactionem.ibidem. 416
Sacramentalia per modum cauſſæ efficientis concurrunt ad remiſſionem uenialium ibidem. 417
Sacramentalia non operantur ſuos effectus infallibiliter quemadmodum Sacramenta, & cur. libro 4.capite 7. 434
ſacrificium Chriſtianorum oratio per Antonomaſiam appellatur, ex Tertulliano.lib.6.cap.4. 619
ſæculum eſt ſpacium quinquaginta annorum ſecundum Papiam, vel centum, ſecundum alios libro 3. capite 2. 322
ſpacium ſeptem annorum eſt generatio apud Medicos, apud alios viginti, vel triginta.ibidem. 323
Salomon librum Sapientiæ, Prouerbiorum, Eccleſiaſtem, Cantica Canticorum conſcripſit. lib.2. cap. 33. 198
Salomonem damnatum eſſe multi tenent. ibidem. 197
Sancti quoties volunt exire, & apparere viuentibus, exeunt, damnati verò nequaquam, libro ſecundo, capite 45. 275
Sanctum multipliciter accipitur.lib.4. cap.9. 440
Sanctum ſignificat mundum, firmum, ſeu munitum, lege ſancitum, quod eſt præditum ſcientia iuſtorum, denique obſeruatio iuſtitiæ Sanctum quid eſt. ibidem. 440
Sancti apud Vaticanum Canonizantur lib.3.cap. 13. 370
Sancti aliqui Canonizati in hoc vltimo ſæculo fuerunt, vt à Leone X. S. Bruno inſtitutor Carthuſianorum, & Sanctus Franciſcus de Paula Inſtitutor Minimorum: ab Adriano VI. Sanctus Benno, & Sanctus Antoninus Archiepiſcopus, à Sixto V. Sanctus Didacus hiſpanus, à S. D.N.Clemente VIII. Sanctus Hyacinthus Polonus.lib. 1.cap.8. 4
Sanctitas, & religio maxima Cardinalis Caroli Borromæi. lib. 1. cap.9. 51
Sancta Vita, & pietas magna Pij V. & Gregorij XIII. explicatur. ibidem. 51
vnus pro alio poteſt ſatisfacere dupliciter. lib. 2.capite 18. 127
ſatisfactionum communicatio non ſolum ex Charitate, ſed ex iuſtitia procedit. ibidem. 127
quod ab vno membro Eccleſiæ pro altero exoluitur, æquum eſt à Deo, ad remiſſionem pœnæ acceptari, ac ſi ab ipſomet offerrentur. ibidem. 128
ſatisfactio in relaxatione pœnæ conſiſtit.ibidem. 128
ſatisfactionis fructus alicui prouenit de condigno, etiam beneficio alienæ ſatisfactionis. ibidem. 128
ſatisfactio aliena uti prætium in Indulgentia adhibetur. ibidem. 128
ſatisfactio aliena, quæ in Indulgentia adhibetur, eſt magis Deo grata, & uehementior ad ſatisfaciēdum, quàm propria. ibidem. 128
ſatisfactio Chriſti non excludit ſatisfactiones noſtras. ibidem. 129
per noſtras ſatisfactiones, tamquam per medium à Chriſto inſtitutum, applicatur nobis fructus ſatisfactionis, Chriſti. ibidem. 130
ſatisfactio Chriſti non redditur diminuta, uel imperfecta ob noſtras ſatisfactiones. ibidem. 130
ſatisfactio Chriſti non indiget ad plenè ſatisfaciendum noſtris ſatisfactionibus. ibidem. 130
ſatisfactio eſt uoluntaria & integra ſolutio pœnæ. lib. 2. cap.28. 268
adæquando ſolutionem debito quis plene ſatisfacit. ibidem. 168
ſatisfactio eſt alijs communicabilis. ibidem. 168
difficultas, quæ eſt in ſatisfactione ex parte ſubiecti non auget meritum, ſed ſatisfactionem, præciſe loquendo. ibidem. 169
actus internus boni operis ſæpè ſatisfacit. ibidem. 171
ſatisfactio uitæ eſt melior quàm Purgatorij.ibidem. 172
allucinatur Caluinus dum negat, ſatisfactionem eſſe verā compenſationem, quæ Deo redditur.ibidem. 173
ſatisfactiones ſemel in theſauro repoſitæ deperdi poſſunt. lib.2.cap.33. 198
ſatisfactiones damnatorum, quas, dum eſſent in gratia, fecerunt, nequaquam in theſauro conſeruantur ibidem. 198
non conſeruari ſatisfactiones in theſauro, nil aliud eſt quàm Deum illarum obliuiſci, nec uelle illas remunerare.ibidem. 200
ſola Chriſti ſatisfactio, & meritum applicatur ad peccati mortalis remiſſionem, & pœnæ æternæ ſatisfactionem. lib.2. cap.35. 209
per Sacramenta, & ſacrificium Miſſæ limitatus gradus ſatisfactionis ex opere operato applicatur. ibidem. 212
non ſolum ex dignitate perſonæ, ſed etiam ex magnitudine operum, & dolorum ſatisfactio Chriſti fuit æqualis. ibidem. 213
infallibili lege, & de iuſtitia Sanctorum ſatisfactiones in Indulgentijs applicatæ acceptantur à Deo.lib.2.cap. 36. 215
Sanctorum ſatisfactiones ſemel applicatæ non ampliùs applicari debent, quia ſunt conſumptæ. ibidem. 215
Sanctorum ſatisfactiones, quando applicantur cum Chriſti paſſionibus, non ſuperfluunt, ſed ad gloriam Chriſti, & honorem ipſorum ſuperabundant. ibidem. 215
ex ſuperabundantibus Sanctorum ſatisfactionibus oſtenditur, legem Chriſti non eſſe grauem. ibidem. 216

ponitur opinio Caietani; quòd ſatisfactiones noſtræ iunixæ paſſioni Chriſti æque de rigore iuſtitiæ Deo ſatisfaciunt, ut ipſius Chriſti. lib. 1. cap. 37. 217

ponitur opinio Taperi quòd ſatisfactiones Chriſti non communicentur nobis, niſi radicaliter. ibidem. 217

ponitur erronea opinio Ioannis Methinæ, quod nec homo, nec Chriſtus ipſe poſſit ſatisfacere de rigore iuſtitiæ. ibidem. 217

ſatisfactiones iuſtorum quoad remiſſionem pœnæ temporalis actiuè concurrunt, & æqualitatem ad ſatisfaciendum habent. ibidem. 221

tripliciter noſtra ſatisfactio fundatur in Chriſti meritis. ibidem. 222

ex coniunctione noſtrarum ſatisfactionum cum ſatisfactionibus Chriſti, tamquam membrorum cum capite, maiorem vim illæ ad ſatisfaciendum obtinent, quàm ſi ne ea haberent. ibidem. 222

numquam noſtra ſatisfactio, etiam ut coniuncta cum Chriſto capite, obtinet illum perfectum iuſtitiæ gradum, quem ſatisfactiones Chriſti habuerunt, contrà Caietanum. ibidem. 222

Chriſti ſatisfactio non ſolum ex diuina liberalitate, uel promiſſione, ſed etiam ex obligatione, & debito Patria ad Chriſtum fuit acceptata; contra Scotum, & Suarez. ibidem. 223

noſtra ſatisfactio etiam coniuncta cum Chriſti ſatisfactione nō ſortitur perfectam rationem iuſtitię. ibidem. 223

ſatisfactio noſtra à Deo acceptatur, ex perfecta, & rigoroſa iuſtitia non nobis, ſed Chriſto debita. ibidem. 223

Genus humanum per Chriſtum, tamquam per caput, ſatisfecit Deo de rigore Iuſtitiæ. ibid. 223

Erronea eſt ſententia Michaelis Baij aſſerentis, nullam aliam eſſe ſatisfactionem, niſi Chriſti, & ad præſentiam alicuius operis Deum nobis Chriſti ſatisfactionem applicare, cum noſtra opera propriè Deo non ſatisfaciant. lib. 2. cap. 38. 224

Non probatur alia opinio, quòd quando ſatisfacimus, vna ſit tantum actualis ſatisfactio, & hæc ſit noſtra. ibidem. 225

Quando ſatisfacimus, non vna, ſed duæ concurrunt ſatisfactiones, vna ab altera dependens, prima Chriſti, altera noſtra. ibidem. 225

ſatisfactio per applicationem Miſſæ defunctis factam æquè certa eſt, ac illa quæ ex Theſauro per Indulgentias erga illos fit. lib. 2. cap. 40. 229

Quando ſatisfactiones ex Miſſa ſuum non ſortiuntur effectum, tunc in Theſauro reponuntur. ibid. 229

ſatisfacere Deo per Indulgentias, non impedit voluntatem ſatisfaciendi eidem per proprias pœnas. libro 2. cap. 22. 143

ſcriptores rerum nouarum non illicò omnia, quæ accidunt, ſcriptis commendant, ſed quæ teſtimonijs grauiſſimorum virorum comparata ſint, vel populorum vſu recepta, & confirmata. lib. 6. cap. 28. 696

Non eſt mirum ſi rerum prophanarum ſcriptor alicuis rei ſacræ mentionem non faciat. ibid. 696

Oreſtes ob ſcelus in matrem commiſſum nullam quietis partem habuit, ſed vagus, & profugus magnam Orbis partem peragrauit lib. 5. cap. 26. 585

Qui ſcelera perpetrantur, & ſi nemo conſpiciat, omnia tamen reformidant, & ſuſpicantur perpetuæ conſcientiæ ſtimulis agitati. ibid. 586

ſedes Apoſtolica iure diuino ſemper vſque ad finem mundi Romę fixa erit. lib. 3. cap. 9. 348

Numquam ſedes Apoſtolica Hieroſolymam eſt peruentura. ibidem. 354

ſeruorum proprium eſt, uel timore pœnæ, vel ex neceſſitate operari. lib. 5. cap. 12. 540

Simeon ſtylita maximum miraculum terrarum Orbis fuit. lib. 2. cap. 29. 181

Simeon ſtylita totam hæbdomadam ieiunus tranſigebat. ibidem. 181

ſtylita nudos lumbos aſperrimo fune conſtringebat. ibidem. 181

ſtylita Catena ferrea longitudinis viginti cubitorum pedem dextrum ligauit, ne præſcriptum ſinem tranſgredi poſſet. ibidem. 181

ſtylitæ hiſtoria non fabuloſa, & ridicula, ſed vera, & grauiſſima eſt. ex Patribus. ibid. 182

ſtylita reſidentiam ſuam ad modum auis in columna conſtituit. ibidem. 181

inter Sodomorum flagitia, illud præcipuè enumeratur, quòd in peregrinos inhumani eſſent. libro 6. capit. 6. 625

Sodomorum, & hæbræorum crimen Deus diutiùs tolerauit, nec ſtatim uindicauit. lib 6. cap 17. 654

ſtatuæ Nabuchodonoſor deſcriptio, & ſignificatio. libr. 3. cap. 3. 323

ſtatua Iuliani Apoſtatæ in locum ſtatuæ Chriſti poſita fulmine conteritur. lib 6. cap. 15. 652

Sudarium Veronicæ diſtinctum eſt à Sudario, in quo corpus Domini inuolutum fuit in ſepulchro, contra Serranum. lib. 3. cap. 13. 371

Serranus errauit exiſtimans in Baſilica Vaticana aſſeruari Sudarium capitis non faciei. ibid. 371

ſuffragia damnatis prodeſſe non poſſunt ad ſatisfactionem pœnæ remiſſi peccati, aut venialium, contra Scotum, Riechardum, Gabrielem, & Maiorem. libro 2. capit. 44. 269

tria ſunt genera ſuffragiorum, quæ in gratiam mortuorum fiunt, Miſſa, oratio, & opera pœnalia, ex Patribus. lib. 2. cap. 47. 286

A tempore Sixti Quarti cœptum fuit Indulgentias in Anno Sancto ſuſpendere. lib 4. cap. 8. 435

ſuſpenſio Indulgentiarum, quæ fit in anno ſancto, durat etiam eo elapſo, niſi ſubſequatur noua confirmatio à Papa. ibidem. 438

ſuſpenſio Indulgentiarum in anno ſancto, ſemper durat niſi reuocetur. ibidem. 438

Quid ſi priuilegium contineat plenariam, & non plenariam? an vtraque ſit ſuſpenſa. ibid. 439

ſuſpenſus ab officio, & beneficio poteſt viſitare Eccleſias, & ſuſcipere Iubilæum. lib 5. cap. 15. 573

ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi ibidem publicè audiat diuina, peccat mortaliter, non tamen efficitur irregularis, niſi celebret. ibid. 573

ſuſpenſus à ſuſceptione Sacramentorum, remotis impedimentis, Iubilæum ſuſcipere poteſt. ibid. 574

ſuſpenſio non eſt peccatum, ſed eius pœna. ibidem. 574

ſuſpenſio fertur ob culpam mortalem vel venialem. ibidem. 574

Suſpenſio non fertur ſine vlla culpa propria. ibidem. 574

Synagoga caruit Theſauro, Clauibus, & Sacramentis. lib. 2. cap. 22. 144

T

TEmplum ante Chriſti aduentum apud francos in honorem Virginis pariturae erigitur, ſicut etiam ab Argonautis. ex Caſſanæo. lib. 3. cap. 16. 396

in templis Deo dicatis ſanctitas aliqua peculiariſque Dei virtus ineſt. lib. 6 cap. 3. 611. & ſeq.

templa Deo dicata verè ſunt Dei habitacula. ibidem. 613

in templi parte inferiori apud hæbræos multæ Cellulæ conſtructę erant ad cohabitationem Virginum. lib. 6. cap. 11. 634

per templum virtutis ad honoris templum intrabatur. lib. 5. cap. 6. 514

Terræmotus in Syria Vrbes cum ędibus, & ędificijs vſque ad ſex milliaria abſque ulla ruina tranſportauit. lib. 6. cap. 21. 675

Terræmotu ciuitatem Neocęſaream in Ponto funditùs euertente, Eccleſia ibidem erecta integra, & illęſa permanſit. ibidem. 680

terra per ſe abſque fundamento virtute ſua naturali ſubſiſtit. lib. 6 cap. 27. 696

ſeptem opiniones ab Ariſtotele numerantur de cauſa firmitatis terrę, eiuſque ſtabilitatis. ibid. 696

Grauitas

Grauitas naturalis terrę eſt vera cauſſa eius ſtabilitatis. ibidem. 697

Theſaurus materialiter prius fuit quàm actualis Chriſti ſatisfactio.lib.2.cap.22. 145

Theſaurus formaliter non incepit, niſi poſt Chriſtum. ibidem. 145

Theſaurus ex Chriſti meritis realiter exhibitis formaliter cœpit eſſe. ibid. 145

Theſauri diſpenſatio non eſt alligata Sacramentis.ibidem. 145

Theſaurus ſpiritualis eſt collectio, ſeu cumulus ſatisfactionum Sanctorum ſibi ſuperfluarum, ſimul non in loco aliquo materiali, ſed in Dei acceptatione repoſitarum. lib.2.cap.24. 158

probatur ex auctoritate Scripturę, & Patrum, & ex natura bonorum operum eſſe in Eccleſia Theſaurum ſpiritualem.ibid. 158

Theſaurus Eccleſiæ deſignabatur per opes Booz, & diuitias Ioſaphat, & Aſſueri, & theſauros Ezechiæ. lib. 2 capite 26. 163

Ad efficaciam Sacri Iubilæi, & Indulgentiarum theſaurus ſimpliciter eſt neceſſarius; contrà Mayronem, & Medinam.lib.2.cap.27. 166

Theſaurus Eccleſiaſticus conflatur ex operibus Chriſti, B. Virginis, & omnium electorum, à primo iuſto vſque ad ultimum.libro ſecundo capite 19. 175

non multiplex ſed vnicus eſt Theſaurus Eccleſiaſticus, ibidem. 176

Theſaurus non ex Dei, vel Angelorum operibus conſurgit, ſed hominum.ibidem. 176

Theſaurus non ex diuitijs effuſis, ſed congregatis conflatur.ibidem. 176

Refellitur noua Coſmi Montigiani opinio de tripartito theſauro.lib 2.cap.30. 198

Theſaurus ex parte Chriſti eſt infinitus. libro 2.capite 34. 203

Quando Theſaurus applicatur tota pœna remittitur à Chriſto, & à Sanctis; ab illo vt à cauſa vniuerſali, ab his vt à cauſſa particulari.libro ſecondo, capite trigeſimo-ſexto. 215

Viginti proprietates diuinæ ſapientiæ Theſauro Eccleſiaſtico accommodantur.libro quinto, capite ſeptimo. 517

Theſaurus Eccleſię qua parte continet ſatisfactiones Chriſti non eſt antiquior Indulgentijs.ibidem. 520

Theologorum ſchola iudicem cartularem non agnoſcit, contra Nauarrum.lib.5.cap.15. 561

Theologus Rex dicitur.libro 1.cap.1. 2

Theologi, Concionatores, alijque doctiſſimi viri, qui ſcriptis ſuis, & doctrina Dei Eccleſiam hoc poſtremo ſæculo illuſtrarunt, numerantur quamplurimi. lib.1. cap.9. 50

Thomas Apoſtolus poteſtatem Apoſtolicam, & Epiſcopalem à Chriſto immediate recepit, & quando.libro 2.capite 23. 157

Thomas abſens, cum eſſet infidelis, non potuit poteſtatem remittendi peccata recipere.ibidem. 157

thurificatio in Miſſa ante Annum Domini octingenteſimum, & ante Leonem cœpit, contrà Platinam, & Polydorum. lib.4.cap.11. 456

Summum genus vindictæ, ac pœnæ fuit, locum illum à Barbaris auferre, in quo initium fidei Chriſtianæ, & exordium ſalutis cœptum eſt. libro ſexto, capite 17. 658

Non Sanctorum ſuperbiæ, ſed diuinæ prouidentiæ attribuendum eſt, quòd ad celebriorem locum ex ignobiliori Sanctorum reliquiæ tranſportentur.libro 6.capite 18. 661

Hanc reliquiarum tranſlationem Deo gratam eſſe multis ſignis oſtenditur.ibidem. 661

primus qui reliquias Sancti Stephani ex Oriente in Occidentem detulit, vel Oroſius, vel Eudoxia fuit. ibidem. 661

B.Ambroſius Dei monitu Sanctorum Geruaſij, & Protaſij corpora in honeſtiorem locum tranſtulit.ibidem. 661

Mitra, & Baculus Paſtoralis Diui Auguſtini cum nonnullis Sanctorum reliquijs transferuntur. ibidem. 662

Ex tranſlatione Babylæ Martyris Dæmonis arrogantia cognoſcitur ibidem. 662

Tubæ, quibus Iubilæus clangebatur, argenteæ erant, non corneę, vt Hæbræi, & Ribera putant. libro primo, capite 4. 20

Tubarum harum forma ex Ioſepho deſcribitur. ibidem. 21

V

VErgerius Pſeudoepiſcopus vno & viginti argumentis impugnauit Sacroſanctum Sacellum Lauretanum. lib.6.cap.9. 631

Vergerius mutilatè citat verba Nicephori.libro 6.cap.12. 639

via ex Galilæa ad Hieroſolymam triginta milliaria continet.lib.5.cap.12. 540

viæ quæ homines ad virtutem perducunt, non ſunt euſdem rationis, ex Lactantio. libro quinto, capite 15. 578

via virtutis dura eſt.ibidem. 578

Impiorum uia eſt ſimilis vię glacie, & niue refertę. ibidem. 579

vinculum duplex, pœnę, & culpę.libro ſecundo, capite 19. 133

vinculo culpę ligatur homo, ne poſſit mereri. ibidem. 133

vinculum pœnæ multiplex, æternæ damnationis, pœnæ Purgatorij, pœnæ temporalis condignæ peccatis, pœnæ arbitrariæ ſecundum pœnitentis, & peccatorum conditionem.ibidem. 133

per vinculum Matrimonij coniuges efficiuntur vnum cor, per copulam vna caro. libro ſexto, capite duodecimo. 640

virtus res tanta eſt, vt etiam impugnantes admirentur.lib. 5.cap.16. 581

virtutes ſunt quædam odoramenta ſuauiſſima, quæ homines alliciunt, & oblectant. libro quinto, capite ſexto. 515

Probabile eſt. actus virtutum ex conſecratione Papali, eo ipſo quòd annectuntur Iubilæo, fieri Sacramentalia ad tollendas culpas ueniales. libro quarto, capite quarto. 419

Virtus ac vita honeſta, atq; religioſa Cleri, & populi Chriſtiani huius poſtremi ſæculi laudatur.libro primo, capite nono. 50

virtus neque naſcitur, neq; caſu contingit, ſed ſtudio comparatur.lib.5.cap.16. 576

virtutum ſemina indita ſunt nobis à natura.ibidem. 576

virtus omnes animæ partes, vt natura ſtatuit, diſponit, & ſeruat.ibidem. 576

virtutibus progenitorum non eſt confidendum, ſicut etiam nec eorum vitiis trepidandum. ex D. Chryſoſtomo.ibidem. 576

virtus circulo cur ſimilis ſit ex Diuo Auguſtino. ibidem. 577

virtutem fortuna non eripit.ibidem. 577

virtus intrinſecus candorem, & iucunditatem præſtat.ibidem. 579

Nulla virtus naturalis effectum miraculorum attingere poteſt.lib.6 cap.22. 682

virtus maxima, & præclara gubernandi ratio. S. D. N. Clem.VIII.lib.1.cap 9.10. 56

viſio beatæ animæ aſſumpto corpore tãtum extenſiuè creſcet, non eſſentualiter, vel intenſiuè. libro 2. capite 43. 261

Triplex viſio reperitur, cordis, oculorum, & imaginationis.lib.6.cap.25. 693

Multi Limina Apoſtolorum viſitant ambitionis cauſa, mul

ti lu-

ti litigandi,& appellandi cauſſa ex D.Bernardo.libro 5. cap.13. 543
Probabile eſt, omnes viſitationes Eccleſiarum in Anno Sancto debere fieri in gratia,& prerequirere confeſſionem,vel ſaltem contritionem.lib.5.cap.15. 553
ſingulæ quatuor Eccleſiæ eodem die viſitandæ ſunt. ibidem. 555
viſitatio Eccleſiarum nocturno tempore eſt utilis ad Iubilæum conſequendum.ibidem. 556
qui in ſtatu gratię cępit uiſitationem Eccleſiarum, ſi labatur in mortale,non tenetur iterum illam inchoare.ibidem. 558
completa vltima viſitationę immediatè fructus Sacri Iobilęi acquiritur. ibidem. 559
expedit, vt in die vltimę uiſitationis quis confiteatur. ibidem. 559
qui completa viſitatione Eccleſiarum peccat mortaliter, & ad Patriam vult redire,iterum ſuſcipiat Iubilęum. ibidem. 568
qui vel ex voto,vel ex neceſſitate viſitat Eccleſias pręſcriptas, per huiuſmodi viſitationes poterit conſequi Iubilęum. ibidem. 575
vitium contra naturę ordinem omnia confundit. lib.5. cap.16. 576
uitium nullum habet ortum à natura. ibidem. 576
ubi unitas ibi perfectio, ex D Bernardo.lib.1.cap.19. 133
Vniuerſitas & Collegium ſunt perſonę fictæ non uerę.lib. 4.cap.8. 437
tranſubſtantiatio eſt proprium, & aptiſſimum uocabulum conuerſionis panis in corpus Chriſti, contrà Scotum. lib.1. cap.5. 26
uocabulo tranſubſtantiationis Innocentius III. in Concilio Lateranenſi uſus eſt, anno Domini 1215.ibid. 26
vocabula de congruo, & condigno ſunt proprij termini ad doctrinam de merito, & operibus explanandam contra Sotum ibidem. 27
uoluntas pro facto quoad illa beneficia,quæ ſub conditione à Principe offeruntur, non reputatur.lib.5.cap.15. 565
uoluntas hominis quoad pręmia accidentalia ſine facto non coronatur apud Deum. ibidem. 565
quoad præmium eſſentiale pro eodem acceptatur a Deo, efficax uoluntas,& factum. ibidem. 565
uotum de nulla accipenda Indulgentia, etiam eo animo, nequis immunis ſit à pœna Purgatorij, malum eſt,nec tenet.lib.5. cap.15. 564
ex uoto etiam Baſilicæ Imaginibus & inſcriptionibus exornatę Deo erigontur.lib 6.cap.23. 688
vota etiam ex præcioſa & nobiliori materia Deo offerenda ſunt. ibidem. 686
D.Chryſoſtomus tabulam habebat,in qua cædes Aſſyriorum depicta erat. ibidem. 686
quas utilitates tabellæ in templis ſuſpenſæ Chriſtianis afferant. ibidem. 686
uota, & donaria, quæ in templis offeruntur,in miniſtrorum utilitatem cædere interdum, non eſt abſurdum. ibidem. 687
vxorem accipere plures habet acceptiones in Scriptura. lib.6.cap.11. 638
vxoris & viri bona communia ſunt lib.6. cap.12. 640

Soli Deo Honor & Gloria.

Hoc loco ponenda ſunt aliqua loca Patrum, quæ inter imprimendum exciderunt, & ſuis locis inſerenda.

Fol. 18. lin. 26. ante illa verba. Annus igitur, &c. adde hęc, ubi ait. *Clauē verò paruulā à ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore vobis pro eius benedictione trāſmiſimus, in qua ineſt ferrum de catenis eius incluſum, vt quod collum illius ad martyrium ligauerat, veſtrum ab omnibus peccatis ſoluat.* Hæc Gregorius. Vides hic effectum Indulgentiæ Plenariæ à benedictione Pontificis per Clauē poteſtatis emanantem, ſolutionem ſcilicèt à peccatis, hoc eſt eorum pœnis extrà Sacramentum: nil certè clariùs Gregorius affirmare poterat, & in fine eiuſdem Epiſtolæ ſubdit hæc verba. *Prætereà tranſmiſimus Clauim aliam à ſacratiſſimo Beati Petri Apoſtoli corpore, quæ cum digno honore repoſita, quæque apud vos inuenerit, benedicendo multiplicet.* Hęc ille. In quibus verbis alium effectum eiuſdem Clauis ponit, temporalium ſcilicèt rerum affluentiam, & abundantiam.

Idem Gregorius lib. 10. Epiſt. 7. Sabinellæ Columbæ, & Gallæ à paribus, ſic ſcribit. *Prætereà gloriam veſtram paterno ſalutantes affectu, indicamus per latorem præſentium, Hilarium Cartularium noſtrum, Clauim nos à ſacratiſſimo corpore Beati Petri Apoſtolorum Principis tranſmiſiſſe, in qua de catenis quoq; ipſius benedictio continetur. Quæ collo veſtro ſuſpenſa, hoc vobis eo intercedēte gratia abſolutionis fiat, quod illi fuit cauſa martyrij.* Sic ille. Quid clarius? in his verbis benedictionem, & abſolutionem pœnarum peccatorum extrà Sacramentum, quæ per Indulgentiam fit, apertè habes.

De eadem Claui idem Gregorius lib. 1. Epiſtola 29. Andreæ Illuſtri de Ribiria, ad alium etiā effectum trāſmiſſa, ſic ſcribit. *Prætereà ſanctiſſimam Clauem, à S. Petri Apoſtoli corpore vobis tranſmiſi, quæ ſuper ægros multis ſolet miraculis coruſcare, quā & de eius catenis interius habet. Eadem igitur catena, quæ illa ſancta colla tenuerūt, ſuſpenſa colla veſtra ſanctiſicent.* Eadē verba ſcribit in ſequēti Epiſt. 30. Ioanni Cōſuli, atq; Patricio, & Quæſtori.

Idem D. Gregorius Magnus to. 2. Epiſtolarum Summorū Pontificū lib. 6. Epiſt. 25. Theodoro Medico Cōſtantinopolitano ſcripta, de hac benedictione, per quā Indulgētia ſignificatur, ſic ſcribit. *Benedictionem verò S. Petri Apoſtolorum Principis, quem multum diligitis, Clauem à ſacratiſſimo eius corpore vobis trāſmiſimus, in qua ferrū de catenis eius clauſum eſt, vt quod illius collum ligauit ad martyrium, veſtrum ab omnibus peccatis ſoluat.* Hæc Gregorius. Ex cuius verbis apertè vides, hanc benedictionem ad peccatorū remiſſionē pertinere. Immò per illā Plenariā Indulgentiā concedi, cū dicat, ab omnibus peccatis.

Idem Gregorius eod. lib. Epiſt. 23. Theoctiſtæ pariter, & Andreę ſcripta, ſic hēt. *Prætereà benedictionē S. Petri Apoſtoli, Clauē à ſacratiſſimo eius corpore trāſmiſi,* & ſtatim ſubiūgit miraculū, qđ circà eā accidit dicēs, *de qua videlicèt Claui hoc eſt geſtū, quod narro, miraculum. Dum eam quidam Lōgobardorū Ciuitatē ingreſſus in Trāſpadanis partibus inueniſſet, quia S. Petri Clauis eſſet deſpiciens, ſed pro eo, quod eam auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, vt eam incideret, qui mox cultellum, cū quo eā per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademq; hora extinctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharith, atq; alij multi eius homines adeſſent, & is, qui ſe percuſſerat, ſeorſum mortuus, Clauis verò hæc ſeorſum iaceret in terra, factus eſt omnibus vehemētiſſimus timor, vt eamdem Clauē de terra leuare nullus præſumeret. Tunc quidā Longobardus Catholicus, qui ſciebatur, orationi, et eleemoſinis deditus, Minulphus nomine, vocatus eſt, ipſe hāc leuauit de terra. Antharith vero pro eodē miraculo aliā Clauem aureā fecit, atq; cū ea pariter ad ſanctæ memoriæ deceſſorē meū tranſmiſit, indicās quale per eā miraculū cōtigiſſet. Ipſā ergò veſtræ excellentiæ tranſmittere ſtudui, per quam oīpotens Deus ſuperbientē, & perfidum hoīem peremit, vt per eam vos, qui eū timetis, & diligitis, & præſentē ſalutem, et æternā habere valeatis.*

Huius Gregorij Magni veſtigia ſequens Gregorius VII. li. 7. Regiſtri in Epiſt. 6. ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem, ſic ſcribit. *Vt autem noſtra exhortatio cordi veſtro altiùs imprimatur, ex more Sanctorum miſimus vobis Claviculam auream, in qua de catenis Beati Petri benedictio cōtinetur: quatenus per eius præſentia patrocinia vberiora eius ergà vos beneficia ſentiatis, & in amore ipſius de die in diem feruentes accendamini, promerentes, vt omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia à nexibus ferreis liberauit, eius meritis, & interceſſionibus vos ab omnium peccatorū veſtrorū vinculis abſoluat, & ad gaudia perducat æterna.* Hęc ille. Cuius verba, etſi à nobis alibi etiam relata ſint, hic tamen grauiùs ſunt ponderāda. Profectò Indulgentiam Plenariam Alphonſo Regi cōcedit, dum gratiam benedictio-

nis, &

nis,& abſolutionis ab omnium peccatorum ſuorum vinculis,ideſt Pœnarum temporalium, extrà Sacramentũ impartitur,deinde dum hoc tribuit meritis Beati Petri,& paſſionibus,quas in ferreis catenis alligatus ſuſtulit,planè theſaurum Eccleſiaſticũ agnoſcit, in quo præter Chriſti, Sanctorum quoq; merita ad noſtrorum peccatorum abſolutionẽ cõtinentur,& ex illo per Indulgentias nobis applicantur. Dum verò inquit,ſe mittere clauiculam auream , in qua benedictio continetur, vtiq; poteſtatem Clauium per quas Indulgentię conferuntur ſignificat. Poſtremò dum inquit ſe id facere ex more Sanctorum,apertiſſimè indicat morem,& vſum huiuſmodi benedictionum ſeu Indulgentiarũ vetuſtiſſimum, ac ſanctiſſimum in Dei Eccleſia eſſe. Ad extremum , dum inquit , ſe id facere interceſſionibus B. Petri , quid aliud declarat , niſi quod B. Apoſtolorum Princeps , & ex conſequenti cæteri Sancti Dei,continuè interpellant pro nobis, vt pium ad Indulgentias, ac Iubilæos ſuſcipiendos affectum,promptumque animum habeamus ?

Fol. 15 .lin. vltima, poſt vltima verba adde quæ ſequũtur. Martyres verò habuiſſe poteſtatem venias peccatorum dãdi, & pacem, hoc eſt relaxationẽ à ſatisfactione per Epiſcopos , vel Presbiteros impoſita concedendi , docet apertè Tertull. in lib. de Pudicitia c.22. iuxtà nouam Pamelij diuiſionem, ibi. *At tu iã, & in Martyras tuos effundis hanc poteſtatem, &c.* & ibi paulò poſt, *pacẽ ab his quærunt, qui de ſua periclitantur*; quem locũ Pamelius ann. 192 illuſtrans ait, *Quãuis ibi iam Hæreticus factus damnet hanc veniam, quã Martyres lapſis dabant, cõtrà ea, quæ iã ſcripſerat in li. ad Martyres ca. 1. attamen ex Cypriano, ex Epiſtolis ſcriptis ad Clerũ, ad Martyras, et ad Plebem, nu. 10. 11. et 12. Martyribus hæc poteſtas lapſis dandi pacẽ præcidenda non eſt, ẽt ex ipſius iam ſana Tertulliani doctrina, ſed petentiũ deſideria ponderanda quidem, merita quoq; ſingulorũ examine prænio expẽdenda, ut ab Epiſcopis maturè Martyrum, & Confeſſorum merita applicarentur.* Lege Pamelij ann. 12. in lib. Tertulliani ad Martyras, cap. 1. vbi inquit , dare pacem apud veteres nil aliud eſſe, quàm recipere in ius communicationis aliquem, hoc eſt , communicare alijs ſuas ſatisfactiones. Tanta eſt Martyrum, & aliorum Sanctorum ẽt viuentium, auctoritas in Eccleſia.

Fol. 125. lin. 42. ante Theodoretũ pone hæc. Tertull. in li. de Pudic. c. 13. ponẽs factũ Corinthij fornicatoris, ſæpiùs veniæ, Indulgentiæ, & donationis pęnę, quam ille luere debebat, mentionem facit, vbi Pamelius annot. 98. 99. 104. & 118. legendus eſt. Hunc Corinthium eumdem eſſe , quem Paulus 1. Corinth. 5. tradiderat Sathanæ, probat ex B. Paciano, tum in exhortat. ad pœnit. tũ in Epiſt. 2. ad Symphron. & ex B. Ambroſio lib. 1. de pœnit. ca. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. & ex B. Chryſoſt. alijſque Græcis in Epiſt. 2. ad Corinth. & D. Auguſt. lib. 3. contrà Epiſt. Parmen. cap. 1. Hunc tradiderat Sathanæ in interitũ carnis, i. in afflictionẽ carnis, & in officiũ pęnitentiæ, vt impoſitis ſatisfactionibus operam daret. Sic B. Pacian. & Ambroſ. bene ad literã interpretantur, & Origenes Homil. 24. in Leuit. & 12. in Ezech. & huic, inquit Paulus, ſufficiat iſta increpatio, i. mulcta, & pœnæ, hęc eſt. n. correctio, ut à D. Auguſt. loco citat. dr̃, quæ ei impoſita fuit. Lege Pamelium eod. lib. de Pudicitia cap. 14. nu. 111. huic Paulus donauit, i. remiſit pęnam impoſitam, quam perſoluere debebat iuxtà illud ad Ephe. 4. *Donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* i. vt ex Græco uerbo χαριζόμενοι cognòſcitur, remittẽtes peccata, hoc. n. ſignificat donare. i. remittere, ut D. Ambroſ. & Theophyl. ibidem exponunt. Hæc. n. donatio eſt remiſſio culpæ, uel pœnæ, q̃ Deus non ex diuitijs ſuis pręcisè, ſed ex diuitijs. i. meritis, & ſatisfactionibus Chriſti nobis facit. Hæc aũt remiſſio eſt Indulgentia, de qua eſt ſermo. Idẽ hẽt Apoſtolus ad Colo. 3. *Donantes vobiſmetipſis.* i. remittentes, *ſi quis aduerſus aliquem hẽt querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos:* eodem. n. uerbo tàm Græce quàm Latinè donationem, hoc eſt Indulgentiam, & remiſſionem exprimit, & in eadem Epiſtola cap. 2. *Donans vobis,* ideſt remittens, *Omnia delicta, delens; quod aduerſus nos erat, chyrographum; &c.*

Fol. 401. lin. 1. ante illa uerba. D. Gregorius, &c. pones hęc. Nec putet Hæreticus ex noſtro ingenio abſolutionem peccatorũ uocari benedictionem: ita illam appellauit D. Auguſt. Homil. 49. agens contrà eos , qui erubeſcebant genu flectere ſub benedictione Dei; ubi nomine benedictionis Dei, ſacerdotis abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ exhibitam intelligit, ut rectè etiam adnotauit Pamelius in lib. de pęnit. Tertull. cap. 9. not. 58. & cap. 10. not. 62. & ſi Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu abſolutio Sacramentalis peccatorum rectè uocatur benedictio maior, quòd culpam remittat, cur non etiam æquè bene abſolutio pœnarum per Indulgentias extrà Sacramentũ uocàbitur benedictio minor? Nihil profectò obſtat, niſi Hæretici hominis ignorantia, & pertinacia.

CICCIORICCIO
ROMA
LEGATORIA DI